Digitized by Google

2° H. mon.
143 (3

Digitized by Google

<36605423230011 S

<36605423230011

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google



CISTERCIENSIVM,

SEV VERIVS

ECCLESIASTICORVM

ANNALIVM

A CONDITO

CISTERCIO,

TOMVS TERTIVS,

CONTINENS AB ANNO M.C.LXXIV.
vsque ad M.CC.XII. inclusiuè.

AVTH. FR. ANGELO MANRIQVE,
eiusdem Ordinis in alma Hispaniarum Obseruantia Generali emerito, PHILIPPI IV. Regis Cathol. à sacris Concionibus, & in Salmanticensi Academia Theologiæ Cathedræ primario Antecessore:
NVNC VERO
ELECTO EPISCOPO BAZENSI.

LVGDVNI,
Sumptibus Laurentij Anisson, & Soc.

M. DC. XLIX.
Cum Permissu Superiorum.

141 F
Digitized by Google

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Digitized by Google

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

SVPREMIS SACROSANCTÆ INQVISITIONIS SENATIBVS,

TAM IN VRBE, QVAM EXTRA,

per vniuersam Ecclesiam
consistentibus,

FIDEI FIRMAMENTIS, ECCLESIÆ FVLCRIS.

FR. ANGELVS MANRIQVE, CISTERCIENSIS
Monachus, cum omni humilitate,
S. P. D.

HVNC ego Tertium Cistercienſium Annalium Tomum, ô veri Fidei Pugiles, ſi aliis conſecrarem, ſcelus committerem. Sanctiſſimi Tribunalis veſtri initia pandit ſub Innocentio III.[a] neque vt ea Ciſtercienſi Familiæ aſſerat, quanuis id etiam præſtat; ſed vt ediſſerat, cui primùm cura inquirendi contra Hæreticos[b], cui puniendi poteſtas conceſſa ſit: quo primùm ſanguine rubricatæ Litteræ[c], quas Innocentius dedit: quorum prædicatione conuerſi[d]: quorum authoritate reconciliati, ſi reſipiſcentes[e]; quorum armis, ducatúve, oppreſſi[f]: quorum zelo combu-

a *anno* 1204. *c.* 2. & 3.
b *ibidem*, & *anno* 1205. *c.* 1. & 2. & 1206. *c.* 6.
c *anno* 1208. *c.* 1. & 2. & 1209. *c.* 6.
d *anno* 1206. *c.* 2. & 1207. *c.* 1. & 1210. *c.* 1. & 2.
e *anno* 1206. *c.* 2. & 1210. *c.* 1. & 2.
f *anno* 1208. *c.* 4. & 1209. *c.* 3. & 4.

Digitized by Google

g anno 1208. c.4.& 1210. c.1.& alibi.

sti [g], qui in sua perfidia pertinaces inueniebantur: qui tandem fuerint, qui clarum illud totius Ecclesiæ iubar, DOMINICVM GVZMANIVM, Religiosi vocauerint in partem sibi iunctæ sollicitudinis [h]. Non vt id onus, ab humeris excussum, Sancto relinquerent: sed, vt tanto vterentur Adiutore, ad CHRISTI, & Fidei negotium promouendum. Fuêre & alij Supremi Inquisitores, ex Cistercio assumpti, in diuersis Prouinciis, Regnísque, inter quos & insignis ille Hispanus, S. BERNARDVS, Vicensis Ecclesiæ Præsul, de quo Tomo sequenti [i]: sed nos hunc solum CELSITVDINI VESTRÆ consecramus: quia continet primos, post quos, vt multos ex nostris, sic ex aliis Familiis, ac sæculares, plures alios fuisse, incepti operis gloriam non euacuat. Eat in sæcula, sacrosanctum Fidei Tribunal incepisse in Cistercio: indéque dilatatum, & extensum, multas potuisse Familias illustrare. Etenim nostris, vt solos inchoasse; ita inchoatum non aliis inuidisse; atque hoc vltimum in maiore laude erit, quia fortè rarius. Verùm hæ laudes soli DEO cedant, à quo cuncta vtrique: vt & hîc Apostolicum illud aptari valeat: *Cistercium plantauit, alij rigarunt; DEVS autem incrementum dedit. At nec qui plantant, nec qui rigant, aliquid sunt: sed qui incrementum dat DEVS.* Valete: & me humilem in CHRISTO seruum, &, si dignamini, Filium CELSITVDINIS VESTRÆ, qui DEVM supplex pro incrementis vestris orem, non dubitate. Salmanticæ, Kalendis Ianuarij, anno M. DC. XLIV.

h anno 1210. c.1.num.6.7. & 8.

i anno 1235. c.1.n.9.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO.

PRODIT iam tertius noſtrorum Annalium tomus, quæſito, vt alij, otio inter negotia, in quo ſuauiora hæc, & vtiliora ſtudia, velut incitamentum ad pietatem, & leuamen ab aliis, in quantum licuit, libuit pertractare. Prodit autem eò cæteris charior, quò difficilior; quippe in prioribus ſuſcepimus ſcribendos primos Ciſtercij Patres, Robertum, Albericum, Stephanum, Raynaldum, Faſtradúmque, qui nobis integras paginas implebant, integros annos: habuimus & alios, fortè maiores, Bernardum, Thomam, Petrum, qui ſoli poſſent Annales illuſtrare: quin & præibat Ciſtercienſis Exordij Sol, qui vel ad infima radios ſuos diffundens, nedum ad alta, & media; multam nobis materiam miniſtrabat. Nunc illis Viris ab initio deficientibus, (quamuis alij ſucceſſerint;) atque hoc Sole in itinere medio defuturo; neque vlla ſubſtituenda Luna, ſtellíſve, id eſt, nullo Scriptore proprio reliquo, ad cuius lucem liceret ambulare; niſi exteri, & Regeſta Vaticani, ab Innocentio III. ſubueniſſent, offendendum vbique; nec niſi cæcis, & per inuia gradiendum foret. 1.

Et ſunt haud dubiè pulchri, qui inſtant greſſus, ſi modò ſit, qui dirigat: miſſis ex tenera adhuc plantatione, nondum octuagenaria, ad thalamum cœleſtem, Sanctis Virginibus, nec minùs Sanctis Viris, ad Sedem Petri, non ſolùm, qui obtinerent, (atque ô vtinam diutiùs!) ſed & (quod ſingularius) qui recuſarent: Apoſtolis, ad conuerſionem Gentium; Martyribus, ad gladios tyrannorum; Prædicatoribus, ad cunctos Chriſti Fideles; armatis Ducibus, aduerſùs Saracenos, atque in Hæreticos, ne cui officio deeſſent, datis omninò primis hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus. Reſtituet & Ciſtercio Calatrauam hæc ipſa Annalium Pars: vt vix dum natam, à gremio Matris profugam; ſic iam adultam, ac boni, & mali ſcientem, officioſiſſimè illud quæſituram. Hæc huius tertij tomi materia eſt; quò illuſtrior, difficilior, & eò periculoſior, quò abundantior: ſeu magnitudine rerum velut impulſus, modum dicendi excedas; ſeu pondere oppreſſus, non aſſequaris: nam ſuperbè narrare vel ſublimia, non ſine vitio poſſis; ſtylo humili eadem deprimere, longè intolerabilius eſſe ſolet. 2.

Imminet, fateor, minus ab his Syrtibus, noſtris lucubrationibus periculum: in quibus verbis Authorum plerunque vſi, ſi quid deſideratur, vel redundet, ipſis, quàm nobis veniet imputandum. Non tamen adeò nudi Collectores apparere voluimus, vt non collecta, velut calce propria ligare, dolare ligna, lapides ſupponere, & lapidicinas, quoties expediret, probaremur diſcutere, initia, & cauſas euentuum inueſtigantes: in quo, ſi fortè à nobis peccatum ſit, quò auguſtior materia, liberiórque, eò venia indigniores iudicabimur. Quippe quos vniuerſa ſtructura Operis occupat, frequens occaſio errandi, & ſcribendi neceſsitas excuſat: nobis, niſi ad negotia, aut ad diuerſa ſtudia recurramus, 3.

qui rarò, neque omninò necessariò verba nostra proferimus, quod leuamentum culpæ subesse possit? Meritò ergo ab his etiam metuemus: sed non propterea ab opere cessabimus. Aliis Historicis materia in optione, nobis in pietate. Et illi quidem eligere potuerunt, quam traditam ab aliis, exornarent. Nos non eligimus res, quas scriberemus: sed rebus de Historia ipsa prouidimus: &, vt expectent calamos aliorum, à quibus exornentur, satis esse putamus, si scribantur.

4. *Molestius illud, quòd nihil, nisi certum asserturis, deficientibus fontibus, vt solent, intermittenda, non semel Historiæ tela, & narrationis præscindendus stylus fuit: quod Lectori molestum, & nobis graue; sola dictorum fide suppleri poterit.* Primam historiæ
a lib. 2. de Oratore. legem, *ait Cicero*[a], ne quid omninò falsi dicere audeat. *Neque his sumus, qui vbi rerum ipsarum ignorantiam, antiquitatis velum opponit oculis, quæ ignoramus pro arbitrio nostro confingimus, illustraturi gentem, quam scribimus; aut, quid alios non minùs mouere solet, scriptis nostris gratiam conciliaturi. Vilius multò in Lectore nostro constabit nescire, quàm decipi: & decipisse, nobis in flagitio: ignorasse, humanæ conditionis erit.*

5. *Non tamen ideò cuncta vt certa tradimus, tunc veraces Historias reputantes, vt*
b epist. 131. *ait Augustinus*[b], Cùm voluntatem mentiendi non habent: neque homines fallunt, nisi quando ab hominibus, aut aliàs humana fragilitate falluntur. *Nobis eligere verosimiliora, antiquiores, fideliores quæ præferre Authores, circunstantias rimari, atque ex illis euentus veros dignoscere, in desiderio fuit. At & Authores, quantuncunque graues, quantuncunque antiqui, aut fallere, aut falli: & nos ipsi in eorum intelligentia, & collatione rerum, iudicióque facilè à vero potuimus aberrare. Igitur, vt Polibij*
c lib. 12. *verba assumam*[c]: [*Duplex esse mendacij genus dicimus: vnum, quod ab ignoratione veri procedit: alterum, quod à certo mentiendi proposito proficiscitur. Qui per ignorantiam aberrat, ei veniam esse dandam: at capitalis, ab his, odio dissidendum, qui voluntate, & certo animi proposito mentiuntur.*] *Nos ab his vltimis longè alienos esse scimus, & protestamur: cum prioribus veniam supplices petimus: neque mirum, si in tanta rerum congerie, seu discordantia Authorum, siue lapsu memoriæ, siue ignorantia nominum, locorum, aliorúmque incidentia, seu tandem multis multarum occasionum combinationibus, non semel tantùm, sed frequenter errauerimus.*

6. *Quartum interim Tomum adhuc expectet Lector, rerum tum varietate, tum magnitudine præcedentibus, aut omninò æqualem, aut superiorem. Eóque in multis vtilem: quòd tempora contineat sub Innocentio, & Honorio, vtroque III. & sub Gregorio IX. qui nihil egére ferè sine Cistercio. Et deficiente clarissimo illo Lumine Eminentissimo Cardinali Cæsare Baronio (quod in hoc etiam tomo videre licet, ab anno M.C.XCVII.) nostri haud exiguam lucem (fidenter asséro) ecclesiasticæ Historiæ ministrabunt. Quin neque pauca Decretalium Capita interserent, quæ ferè ab his Pontificibus conscripta (& Alexandri III. tempora absoluit) atque ad nostros directa, siue de nostris, illustrationem, ex euentibus accipiunt, & in aliquibus etiam correctionem. Neque hæc promittimus velut in incertum, sed cùm iam tomus à nobis absolutus solum prelum expectat, sub quo desudet. Vale: & quod displicuerit, ignosce: si quid probaueris, orationibus repende, vt Deum mihi propitium reddere possis.*

CENSVRA

CENSVRA REVERENDI ADMODVM PATRIS,

Magistri Fratris Ildefonsi Perez de Vmanes, sacræ Theologiæ in alma Salmanticensi Academia Professoris, & in Collegio D. Patris Bernardi, Abbatis, ac Regentis emeriti.

DE mandato Reuerendissimi P. N. Magistri D. VINCENTII DE GVEVARA, Generalis Reformatoris sacri nostri Ordinis Cistercienſis in Regnis Castellæ, & Legionis, *Tertium hunc Tomum Annalium Cistercienſium*, à Reuerendissimo, paritérque Doctissimo Magistro, F. ANGELO MANRIQVE, eiusdem Congregationis Generali emerito, huius nostri Salmanticensis Collegij S. MARIÆ DE LORETO iam quarto, magno eius decore, & totius Ordinis felicitate, præstantissimo Præsule, primariæ Theosophiæ Cathedræ in hac Salmanticensi Academia, totius Hispaniæ gloria, & vniuersalis Ecclesiæ vtilitate, Moderatore dignissimo, atque PHILIPPI IV. REGIS CATHOLICI à sacris Concionibus, attentè euolui. Hoc vnum scio, me nihil in eo legisse, quod non veritatis indagandæ curam, iudicandi seueritatem redoleat: scit nanque Author, eam esse veram Ordinis excellentiam, quam veritas peperit, non quam proprius effinxit affectus. Stylus lenis, dulcis, sententiarum thesauro diues, & à sublimi obscuritatem relegans. Nihil ergo est in Volumine hoc quod nostræ Fidei puritati non consonet: imò nihil in eo, quod Professorum Ordinis voluntates, ad maiorum imitationem non inflammet; nihil, quod totius Ecclesiæ alumnos ad perfectionis amorem non moueat; nihil quod DEVM mirabilem in Sanctis huius Ordinis non prædicet. Denique tot in Volumine isto adsunt cum ecclesiastica Historia connexa, vt iudicem quidem Opus hoc non solùm in Ordinis gloriam, sed etiam in commodum, & vtilitatem totius Ecclesiæ cedere. Quare cudendi licentiam Authori, imò Ordini, & Ecclesiæ debitam credo. Salmanticæ in nostro Collegio S. MARIÆ DE LORETO, 20. mensis Iunij, anno 1642.

FR. ILDEPHONSVS PEREZ DE VMANES.

CENSVRA REVERENDI ADMODVM PATRIS,

Magistri Fratris Petri de Ouiedo, in alma Salmanticensi Academia sacræ Theologiæ Professoris, & in Collegio D. Parentis Bernardi, Abbatis, ac Regentis emeriti.

ERVDITISSIMI, & Reuerendissimi P. N. M. F. ANGELI MANRIQVE, in QVARTI PHILIPPI, veteris, & noui Orbis MONARCHÆ, Sacello, facundissimi Oratoris; in Salmanticensium Panathenæo Theosophiæ Primarij, & emeriti Anteceſſoris; in mei Parentis Bernardi (Seruatoris Collactanei) Familia supremi Archimandritæ etiam emeriti: (sed in quo non emeritus, si quasi encyclopædiam absoluens de omnigena litteratura vltra liuorem benemeritus?) *Tertium Cistercienſium Annalium Tomum* auidissimè legi, perlegi, lectitaui, iussui auscultans Reuerendissimi P. N. M. F. VINCENTII DE GVEVARA, in Regnis Hispaniæ eiusdem Cistercij Obseruantiæ Reformatoris Generalis: & næ esus ciebar esurjem, & potus sitim (vt mysticè edentibus, & bibentibus didici euenire [a]) finem legendi, aut legendi sine fine. Sed qui tanti Authoris iam dudum Apellæam lineam contemplati, mirati Herculis vestigium, demiratique fuimus digitum Gigantæum, Lauream, inquam, euangelicam, aliósque primæuæ iuuentæ partus citra omne supercilium conspicuos, & instar aureæ mali in vernantis pube ætatis florem, & nucleum insimul elargientes: quid in veterano milite ad tantum fœtum non ex tempore, sed per aliquot Olympiadas prægrauido, (sicuti de elephantis protulêre quidam [b]) sperare, aut non sperare licebit? Forsan parilis hæsitatio tenuit magnum Tertullium sic affantem [c]: *Si tanti vitrum, quanti verum*

[a] *Sapient. c. 24.*

[b] *Plaut. in Stich. & Plin. lib. 8. c. 10.*

rum Margaritum? Quid in multiformi Doctore, seu vero Proteo? Quid? Apollo non silebit:

Nouit namque omnia Vates,
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahuntur;
Quippe ita Neptuno visum est.

d Virg. 4. Geor.

Num conticebimus, perlucidam tanti Voluminis facem pollincientes? Apage: non est ponenda lucerna ardens sub modio, sed super candelabrum, vt niteat omnibus, qui in Domo Dei sunt. Mehercle quod Pharus conspecta in illuni nocte, & Phœbæus radius abactis tenebris, æquora sulcanti mutuant; mutuabit sanè adeò speciosum Opus, vel sapientiæ Coryphæis, nedum imperitis; discéntque ambulantes in tenebris, & apprimè callebunt sedentes in lumine (parcant dormientes somnum Endymionis circa nostra) periculum facientes, cur à Suada Romana nuncupetur Historia [c], *temporum testis, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis.* Capiant ergo vniuersi, non carpant: sic censeant, non succenseant; suscipiant, & suspiciant maturatum fructum, quem nec leuitas opprimet, imò nec premet, ni malint cum Epicuro, luminare diurnum ad statum bipedalem redigente; cum Anaxagora inficiente niuem, (dum illam purpuream inficiatur,) cachinno substannari: aut cum Zoïlo pancraticè à Critico [f] vapulare venusto:

c Cic. lib. 2. de Orat.

f Bern. Rauff. lib. 1. Epigr.

Vtque ego non dicam violas, in carmina nostra
Esse facas, violas, Zoile, qui violas.
Quas violas Musas, violas nos, quásque videmus
Dente tuo rosas, credimus esse rosas.

Satius est sustinere, & atro calculo valedicere, cùm nec rigidus Aristarchus pedem possit offendere, aut impingere in hunc lapidem, quem iure nuncupent silicem scintillantem; ni existimes Lydium, vt veritatum aurum limpidè examinantem, abscondita à sæculis sacramenta referantem, cunctis abstrusa ab imis eruentem. O sæculi Oraculum immortale! quàm bellè de hocce Volumine in Venusino [g] iam pridem versu ludebas:

g Horat. in Art. Poetica.

Multa renascentur, quæ iam cecidére.

Et in Peligno [h]:

h Ouid. in Fast.

Sacra recognosces Annalibus eruta priscis.

Procul tamen à fastu, longè à liuore excurris; cùm nec ad Olympum euehis domestica, nec ad ima deprimis aliena: sed pari trutina librans vniuersa, & virgula censoria arrepta personam induens arbitri honorarij (vtpote perenniter iustus) constanti, & perpetua voluntate reddis, quod suum est, vnicuique. Et sanè ita æquum, cùm neutiquam lateat, strenuè Polyistor, quot, & qualia archetypa, & scrinia ex nostra Hesperia, vtraque Germania, Galliis, & vrbis Vaticano, nullis sumptibus parcens, volutaueris, exscripseris, & ruspatus fueris, vt propalares pretiosas margaritas; seu, vt compositam, & exoletam temporum iniuria, aut Cisterciensium modestia, antiquitatem nostram, fulgidamque supellectilem, in pristinum decus, & candorem, quasi postliminio reuocare aggrederêre. Dum enim te ita adamantinum miror indefessum, rapior in Euphotionis carmina [i]:

i Grat. Euph.

Nescius omninò lactis phtiam petit illum:
Quare Myrmidones dixerunt nomine Achillem.

Quàm faustis exitu, & prouentu, alij videant, sed non inuideant. Quàm placido stylo, miráque eruditionis affluentia, etsi cultissimæ lepere linguæ, spectabilem tamen maiestatem redolente, excurris? Nemo est, qui abnuat. Nulli inficias eant, hoc præcellens Opus iam editis non absimile, quin compar, germanum, & vterinum, & forsan tertium Planetam duobus erronibus perlucidiorem. Qui ergo alios talium lucubrationum manipulos lustrauerint, sic Angelicas tuas leni susurro aures demulcebunt. Macte animo, Mineruæ Soboles, sacratiorum germen Musarum, nitidiorum Voluminum Promus-Condus, naua eidem Parenti Mineruæ operas, & sedulos labores: adde cœptis cotonidem, & colophonem impone: & qui tot variarum floribus scientiarum parturis, & parturîte: Nectar effunde Angelico palato aptius, quàm humano. Quidni ferat, affe-
[illegible] rat, inferat Angelus opipara pabula, & Angelica? Affer, & infer [k]

Nectar, & ambrosiam, latices, epulásque Deorum.

Angelo non exorbitat vita: omen non discordat, concordat nomen. Vt quid gesties [illegible] ritare? vt quid prelum auebis? Vt emenso spiritalis agonis puluere, ni militanti, & [illegible] phanti Cœtu geminata potiare æternitate. Iam, si non amaricat Angelicum lignum,

gnum,nec profectò amaricabit, vtpote pulchrum,aſpectúque delectabile,& fructus eius ad veſcendum ſuauis:cùm verò verum aſſonare, éxque vero non ſequi, niſi verum,Phyſiologia commoneat; nihil quod ab orbita orthodoxæ Fidei deuiet, piæ abſonet didaſcaliæ, purioréſve mores demoretur,inuenire eſt in elaborato Opere,luce,& lucendi,ad Chalcographiámque matutinandi digno. Sic autumabam,& meo calculo ſubſcribebam. In Salmanticenſi melliti mei Parentis Bernardi Lauretano Muſæo, 4. Calendas Auguſtas,anni à virgineo partu labentis 1642.

MAG. FR. PETRVS DE OVIEDO.

Facultas R. Patris Magiſtri Fratris Vincentij de Gueuara, Palaciolenſis Abbatis, atque totius Ciſtercienſis Ordinis in alma Hiſpaniarum Obſeruantia Generalis Reformatoris.

NOS Magiſter Frater VINCENTIVS DE GVEVARA, Abbas Palaciolenſis,atque totius Ciſtercienſis Ordinis in alma Hiſpaniarum Obſeruantia Generalis Reformator,&c. *Tertium hunc Ciſtercienſium*,ſeu veriùs *Eccleſiaſticorum, à condito Ciſtercio, Annalium Tomum*,à Reuerendiſſimo P.N.M.F. ANGELO MANRIQVE,in hoc ipſo, quo nos indigni fungimur, Reformatoris munere, digniſſimo haud dubiè Anteceſſore, PHILIPPI IV. Potentiſſimi Regis Eccleſiaſte, & in alma Salmanticenſi Academia ſacræ Theologiæ primario Profeſſore, peruigili ſtudio elaboratum, atque à ſapientiſſimis Magiſtris noſtræ Congregationis, quibus id nos iniunximus, non ſolùm approbatum; ſed admiratum, & alùs, quos præmiſit,inuentum per omnia ſimilem: vt in publicum bonum lucem videat, atque typis mandetur,non permittimus tantùm,ſed hortamur; imò ſeriò præcipimus. Atque, ô vtinam plures Author edat, quibus ab obliuione vindicatas publici iuris faciat, quæ multæ adhuc ſuper ſunt,Ciſtercij glorias:nobis in confuſionem, quia degeneribus; ſed in imitationem, quia verè Filiis, & ad hoc ipſum non parum profuturas. Datum in Regio noſtro Cœnobio Vallis-Dei, Diœceſis Ouetenſis,die 10. menſis Iunij,anno 1642.

FR. VINCENTIVS DE GVEVARA,
Generalis Reformator.

De mandato Reuerendiſſimi P.N.Generalis,
FR. GERARDVS CARRILLO, à Secretis.

Cenſura Clariſsimi,& Sapientiſsimi Doctoris,D.D.Garcia de Porres, & Sylua,ſacrorum Canonum in alma Salmanticenſi Academia veſpertini Interpretis,& in Collegio Maiori Conchenſi inſigni,& illuſtri toga condecorati.

PAreo,obſequórque clariſſimo Viro Præceptori meo,D.D.Martino de Bonilla,ſacrorum Canonum apud nos emerito primario Interpreti,Iuris Collegij Decano,Compoſtellani Archiepiſcopi Metropolico Iudici,Salmantinæ Eccleſiæ, Sede vacante,Vicario: ex eiúſque mandato cenſeo hunc *tertium Ciſtercienſium Annalium Tomum*,cuius eſt Author R.P.M.F. ANGELVS MANRIQVE,Primarius itidem ſacræ Theologiæ Anteceſſor,quondam in Ciſtercienſi Congregatione Hiſpana Præfectus Summus, Regius Concionator, Vir ſtirpe,moribus,doctrina,ſcriptis eximius,quod ita probo,vt negem vllam recentem lectionem vnquam me adeò cepiſſe. Mandati fines prætergreſſus non videbor,ſi dicam parcè,& ſummatim,quid de vniuerſa re ſentiam. Et verò plus nimio placent materies,ordo,induſtria.

Materiam ſuggerunt, quæ delectet pariter, ac proſit, triginta & ſeptem anni, quibus Ciſtercij Cœtus ſub initia ſui,à Parente Bernardo orbus; ſub Dei tamen tutela adoleuit. Pertinet ad Hiſtoriam vitæ Magiſtram, vitam inſtruere. Et quibuſnam virtutibus opportuniùs inſtrui potuit,quàm illis, quas feruida illa, & recèns nata Religio præſetulit? Enimverò cuique ordienti ſodalitio quaſi conſanguinea, & cognata virtus eſt; & Ciſtercienſibus fuit vſque adeò, vt promptius ſit Viros verè pios,probóſque legionatim

tim ostendere; quàm vel vnum aliquem demonstrare, qui à morum sanctimonia declinauerit. Priscæ illius ætatis egregia virtutis facinora deperirent, nisi hac manu ab oblivionis aquis eruerentur in imitationem nostram, & exemplum. Et ô quanta immersa manent his vndis! Ambigi enim potest, quænam maior cura veteribus illis viris fuerit, eximia opera facere, an facta occludere. Quæ palam eo tempore patrarunt, nota nonnulla sunt: sed plurium (æuo, & Scriptorum paucitate) caduca iam, & prolabens memoria, his Annalibus fisticur, sine quibus ecclesiasticæ Historiæ ratio constare haud potest. Religio ista, Nili adinstar, illicò magna apparuit, & non priùs natam licuit videre, quàm magnam. Exurgens cæteris penè lumina obstruxit: cuius curæ Pontifices, & Reges, pacis, bellíque negotia demandarunt. Rem dicam. Quidquid eo tempore in Ecclesia magnum, ab hoc magno Cœtu fuit. Ac proinde varia, & multiplex notitia huic argumento adest, & illius æui tenebris non nisi fax, aut Sol iste lucet.

Ordinem verò nemo Scriptorum videtur mihi concinniùs, feliciúsque seruasse. Nihil hîc vagum, aut discussum: omnia suo loco, & tempore sedent. Sumit ex veteribus frustula, non tumultuaria, & prompta; sed electa, atque ea connectit: sparsa laboriosè colligit, & vnit decorè: & ex diuersis linguis, & cordibus vnus est sensus, & spiritus, vt in Musica ex disparibus vocibus, & varia sonantibus, vnus attemperatus concentus. Et nihilominùs miscellanea hæc rerum, & scriptorum structura (vix aliàs vnquam sine confusione) perspicua est, & distincta, & ordinem seruat. Potuit omnia sua lingua dicere, & adcò elegantiùs: maluit tamen aliena, vt elegantiæ desiderium fide compensaret.

Industria supereſt, & hæc egregia, quam maximè commendo. Historici Magistri munus integrè impleuit. Campum hunc laudator decurrerem: cæterùm cancellis censuræ concludar: fidem tamen laudo nimis, & probo; cui religiosè, imò penè superstitiosè incumbit. Amor, aut liuor, Historico pestes, nunquam hanc mentem tenent, aut tangunt. Vt Apulcij aquila ab ea parte adspiciebat, qua nec pluitur, nec ningitur: sic noster supra hæc turbida, liberè, & vtiliter scribit: & ex veteri scitu, nihil falsi audet dicere, nihil veri non audet. Nouitiorum scripta non despicit; sed non priùs probat, quàm ad veterum normam exploraverit: imò nec priscos ipsos raptim ad calculos vocat: & vt trutina in eam partem propendit, in qua plus est ponderis; sic hic Scriptor, si plus sit iudicij, & authoritatis. Sine testibus nihil firmat: & si quando scire non potuit, odorari potuit, sagaci herclè solertia coniectat: sed à iudicio secludit. In Religionem suam parcus, an prouidus? Ei præstare credidit à probabilibus laudibus abstinere, quàm propter dubiarum insertionem veris fidem eleuare. Hinc est, vt cùm nonnunquam videas, Historiæ textum hiatibus disiungi; non laborem (qui pernox, perdiúsque est) desideres. Attolle potiùs, laudáque probitatem: puri enim animi, & præstantis iudicij fuit, transilire, quàm ex capite (plerisque hic mos) interserere.

De stylo quid dicam? Comitatem video, & leporem. Concolor est semper dictio, & æquabilis, & nescio quo proprio sale condita. Nonnulli in Historicis requirunt simplicem, nudámque rerum narrationem: an hoc melius? Definire non audeam: amo tamen magis, arcanorum, & propositi coniecturas, & vestigationes in consilia, acta, euentus, & subiectiones condocentes, quare quo modo, & quo fine. Delector præceptionibus, documentis, iudiciis, suspicionibus, & nonnunquam aculeatis sententiis. Cui hæc placent, placebunt hæc Scripta, in quibus emicant hæc lumina. Has virtutes industriæ, ex perpluribus delibau; nihil moribus Christianis, nihil Fidei in hoc Opere non congruit, testórque esse allaturum genti suæ ornamentum, Ecclesiæ faustitatem, & Orbi doctrinam, Authori pretium: & eius iam satis partæ famæ nouam famam, & gratiam. Salmanticæ, in nostro Maiori Collegio Conchensi, die 20. Iunij, anno Christi 1642.

DOCTOR DON GARCIA DE PORRES, & SYLVA.

Censura

Censura Reuerendi admodum Patris Pauli Sherlogi, Societatis Iesu, diuinorum Librorum eximij Interpretis, & in Salmanticensi Academia Hybernorum Collegio Præfecti.

EX præscripto Ordinarij Salmanticensis, pro Sede vacante, D. D. Doctoris Martini de Bonilla, Canonici Doctoralis, & Iuris Pontificij Antesignani emeriti: Perlustraui operoso, & delectabili studio laudatissimos Commentarios rerum à Familia Cistercienti, inclyta illa Catholici nominis propugnatrice, gestarum ab anno post Christum natum M.C.LXXIV. ad annum M.CC.XII. Tertius est fœtus editæ Historiæ à Reuerendissimo, & omnibus disciplinis excultissimo P. M. F. ANGELO MANRIQVE, Theologiæ Facultatis primario, & iam cum rude Antecessore, PHILIPPI IV. Monarchæ Potentissimi Ecclesiaste, fulgentissimi Sodalitij sui olim magno Antistite, huius Salmantinæ Academiæ, atque adeò totius Hispaniæ immortali quodam decoramento: quo sanè in perfectissimo Opere eloquentia grauis est, viuida, perspicua, maledicentiæ, & huoris inscia: vbi rerum magnitudo deposcit, tonans, & excelsa: iudicium acre, & affectibus liberus; solertiam, & ordo mirificus, & labor in abditis perscrutandis monumentis, & vigil, atque sollicitus pro veritatis defensione ardor vbique commendant. Iam, quantum illud est, ex Iure Canonico difficiles locos, per obscura Conciliorum generalium, & particularium verba, Scripturæ perplexas quæstiones, Theologiæ fragosa arcana, facilitate sæpiùs donasse? Quare exiguum futurum, si quam olim promeruit Crispus laudem, vt haberetur *Romana primus in Historia*, MANRIQVESIO nostro conferamus, & primum Cistercienti in Historia proclamemus: nam inter Senatores, & Patres Ecclesiæ vniuersalis, subsellio dignissimus est. Quamobrem tantùm abest, vt in eius purissimis lucubrationibus, quod Fidei, & Religioni inimicetur, quidpiam delitescat, vt potiùs omnia in splendorem, & claritatem apostolicæ Sedis, & in Sectarum, & Hæresis odium perpetuò tendant. Hæc nostra censio. Salmanticæ, 8. Kalendas Iulij, anno Domini 1642.

PAVLVS SHERLOGVS, *Societ.* IESV.

Facultas Ordinarij Salmanticensis.

NOS Doctor MARTINVS DE BONILLA, Sanctæ Salmanticensis Ecclesiæ Canonicus Doctoralis, & in alma eiusdem Vrbis Academia Sacrorum Canonum primarius, ac emeritus Antecessor, totius districtus Salmantini, Sede vacante, Vicarius Generalis, &c. Visis approbationibus, & censuris sapientissimorum Virorum, quibus hunc *Tertium Cistercium Annalium Tomum* à R. P. M. F. ANGELO MANRIQVE, eiusdem Ordinis in sacra Hispaniarum Congregatione Generali emerito, Catholicæ Maiestatis PHILIPPI IV. Ecclesiaste, & in alma hac nostra Academia sacræ Theologiæ primario Antecessore, elaboratum, inuisendum remisimus; quantum in nobis est, licentiam damus omnibus, & singulis Typographis, vt supradictum Tomum cudere valeant, spectantes Opus Authore suo dignum; nec dissimile aliis, quæ vulgauit, eiusdem argumenti, aliorúmque, fructum Ecclesiæ, neque exiguum, allaturum. Datum Salmanticæ, in ædibus nostræ habitationis, die 27. mensis Iunij, anni 1642.

DOCTOR MARTINVS DE BONILLA,
Vicarius Generalis.

De mandato Domini Vicarij Generalis,
ISIDORVS VARRIENTOS, Notarius.

LICENTIA

LICENTIA ORDINARII.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in sacra Theologia Magister, in Ecclesia S. Crucis Custos, & D.D. Alphonsi Ludouici du Plessis de Richelieu, Eminentissimi Cardinalis, ac Reuerendissimi Archiepiscopi Lugdunensis Prouicarius Generalis: Librum, qui inscribitur: *Cistercienſium, seu verius Ecclesiasticorum Annalium à condito Cistercio, Tomus III. Authore R.P.* ANGELO MANRIQVE, à Theologis approbatum in lucem edi facultatem concedimus. Lugduni, 26. mensis Augusti, 1648.

DEVILLE.

CONSENSVS.

OPus inscriptum: *Cistercienſium, seu verius Ecclesiasticorum Annalium à condito Cistercio, Tomus III. Authore R.P.* ANGELO MANRIQVE, Ego Regis Consiliarius, & Procurator in Lugdunensi Præfectura, in lucem edi non impedio. Lugduni die 25. Septembris, 1648.

LORIN.

PERMISSIO.

VIso Procuratoris Regis consensu, hunc Librum, qui inscribitur: *Cistercienſium, seu verius Ecclesiasticorum Annalium à condito Cistercio, Tomus III. Authore R.P.* ANGELO MANRIQVE, typis mandari LAVRENTIO ANISSON concedimus: & ne quis, vltra concessam facultatem, denuò excudat, prohibemus. Lugduni, 26. Septembris, 1648.

SEVE.

INDEX

Digitized by Google

INDEX ANNORVM, ET CAPITVM TERTII TOMI

Iesu Christi annus 1174.
Cistercij annus 77.

CAP. I. 1. GERARDVS, & Conuentus Claræuallis Summo Pontifici Canonizationem Bernardi suggerunt. 2. Alexander communicato cum Fratribus consilio: 3. primùm Claræuallenfibus: 4. ex qua epistola tempus obiter constat, 5. & correcta exemplaria Bernardi Operum: 6. mox Cistercij Abbatibus: 7. & Ludouico Regi: 8. atque Ecclesiæ Gallicanæ litteras dat, 9. de Bernardo sublimes, & elegantes. 10. Canonizatio inserta Fastis monasticis.

II. 1. Dedicata Ecclesia Claræuallis, 2. pia Beati Gerardi sollicitudine. 3. In Longovado dedicatum altare Bernardo Patri, per Sanctum Petrum Tarantasiæ Præsulem, cum celebri concursu populorum. 4. Miracula in sacrilegos: 5. Atque item in Dæmones: 6. & sanatus surdus, & mutus. 7. Sanctus Petrus cum Abbate Alexandro Legati ad Ludouicum. 8. Atque ex his obiter emendatus Gaufridus in Vita Sancti.

III. 1. Henricus senior, peracta pœnitentia ad B. Martyris Thomæ sepulturam, 2. diuinam in se clementiam experitur, 3. præcedente Oraculo, 4. & subsequuta promissorum exhibitione. 5. Petri Blesensis illustre testimonium de gloria Sancti. 6. Qui & templo donatus in Scotia, 7. & socij eius proiecti ad dignitates. 8. Additus Thomas puer, 9. & adolescens, in Beati Viri gremio: 10. mox ab ipsius morte Cistercij Monachus.

IV. 1. Sanctus Petrus Tarantasiensis ægrotat, 2. atque in loco, vbi iacuit, Crux erecta, miracula patrat. 3. Bellam-vallem peruenit: 4. moritur, 5. & die tertia mandatur sepulturæ. 6. De die obitus, 7. & varia eiusdem, 8. & translationis illius celebratione. 9. Obiit Sanctus Anselmus Kilonensis, 10. cui Nerbus succedit itidem Sanctus. 11. Quibus additus Haymo Sanctissimus. 12. Neque minùs Venerandus doctrina, quàm pietate.

V. 1. Gnarinus Pontigniaci Abbas in Archiepiscopum Bituricensem eligitur. 2. Ratio temporis, & electio successoris. 3. Richardus in Anglia quatuor ex Suffraganeis Præsules consecrat. 4. Ibidem Clericus Iudæam virginem stuprans, 5. & comprehensus, ac liber per miraculum, 6. sacro fonte ablutam duxit vxorem. 7. Demum vterque Cistercium profitetur. 8. Ludouici Lantgrauij mors. 9. Filij eius damnabilis curiositas. 10. Horrenda visio, 11. & occasione eius Conuersus Clericus.

VI. 1. Alphonsus Rex à Priore & Fratribus Hospitalis Ierosolymitani, 2. Matamplanam redemptam, 3. Tello, & Guntrudi ædificandam tradit: 4. qui Cristæ Monachos sub Abbate Roberto ibidem collocant. 5. Donatio loci 6. sub Regis protectione, 7. abdicatis Guntrude, Tellóque, 8. cui abdicationi ipsi subscribunt. 9. Tum tota Historia constans per instrumenta. 10. Roberti sanctitas, & Alphonsi magnificentia. 11. Constructio noui templi, 12. donariáque, 13. atque sepulcra: & alia remissiuè.

VII. 1. Chronologia Ecclesiarum: 2. & fundatio Monasterij de Irantio. 3. Donatio loci, 4. & Chronologiæ error detectus. 5. De Petro Paris illustri Fundatore: 6. & de aliis notitiis eiusdem Domus. 7. De Coluan, & Saya pauca, & dubia.

Iesu Christi annus 1175.
Cistercij annus 78.

CAP. I. 1. Richardus Cantuariensis Concilium celebrat. 2. Cui Reges assistunt. 3. Pro

3. Promulgata decreta salutaria, 4. atque alia negotia pertractata. 5. De aliis appellatum ad Alexandrum. 6. Incusatus Richardus de remissione. 7. De qua à Petro Blesensi per epistolam 8. sanctam, 9. doctámque 10. Christiana libertate correptus fuit. 11. Perpensæ inde vtriusque viri laudes.

II 1. Grandimontenses ad Ordinem conuersi, 2. de prioris veri obligatione dubitant: 3. super quo scrupulo Stephanus Tornacensis consultus; 4. de Grandimontensibus sublimia, 5. de nostris sublimiora 6. longè respondet. 7. Exhortatur Nouitios; vt perseuerent. 8. Respondet obiectis. 9. Atque alloquutus iterum Nouitios, 10. Roberto interroganti tandem satisfacit. 11. Petita epistola Petro Cardinali, 12. & remissa cum alia. 13. Dictum de tempore.

III. 1. Sancti Alexandri Colonicnsis sancta mors, 2. ætas, & sanctitas. 3. Electa sepultura, 4. & Guillelmi pro ipso subrogatio. 5. Arnulphus Lexouiensis secessum cogitans: 6. & mortuum mare, ad quietem sibi eligens, 7. Guillelmo, Cistercienſi Abbati scribit, 8. beneplacitum eius obtenturus. 9. Coniectatum de titulo epistolæ: 10. & dictum de obitu Mauricij Boilensis.

IV. 1. Sancti Martini Hortensis fama celebris, 2 atque eius causa Alphonsi Regis donatio. 3. Quid Munio Sanctius, 4. & quanta illius pietas. 5. Sepulcra Hortæ expetita: 6. atque gladius succincti Proceres Regni. 7. insigni monumento antiquitatis. 8. Seguntini Episcopi, & Capituli 9. pietas in Martinum, & in Hortenses 10. confirmata instrumento, 11. & larga decimarum remissione.

V. 1. Chronologia Ecclesiarum. 2. Cella Sanctæ Mariæ, & Lindia obscurè. 3. Capella Tosan notior. 4. Ouila, Fundatio Regis Alphonsi, 5 quæ in Murelo primùm, 6. dein translata ad locum, quem nunc occupat, 7. initiis magnis, sed non magnum euentum fortituris. 8. Relatum de Cœnobio Lubus, licèt in dubio.

VI. 1. Sancti Clementis in vrbe Toletana antiqua fundatio, 2. quæ planè regia, 3. procurante Alphonso, Cistercium suscipit. 4. Abdicante illius præfecturam Archiepiscopo Toletano, 5. vt in Abbatis Cistercij ius transiret. 6. Regia exinde in Moniales munificentia. 7. Situs loci, atque fabricæ descriptio. 8. Dictum de Sancta Abbatissa eiusdem Domus, 9. & de quibusdam aliis remissiuè. 10. Ferrariæ initia, 11. donatióque. 12. Prima Abbatissa, 13. & Fundatrix habitum induens. 14. Dubitatum de filia eius Guiomare.

Iesu Christi annus 1176.
Cistercij annus 79.

CAP. I. 1. Noua in Anglia transmissa Legatia: 2. atque occasione Sedium inter Metropolitas noua dissidia. 3. Prouisi à Richardo Cantuariæ duo Archidiaconi: 4. & Regi Siculo desponsata Henrici filia, 5. per eundem deducta. 6. Henrici sub Hugone Legato maior audacia, 7. per Richardum comprehensa, 8. cuius cura Ecclesiasticis prouisum. 9. Eiusdem epistola super tollendo abusu de non puniendis Clericorum percussoribus. 10. Et qualiter huic malo subueniendum.

II. 1. Hæretici Albigenses qui: 2. & dictum latè de erroribus illorum: 3. contra quos grauis Synodus coacta; 4. in qua & examinati, 5. vafri omninò, & subdoli inuenti, 6. sed conuicti per Patres, 7. cùm nihilominùs in obstinatione perseuerarent, 8. per Iudices ex Cistercio assumptos damnati sunt, 9. fatali Cistercienſium aduersùs Hæreticos Albigenses destinatione, 10. animaduersum in quosdam recentiores.

III. 1. Introductio ad Martyrium Sancti Gerardi, 2. & dictum obiter de Hugone de Bazochiis, 3. & de eius excessu, ac reclusione. 4. Sancti de suorum salute sollicitudo. 5. Germaniam intrans. 6. Treueri ad sepulcrum Martyrum orat, 7. à quibus visitatur, docetúrque, atque ad subeundum martyrium confortatur: 8. tum visitato Claustro ad eosdem rediit, 9. à quibus iterum docetur, & confortatur. 10. Reuelata nonnulla, 11. & concordatus cum Authore Exordij Cæsarius.

IV. 1. Henrici Ludouici fratris mors. 2. Qualis, & quantus vir. 3. Rhemense bellum, dum ipse præesset Rhemis, 4 in quo pro causa iusta semper steterit. 5. Frequens, atque honorifica ipsius in iure mentio. 6. Insignes suæ ætatis homines colit. 7. Quid de meritis vitæ, & sanctitate. 8. Fames valida leuata per Cistercienses. 9. Ferdinandi, Legionensis Regis, fauor in Pereyrenses, 10. priuilegio expedito, satis magnifico.

V. 1. Chronologia: 2. & dictum de Rochadia, Sicula Domo. 3. In Legione Comitissa Stephania Pontij Mineruæ vidua, 4. ex bonis dotalibus 5. fundat Monasterium de Carrizo. 6. Prima Abbatissa: 7. & variæ aliæ notitiæ eiusdem Domus.

Domus. 8. Fundario Monasterij Fontis-Calidi, 9. cui aliud vnitum, remissiuè. 10. Singulare instrumentum transactionis inter Barachel Moro, atque Conuentum.

VI. 1. Argumentum Capitis, 2. abusus in Baptismi collatione non tolerandus. 3. Dubium incidens, & eius occasione consulti ab Episcopo Pontio Viri doctissimi. 4. Consultatio, 5. & Responsum Mauricij, Episcopi Parisiensis. 6. Emendatus in Bibliotheca Colonienſi Epistolæ titulus. 7. Aliud responsum Stephani Tornacensis, 8. ex diametro oppositum: 9. atque rationibus, 10. & authoritatibus fulcitum, 11. dictúmque ad aliam Pontij dubitationem. 12. Vtraque pars relata ad Alexandrum, à quo veritas tandem stabilita, in capite primo de Baptismo.

Iesu Christi annus 1177.
Cistercij annus 80.

CAP. I. 1. Illustriores euentus præsentis anni. 2. Quis status pacis Regni cum Sacerdotio. 3. quæ primò irrita: 4. sed mox per Sanctos Pontium, & Hugonem, 5. post multas difficultates, 6. tandem sancita; 7. altero ad opus pacis de cœlo misso. 8. Multa officia inter Alexandrum, & Fridericum, 9. atque Pontificis litteræ ad Richardum, queis alias similes datas non est dubium. 10. Albertus Cardinalis Cancellarius, cùm Alexander anteà nullum habuisset.

II. 1. Gerardus sub initium intrantis anni, 2. Igniacum pergit. 3. Nec retardatur, morte sibi prædicta. 4. Hugonem alloquitur. 5. Matutinis Laudibus interest. 6. A quibus exiens crudeliter occiditur, 7. nullo gemitu emisso, nulla voce. 8. Mox à Sacrista inuentus, penè exanguis. 9. Ante obitum apparet Claræuallensibus. 10. Necnon Petro Abbati. 11. Funus Sancti perlatum ad Claramuallem. 12. Noua apparitio illustrior, & corpus tandem mandatum sepulturæ.

III. 1. Fidelium ex Gerardi morte turbatio. 2. Occisor, primùm negata absolutione, 3. cùm mox ab Alexandro quæreretur, nullatenus potuit inueniri. 4. Coniectatum de eius damnatione. 5. Miracula ad sepulcrum Sancti Martyris. 6. Tum Beati Richardi grauis epistola, 7. ad Monachum curiosiùs inquirentem eius agonem, 8. in qua series historiæ 9. plena fide; 10. Variæ memoriæ Sancti apud Authores.

IV. 1. Actum de successore B. Martyris, 2. & electus Henricus ex Abbate Altæ-Cumbæ, 3. Vir planè magnus. 4. Hic dum operi manuum feruentiùs instat, 5. morienti fratri adest, 6. pro quo à Deo pœnitentiam sibi impositam vsque ad mortem adimplet. 7. Conuersus alius desperata penè salute, 8. tandem confessus, 9. à culpa primùm, media pœnitentia, per Virum Dei, 10. mox cùm post mortem oblita reuelasset, etiam à pœnis meruit liberari.

V. 1. Tertius Eskili aduentus in Claramuallem. 2. Fortuna viri varia. 3. Liberalitas, & zelus pro Religione. 4. Apostolatus per seipsum; 5. & per creatos Episcopos exercitus. 6. Anathematis ab eodem lati mira efficacia. 7. Coniuratio nepotum, & eius dolor: 8. Demum constantia, & prudentia aduersùs Principem.

VI. 1. Eskilus reditum ad Claramuallem parat. 2. Vvaldemaro ante alios secretum pandit: 3. alloquitur populum, 4. & quæ curauerit incrementa diuini cultus, continuanda recenset: 5. mox Regem adit. 6. Missionem sibi à Romano Præsule indultam legit. 7. Itémque ius eligendi successorem. 8. Absalonis pro ipso designatio, 9. & resistentia, 10. non facilè vincenda. 11. Eskili discedentis munificentia.

VII. 1. Eskili Monachatus in Claraualle. 2. Petri Cellensis ad eundem vitum epistola. 3. De eius admiranda conuersione, 4. & nouo vitæ genere instituto. 5. Fragmentum alterius. 6. Eskili à rebus terrenis abdicatio, 7. & mira de fraternis manibus visio. 8. Visitatus à Legatis Danorum Regis, pro quibus etiam ad Pontificem scribit.

VIII. 1. Valeria vrbs erepta à Sarracenis, 2. dolo, an virtute dubium. 3. Dicauit Monasterium Montis-Salutis: 4 quanuis neque instrumento certa fides. 5. Atque item Hortenses, 6. inter quos extant memoriæ certiores. 7. Ruandi Venetensis Præsulis mors 8 Balduini in Vvigornienſem Sedem electio, 9. laudes. 10. tùm Ioscelini assumptio ad Glascuensem, 11. & Euerhardi Monachatus in Vrsi-Campo.

IX. 1. Vallis-Ecclesiarum antiquitas; 2. & prima fundatio: 3. mox sub Mauris destructio, & instauratio. 4. Prima dotatio Alphonsi Imperatoris: 5. atque admissio Cistercij, 6. super quæ adducti versus, atque conuicti. 7. Plura incrementa Domus remissiuè. 8. Dictum de filia eius Grandi-sylua, 9. & de Sancto Bernardo de Candeleda. 10. Chronologia

aliorum Monasteriorum,11. & de Sancto Mauritio,& eius Domo.

Iesu Christi annus 1178.
Cistercij annus 81.

CAP. I. 1. Contra repullulantes Albigenses 2. noui Legati, & inter eos Henricus designatur. 3. Prioribus erroribus alij additi, 4. atque Principibus viris instillati. 5. Præcipuum onus Legatiæ Henrico impositum: 6. eiusdem declamatio 7. de misero statu ciuitatis Tolosanæ, 8. & de Petro Morano 9. subdolè primùm iudicio se subtrahente; 10. sed mox conuicto, 11. compuncto, & obedienti, 12. atque acceptante, 13. & complente pœnitentiam satis seueram.

II. 1. Perrecturus Henricus ad Capitulum, 2. ad Prouinciam Albiensem destinatur. 3. Quam ibi aduersùs Comitem Rogerium sententiam tulerit. 4. Actum deinde Tolosæ, contra cæteros, 5. qui de singulis articulis interrogati, 6. cùm priùs catholicè ad omnia respondissent, 7. non multò pòst conuicti, 8. & pertinaces, anathematis gladio præcisi sunt. 9. Quæ, quãtaque Cistercium in hos Hæreticos.

III. 1. Henricus ad Cistercij Synodum primùm, dein ad suam Claramuallem properans, 2. Bernardi translationem celebrauit. 3. Quo tempore Godefridus Sorensis obiit, 4. præcedentibus, subsequentibusque reuelationibus, 5. morienti Henricus Claræuallis Abbas assistit. 6. Annus, dies, & hora glorioſi obitus. 7. Quid de septennio Præsulatus Beati Viti. 8. Admirandum exemplum de Eucharistia. 9. Perpensum Godefridi Purgatorium. 10. & gesta quædam Guarini Bituricensis.

IV. 1. Igniaci, præsidente B. Petro, 2. Balduinus miles ad mortem ægrotans accersit Sanctum: 3. impetrato vxoris consensu Habitum induit, & in eo decedit. 4. Sancti per omnia illius sollicitudo. 5. Horrenda visio potenter fugata, 6. & pro defuncto cæterorum preces adiunctæ. 7. Quid nigri Ordinis Abbas illuc aduenies. 8. Balduini exempti à pœnis apparitio, firmo satis indicio comprobata. 10. Dictum de intelligentia harum virtutum. 11. Petri pro Henrico subrogatio in Moritmundo, 12. atque eius historia satis miranda. 13. Comprobata ex Cæsario ratione temporis.

V. 1. Sanctus Felix Odulanus in Scotia in Episcopum Osoriensem promotus. 2. Ratio temporis, 3. & pauca de eius Actibus. 4. Ioachimus Abbas in Siciliam nauigat, 5. & priuilegio obtento Calabriam redit. 6. In Hispaniam Bernardus Carletensis materteræ Euangelium Christi prædicat. 7. Mox diluris obiectis persuadet. 8. Demum ipsam conuersam potenter instruit. 9. In Alcobatia nouum templum surgit. 10. Chronologia, & Fundationes præsentis anni, 11. inter quas notior Samaria Hyberniæ Domus.

Iesu Christi annus 1189.
Cistercij annus 82.

CAP. I. 1. De Henrico certatum inter fideles: 2. eligentibus primùm Tolosanis in Archiepiscopum, quod ipse recusauit: 3. & scribente pro eo Petro Cellensi 4. ad Alexandrum Papam, 5. atque item ad Albertum Cardinalem. 6. Mox Guillelmo Cistercij consummato, 7. ad Cistercium vocatus, nec minùs renuens, 8. in Claraualle mansit, Petro in locum Guillelmi substituto.

II. 1. Ioannis Claræuallensis Prioris mors. 2. Encomia, & laudes: 3. rigor vitæ, 4. & zelus pro obseruantia. 5. Subiuncta quædam de pretiosa morte viri, 6. ex Exordio desumpta: 7. atque ex his omnibus coniectata ratio temporis. 8. Addendum, fore Ioannem in Menologio, 9. atque ex dictis de eius successore, catalogum Priorum Claræuallensium.

III. 1. Romæ Alexander Generale Concilium celebrat, 2. in quo multa Ecclesiam, quædam specialiùs Cistercium concernentia determinantur. 3. Relatum de exemptione decimarum nostris concessa: 4. Alexandri responsum. 5. Richardi Cantuariensis Præsulis zelus, 6. atque actior epistola, 7. scripta nostris, 8. priuilegium, & vsum illius improbans: 9. atque multa inculcans, 10. per quæ nostri ad cedendum, 11. (minas etiam subiungens,) persuaderentur. 12. Vnde orta forsan Alexandri Decretalis supra decimarum inter nostros, & alios compositione.

IV. 1. Vallcellenses Abbates canonizandi in Concilio propositi. 2. Sed obsistente Sanctorum multitudine, 3. decreta saltem solennis eleuatio sacrorum ossium. 4. Henricus Abbas creatus Cardinalis. 5. Qualis, ac quantus Vir: 6. atque obiter ostensa ratio temporis. 7. In Claraualle subrogatus Petrus Monachus, 8. præcedentibus 9. reuelationibus, 10. & miraculo in Gileberto Priore facto.

11. Mox

Digitized by Google

71. Mox ad ingressum Sancti in Claramuallem,12.breui subsequutum aliud miraculum.

V. 1. Simon Aquicentinus ex Claraualle, Bernardi Patris exuuias secum asportat. 2. Ludouicus admonitus in somnis,cùm filius ægrotaret. 3. Sancti Thomæ sepulcrum deuotus visitat, 4. plurima in illud vsus munificentia. 5. Philippi à mortis faucibus erepti coronatio solennis, 6. cui multi Cistercienses interfuêre. 7. Quid de Guicardo Lugdunensi Præsule: 8. quem ad hunc annum pertigisse constat. 9. Quid tandem de illius successoribus.

VI. 1. Sancti Dauidis Hemmenrodensis pretiosa mors. 2. Contemplatio iugis, 3. & lacrymarum profluuium item perenne. 4. Miracula.& reuelationes de eius gloria. 5. Scripta vita, ac memoria inter Authores. 6. Defuncti, & alij Sancti in eadem Domo: 7. inter quos Isembardus, 8. cui alij visi, 9. ante mortem ad Choros cœlestes rapto. 10. Tum Sancto Viro mira proferente; 11. vocati Nouitij,confirmati: 12. atque alij de sæculo conuersi.

VII. 1. Beati Oberti in eodem Claustro felix dormitio, 2. atque gloria cœlesti præuentus exitus. 3. Alphonsus Rex Hortense Cœnobium visitat, 4. & nouæ Ecclesiæ fundamenta iacet, 5. annuis redditibus designatis, 6. & priuilegio firmatis pro dote fabricæ. 7. Theobaldus ex Cistercio per varios casus in Abbatem Cluniaci promouetur. 8. Animaduersum de eo contra Chaconium. 9. In Belgio Haketus subrogatus pro Vualtero. 10. Chronologia, & de Ægris Vngariæ Domo: 11. dein Fontaria, 12. Camina, atque Sylua, Silo, siue Siloa.

Iesu Christi annus 1180.
Cistercij annus 83.

CAP. I. 1. Ingruente in Hemmenrode peste, sublati multi: 2. inter quos Meinerus, 3. præcedente admiranda visione, 4. & ostensa scala, per quam in Cælum foret ascensurus. 5. Sequutus Sygerus: 6. & B. Virgo apparens, pro his, *Te Deum laudamus*, canendum iubet. 7. Tum voces Angelorum auditæ inter exequias: 8. & vocati per ipsos, qui sequuturi. 9. Hildebrandi anima ab Angelis deducta: & qualiter notati in Menologio.

II. 1. Beati Petri pro suis sollicitudo: 2. pactum cum Rege Galliæ: 3. atque in forensibus fructus ex contemptu. 4. Tum per seipsum, quas poterat Ecclesias, 5. Hispanas per Humbertum Abbatem visitat. 6. Inde Morerola Ferdinandus Nouitius primùm illusus, 7. mox grauiter tentatus, consentiénsque à Dæmone corripitur. 8. Sed apparente sibi Roderico recèns defuncto, de vtriusque morbi remediis admonetur.

III. 1. Scapulare petitum,& negatum: sed tandem inuentum. 2. Nouitio interim à Dæmone vexato, Bernardi pallium, 3. dein de ligno Crucis crustum affertur. 4. Quiescenti Sancti Bernardus,& Petrus, cum aliis assident. 5. Qui omnes de Beata Maria celebrant. 6. Mox canunt Vesperas, cunctis audientibus. 7. Tandem Nouitius correptus, & flagellatus ad se reuersus. 8. Multa aptè respondet. 9. Dein moribundus à Fratribus inungitur: 10. sed mox priori visioni restitutus, ac denuò flagellatus, Subdiaconi Officium ad Missam per visum implet, 11. & sanus manet. 12. Similis alius eius anni euentus, atque iudicium, aut iudicij suspensio de his miraculis.

IV. 1. Benno in Vualia Mekelem Burgensem Ecclesiam transfert in Zuetin: 2. multa passus à Barbaris. 3. Bernardus interim in Hispania Carletum petit. 4. Insigne eius miraculum, 5. quod vulgò Clarævallensi tribui solet, 6. Carleti prædicanti Christum minatur frater: 7. sed peruertendum sororibus permittit. 8. Illis è contra conuersis ad Euangelium,& cum eo perrecturis, 9. ægrè à fratre redeundi ad suos licentiam impetrat.

V. 1. Bernardus cum sororibus discedens, nemus ingreditur: 2. inde regressus, alimenta quæsiturus à fratre capitur. 3. Deinde per dolum ad sorores tractus, 4. cùm à fide diuelli non potuisset, coràm occiditur: 5. mox sorores, cùm ne ipsæ peruerterentur. 6. Quid factum tunc de corporum exuuiis. 7. Quæ veneratio sequuta Martyres Sanctos: 8 & alia remissiuè. 9. Alphonsi Aragonensis in Hortam aduentus. 10. Postulata fraternitas, & oblata protectio, 11. priuilegio expedito non vulgari.

VI. 1. Petrus Cellensis assumptus in Episcopum. 2. Capitulo Generali Cistercij scribit, 3. eximia in totam Familiam veneratione: 4. sed in Clarævallenses longè præcipua. 5. Obiit in Gallia Ludouicus Rex in Barbello Cistercienſi Domo sepultus. 6. Ioachimus Calaber secedit ad Casa-Marium. 7. Floret in Scotia Rogerius de Monte Roseo: 8. & tandem Templi Martyres, velut filij

Bernardi,commemorantur. 9. Chronologia Vallis-Dei Leodiensis. 10 Ripalata,siue alea,atque aliæ Domus: 11. tandem de Hieri-ponte ex Vvaræo, 12. & de Monialibus Cœnobij S.Prosperi.

Iesu Christi annus 1181.
Cistercij annus 84.

CAP. I. 1. Henrici Regis Angliæ Gaufredus filius electus in Episcopum,nec Episcopum agens, 2. à Richardo Cantuariensi compulsus,3. cedit, 4. Alij ab eodem Richardo defenduntur, 5. graui epistola,6. de supplenda eorum residentia,7. pro maiori Reipublicæ, 8. atque causæ communis vtilitate, 9. prudentia eius,10.& prouidentia circa hoc ipsum.

III. 1. Sacra Biblia vulgariter tranſlata 2. tribus Ciſtercij Abbatibus committuntur; 3. cognituris de ipſa tranſlatione, 4. & de Authorum erroribus, 5. cæteriſque, qui clanculùm irrepſerant. 6. Sancti Anaſtaſij Abbas iterum ad Philippum Sueuum miſſus. 7. Calatraua confirmata in Saluaterra, 8. iuxta Ciſtercij leges, ritúſque. 9. Quid de Priore? 10. Explicata verba Innocentij, 11. & explicatio contenta in Bulla Clementis IV. 12. Requiſitus & Guido Morimundenſis.

IV. 1. Alphonſus Rex Guidonem Abbatem vocat: 2. ille Cæſar-Auguſtam primùm veniens, 3. & Tulebrenſes rationibus perſuadens, 4. ceſſionem iuris in filias ab eis impetrat. 5. Tum Monaſterium Huelguenſe à Rege de nouo accipit, 6. in ſepulturam Regum, 7. qui & ſe Ciſtercio ſacrant ſub conditione: 8. Subſcriptiones ſolennes. 9. Quid de ſepulcris Regum in Hiſpania, 10. & Conuentus eorum Hortæ habitus. 11. In quo & firmata Huelguenſis Monarchia. 12. Quædam in inſtrumento ipſo notata.

V. 1. Cæſarius puer, laborans graui morbo, per miraculum ſaluti reſtituitur. 2. Qua occaſione, & ordine conuerſus, 3. & qua ætate. 4. Socios in Probatione plures habuit, 5. diuerſis euentibus. 6. Godefridi ſcholaſtici tentationes, 7. victoriáque. 8. Hemmenrodenſes viſitati à Virgine, 9. & Henricus Conuerſus conſcius viſitationum. 10. Dictum de alio Sancto Hemmenrodenſi.

VI. 1. Canonici Inſulatum Ciſtercium ambiunt, 2. Iudices accipiunt, litteráſque. 3. Reformationem, & inſtituta Ciſtercij iurant: 4. confirmatione Archiepiſcopi ſequuta, & petita à Capitulo Ciſtercienſi: 5. ſed mox reſiliunt, 6. & multa contra facta hactenus allegant, 7. violentiam, & metum. 8. Tum nuntios mittunt, qui ſubreptionis, & obreptionis notent priores litteras. 9. Tandem eis condemnatis ab Innocentio, 10. ne noſtri quidem omninò indemnes euadunt. 11. Dubium, quem res exitum habuerit.

VII. 1. Iniuncta multa noſtris ab Innocentio: 2. & reformatum Sancti Columbani Cœnobium: 3. ſed nihilominùs graue imminens malum. 4. Conſultationes quædam ſingulares, 5. & reſponſa Pontificis, 6. cum aliquorum euentuum narratione. 7. Delatus Bugerienſis Abbas de fraude: 8. & reſponſa pro ipſo: 9. ac tandem Iudices dati ab Innocentio: 10. & Arnaldus promotus ad Grandiſyluam.

VIII. 1. Sanctus Syluanus ex hac vita migrat, & quo anno: 2. eius encomia. 3. Extra propriam Domum moritur. 4. Authores, qui de ipſo, 5. & plures Litteræ ad eum Summi Pontificis. 6. Dubium de ſucceſſore 7. Chronologia huius anni, 8. & dictum obiter de Monaſteriis Syriæ, virorum, & mulierum. 6. Mons Principis, 10. & Noua terra in Flandria: 11. & prima hoc anno notitia Montis Sanctæ Vvalburgis.

Ieſu Chriſti annus 1200.
Ciſtercij annus 103.

CAP. I. 1. Syracuſanus, & Lucas Sambucinenſis prædicant Crucem: 2. ab Innocentio Pontifice laudantur. 3. Lucas arbitria quædam alia addit, 4. quæ Innocentius approbat. 5. Dictum obiter de Conſtantia Imperatrice. 6. Indictæ Eccleſiaſticis

clesiasticis collectæ, 7. de quibus Litteræ datæ ad Cistercienses, 8. commendatione plenæ: 9. sed nihilominùs quinquagesimam redditurum partem petentes, 10. cùm ab aliis quadragesima exigeretur. 11. Consultatum, & dilatum vsque ad Capitulum.

II. 1. Richardo in Anglia Ioannes per vim succedit. 2. Defuncti in nostros varius affectus, 3. & in ipsos mordacitas haud leuis. 4. Eustachij in eam Insulam aduentus, 5. prædicatio, & miracula, 6. interrupta hoc anno. 7. Guidonis in Germaniam Legatio, 8. & qualiter Ottonem coronauerit: 9. eiusdem in Colonia institutiones, 10. exemplaque, 11. & quædam alia Leodij facta in transitu.

III. 1. Henrici de Soliacó, Bituricensis Præsulis, mors. 2. Dubitatum à Clero de successore, 3. & vocatus ad Concilium Oddo, defuncti frater. 4. Quis ille, ac quantus. Conuentúmque, vt non aliunde, quàm ex Cistercio assumeretur. 5. Præmissa sacrificia, 6. & electus Guillelmus Abbas Caroli-Loci. 7. Publicationem præueniente communi voce. 8. Repugnantia ipsius, 9. & obedientia. 10. Consecratio in Pontificem, 11. & quantis statim virtutibus affulserit.

IV. 1. Tarasia nupta Alphonso Legionensi, 2. post longam inobedientiam tandem seiuncta, 3. Monasterium à Sancio patre petit. 4. Lorbani antiquitas. 5. Priuilegia Arabum. 6. Sanctitas prima, & sequuta dissolutio. 7. Tum desertum à Monachis, Tarasiæ traditur, 8. in quo ipsa, cum aliis, Deo dicata: 9. nec minori authoritate pollens, quàm pietate.

V. 1. Beati Ioannis de Monte-Mirabili pretiosa mors, 2. & probata vtcunque ratio temporis. 3. Discordantia Gononij confutata. 4. Duæ visiones, 5. præcedentes glorioſum transitum, 6. in Longo-Ponte factæ. 7. Alia in Northmania. 8. Funus, atque eleuatio corporis sacri: 9. & miracula in ipsa eleuatione, 10. extensa ad plurimos: 11. nec minora per os inde translatum, 12. & variæ aliæ notitiæ eiusdem Sancti.

VI. 1. Cadumiensis Cœnobij à Cistercio defectio, & reformatio. 2. Actum deinde de eius reformatione, 3. & vocato Abbate Pontigniacensi, 4. reuocata Cistercij disciplina, 5. quæ à Legato Sedis apostolicæ, dein ab Innocentio confirmata. 6. Eiusdem Papæ rescriptum ad Ioachimum, 7. & ad Abbatem Faletæ: 8. & Litteræ ad Episcopum quendam minùs modestum. 9. Demum diuersæ causæ nostris iniunctæ.

VII. 1. Ioachimus Abbas scriptis suis præcauens 2. scribit epistolam, 3. qua omnia iubet corrigenda Ecclesiæ tradi: 4. ideò immunis à nota suæ doctrinæ 5. alia eius præcautio aduersùs æmulos. 6. Ordines mendicantes prædicit, 7. & quanto tempore. 8. Quid de Prædicatoribus, 9. quos suis commendauit, 10. & quàm specialia de ipsis annuntiauerit. 11. Atque item de Minoribus, 12. neque minùs de Eremitis Augustinianis.

VIII. 1. Proposita materia præsentis capitis: 2. Cyrilli visio, atque tabulæ argenteæ de Cælo missæ. 3. Consultatus Ioachimus, 4. epistola familiari, 5. sed reuerentia plena ad eum scripta. 6. Epistolæ protorypon: 7. & Ioachimus Cyrilli iussis obediens, 8. atque ad ipsum remittens, quam concinnasset; 9. Oraculi cœlestis expositionem. 10. Demum epistola ipsius ad Cyrillum.

IX. 1. Cunonis in Hemmenrodensi Cœnobio mors. 2. Equum sui Monasterij repetit. 3. Nolentem restituere ad Tribunal Dei citat, 4. & sanctè moritur: equo interim Cœnobio restituto. 5. Acta Capituli, 6. in quo etiam relatum de exactione ab Innocentio indicta, 7. & imploratus fauor Mariæ Virginis. 8. Fundationes virorum paucæ, & obscuræ, 9. & Bona-via fœminarum ad Lucemburgum.

Iesu Christi annus 1201.
Cistercij annus 104.

CAP. I. 1. Innocentij in nostros, quòd quinquagesimam soluere recusarent, indignatio. 2. Nostrorum humilis, & supplex renitentia: 3. afflictio, & preces. 4. Mariæ Virginis minæ ad Innocentium, per Raynerum indictæ. 5. Atque Innocentij ex tunc resipiscentia. 6. Quis Raynerus. 7. Claræuallenses Innocentium rogant, vt orationes proprias Bernardi dictet. 8. Responsum Pontificis, orationésque, 9. & qualiter hæ etiam per Raynerum.

II. 1. Eustachius, Florefiensis Abbas, in Angliam redit, 2. vt vult Rogerius, occasione epistolæ de Cœlo missæ, 3. comminationum plenæ, 4. indignationísque, 5. contra Festorum præuaricatores. 6. Iudicium de epistola, 7. & multa dicta 8. de Eustachij prædicatione,

ne, 9. miraculíſque, 10. quæ crebra per totam Angliam. 11. Aliud miraculum ex Matthæo Vveſt, 12. & quædam aliæ notitiæ eiuſdem Sancti.

III. 1. Sanctus Guillelmus Philippum Regem primùm, 2. mox Canonicos ſuos ſibi rebelles, 3. pondere authoritatis ad ſe conuertit. 4. A Dæmone per cogitationes ſuperbiæ patitur. 5. Vincit. 6. Vt auaritiam, 7. & crudelitatem à ſe abigeret. 8. Et quanto cum fructu. 9. Qualis in ſe, & ad Deum. 10. Qualis ad ſubditos. 11. Verus Paſtor animarum ſimul, & corporum.

IV. 1. Vvalterus, Rothomagenſis Archiepiſcopus, 2. eleemoſynam annuam, neque exiguam Ciſtercio donat. 3. Rodericus, mox Toletanus Præſul, 4. Pariſiis exiſtens, apud Hortenſes ſepulturam eligit. 5. Humbertus, Sabaudiæ Comes, in Habitu Ciſtercij moritur. 6. Thomas Ciſtercienſis, Claramontani Præſulis iuſſu Cantica explanat, 7. inter quæ Pontius ad cœleſtes vocatur nuptias. 8. Rodulphus, Meilroſenſis Abbas, conſecratur Epiſcopus Dunenſis. 9. Dictum de Ioanne Cardinali Legato, ſub quo eius electio eſt celebrata. 10. Abſalon, Archiepiſcopus Lundenſis, Soræ ægrotat, obit, ſepelitur, 11. & laudes eius ſuccinctè memorantur.

V. 1. Ratio temporis dicendorum in hoc capite. 2. Maria Virgo Villarienſem Godefridum vocat: 3. qui lubens ſequitur. 4. Felix tranſitus viri, & apparitio. 5. Sepulcrum humile per reuelationem eleuatum: 5. & Cæſarius Villarij iam tunc Prior. 7. Mors Chriſtiani Heiſterbacenſis Monachi: 8. & correctus Arnoldus Vvionius. 9. Duorum iuuenum in Nouo Caſtro pia deuotio; 10. & Abbatibus Grandiſyluæ, & Bellæ-perticæ cauſa commiſſa. 11. In Vrſaria ſubrogatur Garſiæ Laurentius, qui olim, damnati apparitione ſocij, conuerſus fuerat.

VI. 1. Beatæ Iulianæ ingenium, memoriáque: 2. & cum multa ſcientia, mira humilitas. 3. Deuotio in ſacrum Altaris Sacramentum, 4. ab ineunte ætate, 5. vnà cum perceptione gemini fructus. 6. Giſla Benedictina Ciſtercium ambit: 7. Villarium petit, & Beati Godefridi cucullam accipit: 8. mox locum ab Henrico Brabantiæ Duce, 9. & confirmationes ab Epiſcopo Cameracenſi. 10. Varia dein incrementa eiuſdem Domus.

VII. 1. In Capitulo grates actæ Deo, & Virgini pro exemptione firmata ab Innocentio. 2. Chronologia, & Ripa-alta Lucionenſis. 3. Brolium Golandi. 4. Mons ferus, antiquior Domus, 5. à tempore Alfonſi Imperatoris, cuius initia nobiles aulæ, & Curiæ conſecrarunt. 6. Dictum de aliquibus, & coniectatum de ſtatu Monaſterij, 8. producta ſententia, quæ Montem-ferum adiudicat Superado, 9. & variæ aliæ notitiæ eiuſdem Domus.

Ieſu Chriſti annus 1202.
Ciſtercij annus 105.

CAP. I. 1. Ioannes Lugdunenſis quondam Pontifex, tunc Claræuallis Monachus, 2. Innocentio reſoluendas proponit tres quæſtiones. 3. Reſcripti inſcriptio, 4. & laudes ipſius Ioannis. 5. Reſponſio ad primam, 6. docta, & erudita: 7. atque occaſione eius, quædam addita. 8. In ſecunda ſententiæ tres propoſitæ: 9. addita quarta, quæ aliis probabilior.

II. 1. Defenſus Cardinalis Baronius à Maluenda; 2. & mens Pontificis penitiùs indagata, de aquæ (quæ miſcetur vino in calice) in Sanguinem Chriſti conuerſione. 3. Probatum multis, immediatam ab Innocentio traditam eſſe, tanquàm probabiliorem. 4. Quod idem, ex ratione eius, oſtenſum. 5. Occaſio deceptionis inter Authores, 6. exploſa penitùs. 7. Reſponſio ad tertium quæſitum: 8. & breuiter in Bzouium animaduerſum.

III. 1. Innocentius pro expeditione in Orientem Legatos creat. 2. Inter quos multi ex noſtris; 3. qui recenſiti ex Litteris: 4. & quædam certæ preces cunctis iniunctæ. 5. Martini Acta. 6. Et Innocentij acceptis litteris, 7. prædicatio: 8. ex qua multi Cruce ſignati. 9. Tum electus in Ducem à militibus, 10. Guidonis, & aliorum Abbatum licentiam impetrat. 11. Legati ex noſtris ad Galliæ, & Angliæ Reges.

IV. 1. Gerardus primùm Abbas Pontigniaci: 2. mox intra paucos dies illo extincto, Guido Abbas Ciſtercij, Prænestinus Epiſcopus creatur, 3. à Guidone antecеſſore diſtinctus, 4. ad Germaniam Legatus: 5. & quæ ibi admiranda ſatis inuenerit. 6. Subrogatus Arnaldus ex Abbate Grandis-ſyluæ, & Populeti. 7. Vbi & Monachos Sanctos, 8. & reuelationibus illuſtres Ciſtercio genuit. 9. Egregia eius facta remiſſiuè, 10. & authoritas, 11. cui Innocentius Sermones ſuos dicat. 12. Et quædam alia notanda inde deducta.

V. 1. Beati Arnulphi Cornibouij Vita, per Gosuinum scripta, 2. patria, parentes, & lubrica iuuentus. 3. Resipiscentia, & religiosa vita in sæculo. 4. Tentatio vehemens, 5. & victoria consequuta. 6. Sæculum fugit, & in Villario Conuersum induit. 7. Rara alia in probatione tentatio, 8. & victoria rarior, 9. ac rigoribus rigores semper additi. 10. Dictum de prolongato eius martyrio.

VI. 1. Sanctum Vvillelmum Roskildensem, Esronensis Abbas, & Monachi sepeliunt. 2. Eius in eos deuotio, & è conuerso. 3. B. Felicis Odulani sub dubio mors. 4. Dictum de Heileka recluſa Cisterciensi. 5. In Hemmenrode 6. admirandæ visiones, 7. etiam his, quorum nomina ignoramus. 8. Laudensium, Vangrouecensiúmque Monachorum tristitia, de morte Miezeslai: & Hottæ funus Petri Molinæ Comitis.

VII. 1. Obtentum priuilegium pro fugitiuis, 2. & contra quosdam ambientes Prælaturas. 3. Innocentij ad nostros 4. grauis epistola. 5. Promulgata statuta, & quædam addita. 6. Pereyrenses fœderati Sant-Iacobeis. 7. Nuñij Quiñonij, Calatreuæ quondam Magistri, mors, sepulcrum. 8. Chronologia, & Villa-noua Nannetensis: 9. tum Sagittarium, & Sanctus Thomas de Torcillo. 10. Hochtanum, 11. & Aquiria in Belgio, Virginum: 12. & Camberona, hodie Sancta Lucia in Aragonia.

Iesu Christi annus 1203.

Cistercij annus 106.

Cap. I. 1. Martinus Abbas cum suis Cruce signatis Basilea egressus, 2. Veronam primum, 3. dein Venetias appellit 4. Venetorum consilium in Iaderenses, 5. & Innocentij pro eis sollicitudo; 6. sed frustrata euentu, 7. excommunicatis oppugnatoribus, Martinus, aliique Romam mittuntur. 8. Alexius iuuenis Cruce signatorum auxilium implorans, 9. & cuncti adducti, in illius restitutionem.

II. 1. Legati exercitus, impetrata absolutione, iam, iamque dimittendi 2. retardantur: & quam ob causam. 3. Martinus Abbas ad Aconem missus, 4. vbi peste, & bello laborantium 5. animos simul curat, corporaque: 6. inde ad exercitum Cruce signatorum Legatus: 7. à quibus gratantissimè suscipitur. 8. Absolutionis forma, atque executio: 9. & status Constantinopolitanæ obsidionis.

III. 1. Postulatus in Rhemensem Sedem Philippus, Regis fratruelis, 2. sed non pacificè. 3. Tum causa ad Pontificem delata, 4. accusatio admissa; 5. commissáque probanda, 6. & decidenda, sub certis conditionibus. 7. Abiudicatum Philippo: & Guido, Cistercij nuper Abbas, in concordia electus. 8. Legatus inde ad Reges Galliæ, & Angliæ, 9. super quo etiam scriptum Guillelmo Bituricensi. 10. Eius miracula, 11. ex quibus scripta quædam, 12. atque ex eisdem accrescens illi authoritas.

IV. 1. Philippi, Sueui Ducis, in promouendo Leopoldo ad Moguntinam Sedem audacia. 2. Innocentij patientia. 3. Abbates de Salem, & Nouo Burgo ad ipsum Legati, 4. pariter vt monerent, & minarentur. 5. Lesmoriensis Episcopi ex Cistercio electio, 6. & Litteræ Innocentij de ipso. 7. Rebelles in mandata Sancti Guillelmi per Abbatem Prateæ veniunt castigandi. 8. Legatiæ Ioannis Abbatis Casæmarij: 9. & dictum dubiè de Petro Atrebatensi.

V. 1. Carracetum, antiquum Monasterium, 2. olim à Toldanensibus vitatum, 3. post longum tandem tempus Cistercio cedit. 4. Derectus in tempore error satis vulgaris. 5. Innocentius reformatis congratulatur. 6. Dein, ne Filiæ degenerent à Matre, 7. datis Litteris prouidet. 8. Et multa Monasterio bona confirmat. 9. Variæ aliæ notitiæ eiusdem Domus.

VI. 1. Amandus, coniúxque, & Margarita addicti Cistercio. 2. Occidúntur indignè, 3. Margarita miraculis coruscans: 4. Eliæ Dunensis Abbatis mors, 5. & Henrici conuersio miraculosa. 6. Alphonsi Regis Castellæ in nostros pietas. 7. Epistola ad Abbates in Capitulo: 8. & perpensa eius verba. 9. Sant-Prudentiani donari Regi Alphonso, 10. atque ab ipso acceptati, euadunt in Regiam Domum.

VII. 1. Sancta Heduvigis Monasterium sibi, & filiæ construere deliberat. 2. Vnde hausta eius Vita. 3. Parentes, fratres, 4. pueritia, & studia. 5. Matrimonium, filiique. 6. Continentiæ studium: 7. & fuga, in quantum potuit, totius fastus. 8. Initia Trebnizensis Monasterij: 9. fabricæ sumptus: 10. ingénsque dotatio. 11. Ducissæ pietas: 12. & Moniales (inter quas & Gertrudis) illuc ductæ.

VIII. 1. Nulla

VIII. 1. Nulla Acta Capituli,& vnica fundatio in Chronologia. 2. Sancti Martini initia, 3. progreſsúſque, 4. & donatio ab Imperatore facta Petro Chriſtiano. 5. Reformatio ad Ciſtercium, 6. poſt Carracetum, 7. duo Sancti Monachi eiuſdem Monaſterij. 8. Villæ-nouæ fundatio, 9. & progreſſus vſque ad Ciſtercium. 10. Bellus Mons, ſeu Lapedo, 11. & eius Abbates: 12. de Peña-Maiori pauca, & obſcura. 13. Demum de Sancto Michaële, Cœnobio Virginum.

Ieſu Chriſti annus 1204.
Ciſtercij annus 107.

CAP. I. 1. Ampla materia Hiſtoriæ præſentis anni. 2. Albigenſium errores repullulantes, 3. de quibus plures Authores ſubobſcurè: 4. ſed clariſſimè Petrus Vallſarnienſis ad Innocentium. 5. Duplicem Creatorem, bonum, & malum: 6. blaſphemi in Chriſtum: 7. de Sacramentis ſacrilega, de animabus inepta, 8. de ſalute ridicula, 9. de peccatis pudenda, diſceptabant. 10. Quid de animarum tranſmigratione, ex Cæſario. 11. De Vvaldenſibus ex eodem Petro dictum. 12. Demum de ritibus, quibus ad ſuam perfidiam admittebantur.

II. 1. Petrus de Caſtro Nouo, Radulphúſque ad Albigenſes miſſi: 2. docentes primùm, 3. mox etiam minantes, publicam petulantiam gentis compeſcunt. 4. Forma iuramenti Toloſanorum; 5. ſed occultatis magis, quàm depoſitis eorundem erroribus, 6. Innocentius Ciſtercienſem Abbatem adit. 7. Præmiſſa in litteris malorum relatione, 8. Epiſcoporum oſcitantia, 9. & laude eximia Familiæ Ciſtercienſis. 10. Hæreticæ prauitati extirpandæ præficit viros, 11. cum omnimoda, & plena poteſtate: 12. Eiuſdem ad Francorum Regem epiſtola. 13. Sæculare auxilium eis implorans. 14. Quid de his Bzouius. 15. Et detectus illius error.

III. 1. Initium ſanctæ Inquiſitionis à nobis olim: 2. & quo motiuo relatum in Ciſtercienſes, 3. plures ſequaces habuit: 4. atque aliquos ex Dominicana Familia impugnatores. 5. Fundamenta illorum; 6. deinde noſtra, 7. ex inſtrumentis firma, 8. qualia nulla producunt Dominicani. 9. Quid de tempore, 10. & quo anno declarata, à Clemente, permanentia Officij, ſeu perpetuitas. 11. Perpenſi Authores, qui oppoſitum affirmant: 12. & dictum, qui, & quales. 13. Quam vim obtineat Bulla Sixti V. 14. Demum reſolutio, & concluſio totius dubij.

IV. 1. In diffamatum Narbonenſem Archiepiſcopum: 2. nouæ Innocentij litteræ, 3. ad Arnaldum Abbatem, ſociósque. 4. In quibus eius crimina, 5. & exceſſus, 6. de quibus accuſatus, 7. continebantur: 8. ampla eiſdem conceſſa poteſtate, non ſolùm inquirendi, ſed iudicandi. 9. Appellante Archiepiſcopo, nec tamen proſequente appellationem, 10. noua citatio, 11. iteratis inſerta Litteris. 12. Adempta & Abbatia Montis-Aragonis, 13. & commiſſa, celebratáque electione, 14 Ferdinandus Populetanus, Alphonſi Regis filius ſuffectus fuit.

V. 1. Querelis Ioannis Angli de Philippo, 2. Innocentio propoſitis, 3. ipſe Iudex violatæ Religionis, 4. Ioannem Caſæmarij Abbatem Legatum mittit; qui Epiſcopos Galliæ Meldis congregat. 5. Acta in eo Concilio. 6. Noſtri inter primos Livoniæ Prædicatores. 7. Innocentij in eoſdem oſtenſa charitas. 8. Perpenſa occaſio deciſionis eius, 9. in capite, *Dilecti filij*, de Arbitris. 10. Et Adolfus Conuerſus in Campo-Veteri.

VI. 1. Alexius Patruus campeſtri prælio victus, fugatúſque, 2. & nepos reſtitutus auito ſolio, 3. & in eo coronatus ſolenni pompa. 4. Ratio temporis: 5. & epiſtola noui Imperatoris ad Innocentium. 5. Seditio populi in Alexium, Latinóſque: 7. ac Martilli, aut Murciſli impia proditio, 8. ex Sabellico ampliùs explicata. 9. Tentata alia in Latinos Cruce ſignatos, & exequenda, niſi Veneti Ducis prudentia detecta eſſet.

VII. 1. Cruce ſignati medios inter hoſtes penè deſperât: 2. ſed nihilominùs erumpentes de muris, ſuperant. 3. Deſcriptio vrbis, 4. & Latinorum ex vtraque parte inſultus. 5. Salutare conſilium Ducis Veneti, 6. atque eius exequutio. 7. Inuaſa vrbs, 8. & fugati vndique ciues. 9. Ingens præda, lamenta miſerorum. 10. Et expugnatio ab antiquo petitæ inciſa.

VIII. 1. Martinus Abbas etiam inter prædantes, 2. Eccleſiam intrat, 3. ingentem Reliquiarum ſacrarum theſaurum portat. 4. Balduinus in Imperatorem electus, 5. & quibus electoribus; inter quos & Oglerus Locedij Abbas. 6. Dictum de Patriarcha; 7. & de modo electionis, ſeu ſacræ ſortis: 8. diuiſa terra, 9. & vindicatum 10. in Authorem totius cladis.

IX. 1. Mar

IX. 1. Martinus Constantinopoli detentus,& quas ob causas : 2. tandem cùm in Episcopum Thessalonicensem quæreretur, 3. ad Achonem cum suo thesauro nauigat : 4. & quanto tempore ibidem moratus fuerit. 5. In Hemmenrode insignia duo miracula ; 6. Alterum Euerardi Conuersi, 7. alterius alterum. 8. Innocentij in Laudenses priuilegium expeditum hoc anno. 9. Deinde intra septennium declaratum, 10. cùm perperam à quibusdam coarctaretur.

X. 1. Venerabilis Arnulphi Bruxellensis rigor supra consuetum, 2. continua verbera, 3. crebra, & multiplicia. 4. Nouum virgarum genus, 5. & miraculum in ipso continuatum : 6. cilicia ad carnem, crura, pedésque : 7. & hactenus inaudita cilicij forma : 8. catenæ tres : 9. itémque aliud de pellibus eryciorum. 10. Lectus,& victus. 11. Et qualiter hæc ei permitterentur.

XI. 1. Acta Capituli cupidinis expertia, 2. tum aliud dubium vtcunque interpretatum. 3. Chronologia, & dictum de Bello-Loco Regis, 4. illustri Ioannis Angli fundatione, 5. in pœnitentiam iniuncta pro peccatis, 6. quam filius eius Henricus consummauit. 7. Vallis Saluatoris, & Fons Danielis, 8. & qui huius Fundatores, & dotatores. 9. Sanctus Christophorus penitùs ignotus. 10. Dedicatio Montis Sancti Georgij.

Iesu Christi annus 1205.
Cistercij annus 108.

CAP. I. 1. Episcopis auersantibus Legatos in causa fidei, 2. Petrus de Castro-Nouo missionem petit. 3. Innocentius eidem denuò scribit, 4. & confirmatum in suscepto munere, 5. perseuerare omnimodis persuadet. 6. Tum Regem Franciæ per litteras hortatur. 7. Vt eidem assistat, 8. & in vltionem inimicorum Christi gladium exerat, 9. & pœnas omnes à Legatis, Hæreticis iniunctas exequi faciat.

II. 1. Committit Pontifex Episcopo Agathensi, vt in Biterrensem procedat, 2. ob denegatam Legatis obedientiam; 3. atque eorum per omnia mandata exequi faciat. 4. Cùm Narbonensem anteà reprehendisset, 5. ob eisdem auxilium denegatum : 6. super quo multa, 7. & seuera illi scribit. 8 Perpensa verba epistolarum omnium. 9. Commissa nostris visitatio Ecclesiæ Viuariensis, 10. & quid in ea ab eisdem gestum sit ; 11. vsque ad Episcopi depositionem ; 12. quæ approbata ; atque ipsis commissa noua electio.

III. 1. Visitata per Abbatem Cistercij, sociósque Tolosana Ecclesia : 2. & electio Raymundi reprobata ; 3. datæque litteræ contra criminum participes. 4. Qualis ille, atque eius antecessor. 5. Repetita electio noui Pontificis. 6. Promotus ad eandem Sedem Fulco Floresiæ Abbas. 7. Qua die, & qualiter Ecclesiam ingressus sit. 8. Qualem eam inuenerit. 9. Quis ille in sæculo : 10. & qualis eius conuersio. 11. Demum litteræ Innocentij datæ ad nostros.

IV. 1. Abbas Casemarij ab Innocentio Legatus ad Regem Angliæ, 2. pro solutione dotis Reginæ viduæ. 3. In qua multùm laborat, 4. & pro Archiepiscopi Dublinensis, à Sede sua exulantis, restitutione. 5. Quid in Oriente interea Locedij Abbas 6. in Armeniam missus, 7. cum litteris eiusdem Summi Pontificis. 8. sedandæ liti inter Regem, & Tripolitanum Comitem, 9. super Principatu Antiochiæ. 10. super quo etiam ad Regem datæ litteræ. 11. & Monachi postulati à Balduino, Romanis ritibus in Græciam inducendis.

V. 1. Schisma Imperij Ecclesias etiam turbat, Moguntinam præcipuè tunc bicipitem. 2. Graues Litteræ Innocentij ad duos Legatos 3. De potestate clauium, 4. & de Episcoporum translatione. 5. Contumacia Philippi Ducis Sueuiæ : 6. indignitas personæ, cui fauebat 7. Contemptus clauium : 8. exemplaque recentia. 9. Abbas Salernitanus ad ipsum primò, 10. dein cùm Patriarcha Achyleyano, Castro-Nouensis, ex Cistercio vterque 11. Demum quæ summa totius Legationis.

VI. 1. Martinus Abbas ad suos redire parat, 2. non vllis precibus, aut promissis retinendus. 3. Visio Clerico cuidam Bohemo facta : 4. atque alia eidem. 5. Qua confirmatus, tandem iter aggreditur, 6. & mari, & terra pericula euadit. 7. Basileam, & Parisiensem Ecclesiam lætus ingreditur. 8. Catalogus sacratum Reliquiarum longè copiosus : 9. earundem, 10. Martiníque notitia, ex Authoribus exteris, 11. & Tabula Philippo Regi donata.

VII. 1. Religiosi, inter ipsa Sacramenta, vexati à Dæmonibus, Innocentio propositi. 2. Quid de his sentiat, 3. & quas in ea re inueniat, 4. ex Scripturis formatas difficultates.

difficultates. 5. Idem eosdem examinat per seipsum, & mox remittit Episcopo Ferrariensi, & Abbati Columnæ. 6. Alphonsi Regis pro Huelguensi Cœnobio sollicitudo. 7. Lis Melonensibus mota, 8. sedataque; 9. & quibus conditionibus. 10. Mors Christiani in Valle Sancti Petri; 11. & duorum Principum funus in aliis locis. 12. Robertus ex Priore Nepomungi, Episcopus Olomucensis consecratur.

VIII. 1. Iordani Cardinalis mors, 2. atque de eo post mortem tristis visio. 3. Calatrauenses Xenodochium fundant. 4. Litteras ab Innocentio Papa accipiunt, 5. vt Petro, Aragonensium Regi, assistant. 6. Magistri ad Petrum iter, & eius causæ. 7. Sant-Iulianei feudatarij Summi Pontificis. 8. Chronologia surgentium Cœnobiorum, 9. de Padulis, 10. de Bellegrado, Regia Domo, 11. & de Roca Amatoris, clarior notitia. 12. Beguinarum Cœnobium Carolo Villariensi Abbati commissum. 13. Quæ secta Virginum. 14. Varia de earum initio traditione.

Iesu Christi annus 1206.
Cistercij annus 109.

CAP. I. 1 Didacus Oxomensis in Marchiam primùm, 2. deinde Romam pergit: & quo anno. 3. Genus, patria, & virtutes Sancti Viri. 4. Ecclesiam suam Regularem facit, 5. & Sanctum Dominicum in Canonicum admittit, 6. quem & itineri suo socium adhibet. 7. Quid in itinere. 8. In reditu Cisterciensem Habitum induit. 9. Inde in Abbatem Cistercij, & socios incidens, 10 salutare, & apostolicum eis consilium præbet, 11. quod ipsi statim exequuntur eius exemplo.

II. 1. Petrus, Radulphúsque cum nouis sociis in Castro-Carmano, 2. cum Hæreticis disputant: 3. mox in Viridi folio. 4. Consultum Petro, vt secederet ab eis: 5. & in eius absentia ingens miraculum. 6. Tertia disputatio apud Montem Regalem, præsente Petro. 7. Hæretici in ea porrò conuicti; & multi conuersi. 8 Petrus ad procurandam pacem Principum pergit: 9. cui resistit Raymundus Tolosanus, 10. Hæreticorum fautor, 11. atque Hæreticus. 12. Quo fine ille. 13. Et qualiter à Beato Petro sit coërcitus.

III. 1. Quibusdam Fratribus captiuis, in Liuonia liberandis, 2. Lankenheimiensis Abbas assistit. 3. Tum de cælo vocatus ad opus verbi: mittitur prædicatum ab Innocentio. 5. Nostrorum gesta, & gestorum fontes perpensi. 6. Henricus Imperator Cistercium in Græciam vocat, adducítque. 7. Dictum de Sancto Angelo, & aliis Monasteriis. 8. Thesaurus Reliquiarum ad nos traductus. 9. Quæ, obtenta licentia, ex iusta causa, 10. auferre, & transportare in vsu fuit. 11. Præfectus earundem custodiæ Hugo Abbas Sancti Guillelmi, atque multis donatus, Monachum induturus in Claraualle.

IV. 1. Guido, Archiepiscopus Rhemensis, ab Innocentio in Germaniam Legatus mittitur. 2. Philippum, Luitpoldúmque obsequentes habet. 3. Gandaui moritur. 4 In Episcopatu Prænestino successorem habuit, quem habuerat Cistercij antecessorem. 5. Mentio eius, an huius, in iure dubia. 6. Matthæus Casilienſis Archiepiscopus, & Hyberniæ Legatus sanctè obdormit. 7. Scripta eius: 8. & Grimerij in vrbe Placentina Pontificatus. 9. Lourbanense Cœnobium nostris assertum. 10. Et Nunius frater à Beato Martino Hortæ sepultus.

V. 1. Dyscoli Sacerdotis mira conuersio. 2. Felix obitus, 3. & reuelata gloria. 4. Hermani Hemmenrodensis visiones, 5. repetitæ, & variæ. 6. Euerardi in Cistercio non admissi, quòd in sæculo vtilior crederetur proximorum profectui, 7. iucunda miracula. 8. Arnaldi zelus. 9. Innocentij in nostros pietas, 10. instaurato Cœnobio Sancti Martini de Monte prope Viterbium.

VI. 1. Arnaldus coacto Concilio apud Cistercium, 2. Litteras primùm Innocentij Papæ legit, 3. admodum eloquentes: 4. quibus & orationes instanter postulat, 5. & catholicæ Fidei negotium illis commendat. 6. Electi ex omnibus duodecim Abbates. 7. Et quinam illi fuerint. 8. Et Monachi idonei illis adiuncti. 9. Præfixum tempus, & reliqua prouisa: 10. ac demum expedita alia negotia. 11. In Calatraua electio noui Magistri: 12. & duo hoc anno Cœnobia Nostris adiuncta; & de alio in Sicilia sub dubio dictum.

Iesu Christi annus 1207.
Cistercij annus 110.

CAP. I. 1. Egressi Arnaldus, & duodecim Abbates

Abbates de Cistercio,2. Montem Regalem intrant: 3. atque ex hoc emendati multi Authores. 4. Sacræ Dominicanæ Familiæ exemplar præuium: 5. & iurisdictio Arnaldi subdelegata. 6. Oxomensis Episcopi discessus;7 eiusdémque,ac Fulconis disputatio, 8.conuictis Hæreticis. 9. Radulphi, & Didaci Oxomensis obitus,10.atque huius aliæ notitiæ,& sepultura. 11. Demum qui fuerint Authores Sancto Dominico Prædicatoriam Familiam instituendi.

II. 1. Radulphi morte,interrupta Legatia, 2. super connubio Regis Aragonum. 3. Arnaldus ad negotia alia vocatus, Guidonem Vallsarnicnsem pro se substituit. 4.Petrus de Castro-Nouo in Comitem Tolosanum, eximiè constans. 5.Diuina ira placata Mariæ precibus. 6. Nostrorum pro maiori parte discessus, 7.& qui relicti. 8.Ingens miraculum in comprobationem veræ Fidei.

III. 1. In Anglia sæua in nostros persequutio, 2. occasione electionis Cantuariensis: 3.qua in discordia,ad instantiam Innocentij, promotus Stephanus, 4. furente Rege, atque in omnes Ecclesiasticos, 5. sed præcipuè in nostros debacchante. 6. Interim Stephano exulante Pontigniaci. 7. Floriaci eleuatæ Reliquiæ Sancti Patris Benedicti per Sanctum Guillelmum, 8. atque eius litteræ de hac eleuatione. 9. Vvillelmi Melrosensis Abbatis obitus,10. atque inuentio corporis Beati Vvalleni incorrupti post multos annos. 11. Eiusdem cum Sancto Cutberto comparatio.

IV. 1. Ordo Vallis-Caulium confirmatus ab Innocentio. 2. Dubium,an idem, qui & Vallis-Scholarium. 3. Bullæ Pontificis, 4. in quibus instituta peculiaria. 5. Quid eisdem cum nostris commune: quid diuersum. 6.Et quæ habeant ad nostrorum imitationem. 7. Miraculum Lifardi Hemmenrodensis: 8. & ante obitum vehemens tentatio, 9. à Deo præuenta.10. Dictum obiter de duobus aliis Sanctis:11.& quid contigerit Cellerario Heisterbacensi satis iucundum.

V. 1. Acta Capituli,& Tutæ-Insulæ, virorum fundatio vnica. 3. Monasterium Pratorum Beatæ Virginis. 4.Sancti Apri, 5. & S. Bartholomæi Conuentus vniti,6.itémque Fusenich,& Beati Thomæ. 7. Mons Sancti Saluatoris: 8. & in eo conuersio miranda iuuenculæ Helsuvindis.9. sub qua Moniales translatæ ad Porcetum,de quo inferiùs.

Iesu Christi annus 1208.
Cistercij annus 111.

CAP. I. 1. Sancti Petri martyrio felix annus, 2. qui vocatus à Tolosano Comite, 3. nec dolis eius facilis, 4.ferocem eum, ac minacem experitur. 5. Missi satellites, qui Sanctum interficerent. 6. Pretiosa mors, & cura de rebus Fidei,& de munere Inquisitoris sibi iuncto. 7. Sancti de suo martyrio Prophetia. 8. Congregatum Concilium Episcoporum, 9. & delatum flagitium ad Innocentium,vulgante fama: 10.à quo litteræ datæ, reddendæ sequenti capite.

II. 1. Innocentij ad omnes Christi fideles patentes Litteræ, 2.de nece inuicti Martyris Petri de Castro-Nouo,3. narrantes factum, 4. & flagitium execrandum. 5. Anathema in authores eius indictum, 6. & prouocati ad vindictam Christi fideles. 7. Proscriptus Raymundus: 8. publicata illius oppida: 9. & Episcopi in ipsum animati: 10. Bellum item indictum à Pontifice, 11. Si tandem quo modo,aut tolli de medio posset, aut reuocari. 12. Quid de miraculis Martyris glorioli.

III. 1. Raymundus Comes duos alios ad vrbem Legatos mittit,2. qui obiectis respondeant, & nouum remittendum à Curia Legatum petant. 3. Transmissus Milo: 4. & iuncta ei exequenda Arnaldi monita. 2.Eidem Miloni Theodosius Collega additus. 6. Arnaldum quærunt: 7. dein simul cum ipso Regem adeunt. 8. Iuncta prædicatio Crucis Guidoni Abbati Vallsarnicnsi: 9. & coacto Concilio, inuenti omnes conuenientes Arnaldi monitis.

IV. 1. Guido, & alij per Galliam Crucem prædicant. 2. Idem à Duce Burgundiæ ad Comitem Monfortium Legatus mittitur,3.felici auspicio infideles expugnaturum. 4. Tunc apostolicus Legatus Raymundum citat, 5. & graues conditiones ei imponit. 6.Dein absoluendum remittit in Villam Sancti Ægidij. 7. Forma iuramenti præstiti à Comite ante fores Ecclesiæ. 8. Expressis omnibus, quibus imperebatur capitulis, 9. & de parendo in omnibus mandatis, data securitate. 10. Absolutio: & reuerentia Sancto exhibita. 11. Fraus absoluti, & absoluentium ad Galliam reditus.

V. 1. Guidonis cum Simone Monfortio familiaritas. 2. Profectio in Syriam,3. &

pro iuſtitia, & Eccleſiæ obedientia animus conſtans. 4. Reliquorum Baronum inobedientia,& exitus. 5. Simonis felicitas. 8. Legatiæ ad Simonem miſſæ occaſio: 7. & alia dicta de ipſo, quædam hiſtoricè,& quædam remiſſiuè. 8. Nicolai Camuzatij perpenſa nota. 9. Et obiter de laude Reipublicæ Venetæ nonnihil.

VI. 1. Conradus,cùm primùm morte Philippi Ducis, ſui iuris effectus, 2. Villarium intrat. 3. Qualiter à Beato Simone Alnenſi viſus, 4. præuentúſque contra inſtantem tentationem. 5. Ingens miraculum in ipſo quaſi habituale. 6. Arnulphi in eadem Domo eximia charitas, 7. confirmata miraculo, 8. ſatis iucundo, 9. & dono propheticæ. 10. Aliud charitatis, 11. & humilitatis exemplum, 12. atque diuinæ remunerationis.

VII. 1. Sancta Heduvigis continentiam vouet ſimul cum coniuge. 2. Ratio temporis, 3. & cuſtodia ſingularis emiſſi voti: 4. ac qualem ſe in marito etiam præſtiterit. 5. Iacobus, Aragonenſium Rex, natus in Monte Peſſulano; 6. felicibus auſpiciis: qui tandem vltimò Ciſtercio deſtinabatur. 7. Ferdinandus ad Siciliæ regnum vocatus ſub conditione. 8. Rodericus Ximenius ad Toletanam Sedem aſſumptus. 9. Succeſſio Epiſcoporum Leglinienſium: 10. & obitus Ottonis Pariſienſis.

VIII. 1. Relatum in Capitulo de Monacho non ordinato, & tamen celebrante, 2. atque dubium delatum ad Innocentium. 3. Animaduerſum de eius reſponſione. 4. Doctores inter ſe diſſidentes. 5. Chronologia: 6. & additum Monaſterium de Hovenes Sanctimonialium: 7. & de Sancta Sophia, eius, vt creditur, Domus prima Abbatiſſa. 8. Sanct-Iulianeæ Militiæ, pro Benedicto Suerio vita functo, ſubrogatus Magiſter, nomine Nuñius.

Ieſu Chriſti annus 1209.
Ciſtercij annus 112.

CAP. I. 1. Morte Sancti Guillelmi funeſtus annus, 2. cùm Crux contra Albigenſes per Franciam prædicaretur. 3. Legato etiam Cardinali miſſo, atque Sancto Guillelmo Cruce ſignato; 5. & nec poſt mortem fidei defuturo. 6. Triſtitia Sancti de morte Pariſienſis, & Turonenſis. 7. Natale celebrat, 8. & filiis valedicit. 9. Inde extremè ægrotans, vnctionem primùm, 10. deinſacram Euchariſtiam cum eximia deuotione ſuſcipit.

II. 1. Petit Sanctus ſepulturam inter filios Caroli Loci. 2. Renuunt Bituricenſes: 3. ſed reuerentia Sancti inuiti annuunt. 4. Præparat ornamenta ſibi ad ſepulturam. 5. Intendit precibus, 6. & diuinum ſibi legi Officium poſcit. Moritur. 7. Concurſus Vrbis: 8. & cuſtodita Eccleſia, ne inde ſacrum corpus extraheretur. 9. Sepultura, 10. & miracula ibidem crebreſcentia, 11. quibus alia ſuccedunt, 12. aliáque, quæ non facilè ad ſummam redigi valent.

III. 1. Cruce ſignari deſcripti à Vvallſarnienſi: 2. itémque ab Hugone, 3. quibus Arnaldus Dux, Magiſtérque, 4. & ſub eo Raymundus Toloſæ Comes. 5. Cruce ſignatorum numerus,& notæ: 6. & prima irruptio in vrbem Biterrenſem. 7. Qualis ciuitas: 8. & quæ monita de cælo, 9. quæque de terra excidium eius præceſſerint. 10. Expugnatio, & euerſio totius vrbis. 11. Perpenſa quædam de tempore,& de loco. 12. Alia ex Cæſario: 13. & qua occaſione itum in Carcaſſonam.

IV. 1. Carcaſſonæ expugnatio per peregrinos. 2. Ciuium impietas,& nominis *ſtallum*, ſignificatio. 3. Primum,& mox, 4. ſecundum ſuburbium dirutum: illud à noſtris: hoc 5. ab ipſis ciuibus. 6. Miraculum in caſtris peregrinorum attributum Arnaldo, velut Mago. 7. Dedita vrbs, 8. & ciues nudi egreſſi. 9. Et tandem carmen de totius rei euentu. 10. Quædam alia ex Cæſario: ſed minùs certa.

V. 1. Cruce ſignati de electione Principis agunt, qui dominetur terris Hæreticorum. 2. Deſignati electores ſeptem, inter quos primus Abbas Ciſtercij fuit. 3. Et electus Simon Monfortius Comes. 4. Dotes illius corporis,& animi. 5. Niuernenſis Comitis diſceſſus cum magna parte exercitus: 6. cui aliàs Hæreticos delere in promptu fuit. 7. Tum Dux Burgundiæ cum reliquis reuerſus. 8. Et deſtituto Comiti Simoni Robertus Malus Vicinus, 9. & Guido Abbas Vallium aſſociantur.

VI. 1. Fuxenſis Comitis defectio, 2. perfidiáque. 3. Abbatis, & Conuerſi noſtrorum cædes. 4. Atque aliæ notitiæ, & ſepultura. 5. Martyrij cauſa, 6. & Ciſtercienſes præ cæteris inuiſi cunctis Hæreticis. 7. Sacrilegi occiſoris iuſtum ſupplicium. 8. Tranſlatio corporis Beati Petri Martyris, atque eius miracula, 9. & Raymundus Toloſanus ab Innocentio

tio per dolum aliqua: 10. sed à Rege Francorum nihil prorsus extorquens.

VII. 1. Guidone Morimundi Abbate interueniente, 2. Actum de nuptiis Ottonis, cum Philippi Sueuiæ Ducis filia 3. Dispensatio indulta: 4. & iniuncta à Guidone satisfactio. 5. Notata quædam. 6. Eiusdem viri solertia in causis Ecclesiæ. 7. Cum Othone in Imperatorem coronato, & statim rebelli, 8 quinquies ad eum intra paucos menses Legatus mittitur. 9. Demum quæ summa totius Legatiæ.

VIII. 1. Successio insignium Abbatum in Heisterbacho. 2. Sanctitas Domus, 3. & fauor Mariæ Virginis. 4. Perpensa quædam visio satis mirabilis, 5. atque ipsa experientia comprobata per Sanctum Monachum. 6 Ratio temporis, atque ex ipsa correctus Cæsarij locus. 7. Gerardi obitus, 8. Henricique successio, 9. præcedente visione, 10. quæ posteà ipso euentu est comprobata.

IX. 1. Calatrauensium in Saracenos irruptio. 2. Acta Capituli, 3. & admirabilis visio, 4. cuidam Virgini Sanctæ de ipso facta. 5. Alia eiusdem Virginis visio, 6. comprobata ex effectu, æquè mirabilis. 7. Fundatio vnius ignoti Monasterij: 8. & dictum de Iesse Sanctimonialium. 9. In quo miraculosa effigies Mariæ Virginis.

Iesu Christi annus 1210.

Cistercij annus 113.

Cap. I. 1. Monfortio Comite intra hyemale tempus se continente, 2 nostri per Galliam, & Angliam Crucem prædicant: 3. Aduentus Militum, 4. & obsessum castrum Mineruæ. 5. Varia fortuna: 6. sed obsessis tandem aduersa. 7. Admissi ab Arnaldo omnes ad pœnitentiam: 8. sed contumaces multi, quod idem etiam anteà prophetauerat. 9. Combusti centum quadraginta Hæretici. 10. Duo insignia miracula in exercitu: 11. quibus & aliud tertium superadditum; 12. cum visione Capellano ostensa.

II. 1. Magistri Milonis in Monte Pessulano mors: 2. itémque vnius ex nostris Prædicatoribus. 3. Innouata, & extensa Arnaldo Patri potestas inquirendi contra Hæreticos 4. Et quædam aliæ causæ. 5. Reconciliati ciues Tolosani 6. Emendata Godefridi Historia. 7. Admissus ad purgationem Raymundus Comes: 8. sed, si priùs obediat mandatis Summi Pontificis. 9. Lacrymæ eius fallaces; sed non fallentes. 10 Colloquium aliud præsente Rege Aragonum: 11. & oblata Raymundo Tolosano absolutio, & pax, si Hæreticos à ditione sua pellere vellet.

III. 1. Actum Narbonæ de rebus Comitis Fuxi, 2 Rege Aragonum pro eo fideiubente: 3 a quo & admissum hominium Monfortij Comitis. 4. Tertium colloquium in Monte Pessulano: 5. & tertiò requisitus ab Abbate Cistercij Raymundus Comes. 6. Fuxēsis crimina, 7. & execranda suorum sacrilegia. 8. Destructæ Ecclesiæ: 9. vnde blasphemum, sed argutum militis dictum: 10. & prophetia Abbatis Montis-Sanctæ Mariæ.

IV. 1. Ratio temporis dubia in huius, & sequentis anni euentibus. 2. Indignum facinus Comitis Fuxensis: & filij eius sacrilegium execrandum. 3. Miraculū super Cruce signatis ab eisdē occisis: 4. atque aliud in cōspectu vtriusque exercitus: 5. & expugnata à Monfortio castra, & vrbes. 6. Ab Arnaldo creatus Inquisitor S. Dominicus. 7. Litteræ Sācti: 8 & in eis multa perpensa. 9. Comes Raymundus Ecclesiæ publicus hostis, 10. maximè post intimatas ei Litteras Innocentij, Summi Pontificis.

V. 1. Ad Sanctium Lusitaniæ Regem in Ecclesiam furentem, 2. Morerolensis Abbas, cum Episcopo Zamorensi, ab Innocentio missi. 3. Dictum de matrimonio Alfonsi filij 4. & de Pelagio, qui Abbas Morerol. 5. Priuilegium ab Alphonso impetratum Carracetensibus. 6. Saluaterra à Calatrauensibus amissa. 7. Quid Rodericus de eius amissione. 8. Quid Lucas Tudensis. 9. Guido Morimundensis illuc aduenit. 10. Excessus quarundam Huelguensium Abbatissarum, 11. indicati Pontifici. 12. & litteræ ad earum emendationem.

VI. 1 Cellensis Abbatis, Viri aliàs religiosi, indigna cædes: 2. super qua Pictauiensis Episcopus Innocentium censuit consulendum. 3. Pontifex causam Abbati Gratiæ Dei, & duobus Pontificibus committit: 4. Corpus delicti constans, & aggressores. 5. Variæ super Canonicis puniendis sentētiæ. 6. Sententia Episcopi, & remissio ad Innocentium. 7. Quid de illis, qui sicarios conduxerunt: 8. & quid de aliis. 9. Dictum obiter de Cellensi Monasterio: 10. & de aliis hoc anno nostris iniunctis.

VII. 1. Helinandus Frigidi Montis Monachus sanctus & doctus, 2. ex quo multa Vincentius Belluacensis. 3. Qualis in sæculo. 4. & quid ipse de seipso. 5. Correctus Seguinus. 6 Qualis in Religione. 7. Et

Et quantæ,vel post mortem æstimationis. 8. Ratio temporis. 9. Et de Ioanne Fordensi dictum, 10. insigni Viro, & Ioanni Anglo à sacris Confessionibus. 11. Adnotatus Radulphus Kalisianus. 12. Tilleti Abbas, Visitator, per Lombardiam, Nouariensis Episcopus eligitur.

VIII. 1. Subrogatus Conradus pro Cæsario in Prioratu Villarij: 2. in quo Cæsarius libros quosdam scripserat. 3. Idem Cæsarius Nouarij præfectus alia dictat: 4. quæ tandem, Hemmenrodensi Abbate iubente, vulgat. 5. Villelmus à visione Dei detentus. 6. Stultum præceptum ab Abbate Sanctæ Agathæ iniunctum Dæmoni. 7. Danielis, Hemmenrodensis Monachi, obitus, 8. & Conradi Conuersi Heisterbacensis. 9. Dubium de Monacho Sacerdote, & coniugato: 10. & responsum Innocentij, Summi Pontificis. 11. Miraculum illustre, 12. nostros incusans. 13. Et eorum in Prusia Apostolatus prima notitia.

IX. 1. Beati Abundi ad Villarium vocatio efficax, 2. patria, parentes, fratres, sororésque. 3. Abundi nomen non sine mysterio. 4. Virtutes pueri, 5. præsagientes iam tunc futura. 6. Cistercium inter alias religiosas Familias eligit: 7. in quo proposito ab Ibera recluſa primùm: 8. mox ab eodem Conrado confirmatur, & Villarium mittitur, fratres, sororésque ad Cistercium ducens. 9. Merita ipsius, & Virginis fauores satis mirabiles: 10 qui etiam ad omnes Villarienses extendebantur.

X. 1. Abbates de Claro-Marisco, 2. & de Longo-villari reuocati à Capitulo, 3. Litteris Innocentij, 4. ad prosequendum S. Iudoci, 5. quam dudum incepissent, visitationem: 6. quæ velut ordinaria illis commissa. 7. Grauamina in Anglia nostrorum sub Rege Ioanne. 8. Acta Capituli, 9. pauca, & religiosa: 10. Chronologia sine aliqua fundatione, 11. compensata in Græcia: 12. & dictum de Billoka Cœnobio Virginum.

Iesu Christi annus 1211.
Cistercij annus 114.

CAP. I. 1. Prorogata prædicatione Crucis, 2. Iacobus de Vitriaco alios sibi associans: 3. & Guillelmus Parisiensis multos signans. 4 Fulco Tolosanus Confratrias Tolosæ armat contra Hæreticos. 5. Cabaretum capitur, & Baurum obsidetur, 6. & expugnatur auxilio Tolosanorum, 7. & orationibus implorantium Dei auxilium. 8. Notata dies, atque eius circunstantiæ; 9. & supplicia ibidem sumpta de Hæreticis. 10. Fulconis constantia: 11. & tandem de Tolosa vrbe egressus, 12. quem vniuersus Clerus sequutus est, sacratum Christi Corpus secum deferens.

II. Tolosani ad vomitum iterum reuersi. 2. Comes Mon-fortius pugnans ad Nouum-Castrum 3. animatus à nostris, 4. hostem profligat. 5. Vox ad Monachum orantem de cœlo facta. 6. Innocentij Litteræ in Dominos Castri Noui: 7. aliæque in Roncelinum quendam, & Massilienses, 8. ab Arnaldo damnatos. 9. Reliqua huius anni minùs felicia: 10. verùm Fulconis, Guidonisque (Cistercienſis vtriusque) reparanda prædicatione.

III. 1. Fulco, atque Guido ad inuicem diuisi: 2. ille Belgium, hic Galliam peragrauit. 3. Sanctam Luthgardam Benedictinam tunc Monialem Fulco inuisit. 4. Itémque Beatam Mariam Ocgniacensem. 5. A qua, Pontifice Sancto celebrante, columba visa. 6. Consecratum altare non sine miraculo. 7. Fulconis, ex Mariæ Ocgniacensis colloquio, mirus profectus. 8. Quanto tempore, aut quoties Leodij fuerit. 9. Et cœlestę Oraculum ad Monachum Cistercienſem factum de his mulieribus.

IV. 1. Vladislaus, Poloniæ Dux, Gnesnensem Archiepiscopum vexat. 2. Hic Innocentij implorans protectionem, 3. duos ad Ducem ex Cistercio Legatos obtinet. 4. Grandimonteuses iterum turbati, 5. iterum veniunt per nostros reformandi: 6. quibus item iniuncta minora quædam. 7. Dissidia, Carthusienses inter, & Nostros; 8. de quibus componendis Innocentius 9. vniuersis Episcopis scribit. 10. Caroli Abbatis in Villario cessio, 11. & Conradi pro ipso subrogatio.

V. 1. Alphonsum meditantem vindictam de Saracenis, 2. Ferdinandi filij mors præoccupat: 3. qui sepultus ad Huelgas regio apparatu. 4. Sanctij Primi Lusitani Regis obitus. 5. Filij, & filiæ Cistercio destinatæ, legata. 6. Abbas Alcobatiæ testamenti executor, idémque exactor iuramenti à filio præstiti. 7. Fundatio Leprosorij, & Cozensis Cœnobij, licèt in dubio. 8. Filiarum castra ab Alphonso fratre negata: 9. & locus Auisij donatus Militiæ Eboræ. 10. Occasio donationis simul, & nominis.

VI. Vene

Index Annorum,& Capitum.

VI. 1. Venerabilis Ioachimi Abbatis mors. 2. Signatum tempus, & locus eiusdem obitus. 3. Qui morienti affuerint: 4. & quanto zelo in ipsa morte exarserit. 5. Sepultura, & miracula post ipsam. 6. Corporis cultus, & loci veneratio: 7. translatióque ad Florense Monasterium; 8. & in translatione miraculum patratum. 9. Locus sepulcri: & ossa inter Reliquias. 10. Continuata miracula, 11. & sepulcrum ornatum dispari carmine. 12. Demum qui eius Vitam, & Acta scripserint.

VII. 1. De Ioachimo in Ecclesia variæ sententiæ. 2. Qualis, ac quantus à quibusdam Hæreticis habitus sit: 3. vnde & ipse suspectus, 4 atque ab aliquibus grauissimè taxatus: 5. ab aliis mitiùs. 6. Pro Ioachimo scripsére multò plures. 7. Intolerandus quatuor Authorum error à Thoma Maluenda vindicatus. 8. Itémque alius ad doctrinam illius spectans. 9. Dictum de discipulis; quos plures, & Sanctos habuit. 10. Itémque de scriptis, 11. queis alia addita. 12. Et tandem de eodem iudicium prudens.

VIII. 1. Ioachimi successor, 2. & infestatio Florentium ab eius obitu. 3. Monasterium de Calabro Mariæ Curatio dedirum: 4 sed statim resipiscens, grauis vtriusque litigandi occasio fuit. 5. Commissa causa Abbati de Sambuema, & duobus Episcopis. 6. Curacienſium diuersæ 7. allegationes, 8. & responsa partis aduersæ, 9. replicaque. 10, Demum sententia. 11. Innocentij. Summi Pontificis: 12. & quædam in illius verbis perpensa.

IX. 1. Henrici Contracti Claræuallensis pretiosa mors. 2. Bernardi Patris in ipsam ingens miraculum. 3. Eius visio: 4. & memoria sanctitatis. 5. Simonis Fusniacensis Abbatis zelus: 6. mors, Purgatorium, à quo liber Luthgardis precibus. 7. Scripta, & sanctitas Adami Casiliani. 8. Sed de tempore dubium. 9. Dictum de Sancta Aleyde Monialis 10. atque de alia ignoti Monasterij. 11. Prima notitia recirati per nostros Officij pro Defunctis. 12. & Chronologiæ huius anni memoria brevis.

Iesu Christi annus 1212.
Cistercij annus 115.

CAP. I. 1. Alphonsus Rex de Calatrauensium clade dolens, 2. vicinos Reges conuocat, 3. atque Innocentio Pontifici scribit; 4. à quo & Crucem, 5. & remissionem plenariam Cruce signandis impetrat. 6. Quid interim Monfortius cum fratre reduce. 7. Nec quid nisi ad Arnaldi dispositionem. 8. Eius, Guidonisque electio in Pontifices, 9. consecratióque: 10. & in Cistercio subrogatus alter Arnaldus.

II. 1. Cruce signante quosdam ex militibus Abbate Bonæ-vallis, Crux apparuit in Cœlo contra Tolosam. 2. Animaduersum in Henriquez, & Soguinum. 3. Recensita duo alia 4. illustria miracula, 5. & superata præstigia Hæreticorum. 6. Tolosanus Fulco à Leodij partibus redux. 7. Arnaldus in Hispaniam proficiscem, 8. subdelegata Guidoni potestate. 9. Pietas viri, 10. & laudanda sollicitudo. 11. Demum Castrum Mosaici à nostris obtentum.

III. 1. Arnaldus in Hispaniam proficiscitur, 2. iniuriam Cistercienſis Militiæ vindicaturus: 3. à Rege, & Roderico Toletano reuerenter susceptus. 4. Sacrarum Militiarum concursus, 5. & debita prima victoria Vltramontanis. 6. Calatraua impugnata, 7. captáque: 8. & restituta statim Calatrauensibus. 9. Vltramontanorum, remanente Arnaldo, discessus: 10. & Conuentus ex Zorita vocatus ad Calatrauam.

IV. 1. Alphonsus Rex Innocentio Papæ scribit, 2. de hac eadem susceptа expeditione, 3. & Calatraua expugnata, cæteríque; 4. & Catholici exercitus, 5. rustico quodam ducente, dispositione. 6. Quid hostes Fidei. 7. Et victoria miraculosa. 8. Quot millia occisi, 9. & quæ aliæ victoriæ de illis partæ. 10. Gratiarum actio, & Festum anniuersarium. 11. Notata miracula. 12. Et Cæsarij fragmentum de Rege victo. 13. Successio Magistrorum Calatrauensium.

V. 1. Alphonso Lusitano, atque sororibus inuicem discordantibus, 2. Tharasia, & Sancia Innocentium Papam adeunt: 3. & confirmari sibi oppida impetrant. 4. Eadem muniunt: 5. & Regi petenti denegant. 6. Montem-maiorem adeunt, & se defendunt. 7. Legionensis victoria de Lusitano; 8. & anathema in ipsum latum, nisi desistat contumacia sub prætextu appellationis. 9. Damna illata Sanctiæ, 10. Tharasiæque: 11. atque alia non leuia ab ipsis Regi repensa.

VI. 1. Arnoldus ex Hispania ad propria redux: 2. & magna pars Vasconiæ nostris dedita. 3. Actum deinde de morum reformatione, 4. designati Iudices, inter

quos primus Fulco Tolosanus. 5. Iuratæ leges, siue consuetudines. 6 Tolosanorum irruptiones in peregrinos; 7 atque aliorum insidiæ, 8. orientio Habitu Monachorum Cistercientium. 9. Demum in eos execrandæ crudelitates. 10 Successio illustrium Abbatum Sambucinensium.

VII. 1. Abbas Persenix Sagiensem Ecclesiam visitat: 2. Clarævallensis, Archiepiscopi Senonensis, Acta rescindit. 3. Monachis Monasterij de Charitate obedientiam Cluniaci denegantibus, 4. turbata Gallia. 5. Sed Prulliaci Abbas missus ab Innocentio, 6. qui Cluniacenses in antiqua possessione manuteneret. 7. Iniunctus nostris Prussiæ Apostolatus: 8. & litteræ super his datæ ad Capitulum, 9. ab Innocentio III. 10. Quis Christianus contentus in illis litteris. 11. Et quid de eo Martinus Cromerus scribat. 12. Demum leuiores aliæ delegationes.

VIII. 1. Cisterciensium Virginum initium in Lombardia. 2. Franchæ natiuitas, educatióque; 3. atque eius circumstantiæ. 4. Tempus primæ, & secundæ generationis. 5. Votorum emissio, 6. velo per Angelum de Cœlo illi imposito. 7. Electio in Abbatissam. 8. Miracula, & virtutes. 9. Carentiam Virginem docendam Cistercij mores ad Genuam mittit. 10. Et dictum obiter de Episcopo Grimerio.

IX. 1. Alphonsus Hospitale Regis, ab ipso dictum, nuper perfectum, 2. Huelguensi Monasterio donati; 3. illique in omnibus, & per omnia subiectum vult. 4. Confirmante post tempus, Gregorio IX. in cuius, 5. atque Regis verbis notata quædam. 6. In quem finem erectum illud Hospitium, & quibus traditum. 7. Qualis relatio ad Iulium II. facta. 8. Quid Leo X. post Iulium II. iusserit. 9. Latum iudicium de personis, 10. & de insignibus. 11. Demum dictum de præsenti statu rerum.

X. 1. Cardinales, qui nostris adscribuntur. 2. Sancti Dominici prophetica responsum ad instantiam Conuersi Cistercientis. 3. Sancta Armezana Cañensibus præfecta, 4. & in Sicilia Abbatia de Arcu fundata, 5. in qua B Nicolaus eximiè floret. 6. Prope Thessalonicam Monasterium adiunctum nostris, 7. non sine eorum veneranda commendatione. 8. Monasteria Monialium Fontis ad Vlmum, 9. itémque Vallis Ducis in Brabantia, 10. & Margarita Henrici Ducis Filia, cum Aleyde, & aliis, ibi florentes. 11. Bonauia in Hispania. 12. Ac demum peroratio, & Finis istius Tomi.

INDEX CAPITVM IVRIS CANONICI,

QVÆ IN HOC TERTIO TOMO Annalium Cisterciensium explicantur, aut illustrantur.

Ex Decreto.

8. Quæst. 1.

Caput SI *Petrus.* & Cap. *Simon.* anno 1204. cap. 3. num. 13.

De Pœnitentia.

Distinct. 6.

Cap. *Sacerdos.* anno 1208. c. 8. n. 3.

Ex Decretalibus.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

Cap. *Damnamus.* latè anno 1200. cap. 7. num. 4.

De Rescriptis.

Cap. *Cùm Ordinarius.* 2. anno 1176. cap. 5. num. 1.

De electione, & electi potestate.

Cap. *Dudum.* 22. ann. 1206. c. 4. n. 5.
Cap. *Per inquisitionem.* 26. anno 1205. cap 3. num. 2. & 3.
Cap. *In causis.* 28. anno eod. c. 3. n. 5.

De officio, & potestate Iudicis delegati.

Cap. *Cùm olim.* 1. anno 1202. cap. 1. num. 3.

De officio Legati.

Cap. *Studuisti à nobis.* anno 1204. cap. 3. num. 8.

De his, quæ vi, metúsve causa fiunt.

Cap. *Cùm dilectus.* 6. an. 1199. cap 6. latè per totum.

De Iudiciis.

Cap. *Nouit ille.* 13. latè ann. 1204. c. 5. ferè per totum.

De dolo, & contumacia.

Cap. *Cùm dilecti.* 6. ann. 1206. c. 4. n. 5.

De testibus, & attestationibus.

Cap. *Venerabili.* 52. ann. 1177. c. 9. n. 11.

De testibus cogendis, vel non.

Cap. *Peruenit.* 2. ann. 1189. c. 3. n. 7.

De sententia, & re iudicata.

Cap. *In causis.* 19. ann. 1206. c. 4. n. 5.

De appellationibus.

Cap. *Inter cætera.* 14. an. 1166. c. 4. n. 4. & 5.

Cap.

Digitized by Google

Index Capitum Iuris canonici,

Cap. *Cùm sit.* 5. ibid.
Cap. *Ad hæc.* 6. ibid.
Cap. *Si duobus.* 7. anno 1176. cap. 4 num. 4. & 5.

De deposito.

Cap. 1. ann. 1189. c. 5. n. 8.

De celebratione Missarum.

Cap. *Cùm Marthæ.* 6. ann. 1180. c. 3. n. 11. & c. 4. n. 3. & anno 1202. c. 1. & 2 per tota capita.

De Baptismo.

Cap. 1. anno 1176. c. 6. latè, per totum.

De decimis.

Cap. *Parochianos.* 14. ann. 1176. c. 4. num. 4. & 5.
Cap. *Suggestum.* 9. anno 1179. cap. 3. num. 11.

De conuersatione coniugatorum.

Cap. *Constitutus.* 15. anno 1210. cap. 8. n. 9. & 10.

Ne Clerici, vel Monachi.

Cap. *Sententiam.* 9. anno 1185. c. 4. num. 10.

Qui Clerici, vel vouentes.

Cap. 1. anno 1186. cap. 4. n. 4. & 5.

De Hæreticis.

Cap. *Cùm Christus.* 7. anno 1186. c. 4. n. 4.

De excessibus Prælatorum.

Cap. *Ex litteris.* 10. anno 1210. c. 7. n. 12.

De purgatione vulgari.

Cap. *Dilecti filij.* 3. ann. 1186. c. 7. n. 9.

De pœnitentiis, & remissionibus.

Cap. *Noua quædam.* 10. ann. 1210. c. 5. n. 11. & 12.

Ex libro 6. Decretalium.

De Hæreticis.

Cap. *Accusatus.* 8. ann. 1214. c. 3. num. 9. & 10.
Cap. *Per hoc.* 17. anno 1204. cap. 3. n. 8.

CISTERCIENSIVM,

SEV VERIVS,

ECCLESIASTICORVM

ANNALIVM

A CONDITO CISTERCIO.

TOMVS III.

ANNVS CHRISTI M.C.LXXIV. — CISTERCII LXXVII.

1. *Gerardus, & Conuentus Clarævallis Summo Pontifici Canonizationem Bernardi suggerunt.* 2. *Alexander communicato cum Fratribus consilio,* 3. *Primùm Clarævallensibus,* 4. *Ex qua epistola tempus obiter constat;* 5. *& correcta exemplaria Bernardi Operum;* 6. *Mox Cistercij Abbatibus,* 7. *& Ludouico Regi,* 8. *Atque Ecclesiæ Gallicanæ litteras dat;* 9. *De Bernardo sublimes, & elegantes.* 10. *Canonizatio inserta fastis monasticis.*

CAPVT I.

1. TERTIAM, etsi vnicum Bernardum de medio tollas, illustrissimam Cisterciensium Annalium partem aggredior: vtinam eo auspice scribendam, quo duce patratam; inter fideles, inter infideles, & bello, & pace refertam glorioſis tiulis, partis ab hostibus, id est, à Paganis; à falsis fratribus, id est, ab hæreticis; atque ab vtrisque comparatis vtroque gladio: sed neque omninò à Bernardo Patre alienam, quam auspicabitur ipsius Canonizatio. Quippe hoc anno milleſimo, centeſimo ſeptuageſimoquarto, Cistercij ſeptimo ſeptuageſimóque Sanctorum Canoni legitur adſcriptus. Quin magnum illud poſt Bernardum Parentem iubar, Petrus de Tarantaſia, hoc ipſo creditur ad Superos tranſlatus: vt duplici lætitia velut præuenta huius Tomi initia, altera in Cœlis, altera in hoc mundo; & Angelis iucundum, feſtiuúmque, & hominibus reddant reuerendum. Ergo, quod attinet ad Canonizationem Bernardi Patris (quod ſuprà dicebamus) dilata ea in Concilio Turonenſi, & ſiue minùs neceſſaria viſa, ſupplente adhuc decretum Pontificum communi totius Eccleſiæ acclamatione; ſiue emergentibus grauiſſimis negotiis, ſuſpenſa hactenus, vix Cisterciensium Monachorum curam, & vix Clarævallenſium, qui Sancti eſſe, quàm haberi malebant, ſollicitabat. Verùm Gerardus filiali charitate, & ſuperaddito iure ſucceſſionis, cum recenti Canonizatione Martyris Thomæ, ſeu fortè recentiori dono Crucis, ab Amalrico ad Claram Vallem miſſæ, Bernardi iuſſu, vt non violatæ, omiſſæ pietatis in Sanctum Patrem, & veluti contemptæ religionis arguerentur, communicato cum Fratribus conſilio, Alexandro ſuggeſſit, Bernardum nondum adſcriptum Sanctorum numero; neque id vltrà, ſi placeat, differendum. Ceſſaſſe iam illuuiem petitionum, quæ in Concilio Turonis retardaſſent: conſtare ipſi de vita, de miraculis, ante, & poſt mortem factis; conſtare de cunctis, quæ viderentur præuiè diſquirenda: neque eam eſſe Bernardi ſanctitatem, quæ extraneis aliis precibus, aut noua alia indigeret approbatione. Clarævallenſes, pro Patre, filios petere, cæteros ſupereſſe; niſi quòd fortè deuotionis impetu ducti, eundem cultum Sancto iam præſtarent, quem forent, vel poſt Canonizationem, exhibituri.

Hæc, aut similia Conuentus Claræuallis, Gerardúsque ad Alexandrum Papam. Ait Alexander dicto citiùs parens (sic ipse loquitur) neque Bernardum inferiori affectu coluisse, aut diligens; communicato consilio cum Cardinalibus, primùm ad ipsos; mox ad omnes Abbates totius Ordinis; inde ad piissimum Regem Ludouicum, Bernardo olim, dum vixit, obsequentissimum, post mortem deuotissimum; demum ad omnem Ecclesiam Gallicanam Litteras dedit, quibus non solùm Sanctum adscribit Canoni, sed Festum eius celebrandum publico ritu, solenníque, in mandatis dat his, qui mandata obseruant apostolica; & quidem verbis, quæ non tantùm definiant, verùm extollant. Vt vix à diuini verbi Concionatoribus plùs aliquid in laudem Sancti dici ex tunc potuerit, quàm quæ Summus Ecclesiæ Pastor in illis Litteris, præeunte Spiritu, dictauit; proposuítque amplectenda cunctis fidelibus. Circunferuntur quatuor hæ Epistolæ cum Operibus Sancti: non tamen ideò in præsenti prætermittendæ, quod ipsa series Historiæ, & quæ in eis notanda, satis exposcunt. Ergo ad Gerardum, & Fratres Claræuallis hanc primam omnium, quantùs communiter vltima putatur, scripsit Epistolam [a].

a inter Opera S. Bernardi.

3. *Alexander Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis filiis Gerardo Abbati, & vniuerso Conuentui Claræuallis, Salutem, & apostolicam Benedictionem. Sicut de religione, & pietate, quam circa Deum geritis, nihil nobis restat ambiguum; sic exhibita circa nos robur deuotionis, & fidei, Aaron semper est certitudine manifestum. Non enim poteratis, sed nec deinceps, Deo authore, poteritis, à gratia sanctitatis apparere degeneres, quos Sancti Patris constat esse haeredes: cui & gratia spiritualis abundauit ad meritum, & operum efficacia non defuit ad exemplum. Scitis nanque, & pia veneratione recolitis, qualiter beatæ memoriæ Bernardus, Cœnoby vestri primus Abbas, præcipuúsque Fundator, Deo quidem pro virtute religionis auctus, & Ecclesiæ Dei pro plenitudine deuotionis, & fidei extiterit gratiosus; ita vt meritò deberetis haberi culpabiles, si imitationis, & venerationis ipsius esseris in aliquo negligentes. Placuit ergo nobis, quòd pro eo, tanquàm pro pio Patre, sollicitudinem habuistis, & Canonizationem ipsius voto laudabili postulastis. Nos, quibus cordi semper est pro multis (fili Abba) tua deuotionis obsequiis, & totius domus vestræ studiis religiosis, & piis, vestris ingiter obtemperare precibus, & profectibus aspirare; voto huic clementer annuimus, vt nostram circa vos & gratiam, & benenolentiam comprobemus. Vita igitur eiusdem Beatissimi Confessoris ad memoriam reuocata, quomodo, scilicet, fide, & religione, atque doctrina prefulserit; quantóque in Ecclesia Dei perfficueclaritatis lumine radiarit: eum (Fratrum nostrorum consilio habito) consisi de misericordia Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, atque de eiusdem Sancti meritis præsumentes, Catalogo Sanctorum duximus adscribendum, diémque depositionis eius festiuum de cætero, & celebrem obseruandum. Vnde, quia vestra potissimùm interest, eius & imitari vitam, & gloriam venerari, satagite in omnibus, & studete, ipsius Sancti Patris & inhærere vestigiis, & Festum excolere sanctitatis, vt cuius conuersationis meruistis esse participes, digni habeamini eiusdem beatitudinis fore consortes. Datum Anagniæ, XV. Kalend. Februarij.*

4. Hactenus Alexandri Claræuallensibus: ex quibus obiter corrigendus insignis error, qui semel his Epistolis præfixus, nec ab aliquo hactenus notatus, multos, & graues Authores post se traxit; Bernardum, scilicet, adscriptum Sanctorum numero, ab obitu ipsius anno vndecimo, Christi, nimirum, M. C. LXIV. sic enim habet vulgatus illarum titulus [b]: *Canonizatio Sancti Bernardi, Abbatis, per Alexandrum Papam III. anno Christi millesimo, centesimo, sexagesimoquarto.* Quem errorem sequutus etiam Henriquez in Menologio. Quin & ex eo Kalendarium Gallicum corrigit, qui eandem Canonizationem per annum distulit. Alij in annum M. C. LXVI. Nec vidi hactenus, qui vlteriùs dilatam doceat, præter Chaconium, cui ex Registro Vaticano verum notare tempus; facile fuit. Hic in Vita Alexandri hæc habet verba [d]: *Anno M.C.LXXIV. Alexander Pontifex Bernardum Abbatem Claræuallensem, Monachorum Claræuallensium precibus inclinatus, ac Bernardi pia commemoratione compulsus, in numero Sanctorum adscripsit, atque hac de re Litteras Anagniæ XV. Kalendas Februarij dedit ad Proceres Gallicana Ecclesiæ, Regem Francie, Abbates Cistercienſis Ordinis, & Claræuallensis, quæ extant.*

b Ibid.

c Ostob. 14.

d in Alexandro III.

5. Portò hæc nequaquam contingere potuisse ante annum, vt minimùm, septuagesimum secundum, manifestant Gerardi præfectura, qui anno M. C. LXXVIII. coronatus martyrio, vt suo loco dicemus, cùm Claræuallis sexennio præfedisset, ante eum annum Abbatem Fossæ nouæ, non Claræuallis, aut Monachum fortassis agebat in Italia: vnde vocatus, vt Pontio subrogaretur. Incidit ergo Bernardi Canonizatio per Alexandrum, in decimum octauumdiem mensis Ianuarij, anni M. C. LXXIV. ab obitu eius viginti annis exactis, quatuor mensibus, & diebus viginti nouem. Id quod Iacobus Simundus adnotauit, ad epistolam nonam libri noni Petri Cellensis, vbi ait: *Sanctum nuper canonizatum, id est*, (inquit) *ab Alexandro III. Anagniæ, anno M. C. LXXIV. post obitum ipsius anno XXI.* incepto, scilicet, sed nondum consummato. Scripta fuit autem Epistola circa annum M. C. LXXX. vt suprà notabamus, circa quem Petrus ad Episcopatum Carnotensem promotus legitur. Sed iam, quid ad Abbates Cistercienses Alexander scripserit, videamus [c].

c inter Opera Bernardi.

6. *Alexander Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis Filiis Cistercij, de firmitate, Pontigniaci, Claræuallis, & Morimundi, atque vniuersis Abbatibus Cistercienſis Ordinis, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Quoties honestas nobis opportunitas exhibetur, vt fidei, & deuotioni, quam circa Ecclesiam Dei nostris temporibus habuistis, possimus in aliquo pro meritis respondere, opportunitatem ipsam libenter amplectimur: & in his maximè, qua specialem nosciuntur redolere virtutem, vestris occurrere profectibus non moramur. Contigit autem hoc tempore, vt verbum, quod ab olim fuerat de Beati Bernardi, quondam Claræuallis Abbatis, Canonizatione propositum, & pro quorundam similia postulantium scandalo, à Turonensi Concilij celebratione dilatum, ad nostram reduceretur, Deo volente, memoriam; & faciente nobiscum signum in bonum, qui hoc pietatis opus, nostris seruauit manibus consummandum. Nos enim vitam, & sanctitatem eiusdem Beatissimi Confessoris recordatione sollicita memorantes, quomodo, scilicet, & in seipso religionis, & sanctimonia prærogatiua magnificus, & vniuersa Ecclesia Dei, specialiter autem Ordini vestro fide, & doctrina vtilis extiterit, & copiosissimè fructuosus: confisi de misericordia Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, necnon de eiusdem Sancti Confessoris meritis præsumentes, eum (Fratrum nostrorum

strorum communicato consilio) *authoritate apostolica Sedis, Sanctorum Catalogo duximus adscribendum, & diem depositionis ipsius in Ecclesia publicè celebrandum. Unde, quoniam hoc ita in gloriam, & honorem Summi Conditoris exuberat, vt in vestram quoque edificationem, consolationémque redundet; vestra potissimùm interest, Omnipotenti Deo gratias agere, qui modernis temporibus virum perfectæ, & prædicabilis sanctitatis in vestro Ordine voluit suscitare. Vos igitur munificentia domum speciali devotione suscipite, & Deum in Sanctorum suorum glorificatione mirabilem, in eius celebratione specialiter honorate. Datum Anagniæ, XV. Kalendas Februarij.* Hactenus ad Abbates totius Ordinis, quasi quibus intererat, non quasi à quibus postulatum aliquid esset; quod idem in epistola ad Ludouicum Regem notandum, quæ ita habet[7]:

[7] *vbi supra.*

Alexander Episcopus, Seruus seruorum Dei, Illustri Francorum Regi Ludouico, Salutem, & apostolicam Benedictionem.

Nouit (vt credimus) Regalis tua magnificentia celsitudo, quod ea, quæ cum honore Dei, gratia tibi, acceptáque cognouimus, ad vtilem semper effectum magno, & volenti animo promouemus. Maximè autem hoc in illis operibus obseruamus, in quibus specialiter & honor Dei, & suorum gloria Sanctorum declaratur. Sciemes quoque tibi fore gratissimum, quicquid ad decorem Ecclesiæ, & Superni Regis honorem, auctoritate fuerit apostolica constitutum. Vnde, quoniam sancta recordationis Bernardus, quondam Abbas Clarevallis, & Deo semper charus, & tam tibi, quam vniuersò Regno tuo gratus extitit, & acceptus, eum ad gloriam Dei, & exaltationem Ecclesiæ, ac totius Regni tui, canonizandum decreuimus, & inter Beatissimos Confessores festiua celebritate colendum; tam de misericordia Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius confisi meritis, quàm sua conuersationis, & sanctimonia non ignari. Monemus igitur Christianissimæ Serenitatis tuæ Regiam pietatem, vt hoc cælestis gratia donum, Regno tuo, te regnante, collatum, clara deuotionis brachiis amplectaris; eique iam cælesti beatitudine perfruenti, solita pietate, deuotus existas, quem pro sua venerabili Sanctitate adhuc in tenebris positum diligebas. Clarevallense verò Monasterium, quod fundauit, in quo etiam corpus eius venerabile requieuit, ita te ob reuerentiam eius habere volumus commendatum, vt eum semper merearis habere Patronum. Hæc Ludouico, non qui petiisset; sed, cui gratissimum fore non dubitaret.

8. Verum est tamen, ad Ecclesiam Gallicanam, vltra Clarævallensium, sublimium etiam aliarum personarum additas preces (fortassis Cardinalium) connumerari. Porrò hæ, tanquàm totius negotij cardines, aliquantò longiores, & de Bernardo plura, & sublimiora cunctis proponunt[8].

[8] *ibid.*

Alexander Episcopus, Seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, aliisque Ecclesiarum Prælatis in Regno Francia constitutis, Salutem & apostolicam Benedictionem.

Contigit olim, dum essemus Parisiis constituti, vt magni quidam, ac Venerabiles Viri, de canonizando sanctæ recordationis Bernardo, quondam Clarevallensi Abbate, facerem mentionem: optantes vtique, & piis nobis precibus suggerentes, vt in Concilio, quod de proximo erat Turonis celebrandum, digno huic, & laudabili voto celerem daremus effectum. Cúmque nos eidem negotio, fauorabili satis intenderemus affectu, superuenit multitudo, & frequentia petitorum, qui in diuersis prouinciis rem similem postulabant. Vnde, cum videremus, non posse congruenter omnibus satisfacere, statutum fuit pro scandalo deuitando, etiam in hoc differri, quod oportebat pro tempore cæteris denegari.

9. *Nuper autem ex instantia, & deuotione Clarevallis Fratrum, & aliarum sublimium personarum, eisdem apud nos precibus immutatis, reduximus ad memoriam nostram eiusdem Beati Viri sanctam, ac venerabilem vitam: qualiter ipse singularis gratiæ prærogatiua susfultus, non solùm in se ipso sanctitate, ac religione præfulserit; sed etiam in vniuersa Ecclesia Dei, fidei, & doctrinæ lumine radiarit. Fructum verò, quem in Domo Domini, & verbo operatus est, & exemplo, nullus ferè terminus sanctæ Christianitatis ignorat; cum vsque ad exteras quoque, & barbaras nationes sancta Religionis instituta transmiserit; atque Monasteriorum fundationem extenderit; & infinitam multitudinem peccatorum, per viæ secularis latitudinem incedentem, ad spiritualis vitæ rectitudinem reuocarit. Specialiter autem sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cui auctore Deo præsidemus; ita quondam sub grauis persecutionis turbine laborantem, tam vitæ merito, quam data sibi cælitus sapientiæ studio sustentauit: vt digne quidem, & nobis, & omnibus eiusdem Ecclesiæ filiis in memoria habendus sit, & deuotione perpetua veneriandus. In afflictione verò corporis sui vsque adeò sibi mundum, seque mundo reddidit crucifixum, vt confidamus Martyrium quoque cum merita obtinere Sanctorum, quem confessionis ordine, & parsimonia vitæ, tam longum constat duxisse martyrium. Quibus omnibus pia consideratione pensatis, & in consilio Fratrum nostrorum expositis, confisi de misericordia Dei, cui perseuerauit, & fideliter militauit; necnon & de Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum; & de eiusdem Beatissimi Confessoris meritis præsumentes, cum, apostolicæ Sedis authoritate, Catalogo Sanctorum adscribi mandauimus; & commemorationis suæ Festum decreuimus annodò publicè celebrandum. Vos ergo, qui & eiusdem Sedis apostolicæ instituta suscipere, & Deum in Sanctis suis consueuistis glorioſius honorare; sic memoriam Sancti huius celebretis in terris, vt precibus eius & meritis digna præmia recipiatis in cœlis. Datum Anagniæ, XV. Kalendas Februarij.* Hæc Summus Pontifex, Martyrem, Confessorem, Patriarcham, & totius Ecclesiæ firmam columnam (laudibus satis amplis) Sanctum appellans.

10. Huius Canonizationis memoriam in Martyrologio monastico Hugonis Menardi, anticipata per errorem vnica die, & in Menologio Cisterciensi, recoli video: quin & extare luculentum sermonem de Sancti laudibus, in anniuersario ipsius depositionis; quem Godefrido, quondam eius Notario, sunt qui attribuant. Dubium, an habitum ad Fratres in Capitulo, ante Sanctum adscriptum Sanctorum Canoni, dum ipse Abbatis officio fungeretur; an post cessionem, ex Gerardi iussu, cùm iam Bernardus inter Sanctos relatus esset. Eius initium: *Quàm dulcis hodie, dilectissimi Filij, paterna debeat esse memoria.* & circunfertur cum Operibus Sancti recentiùs cusis, atque additis diligentia Ioannis Pichardi. Hoc initium[h] nascentis huius anni. Sed iam reliqua eiusdem expediamus.

[h] *inter Opera Bernardi.*

Caput II.

1. Dedicata Ecclesia Clarævallis, & Reliquiæ in maximo Altari reconditæ, 2. pia Beati Gerardi sollicitudine. 3. In Longonado dedicatum altare Bernardo Patri, per Sanctum Petrum Tarantasiæ Præsulem, cum celebri concursu populorum. 4. Miracula patrantur in sacrilegos, 5. atque item in Dæmones, 6. & sanatus surdus, & mutus. 7. Sanctus Petrus cum Abbate Alexandro legati ad Ludouicum. 8. Atque ex his obiter emendatus Gaufridus in Vita Sancti.

CAPVT II.

1. HOc ipso anno, quo Bernardus adscriptus Sanctorum numero, nouem plùs minùs ab eius canonizatione transactis mensibus, consecrata est Ecclesia Clarævallis, quam ipse Sanctus viuens inchoauerat, per Gualterum Lingonensem Episcopum, quem Sancti Gerardi cura ad hoc munus præstandum sollicitauit: cuius rei extat memoria satis antiqua, simul cum Indice sacrarum Reliquiarum, quæ in maximo Altari sunt reconditæ; quam ex libro sepulcrorum Clarævallis, & Tabulario eiusdem Domus depromptam, atque ad Ignatium Firminum Firierensem olim transmissam, inde ad nos deriuatam, hìc transcribam.

Anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXIV. Præsidente Sedi apostolicæ Alexandro Papa III. dicata est hæc Basilica Clarævallis, Idibus Octobris, & consecratum est maius Altare in honorem Beatæ, semperque Virginis Mariæ, & hæ sunt Reliquiæ, quæ in eo sunt positæ.

2. Sequitur Index sacrarum Reliquiarum, quæ multæ numero, & illustres qualitate totam penè cœlestem spoliant Curiam. Quippe ab antiquis Patriarchis, Prophetisque vsque ad recentem Beatum Thomam Martyrem; quin & à Christo, & sacra eius Matre, quorum vestes, capillos, aliáque vsque ad sacrorum Confessorum ossa; si per Apostolos, per Euangelistas, per Pontifices, per Martyres discurras; vix aliquem ex notioribus designes, cuius non aliquod ibidem pignus inuenias: & tandem concludit: *Hæ autem omnes Reliquiæ continentur in magno Altari, quod consecratum est à Domino Gualtero, Lingonensi Episcopo, in honorem Beatissimæ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ; regnante Ludouico piissimo Rege Francorum, sub pia memoriæ Domino Gerardo, sexto Clarævallis Abbate, qui pro iustitia, & zelo Ordinis iniustè occisus migrauit ad Dominum, cui est honor, & imperium, laus, & magnificentia, nunc, & semper per infinita sæcula sæculorum. Amen.* Ita Gerardus vno, & eodem anno, & Bernardo Parenti Solennitatem, & Solennitati eiusdem Ecclesiam propriam, atque ab ipso inceptam, solenni ritu dicandam sollicitauit. Dedicationis Ecclesiæ Clarævallis, & canonizationis Sancti Bernardi meminit magnum Chronicon Belgicum ad hunc eundem annum; quanuis confundat cum eleuatione corporis Sancti; quam tamen constat contigisse post quadriennium. Addit, quod ad priorem Solennitatem referendum existimo: *Sequenti anno in Capitulo Generali susceptum cantum de Beato Bernardo, & cantum de Sancta Trinitate.* Crediderim, in eodem etiam Festo sacratum Sancto Altare; qualia plurima in honorem eius, in aliis etiam Ecclesiis erigebantur.

Certè hoc anno Tarantasiensis Præsul, senio iam fractus; sed ad bona omnia promptus, procliuisque, ad eiusdem Lingonensis Episcopi, & Fratrum Longiuadi petitionem, Longumuadum adueniens, nouum, in honorem Sancti Patris dedicauit Altare, Cœmeteriúmque, coëuntibus populis, atque inter se certantibus, quis propior noua sacra lustrare posset, & vtrunque illustrauit nouis miraculis, quibus tantò plùs solito coruscabat, quantò morti vicinior, quam incidisse in hunc annum, & iam diximus, & fusiùs infrà trademus. De his Gaufridus, Abbas Altæcumbæ, in Vita sancti Præsulis hæc habet [a]: *Ex petitione Lingonensis Episcopi, & Venerabilis Abbatis, ac totius Congregationis instantia, ad prædictum Monasterium, vt in memoria Sancti Bernardi Clarævallis nouum dedicaret Altare, & Cœmeterium benediceret, Vir beatus accessit; summis etenim expetebatur votis, à quibuscunque eius præsentia posset obtineri, & accersebatur vndique, vndique trahebatur ad celebranda eiusmodi Sacramenta. Affuit certa die Pontifex expectatus, & multitudo tanta conuenit, vt negarent viri grandes, atque grandæui similem vspiam se vidisse.* Hactenus populorum concursus, frequentiáque, geminata occasione deuotionis; tum in Bernardum, aris iam donatum; tum in Petrum sacrantem, quibus Bernardus, aras, imponeretur. Sed iam miracula, quæ festum illustrarunt, verbis eiusdem Gaufridi describamus [b].

3. *Affuit tentator, opportunitate inuenta, cuidam persuadens argenteam fieri Crucem; modici quidem ponderis; sed particulam ligni Domini continentem. Aduertitur à Fratribus sacrilegium, & sacro Præsidi sine dilatione suggeritur. Nec cunctatur anathematizare sacrilegum, in virtute Christi præcipiens, ne priùs liceat homini Monasterij egredi fines, quam restituerit signum Crucis; firmiter contestatus, quòd nullatenus posset auferri. Perstitit tamen improbus vsque in diem alteram, donec Episcopus recessisset. Sed nec tunc egredi potuit, nisi priùs reddita Cruce, & Altari sacro, vbi fuerat, irreposita. Viderat mulier scyphum ligneum: concupiuit visum; tulerat, & absconderat concupitum; absconditum asportabat infelix. Nec mora, pœnitet in oculis, per quorum fenestras mors introierat. Experit vnum è Fratribus; nec dum penitùs, sed penè cara vasculum profert, cum satisfactione restituit; & vltricem criminis caliginem mox euadit. Sic accedens vnus quispiam ad Monasterij ianitorem, eorum eo cucullam, quam malè tulerat, in hac verba proiecit: Tolle tibi cappam hanc manicatam, quam frequenter attentans, efferre non potui, nescio qua virtute prohibitus.* Hæc tria breui miracula patrata; quæ vtinam ad concursus omnes transiissent, haud pauca sacrilegia impeditura!

4. At

[a] apud Sur. tom. 2. cap. 27.

[b] vbi supra.

5. At non in solos sacrilegos effulsit virtus diuina, quin in Dæmones etiam demonstraretur; quos binos contumeliose eiecit ab energumeno; certè vt decebat Spiritus immundos: nam audi, quod sequitur [c]: *Phreneticum iuuenem, vel potiùs energumenum, sicut creditum est, & credibile erat, plurimi baiulabant; à die iam septima, nec sumentem cibum, nec verbum aliquod proferentem: iussus quiescere; iussus loqui, in neutro obtemperabat Sacerdoti. At ille sub pectore pulsu hominem, contra Damonem indignatus. Nec mora, per fluxum ventris obscœnum, vt visum est, alter Dæmonum exiit, & alter mansit; quod miserum non omnino talis egestio liberauit. Nec moram fecit Episcopus propter populum comprimentem; sed cum foris staret, Oratorium intrauit, vbi rursus exhibito iuueni impositis manus, & odoris diuissimi vomitu repurgatus, ad modicum requieuit; ac deinceps loqui cœpit, cibum sumpsit, & officia reliqua sanæ mentis implenit.* Hactenus de energumeno curato. Sed iam cæcum, & mutum proferamus [d].

c cap. 27.

d ibid.

6. *In eiusdem Basilica Monasterij iam tribus annis surdum, & mutum filium mater afferens Viro Dei, ad ipsius benedictionem sine mora loquentem liberè, & audientem gratulabunda recepit.* Hæc miracula recensenda putaui duplici titulo: & quia per Sanctum, atque in Sanctum facta, hoc est, in Festi illius celebrationem, Cistercienſem vtrumque, & quæ facilè vtrique possent attribui; siue Bernardus de Cœlo non permiserit spoliari filios, dum sese pios, religiososque in charissimum Patrem ostentabant; seu Petrus semper patrator mirabilium, sed semper humilis, inuocauerit Sanctum, quem tunc colebat, atque eius meritis fieri postulauerit, cui dedicabat aras, quem populis Patronum, Ducémque, atque ad Deum proponebat interceſſorem: Tum, quia siue vtriusque, siue solius, fuêre victima Petri, quæ sciamus; quippe intra eundem annum deuellari, adeóque auidiùs Lectoribus hauriendа, certe iucundiùs:

Vt esse Phœbi dulcius lumen solet
Iam iam cadentis.

7. Manebat tamen Virum legatio noua iniungenda iam seni; atque eò laborioſior, quò sine fructu reseruata Cantuariensi Martyri Thomæ perfecti operis gloria, vt cœpta per Cistercium, nunquam sine Cistercio consummarentur. Ad conciliandos Reges, patrem & filium, vtrumque Henricum Anglum, & cor filij ad parentem conuertendum, vna cum Alexandro Cisterciensi, ab Alexandro Papa missus est: sed conamine irrito, indurante Deo cor Henrici iuuenis, sequaciúmque, atque exercente per eorum proteruiam Viros sanctissimos, *dum interius contemptum clauium dolent, propriam repulsam exteriùs erubescunt.* De patris, filiique dissidio, & simultatibus, dictum à nobis toto præcedenti, atque inferiùs dicendum. De legatione Petri, & Alexandri Robertus Abbas Montis, eius temporis Author, hæc habet verba [e]: *Archiepiscopus Tarentasiæ, qui fuerat Monachus de Ordine Cisterciensi, per quem in nostris temporibus in exhibitione miraculorum Deus benedicitur, cum Abbate Cisterciensi Alexandro missus a Domino Papa venit ad Regem Francorum, pro reformanda pace inter Regem Anglia Henricum, & filium eius Regem iuniorem; sed impedientibus hominum peccatis, parum profecit.* Hæc tantùm ibi: nec nos de hac legatia alibi plura, cùm à nullo nostrorum, aut nostros ex professo scribente, tradita fuerint. Nisi quòd tamen conciliandа pax inter vtrumque Henricum, publicam pœnitentiam senioris de nece D. Thomæ; & ex ea gloriam Sancti præstolabatur; vt capite sequenti declarabo.

e ad hūc ann.

Hinc obiter corrigendus venit Gaufridus, Altæcumbæ Abbas [f], atque Sancti Epitaphium, quod infra dabo, recentius proculdubiò, quam eius tumulus; & quotquot alij Authores eum sequuti, Petri Tarantasiensis glorioſum obitum plùs nimio anticipantes in annum M.C.LXXI. referendum existimant: quo tamen constat, nec dicandæ aræ Beato Patri Bernardo à Monachis vocari; nec à Pontifice in Angliam potuisse mitti ad componendos patrem, filiúmque: illo nondum adscripto Sanctorum canoni; his nondum dissidentibus; & nondum iactis seminibus discordiæ: quæ post Martyris Thomæ necem sacrilegam, atque in illius vindictam pullularunt. Videó Gaufridum [h] ex annis vitæ Christi computare annos præsulatus Sancti Pontificis: quod si verum est, aut postponendus electionis annus, aut annus mortis cum ipso anteponendus. Sed in parua distantia fortè deceptus, dum plùs mysterium attendit, quàm historiam, facilè potuit à vero deuiare. Certè non desunt alij Authores graues, qui Petrum prolatasse vitam putant, vsque ad annum M.C.LXXV. quos vt non sequor, ita non condemno: sed nec, si quis sequatur, condemnabo. Verùm de morte Sancti, suo loco. Nunc quam non potuit reformare pacem inter Henricos Reges ob iunioris proteruiam, reformatam de cœlo per Sanctum Thomam, ad pœnitentiam senis, atque ipsum ouantem de inimicis manifesto miraculo, ex Anglorum Historiis prosequamur.

8.

f cap. 41. apud Sur.

g cap. 4. n. 5.

h ibid.

---

1. *Henricus senior, peracta pœnitentia, ad Beati Martyris Thomæ sepulturam,* 2. *diuinam in se clementiam experitur,* 3 *præcedente oraculo,* 4. *& subsequuta promissorum exhibitione.* 5. *Petri Blesensis illustre testimonium de gloria Sancti.* 6. *Qui & templo donatus in Scotia,* 7. *& socij eius promoti ad dignitates* 8. *Additus Thomas puer,* 9. *& adolescens, in Beati Viri gremio.* 10. *Mox ab ipsius morte Cistercij Monachus.*

CAPVT III.

1. VRGEBAT interim Henricum seniorem coniuratorum manus, & (propria viscera) filij rebellantes, qui Gallos, Flandros, Britones, Aquitanos, quin suos etiam, & vicinos suis Scotos, asperam gentem, in ipsum sollicitabant, &, vt ait Herebertus in Quadripartita [a]: *Reges, & regna terræ, nationesque, & populi, tam sui, quam alieni, aduersus solum Regem patrem armabantur; adeò, vt quid faceret, aut quò se verteret, ad quos iret, aut quos declinaret, prorsus nesciret. Nusquam tuta fides,* &c. Iam verò tandem senior ad se reuersus, publicam pœnitentiam, quam distulerat, ad Beati Thomæ Martyris sepulcrum, voluntariè coactus, seu, verius dixerim, coactè voluntarius, glorioſè abiectus, & humilis subiuit: sic disponente Deo ad gloriam Sancti; quo causa mali, ex remedio manifesta, qui patientem in ter-

a lib. 4. c. 17.

ris Præſulem viderant, triumphantem iam in Cœlis experientur. Itaque pergit idem Herebertus [b]: *Audiens, & certiſſimè credens, mundo iam conteſtante, & cum admiratione conclamante virtutes, & ſigna, & prodigia, quæ Cantuaria fiebant per Martyrem; de mutua inter ipſum, & Martyrem iam pridem gratia, ſicut ſpero, non immerito, eò etiam fiducialior, quod de exceſſu ſuo in Martyrem gauderet, & ſperaret ſe pœnitentiam egiſſe: à Northmannia exiuit, & illam, ſicut alias dominationis ſuæ terras tranſmarinas, in ſolius protegentis Dei, & Martyris ſui manu relinquens, confeſtim ſola diuina protectionis ſpe, aduerſùs hoſtes ſuos armatus tranſiuit mare, & omni occaſione, & dilatione poſtpoſita, Cantuariam venit.*

b ibid.

2. *Verùm Rex, antequam ciuitatem intraret, vt ipſum vidit Metropolitanam Eccleſiam, in qua Martyr requieſcit, mox incredibiliter humiliatus, & deuotus, exinaniuit ſe poteſtate tanta, pauperis ſerui formam induit; nudis pedibus, totoque nudato corpore, præterquam vili quadam tunica ſuper nudo amictus, & pedes, & nudus ſic palam in omnium conſpectu ciuitatem intrauit; & per vicos, & plateas ciuitatis luteas, tanquam de plebeiis vilißimus vnus, abiectè ſic incedit. Ecce Dauid alter, qui, quemadmodum dilecto filio ſuo Abſalone ob peccatum ipſum perſequente, nudis plantis ciuitatem exiit; ita iſte ſecundus Dauid ingreditur. Et ita ſuſpiriis, & gemitibus, tot gentibus, & nationibus tremebundus, ipſe timens, & tremens Martyris adiit ſepulturam, vbi tota illa aduentus ſui die, & nocte ſequente ieiunus, & pernigil ante Martyrem pernoctauit. Non fallor: neque enim dubito, ſicut gemebundus, & pius ante Martyrem, quem adeò dilexerat, & à quo tantùm dilectus fuerat, orationes effundens, eius (nec dubium) meritis, orationibus, & patrocinijs in tam arcto, toto cordis affectu ſe commendans, quod citò poſt rerum exitus comprobauit. Ibidem, tam coram Martyris ſepultura, quàm coram ipſo Martyre, ſancto illo, & venerabili Fratrum cœtu conuocato, à ſingulis virga diſciplinalis percuſſiones ſingulas, velut quaſdam ſecundas quadragenas apoſtolicas, imò regias nouas, & (ſicut arbitror) vſque tunc inauditas accepit.* Hæc Herebertus.

3. Quæ eadem Eduardus, Guillermúſque: ſed aliquid vterque addens non omittendum. Nam Eduardus apud Surium hæc habet verba [c]: *Veſte ſe nudans,* (ſcilicet, Rex,) *caput in tumuli feneſtram magna humilitate ſubmiſit, ita vt omnes eo ſpectaculo ad lacrymas mouerentur. Primóque ab Epiſcopis quinquies cæſus eſt, deinde à Monachis amplius octoginta ne nos accepit ictus.* Guillelmus Neubricenſis ait, in Capitulo flagellatum a Monachis. Porrò nocte ſequenti, quendam ex eis, reſponſo accepto in ſomniis, didiciſſe, quem fructum ſortitura foret tanta humilitas: *Sequenti nocte* (ait [d]) *cuidam venerabili eiuſdem Eccleſiæ Monacho ſeniori dictum eſt in ſomniis: Nunc vidiſti hodie humiliatus regia grandia miracula! Scito, quod in breui, quantùm hæc regia humilitas Regi Regum placuerit, rerum, quæ circa ipſum geruntur, exitus declarabit.* Et ſubiungit: *Sanè hoc ipſum Viro reuerendiſſimo, & ſyncerißimo, Rogerio, ſcilicet, Abbate Bellalandenſi referente, cognoui, quod vtique ſibi immoriuiſſe fideli relatione dicebat, dum fortè ipſo tempore in Cantia moraretur.*

c menſe Decembri.

d lib. 2. c. 34.

4. Cæterùm vocem, non ſomnium, ſed oraculum manifeſtauit euentus. *Quippe ipſa die* (pergit idem Guillermus) *atque ipſa, vt dicitur, hora, qua moſis iſte* (ſcilicet, Henricus Rex) *ſumigauit Cantuaria, hoſtium eius immanißimum, nempe, Regem Scotorum, in extremis Angliæ finibus, virtus diuina perfundedit: vt merces pij operis non conſequuta ipſum opus, ſed comitata potius videretur; nulliſque ſuper hoc ambigere fineretur.* Hactenus ille. Conſonat Herebertus in vita Sancti, diem Sabbathi notans, addénſque, continuò debellatos cæteros hoſtes: *Nec longa mora, & ciſmarini, & tranſmarini ei rebelles in retiaculum, quod ipſi domino ſuo tetenderant, ceciderunt. Videntes autem ali, tam ſubitò coram Rege manum Domini tam validam, ſiluerunt vniuerſi: & ita ſupra mundi aſſertionem, & ſpem, ex inſperato, & ſubito ſiluit omnis terra in conſpectu eius, & factum eſt in pace regnum eius, Domino ſuper iram inimicorum ſuorum manum ſuam ſic extendente. Quem ſuper inimicos ſuos ſucceſſim talem, & pacem tantùm, & tam perfectam, eò plùs miraculoſam, quò tam citam, omnium animis obſtrmatis aduersùm ſe Rex totam adſtripſit Domino, & glorioſo Martyri Thomæ, cui certiſſimè erat adſcribenda.*

5. Succinctiùs, ſed non minùs luculenter Petrus Bleſenſis ad Gualterum Panormitanum Archiepiſcopum [e]; *Illud quoque*, ait, *noueritis, Dominum Regem glorioſum Martyrem* (ſcilicet, Thomam) *in omnibus negotiis ſuis Patronum habere præcipuum. Eadem ſiquidem die, qua primò tumulum Martyris viſitauit, Regem Scotiæ perſequatorem, & impugnatorem fortiſſimum, captum, vinculis carceralibus mancipauit. Continuatóque deinceps fauor ſucceſſuum, & ope Martyris de vniuerſis hoſtibus glorioſiſſimè triumphauit.* Ita Petrus Bleſenſis Bathonienſis. Atque hæc ingens gloria Martyris Chriſti, nulli alteri fortè poſtponenda, vt hactenus de Rege triumphantis, atque ab eo per mortem extorquentis quæcunque viuens voluit: ſic nunc in Rege de cunctis illius hoſtibus: vt quos irato, ob eius necem, Numine violentos timuiſſet; placato, ſupplices, & Thoma propitiato ad nutum obſequentes experiretur.

e epiſt. 66.

6. Addita tamen alia fortè ſuperior, certè raro exemplo, & quæ Dei manum manifeſtum populis faceret. Vt quorum vincebat corpora, deuinciret affectus, animoſque, neque alios amantes ſui haberet, reuerentiórèſque, quàm eos, quos Regi victos tradidiſſet. Vix poſt hæc quatuor adhuc anni numerabantur, cùm Regnum Scotiæ ipſeruentu eius attritum, quaſſatumque, inſigne illi templum conſecrauit, addito Monaſterio, de quo Hector Boëtius hæc habet ſcripta [f]: *Conſtructum eſt percelebre Monaſterium, nomine Abbirbrot, adium amplitudine magnificentiſſimum, templo omni genere diuitiarum, vaſis aureis, argenteiſque, cultu denique toto pretioſiſſimo, ornatiſſimóque decoratum. Ad hæc reditibus annuis, agróque latiſſimo dotatum... Templi fundamenta D. Thomæ, Archiep. Cantuarienſi, ſacra, ab Vuillelmo Scotorum Rege, qui cum illo magnam puer conſuetudinem habuerat, iacta ſunt, anno circiter ab Orbe redempto M. C. LXXVIII.* Hactenus de victoriis (nam ſic omnes appello) glorioſi Martyris.

f lib. 13.

7. Eiſdem temporibus, ne quod illi deeſſet præmium, vel in hac vita, ſocios exilij omnes, quos habuerat, dignitatis conſortes de Cœlo vidit; cunctis fere ad inſulas vocatis, ad quas ab eius morte ſunt euecti, vt conregnarent, qua poſſent, vel in hoc mundo, quotquot eius ærumnis compaſſi eſſent. Primum locum in his Lombardus obtinet, patria Placentinus; doctrina celebris, qui ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, tituli Sanctæ Mariæ in Portico, ab Alexandro III. creatus eſt, anno M. C. LXXIII. vt habet Chaconius [g], quanuis Baronius ab exilio vocatum tradit. Sequitur Ioannes Saresberienſis, doctrina & pietate celebris, ad Eccleſium

g in Alexandro III.

siam Carnotensem assimptus, non anno M. C. LXXIV. vt crasso errore deceptus scriptit Democharesʰ, & transcriptit Chenutius ⁱ: aliàs nequaquam Thomæ coætaneus fuisset: sed paucis annis post illius obitum lapsis, & fortassis hoc ipso, quem nunc transcribimus. Robertus inde dictus de Foliot, & Reginaldus, filius Ioscelini; alter ad Herefordensem Ecclesiam, alter ad Bathoniensem sublimatus, anno præterito vterque ad Henrici senioris præsentationem. Sequuntur ordine Gerardus, Hugóque, vnus post alium Conuentrensis Ecclesiæ Pastor; inde Gillebertus, creatus postmodum Episcopus Rosensis: & post alios diuersis auctos honoribus, Humbertus vltimus, patria Mediolanensis, primò ad illius Ecclesiæ, mox ad vniuersalis vocatus regimen, Vrbanus III. dictus, qui complet numerum tantorum discipulorum: dignorum sanè, qui instruerentur tanto Magistro; sed & qui, vt compassi patienti Præsuli, ita & eidem triumphanti conregnarent. Hæc pluribus Quadripartita Historia Sancti.

ʰ tom. 2. c. 18. ⁱ in Episcopo Carnote.

8. Cæterùm nos ex antiquo Manuscripto, quod est in Bibliotheca Claræuallensi, cuius habemus authenticum transsimptum, alium itidem socium D. Thomæ referendum putamus nostris Annalibus; non vt cum cæteris ad Pontificatus euectum verticem, qui terrena contempsit; sed vt Cistercium professum cum ipso Sancto, atque in eo vsque ad mortem permansurum. Quin vnicam sororem, quam habebat illustrem virginem, tracturum ad Ordinem, de qua multus suo tempore sermo habendus erit. Hic Anglicus natione, patria Beberlacensis, *haud procul* (vt eiusdem verbis loquar) *ab Himbro flumine magno, vbi, vt Flaccus ait*, fertilis frugum, pecorisque tellus, *aucupio, venatione, piscatu opulentissima est*, nomine Thomas, Hulnone patre, & Siuilla matre genitus, atque iam dudum orphanus, Margaritam habebat sororem vnicam; olim nutricem, sed post annos aliquot alumni sui discipulam futuram obsequentissimam, vt in vno, eodemque subiecto, supet fraternum vinculum & filiale, & paternum experiretur. Quippe natu maiorem annis vndecim, quam in pueritia gerulam habuerat, post longam diuisionem, præstolabatur, per ipsum tandem ad Ordinem trahendam: & quidem de Margaritæ discipulatu, suo loco dicendum: de Thomæ infantia, & pueritia sic ipsa loquitur:

A me nutritus, vndenis me minor annis:
Quem tenerum solco ferre, referre Scholis.

9. Igitur Thomas Beberlaci in Anglia natus, nam Margarita nata Ierosolymis, (vnde & Ierosolymitana dicta, quod post videbimus,) & Philosophicis, atque oratione, prosa, versúque mediocriter imbutus, cùm vtrunque parentem amisisset, & Margaritam sæpiùs adhuc curæ, & maiora pericula manerent, Thomæ, seu Cancellario totius Regni, seu iam creato Cantuariensi Præsuli, seruiturus adhæsit, sub cuius vmbra in vtriusque bonis creseeret, & pro ingenij, & industriæ felicitate gradatim ad officia, & beneficia, aura fauoris flante, proueheretur. Non arrisit fortuna bonis terrenis, Thoma in exilium misso, nec redituro, nisi coronando palma martyrij. Sed quò hæc magis viros deserebant, eò cœlestia affluentiùs prouenêre, doctrina, & mores: in quibus Thomas facilè eminuit, vt ipse post euentus demonstrauit. Omissum in Quadripartita coniector, quia adhuc iuuenem, & soli prouectiores in ea nominabantur. Ast comitatum in exilio Sanctum Pontificem, idem quod suprà Manuscriptum memoriæ prodit: *Explicit*, inquit, *præfatio Domini Thomæ, Anglici, Monachi de Eresmum, qui fuit vnus ex comitibus, & sociis Sancti Thomæ, Cantuariensis Episcopi, dum exularet in Francia.*

Non satis constat de tempore, quo Thomas ad 10.
Ordinem Cistercienscm conuersus est; verùm à Sancti Præsulis Martyrio Monachum factum, inde mihi facilè persuadeo, quòd professus in Cœnobio Frigidi montis, adhæsisse dicatur Sancto Pontifici, quando in Francia exulauit. Quippe potuisset ab eo non discedere, si Pontigniaci habitum induisset: potuisset & ante eius mortem in monte Frigido Monachum profiteri, si per annum ab eo seiunctus esset; probationis, nimirum, indispensabilem. Verùm vtrunque vir potuit cohærere, ni sæcularis viuenti Sancto adhæserit, ab eius transitu Angliam deserturus, atque in Frigido monte conuertendus. Ergo sub hoc tempus, cùm Margarita, quam vnicè amabat, Ierosolymam (natale solum) profecta esset, quò sacrorum locorum veneratio, seu vis aliqua occulta trahebat virginem, per exquisitos labores coronandam; ipse in Galliam reuersus, iam non exul, sæculum simul, patriámque deseruit, atque in Frigido monte Monachum induit, quod vitæ reliquum ibidem peracturus. Sororis eius peregrinationes, & pericula, insignis planè Historia, ac demùm ex consilio fratris professio, & felix obitus, ab eodem Thoma conscripta, suo tempore à nobis prodenda erunt.

---

1. *Sanctus Petrus Tarantasiensis agrotat*, 2. *atque in loco, vbi tacuit, Crux erecta, miracula patrat.* 3. *Bellum Vallem pervenit.* 4. *Moritur*, 5. *& die tertia mandatur sepulturæ.* 6. *De die obitus*: 7. *& varia eiusdem*: 8. *& de translationis illius celebratione.* 9. *Obiit Sanctus Anselmus Kilosensis.* 10. *Cui Nerbus succedit. itidem Sanctus.* 11. *Quibus additus Haimo Sanctissimus.* 12. *Neque minùs venerandus doctrina, quàm pietate.*

CAPVT IV.

1. EVNDEM annum venerabilem fecerunt illustrium trium Sanctorum gloriosi obitus, Petri Tarantasiensis, Anselmi Kilosensis, & Haimonis Sabigniacensis; quæ tria Luminaria hactenus mundo, nunc iam Cœlo inferenda Cistercium protulit; de quibus nobis seorsim dicendum erit. Et quidem magni illius, & Solis instar Tarantasiensis Præsulis pretiosam in conspectu Domini mortem, quam à Gaufrido ipsius Vitæ Authore triennio anticipatam palàm ostendimus, hoc tandem anno contigisse testatur Ægidius de Roma, Dunensis Monachus, in Chronico, quod ab initio mundi concinnauit. *Anno*, inquit, *M.C.LXXIV. Sanctus Petrus Tarantasiensis obiit.* Hæc tantùm ille: quibus consonat Robertus Abbas Montis [a]; quin & ipse Gaufridus Altæcumbæ [b], dum tradit canonizationi S. Bernardi, cui Altare dicauit, superuixisse. Quanuis in numero annorum, quibus

[a] *ad hunc annum.*
[b] *infrà citandus.*

texit Ecclesiam Tarantasiensem, plus nimio hæreat: vnde forsan errorem passus est in anni, quo decessit, supputatione. Quidquid fuerit, sacram eius mortem, quibus ipse refert verbis, tradere libet [c].

c c. 41. apud Sur.

2. *Tricesimum tertium annum, partem, videlicet tertiam numerorum, quos laua continet in Pontificatu, Vir Beatus implebat, & partibus ei duabus reliquis parcens, filium dextera transferre dissonebat ad dexteram diuina vocatio. Nam & numerum ipsum creditur consecrasse Saluatoris ætas in carne. Accedentem igitur ad Cœnobium Bella Vallis, in Chrysopolitana diœcesi constitutum, ardor febrium violentus inuasit; & iuxta vicum proximum, qui Domini Martini dicitur, aliquandiu requieuit. Vbi postmodum ab incolis signum Crucis erectum, & fideliter quamplurimis imploranti-bus agris, præstita prædicantur remedia sanitatum.* Ita, nimirum, disponente diuina gratia, vt Petri iam ad Patrem transituri, non solùm corpus, vt in aliis Sanctis solet; sed locus, vbi steterunt pedes eius, patraret miracula: & signo Crucis, victoriæ trophæo, erecto, malè impressa vestigia, quondam viuentis, beneficia post mortem continuarent. Pergit Author de aduentu eius ad Bellam Vallem, præelectam custodiam Reliquiis sacris [d].

d vbi sup. à.

3. *Peruenienti demum Antistite sacro ad Monasterium, congregatio omnis exultauit in gaudio, & per loca vicina de ipsius aduentu celebris, & iucunda admodum fama percrebruit. Ægritudine tamen eius audita, qui multorum ægritudines suis orationibus depellebat, metus ingens, & mœror subiit, omnes pariter occupans intus, & foris. Quos supra vires, iámque deficientis corpusculi animus consolabatur inuictus, solita benignitatis, & hilaritatis gratiam singulis exhibens, suam dissimulans ipse fixuram. Cuius omnis semper actio, omnis affectio, & ipse totus humilitas, & deuotio, totus charitas, & compassio fuit.* Hæc de ægritudine, per quam Vir Dei vltimò defæcandus, poliendúsque ad cœlestes introiturus nuptias præparabatur. At de introitu, breuiùs quàm pro materia.

4. eibid. seq. *Interea*, ait [e], *Solemnitas Inuentionis Sanctæ Crucis aduenit, in qua Dominus disposuerat eiusdem Crucis fidelissimum adoratorem, feruentissimum amatorem, præconem sedulum exaltare. In qua etiam tricesimustertius annus à susceptione electionis impletus est, vt dies nulla superexcresceret, nulla deesset, & forsitan minus id fuerat attendendum, nisi quia Saluator quoque, vt quidam sapiunt, ipsum sibi numerum à conceptione ad Passionem vsque complenit. Præuenerat autem dominicis Sacramentis exitum præmunire, quorum fuerat multo tempore deuotissimus executor. Omnibus tandem ritè completis, in medio psallentium, & orantium filiorum, quibus paterna benedictionis hereditatem legauerat locupletem, feliciter est appositus ad patres suos.* Ista Gaufridus de morte pretiosa Præsulis Sancti, ad quam multos, tam Ecclesiasticos, quàm sæculares, ex omni circum circa regione conuenisse; sed multò plures ad exequias eius affirmat, vix numerabiles præ ipsa multitudine.

5. Verùm quàm celebres, quámque diuturnæ fuerint, siue insatiabili assistentium pietate, quos vel aspectus delectabat sacrorum pignorum; siue superuenientium deuotione vsque ad biduum protractæ; &, si licuisset, diutiùs protrahendæ, idem qui suprà Author his verbis tradit [f]: *Excubias ergo pervigiles circa sacratissimum corpus, diebus, noctibusque duabus, in psalmis, & canticis spiritualibus celebrarunt. Tertio demum die, ab Archiepiscopo Chrysopolitano [g], per ipsius opem, & operam iam Catholico, cum Abbatibus plurimis, coram sacro Altari, in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis dedicato, sepultus corpore, virtutibus viuere comprobatur.* Virtutibus, inquam, id est, miraculis, quæ ad sanctum sepulcrum increbruisse, etiam per longum tempus, teste Roberto Montis, superius vidimus. Quippe scribente post annos quadraginta, & nihilominus affirmante [g], *suis temporibus glorificari Deum per Sanctum Præsulem, in signorum, & miraculorum exhibitione.* Iongelinus Epitaphium sepulcro superpositum, distinctum quatuor versibus, adducit, ex Bella Valle, vt ait, à se transmissum: sed quod, dum mortem Sancti anticipat, vt Author Vitæ eius, recentius quàm sepulcrum esse apparet, aut fallunt coniecturæ, quas suprà dedimus. Atque ecce Epitaphium:

g ad hunc an.

Stirpe Viennensis fuit Abbas Stamedensis,
Maximus Alpensis, Præsulque Tarantasiensis:
Anno milleno centeno septuageno
Primo, transiuit ad Cœlos Petrus, & init.

Hæc carmina, insulsa quanuis planè, insipidáque, annum nobis persuadere, quem notant, possent, si non aliunde argumentis grauioribus verosimiliùs contrarium appareret. Certè, si in vltimo versu, *quartum*, pro, *primo*, legas, constabit vtrunque: vt credi possit, benè notatum annum, cùm Sanctus obiit, ex eius Vita posteà ab aliquo bona fide correctum esse.

Incidit sacer obitus Pontificis in diem octauam Maij, quæ in Martyrologio Romano, Molaníque, & aliis commemoratur: sequentibus Authorem Actorum eius, qui octauo Idus Maij migrasse tradit. Vnde obiter corrigendus Equilinus, duplici errore lapsus, vtroque crasso; altero, quo sepultum Tarantasiæ in Cathedrali Ecclesia Sanctum affirmat; altero, quo recenset inter eos, quorum natales dies ignorantur. Verum est tamen, dubitatum ab aliquibus de hac eadem die, nec leui, quod ingenuè fateor, fundamento: quippe in Rubricis Breuiarij Cistercien sis, in eius Festo, octaua Maij notato, festiuóque, ab Hymno Confessorum, qui cani solet, amputari præcipitur ille versus, qui annuersariam designat obitus, seu natalis celebrationem: 6.

Anni recurso tempore,
Dies reluxit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Polum migrauit præpotens.

Qui tamen pro his tantùm aufertur, qui diem variant, quod tomo primo, de Sancto Roberto agentes, latiùs vidimus. Sed hæc Rubrica prudenter primùm inducta, occasione, quam statim declarabo, mox per incuriam continuata correctionem aut petit, aut expectat.

Quis Petrum Pontifex canoni adscripserit, non lego apud antiquos. Constat, Lucium, Alexandri successorem, Cistercij, & Clarævallis iam tum Abbatibus, Guillelmo, Henricóque, in mandatis dedisse, vt vitam Sancti, & acta, atque miracula scribenda curarent: quod illi per Altæcumbæ Abbatem Gaufridum, virum pium, & doctum, & loco aliàs vicinum, sunt executi. Sic etiam habet eiusdem Vitæ titulus [h]: *Vita Sancti Petri, Archiepiscopi Tarantasiæ, Authore Gaufrido, Abbate Altæcumbæ, cui eius scribendi negotium datum fuit à Cisterciensi, & Clarævallensi Abbatibus, cùm Lucius, Romanus Pontifex, illis mandasset, vt eam conscribendam curarent.* Quanuis hoc idem mandatum ab eodem Pontifice, non his Abbatibus, sed eorum successoribus iniunctum, sunt, qui existiment, vt suo loco infrà memorabo. Constat item, circa annum M. C. X C I I. elenatum à terra sacrum corpus, translatúmque ad decentiorem locum 7.

h apud Surium Maij 8.

mense

mense Septembri. Quo ipso anno sacrum eius Festum celebrari iubetur, edita lege in Capitulo Generali sub hoc tenore: *Quarto Idus Septembris, &c. in territorio Bisuntinensi, Monasterio Bellæ Vallis, Sancti Petri Episcopi, & Confessoris Officium, sicut de Sancto Malachia agatur.* Itaque non in die obitus Sancti, sed translationis cœpit celebrari. Verùm, cùm quatuor anni processissent, Cælestino huius nominis III. vices Christi gerente, ipsóque præcipiente, mutata Festiuitas, & dies obitus Sancti solennis habitus, noua diffinitione super hoc lata, anno M. C. XCVI. cuius hæc verba: *Festum Sancti Petri Tarentasiensis de mandato Domini Papæ transfertur vsque octauo Idus Maij.* Hinc factum est, quod promisimus notandum, vt versus Hymni, *Anni recurso tempore*, ab Officio sublatus, primùm ex re, celebrata, nimirum, translatione; mox celebrato natali, per errorem perseueret vsque in hunc diem, & potuit error facilè irrepsisse, seu continuato ritu semel cœpto, etiam post Festum translatum ad diem propriam, seu translationis nomine addito, minùs ad rem, quàm ad ipsum attenderetur.

8. Eleuationis, siue translationis corporis Sancti meminère Martyrologia Monastica Arnoldi Vvionij, & Hugonis Menardi Septembris sexto. Gaufridus tertio Idus eiusdem mensis celebratam testatur. Nostris decima dies celebris fuit, quanuis statim cessura diei obitus: quam differentiam, vt obiter notandam, ita non discutiendam, alij absoluunt. In libro diffinitionum Ordinis, cum Officio, ex historia propria sumpto, celebrari permittitur per totam generationem Bellæ Vallis, & Bonæ Vallis; huius vt genitricis Sancti Pontificis: illius, vt quæ sactis eius exuuiis condecoratur. Quin & commemoratio per dies singulos ad Vesperas, & Laudes, velut frequenti inuocatione cultus, frequentiora subsidia collaturus. Brachium illius dextrum Cistercium habet: corporis frusta plures alias Ecclesias per Orbem ditant; dubium quando obtenta: reliqua Bellam Vallem beatam faciunt, thesauro indeficienti, quia cœlesti: adeóque non minuendo, quanuis diuiso. Atque hæc satis de glorioso Patris obitu, veneratione: nunc iam de Haimone, atque Anselmo, si quid habemus, paucis apetiamus.

9. Et quidem de Anselmo, primo Kilosensi Abbate, continuasse ad hunc annum vitam cum præfectura, inde coniector potiùs, quàm affirmo, quòd Sanctum Nerbum, eius successorem, in eo creatum lego in Scoti-Chronico [k], vnde sumpsit Demsterus, his planè verbis [l], quæ obiter aliqualem vtriusque notitiam dabunt: *Sanctus Nerbus, Monachus Meitrosensis, Abbas celebris Cœnobii de Kilos, ordine secundus, successit Sancto Anselmo Scoto, qui primus loci regimen moderatus, vir monastica vitæ addictus, & disciplinæ religiosæ, vltrà quàm dici possit, studiosior.* Et paulò inferiùs. *Creatur Abbas anno M. C. LXXIV.* Ita Demsterus, quod alibi etiam ab eo notatum video; atque obiter Priorem, virum doctum, Rogerum de Monte Roso, quem putat præfuisse sub Sancto Nerbo: *Cùm Sanctus Anselmus*, ait [m], *primus Abbas* (scilicet, Kilosensis) *obiisset, Sanctus Nerbus ei successit; & hic noster* (nempe, Rogerus) *sub eo Prioratum administrauit.*

Hæc ille: nec nos pluta de Anselmo; nisi quòd ex titulo Sancti absolutè prolato, ac toties repetito, licet colligere. 10.

Sancti Nerbi miracula narrantur; & inter alia [n], *Quòd duos viatores, & ad loca Scotiæ sanctiora peregrinantes occisos, seu mutuo conflictu, sine à viarum obsessoribus, ad vitam reuocauit, dum confiteri, & sacram Synaxim percipere digne possent: quare peregrini per Scotiam eum inuocabant.* Itaque habebatur Aduocatus peregrinorum, quandiu non peregrinum ab Ecclesia Regnum Scotiæ, Sanctorum merita, & pias ad Deum preces venerabatur. Coniunxit Nerbus sanctitati doctrinam, atque vtrique indústriam haud contemnendam. Quarum priorem testabatur cultus post mortem illi exhibitus, anniuersaria, vt Scoti-Chronicon habet [o], festiuitate, ad quartamdecimam diem mensis Aprilis. Secundam liber ab eo elaboratus, de legibus Claustri, cuius Demsterus [p], & alij meminêre. Ac tandem tertiam, *Claustrum Monasterij, quòd extruxit de nouo, atque firmauit*, vt idem Demsterus ait, *muro addito.* Hæc de hoc Sancto semel dicta sint, non vltrà forsan nobis repetendo.

11. Vltimo loco Haimo recensetur, Archiepiscopo cedens, & Abbati, de cuius sanctitate superiùs multa, queis alia quædam breuiùs superaddam. Annum obitus designauit Robertus Montis, eius temporis Scriptor, qui millesimo centesimo septuagesimo-quinto hæc habet verba: *Obiit etiam anno superiori Haimo de Landicopio, Monachus Sabigniaci, qui propter Religionem, & bona opera in pauperes, charus erat Deo, & hominibus.* Hæc de tempore: quanuis sint, qui annum anticipent. Diem Philippus Seguinus adnotauit, Aprilis vltimam, quannis penè cum die eleuationis coincidentem, quæ prima die Maij est celebrata, meritò quis suspectam habere possit. De cœlestibus donis Viro creditis, euchentibus ipsum supra mortalem, hæc idem Author, ex Archiuiis Cœnobij Montis Regalis: *Multarum ille visionum gratiam à Deo percepit. Secreta cordium occultissima cognouit: suis precibus morbos insanabiles curauit, multósque graniores excessus offensa intrinsecùs inuolutos, suarum orationum instantia, à peccati voragine ad salutem reuocauit. Diem mortis suæ, Deo permittente, multò antè præscijt. Miranda de hoc Sanctissimo viro leguntur, quæ non sunt huius Operis enarrare. Eius vitam Monachus quidam Sauigniaci stylo venusto conscripsit.* Ita Seguinus, & ex eo Henriquez in Menologio.

12. Hugo Menardus sanctitati doctrinam addit, cuius hodie, quæ extant monumenta, duodecim non minùs Voluminum complentia paginas, quæ hactenus leguntur in Sabigniaco: *Haimo*, inquit [r], *fuit Monachus Sabigniacensis, magnæ sanctitatis, & doctrinæ, cuius Opera extant in Bibliotheca Sabigniacensi duodecim voluminibus contenta.* De eleuatione sacri ipsius corporis, vnà cum aliis Abbatum, & Monachorum eiusdem Domus, per Episcopos Cenomanensem, Abrincensem, & Redonensem facta, superiùs dictum, nec vltrà nobis venit repetendum. De eo Ioannes Abbas in Catalogo, & quotquot alij post ipsum scripsere. Plura alia nos proferre de sanctis Viris noluere maiores: quibus faciendis insistere in gloria, facta memorare, in contemptu plerunque fuit.

k lib. 8. c. 15.
l lib. 14. fol. 36.
m lib. 12. fol. 491.
n ibidem ibid.
o lib. 8. c. 15
p vbi supra
r in Martyrol. Monast.

1. Guarinus Pontigniaci Abbas in Archiepiscopum Bituricensem eligitur. 2. Ratio temporis, & electio successoris. 3. Richardus in Anglia quatuor ex Suffraganeis Præsules consecrat. 4. Ibidem Clericus Iudæam virginem stuprans, 5. & comprehensus, ac liber per miraculum, 6. sacro fonte ablutam duxit vxorem. 7. Demum vterque Cistercium profitetur. 8. Ludouici, Lantgrauij mors. 9. Filij eius damnabilis curiositas. 10. Horrenda visio, 11. & occasione eius, conuersus Clericus.

CAPVT V.

1. INTER hæc, cùm per obitum Stephani, Archiepiscopi Bituricensis, ex Abbate Dolensi, tres fermè annos Ecclesia illa vacasset, neque inter Electores conueniret, quis tandem illi dignè subrogaretur, vniuersæ Aquitaniæ præfuturus; optatis votis omnium dies tandem illuxit: & Guarinus, tertius Abbas Pontigniacensis, qui Guicardo successerat, communibus suffragiis electus est, ad tantæ Sedis fastigium sublimandus. De qua electione hæc habet Robertus Montis [a]: *Guarinus de Gesordin, Abbas Pontigniacensis, factus est Archiepiscopus Bituricensis. Sicut Abbas, qui idem Monasterium ante ipsum rexerat, factus fuerat Archiepiscopus Lugdunensis.* Ita ex tribus Pontigniaci Abbatibus, quos hactenus habuerat, primus assumptus ad Altisiodorensem, dudum ex ea ad cœlestem Sedem conscenderat. Duo alij in carne adhuc degentes, alter Lugdunensem, alter Bituricensem Archiepiscopatus administrabant, & præstolabatur tursùs Altisiodorum Guarini successorem, quanuis ante consecrationem (heu!) rapiendum, vt suo tempore etiam memorabimus.

[a] *ad hūc ann.*

2. Coincidisse electionem Guarini cum obitu gloriosi Sancti Petri, atque vtrumque, in hoc anno, Ægidius de Roma scripsit in suis Chronicis [b]: *Anno*, inquit, *M.C.LXXIV. Sanctus Petrus, Archiepiscopus Tarentasiensis obiit. Eodem anno Dominus Guarinus, Abbas Pontigniacensis, Archiepiscopus Bituricensis efficitur.* Consonat, quod ad Guarini promotionem, Chronicon Autisiodorense, incerto, sed antiquo, & graui authore, cuius hæc verba [c]: *Anno M.C.LXXIV. Guarinus, tertius Abbas Pontigniaci, tam religione clarus, quàm genere, ad Bituricensem Archiepiscopatum promouetur.* Eadem habet recens author Biturix [d], nonnulla alia addens, quæ suis locis à nobis dicenda erunt. Guarinum Pontigniaci excepit Guarmundus, vir æquè nobilis, nec minùs religiosus, de quo Vincentius in Speculo historiali [e]: *Ægidius de Torneuallis procurat negotia Regni, frater Roberti de Monte, qui fuerat tutor Regis* (scilicet Franciæ) *prouidus & fidelis. Horum frater Guarmundus, Abbas Pontigniacensis*, &c. Præfuere vterque Bituricis Guarinus, atque Pontigniacensibus Guarmundus, octo circiter annis plùs, minùsve. Portò, quæ in eis Historia digna gesserint, suis locis ex more reddenda erunt.

[b] *eod. anno.*

[c] *ad hunc an.*

[d] *Ioann. Chenu.*

[e] *lib. 28. c. 35.*

3. Hoc item anno Richardus Cantuariensis, quem superiori ab Alexandro III. sacratum diximus, quatuor ipse Episcopos sacrauit; suæ Prouinciæ Ecclesiis, dudum viduis, omni cura & studio pronisuros. De his Harsfeldius [f] ex Matthæo Paris, & alij: *Reuersus* (scilicet, à Romana Curia) *sacratus ipse, atque pallio ac primatu donatus, & legatia, reuersus, inquam, Vintoniensem, Eliensem, Herefordensem* (*atque hunc ex familia S. Thomæ*) *& Cicestrensem Episcopos consecrat.* Portò qualiter sequenti anno Richardus Prouinciale Cõcilium Cantuariæ coëgerit, & quæ in eo pro reformatione Cleri sanxerit, cum aliis, quæ concernunt eius Historiam, ex Annalib. Angliæ infrà referemus.

[f] *sæculo 12.*

Sub idem tempus auxere Cistercij numerum, vir, vxórque, quos semel admissum stuprum ad confugium priùs, imò illam ad veram fidem ex Iudaismo, sed mox vtrumque traxit ad Religionem. Historiolam raram, iucundamque, & Dei clementiam haud exiguè manifestantem, Cæsarij Heisterbacensis verbis [g] his Annalibus dignam accipiat Lector: *In ciuitate quadam Angliæ, puella quædam habitauit, Iudæi cuiusdam filia, & secundum genus suum satis speciosa. Hanc iuuenis quidam Clericus, Episcopi eiusdem ciuitatis cognatus, & Ecclesiæ maioris Canonicus, vt vidit, concupiuit; & verbis amatoriis ad consensum suæ libidinis, cum multo labore inclinauit. Ad cuius amplexus dum aspiraret, & nimiis incendiis æstuans, eam quotidie ad commixtionem sollicitaret; respondit illa: Patri meo multùm sum dilecta, qui in tantum custodit me, vt neque ego ad te, neque tu possis venire ad me, nisi in nocte sextæ feriæ, quæ Pascha vestrum præcedit; tunc enim Iudæi laborare dicuntur quadam infirmitate, qua fluxus sanguinis dicitur; circa quam occupati, aliis tunc minùs intendere possunt. Iuuenis hæc audiens, & ob ameris nimietatem pènè ratione carens, oblitus Christianæ Religionis, immemor Dominicæ Passionis, nocte eadem ad virginem venit, & vsque ad matutinum cum illa dormiuit.*

[g] *lib. 1. Dialog. cap. 24.*

4.

5. *Iudæus verò, pater puellæ, ante lucem, cum lumine cubiculum intrans, venit ad lectum filiæ, volens videre, quomodo iaceret, vel si forte operiri necesse haberet; vidénsque ad latus eius iam dictum iuuenem cubantem, expauit, & infremuit, vtrumque occidere cogitans: cognoscens tamen, quod esset cognatus Episcopi, timore illius manum cohibuit, & cum multa ira clamauit: Quid facis hic, ô male Christiane? vbi est fides tua? vbi est Religio tua? Traditus es iusto Dei iudicio in manus meas. Si non timerem Dominum meum Episcopum, modò occiderem te. Ille timens, & veniam postulans, cum maxima confusione erectus est. Die eadem, cùm Episcopus solemne Officium ad Nonam esset celebraturus, & iuuenis idem, vtpote hebdomadarius, Epistolam lecturus, timuit cum tam immunda conscientia ad sacrum ministerium accedere: & timuit propter notam alteri vices suas die tali committere: timuit tam turpe peccatum, tam recenter per confessionem alicui aperire: & cùm victus erubescentia sacris vestibus indutus coram Episcopo staret in loco suo, supradictus Iudæus multitudine Iudæorum stipatus, cum magno strepitu intrauit Ecclesiam, Episcopo de cognato suo facere volens querimoniam.*

6. *Quem vt iuuenis vidit, & benè intelligeret, ad quid venisset, cœpit timere, pallere, tremere, & dicere: Domine Deus, libera me in hac hora: & ego tibi promitto, quòd de cætero te non offendam; imò de hoc peccato tibi satisfaciam. Creator piissimus, qui odit culpam, & diligit naturam, mox vt hominem contritum vidit, confusionem, quam timuit, in caput infidelium conuertit. Mirante Episcopo, quid quærerent Iudæi in Ecclesia, maximè tali die, quando Christiani repræsentant Domini sui Passionem, annuit, vt starent. Illis amplius se eius præsentiæ ingerentibus, statim vt ora ad Clerici accusationem aperuerunt, priu-*

ati

vati suis vocibus, omnes obmutuerunt. Videns Episcopus erat Iudæorum contra se blasphemia, & nulla verba ex eis responsuia, putans, quia ad hoc venissent, vt diuinis mysteriis illuderent, cum indignatione omnes de atrio Ecclesiæ exire illi præcepit. Clericus verò diuinam in se expertus clementiam, statim completo Officio, accessit ad Pontificem, confessus est culpam, suscepit pœnitentiam. Episcopus Dei misericordiam admirans, & glorificans, tum pro magnitudine miraculi, tum pro pœnitentia cognati, eidem suasit, ac persuasit, vt puellam à se defloratam, per Baptismi gratiam renouatam, legitimè duceret, malens illum, sicut vir pius, & iustus, ecclesiasticis carere beneficiis, quam illam multis expositam periculis in paterno manere delictis.

7. Hæc de puella ad fidem primùm conuersa occasione peccati, quæ est abyssus diuinæ prouidentiæ, mox coniugio donata nobilis iuuenis, qui tam non tam vt illa frueretur, quam vt ipsi consuleret, semel à se defloratam, ducendam censuit. Ast post aliquod tempus mutato animo, forte & susceptos liberos, quibus, quæ possidebant bona, relinquerent, vtrumque simul ad Ordinem vocatum pergit Cæsarius scribere in hæc verba: *Clericus non ingratus diuinis beneficiis, satisfacere cupiens Deo pro peccato commisso, conuersus est postea in Ordine nostro, similiter & eius instinctu puella.* Hactenus de conuersione ista Cæsarius: in qua si quid apocryphum misceatur de fluxu sanguinis, quem feria sexta in Parasceue Iudæi perpeti solent per annos singulos, nequaquam eneruate puto fidem Historiæ, siue aliquando signum in gente visum, seu rumore vulgatum, quantumuis falso, timorem inculserit maximè genti superstitionibus obnoxiæ, & pronæ in metus, atque illic etiam inuenerit, vbi non est timor. De alia Iudæa Rachele, mox Catharina, ad Ordinem conuersa, atque multis virtutibus ornata, dicam in tempore.

8. Nunc Clerici cuiusdam conuersionem, occasione artis magicæ, cui ab infantia dedimus, qua fide idem Cæsarius à Conrado, Heisterbacensi Monacho, & nos ab ipso accepimus, reddamus: aliquantò fortassis anteriorem; sed cuius annus latet; atque hactenus à nobis omissa fuit. Ergo, quæ de ea Cæsarius, ita se habent [b]: *Narrante mihi sæpius nominato sene, Monacho nostro Conrado, qui penè centenarius est, cuius suprà feci mentionem, didici, quod refero: ipse quidem de Thuringia oriundus, & in armis ante conuersionem exercitatus, multa nouit de actibus Ludouici Langrauij, de quo supra cap. 27. longam texui narrationem. Hic, cum moreretur, duos filios reliquit hæredes, Ludouicum, scilicet, qui in prima expeditione Ierosolymitana, quæ facta est temporibus Friderici Imperatoris, defunctus est, & Hermannum, qui eidem in Principatu successit, qui nuper obiit. Ludouicus verò, qui satis erat tractabilis & humanus, &, vt verius dicam, ceteris tyrannis minùs malus, tale edictum proposuit: Si modo aliquis esset, inquit, qui veris indiciis vera mihi de anima patris mei dicere posset, bonam cortem à me reciperet.*

9. *Audiebat hæc miles quidam pauper, qui fratrem habebat Clericum in Necromantia quandoque satis expeditum, cui cum verba Principis indicasset, respondit ille: Bone frater, Diabolum aliquando per carmina vocare consueui; & scisciabar ab illo, qua volui: diu est, quòd eius colloquiis, artibúsque renunciaui. Instante milite, opportunè, importunè ad memoriam ei reducens propriam paupertatem, promissimque honorem, precibus eius tandem Clericus victus, Damonem vocauit: vocatus, quid vellet, inquisiuit: respondit Clericus: Pœnitet me tanto tempore recessisse à te: in indica mihi, obsecro, vbi sit anima Domini mei Langrauij. Ait Damon: Si vis mecum pergere, ego illum tibi ostendam. Et ille: Libenter illum viderem, si sine periculo vitæ meæ illum videre possem. Cui Diabolus: Iuro tibi per Altissimum, & per tremendum eius iudicium, quia si fidei meæ te commiseris, incolumem te illuc ducam, hincque reducam. Penes Clericus propter fratrem, animam suam in manibus suis, collum Dæmonis ascendit, quem infra breue tempus ante portam Inferi deposuit.*

10. *Introspiciens Clericus contemplatus est loca nimis horrenda, pœnarúmque diuersa genera, & Dæmonem quendam aspectu terribilem super operculum putei residentem. Clericus vt hæc vidit, totus contremuit; & clamauit Dæmon ille ad Dæmonem baiulum: Quis est ille, quem venes in collo: adduc eum huc. Qui respondit: Amicus noster est: & iuuauit ei per virtutes tuas magnas, quia eum non lederem; sed animam Langrauij Domini sui ostenderem, sanúmque reducerem, vt omnibus suam immensam prædicet virtutem. Ille verò statim operculum igneum, cui insedit, amouit, & tuba ænea putei immissa tam valdè buccinauit, vt videretur Clerico totus tremere mundus. Post horam, vt ei videbatur, nimis longam, putei eructante flammas sulphureas, Langrauius inter scintillas ascendentes simul ascendens, videndum se Clerico collo tenus præbuit, ad quem ait: Ecce præsto sum miser ille Langrauius, quondam Dominus tuus; & vtinam nunquam natus. Cui Clericus: Missus sum à filio vestro, vt ei renunciare possim de statu vestro: & si in aliquo potestis iuuari, mihi dicere debetis. Respondit ille: Statum meum benè vides: hoc tamen scias, quia si filij restituere vellent tales possessiones talium Ecclesiarum, (propriis nominibus eas exprimens,) quas mihi iniustè vsurpaui, & sub titulo hereditario ipsis reliqui, magnum animæ meæ conferrent remedium. Cui cùm Clericus diceret: Domine, non credent mihi. Respondit: Ego dicam tibi signum, quod nemo nouit præter me, & filios meos.*

11. *Accepto signo, & Langrauio, eo vidente, puteo immerso; per Dæmonem reductus est: qui, licèt vitam non perdiderit; ita tamen pallidus & languidus rediit, vt vix agnosceretur. Verba patris filiis retulit, signa ostendit: sed modicùm illi profuit. Non in hoc consentire voluerunt, vt possessiones restituerent. Respondit tamen Ludouicus Langrauius Clerico: Signa cognosco: patrem meum te vidisse non dubito: propositum tibi præmium dare non renuo. Ad quem ille: Domine, cortis vestra vobis manent; ego cogitabo quid animæ meæ expediat. Relictisque omnibus factus est Monachus in Ordine Cisterciensi, contemnens omnem laborem sustinere temporalem, dummodo pœnam euaderet æternam.* Hactenus ex relatione Conradi Senis, Cæsarius. In qua tamen, quod Langrauius dixisse fertur; ex restitutione quarundam Ecclesiarum, ingens sibi subsidium conferendum, piè, & catholicè intelligendum est, vt vel Langrauius purgandus, non damnatus in pœnis esset; vel diabolica fuerit hæc illusio, non quærentis remedium damnati hominis, cui nulla posset ope subueniri; sed culpam successorum aggrauantis, qui vel moniti de paterna damnatione, quæ forent corrigenda, non emendarent. Nisi fortè deceptioni permissus est, quò vehementiùs doleret, dum crederet, per filios suos stare, quominùs ab illis tormentis liberaretur.

[b] lib. 1. c. 34.

1. Alphonſus Rex à Priore, & Fratribus Hoſpitalis Ieroſolymitani, 2. Matamplanam redemptam, 3. Tello, & Guntrudi ædificandam tradit: 4. qui Criſta Monachos ſub Abbate Roberto ibidem collocant. 5. Donatio loci, 6. ſub Regiâ protectione, 7. abdicatis Guntrude, Tellóque, 8. eas abdicationi ipſi ſubſcribunt. 9. Tum tota hiſtoria conſtans per inſtrumenta. 10. Roberti ſanctitas, & Alphonſi magnificentia. 11. Conſtructio noui templi, 12. donariáque, 13. atque ſepulcra, & alia remiſſiuè.

CAPVT VI.

1. QVAM Tomo præcedenti tot ante annos Chronologia commemorat, Eccleſia Mataplanæ, hoc tandem, mundo primitùs oborta illuſtrauit Ciſtercium, Hiſpaniámque in veteri Caſtella, tertio lapide ab Emerita Auguſta (vulgò, *Medina de Rio ſeco*) quinto à Vallifoleto (inſigni vrbe, & noſtro hoc ſæculo Curia Philippi III.) in Palentina diœceſi, in qua etiam notatur in libris Cameræ, exigua licet ſexaginta florenorum taxa præfixa. Cæterùm, quod ad tempus attinet, quam nobis facem in cunctis prælucere, quoties datur, curamus, teſtem habemus antiquum inſtrumentum commutationis eiuſdem loci pro loco de *Alcubilla*, ad ripas Eſgueuæ, à Priore Hoſpitalis, Fratribúſque, circa annum Chriſti M. C. L X X I. ad quem vſque ſub eorum dominio manſerat. Vt palam fit, vt minimum, ante illum, hoc eſt, X X I. poſt notatum in Chronologia admittere Ciſtercium non potuiſſe; ob quod nos in hunc locum reſeruauimus. Portò inſtrumentum ipſum tranſactionis, quod hodiéque ſeruatur in Mataplana, tum ſitum loci, tum terminos deſcribens, ad litteram tranſcriptum hæc habet verba [a]:

a ex Tabulario Mataplanæ.

2. *Notum ſit omnibus, tam preſentibus, quàm futuris, quod ego Aldephonſus, Dei gratia Rex Caſtellæ, & Toleti, vna cum vxore mea Aleonor, Regina, & cum filia mea Infantiſſa Berengaria, dono in cambium, & concedo Ieroſolymitano Hoſpitali, & vobis Domino Petro Arias, eiuſdem in Hiſpania Priori, Alcubillam, quæ eſt in valle de Eſgueua, totam integram, cum ingreſſibus, & egreſſibus, cum terminis, & fromariis, cum terris, vineis, cultis, & incultis, cum paſcuis, pratis, hortis, ſaltibus, & deſeſſis, & cum aliis directuris, & pertinentiis ſuis iure hereditario in perpetuum habendam, & irreuocabiliter, vobis, & Fratribus veſtri Ordinis poſſidendam, pro omni illa hereditate, & omni illo iure, quod Ieroſolymitanum Hoſpitale, & vos habetis in Mataplana, quæ eſt in Alcor, inter Montalegre, & Villam albam, & Villum viridem ſita: quod ius, & hereditatem cum omnibus directuris, & pertinentiis ſuis, mihi, & ſucceſſoribus meis iure hereditario habendam, & ſemper poſſidendam accipio: ita quòd vos de ſupradicta Alcubilla, & ego de prædicta hereditate de Mataplana poſſimus facere, quicquid nobis placuerit. Facta charta apud Ramegal, Æra M. C. C. I X. nono Kalend. Septembris.* Hactenus inſtrumentum commutationis.

3. Non ſatis conſtat, an Alphonſus Rex locum condendo Cœnobio comparauerit. Illud compertum, triennio vix exacto, cùm illuſtrem victoriam de Sancio, Rege Nauarræ, reportaſſet; & receptis, quæ puer loca amiſerit, victricia ſigna Pampilonem vſque duxiſſet, Tello Petri, & Guntrudi tradidiſſe coniugibus illuſtribus: haud dubiè quin, vt quod ipſe non poſſet, præpedientibus bellis, illi præſtarent: & conſtructa Abbatia adducerent Monachos Ciſtercienſis Familiæ, per quos & de acceptis beneficiis humiles Deo, & Bernardo gratias redderet, & pro accipiendis (nam multa adhuc ſperabat, accepitque) gratos ad eos haberet interceſſores. Extat ſimiliter charta traditionis Tello, & Guntrudi, facta ſub hoc initio [b]: *Ego Alphonſus, Dei gratia Hiſpaniarum Rex, vna cum vxore mea Aleonor, Regina, facio chartam donationis vobis, Tello Petri, & vxori veſtræ Guntrudi, & concedo meum infantaticum, quod habeo in Mataplana, quod iacet inter Empudiam, & Montemlatum, videlicet, illam hereditatem, quam ab Ieroſolymitano Hoſpitali, & eiuſdem in Hiſpania Priore in concambium accepi, &c. Facta charta Burgis, tunc temporis, quando Illuſtriſſimus Rex Alphonſus Regem Nauarræ deuicit, & Pampilonem vſque peruenit. Æra M. C. C. X I. quarto Idus Nouembris.*

b ex eiſdem Archiuiis.

4. Accepto loco Tellus, Guntrudiſque Eccleſiam conſtruunt, humili primùm opere, in ingens poſtmodum templum ſurrecturam. Tum reliqua neceſſaria Monachis parant, & diſpoſitis omnibus pro modo temporis, tandem hoc anno Criſtam proficiſcuntur (Eccleſiam Galliæ in Lingonenſi diœceſi, filiam Morimundi, quam tomo primo late memorauimus) atque à Guillelmo illius tunc Abbate Conuentum petunt (errant, qui gloriam hanc vicinæ domui ſacris mœnibus tribuunt, vt mox per inſtrumenta palam fiet) per quem Ciſtercium in loco radicaretur. Ille præſtantem ſanctitate virum, Robertum nomine, in Abbatem deſignat, & Monachis adiunctis, conuerſiſque pro modo nouæ prolis, ſocium etiam ſe viæ vtriſque præbet: non priùs relicturus charos filios, quàm Regi Alphonſo traderet, per quem, vt per Authorem totius Operis in noua Mataplanæ Eccleſia collocarentur. Tunc Tellus, & Guntrudis, vocato Rege, quem propria pietas acriùs ſtimulabat ad hæc munia præſtanda, maximè in noſtros, locum teſtituit auctum noua colonia. Rex fundationem ratam, & gratam habens, quippe quam ipſe fieri præcepiſſet, abdicatis Guntrude, Tellóque, vt nudis inſtrumentis totius operis, vnicum ſe patronum, & fundatorem nouæ Eccleſiæ conſtituit, litteris expeditis, quas integras tranſcribam pro meo more [c].

c ex eiſdem Archiuiis.

5. *In Dei Nomine. Amen. Regali ſiquidem conuenit Maieſtati benè, & fideliter ſibi ſeruientes donis regalibus ditare. Ego Aldephonſus, Dei gratia Rex Caſtellæ, & Toleti, vna cum vxore mea, Aleonor, Regina, concedo tibi Tello Petri, & vxori tuæ Guntrude, & filiis veſtris ipſam Matamplanam dari Deo, & B. Mariæ, & Domui de Criſta Ciſtercienſis Ordinis, & Domino Roberto primo Abbati Mataplanæ, & ſucceſſoribus ſuis, & Monachis ibi habitantibus, tam præſentibus, quàm futuris, ſecundum Regulam Sancti Benedicti viuentibus: & confirmo Monaſterium de Mataplana eiuſdem Monaſterij Abbati, & Conuentui præſenti,*

semi, & futuro in perpetuum valiturum. Concedo itaque, & confirmo, Domino Roberto primo Abbati Mataplana, & successoribus suis ipsum Monasterium Mataplana, quod Tellus Petri cum vxore sua Guntrude, & filiis suis, cum consilio, & mandato meo vobis dederunt cum omnibus directuris, & pertinentiis suis, cum terminis, & frontariis, cum ingressibus, & egressibus, cum domibus, & solariis, cum cultis, & eremis, cum terris, & aquis, cum hortis, & vineis, cum arboribus fructuosis, & infructuosis, cum riuo, qui venit de Villalba, &c. cum molendinis, pressis, & piscariis, cum montibus, collibus & vallibus ex vtraque parte Monasterij, cum fontibus, qui sunt supra Monasterium in via inferiori versùs Villam albam, &c.

6. *Et placet mihi, & mando, quòd idem Abbas, & successores sui, & Monachi, tam presentes, quam futuri, omnia, qua suprà dicta sunt, iure hereditario in perpetuum habeant, & irrenocabiliter possideant. Et recipio sub custodia, & protectione, atque defensione, & in dominio meo Monasterium de Mataplana cum omnibus rebus suis, tam mobilibus, quàm immobilibus, & de catero sit de omnibus Regibus Successoribus meis, & quòd nullus de genere Telli Petri, & vxoris eius Guntrude, possit ibi accipere prandium, nec seruitium, nec equum, nec mulam, nec aliquod donum, nec inquietare, nec perturbare Monasterium; nec per violentiam, aut superbiam aliquid inde accipere, nec de grangiis, nec cellariis, seu de granis, vel de omnibus rebus suis aliquid inde abstrahere, vel accipere, aut Abbati, vel Monachis, vel Conuersis aliquem in honorem, vel iniuriam, vel percussionem facere. Concedo itaque, & confirmo, vt emanis de propriis denariis, vel de eleemosynis, de comicinis, aut de finibus eorum, tam de Realengo, quàm de benefactura, & infantatico, viginti ingarias terra ad anui vicem, & trecentas arancaras vinearum in Monasterij termino, iure hereditario habendas, & possidendas.*

7. *Et ob maiorem gratiam vobis faciendam mandando precipio, & precipiendo mando, quòd nullus Rex, aut Infans, siue Regina, vel Infantissa, petat, vel extorqueat de vestro, vel à vestris aliquod donum, vel seruitium. Et hanc donationem, & eleemosynam; ne quis hæredum Telli Petri, & vxoris eius Guntrude, aut filiorum eorum, vel aliquis alius possit infringere, vel diminuere, vel aliquo modo inquietare, aut aliquid de omnibus suprædictis ab eis postulare quasi iure hereditario. Et si præsumpserit, iram Dei Omnipotentis plenariè incurrat, & cum Iuda Domini traditore pœnas patiatur æternas: & insuper Regiæ parti mille marabetinos de auro incauto persoluat, & dampnum, quod eis intulerit, duplicatum restituat. Facta charta Burgis, Æra millesima ducentesima decimatertia, mense Decembri, regnante me Rege Alphonso in Castella, & Toleto, qui hanc chartam meæ manu propria roboro, & confirmo.* Hactenus instrumentum Regis Alphonsi.

8. Porrò Tellus, Guntrudáque, cum filiis, prædictæ chartæ non solùm subscripserunt; sed & tenorem eius, quoad ipsos spectabat, confirmarunt litteris expeditis in hunc tenorem:

Ego Tellus Petri, & vxor mea Guntruda, laudantibus filiis, & filiabus nostris, Alphonso Telli, Garsia Telli, & Tello Telli, & Suero Telli, & Tarasia Telli, donamus, & concedimus Deo, & B. Mariæ, & Domui de Crista, & Domno Roberto primo Abbati de Mataplana, & successoribus eius, & Monachis, tam præsentibus, quàm futuris secundum Ordinem Cistercienſem viuentibus, locum præditum Mataplana cum omnibus pertinentiis suis, cum Ecclesiis, & agris, cum omnibus fortibus, qui sunt ex vtraque parte Monasterij, cum pareis, & aliis aquis, cum pratis, hortis, cum vineis, & montibus, cum collibus, & vallibus, qua sunt ex vtraque parte prope Monasterium, & cum grangia de Sandrones, & cum omnibus, qua pertinent ad eam. Et insuper in manu Domini Alphonsi Regis Castella, & Toleti, cuius dono, & gratia prænominata Abbatia fundata est, & in manu omnium Regum successorum eius, reponimus, & commendamus eam, vt ipse quasi suam defendat, & tueatur ab omnibus, vt sit munita & defensa, sicuti in priuilegio Illustrissimi Regis Aldephonsi continetur. Facta charta apud Burgos, sub Æra millesima ducentesima tertiadecima, mense Decembri, regnante Rege Aldephonso in Castella, & Toleto. Huius rei testes, & confirmatores sunt Frater Vuillelmus, tunc temporis Abbas de Crista, & Robertus Abbas prædicti loci de Mataplana; & ego Tellus, & Domna Guntruda ipsis manibus propriis nostris roboramus, & confirmamus. Ita Tellus, Guntrudáque cum filiis.

Porrò ex his instrumentis facilè constat, primò 9.
Comites dictos non proprio marte constructisse Cœnobium, & constructum Cistercio tradidisse; sed de mandato Regis, quod ipse etiam Rex ad nostros ait: *Cum consilio, & mandato meo vobis dederunt.* Constat secundò, eosdem pios coniuges mera instrumenta fecisse fundationis, nunquam aliàs patronatum abdicaturos: *Quod nullus de genere Telli, & vxoris eius Guntrude possit ibidem exeipere prandium, vel seruitium, vel equum, &c.* Et rursus: *Quòd nullus hæredum Telli Petri, & vxoris eius, & filiorum eorum possit aliquid ab eis postulare quasi iure hereditario,* &c. Constat tertiò fundatam semel domum solis cessisse inuictis Castellæ Regibus: *Et recipio* (inquit) *sub protectione, custodia, atque defensione in dominio meo: & de catero sit de omnibus Regibus successoribus meis.* Constat quartò, donationem Cristæ factam, velut Ecclesiæ Matri, ex qua proles emissa sub eius erat auspiciis feliciter adultura. *Dari* (inquit) *Deo, & Beatæ Mariæ, & Domui de Crista, Cisterciensis Ordinis,* &c. Constat quintò, Robertum primum Abbatem, quem vtrunque instrumentum expressè nominat. Et tandem constat Vuillelmum Abbatem Cristæ adduxisse Conuentum, atque pactis conuentis interfuisse, non solùm testem; sed confirmatorem ibi: *Huius rei testes, & confirmatores sunt frater Vuillelmus, tunc temporis Abbas de Crista,* &c.

Vixit Robertus, & rexit Matamplanam de- 10.
cem, vt minùs, annis: nam millesimo centesimo octuagesimoquinto eius in instrumentis memoria extat. Vixit autem virtutibus illustris, clarus miraculis, quæ hos haud dubie illustrare possent Annales, si non nimia incuria illius ævi (nam modestiam non dicam) cuncta obscuratsset, & densis inuoluisset silentij tenebris. De sancta eius morte dicam in tempore; déque sepulcri loco. Eximiam sanctitatem ipsius testificantur, quæ vsque hodie fiunt multa miracula, non sine ingenti concurrentis populi lucro, qui Sancti semper virtutem experitur, atque efficacem ad Deum intercessionem. Porrò decennio, quo præfuit tenellæ Domui, Deo pariter, & hominibus dilectus, sed Alphonso præ cæteris, ingens haud du-

bie incrementum illius fuit : quippe à quo accepit opulentas donationes,& plures numero , quæ si hodie integræ manerent Matæplanæ,nulli in Hiſpania inferiùs cenſendum foret. Multa in his oppida , & circunjacentes pagi pingues , & vberes , & Vallisoletani fori dimidia pars,in qua hodie celebre Franciſcanum Cœnobium , Prouinciæ ſuæ caput , conſtructum viſitur.

11. Nec morte extincta memoria Sancti Viri,aut pietas Alphonſi , tranſeunte ad hæredes vtraque ſimul. Defuncto Alphonſo , & filio eius Henrico,qui penè puer,& ſceptris adhuc impar,ea breui & obtinuit,& reliquit : cùm tes Caſtellæ Ferdinandus , cognomento Sanctus,adminiſtraret , Beatrix Regina , Philippi,Sueuiæ Ducis,& Romanorum Imperatoris filia , illuſtrando ſepulcro Abbatis Sancti templum incepit , quo non præſtantius aliud in Caſtella,ſumptuoſiuſve : certè inter prima Hiſpaniæ (& pauca excipias ex Cathedralibus) nullo fortaſſe inferius connumeratur. Incepit autem circa annum Chriſti milleſimum ducentelimum vigeſimumoctauum , & continuauit opus per ſeptem annos,quibus ipſa ſuperſtes : relicta cura ſocrui Berengariæ , Ferdinandi Parenti , cuius munificentia perficeretur.Eius rei hodiéque memoria extat , lapidibus inciſa verbis ſequentibus : *Anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimooctauo Regina Beatrix bonæ memoriæ cœpit adificare Eccleſiam hanc : & obiit Æra milleſima ducenteſima ſeptuageſimatertia : & extunc Regina Berengaria cœpit Eccleſiam fabricare.* E regione Crux etiam inciſa lapidi , (cuius effigiem hoc loco apponere non inutile fore exiſtimauimus ,) Abbatis nomen præfert , cuius tempore Eccleſia perfecta fuit. Is eſt Ægidius , quartus à Roberto, quintus in ordine , cùm poſt Robertum Iſidorus, Gometiúſque , atque Iordanus , Matæmplanam adminiſtraſſent.

12. Conſtructam Domum à coniuge , & à matre Ferdinandus non ſolùm priuilegiis , quæ multa beneficentiſſimo animo contulit ; ſed donariis , & xeniis quamplurimis liberaliſſimè cohoneſtauit ; his præſertim , quæ ad cultum Dei ſpectant ; & Sanctorum etiam exuuiis ; ex quibus multæ hodie adhuc perſeuerant. Superemineni inter alias duæ, quia ſunt ſingulares. Prima , candidi lini penſum, quod Sancta Virgo Dei Genitrix neuit : illud clarum eſt miraculis , atque ipſa , quam præſefert , poſt tot ſæcula licèt , integritate : ex cuius fruſtis Complutenſe Collegium noſtrum , Monaſterium inſigne de la Spina , atque aliæ Eccleſiæ Hiſpaniæ ſummopere nobilitantur. Altera verò eſt lapis , cui ſimilis nullatenus reperiri poteſt, in quem ſacroſancta Euchariſtia , Clerico , qui eandem conſecraſſet , de efficacia verborum dubitanto , conuerſa dicitur : & conſeruat miraculum inſcriptio , quæ ita habet : *Reliquia Euchariſtiæ Chriſti , quæ conuerſa eſt in lapidem apud Villam , quæ dicitur* Pedraza , *anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimooctauo.*

13. Cernuntur in Eccleſia Matæplanæ ſepulcra Principum , Illuſtris Regis Alphonſi Proneporum ; Alphonſi , dicti de Molina ; Reginæ Berengariæ Legionenſis neporis ex filia,vxoris eius , nomine Taraſiæ,atque duorum vtriuſque filiorum Telli , Ioannæque,qui proaui,& ataui ſui memoriam ſeruant.Telli, & Guntrudæ , per quos ſurrexit Domus,vbi corpora iacent , incertum eſt. Succeſſorum in Sacello priuato extant ſub S. Ioannis Baptiſtæ aduocatione. Hæc ſatis nunc de Eccleſia Matæplanæ : nam pluta alia dicenda ſuis temporibus.

---

1. Chronologia Eccleſiarum : 2. & fundatio Monaſterij de Irantio . 3. donatio loci: 4. & Chronologiæ error detectus. 5. De Petro Paris illuſtri Fundatore : 6. & de aliis notitiis eiuſdem Domus. 7. De Coluan , & Saya pauca, & dubia.

CAPVT VII.

1. NVMERVM fundationum præſentis anni, quas notat Chronologia , eundem eſſe video,quem præcedentis : quippe à Bernardi morte ita decreuit,vt numquam ceſſaret ; & ita proceſſit,vt ſemper inferior eſſet. Quinque in ea deſcribuntur ſequenti ordine:

Anno M.C.LXIV.menſe Maij fundata eſt Abbatia S.Laurentij.

Eodem anno XVI. Kalendas Iulij Abbatia de Irancio Pampilonenſis.

Eodem anno menſe Septembris Abbatia Turris Aquilaris.

Eodem anno IV.Nonas Februarij Abbatia de Coluan.

Eodem anno Abbatiſſa de Saya.

Ita in Serie Eccleſiarum chronologica , quæ nobis ſemper fax præluceat in Fundationibus. Ex his præterea Turris Aquilaris , & Vallis S.Laurentij præterundæ;illa,quia dicta ad annum M.C.LXV. hæc,quia nobis penitùs ignota,& neque in Tabulis inuenitur; neque in Geneſibus. Nam,quæ in Hiſpania ſurrexit ſub hoc,nempe , S.Laurentij ad ripas Minij , vel ex inſigni filio Sancto Famiano , longè antiquior conuincitur ; quod Tomo præcedenti demonſtrauimus. Turrem Aquilarem in Græcia hoc anno natam , filiam Bolbonæ de linea Morimundi , ſunt qui affirment;ſed nulla alia notitia clariori.

2. Notius Irantium , (*Irançu* vulgò dicimus) Regni Nauarræ Domus,Petri Paris,Epiſcopi,atque Capituli Eccleſiæ Pampilonenſis pia Fundatio , quam vocatis ex Curia Dei Monachis , ſurrexiſſe ad hunc annum,plùs,minúſve,ipſa etiam inſtrumenta , quæ hodiéque leguntur , teſtificantur. Habebat Petrus fratrem ſecundùm carnem,nomine Nicolaum,quem huius mundi periculis ſubtractam diuina gratia ſibi ſegregauerat.Florebat tunc opinione ſanctitatis Curiæ Dei Cœnobium,& tanti nominis menſuram cumulabat,cœleſti,quæ in ipſo vigebat,conuerſatione.Ergo, qui cutias Principũ pertæſus ſuſpirabat diuinã,in Curia Dei Monachus,angelicam,quàm humanã potiùs

vitam

vitam profitebatur. Eius,ac fratrum suauissima fragrantia Petrus Paris attractus,ac similem Paradisum ambiens suæ Prouinciæ,communicato consilio cum Canonicis,Ecclesiam quandam sub aduocatione Sancti Adriani,hactenus sæcularem,Abbati,& Monachis Curiæ Dei tradere statuit, constructo Cœnobio, in quo cœlestis plantatio (quod ardenter optabat) propagaretur. Missus est ab Abbate Nicolaus, qui locum inuiseret, & si Monachis aptum inueniret, Episcopi acceptaret donationem. Quippe pro gratia, siue referenda, siue impetranda, ipse omnium aptissimus; pro cæteris præstandis, quæ conducerent, non vllus alius aptior inueniebatur. Petrus,vt fratrem, sibi charum vidit, & pietatem à sanguine feruere (quod euenit frequenter) expertus est, non declinans à sancto illo motiuo, sed nouum addens, & fraterna obseruantia coronans pium propositum Ecclesiam Monachorum vsibus aptam,& nouæ prolí, tam Nicolao,quàm Curiæ Dei deuouit,atque instrumento firmauitdonationem. Quod monumentum charitatis eius in nostros, atque totius Pampilonensis Cleri, vt hodiéque [a] in vtriusque Ecclesiæ Archiuiis obseruatur,Lector accipiat.

[a] *Ex Tabulario Eccles. Pampil.*

3. *Petrus,Dei gratia Pampilonensis Episcopus, Fratri suo Nicolao Monacho Curiæ Dei,Salutem,& Religionis augmentum.*

Quoniam in Monasterio Curiæ Dei, vbi sub Regulari conuersatione Deo militare elegisti præ cæteris Galliarum Monasteriis, monasticam Religionem florere cognouimus, gaudio gaudemus, & spirituali iucunditate lætamur. Omnipotenti Deo gratias agentes, & omni deuotione supplicantes, quatenus in eodem Monasterio Religionem, & omne bonum per gratiam Sancti Spiritus conseruare, & augere dignetur in perpetuum. Proinde tibi, & eidem Monasterio, cui adtitulatus es, Deo authore, prouidere vtiliter affectantes, communi assensu, & consilio Fratrum nostrorum, Canonicorum, videlicet, Pampilonensis Ecclesiæ, concedimus, & donamus Ecclesiam de Irancio, cum omnibus pertinentiis suis, ad ædificandum ibi Monasterium, in quo, Deo propitio, secundum institutionem Abbatis, seu Fratrum prælibatæ Curiæ Dei, conuersatio Regularis in perpetuum conseruatur. Sperantes,& fidem plenam obtinentes, quòd inde fumus aromatum ascendet ad sublimem Diuinitatis aram, & nobis & Fratribus nostris, atque toti patriæ gaudium & salus orietur animarum. Sancimus autem, & pactum stabilimus, vt eiusdem loci Abbas, & Monachi, salua Ordinis sui dignitate, & honestate, Pampilonensi Episcopo obedientiam fideliter conseruent; necnon Canonicis Pampilonensibus omnem reuerentiam exhibeant. Huius rei testes sunt Garsias Prior, Guillelmus Archidiaconus, Simeon Præpositus, Garsias Camerarius, Fortunius Archidiaconus, Simeon Archidiaconus, Pontius Sacrista, & Guerinus Infirmarius, & alij Canonici. Facta charta anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXXVI.

4. Hactenus instrumentum donationis post biennium confectum,cùm fortè hoc anno vocatus Nicolaüs lustrasset locum,atque officinas,& alia præparasset. Verum est tamen, Monasterium de Irancio in Chronologia sub adtitulatione Sancti Adriani iterum repeti anno M.C.LXXVIII. vt ibidem videbimus. Vnde,cùm vtraque anni designatio ab ipsa donatione distet,altera anteuertens tempus,altera subsequens;haud de facili licet iudicare,vtri magis fidendum;nisi in altera aduentum Nicolai,in altera Conuentus:quos inter donatio loci facta sit,ab antiquis notatum asseramus.Certè quòd post quadriennium duplicatur Monasterium de Irancio, idem omninò esse,adtitulatio probat,nempe,Sancti Adriani,quam ab antiquo sortita Ecclesia illa,quæ Nicolao donata, hodie etiam conseruat in multis instrumentis,quandis in aliis more Cistercienſi, Sanctæ Mariæ de Irancio cognominetur. Sed neque aliud Irancium reperitur in geneſibus cunctis,nec alia Ecclesia dedicata Sancto Adriano. Denique in geneſi, lineáque Cistercij,ad quam Irancium pertinet (nam Curia Dei immediata Cistercij filia,vt suo loco vidimus) hæc de Irancio verba scripta lego: *In Nauarra Irancium anno M.C. LXXVIII. sexto Kalendas Iunij,Pampilonensis Diœcesis, qua ab aliis vocatur Abbatia Sancti Adriani de Irancio.* Sed de his satis.

Quod attinet ad Petrum Parisium, siue de Paris Nicolai fratrem, atque Ecclesiæ de Irancio donatorem,Prudentius Sandoualius,Pampilonensis, Nauarrum natione,atque inter optimos Pampilonensis Ecclesiæ Præsules tradit [b], qui anno M.C.LXXVI. cùm anteà Episcopi, & Capituli mensa communis esset; Ecclesiæ redditus censuit diuidendos;quos tam largiter Capitulo assignauit,vt Canonici quasi obuiam illi euntes,in eam vocem vnanimes prorumperent: *Satis est,Pater sanctus es. Bene,plenè,& perfectè satisfecisti nobis.Deo,& tibi reddimus immensas gratias.* Instituit, atque large dotauit Festum Sancti Firmini,Pampilonensis Sedis primi Episcopi: multáque alia fecit,ob quæ cum laude memoria eius recolitur.Septem supra viginti annis Ecclesiam rexit. Defunctus tandem die XIII. Iunij,anno M.C.XCIII. atque in Ecclesia de Irancio sepultus, quam propriæ prætulit in signum charitatis,quo eam Domum,atque totum Cistercium venerabatur. Sandoualius Benedictinum Ordinem prodit,suppressa Cistercienſi reformatione. Haud dubium, quin non aliam Benedictinam magis esse sentiens, aut propriùs comprehensam sub eo nomine. Memoratur Irancium in libris Cameræ,vbi & taxatur florenis LX. necnon in litteris Gregorij Papæ IX. directis ad Abbatem eiusdem Domus: *Datis Laterani nono Kalendas Maij, Pontificatus ipsius anno XII.*

[b] *In Episcopis Pampilonens.*

5.

6. Creuit Irancium largitate Principum,atque aliorum fidelium,floruitque multis viris Religiosis,æquè ac nobilibus,vt in vtriusque bonis locupletata, digna Curiæ Dei proles reputaretur.Abbati eius,qui in Regni comitiis suffragium habet, subest insigne Monasterium Virginum,cui Herce à loco nomen in finibus Castellæ vtriusque Regni patens nobilitati. Ecclesia per Abbates perpetuos administrata vsque ad hæc nostra tempora,ab anno M.D.LXXXVIII. in tres æquales partes redditus diuidebat;quarum vna Conuentui, altera fabricæ, & tertia tandem in Abbatis vsus cederet: quòd Irancienſibus (ſolis, quod sciamus) indultum à Pontifice,mox aliæ Ecclesiæ vsurparunt Regni Nauarræ. Et prouisum hac via luxui Abbatum, (adeò malum excreuerat,) ac tertiæ partis damno tolerabili,quæ duæ supererant,redimebantur.Hodie exclusis Abbatibus perpetuis,quadriennales cœperunt sub Cistercio,vt olim;sed designato Vicario,quadriennio præsidente Aragoniæ,Cataloniæ, & Valentiæ (queis addita Nauarra) Congregationi. Illorum vltimus Ludouicus Strada fuit,vir æquè Religiosus,prudénsque ex Generali Obseruantiæ nostræ Hispanæ,qui abdicata ante mortem præfectura, in propria domo Vallisbonæ sanctè obdormiit anno M.DC.XLI. Horum primus Magister Athanasius,dictus *de Cucho*,ex Abbate Collegij Complutensis,vbi Theologiam docuit per multos annos,atque Diffinitore nostræ Obseruantiæ,electus anno M.DC.XL. magna cum Irancienſium gratulatione.Hæc de Irancio, notiori nobis Domo,quia Hispana.

Digitized by Google

Supersunt duæ aliæ fundationes, ignotiores, quia exteræ, & quarum vix Tabulæ meminêre, nedum Authores. Coluan, quam alij Coluas, alij Coluen (nisi fortè diuersæ sint) appellant, & libri Cameræ in Camerinensi Diœceti notant inter Vmbriam, & Marchiam, trecentorum florenorum taxa præfixa. In Genesibus filia Esron dicitur; sed dubia mihi fide, nisi Esron aliam præter Roskildensem in Dania esse dicamus. De Sava item id vnum dicere audeo, quòd in Genesi Ecclesiarum Morimundensium lego Verolæ filiam, Hispanæ Domus, cuius superiùs memini, natam in Vvascouia in Burdegalensi Diœcesi. Vt sicut priùs Hispani è Gallis hausérant disciplinam Cistercij; sic iam & Galli haurirent ab Hispanis doctis, quæ vel suos Doctores docere possent.

ANNVS CHRISTI M.C.LXXV. CISTERCII LXXVIII.

1. Richardus Cantuariensis Concilium celebrat. 2. Cui Reges assistunt. 3. Promulgata decreta salutaria, 4. atque alia negotia pertractata. 5. De aliis appellatum ad Alexandrum. 6. Incusatus Richardus de remissione. | 7. De qua à Petro Blesensi per epistolam 8. sanctam, 9. doctámque, 10. Christiana libertate correptus fuit. 11. Perpensa inde vtriusque viri laudes.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus septuagesimus quintus, à Cistercio inchoato octauus, & septuagesimus, quo Richardus Archiepiscopus Cantuariæ apud Diuum Petrum Vvestmonasterij, tam Archiepiscopatus, quàm legationis suæ authoritate indixit Concilium, de quo hæc habet Guillelmus Neubrigensis [a]: *Anno à plenitudine temporis, quo veritas de terra orta est M.C.LXXV. qui fuit Regis Henrici II. annus vicesimus, Prouinciale Concilium Lundoniis celebratum, à Richardo Cantuariensi Archiepiscopo apostolicæ Sedis Legato, confidentibus suffraganeis, & aliarum ecclesiasticarum personarum cœtu copioso.* Ita Guillelmus de tempore Concilij. Quo autem ordine in eo Episcopi federint, Nicolaus Arsfeldius narrat his planè verbis [b]: *Ad cuius dexteram* (id est, Richardi) *Londinienses Episcopus, ad sinistram assedit Vvintonienses. Quæ sedes, prærogatiua quadam illis Episcopis propria, & perpetua sunt; cæteri pro temporis, & initiationis suæ prærogatiua, tam Episcopi, quàm Abbates, suum quisque locum occupant.*

a *lib. 5 c. 1.*

b *saculo 12. cap. 18.*

2. Rogerius non solùm annum, sed diem notat, quæ fuit Dominica ante Ascensionem Christi Dòmini: in qua iam inuicem sibi conciliatum vtrunque Henricum, patrem, filiúmque affuisse Concilio: vnde & decretis eius maior firmitas, & paci inter ipsos partæ maior authoritas, & sacratior accresceret religio, scriptum reliquit [c]: *Venientes*, inquit, *Londonias* (scilicet, Reges) *inuenerunt Richardum Cantuariensem Archiepiscopum apud Vvestmonasterium celebraturum Concilium die Dominica ante Ascensionem Domini. Ad quod Concilium venerunt ferè omnes Episcopi, & Abbates Cantuariensis Diœcesis. Et coram prænominatis Regibus, & Episcopis, & Abbatibus, Richardus Cantuariensis Archiepiscopus in eminentiori loco constitutus*, &c. Hactenus de Congregatione Concilij per Richardum: iam quæ in ipso sint gesta referamus.

c *Ad hunc annum.*

3. Congregata Synodo, ait Arsfeldius [d]: *Habuit ad Episcopos, & reliquos facundam Richardus orationem. Deinde duo de viginti ex antiquis Canonibus decerpta capitula (quorum obseruantiam Ecclesiæ vsibus maximè opportunum putauit) de scripto recitari iussit. Quæ omnes summa se consensu obseruaturos promiserè. Quæ decreta Rex, & Primates etiam suis suffragiis rata habuêre.* Decreta ipsa extant apud Rogerium [e], ex quo descripsit Seuerinus Vinius, æque in suis Conciliis euulgauit. Communia omnia, extractáque ex antiquis, in quibus adeò non libet immorari. Vnum tamen producam, quia singulare, & ritum quendam antiquum præferens communicandi sub vtraque specie (ni fallor, non hausto Sanguinis è ministeriali calice, sic enim vocabantur, qui Christi Sanguini propinando parati erant, vt tomo primo diximus;) neque per fistulam, qui mos posteà inualuit; sed pane intincto Sanguine Dominico, & madente, applicato sumentium oti. Quasi hunc ritum Christus instituerit, cùm Iudam intincta buccella (quod multi Patres sentiunt [f]) communicauit: *Et post buccellam introiuit Satanas in cor eius* [g]: quippe indignè sumentis Eucharistiam: eóque permissi potestati Dæmonis, à quo in flagitium præceps, atque ex tunc, desperatiùs trahendus foret. Igitur hanc sententiam sequuti quidam, fortè & credentes cæteris Apostolis buccellam similem intinctam fuisse traditam; hoc Communionis genere vtebantur sub vtraque specie, quod olim etiam ab aliis vsurpatum, Iulius Papa I. [h] testificatur. Quasi hoc modo & totum Christum sumerent, & ritum sumptionis, ab eo non solùm institutum, sed obseruatum, religiosiùs, & exactiùs imitarentur. Contra hos ergo, vestigiis Iulij inhærens, Richardus ritum prohibet, & duo iubet haberi veluti certa: alterum est, ad complementum Communionis, intinctionem nequaquam prærequiri: alterum, panem intinctum, datum Iudæ (non aliis, quos sciamus:) at nunquam Eucharistiæ institutionem, (siue Eucharistia fuerit, siue non,) sed magis proditionem illius significasse. Decreti verba ad litteram transcribo: *Inhibemus*, ait, *ne quis, quasi pro complemento Communionis, intinctam alicui Eucharistiam tradat. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet; non quæ Sacramenti huius institutionem significaret.*

d *vbi supra.*

e *ad hunc an.*

f *apud Baron. tom. 1. anno 34.*

g *Ioan. 13.*

h *apud Sanct.*

4. Tractatæ insuper in eodem Concilio causæ plures, ex quibus quædam decisæ, vt faciliores: aliæ, quæ controuersæ à multo tempore inter Cantuariensem, Eboracensemque Metropolitanas Sedes agitabantur, relatæ ad Alexandrum, à quo per se, aut per Legatum ad id specialiter mittendum, decideréntur. Prioris generis assistentia, seu cessio Godefridi, Sancti Alapla

Episcopi,

[j] in Annalib. hoc an.

Episcopi, de cuius decisione ita Rogerius[j]: *In ipso autem Concilio, Clerici Ecclesiæ Sancti Asaph petierunt a Cantuariensi Archiepiscopo, vt in vi obedientiæ præciperet Godefrido, Episcopo Ecclesiæ Sancti Asaph, ad Sedem Ecclesiæ suæ redire, cui præfuit pontificali dignitate: vel, vt prædictus Archiepiscopus alium Episcopum loco ipsius institueret. Ipse enim Godefridus Episcopatum suum deseruit paupertate, & Vualensium infestationi compulsus; veniensque in Angliam à Christianissimo Rege Henrico benignè, & honorificè susceptus est: cui & tradidit Abbatiam Abbendoniæ vacantem in custodia, donec ad propriam sedem liberum haberet regressum. Itaque prædictus Cantuariensis Archiepiscopus in ipso Concilio, ad instantiam prænominatorum Clericorum, & admonitionem Alexandri Summi Pontificis: necnon & consilium Venerabilium Coepiscoporum suorum, conuenit iam dictum Godefridum, vt in vi obedientiæ ad Sedem propriam rediret, vel curam pastoralem, quæ sibi fuerat commissa, in manu ipsius liberè, & absolutè resignaret. Ipse verò Godefridus, sperans, quòd Abbatia de Abbendonia, quæ tradita fuerat ei in custodia, posset sibi remanere, Episcopatum suum nullo cogente resignauit in manu Cantuariensis Archiepiscopi, liberè, & absolutè tradens illi annulum, & baculum pastoralem.* Hæc salubriter in causa illius Ecclesiæ.

5. Verùm de controuersiis inter Ecclesias primas totius Angliæ, in quibus Alexander interpellatus, hæc apud eundem Rogerium scripta inuenio[k]. *In quo etiam Concilio Clerici Rogery Eboracensis Archiepiscopi calumniati fuerint ius Eboracensis Ecclesiæ de Cruce portanda in Diœcesi Cantuariensis Ecclesiæ. Præterea calumniati sunt ibidem ex parte Eboracensis Archiepiscopi Episcopatum Lincolniensem, & Episcopatum Cestrensem, & Episcopatum Herefordensem de iure pertinere debere ad Metropolitanam Eboracensium Ecclesiam. Et super hoc prædictum Cantuariensem Archiepiscopum appellauerunt ad Romani Pontificis præsentiam: præterea appellauerunt ipsum Cantuariensem Archiepiscopum ad Romanum Pontificem super iniuria, & anathematis sententia, quam intulit Clericis Eboracensis Archiepiscopi, qui per eum ministrauerunt in Ecclesia Sancti Oswaldi de Glouceſtria; pro eo, quòd ad illum venire nolebant ad ipsius submonitionem, sicut Clerici Diœcesis suæ fecerunt.* Hactenus, quæ notitia subest huius Concilij, Richardique Archiepiscopi, & Legati, pro grege sibi commisso, sollicitudinis.

[k] ibidem.

6. Verum enimverò, quæ inconstantia in bono, optimos quosque aliquando solet inuadere, non multò post eandem solutam Synodum, quantùm ex ordine epistolarum Petri Blesensis licet colligere, tota Richardi elanguit sollicitudo: & siue ex pusillanimitate, siue ex desidia, siue deceptus specie gratitudinis pro beneficiis acceptis ab Henrico seniore, à quo supra alios mortales diligebatur, effectum est, vt qui per commissionem vix peccaret; multarum nihilominùs omissionum à probis etiam, & cordatis argueretur, ita vt Petrus Blesensis, vir planè clarus, quem inter familiares ipsius connumerauimus, cùm diutiùs ab Henrico seniore detineretur, qua libertate, constantiaque pollebat, ipsum per litteras non solùm monere, sed increpare; ac omnia, quæ de ipso dicebantur, ei sine fuco aperire non dubitauerit: medicinam opponens morbo emergenti, si latiùs serperet, tardiùs reparando. Zelo non minùs fideli, quàm apostolico refertam epistolam, (quem vtinam familiares omnes Principum constanter æmulentur, Principes ferant,) in vtrorunque exemplum, doctrinámque, his Annalibus censui transcribendam[l].

[l] Epistola 5.

Reuerendo Patri, & Domino Richardo, Dei gratia Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliæ Primati, & apostolicæ Sedis Legato; P. Blesensis, Archidiaconus, Salutem, & in melius expergisci.

Habebam in desideriis ad vos cum festinatione reuerti: sed authoritas regia non permittit. Millies postulaui licentiam recessorius: sed nec repulsam passus sum, nec licentiam adeptus. Quoties causer moram, quam facio, & allego vestræ reuocationis instantiam; vnica, & quotidiana est eius responsio: Cras recedes. In omnibus diebus anni cras istud inuenire non potui: dum quæritur, latet; & forsasse quando non quæretur, occurret. In eo autem turbata est anima mea valdè, & sicut araneam tabescere me fecisti: quia exprobrauerunt, qui me tribulant, inimici mei, dum dicunt mihi per singulos dies: Vbi est Dominus tuus? vbi latitat? vbi dormit? vsquequò piger dormis? exurgas, qui dormis, & exurge à mortuis. Et iam hora esset à somno surgere, & vigilare super commissum sibi gregem, & attendere, qualem habuit decessorem. Numquid Dei gratiam accepit in vacuum, vt & gratiam sibi datam, & gloriam sui decessoris euacuet? Iam euacuauit ex parte, nec videmus, quando restauret, quod amisit; quando redimat, quod commisit.

Vobis igitur imputant, quòd ab Allophylis Arca Domini capitur: quòd à laicis Ecclesia Dei conculcatur: quòd gladium Petri rubigo consumit: quòd Christi Sacramenta vilescunt: quod terribile nomen Dei in vanum assumitur: quòd sub prætextu periuri, legitima conjugia dissoluuntur. Vobis imputant, quòd Malchus in Christum, quod Phassur in Ieremiam, quòd Balthasar in vasa Domini manus extendit sacrilegas. Quoties autem gratiam innocentiæ, & humilitatis extollo in vobis, non sufficit, inquiunt, tanta prælationis homini, non facere malum; nisi adiiciat facere bonum. Non solùm enim arbor, quæ fructus malos facit, sed arbor, quæ fructus bonos non facit, excidetur, & in ignem mittetur. Reperit, inquiunt, Archiepiscopus tuus Ecclesiam in optimo statu: ipse verò eam destituit, & deiecit. Cantuariensis Ecclesiæ Dignitates, quas gloriosus Martyr rubricauerat sanguine suo, & quasi testamentum æternum morte, & cerebri effusione firmauerat, pusillanimitas eius euacuat, eámque reduxit in antiqua seruitutis opprobrium, quæ se in gratiam plenæ libertatis erexerat. Vt quid, inquiunt, terram occupat? quando moritur, & peribit nomen eius? cur saltem non expergiscitur? Numquid qui dormit, non adiiciet vt resurgat? 7.

In his omnibus verecundia mea tota die contra me est, & confusio cooperuit faciem meam, à voce exprobrantis, & obloquentis. Sunt itaque lacryma mea, panes die, ac nocte: & vbi sub vmbra vestri nominis magnificari, & extolli speraueram, ibi improperium expectauit cor meum, & miseriam. Estis enim fabula in ore hominum, studiúmque omnium ferè commune est, linguas procaces laxare, contra vos in detestandum susurrium. Quòd si vestram velim prædicare industriam circa ædificiorum melioriationem, circa prædiorum culturam, & circa huiusmodi exteriorem administrationem, qua incessanter exigit humana necessitas, ipsi vniuersa depranant. Qua gloria est, inquiunt, quòd vinaria construit, quod claudit feras indagine, si Clerici imprecantur, si in omnem dissolutionem religiosorum Claustrorum ostia relaxantur? Qua vtilitas, quòd fimo, & creta ager stationarijs impinguatur, si in Dominica messis cultura, nec spina 8.

euellitur, nec stirpatur tribulus, nec verbum Domini seminatur? Numquid Deo cura est de bobus, & non sinus, vt circa boues, & asinos ita sollicitus occupetur? Cur iniuncta sibi legationis officium non exercet? Ligatus est potius, quam Legatus. Prophetæ, inquiunt, cui Dominus legationem iniunxerat, præcepit, vt euellat, & destruat, vt dissipet, & perdat, ædificet, & plantet: Dominus tuus officij spiritualis intelligentiam conuertit in litteram; aut, vt dicatur verius, in litteram.

10. *Illud mihi ad cumulum doloris accedit, quòd Dominus Rex, qui ex toto corde vos diligit, cuius erga vos dilectionem lego assiduè in libro experientiæ, qui turbatoribus vestris in Romana Curia murum inexpugnabilem se opponit; ipse frequenter incuriam, & desidiam vestram, secreta tamen, & modesta correctione redarguit: ipse crebrò vos excitat scriptis, & nunciis, grauissimè ferens, quòd terra sua maleficos ad excessus enormes per impunitatis licentiam prouocatis. Quàm amicabilia nuperrimè vobis scripserit, & mandauerit, memoria, credo, tenaciter affixistis. Inter quæ ego, qui conscius secretorum fui, verbum illud confidenter in commune deduco notitiam: verbum enim memorabile est: Sciat, inquit, Dominus Archiepiscopus, quòd si filius meus electus, aut aliquis Episcopus terræ, vel Comes, vel aliqua persona illustris, suæ voluntati, aut dispositioni contraire præsumpserit, aut impedierit quominùs opus sibi commissæ legationis adimpleat, inueniet me sui contemptus persecutorem, & vindicem, ac si in coronam meam prouiderit commississet. Scio quidem, Pater, Dominum Regem diu habuisse, & adhuc habere in votis, vt consilio, & auxilio vestro fiant increpationes in populis, vt arripiat manus vestra iudicium, & æquas pro mansuetis terræ.*

Dura quidem retuli vobis, amantissime Pater, & forte hoc aliquis temeritati adscribet, quòd non blandiar, quòd non palpo, quòd reuerendum populis caput, peccatoris oleo non impinguo. Quicquid immundissimæ sues grunniant, ego in Christi visceribus, & ingi beneficiorum vestrorum memoria vos moneo, & monebo, quatenus eum ea diligentia impleatis Pontificium: vt non vituperetur ministerium vestrum. Legistis enim: Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter. A claustrali, & spirituali militia, elegit vos Deus in Sacerdotem sibi: vide, ne, cùm spiritu cœperitis, carne consummamini; & ne de vobis intelligatur illud: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum; quia caro est. Putatis, quòd de commissis vobis animabus, vos in districto examine non oporteat reddere rationem? Propter hoc irritauit impius Deum: dixit enim in corde suo: Non requiret. Sed certè requiret exactissimè vsque ad nouissimum quadrantem: & vereor, ne tempestiùs, aut diriùs quàm credere, aut timere velimus. Vtinam velitis recolere comminationes Altissimi, quibus apertissima visione nobis terribilem suæ indignationis sententiam reuelauit. Horrendum est autem incidere in manus Dei viuentis. Ignis enim succensus est in furore eius, quem quandoque spiritualiter vidistis, ipsum autem nunquam sensibiliter sensistis. Hactenus epistola, non minùs fidelitatem scribentis, zelúmque, quàm legentis commendans dignationem, qui talia legens non indignaretur; sed emendaret. Certè in Ebracensem sequenti anno acriter insurrexit, præualuitque, cùm iura Cantuariensis Ecclesiæ præoccupasset, quod suo loco dicemus. 11.

---

1. *Grandimontenses ad Ordinem conuersi,* 2. *de prioris voti obligatione dubitant:* 3. *super quo scrupulo Stephanus Tornacensis consultus,* 4. *de Grandimontensibus sublimia,* 5. *de nostris sublimiora* 6. *longè respondet.* 7. *Exhortatur Nouitios, vt perseuerent.* 8. *Respondet obiectis.* 9. *Atque alloquutus iterum Nouitios,* 10. *Roberto interroganti tandem satisfacit.* 11. *Petita epistola Petro Cardinali,* 12. *& remissa cum alia.* 13. *Dictum de tempore.*

CAPVT II.

1. EISDEM temporibus Grandimontenses quidam iuuenes ad Cistercium conuersi, vtrunque Ordinem primùm diuidentes, mox & extraneos non parum conturbarunt. Quippe seu pressi strictiori disciplina, quod nimiùm frequens, seu simpliciores animos teuerà remordebat conscientia prioris voti, per speciem Religionis, retrocessionem, de cuius obligatione inquirebant, non sine aliorum scandalo, honestabant. Maximè quòd Grandimontensium ingens opinio, in quam pauci auderent: & Clerici eorum, tanquàm Canonici; sic enim dicebantur decreto Vrbani II. ad Monachos transire prohiberentur. Admissine, vacante Pontigniaco per Guarini Abbatis promotionem, an post Guarmundum illi subrogatum, in dubio est. Constat Robertum sub vtroque Priorem, nec minùs genere, quàm moribus insignem, siue sedandis Nouitiorum animis, si fortè scrupulosiùs vacillabant; seu veritati, qui præcipuus finis, in mentibus aliorum stabiliendæ; consuluisse Doctores, an prioribus votis impedirentur, ne possent licitè in Cistercio perseuerare.

Consuluit inter alios virum grauem & doctum, nomine Petrum, qui post triennium Sactæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Tusculanus Episcopus ab Alexandro III. mox Lucio III. ab vrbe Roma electo, dum Velitri maneret, Vicarius etiam Vrbis creatus est, & eo munere vsque ad Clementis reditum functus, vt latiùs Cardinalium Tabulæ memorant. Consuluit autem præsente Abbate Stephano, tunc Sanctæ Genouefæ, Ecclesiæ Canonicorum Regularium; dein Tornacensi Episcopo futuro, cuius extant epistolæ, pietate, & doctrina venerando, nec præsentibus tantùm, aut coæuis, sed etiam posteris. Discussa vtrinque inter eos conscientia iuuenum, atque obligatio prioris promissionis. Quousque se Religionis ostendat vinculum? Quousque sola coronari digna, in bono semel cœpto perseuerantia? & his virtutibus, vt cæteris moralibus, in medio consistentibus, non sola manifesta retrocessione, sed nimia anteuertentia contrairi. Grandimontenses, Sanctos reputari, & verè Sanctos esse, etiamsi Cistercienses sint sanctiores. Non omnes posse perfectionis culmen attingere: 2.

tingere : nec si possent, Reipublicæ expedire, quæ nequeat sine diuersitate constare. Vt in corpore humano diuersa membra, sic in Ecclesia diuersos Ordines peti, diuersa munia : nec magis Canonicum, Eremitámve decere, si Monachus fiat, quàm linguam, auréſve, si oculorum sibi munus vsurpent. Non quòd præstantior oculus non sit ; sed, quia non minor aliorum indigentia : atque vt sint absolutè minùs nobilia, at corpori æquè præstant, quæ minùs præstant. Tene, quod habes dictum in sacris Litteris, non solis Monachis. Sed cunctis, qui bonum tenent. Neque approbasse Christum seruos illos, qui in alienis talentis ; sed eos tantùm, qui cum his, quæ accepissent, operarentur. Hæc & similia pro Nouitiorum reditu ; pro permanentia, vrgentiora producebantur.

3. Non qui argenteum promsit, fallere fidem, si aureum nummum reddat : neque omissionis in bono argui posse, qui in melius commutat : quippe compendia, progressúsque ad altiora, & si quæ alia ad pietatem iuuant, promouent cœptum iter, non retrocedunt. Æmulati charismata meliora consilium esse Apostoli, in quo nullum periculum : neque ideò non tenere, quod bonum habent, si illo non dimisso, plus apprehendant. Mittentes ad aratrum manum damnandos esse, si retrò respiciant : at non si ad anteriora se extendant, & esse in ipsa extensione apprehensionem, à qua non sine culpa retrocedant. Peccare forsan, qui Canonicis tententis, Monachos agunt ; qui sæculo Eremitas, qui sæculares Clausttis, officia confundentes, volunt inducere. At non, qui se sanctioribus componunt, futuri & ipsi Sancti, atque id ipsum, quod agunt, peracturi. Neque ideò, aut inferiora membra corpori, aut defuturos Ministros aliis Ordinibus : quippe Deo prouisuro suæ Ecclesiæ, atque eò cumulatiùs, vberiúsque, quò singuli meliora, sanctioráque ad eius vocationem sibi prouiderint. Lata pro Monachatu sententia est : atque iniunctum Stephano, vt Priori Roberto responderet. Ille, quo erat in nostros procliuis animo, sed nihilominùs veneranti Grandimontenses ; dum vtrisque, quod suum erat, tribuit, & hos commendat, & illos anteponit : atque Nouitios confirmans in proposito, quæ summa responsionis, longam illam epistolam scripsit, quæ cæteris illius anteposita, non tempotum, vt puto, præcedentiam, sed materiæ designat dignitatem. Prolixam satis, & plurima inculcantem, nequaquam integram : frustratim tamen, quæ ad Historiam faciunt, & propositi dubij resolutionem, quia iis Annalibus digna, decerpemus. Ergo quia solus Robertus inquisierat, & soli Stephano responsio erat iuncta, Roberto Stephanus respondit in hæc verba [a] :

a epistola 1.

4. *Dilecto Deo, & hominibus Roberto, Pontigniacensi Monacho, genere simul, & conuersatione illustri, Stephanus de Sancta Genouefa, consolari pusillanimes, & vnanimes in Domo Domini cohortari.*

Commendabilem, Roberte, sollicitudinem geris, & affectione fraterna Nouitiorum tuorum, vt nouam moues quæstionem. Mallem quæsisses ab alio, qui & peritior esset ad discutiendum, & promptior ad soluendum. Mihi, fateor, imperitia silentium imperat, & ab audaci proposito manum reuocat, Grandimontensium grande nomen. Si quæstioni tuæ de conscientia mea respondeam, offendentur : si eos offendero, in communem opinionem peccati. Hominibus placent, & serui Christi sunt, Bo-

ni homines appellantur. Nam bonitatis illorum testis est & exclusa cupiditas, & inclusa paupertas. Porrò ambitio, quæ fere omnes impugnat, & plures expugnat, tam remota est ab eis, quam longè est ab hominibus, qui nunquam se se adepturos Cistercium certi sunt. Cumque terram dederit Deus filiis hominum, ipsi funiculum suum, & sortem in cœlestibus extenderunt, Viros euangelicos exprimunt, nec solliciti sunt, quid manducent, & bibant, aut quid induant : quoniam a Patre suo, qui in Cœlis est, pascuntur cum volucribus, & cum liliis vestiuntur. Orationes eorum, nec balantes greges impedient, nec vagientia turbant armenta, nec vniuersos familiæ strepitus interrumpunt. Fugerunt sæculum ; beati, si eos sæculum non sequatur : & quoniam radix omnium malorum cupiditas inter eos arnit, recessit ambitio, litigandi materia sublata est, sollicitudo claudit, paupertas premit, humilitas ligat ; qui disciplinam cum morum ordinata correptione apprehendunt, profecto nec irascitur eis Dominus, nec peribunt de via iusta. Hactenus Stephanus de laude Grandimontensium, quos timeret offendere : mox ad quæsitum pergens, de nostris talia:

5. *Quæsisti de Fratribus, qui exierunt ab eis, & ad Cistercienses transitum fecerunt ; vtrum obligatione voti, quod prius fecerunt, reuerti debeant ad eos, an Pontignaci salubrius demorentur ? Si priori proposito non præposuissent vltimum, nec proponerent, vt præferrent. Si stetissent in similibus prioris voti, starem forsitan & ego ; nec ad aliud animarem. Nunc vero, quia meliora, & viciniora salutis quæsierunt, & de Silo in Ierusalem ascendentes transtulerunt tabernaculum suum, quis audeat in eis libertatem spiritus impedire ? Nam reuerà vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Spiritum, inquit, nolite extinguere. Extinguunt autem, quantum in se est, qui eius operibus contradicunt. Certè Spiritus Sanctus columba est : quia in specie columbæ super Dominum, dum baptizaretur visus est descendisse. Inter alias columbæ proprietates, quas admittit Ecclesia, & mysticè repræsentat ; columba meliora grana eligit, non spernit bona : quoniam si meliora non occurrerent, bonis vtique vesceretur. Bonis tamen meliora, melioribus optima præfert. Imitantur eam, qui ex parte eius sunt.*

6. *Æmulamini & vos meliora charismata. Beatus enim non tantùm qui iudicat inter diem, & noctem, sed, qui iudicat inter omnem diem. Cisterciensem Ordinem, quasi lucernam supra montem positam, quis in Ecclesia Dei maximum, & præcipuum culmen non dicat attingere ? Euangelium implentes, monasticam Regulam, quam supererogauerit Benedictus Pater, fidelis Samaritani stabularius, sic obseruant, vt nec vnum ex ea iota præterire videantur. Beata paupertas eorum, qua, licèt eos fame premat, & frigore : non tamen aut mendicare compellit, aut diuitibus adulari. Suis, ac suorum manibus victum exquirunt, & vestitum, non veriti sequi Paulum, qui, cùm licitè posset de Euangelio viuere, ac spiritualia seminans, carnalia metere, maluit tamen manibus operari, ne quod offendiculum daret Euangelio Christi. Honorari Dominum de sua, non de aliena substantia, & de primitiis frugum, non alterius, sed suarum dans pauperibus. Quanquam rectius non sua, sed omnium dixerim, qua vniuersis secundum gradus ordinatæ charitatis, quasi in commune deseruiunt. Nec enim buccellam suam comedunt soli, & non comedit cum eis pupillus ex ea : non despiciunt præterennem, & absque operimento pauperem : sed benedictum*

nedicunt eis latera pauperum, & de velleribus ouium suarum calefaciunt, & eorum quidem lateribus pannos circundant, sicut despicabiles pretio, sic inapplicabiles ornamento. Conqueritur ipsa natura, quæ modico solet esse contenta, quod tegumenta eorum ei non sufficiant in hyeme, & officiant in æstate. Ostium eorum viatori patet, nec foris remanet peregrinus. In sudore vultus sui vescuntur pane suo; nec eos lasciuire, & rixari faciunt otium, & alienus cibus. Tanta in cibo parsimonia, vt ducibus tantùm pulmentis vtantur, quæ aut ager ex leguminibus, aut exceleribus hortus affert.

7. *Ipsis tanto rarius vtuntur, quanto frequentius apud eos audiri solet, quàm videri: terram disrumpunt voluntarij, & violenti diripiunt cœlum. Si numeres, quot ab eis beneficia profluant in populum, plura conferunt Vniuersitati, quàm Vniuersitas ipsis. Parua sunt hæc, & quæ terrenos vel alliciant, vel occupent appetitus. In eis nec fœcunditati Lia Rachel inuidet, nec Rachel pulchritudinem Liæ minuit; sed munit. Non murmurat Martha de silentio Mariæ; & inuicem dicta Maria sedens ad pedes Domini Marthæ solam ministrare non relinquit. Inter eos inge gaudium, communis exultatio, vbi nihil extra disciplinam, nihil contra. Mirantur homines, delectantur Angeli, fugiunt partes aduersæ, quoniam sancta illa Congregatio terribilis est, vt castrorum acies ordinata. Illic nec bobus præfertur arator, nec à capite deorsum pendet Dominus, nec idiota docet Clericum, nec laicus imperat Sacerdoti. Ibi maiores minoribus, prudentiores præsunt indoctis, qui & vitæ sanctitate præeminent, & intelligentia Scripturarum. In Arca illa non est virga sine tabulis Testamenti: quia qui potestatem habet corripiendi, habet scientiam corrigendi. Diuina Officia cum tanta solemnitate & deuotione celebrant, vt in eorum concentu voces Angelorum sonare putes: psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, ad laudes Dei inuitant homines, & Angelos imitantur. In iis, qui Clericus fuerit, tantò liberiùs delectatur, quantò remotius est ab eo laicorum fabulis inesse. Extra Oratorium, aut operi manuum dant operam, vt semper eos Diabolus inueniat occupatos; aut legendo concipiunt, aut sanctis meditationibus cœlos penetrant, vt in Paradiso audiant illa arcana verba, quæ non licet homini loqui. Regressi à Fratribus tantam ori suo ponunt custodiam, quantum ostium labiis suis, vt cultum institia, silentium, ne articulatis quidem vocibus interrumpant. Non bini, aut terni seorsum per angulos Claustri fabulis vacant, qui nec inter se seria serere permittuntur. Tenent memoriter, quia in multiloquio non effugerent peccatum; & quasi natura bellum indicentes, modicum illud membrum, quod magna exaltat, non modica disciplina coercent.* Hactenus Cisterciensium illustre encomium, quo in Christo, à quo omnia glorientur.

8. Pergit deinde conuersus ad Nouitios: nec solùm consulit posse perseuerare; verùm debere: idque alludens ad nomen Grandimontensium: *Attende*, ait, *quisquis es, bona indolis adolescens, qui cum Isaac in holocaustum Domino super vnum montium offerri desideras, quia tam sancto, & Cœlis proximo monte isto, montem non inuenies grandiorem. Verè mons iste, mons coagulatus, mons pinguis: coagulatus in vinculo pacis, pinguis per infusionem gratiæ cœlestis. Quis grandis mons grandior isto monte? Nubes penetrat, cœlos attingit, longè inferiùs montes alios, & colles relinquit de rore cœli, & de pinguedine terræ plenam suscipiens benedictionem.* Et paulò inferiùs. *Esto similis negotiatori quærenti bonas margaritas: bonam inuenisti margaritam, cui similem non habent vel Reginæ diademata, vel monilia Reginarum. Vendidisti omnia, quæ habueras, & emisti eam: quoniam primò parentes, patriam, redditus ecclesiasticos, diuitias, & delicias, lubrica adolescentiæ mouens, voluptatem pariter, & voluntatem reliquisti carnalem. Secundò, ab iis, quæ proposueras, ad meliora transitum faciens, consummatus in breui, explebis tempora multa. Vide, ne margaritam, quam tanti emisti, porcis conculcandam expenas. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retrò aptus erit Regno Dei. Numquid*, inquies, *hoc est retrò aspicere, si ad bonum, quod proposueram, & propter aliud forsitan maius bonum interim omiseram, reditum faciam. Noli mihi credere; sed Sancto Patri Gregorio crede. Non te fallet ille Doctor egregius, qui sicut fallere noluit, falli non potuit. Quisquis, inquit, bonum maius subire proposuit, bonum minus illicitum sibi fecit. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum*, &c.

Addit & respondere authoritatibus, quæ videbantur obstare perseuerantiæ: & primò dubitat, an Grandimontenses inter Canonicos debeant numerari: *Nam neque eos Canonicos esse crediderim, quorum plures numero, & prælatione maiores, non Clerici, sed laici, non litterati, sed sine litteris existunt.* Hæc erat institutio Grandimontensium, qualis hodie Militia Iacobæa, & olim Ordo Redemptoris Captiuorum Sanctæ Mariæ de Mercede, de qua infeliùs. Mox nec Canonicis transitum prohibitum ad Cistercienses, per Vrbani decretum, quod præcessisset: quippe ad vitam omninò excellentiorem: *Quanquam*, ait, *ipsi Canonici Regulares, si hodie ad celsitudinem Cisterciensis Ordinis ascendere vellent, decretis illis Vrbani Papæ non possent forsitan reuocari. Certè ego indignus Canonicis Regularibus præsum, & cùm à Domino Papa (non multum temporis transiit) priuilegium quærerem, vt Canonicos nostros, nobis inuitis, nullus retinere auderet, addit in priuilegio, nisi causa districtionis vitæ, ad arctiorem Ordinem transierint. Ecce, quæ longe exempla petantur, videtur, quia priuilegium Vrbani restringitur priuilegio Alexandri, verè si aliquis nostrorum ad Cisterciensem transire vellet, ame transitum dissuaderem, post transitum non reuocarem. Nollem Spiritui Sancto resistere: nollem Spiritum extinguere: nollem libertatem Spiritus impedire.* 9.

His Stephanus ad obiecta cùm respondisset, iterum ad Nouitios feruorem pariter, ardoremque infundens: *Delicata tibi sunt, & tenera iuueniles manus, & laborem refugiant: vigilia prolixiores, & nocturna synaxis in lucem vsque producta matutinum soporem non admittunt. Rusticanus cibus, & sale tantùm conditus, nobile adolescentis palatum offendunt, & ad singulas oblationes nauseam mouent. Regulare silentium prurientem incitat linguam, & ad quemlibet sonum paruas aures inquietat auiditas audiendi. Obsecro, fili, per medicinam vulnerum nostrorum, pendentem in Cruce, Iesum Christum, non te moueant ista, non te turbent: vana sunt hæc, & quæ primo quidem assultu currentem impediant; sed ad solum Crucis signaculum, & inuocationem Domini Iesu citius euanescunt. Et quoniam maior, vt audiui, conflictus est tibi contra voti memoriam, quasi fidem primam irritam feceris, constanter respondе: Non veni votum soluere, sed adimplere.* Hæc ad Nouitios. 10.

Cæterùm ad Robertum Priorem tandem concludit: *Coëgit me, Roberte charissime, latum Domini mandatum, longam, latámque formare epistolam; & cùm tibi scribere incepissem, raptus Nouitiorum tuorum charitate, & timore reditus ipsorum, stylum verti, æstimans, si eos directo, vel arguerem, vel monerem, fidele propositum meum meis facilius attineri. Gratius enim metit agricola, quod manus propria serit, quàm*

quod

quod aliena. Interim tu, charissime, circa Nouitios tuos sollicitus esto: per te,& per alios Doctores exhortare,mone, argue, increpa, obsecra: quoniam plantæ de loco ad locum translatæ facillimè arescunt, nisi sapiùs irrigentur. Deus autem meus impleat omne desiderium meum,suámque,secundùm diuitias gloriæ suæ in Christo Iesu Domino nostro. Amen. Hactenus resolutio quæstionis per Stephanum de Sancta Genouefa,cui standum fore sanxit continuus plausus, fortè & perseuerantia Nouitiorum.

12. Constat,cùm post triennium, plùs,minúsve, Petrus,cuius mandato scripta fuit, in Cardinalem Episcopum Tusculanum per Alexandrum III. promotus esset, scripsisse Stephano,ac repetiisse, quæ iubente ipso dictasset. Stephanum porrò, parentem, vt par erat,præceptis viri, remisisse transsumptum responsionis, addita epistola breui; sed historica,& perstringente factum consultationis, quam Collector earum, quicunque fuit, quamuis materia coniunctam præcedenti ordine, nimiùm discretam numerauit. Quippe interpositis octo,& octuaginta; fortè vt triennium inter vtranque transcursim denotaretur. Eam pro complemento hactenus dictorum, hic consequenter censui transcribendam [b]: [b epistola 90.]

Petro Tusculano Episcopo.

Risum monet inuentibus, si accesserit ouis ad capram,vt ex ea sibi lanam assumat. Ita, Pater,accidit. 13. *Placuit vobis aliquid a me petere, quo plenius abundatis: feci,quod potui,ne,si nihil fecissem,indenotus existerem,& ingratus. Misi vobis epistolam Nouitiis Pontigniacensibus nuper scriptam. Quæsierat à vobis Frater R.de Galardum,me præsente,quid Nouitiis illis faciendum erat, qui timore prioris voti tentab.mur ad redi-tum? Mihi tunc inuenistis sarcinam respondendi. Memores beneficiorum vestrorum quotidianas pro vobis Deo precum hostias immolamus. Angelus Domini bonus comitetur iter vestrum.* Hactenus Stephanus epistolam transmittens, quam Nouitiis scriptam, quia pro Nouitiis, & ad eos confirmandos, meritò tradit.

---

1. *Sancti Alexandri Colonienſis ſancta mors*, 2. *atas, & ſanctitas.* 3. *Electa ſepultura*, 4. *& Guillelmus pro ipſo ſubrogatio.* 5. *Arnulfus Lexouienſis ſeceſſum cogitans:* 6. *& Morinum Mare ad quietem ſibi eligens*, 7. *Guillermo Ciſtercienſi Abbati ſcribit*, 8. *beneplacitum eius obtenturus.* 9. *Coniectatum de titulo epiſtolæ*, 10. *& dictum de obitu Mauricij Boilenſis.*

CAPVT III.

1. PVNESTAVIT hunc annum cunctis tristis; sed ipsi soli læta, & felix mors Alexandri, totius Cistercij Patris, Bernardi quondam filij, quem post multos pro Ecclesia Dei labores, plures pro Ordine, cœlestes Sedes coronandum præstolabantur. Certè in Chronico Abbatum Cistercij metrico, non viator,sed cursor, inter cæteros, imò præ cæteris, ad gaudia illa apprehenda commemoratur:

Venit Alexander populo ſpectabilis omni,
Decurrens alacer meritis ad gaudia Cœli.

Diem mortis ibidem notatam lego,quartam Kalendas Augusti, qua item in Menologio [a] Cisterciensi Sancti Viri memoria recensetur. Annum notauit continuator Sigeberti [b], quem Fiterensis [c], Iepiúsque [d] sequuntur, quamuis aliqui differant: incertum qua probanda coniectura. Præfuisse creditur annos fermè nouem plùs, minúsve: in quibus multa pro Ordine, & Cœnobio. Robertus Claudius [e] ei tribuendum putat, quod *accepit in censum a Benigniensis Domum Dinionensem, vulgò*, de petit Citeaux, *dictam ei à Mathilde Ducissa* 1171.

[a] 8 Iulij 19.
[b] an. 1175.
[c] lib. 4. exordior. c. 39.
[d] Genuer. 7.
[e] in Catalogo Abbatum cit.

2. Fecerat in Cistercio, quando decessit,octo & viginti annos,plùs minúsve: quippe ab anno M.C.XLVII. quo eum à Beato Bernardo conuersum diximus. Ex quibus vnum tantùm,& paucos menses in Claraualle; Pater Cistercij nouem; reliquos Grandissiluæ Abbas exegerat; vt Sancti Patris Filius, dum adhuc iuuenis, sic iam prouectior Sanctorum ipse Pater, quos vtrobique genuit, educauit, prouexitque; neque post mortem eosdem deserturus. Sexagenarium ad summum obiisse,siue fortè minorem, inde deduco, quòd adhuc iuuenis ad Ordinem, quamuis iam doctus, Magistérque vocatus, venisse legitur, exordio magno de illo ita loquente [f]: *Vir,ait, nobilis Alexander,qui eo tempore iuuenis,& secularis,scientia typho turgens, diuitiarum quoque,& transitoriis honoris insulis decoratus, nihil minus quam conuersionem cogitabat*, &c. Ergo vt trigesimum annum iam expleuerit, cùm Bernardum sequutus, qui octo post & viginti superuixit, vix sexagesimum potuit attigisse. Vt eò magis filiis dolenda mors, quò minùs præuisa: & longiùs adhuc differenda sperabatur, integris dum vtriusque hominis viribus, & pro vitæ susceptæ austeritate, illæsa, & planè robusta valetudine. Sed, qui currebat, non potuit detineri, quominùs citius ad palmam peruenirent.

[f] lib. 1. c. 39.

3. Corpus Parentis Sancti, pij filij, post iusta soluta, Sanctis prædecessorum suorum ossibus componendum nequaquam dubitarunt: apposito vere ad patres suos homine, cuius idem in Cœlis locus animam, idem in terris corpus præstolabantur. Felix, terque, quaterque beata Domus; quæ tot Sanctos, quot Patres: nec quenquam sibi asciuit in Pastorem, quem non Deus in Sanctum sublimaret, Sanctorum tumulo statim inferendum. Ergo Alberico, Stephano, Rainaldo, Gozeuino, Fastrado, Gillebertóque, additus Alexander; loco,& titulo totius facti Conuentus Cistercienſis, & concurrentium ad funus Sancti, Abbatum, tum etiam populorum acclamatione. Quam cæteri sequuti virum nominant inter Sanctos Cistercij Ioannes Abbas [g], Missale antiquum Ordinis [g], Dialogus de prospero, & aduerso statu Cistercij [g], & ex his recentiores nostri, & exteri.

[g] in suis Catalogis.

4. Tum, siue prius ad exequias conuenissent, seu tumulato Parenti superuenerint, quatuor primi Prælati Firmitatis, Pontigniaci, Claræuallis, & Morimundi, communicato cum Fratribus consilio, votis communibus Guillelmum elegerunt, virum æquè probatæ religionis, quem ex Abbate Firmitatis assumptum, in vetustioribus memoriis notatum video. Iepius in Catalogo Abbatum Firmitatensium, quintum in ordine nominat Guillelmum, qui Guidoni successerit, Bartholomæi (Sancti Bernardi fratris) successori. Et potuit facilè idem Guillelmus esse, quem suffragia electorum

1. Guarinus Pontigniaci Abbas in Archiepiſcopum Bituricenſem eligitur. 2. Ratio temporis, & electio ſucceſſoris. 3. Richardus in Anglia quatuor ex Suffraganeis Præſules conſecrat. 4. Ibidem Clericus Iudæam virginem ſtuprans, 5. & comprehenſus, ac liber per miraculum, 6. ſacro fonte ablutam duxit vxorem. 7. Demum vterque Ciſtercium profitetur. 8. Ludouici, Langrauij mors. 9. Filij eius damnabilis curioſitas. 10. Horrenda viſio, 11. & occaſione eius, conuerſus Clericus.

CAPVT V.

1. INTER hæc, cùm per obitum Stephani, Archiepiſcopi Bituricenſis, ex Abbate Dolenſi, tres fermè annos Eccleſia illa vacaſſet, neque inter Electores conueniret, quis tandem illi dignè ſubrogaretur, vniuerſæ Aquitaniæ præfuturus; optatis votis omnium dies tandem illuxit: & Guarinus, tertius Abbas Pontigniacenſis, qui Guicardo ſucceſſerat, communibus ſuffragiis electus eſt, ad tantæ Sedis faſtigium ſublimandus. De qua electione hæc habet Robertus Montis [a]: *Guarinus de Geſardin, Abbas Pontigniacenſis, factus eſt Archiepiſcopus Bituricenſis. Sicut Abbas, qui idem Monaſterium ante ipſum rexerat, factus fuerat Archiepiſcopus Lugdunenſis.* Ita ex tribus Pontigniaci Abbatibus, quos hactenus habuerat, primus aſſumptus ad Altiſiodorenſem, dudum ex ea ad cœleſtem Sedem conſcenderat. Duo alij in carne adhuc degentes, alter Lugdunenſem, alter Bituricenſem Archiepiſcopatus adminiſtrabant, & præſtolabatur rursùs Altiſiodorum Guarini ſucceſſorem, quamuis ante conſecrationem (heu!) rapiendum, vt ſuo tempore etiam memorabimus.

[a] *ad hūc ann.*

2. Coincidiſſe electionem Guarini cum obitu glorioſo Sancti Petri, atque vtrumque, in hoc anno, Ægidius de Roma ſcripſit in ſuis Chronicis [b]: *Anno*, inquit, *M.C. LXXIV. Sanctus Petrus, Archiepiſcopus Tarantaſienſis obiit. Eodem anno Dominus Guarinus, Abbas Pontigniacenſis, Archiepiſcopus Bituricenſis efficitur.* Conſonat, quod ad Guarini promotionem, Chronicon Antiſiodorenſe, incerto, ſed antiquo, & graui authore, cuius hæc verba [c]: *Anno M.C. LXXIV. Guarinus, tertius Abbas Pontigniaci, tam religione clarus, quam genere, ad Bituricenſem Archiepiſcopatum promouetur.* Eadem habet recens author Biturix [d], nonnulla alia addens, quæ ſuis locis à nobis dicenda erunt. Guarinum Pontigniaci excepit Guarmundus, vir æquè nobilis, nec minùs religioſus, de quo Vincentius in Speculo hiſtoriali [e]: *Ægidius de Torneuallis procurat negotia Regni, frater Roberti de Monte, qui fuerat tutor Regis* (ſcilicet Franciæ) *prouidus & fidelis. Horum frater Guarmundus, Abbas Pontigniacenſis*, &c. Præfuere vterque Bituricis Guarinus, atque Pontigniacenſibus Guarmundus, octo circiter annis plùs, minúſve. Porrò, quæ in eis Hiſtoria digna geſſerint, ſuis locis ex more reddenda erunt.

[b] *eod. anno.*

[c] *ad hunc an.*

[d] *Ioann. Chenu.*

[e] *lib. 28. c. 35.*

3. Hoc item anno Richardus Cantuarienſis, quem ſuperiori ab Alexandro III. ſacratum diximus, quatuor ipſe Epiſcopos ſacrauit; ſuæ Prouinciæ Eccleſiis, dudum viduis, omni cura & ſtudio prouiſuros. De his Harsfeldius [f] ex Matthæo Paris, & alij: *Reuerſus* (ſcilicet, à Romana Curia) *ſacratus ipſe, atque pallio ac primatu donatus, & legatia, reuerſus, inquam, Vintonienſem, Elienſem, Herefordenſem* (*atque hunc ex familia S. Thomæ*) *& Ciceſtrenſem Epiſcopos conſecrat.* Porrò qualiter ſequenti anno Richardus Prouinciale Cœcilium Cantuariæ coëgerit, & quæ in eo pro reformatione Cleri ſanxerit, cum aliis, quæ concernunt eius Hiſtoriam, ex Annalib. Angliæ intrà referabimus.

[f] *ſæculo 12.*

Sub idem tempus auxere Ciſtercij numerum, vir, vxórque, quos ſemel admiſſum ſtuprum ad coniugium priùs, imò illam ad veram fidem ex Iudaiſmo, ſed mox vtrumque traxit ad Religionem. Hiſtoriolam raram, iucundámque, & Dei clementiam haud exiguè manifeſtantem, Cæſarij Heiſterbacenſis verbis è his Annalibus dignam accipiat Lector: *In ciuitate quadam Angliæ, puella quædam habitauit, Iudæi cuiuſdam filia, & ſecundùm genus ſuum ſatis ſpeciſa. Hanc iuuenis quidam Clericus, Epiſcopi eiuſdem ciuitatis cognatus, & Eccleſiæ maioris Canonicus, vt vidit, concupiuit; & verbis amatoriis ad conſenſum ſuæ libidinis, cum multo labore inclinauit. Ad cuius amplexus dum aſpiraret, & nimiis incendiis æſtuans, eam quotidie ad commixtionem ſollicitaret; reſpondit illa: Patri meo multùm ſum dilecta, qui in tantum cuſtodit me, vt neque ego ad te, neque tu poſſis venire ad me, niſi in nocte ſextæ feriæ, quæ Paſcha veſtrum præcedit; tunc enim Iudæi laborare dicuntur quadam infirmitate, qua fluxus ſanguinis dicitur, circa quam occupati, aliis tunc minùs intendere poſſunt. Inuenis hæc audiens, & ob amoris nimietatem penè ratione carens, oblitus Chriſtianæ Religionis, immemor Dominicæ Paſſionis, nocte eadem ad virginem venit, & vſque ad matutinum cum illa dormiuit.*

[g] *lib. 2. Dialog. cap. 24.*

4.

Iudæus verò, pater puellæ, ante lucem, cum lumine cubiculum intrans, venit ad lectum filiæ, volens videre, quomodo iaceret, vel ſi forte operiri neceſſe haberet; videńſque ad latus eius iam dictum iuuenem cubantem, expauit, & infremuit, vtrumque occidere cogitans: cognoſcens tamen, quòd eſſet cognatus Epiſcopi, timore illius manum cohibuit, & cum multa ira clamauit: Quid facis hic, ô male Chriſtiane? vbi eſt fides tua? vbi eſt Religio tua? Traditus es iuſto Dei iudicio in manus meas. Si non timerem Dominum meum Epiſcopum, modo occiderem te. Ille timens, & veniam poſtulans, cum maxima confuſione erectus eſt. Die eodem, cùm Epiſcopus ſolemne Officium ad Nonam eſſet celebraturus, & inuenis idem, vtpote hebdomadarius, Epiſtolam lecturus, timuit cum tam immunda conſcientia ad ſacrum miniſterium accedere: & timuit propter notam alteri vices ſuas die tali committere: timuit tam turpe peccatum, tam recenter per confeſſionem alicui aperire: & cum victus erubeſcentia ſacris veſtibus indutus coram Epiſcopo ſtaret in loco ſuo, ſupradictus Iudæus multitudine Iudæorum ſtipatus, cum magno ſtrepitu intrauit Eccleſiam, Epiſcopo de cognato ſuo facere volens querimoniam.

5.

Quem vt inuenis vidit, & benè intelligeret, ad quid veniſſet, cœpit timere, pallere, tremere, & dicere: Domine Deus, liberame in hac hora: & ego tibi promitto, quòd de cætero te non offendam; imo de hoc peccato tibi ſatisfaciam. Creator piiſſimus, qui odit culpam, & diligit naturam, mox vt hominem contritum vidit, confuſionem, quam timuit, in caput infidelium conuertit. Mirante Epiſcopo, quid quæreret Iudæi in Eccleſia, maximè tali die, quando Chriſtiani repræſentant Domini ſui Paſſionem, annuit, vt ſtarent. Illis ampliùs ſe eius præſentiæ ingerentibus, ſtatim vt ora ad Clerici accuſationem aperuerunt, pri-

6.

u ati

vati suis vocibus, omnes obmutuerunt. Videns Episcopus ora Iudæorum contra se blasphemia, & nulla verba ex eis resonantia, putans, quia ad hoc venissent, vt diuinis mysteriis illuderent, cum indignatione omnes de atrio Ecclesiæ expelli præcepit. Clericus vero diuinam in se expertus clementiam, statim completo Officio, accessit ad Pontificem, confessus est culpam, suscepit pœnitentiam. Episcopus Dei misericordiam admirans, & glorificans, tum pro magnitudine miraculi, tum pro pœnitentia cognati, eidem suasit, ac persuasit, vt puellam à se defloratam, per Baptismi gratiam renouatam, legitimè duceret, malens illum, sicut vir pius, & iustus, ecclesiasticis carere beneficijs, quam illam multis expositam periculis in paternis manere delictis.

7. Hæc de puella ad fidem primùm conuersa occasione peccati, quæ est abyssus diuinæ prouidentiæ, mox coniugio donata nobilis iuuenis, qui iam non tam vt illa frueretur, quàm vt ipsi consuleret, semel à se defloratam, ducendam censuit. Aſt post aliquod tempus matrimonij, fortè & susceptos liberos, quibus, quæ possidebant bona, relinquerent, vtrumque simul ad Ordinem vocatum pergit Cæsarius scribere in hæc verba: *Clericus non ingratus diuinis beneficijs, satisfacere cupiens Deo pro peccato commisso, conuersus est postea in Ordine nostro, similiter & eius instinctu puella.* Hactenus de conuersione ista Cæsarius: in qua si quid apocryphum misceatur de fluxu sanguinis, quem feria sexta in Parasceue Iudæi perpeti solent per annos singulos, nequaquam eneruate puto fidem Historiæ, siue aliquando signum in gente visum, seu rumore vulgatum, quantumuis falso, timorem incusserit maxime genti superstitionibus obnoxiæ, & pronæ in metus, atque illic etiam timente, vbi non est timor. De alia Iudæa Rachele, mox Catharina, ad Ordinem conuersa, atque multis virtutibus ornata, dicam in tempore.

8. Nunc Clerici cuiusdam conuersionem, occasione artis magicæ, cui ab infantia deditus, qua fide idem Cæsarius à Conrado, Heisterbacensi Monacho, & nos ab ipso accepimus, reddamus: aliquantò fortassis anteriorem; sed cuius annus latet; atque hactenus à nobis omissa fuit. Ergo, quæ de ea Cæsarius, ita se habent [h]: *Narrauit mihi sæpius nominato sene, Monacho nostro Conrado, qui penè centenarius est, cuius suprà feci mentionem, didici, quod refero: ipse quidem de Thuringia oriundus, & in armis ante conuersionem exercitatus, multa nouit de actibus Ludouici Lantgrauij, de quo suprà cap. 27. longam texui narrationem. Hic, cum moreretur, duos filios reliquit hæredes, Ludouicum, scilicet, qui in prima expeditione Ierosolymitana, quæ facta est temporibus Friderici Imperatoris, defunctus est, & Hermannum, qui eidem in Principatu successit, qui nuper obiit. Ludouicus verò, qui satis erat tractabilis, & humanus, &, vt verius dicam, cæteris tyrannis minùs malus, tale edictum proposuit: Si modò aliquis esset, inquit, qui veris indicijs vera mihi de anima patris mei dicere posset, bonam cortem à me reciperet.*

9. *Audiebat hæc miles quidam pauper, qui fratrem habebat Clericum in Necromantia quandoque satis expeditum, cui cum verba Principis indicasset, respondit ille: Bone frater, Diabolum aliquando per carmina vocare consueui; & sciscitabar ab illo, quæ volui: diu est, quòd eius colloquijs, artibúsque renunciaui. Instante milite, opportunè, importunè ad memoriam ei reducens propriam paupertatem, promissumque honorem, precibus eius tandem Clericus victus, Damonem vocauit: vocatus, quid vellet, inquisiuit: respondit Clericus: Pœnitet me tanto tempore recessisse à te: tu indica mihi, obsecro, vbi sit anima Domini mei Lantgrauij. Ait Damon: Si vis mecum pergere, ego illam tibi ostendam. Et ille: Libenter illam viderem, si sine periculo vitæ meæ illam videre possem. Cui Diabolus: Iuro tibi per Altissimum, & per tremendum eius iudicium, quia si fidei meæ te commiseris, incolumem te illuc ducam, hincque reducam. Penes Clericus propter fratrem, animam suam in manibus suis, collum Dæmonis ascendit, quem infra breue tempus ante portam Inferi deposuit.*

10. *Introspiciens Clericus contemplatus est loca nimis horrenda, pœnarúmque diuersa genera, & Damonem quendam aspectu terribilem super operculum putei residentem. Clericus vt hæc vidit, totus contremuit; & clamauit Dæmon ille ad Dæmonem baiulum: Quis est ille, quem tenes in collo: adduc eum huc. Qui respondit: Amicus noster est: & iuraui ei per virtutes tuas magnas, quia eum non lederem; sed animam Lantgrauij Domini sui ostenderem, saniúmque reducerem, vt omnibus tuam immensam prædicet virtutem. Ille verò statim operculum igneum, cui insedit, amouit, & tubæ aneæ puteo immissa tam validè buccinauit, vt videretur Clerico totus tremere mundus. Post horam, vt ei videbatur, nimis longam, puteo eructante flammas sulphureas, Lantgrauius inter scintillas ascendentes simul ascendens, videndum se Clerico collo tenus præbuit, ad quem ait: Ecce præsto sum miser ille Lantgrauius, quondam Dominus tuus, & vtinam nunquam natus. Cui Clericus: Missus sum à filio vestro, vt ei renunciare possim de statu vestro: & si in aliquo poteſtis iuuari, mihi dicere debetis. Respondit ille: Statum meum benè vides: hoc tamen scias; quia si filij restituere vellent tales possessiones talium Ecclesiarum, (propriis nominibus eas exprimens,) quas mihi iniustè vsurpaui, & sub titulo hæreditario ipsis reliqui, magnum animæ meæ conferrent remedium. Cui cùm Clericus diceret: Domine, non credent mihi. Respondit: Ego dicam tibi signum, quod nemo nouit præter me, & filios meos.*

11. *Accepto signo, & Lantgrauio, eo vidente, puteo immerso; per Dæmonem reductus est: qui, licèt vitam non perdiderit; ita tamen pallidus & languidus rediit, vt vix agnosceretur. Verba patris filijs retulit, signa ostendit: sed modicum illi profuit. Non in hoc consentire voluerunt, vt possessiones restituerent. Respondit tamen Ludouicus Lantgrauius Clerico: Signa cognosco: patrem meum te vidisse non dubito: propositumque tibi præmium dare non renuo. Ad quem ille: Domine, cortis vestra vobis manent; ego cogitabo quid animæ meæ expediat. Relictisque omnibus factus est Monachus in Ordine Cisterciensi, contemnens omnem laborem sustinere temporalem, dummodo pœnam euaderet æternam.* Hactenus ex relatione Conradi Senis, Cæsarius. In qua tamen, quod Lantgrauius dixisse fertur; ex restitutione quarundam Ecclesiarum, ingens sibi subsidium conferendum, piè, & catholicè intelligendum est, vt vel Lantgrauius purgandus; non damnatus in pœnis esset; vel diabolica fuerit hæc illusio, non quærentis remedium damnati hominis, cui nulla posset ope subueniri; sed culpam successorum aggrauantis, qui vel moniti de paterna damnatione, quæ foreut corrigenda, non emendarent. Nisi fortè deceptioni permissus est, quò vehementiùs doleret, dum crederet, per filios suos stare, quominùs ab illis tormentis liberaretur.

h *lib. 1 c. 34.*

Caput VI.

1. Alphonsus Rex à Priore, & Fratribus Hospitalis Ierosolymitani, 2. Mataplanam redemptam, 3. Tello, & Guntrudi ædificandam tradit: 4. qui Cristæ Monachos sub Abbate Roberto ibidem collocant. 5. Donatio loci, 6. sub Regis protectione, 7. abdicatis Guntrude, Tellóque, 8. eius abdicationi ipsi subscribunt. 9. Tum tota historia constans per instrumenta. 10. Roberti sanctitas, & Alphonsi magnificentia. 11. Constructio noui templi, 12. donariáque, 13. atque sepulcra, & alia remissiuè.

CAPVT VI.

1. QVAM Tomo præcedenti tot ante annos Chronologia commemorat, Ecclesia Mataplanæ, hoc tandem, mundo primitùs oborta illustrauit Cistercium, Hispaniámque in veteri Castella, tertio lapide ab Emerita Augusta (vulgò, *Medina de Rioseco*) quinto à Vallisoleto (insigni vrbe, & nostro hoc sæculo Curia Philippi III.) in Palentina diœcesi, in qua etiam notatur in libris Cameræ, exigua licèt sexaginta florenorum taxa præfixa. Cæterùm, quod ad tempus attinet, quam nobis facem in cunctis prælucere, quoties datur, curamus, testem habemus antiquum instrumentum commutationis eiusdem loci pro loco de *Alcubilla*, ad ripas Esgueuæ, à Priore Hospitalis, Fratribúsque, circa annum Christi M. C. L X X I. ad quem vsque sub eorum dominio manserat. Vt palam fit, vt minimum, ante illum, hoc est, X X I. post notatum in Chronologia admittere Cistercium non potuisse; ob quod nos in hunc locum reseruauimus. Portò instrumentum ipsum transactionis, quod hodiéque seruatur in Mataplana, tum situm loci, tum terminos describens, ad litteram transcriptum hæc habet verba [a]:

a ex Tabulario Mataplanæ.

2. *Notum sit omnibus, tam præsentibus, quàm futuris, quòd ego Aldephonsus, Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, vna cum vxore mea Alienor, Regina, & cum filia mea Infantissa Berengaria, dono in cambium, & concedo Ierosolymitano Hospitali, & vobis Domino Petro Arias, eiusdem in Hispania Priori, Alcubillam, quæ est in valle de Esgueua, totam integram, cum ingressibus, & egressibus, cum terminis, & frontariis, cum terris, vineis, cultis, & incultis, cum pascuis, pratis, hortis, saltibus, & defessis, & cum aliis directuris, & pertinentiis suis iure hereditario in perpetuum habendam, & irreuocabiliter, vobis, & Fratribus vestri Ordinis possidendam, pro omni illa hereditate, & omni illo iure, quod Ierosolymitanum Hospitale, & vos habetis in Mataplana, quæ est in Alcor, inter Montalegre, & Villam albam, & Villum viridem sita: quod ius, & hereditatem cum omnibus directuris, & pertinentiis suis, mihi, & successoribus meis iure hereditario habendam, & semper possidendam accipio: ita quòd vos de supradicta Alcubilla, & ego de pradicta hereditate de Mataplana possimus facere, quicquid nobis placuerit. Facta charta apud Ramagan, Æra M. C. C. I X. nono Kalend. Septembris.*

Hactenus instrumentum commutationis.

3. Non satis constat, an Alphonsus Rex locum condendo Cœnobio comparauerit. Illud compertum, triennio vix exacto, cùm illustrem victoriam de Sancio, Rege Nauarræ, reportasset; & receptis, quæ puer loca amiserit, victricia signa Pampilonem vsque duxisset, Tello Petri, & Guntrudi tradidisse coniugibus illustribus: haud dubiè quin, vt quod ipse non posset, præpedientibus bellis, illi præstarent: & constructa Abbatia adducerent Monachos Cisterciensis Familiæ, per quos & de acceptis beneficiis humiles Deo, & Bernardo gratias redderet, & pro accipiendis (nam multa adhuc sperabat, accepitque) gratos ad eos haberet intercessores. Extat similiter charta traditionis Tello, & Guntrudi, facta sub hoc initio [b]: *Ego Alphonsus, Dei gratia Hispaniarum Rex, vna cum vxore mea Alienor, Regina, facio chartam donationis vobis, Tello Petri, & vxori vestræ Guntrudi, & concedo meum infanticum, quod habeo in Mataplana, quod iacet inter Empudiam, & Montemlarum, videlicet, illam hereditatem, quam ab Ierosolymitano Hospitali, & eiusdem in Hispania Priore in concambium accepi, &c. Facta charta Burgis, tunc temporis, quando Illustrissimus Rex Alphonsus Regem Nauarræ deuicit, & Pampilonem vsque peruenit. Æra M. C. C. X I. quarto Idus Nouembris.*

b ex eisdem Archiuiis.

4. Accepto loco Tellus, Guntrudisque Ecclesiam construunt, humili primùm opere, in ingens postmodum templum surrecturam. Tum reliqua necessaria Monachis parant, & dispositis omnibus pro modo temporis, tandem hoc anno Cristam proficiscuntur (Ecclesiam Galliæ in Lingonensi diœcesi, filiam Morimundi, quam tomo primo latè memorauimus) atque à Guillelmo illius tunc Abbate Conuentum petunt (errant, qui gloriam hanc vicinæ domui sacris mœnibus tribuunt, vt mox per instrumenta palam fiet) per quem Cistercium in loco radicaretur. Ille præstantem sanctitate virum, Robertum nomine, in Abbatem designat, & Monachis adiunctis, conuersisque pro modo nouæ prolis, socium etiam se viæ vtrisque præbet: non priùs relicturus charos filios, quàm Regi Alphonso traderet, per quem, vt per Authorem totius Operis in noua Mataplanæ Ecclesia collocarentur. Tunc Tellus, & Guntrudis, vocato Rege, quem propria pietas actiùs stimulabat ad hæc munia præstanda, maximè in nostros, locum restituit auctum noua colonia. Rex fundationem ratam, & gratam habens, quippe quam ipse fieri præcepisset, abdicatis Guntrude, Tellóque, vt nudis instrumentis totius operis, vnicum se patronum, & fundatorem nouæ Ecclesiæ constituit, litteris expeditis, quas integras transcribam pro meo more [c].

c ex eisdem Archiuiis.

5. *In Dei Nomine. Amen. Regali siquidem conuenit Maiestati benè, & fideliter sibi seruientes donis regalibus ditare. Ego Aldephonsus, Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, vnà cum vxore mea, Alienor, Regina, concedo tibi Tello Petri, & vxori tuæ Guntrude, & filiis vestris ipsam Mataplanam dari Deo, & B. Mariæ, & Domui de Cristæ Cisterciensis Ordinis, & Domino Roberto primo Abbati Mataplanæ, & successoribus suis, & Monachis ibi habitantibus, tam præsentibus, quàm futuris, secundum Regulam Sancti Benedicti viuentibus: & confirmo Monasterium de Mataplana eiusdem Monasterij Abbati, & Conuentui præsenti,*

semi, & futuro in perpetuum valiturum. Concedo itaque, & confirmo, Domino Roberto primo Abbati Mataplana, & successoribus suis ipsum Monasterium Mataplana, quod Tellus Petri cum vxore sua Guntrude, & filiis suis, cum consilio, & mandato meo vobis dederunt cum omnibus directuris, & pertinentiis suis, cum terminis, & frontariis, cum ingressibus, & egressibus, cum domibus, & solariis, cum cultis, & eremis, cum terris, & aquis, cum hortis, & vineis, cum arboribus fructuosis, & infructuosis, cum riuo, qui venit de Villalba, &c. cum molendinis, pressis, & piscariis, cum montibus, collibus & vallibus ex vtraque parte Monasterij, cum fontibus, qui sunt supra Monasterium in via inferiori versùs Villam albam, &c.

6. *Et placet mihi, & mando, quòd idem Abbas, & successores sui, & Monachi, tam presentes, quam futuri, omnia, quæ suprà dicta sunt, iure hereditario in perpetuum habeant, & irrenocabiliter possideant. Et recipio sub custodia, & protectione, atque defensione, & in dominio meo Monasterium de Mataplana cum omnibus rebus suis, tam mobilibus, quam immobilibus, & de cætero sit de omnibus Regibus Successoribus meis, & quòd nullus de genere Telli Petri, & vxoris eius Guntruda, possit ibi accipere prandium, nec seruitium, nec equum, nec mulum, nec aliquod donum, nec inquietare, nec perturbare Monasterium; nec per violentiam, aut superbiam aliquid inde accipere, nec de grangiis, nec cellariis, seu de ganaris, vel de omnibus rebus suis aliquid inde abstrahere, vel accipere, aut Abbati, vel Monachis, vel Conuersis aliquem in honorem, vel iniuriam, vel percussionem facere. Concedo itaque, & confirmo, vt omnis de propriis denariis, vel de eleemosynis, de comicinis, aut de finibus eorum, tam de Realengo, quàm de benefactura, & infantatico, viginti ingarias terræ ad anni vicem, & trecentas arancaras vinearum in Monasterij termino, iure hereditario habendas, & possidendas.*

7. *Et ob maiorem gratiam vobis faciendam mandando precipio, & precipiendo mando, quòd nullus Rex, aut Infans, siue Regina, vel Infantissa, petat, vel extorqueat de vestro, vel à vestris aliquod donum, vel seruitium. Et hanc donationem, & eleemosynam; ne quis hæredum Telli Petri, & vxoris eius Guntrude, aut filiorum eorum, vel aliquis alius possit infringere, vel diminuere, vel aliquo modo inquietare, aut aliquid de omnibus suprædictis ab eis postulare quasi iure hereditario. Et si præsumpserit, iram Dei Omnipotentis plenariè incurrat, & cum Iuda Domini traditore pœnas patiatur æternas: & insuper Regiæ parti mille marapetinos de auro incauto persoluat, & dampnum, quod eis intulerit, duplicatum restituat. Facta charta Burgis, Æra millesima ducentesima decimatertia, mense Decembri, regnante me Rege Alphonso in Castella, & Toleto, qui hanc chartam meo manu propria roboro, & confirmo.* Hactenus instrumentum Regis Alphonsi.

8. Porrò Tellus, Guntrudáque, cum filiis, prædictæ chartæ non solùm subscripserunt; sed & tenorem eius, quoad ipsos spectabat, confirmarunt litteris expeditis in hunc tenorem:

Ego Tellus Petri, & vxor mea Guntruda, laudantibus filiis, & filiabus nostris, Alphonso Telli, Garsia Telli, & Tello Telli, & Suero Telli, & Tarasia Telli, donamus, & concedimus Deo, & B. Mariæ, & Domui de Crista, & Domno Roberto primo Abbati de Mataplana, & successoribus eius, & Monachis, tam presentibus, quàm futuris secundùm Ordinem Cistercienſem viuentibus, locum præditum Mataplana cum omnibus pertinentiis suis, cum Ecclesiis, & agris, cum omnibus fontibus, qui sunt ex vtraque parte Monasterij, cum puteis; & aliis aquis, cum pratis, hortis, cum vineis, & montibus, cum collibus, & vallibus, quæ sunt ex vtraque parte prope Monasterium, & cum grangia de Sandrones, & cum omnibus, quæ pertinent ad eam. Et insuper in manu Domini Alphonsi Regis Castellæ, & Toleti, cuius dono, & gratia prænominata Abbatia fundata est, & in manu omnium Regum successorum eius, reponimus, & commendamus eam, vt ipse quasi suam defendat, & tueatur ab omnibus, vt sit munita & defensa, sicuti in priuilegio Illustrissimi Regis Aldephonsi continetur. Facta charta apud Burgos, sub Æra millesima ducentesima tertiadecima, mense Decembri, regnante Rege Aldephonso in Castella, & Toleto. Huius rei testes, & confirmatores sunt Frater Vuillelmus, tunc temporis Abbas de Crista, & Robertus Abbas prædicti loci de Mataplana; & ego Tellus, & Domna Guntruda ipsis manibus propriis nostris roboramus, & confirmamus. Ita Tellus, Guntrudáque cum filiis.

Porrò ex his instrumentis facilè constat, primò 9.
Comites dictos non proprio marte construxisse Cœnobium, & constructum Cistercio tradidisse; sed de mandato Regis, quod ipse etiam Rex ad nostros ait: *Cum consilio, & mandato meo vobis dederunt.* Constat secundò, eosdem pios coniuges mera instrumenta fecisse fundationis, nunquam aliàs patronatum abdicaturos: *Quod nullus de genere Telli, & vxoris eius Guntrude possit ibidem excipere prandium, vel seruitium, vel equum, &c.* Et rursus: *Quòd nullus hæredum Telli Petri, & vxoris eius, & filiorum eorum possit aliquid ab eis postulare quasi iure hereditario,* &c. Constat tertiò fundatam semel domum solis cessisse inuictis Castellæ Regibus: *Et recipio* (inquit) *sub protectione, custodia, atque defensione in dominio meo: & de cætero sit de omnibus Regibus successoribus meis.* Constat quartò, donationem Cristæ factam, velut Ecclesiæ Matri, ex qua proles emissa sub eius erat auspiciis feliciter adultura. *Dari* (inquit) *Deo, & Beatæ Mariæ, & Domui de Crista, Cistercienſis Ordinis,* &c. Constat quintò, Robertum primum Abbatem, quem vtrunque instrumentum expressè nominat. Et tandem constat Vuillelmum Abbatem Cristæ adduxisse Conuentum, atque pactis conuentis interfuisse, non solùm testem; sed confirmatorem ibi: *Huius rei testes, & confirmatores sunt frater Vuillelmus, tunc temporis Abbas de Crista,* &c.

Vixit Robertus, & rexit Matamplanam decem, vt minùs, annis: nam millesimo centesimo octuagesimoquinto eius in instrumentis memoria extat. Vixit autem virtutibus illustris, clarus miraculis, quæ hos haud dubiè illustrare possent Annales, si non nimia incuria illius ævi (nam modestiam non dicam) cuncta obscuratasset, & densis inuoluisset silentij tenebris. De sancta eius morte dicam in tempore; déque sepulcri loco. Eximiam sanctitatem ipsius testificantur, quæ vsque hodie fiunt multa miracula, non sine ingenti concurrentis populi lucro, qui Sancti semper virtutem experitur, atque efficacem ad Deum interceſſionem. Porrò decennio, quo præfuit tenellæ Domui, Deo pariter, & hominibus dilectus, sed Alphonso præ cæteris, ingens haud du- 10.

Digitized by Google

bie incrementum illius fuit : quippe à quo accepit opulentas donationes,& plures numero , quæ si hodie integræ manerent Matæplanæ,nulli in Hispania inferiùs censendum foret. Multa in his oppida , & circumiacentes pagi pingues , & vberes , & Vallisoletani fori dimidia pars,in qua hodie celebre Franciscanum Cœnobium , Prouinciæ suæ caput , constructum visitur.

11. Nec morte extincta memoria Sancti Viri,aut pietas Alphonsi , transeunte ad hæredes vtraque simul. Defuncto Alphonso , & filio eius Henrico,qui penè puer,& sceptris adhuc impar,ea breui & obtinuit,& reliquit : cùm res Castellæ Ferdinandus , cognomento Sanctus,administraret , Beatrix Regina , Philippi,Sueuiæ Ducis,& Romanorum Imperatoris filia , illustrando sepulcro Abbatis Sancti templum incepit , quo non præstantius aliud in Castella,sumptuosiúsve: certè inter prima Hispaniæ (& pauca excipias ex Cathedralibus) nullo forsasse inferius connumeratur. Incepit autem circa annum Christi millesimum ducentesimum vigesimumoctauum , & continuauit opus per septem annos,quibus ipsa superstes : relicta cura socrui Berengariæ , Ferdinandi Parenti , cuius munificentia perficeretur.Eius rei hodiéque memoria extat , lapidibus incisa verbis sequentibus : *Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimooctauo Regina Beatrix bonæ memoriæ cœpit adificare Ecclesiam hanc : & obiit Æra millesima ducentesima septuagesimatertia : & extunc Regina Berengaria cœpit Ecclesiam fabricare.* E regione Crux etiam incisa lapidi , (cuius effigiem hoc loco apponere non inutile fore existimauimus ,) Abbatis nomen præfert , cuius tempore Ecclesia perfecta fuit. Is est Ægidius , quartus à Roberto, quintus in ordine , cùm post Robertum Isidorus, Gometiúsque , atque Iordanus , Matamplanam administrassent.



Constructam Domum à coniuge , & à matre Ferdinandus non solùm priuilegiis , quæ multa beneficentissimo animo contulit ; sed donariis , & xeniis quamplurimis liberalissimè cohonestauit ; his præsertim , quæ ad cultum Dei spectant ; & Sanctorum etiam exuuiis ; ex quibus multæ hodie adhuc perseuerant. Supereminent inter alias duæ, quia sunt singulares. Prima , candidi lini pensum, quod Sancta Virgo Dei Genitrix neuit : illud clarum est miraculis , atque ipsa , quam præsefert , post tot sæcula licet , integritate : ex cuius fruitis Complutense Collegium nostrum , Monasterium insigne de la Spina , atque aliæ Ecclesiæ Hispaniæ summopere nobilitantur. Altera verò est lapis , cui similis nullatenus reperiri potest, in quem sacrosancta Eucharistia , Clerico , qui eandem conseceraſſet , de efficacia verborum dubitante , conuersa dicitur : & conseruat miraculum inscriptio , quæ ita habet : *Reliquiæ Eucharistiæ Christi , quæ conuersa est in lapidem apud Villam , quæ dicitur* Pedraza , *anno millesimo ducentesimo sexagesimooctauo.* 12.

Cernuntur in Ecclesia Matæplanæ sepulcra Principum , Illustris Regis Alphonsi Pronepotum ; Alphonsi , dicti de Molina ; Reginæ Berengariæ Legionensis nepotis ex filia,vxoris eius , nomine Tarasiæ,atque duorum vtriusque filiorum Telli , Ioannæque,qui proaui,& ataui sui memoriam seruant.Telli, & Guntrudæ , per quos surrexit Domus,vbi corpora iacent , incertum est. Successorum in Sacello priuato extant sub S. Ioannis Baptistæ aduocatione. Hæc satis nunc de Ecclesia Matæplanæ : nam pluta alia dicenda suis temporibus. 13.

---

1. *Chronologia Ecclesiarum* : 2. *& fundatio Monasterij de Irantio* . 3. *donatio loci*: 4. *& Chronologiæ error detectus*. 5. *De Petro Paris illustri Fundatore* : 6. *& de aliis notitiis eiusdem Domus*. 7. *De Coluan , & Saya pauca,& dubia.*

CAPVT VII.

1. VMERVM fundationum præsentis anni, quas notat Chronologia , eundem esse video,quem præcedentis : quippe à Bernardi morte ita decreuit,vt nunquam cessaret ; & ita processit,vt semper inferior esset. Quinque in ea describuntur sequenti ordine:

Anno M.C.LXIV. mense Maij fundata est Abbatia S.Laurentij.

Eodem anno XVI. Kalendas Iulij Abbatia de Irancio Pampilonensis.

Eodem anno mense Septembris Abbatia Turris Aquilaris.

Eodem anno IV.Nonas Februarij Abbatia de Colman.

Eodem anno Abbatissa de Saya.

Ita in Serie Ecclesiarum chronologica , quæ nobis semper fax prælucet in Fundationibus. Ex his præterea Turris Aquilaris , & Vallis S.Laurentij præterea;illa,quia dicta ad annum M.C.LXV. hæc,quia nobis penitùs ignota,& neque in Tabulis inuenitur; neque in Genesibus. Nam,quæ in Hispania surrexit sub hoc,nempe , S.Laurentij ad ripas Minij , vel ex insigni filio Sancto Famiano , longè antiquior conuincitur ; quod Tomo præcedenti demonstrauimus. Turrem Aquilarem in Græcia hoc anno natam , filiam Bolbonæ de linea Morimundi , sunt qui affirment;sed nulla alia notitia clariori.

Notius Irantium , (*Irançu* vulgò dicimus) Regni Nauarræ Domus,Petri Paris,Episcopi,atque Capituli Ecclesiæ Pampilonensis pia Fundatio , quam vocatis ex Curia Dei Monachis , surrexisse ad hunc annum,plùs,minúsve,ipsa etiam instrumenta , quæ hodiéque leguntur , testificantur. Habebat Petrus fratrem secundùm carnem,nomine Nicolaum,quem huius mundi periculis subtractum diuina gratia sibi segregauerat.Florebat tunc opinione sanctitatis Curiæ Dei Cœnobium,& tanti nominis mensuram cumulabat,cœlesti,quæ in ipso vigebat,conuersatione.Ergo, qui curias Principũ perræsus suspirabat diuinã,in Curia Dei Monachus,angelicam,quàm humanã potiùs 2.

vitam

vitam profitebatur. Eius,ac fratrum suauissima fragrantia Petrus Paris attractus,ac similem Paradisum ambiens suæ Prouinciæ,communicato consilio cum Canonicis,Ecclesiam quandam sub aduocatione Sancti Adriani,hactenus sæcularem,Abbati,& Monachis Curiæ Dei tradere statuit, constructo Cœnobio, in quo cœlestis plantatio (quod ardenter optabat) propagaretur. Missus est ab Abbate Nicolaus, qui locum inuiseret, & si Monachis aptum inueniret, Episcopi acceptaret donationem. Quippe pro gratia, siue referenda, siue impetranda, ipse omnium aptissimus; pro cæteris præstandis, quæ conducerent, non vllus alius aptior inueniebatur. Petrus,vt fratrem, sibi charum vidit, & pietatem à sanguine feruere (quod euenit frequenter) expertus est, non declinans à sancto illo motiuo, sed nouum addens, & fraterna obseruantia coronans pium propositum Ecclesiam Monachorum vsibus aptam,& nouæ proli, tam Nicolao,quàm Curiæ Dei deuouit,atque instrumento firmauit donationem. Quod monumentum charitatis eius in nostros, atque totius Pampilonensis Cleri, vt hodiéque [a] in vtriusque Ecclesiæ Archiuiis obseruatur, Lector accipiat.

[a] *Ex Tabulario Eccles. Pampil.*

3. *Petrus,Dei gratia Pampilonensis Episcopus, Fratri suo Nicolao Monacho Curiæ Dei,Salutem,& Religionis augmentum.*

Quoniam in Monasterio Curiæ Dei, vbi sub Regulari conuersatione Deo militare elegisti pra cæteris Galliarum Monasteriis, monasticam Religionem florere cognouimus, gaudio gaudemus, & spirituali iucunditate lætamur. Omnipotenti Deo gratias agentes, & omni deuotione supplicantes, quatenus in eodem Monasterio Religionem, & omne bonum per gratiam Sancti Spiritus conseruare, & augere dignetur in perpetuum. Proinde tibi, & eidem Monasterio, cui adtitulatus es, Deo authore, prouidere uiliter affectantes, communi assensu, & consilio Fratrum nostrorum, Canonicorum, videlicet, Pampilonensis Ecclesiæ, concedimus, & donamus Ecclesiam de Irancio, cum omnibus pertinentiis suis, ad ædificandum ibi Monasterium, in quo, Deo propitio, secundùm institutionem Abbatis, seu Fratrum prælibatæ Curiæ Dei, conuersatio Regularis in perpetuum conseruatur. Sperantes,& fidem plenam obtinentes, quòd inde fumus aromatum ascendet ad sublimem Diuinitatis aram, & nobis & Fratribus nostris, atque toti patriæ gaudium & salus orietur animarum. Sancimus autem, & pactum stabilimus, vt eiusdem loci Abbas, & Monachi, salua Ordinis sui dignitate, & honestate, Pampilonensi Episcopo obedientiam fideliter conseruent; necnon Canonicis Pampilonensibus omnem reuerentiam exhibeant. Huius rei testes sunt Garsias Prior, Guillelmus Archidiaconus, Simeon Præpositus, Garsias Camerarius, Fortunius Archidiaconus, Simeon Archidiaconus,Pontius Sacrista, & Guarinus Infirmarius, & alij Canonici. Facta charta anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXXVI.

4. Hactenus instrumentum donationis post biennium confectum,cùm fortè hoc anno vocatus Nicolaüs lustrasset locum,atque officinas,& alia præparasset. Verum est tamen, Monasterium de Irancio in Chronologia sub adtitulatione Sancti Adriani iterum repeti anno M.C.LXXVIII. vt ibidem videbimus. Vnde,cùm vtraque anni designatio ab ipsa donatione distet,altera anteuertens tempus,altera subsequens;haud de facili licet iudicare,vtri magis fidendum,nisi in altera aduentum Nicolai,in altera Conuentus:quos inter donatio loci facta sit,ab antiquis notatum asseramus.Certè quòd post quadriennium duplicatur Monasterium de Irancio, idem omninò esse,adtitulatio probat,nempe,Sancti Adriani,quam ab antiquo sortita Ecclesia illa,quæ Nicolao donata, hodie etiam conseruat in multis instrumentis,quamuis in aliis more Cistercienſi, Sanctæ Mariæ de Irancio cognominetur. Sed neque aliud Irancium reperitur in genesibus cunctis,nec alia Ecclesia dedicata Sancto Adriano. Denique in genesi, lineáque Cistercij,ad quam Irancium pertinet (nam Curia Dei immediata Cistercij filia,vt suo loco vidimus) hæc de Irancio verba scripta lego: *In Nauarra Irancium anno M.C. LXXVIII. sexto Kalendas Iunij,Pampilonensis Diœcesis, qua ab aliis vocatur Abbatia Sancti Adriani de Irancio.* Sed de his satis.

Quod attinet ad Petrum Parisium, siue de Paris Nicolai fratrem, atque Ecclesiæ de Irancio donatorem,Prudentius Sandoualius,Pampilonensis, Nauarrum natione,atque inter optimos Pampilonensis Ecclesiæ Præsules tradit [b], qui anno M.C.LXXVI. cùm antea Episcopi, & Capituli mensa communis esset; Ecclesiæ redditus censuit diuidendos;quos tam largiter Capitulo assignauit,vt Canonici quasi obuiam illi euntes,in eam vocem vnanimes prorumperent: *Satis est,Pater sanctus est. Bene,plene,& perfectè satisfeciſti nobis.Deo,& tibi reddimus immeneras gratias.* Instituit, atque large dotauit Festum Sancti Firmini,Pampilonensis Sedis primi Episcopi: multáque alia fecit,ob quæ cum laude memoria eius recolitur.Septem supra viginti annis Ecclesiam rexit. Defunctus tandem die XIII. Iunij,anno M.C.XCIII. atque in Ecclesia de Irancio sepultus, quam propriæ prætulit in signum charitatis,quo eam Domum,atque totum Cistercium venerabatur. Sandoualius Benedictinum Ordinem prodit,suppressa Cistercienſi reformatione. Haud dubium, quin non aliam Benedictinam magis esse sentiens, aut propriùs comprehensam sub eo nomine. Memoratur Irantium in libris Cameræ,vbi & taxatur florenis LX. necnon in litteris Gregorij Papæ IX. directis ad Abbatem eiusdem Domus: *Datis Laterani nono Kalendas Maij, Pontificatus ipsius anno XII.* 5.

[b] *In Episcopis Pampilonem*

Creuit Irancium largitate Principum,atque aliorum fidelium,floruitque multis viris Religiosis,æquè ac nobilibus,vt in vtriusque bonis locupletata, digna Curiæ Dei proles reputaretur.Abbati eius,qui in Regni comitiis suffragium habet, subest insigne Monasterium Virginum,cui Herce à loco nomen in finibus Castellæ vtriusque Regni patens nobilitati. Ecclesia per Abbates perpetuos administrata vsque ad hæc nostra tempora,ab anno M.D.LXXXVIII. in tres æquales partes redditus diuidebat;quarum vna Conuentui, altera fabricæ, & tertia tandem in Abbatis vsus cederet: quòd Irancienſibus (solis, quod sciamus) indultum à Pontifice,mox aliæ Ecclesiæ vsurparunt Regni Nauarræ. Et prouisum hac via luxui Abbatum, (adeò malum excreuerat,) ac tertiæ partis damno tolerabili,quæ duæ supererant,redimebantur.Hodie exclusis Abbatibus perpetuis,quadriennales cœperunt sub Cistercio,vt olim;sed designato Vicario,quadriennio præsidente Aragoniæ,Cataloniæ, & Valentiæ (queis addita Nauarra) Congregationi. Illorum vltimus Ludouicus Strada fuit,vir æquè Religiosus,prudénsque ex Generali Obseruantiæ nostræ Hispanæ,qui abdicata ante mortem præfectura, in propria domo Vallisbonæ sanctè obdormiit anno M.DC.XLI. Horum primus Magister Athanasius,dictus *de Cucho*,ex Abbate Collegij Complutensis,vbi Theologiam docuit per multos annos,atque Diffinitore nostræ Obseruantiæ,electus anno M.DC.XL. magna cum Irancienſium gratulatione.Hæc de Irancio, notioti nobis Domo,quia Hispana. 6.

Supersunt duæ aliæ fundationes, ignotiores, quia exteræ, & quarum vix Tabulæ meminêre, nedum Authores. Coluan, quam alij Coluas, alij Coluen (nisi fortè diuersæ sint) appellant, & libri Cameræ in Camerinensi Diœceti notant inter Vmbriam, & Marchiam, trecentorum florenorum taxa præfixa. In Genesibus filia Esron dicitur; sed dubia mihi fide, nisi Esron aliam præter Roskildensem in Dania esse dicamus. De Sava item id vnum dicere audeo, quòd in Genesi Ecclesiarum Morimundensium lego Verolæ filiam, Hispanæ Domus, cuius superiùs memini, natam in Vvasconia in Burdegalensi Diœcesi. Vt sicut priùs Hispani è Gallis hauserant disciplinam Cistercij; sic iam & Galli haurirent ab Hispanis doctis, quæ vel suos Doctores docere possent.

ANNVS CHRISTI M.C.LXXV. CISTERCII LXXVIII.

1. Richardus Cantuariensis Concilium celebrat. 2. Cui Reges assistunt. 3. Promulgata decreta salutaria, 4. atque alia negotia pertractata. 5. De aliis appellatum ad Alexandrum. 6. Incusatus Richardus de remissione. 7. De qua à Petro Blesensi per epistolam 8. sanctam, 9. doctámque, 10. Christiana libertate correptus fuit. 11. Perpensæ inde vtriusque viri laudes.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus septuagesimus quintus, à Cistercio inchoato octauus, & septuagesimus, quo Richardus Archiepiscopus Cantuariæ apud Diuum Petrum Vvestmonasterij, tam Archiepiscopatus, quàm legationis suæ authoritate indixit Concilium, de quo hæc habet Guillelmus Neubrigensis [a]: *Anno à plenitudine temporis, quo veritas de terra orta est M.C.LXXV. qui fuit Regis Henrici II. annus vicesimus, Prouinciale Concilium Lundoniis celebratum, à Richardo Cantuariensi Archiepiscopo apostolicæ Sedis Legato, consedentibus suffraganeis, & aliarum ecclesiasticarum personarum cœtu copioso.* Ita Guillelmus de tempore Concilij. Quo autem ordine in eo Episcopi sederint, Nicolaus Arsfeldius narrat his planè verbis [b]: *Ad cuius dexteram* (id est, Richardi) *Londiniensis Episcopus, ad sinistram assedit Vvintoniensis. Quæ sedes, prærogatiua quadam illis Episcopis propria, & perpetua sunt; cæteri pro temporis, & initiationis suæ prærogatiua, iam Episcopi, quàm Abbates, suum quisque locum occupant.*

a lib. 5 c. 1.

b sæculo 12. cap. 18.

2. Rogerius non solùm annum, sed diem notat, quæ fuit Dominica ante Ascensionem Christi Domini: in qua iam inuicem sibi conciliatum vtrumque Henricum, patrem, filiúmque affuisse Concilio: vnde & decretis eius maior firmitas, & paci inter ipsos partæ maior authoritas, & sacratior accresceret religio, scriptum reliquit [c]: *Venientes*, inquit, *Eandonias* (scilicet, Reges) *inuenerunt Richardum Cantuariensem Archiepiscopum apud Vvestmonasterium celebraturum Concilium die Dominica ante Ascensionem Domini. Ad quod Concilium venerunt ferè omnes Episcopi, & Abbates Cantuariensis Diœcesis. Et coram prænominatis Regibus, & Episcopis, & Abbatibus, Richardus Cantuariensis Archiepiscopus in eminentiori loco constitutus*, &c. Hactenus de Congregatione Concilij per Richardum: iam quæ in ipso sint gesta referamus.

c *Ad hunc annum.*

3. Congregata Synodo, ait Arsfeldius [d]: *Habuit ad Episcopos, & reliquos faciendam Richardus orationem. Deinde duo de viginti ex antiquis Canonibus decerpta capitula* (quorum obseruantiam Ecclesiæ visibus maximè opportunam putauit) *de scripto recitari iussit. Quæ omnes summo se consensu obseruaturos promisere. Quæ decreta Rex, & Primates etiam suis suffragiis rata habuêre.* Decreta ipsa extant apud Rogerium [e], ex quo descripsit Seuerinus Vinius, atque in suis Conciliis euulgauit. Communia omnia, extractáque ex antiquis, in quibus adeò non libet immorari. Vnum tamen producam, quia singulare, & ritum quendam antiquum præ se ferens communicandi sub vtraque specie (ni fallor) non hausti Sanguinis è ministeriali calice, sic enim vocabantur, qui Christi Sanguini propinando parati erant, vt tomo primo diximus;) neque per fistulam, qui mos posteà inualuit; sed pane intincto Sanguine Dominico, & madente, applicato sumentium ori. Quasi hunc ritum Christus instituerit, cùm Iudam intincta buccella (quod multi Patres sentiunt [f]) communicauit: *Et post buccellam introiuit Satanas in cor eius* [g]: quippe indignè sumentis Eucharistiam: eóque permissi potestati Dæmonis, à quo in flagitium præceps, atque ex tunc, desperatiùs trahendus foret. Igitur hanc sententiam sequuti quidam, fortè & credentes cæteris Apostolis buccellam similem intinctam fuisse traditam; hoc Communionis genere vtebantur sub vtraque specie, quod olim etiam ab aliis vsurpatum, Iulius Papa I. [h] testificatur. Quasi hoc modo & totum Christum sumerent, & ritum sumptionis, ab eo non solùm institutum, sed obseruatum, religiosiùs, & exactiùs imitarentur. Contra hos ergo, vestigiis Iulij inhærens, Richardus ritum prohibet, & duo iubet haberi veluti certa: alterum est, ad complementum Communionis, intinctionem nequaquam prærequiri: alterum, panem intinctum, datum Iudæ (non aliis, quos sciamus:) at numquam Eucharistiæ institutionem, (siue Eucharistia fuerit, siue non,) sed magis proditionem illius significasse. Decreti verbà ad litteram transcribo: *Inhibemus*, ait, *ne quis, quasi pro complemento Communionis, intinctam alicui Eucharistiam tradat. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus: excepto illo tantùm discipulo, quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet; non quæ Sacramenti huius institutionem signaret.*

d *vbi supra.*

e *ad hunc an.*

f *apud Baron. tom. 1. anno 34.*

g *Ioan. 13.*

h *apud Sanct.*

Tractatæ insuper in eodem Concilio causæ plures, ex quibus quædam decisæ, vt faciliores; aliæ, quæ controuersæ à multo tempore inter Cantuariensem, Eboracensemque Metropolitanas Sedes agitabantur, relatæ ad Alexandrum, à quo per se, aut per Legatum ad id specialiter mittendum, deciderentur. Prioris generis assistentia, seu cessio Godefridi, Sancti Asaph

4.

Episcopi,

[i] *in Annalib. hoc an.* Episcopi, de cuius decisione ita Rogerius[i]: *In ipso autem Concilio, Clerici Ecclesiæ Sancti Asaph petierunt a Cantuariensi Archiepiscopo, vt in vi obedientiæ præciperet Godefrido, Episcopo Ecclesiæ Sancti Asaph, ad Sedem Ecclesiæ suæ redire, cui præfuit pontificali dignitate: vel, vt prædictus Archiepiscopus alium Episcopum loco ipsius institueret. Ipse enim Godefridus Episcopatum suum deseruit paupertate, & Vualensium infestationi compulsus; veniénsque in Angliam à Christianissimo Rege Henrico benignè, & honorificè susceptus est: cui & tradidit Abbatiam Abbendoniæ vacantem in custodia, donec ad propriam sedem liberum haberet regressum. Itaque prælatus Cantuariensis Archiepiscopus in ipso Concilio, ad instantiam prænominatorum Clericorum, & admonitionem Alexandri Summi Pontificis: necnon & consilium Venerabilium Coepiscoporum suorum, conuenit iam dictum Godefridum, vt in vi obedientiæ ad Sedem propriam rediret, vel curam pastoralem, quæ sibi fuerat commissa, in manu ipsius liberè, & absolutè resignaret. Ipse verò Godefridus, sperans, quòd Abbatia de Abbendonia, quæ tradita fuerat ei in custodia, posset sibi remanere, Episcopatum suum nullo cogente resignauit in manu Cantuariensis Archiepiscopi, liberè, & absolutè tradens illi omnium, & bonum pastoralem.* Hæc salubriter in causa illius Ecclesiæ.

5. Verùm de controuersiis inter Ecclesias primas totius Angliæ, in quibus Alexander interpellatus, hæc apud eundem Rogerium scripta inuenio[k]. *In quo etiam Concilio Clerici Rogerij Eboracensis Archiepiscopi calumniati fuerint ius Eboracensis Ecclesiæ de Cruce portanda in Diœcesi Cantuariensis Ecclesiæ. Præterea calumniati sunt ibidem ex parte Eboracensis Archiepiscopi Episcopatum Lincolniensem, & Episcopatum Cestrensem, & Episcopatum Herefordensem de iure pertinere debere ad Metropolitanam Eboracensium Ecclesiam. Et super hoc prædictum Cantuariensem Archiepiscopum appellauerunt ad Romani Pontificis præsentiam: præterea appellauerunt ipsum Cantuariensem Archiepiscopum ad Romanum Pontificem super iniuria, & anathematis sententia, quam intulit Clericis Eboracensis Archiepiscopi, qui per eum ministrauerunt in Ecclesia Sancti Oswaldi de Glouecestria; pro eo, quòd ad illum venire nolebant ad ipsius submonitionem, sicut Clerici Diœcesis suæ fecerunt.* Hactenus, quæ notitia subest huius Concilij, Richardique Archiepiscopi, & Legati, pro grege sibi commisso, sollicitudinis.

[k] *ibidem.*

6. Verùm enimverò, quæ inconstantia in bono, optimos quosque aliquando solet mutare, non multò post eandem solutam Synodum, quantùm ex ordine epistolarum Petri Blesensis licet colligere, tota Richardi elanguit sollicitudo: & siue ex pusillanimitate, siue ex desidia, siue decepto specie gratitudinis pro beneficiis acceptis ab Henrico seniore, à quo supra alios mortales diligebatur, effectum est, vt qui per commissionem vix peccaret; multarum nihilominùs omissionum à probis etiam, & cordatis argueretur, ita vt Petrus Blesensis, vir planè clarus, quem inter familiares ipsius connumerauimus, cùm diutiùs ab Henrico seniore detineretur, qua libertate, constantiaque pollebat, ipsum per litteras non solùm monere, sed increpare; ac omnia, quæ de ipso dicebantur, ei sine fuco aperire non dubitauerit: medicinam opponens morbo emergenti, si latiùs serperet, tardiùs reparando. Zelo non minùs fideli, quàm apostolico refertam epistolam, (quem vtinam familiares omnes Principum constanter æmulentur, Principes ferant,) in vtrorumque exemplum, doctrinámque, his Annalibus censui transcribendam[l].

[l] *Epistola 5.*

Reuerendo Patri, & Domino Richardo, Dei gratia Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliæ Primati, & apostolicæ Sedis Legato; P. Blesensis, Archidiaconus, Salutem, & in melius expergisci.

Habebam in desideriis ad vos cum festinatione reuerti: sed auctoritas regia non permittit. Millies postulaui licentiam recessionis: sed nec repulsam passus sum, nec licentiam adeptus. Quoties causor moram, quam facio, & allego vestræ reuocationis instantiam; vnica, & quotidiana est eius responsio: Cras recedes. In omnibus diebus anni cras illud inuenire non potui: dum quæritur, latet; & forsasse quando non quæretur, occurret. In eo autem turbata est anima mea valde, & sicut aranea tabescere me fecistis: quia exprobrauerunt, qui me tribulant, inimici mei, dum dicunt mihi per singulos dies: Vbi est Dominus tuus? vbi latitat? vbi dormit? vsquequò piger dormit? exurgat, qui dormit, & exurgat à mortuis. Et iam hora esset à somno surgere, & vigilare super commissum sibi gregem, & attendere, qualem habuit decessorem. Numquid Dei gratiam accepit in vacuum, vt & gratiam sibi datam, & gloriam sui decessoris euacuet? Iam euacuauit ex parte, nec videmus, quando restauret, quod amisit; quando redimat, quod commisit.

Vobis igitur imputant, quòd ab Allophylis Arca Domini capitur: quòd à laicis Ecclesia Dei conculcatur: quòd gladium Petri rubigo consumit: quòd Christi Sacramenta vilescunt: quod terribile nomen Dei in vanum assumitur: quod sub prætextu periurij legitima coniugia dissoluuntur. Vobis imputant, quòd Malchus in Christum, quod Phassur in Ieremiam, quod Balthasar in vasa Domini manus extendit sacrilegas. Quoties autem gratiam innocentiæ, & humilitatis extollo in vobis, non sufficit, inquiunt, tanta prælationis homini, non facere malum, nisi adiiciat facere bonum. Non solum enim arbor, quæ fructus malos facit; sed arbor, quæ fructus bonos non facit, excidetur; & in ignem mittetur. Reperit, inquiunt, Archiepiscopus tunc Ecclesiam in optimo statu: ipse verò eam destituit, & deiecit. Cantuariensis Ecclesiæ Dignitates, quas gloriosus Martyr rubricauerat sanguine suo, & quasi testamentum æternum morte, & cerebri effusione firmauerat, pusillanimitas eius euacuat, eámque reduxit in antiquæ seruitutis opprobrium, quæ se in gratiam plenæ libertatis exeuerat. Vt quid, inquiunt, terram occupat? quando moritur, & peribit nomen eius? cur saltem non expergiscitur? Numquid qui dormit, non adiiciet vt resurgat? 7.

In his omnibus verecundia mea tota die contra me est, & confusio cooperuit faciem meam, à voce exprobrantis, & obloquentis. Sunt itaque lacrymæ meæ, panes die, ac nocte: & vbi sub vmbra vestri nominis magnificari, & extolli speraueram, ibi improperium expectauit cor meum, & miseriam. Estis enim fabula in ore hominum, studiúmque omnium fere commune est, linguas prouocare, contra vos in detestandum susurrum. Quòd si vestram velim prædicare industriam circa ædificiorum meliorationem, circa prædiorum culturam, & circa huiusmodi exteriorem administrationem, qua incessanter exigit humana necessitas, ipsi vniuersa depranant. Qua gloria est, inquiunt, quòd vinaria construit, quòd claudit feras indagine, si Clerici imprecantur, si in omnem dissolutionem religiosorum Claustrorum ossia relaxantur? Qua vtilitas, quòd fimo, & creta agor stationarijs impinguatur, si in Dominica messis cultura, nec spinæ euellitur, 8.

euellitur, nec stirpatur tribulus, nec verbum Domini seminatur? Nunquid Deo cura est de bobus, & non potius, ut circa boues, & asinos ita sollicitus occupetur? Cur iniunctæ sibi legationis officium non exercet? Ligatus est potiùs, quam Legatus. Prophetæ, inquiunt, cui Dominus legationem iniunxerat, præcepit, vt euellat, & destruat, vt dissipet, & perdat, ædificet, & plantet: Dominus tunc officij spiritualis intelligentiam conuertis in litteram; aut, vt dicatur verius, in literam.

10. *Illud mihi ad cumulum doloris accedit, quòd Dominus Rex, qui ex toto corde vos diligit, cuius erga vos dilectionem lego assiduè in libro experientiæ, qui turbatoribus vestris in Romana Curia murum inexpugnabilem se opponit; ipse frequenter incuriam, & desidiam vestram, secreta tamen, & modesta correctione redarguit: ipse crebrò vos excitat scriptis, & nuncijs, grauissimè ferens, quòd terræ suæ malefactores ad excessus enormes per impunitatis licentiam prouocatis. Quàm amicabilia nuperrimè vobis scripserit, & mandauerit, memoria, credo, tenaciter affixistis. Inter quæ ego, qui conscius secretorum fui, verbum illud confidenter in communem deduco notitiam: verbum enim memorabile est: Sciat, inquit, Dominus Archiepiscopus, quòd si filius meus electus, aut aliquis Episcopus terræ, vel Comes, vel aliqua persona illustris, suæ voluntati, aut dispositioni contraire præsumpserit, aut impedierit quominùs opus sibi commissæ legationis adimpleat, inueniet me sui contemptus persecutorem, & vindicem, ac si in coronam meam prodidisset. Scio quidem, Pater, Dominum Regem diu habuisse, & adhuc habere in votis, vt consilio, & auxilio vestro fiant increpationes in populis, vt arripiat manus vestra iudicium, & æquet pro mansuetis terræ.*

Dura quidem retuli vobis, amantissime Pater, & 11. *fortè hoc aliquis temeritati adscribet, quòd non blandier, quòd non palpo, quòd reuerendum populis caput, peccatores oleo non impinguo. Quicquid immundissima sues grunniunt, ego in Christi visceribus, & ingi beneficiorum vestrorum memoria vos moneo, & monebo, quatenus cum ea diligentia impleatis Pontificium: vt non vituperetur ministerium vestrum. Legistis enim: Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter. A claustrali, & spirituali militia, elegit vos Deus in Sacerdotem sibi: vide, ne, cùm spiritu cœperitis, carne consummamini; & ne de vobis intelligatur illud: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum; quia caro est. Putatis, quòd de commissis vobis animabus, vos in districto examine non oporteat reddere rationem? Propter hoc irritauit impius Deum: dixit enim in corde suo: Non requiret. Sed certè requiret exactissimè vsque ad nouissimum quadrantem: & vereor, ne tempestiùs, aut duriùs quàm credere, aut timere velimus. Vtinam velitis recolere comminationes Altissimi, quibus apertissima visione vobis terribilem suæ indignationis sententiam reuelauit. Horrendum est autem incidere in manus Dei viuentis. Ignis enim succensus est in furore eius, quem quandoque spiritualiter vidistis, ipsum autem nunquam sensibiliter sensistis.* Hactenus epistola, non minùs fidelitatem scribentis, zelúmque, quàm legentis commendans dignationem, qui talia legens non indignaretur; sed emendaret. Certè in Ebetacensem sequenti anno acriter insurrexit, prævaluitque, cùm iura Cantuariensis Ecclesiæ præoccupasset, quod suo loco dicemus.

---

1. *Grandimontenses ad Ordinem conuersi,* 2. *de prioris voti obligatione dubitant:* 3. *super quo scrupulo Stephanus Tornacensis consultus,* 4. *de Grandimontensibus sublimia,* 5. *de nostris sublimiora* 6. *longè respondet.* 7. *Exhortatur Nouitios, vt perseuerent.* 8. *Respondet obiectis.* 9. *Atque alloquutus iterum Nouitios,* 10. *Roberto interroganti tandem satisfacit.* 11. *Petita epistola Petro Cardinali,* 12. *& remissa cum alia.* 13. *Dictum de tempore.*

CAPVT II.

1. EIDEM temporibus Grandimontenses quidam iuuenes ad Cistercium conuersi, vtrunque Ordinem primùm diuidentes, mox & extraneos non parum conturbarunt. Quippe seu pressi strictiori disciplina, quod nimiùm frequens, seu simpliciores animos teneræ remordebat conscientia prioris voti, per speciem Religionis, retrocessionem, de cuius obligatione inquirebant, non sine aliorum scandalo, honestabant. Maximè quòd Grandimontensium ingens opinio, in quam pauci auderent: & Clerici eorum, tanquàm Canonici; sic enim dicebantur decreto Vrbani II. ad Monachos transire prohiberentur. Admisísne, vacante Pontigniaco per Guarini Abbatis promotionem, an post Guarmundum illi subrogatum, in dubio est. Constat Robertum sub vtroque Priorem, nec minùs genere, quàm moribus insignem, siue sedandis Nouitiorum animis, si fortè scrupulosiùs vacillabant; seu veritati, qui præcipuus finis, in mentibus aliorum stabiliendæ; consuluisse Doctores, an prioribus votis impedirentur, ne possent licitè in Cistercio perseuerare.

Consuluit inter alios virum grauem & doctum, nomine Petrum, qui post triennium Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Tusculanus Episcopus ab Alexandro III. mox Lucio III. ab vrbe Roma electo, dum Velitri maneret, Vicarius etiam Vrbis creatus est, & eo munere vsque ad Clementis reditum functus, vt latiùs Cardinalium Tabulæ memorant. Consuluit autem præsente Abbate Stephano, tunc Sanctæ Genouefæ; Ecclesiæ Canonicorum Regularium; dein Tornacensi Episcopo futuro, cuius extant epistolæ, pietate, & doctrina venerando, nec præsentibus tantùm, aut coæuis, sed etiam posteris. Discussa vtrinque inter eos conscientia iuuenum, atque obligatio priotis promissionis. Quousque se Religionis ostendat vinculum? Quousque sola coronari digna, in bono semel cœpto perseuerantia? & his virtutibus, vt cæteris moralibus, in medio consistentibus, non sola manifesta retrocessione, sed nimia antecessentia contrairi. Grandimontenses, Sanctos reputari, & verè Sanctos esse, etiamsi Cistercienses sint sanctiores. Non omnes posse perfectionis culmen attingere: 2.

tingere : nec si possent, Reipublicæ expedire, quæ nequeat sine diuersitate constare. Vt in corpore humano diuersa membra, sic in Ecclesia diuersos Ordines peti, diuersa munia : nec magis Canonicum, Eremitámve decere, si Monachus fiat, quam linguam, aurémve, si oculorum sibi munus vsurpent. Non quòd præstantior oculus non sit ; sed, quia non minor aliorum indigentia : atque vt sint absolutè minùs nobilia, at corpori æquè præstant, quæ minùs præstant. Tene, quod habes dictum in sacris Litteris, non solis Monachis. Sed cunctis, qui bonum tenent. Neque approbasse Christum seruos illos, qui in alienis talentis ; sed eos tantùm, qui cum his, quæ accepissent, operarentur. Hæc & similia pro Nouitiorum reditu ; pro permanentia, vrgentiora producebantur.

3. Non qui argenteum promisit, fallere fidem, si aureum nummum reddat : neque omissionis in bono argui posse, qui in melius commutat : quippe compendia, progressúsque ad altiora, & si quæ alia ad pietatem iuuant, promouent cœptum iter, non retrocedunt. Æmulari charismata meliora consilium esse Apostoli, in quo nullum periculum : neque ideò non tenere, quod bonum habent, si illo non dimisso, plùs apprehendant. Mittentes ad aratrum manum damnandos esse, si retrò respiciant : at non si ad anteriora se extendant, & esse in ipsa extensione apprehensionem, à qua non sine culpa retrocedant. Peccare fortàn, qui Canonicis retentis, Monachos agunt ; qui seculo Eremitas, qui sæculares Claustris, officia confundentes, volunt inducere. At non, qui se sanctioribus componunt, futuri & ipsi Sancti, atque id ipsum, quod agunt, peracturi. Neque ideò, aut inferiora membra corpori, aut defuturos Ministros aliis Ordinibus : quippe Deo prouisuro suæ Ecclesiæ, atque eò cumulatiùs, vbertúsque, quò singuli meliora, sanctioráque ad eius vocationem sibi prouiderint. Lata pro Monachatu sententia est : atque iniunctum Stephano, vt Priori Roberto responderet. Ille, quo erat in nostros procliuis animo, sed nihilominùs veneranti Grandimontenses ; dum vtrisque, quod suum erat, tribuit, & hos commendat, & illos anteponit : atque Nouitios confirmans in proposito, quæ summa responsionis, longam illam epistolam scripsit, quæ cæteris illius anteposita, non temporum, vt puto, præcedentiam, sed materiæ designat dignitatem. Prolixam satis, & plurima inculcantem, nequaquam integram : frustratim tamen, quæ ad Historiam faciunt, & propositi dubij resolutionem, quia iis Annalibus digna, decerpemus. Ergo quia solus Robertus inquisierat, & soli Stephano responsio erat iniuncta, Roberto Stephanus respondit in hæc verba [a] :

a epistola 1.

4. *Dilecto Deo, & hominibus Roberto, Pomeriacensi Monacho, genere simul, & conuersatione illustri, Stephanus de Sancta Genouefa, consolari pusillanimes, & vnanimes in Domo Domini cohortari.*

Commendabilem, Roberte, sollicitudinem geris, & affectione fraterna Nouitiorum tuorum, vt nouam moues quæstionem. Mallem quæsisses ab alio, qui & peritior esset ad discutiendum, & promptior ad soluendum. Mihi, fateor, imperitia silentium imperat, & ab audaci proposito manum reuocat, Grandimontensium grande nomen. Si quæstioni tuæ de conscientia mea respondeam, offendentur : si eos offendero, in communem opinionem peccati. Hominibus placent, & serui Christi sint, Boni homines appellantur. Nam bonitatis illorum testis est & exclusa cupiditas, & exclusa paupertas. Porrò ambitio, quæ ferè omnes impugnat, & plures expugnat, tam remota est ab eis, quam longe est ab hominibus, qui nunquam se se adepturos Cisterciun certi sunt. Cumque terram dederit Deus filiis hominum, ipsi funiculum suum, & sortem in cœlestibus extenderunt. Vitas euangelicas exprimunt, nec solliciti sunt, quid manducent, & bibant, aut quid induant : quoniam à Patre suo, qui in Cœlis est, pascuntur cum volucribus, & cum liliis vestiuntur. Orationes eorum, nec balantes greges impediunt, nec mugientia turbant armenta, nec vniuersos familia strepitus interrumpunt. Fugerunt sæculum ; beati, si eos sæculum non sequatur : & quoniam radix omnium malorum cupiditas inter eos aruit, recessit ambitio, litigandi materia sublata est, sollicitudo claudit, paupertas premit, humilitas ligat, qui disciplinam cum morum ordinata correptione apprehendunt, profectò nec irascitur eis Dominus, nec peribunt de via iusta. Hactenus Stephanus de laude Grandimontensium, quos timeret offendere : mox ad quæsitum pergens, de nostris talia:

5. *Quæsisti de Fratribus, qui exierunt ab eis, & ad Cistercienses transitum fecerunt, vtrum obligatione voti, quod prius fecerunt, reuerti debeant ad eos, an Pomeriaci salubrius demorentur ? Si priori proposito non præposuissent vltimum, nec proponerent, vt præferrent. Si stetissent in finibus prioris voti, starem forsitan & ego, nec ad aliud animarem. Nunc verò, quia meliora, & viciniora saluti quæsierunt, & de Silo in Ierusalem ascendentes transtulerunt tabernaculum suum, quis audeat in eis libertatem spiritus impedire ? Nam reuerà vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Spiritum, inquit, nolite extinguere. Extinguunt autem, quantum in se est, qui eius operibus contradicunt. Certè Spiritus Sanctus columba est : quia in specie columbæ super Dominum, dum baptizaretur, visus est descendisse. Inter alias columbæ proprietates, quas admittit Ecclesia, & mysticè repræsentat ; columba meliora grana eligit, non spernit bona : quoniam si meliora non occurrerent, bonis vtique vesceretur. Bonis tamen meliora, melioribus optima præfert. Imitantur eam, qui ex parte eius sunt.*

6. *Æmulamini & vos meliora charismata. Beatus enim non tantùm qui iudicat inter diem, & noctem, sed, qui iudicat inter omnem diem. Cisterciensem Ordinem, quasi lucernam supra montem positam, quis in Ecclesia Dei maximum, & præcipuum culmen non dicat attingere ? Euangelium implentes, monasticam Regulam, quam supererogauerit Benedictus Pater, fidelis Samaritani stabularius, sic obseruant, vt nec vnum ex ea iota præterire videantur. Beata paupertas eorum, quæ, licèt eos fame premat, & frigore : non tamen aut mendicare compellit, aut diuitibus adulari. Suis, ac suorum manibus victum exquirunt, & vestitum, non veriti sequi Paulum, qui, cùm licitè posset de Euangelio viuere, ac spiritualia seminans, carnalia metere, maluit tamen manibus operari, ne quod offendiculum daret Euangelio Christi. Honorari Dominum de sua, non de aliena substantia, & de primitiis frugum, non alterius, sed suarum dant pauperibus. Quanquam rectius non sua, sed omnium dixerim, qua vniuersis secundum gradus ordinata charitatis, quasi in commune deseruiunt. Nec enim buccellam suam comedunt soli, & non comedit cum eis pupillus ex ea : non despiciunt prætereuntem, & absque operimento pauperem : sed benedicunt*

nedicunt eis lætera pauperum, & de velleribus ouium suarum calefaciunt, & eorum quidem lateribus pannos circundant, sicut despicabiles pretio, sic inapplicabiles ornamento. Conqueritur ipsa natura, quæ modico solet esse contenta, quòd tegumenta eorum ei non sufficiant in hyeme, & officiant in æstate. Ostium eorum viatori patet, nec forte remanet peregrinus. In sudore vultus sui vescuntur pane suo; nec eos lasciuire, & rixari facium otium, & alienus cibus. Tanta in cibo parsimonia, vt duobus tantùm pulmentis vtantur, quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus affert.

7. *Ipsis tantò rariùs vtuntur, quantò frequentiùs apud eos audiri solet, quàm videri: terram disrumpunt voluntarij, & violenti diripiunt cœlum. Si numeres, quot ab eis beneficia profluant in populum, plura conferunt Vniuersitati, quàm Vniuersitas ipsis. Parua sunt hæc, & quæ terrenos vel alliciant, vel occupent appetitus. In eis nec fœcunditati Lia Rachel inuidet, nec Rachel pulchritudinem Liæ minuit; sed munit. Non murmurat Martha de silentio Mariæ; & inuicem dicta Maria sedens ad pedes Domini Marthæ solam ministrare non reliquit. Inter eos inge gaudium, communis exultatio, vbi nihil extra disciplinam, nihil contra. Mirantur homines, delectantur Angeli, fugiunt partes aduersæ, quoniam sancta illa Congregatio terribilis est, vt castrorum acies ordinata. Illic nec bobus præfertur aratrum, nec à capite deorsum pendet Dominus, nec idiota docet Clericum, nec laicus imperat Sacerdoti. Ibi maiores minoribus, prudentiores præsunt indoctis, qui & vitæ sanctitate præeminent, & intelligentia Scripturarum. In Arca illa non est virga sine tabulis Testamenti: quia qui potestatem habet corripiendi, habet scientiam corrigendi. Diuina Officia cum tanta solemnitate & deuotione celebrant, vt in eorum concentu voces Angelorum sonare putes: psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, ad laudes Dei inuitant homines, & Angelos imitantur. In iis, qui Clericus fuerit, tanto liberiùs delectatur, quanto remotiùs est ab eo laicorum fabulis interesse. Extra Oratorium, aut operi manuum dant operam, vt semper eos Diabolus inueniat occupatos; aut legendo concipiunt, aut sanctis meditationibus cœlos penetrant, vt in Paradiso audiant illa arcana verba, quæ non licet homini loqui. Regressi à Fratribus tantam ori suo ponunt custodiam, quantum ostium labiis suis, vt cultum iustitiæ, silentium, ne articulatis quidem vocibus interrumpant. Non bini, aut terni seorsum per angulos Claustri fabulis vacant, qui nec inter se seria ferere permittuntur. Tenent memoriter, quia in multiloquio non effugerent peccatum; & quasi natura bellum indicentes, modicum illud membrum, quod magna exaltat, non modica disciplina coercent.* Hactenus Cistercienſium illuſtre encomium, quo in Chriſto, à quo omnia glorientur.

8. Pergit deinde conuerſus ad Nouitios: nec ſolùm conſulit poſſe perſeuerare; verùm debere: idque alludens ad nomen Grandimontenſium: *Attende*, ait, *quiſquis es, bona indolis adoleſcens, qui cum Iſaac in holocauſtum Domino ſuper vnum montium offerri deſideras, quia tam ſancto, & Cœlis proximo monte iſto, montem non inuenies grandiorem. Verè mons iſte, mons coagulatus, mons pinguis: coagulatus in vinculo pacis, pinguis per infuſionem gratiæ cœleſtis. Quis grandis mons grandior iſto monte? Nubes penetrat, cœlos attingit, longè inferiùs montes alios, & colles relinquit de rore cœli, & de pinguedine terræ plenam ſuſcipiens benedictionem.* Et paulò inferiùs. *Eſto ſimilis negotiatori quærenti bonas margaritas: bonam inueniſti margaritam, cui ſimilem non habent vel Regum diademata, vel monilia Reginarum. Vendidiſti omnia, quæ habueras, & emiſti eam: quoniam primò parentes, patriam, redditus eccleſiaſticos, diuitias, & delicias, labrice adoleſcentiæ motus, voluptatem pariter, & voluntatem reliquiſti carnalem. Secundò, ab iis, quæ propoſueras, ad meliora tranſitum faciens, conſummatus in breui, explebis tempora multa. Vide, ne margaritam, quam tanti emiſti, parcis conculcandam exponas. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retrò aptus erit Regno Dei. Nunquid*, inquiet, *hoc eſt retrò aſpicere, ſi ad bonum, quod propoſueram, & propter aliud forſitan maius bonum interim omiſeram, reditum faciam. Noli mihi credere; ſed Sancto Patri Gregorio crede. Non te fallet ille Doctor egregius, qui ſicut fallere noluit, falli non potuit. Quiſquis, inquit, bonum maius ſubire propoſuit, bonum minus illicitum ſibi fecit. Nemo enim mittens manum ſuam ad aratrum*, &c.

Addit & reſpondere authoritatibus, quæ videbantur obſtare perſeuerantiæ: & primò dubitat, an Grandimontenſes inter Canonicos debeant numerari: *Nam neque eos Canonicos eſſe crediderim, quorum plures numero, & prælatione maiores, non Clerici, ſed laici, non litterati, ſed ſine litteris exiſtunt.* Hæc erat inſtitutio Grandimontenſium, qualis hodie Militia Iacobæa, & olim Ordo Redemptoris Captiuorum Sanctæ Mariæ de Mercede, de qua inferiùs. Mox nec Canonicis tranſitum prohibitum ad Ciſtercienſes, per Vrbani decretum, quod præceſſiſſet: quippe ad vitam omninò excellentiorem: *Quanquam*, ait, *ipſi Canonici Regulares, ſi hodie ad ceſtitudinem Ciſtercienſis Ordinis aſcendere vellem, decretis illis Vrbani Papæ non poſſent forſitan reuocari. Certè ego indignus Canonicis Regularibus præſum, & cùm à Domino Papa (non multùm temporis tranſiit) priuilegium quærerem, vt Canonicos noſtros, nobis inuitis, nullus retinere auderet, addit in priuilegio, niſi causâ diſtrictionis vitæ, ad arctiorem Ordinem tranſierint. Ecce, ne longè exempla petantur, videtur, quia priuilegium Vrbani reſtringitur priuilegio Alexandri, verè ſi aliquis noſtrorum ad Ciſtercienſem tranſire vellet, ante tranſitum diſſuaderem, poſt tranſitum non reuocarem. Nollem Spiritui Sancto reſiſtere: nollem Spiritum extinguere: nollem libertatem Spiritus impedire.* 9.

His Stephanus ad obiecta cùm reſpondiſſet, iterum ad Nouitios feruorem paritet, ardoremque infundens: *Delicata tibi ſunt, & tenera inueniles manus, & laborem refugiunt: vigiliæ prolixiores, & nocturna ſynaxis in lucem vſque prodicta mauitimum ſoporem non admittunt. Ruſticanus cibus, & ſale tantùm conditus, nobile adoleſcentis palatum offendunt, & ad ſingulas oblationes nauſeam mouent. Regulare ſilentium prurientem incitat linguam, & ad quemlibet ſonum patulas aures inquietat auiditas audiendi. Obſecro, fili, per medicinam vulnerum noſtrorum, pendentem in Cruce, Ieſum Chriſtum, non te moueant iſta, non te turbent: vana ſunt hæc, & quæ primo quidem aſſultu currentem impediant; ſed ad ſolum Crucis ſignaculum, & inuocationem Domini Ieſu citiùs euaneſcunt. Et quoniam maior, vt audiui, conflictus eſt tibi contra veri memoriam, quaſi fidem primam irritam feceris, conſtanter reſponde: Non veni votum ſoluere, ſed adimplere.* Hæc ad Nouitios. 10.

Cæterùm ad Robertum Priorem tandem concludit: *Coëgit me, Roberte chariſſime, latum Domini mandatum, longam, latámque formare epiſtolam; & cùm tibi ſcribere incepiſſem, raptus Nouitiorum tuorum charitate, & timore reditus ipſorum, ſtylum verti, æſtimans, ſi eos directò, vel arguerem, vel monerem, fidele propoſitum meum meis facilius attineri. Gratiùs enim metis agricola, quod manu propria ſerit, quàm*

quod

quod aliena. Interim tu, charissime, circa Novitios tuos sollicitus esto: per te, & per alios Doctores exhortare, mone, argue, increpa, obsecra: quemadmodum planta de loco ad locum translata facillimè arescunt, nisi sæpius irrigentur. Deus autem meus impleat omne desiderium meum, suúmque, secundum divitias gloriæ suæ in Christo Iesu Domino nostro. Amen. Hactenus resolutio quæstionis per Stephanum de Sancta Genouefa, cui standum fore sanxit continuus plausus, fortè & perseuerantia Nouitiorum.

12. Constat, cùm post triennium, plùs, minúsve, Petrus, cuius mandato scripta fuit, in Cardinalem Episcopum Tusculanum per Alexandrum III. promotus esset, scripsisse Stephano, ac reperiisse, quæ iubente ipso dictasset. Stephanum porrò, parentem, vt par erat, præceptis viri, remisisse transsumptum responsionis, addita epistola breui; sed historica, & perstringente factum consultationis, quam Collector earum, quicunque fuit, quamuis materia coniunctam præcedenti ordine, nimiùm discretam rimerauit. Quippe interpositis octo, & octuaginta; fortè vt triennium inter vtranque transcursim denotaretur. Eam pro complemento hactenus dictorum, hìc consequenter censui transcribendam [b]: b epistola 90.

Petro Tusculano Episcopo.

Risum mouet iuuentibus, si decesserit ouis ad capram, vt ex ea sibi lanam assumat. Ita, Pater, accidit. Placuit vobis aliquid a me petere, quo pleniùs abundatis: feci, quod potui, ne, si nihil feciſſem, indevotus existerem, & ingratus. Misi vobis epistolam Nouitiis Pontigniacensibus nuper scriptam. Quæsierat à vobis Frater R. de Galardum, me præsente, quid Nouitiis illis faciendum erat, qui timore prioris voti tentabantur ad reditum? Mihi tunc iniunxistis sarcinam respondendi. Memores beneficiorum vestrorum quotidianis pro vobis Deo precum hostias immolamus. Angelus Domini bonus comitetur iter vestrum. Hactenus Stephanus epistolam transmittens, quam Nouitiis scriptam, quia pro Nouitiis, & ad eos confirmandos, meritò tradit. 13.

---

1. *Sancti Alexandri Colonienſis ſancta mors*; 2. *ætas, & ſanctitas.* 3. *Electa ſepultura*, 4. *& Guillelmi pro ipſo ſubrogatio.* 5. *Arnulfus Lexouienſis ſeceſſum cogitans:* 6. *& Mortuum Mare ad quietem ſibi eligens*, 7. *Guillermo Ciſtercienſi Abbati ſcribit*, 8. *beneplacitum eius obtenturus.* 9. *Coniectatum de titulo epiſtolæ*, 10. *& dictum de obitu Mauricij Boilenſis.*

CAPVT III.

1. INVESTAVIT hunc annum cunctis tristis; sed ipsi soli læta, & felix mors Alexandri, totius Cistercij Patris, Bernardi quondam filij, quem post multos pro Ecclesia Dei labores, plures pro Ordine, cœlestes Sedes coronandum præstolabantur. Certè in Chronico Abbatum Cistercij mettico, non viator, sed cursor, inter cæteros, imò præ cæteris, ad gaudia illa apprehendenda commemoratur:

Venit Alexander populo ſpectabilis omni,
Decurrens alacer meritis ad gaudia Cœli.

Diem mortis ibidem notatam lego, quartam Kalendas Augusti, qua item in Menologio [a] Cisterciensi Sancti Viri memoria recensetur. Annum notauit continuator Sigeberti [b], quem Fiterienſis [c], Iepiúsque [d] sequuntur, quamuis aliqui differant: incertum qua probanda coniectura. Præfuisse creditur annos fermè nouem plùs, minúsve: in quibus multa pro Ordine, & Cœnobio. Robertus Claudius [e] ei tribuendum putat, quod *accepit in censum a Benigniensi Domum Diuionensem, vulgò, de petit Cisteaux, datum ei à Mathilde Duciſſa* 1171. a Iulij 29. b an. 1175. c lib. 5. exordior. c. 39. d Cenſur. 7. e in Catalogo Abbatum eſt.

2. Fecerat in Cistercio, quando decessit, octo & viginti annos, plùs minúsve: quippe ab anno M.C.XLVI. quo eum à Beato Bernardo conuersum diximus. Ex quibus vnum tantùm, & paucos menses in Claraualle; Pater Cistercij nouem; reliquos Grandisiluæ Abbas exegerat; vt Sancti Patris Filius, dum adhuc iuuenis, sic iam prouectior Sanctorum ipse Pater, quos vtrobique genuit, educauit, promouitque; neque post mortem eosdem desertus. Sexagenarium ad summum obiisse, siue fortè minorem, inde deduco, quòd adhuc iuuenis ad Ordinem, quamuis iam doctus, Magistérque vocatus, venisse legitur, exordio magno de illo ita loquente [f]: *Vir*, ait, *nobilis Alexander, qui eo tempore iuuenis, & ſæcularis, ſcientia typho turgens, diuitiarum quoque, & tranſitoriis honoribus fulis decoratus, nihil minus quàm conuerſionem cogitabat*, &c. Ergo vt trigesimum annum iam expleuerit, cùm Bernardum sequutus, qui octo pòst & viginti superuixit, vix sexagesimum potuit attigisse. Vt eò magis filiis dolenda mors, quò minùs præuisa: & longiùs adhuc differenda sperabatur, integris dum vtriusque hominis viribus, & pro vitæ susceptæ austeritate, illæsa, & planè robusta valetudine. Sed, qui currebat, non potuit detineri, quominùs citiùs ad palmam perueniret. f lib. 1. c. 19.

3. Corpus Parentis Sancti, pij filij, post iusta soluti, Sanctis prædecessorum suorum ossibus componendum nequaquam dubitarunt: appositò verè ad patres suos homine, cuius idem in Cœlis locus animam, idem in terris corpus præstolabantur. Felix, tèrque, quatèrque beata Domus, quæ tot Sanctos, quot Patres: nec quenquam sibi asciuit in Pastorem, quem non Deus in Sanctum sublimaret, Sanctorum tumulo statim inferendum. Ergo Alberico, Stephano, Rainaldo, Gozeuino, Fastrado, Gillebertóque, additus Alexander; loco, & titulo, totius sancti Conuentus Cisterciensis, & concurrentium ad tumulum Sancti, Abbatum, tum etiam populorum acclamatione. Quam cæteri sequuti virum nominant inter Sanctos Cistercij Ioannes Abbas [g], Missale antiquum Ordinis [h], Dialogus de prospero, & aduerso statu Cistercij [i], & ex his recentiores nostri, & exteri. g in ſuis Catalogis.

4. Tum, siue prius ad exequias conuenissent, siue tumulato Parenti superuenerint, quamuis primi Prælati Firmitatis, Pontigniaci, Clarævallis, & Morimundi, communicato cum Fratribus consilio, votis communibus Guillelmum elegerunt, virum æquè probatæ religionis, quem ex Abbate Firmitatis assumptum, in verioribus memoriis notatum video. Iepius in Catalogo Abbatum Firmitatensium, quintum in ordine nominat Guillelmum, qui Guidoni successerit, Bartholomæi (Sancti Bernardi fratris) successori. Et potuit facilè idem Guillelmus esse, quem suffragia electorum

electorum cooptarunt. Quicunque fuerit in Firmitate, successorem habuit Bernardum: sed cuius, sicut & Burnonis, qui hunc excepit, parua, aut nulla notitia: nam Firmitatem, quanuis primogenitam, obscurauit obliuio præ cunctis aliis. De Guillelmo hæc habet Cistercienſe Chronicon metricum, cùm Sanctum Alexandrum recenſuiſſet:

Poſt quem Guillelmus, apibus rectè ſimilatus,
Suetus erat iuſtis mel fundere, virus iniquis.

Præfuit Guillelmus Ciſtercio per annos tres, in quibus, ſi quæ occurrerint notanda, ſuis temporibus, locíſque dicemus.

5. Altero ex tribus huius Guillelmi annis, magnum illud Gallicanæ Eccleſiæ decus, Lexouienſis Epiſcopus, Arnulfus, cùm ſenio, & morbis fractus, atque occurrentibus negotiis velut oppreſſus, ſaluti ſimul, & quieti ſuæ conſuleret, vacaturus pauliſper, curandúſque ad Mortuum Mare extruxit habitationem, de conſenſu Abbatis, & Conuentus, quæ Sanctorum conſortium ſic admitteret, vt tamen ſolitæ diſciplinæ rigorem non eneruaret. Non tamen abdicata dignitate, vt ſcripſit Seguinus, quam per quinquennium adhuc retinuiſſe, eius temporis Author Robertus tradit; ſed vacaturus ſaluti, quietíque, nec niſi propria negotia peracturus. Habemus id expreſſum in epiſtola, quam idemmet Arnulfus Guillelmo ſcripſit: graui quidem, & digna viro tanto: verùm non minùs noſtris honorifica, & quæ obſeruantiæ rigorem, ac vitæ auſteritatem præferat: eſt autem talis.

Ad Abbatem Ciſtercij, & fratres eius.

6. *Confectus ſenio, & aliquarum agritudinum grauatus acceſſu, ad medicinæ ſalutare remedium confugere, & confracta laboribus membra neceſſaria requie ſubleuare conſtitui. Siquidem in perniciem meam veluti coniurata venium debilitas, infirmitas, & ſenectus: mihique tot incommodorum inſtantia fiduciam vitæ longioris abrumpit. Accedit extrinſecus negotiorum, quibus diſtrahor, importuna vexatio, qua miſerabiliter anhelantem, vel ad momentum etiam reſpirare non ſinit. Siquidem ſæpiùs ad regales, cum cæteris, trahor angarias, coniunctæ, quibus deeſſe non poſſum, frequentibus infeſtor iniuriis: media omnia interim, tot famíſque, laboribus ſumptibúſque conſtrata, ſunt, vt nec ad tolerantiam corpus ſufficiat, nec ad impendium facultates.*

7. *Porrò ſi hæc ſalmi etiam non obſiſterent animarum; viro tamen bono tolerabilius videretur, ſi detrimenta præſentium ad proventum proficerent æternorum. Sed hominum ſemper procedente malitia, & in deterius die-bus ſingulis excedente, bona, non corporis, tum & animæ, ſimilis ruinæ pariter inuoluuntur, & formidabili plerunque conſentiuntur euentu. Quia igitur ſapientis eſt, caſus huiuſmodi ſagaci prouidentia præuenire, opportunitas loci mihi fuerit exquirenda, vbi quietem meam nec curarum tumultus infeſtet, nec incurſus multitudinis interpellet; ſed exemplo meliore ſemper honeſtatis ſtudia conualeſcant, & ad veræ virtutis opera omnis poſſit occaſio deſeruire. Superque, cùm ad multa loca, multorum precibus, & deſideriis inuitarer, quidam locus Ordinis veſtri, qui dicitur Mortui Maris, inter cætera complacuit: quia mihi viſus eſt, multis commodis opportunus. Siquidem de antiqua familiaritate plurima ſumus inuicem charitate coniuncti, mutúamque gratiam vetus notitia, alterna opum exhibitione firmauit.*

Itaque extra terminos, intra quos ſecundum Ordinem veſtrum arctioris abſtinentiæ decreta ſeruantur, 8.
domum mihi moderato ſumptu ſtatui conſtruendam, cuius ſobria neceſſariis vſibus amplitudo ſufficiat; menſuram tamen regularis edificij non excedat. Sane excluſi erimus, commeatu tamen familiari proinde, quam clementer indulto, vt à tranſgreſſione regularis obſeruantiæ ſeueritas arceat; & tamen ab Eccleſia, ſanctiſque Fratrum colloquiis miſericordia non excludat. Porrò per exteriora nullus reſeruatus ingreſſus eſt, quo, ſcilicet, tumultis frequentia tollatur occaſio, & nihil niſi per communem portam ſub oculis, & ſancti ſolertia lanitoris accedat. Scio plurimum eos de noſtra commoratione accepiſſe lætitiam: atque eis vtinam inde proueniant commoda, quæ præſumunt, vt, ſcilicet, dignus ſit expectatione proventus; & aliquid bonæ opinioni eorum de iudicio noſtræ prælectionis accedat. Quia vero locum illum nouimus ſpecialius ad veſtram ſollicitudinem pertinere, propoſitum noſtrum vobis indicandum duximus, rogantes, vt & veſtræ charitati complaceat, ſanctóque veſtrorum precum ſuffragio muniamur, & authoritas veſtra vota ſanctorum Fratrum exhilaret, & reſcripto quolibet, aut mandato confirmet.

Hactenus ad Abbatem Ciſtercij Lexouienſis Epiſcopus: in qua tamen epiſtola fortaſſis per errorem 9.
mutatus titulus; & Ciſtercienſis pro Clarævallenſi irrepſit. Nam Mortuum Mare de linea Clarævallis, illius Abbati ſpecialiter incumbit, non Ciſtercienſi. Quantum temporis iuxta Eccleſiam Mortui Maris permanſerit Arnulfus, in dubio eſt: conſtat circa annum M.C.LXXXI. depoſita pontificali ſarcina, conceſſiſſe Pariſios ad Sancti Victoris Cœnobium conſummandum, de quo ſeceſſu hæc habet Robertus Montis [h]: *Anno M.C.LXXXI. Arnulfus Lexo-* [h] an. 1181.
nienſis Epiſcopus, cùm per XL. annos eandem Eccleſiam rexiſſet, & in ædificando Eccleſiam, & pulcherrimas domos laborauiſſet, renunciauit Epiſcopatui, & perrexit Pariſios, ſuos dies dimidiaturus apud Sanctum Victorem in domibus pulcherrimis, quas ibi ad opus ſuum conſtruxerat. Fortè non eſt permiſſus ſolitudini, quem Regno, & Curiæ vtilem, ipſa experientia rerum comprobauerat.

Sub idem tempus, obiit in Hybernia venerabilis 10.
Mauricius, tertius Boilenſis Abbas, qui poſt varias Cœnobij tranſlationes, ſedem manſuram, atque opportuna loca tandem inuenit, de quo hæc habet Iacobus Vvaræus [i]: *Primus Abbas præfuit Petrus e* [i] Iac. Vv. an. 1148.
Morda. Illi defuncto ſubrogatus eſt Hugo o Maccain, qui Doncrenaidam migrauit. Mauricius à Dubhai proximus eius ſucceſſor, cùm Doncrenaide nondum tres annos ſedíſſet, Monachos primùm Buinſiniam, deinde poſt duos annos, & ſex menſes, Buellium in Comitatu Roſchomanenſi tranſtulit, anno ſecundum librum Buelly 1161. ſecundum alios perperam 1151. Mauritius ille deceſſit 1175. Buellij ſepultus.

i. S. Martini

1. S. Martini Hortensis fama celebris, 2. atque eius causa Alfonsi Regis donatio. 3. Quid Munio Sanctius, 4. & quanta illius pietas. 5. Sepulcra Horta expetita: 6. atque gladiis succincti Proceres Regni, 7. insigni monumento antiquitatis. 8. Seguntini Episcopi, & Capituli 9. pietas in Martinum, & in Hortenses, 10. confirmata instrumento, 11. & larga decimarum remissione.

CAPVT IV.

1. FLOREBAT interim Martinus Abbas Hortæ, sanctitate conspicuus, vsque ad miracula; atque inter medios fines vtriusque Regni, Castellæ, & Aragoniæ, vtrunque vtriusque Regem, vtrosque Proceres, sed Castellanos maximè, sui suprà quàm vellet, reuerentiores, suæ Domus, vt semper optauisset, eximios promotores experiebatur. Alfonsus Rex antiquis donationibus nouam aliam maiorem superaddidit, quartam partem putei maioris salinarum ad vrbem Augustobrigam, vulgò, *Medina cœli*, quam Horta possideret iure perpetuo; expresso in charta motiuo largitatis, sanctitate virorum, qui sub Martino illustrabant Virginis Domum [a].

a ex Archiuio Horta.

2. *Regiam* (ait) *decet præcipuè potestatem sanctos viros, ac Religiosos honorare, eorumque loca amare, & propriis liberaliter ditare muneribus. Quapropter ego Aldephonsius, Dei gratia Hispaniarum Rex, vnà cum vxore mea Aleonor, Regina, pro salute animæ meæ, & Parentum meorum, dono Deo, & Sancto Monasterio Sanctæ Mariæ de Horta, & vobis Domino Martino, eiusdem Monasterij Abbati, cæterisque Fratribus præsentibus, & futuris, quartam partem putei maioris salinarum, quas habeo in Medina, qui vulgò* Landet *nuncupatur, cum quarta parte aquæ, & terræ, quæ pertinet ad ipsum puteum, vt habeant, & possideant iure hereditario in perpetuum, &c. Facta charta in Medina VII. Idus Maij, Æra M. C. XIII.* Hæc tum Alfonsus regia, nec minùs pia munificentia. At qualiter reseruatas hoc anno sibi tres alias partes, post quadriennium largus relaxauerit pro dotatione fabricæ, cui simul cum Regina, atque Sancto Abbate initium dedit, suo tempore à nobis dicendum erit.

3. Exemplum Regis sequuti cæteri Principes, sed inter alios insignis bello Dux, (Munso Sanctio ei nomen) qui vexillis Alfonsi præfectus erat. Hic largam redditualem donationem ad opus Dormitorij instrumento firmauit, & quintæ partis, quæ ad ipsum pertinebat, ex his, quæ à Saracenis auferrentur, decimam consignauit eidem fabricæ, addita clausula in fine donationis, quæ Martini opinionem, id est, quod aliis de ipso, atque eius sanctitate persuasum erat, singulari argumento manifestat; nempe, vt post mortem cum ipso sepeliretur. Quasi inter sacri Viri sacras exuuias, nihil sibi timendum piè præsumeret; nec dubitaret cum ipso resurgentem, non fore; nisi ad gloriam surrecturum. Referam verba ipsissima instrumenti, prout in Archiuiis Cœnobij perseuerat [b]: *Ego Munio Sanctius pro redemptione animæ meæ, & parentum meorum, do Abbati Martino de Horta, & Fratribus eiusdem loci, tam præsentibus, quàm futuris, singulis quibusque annis ducentos mencales, centum in Molina, & centum in Opte, tali conuenientia, vt non expendant eos, sed habeat vnus laicus, vel Monachus, donec opus Monasterij inceperint; & tunc incipiant ex eisdem mencalibus Dormitorium, quod complere me spondeo, si vita comes fuerit. Do præterea, si bellum cum Saracenis fuerit, decimam quintæ, quæ ad me pertinuerit illius belli, in quo præsens fuero, abstracta expensa, quam ego, & homines mei expendemus. Si verò ipsum honorem, quem modò teneo, perdidero, & alium in hac terra, vel in alia, talem, vel maiorem tenuero, eosdem ducentos mencales, vt facere consueueram, semper me dare spondeo. Si autem minorem honorem tenuero, decimam semper me reddere promitto. Si autem Abbas Martinus ante me obierit, & in eodem sepultus fuerit loco, in eodem me sepelire mando Monasterio: sin verò Martinus Abbas in eodem non fuerit loco, si me ibi sepeliam, annon, in meâ volo remaneat potestate. Facta charta sub Æra M.CC. XIII.*

b ibid.

Hactenus instrumentum, atque larga donatio Viri piissimi: in qua tamen id obiter notabo ex sola decimaquinta promissa Hortæ, capta intra annum Valeria (Cuenca nos dicimus) vt suo tempore dicam, ingentem possessionem illi adauctam, dictam de *Albaladejo*, iuxta Valeriam: cuius hodie fructus computantur ad tria millia aureorum per annos singulos. Hæc olim bella Ecclesias ditatura, & veri Numinis cultum dilatatura exercere solebant Reges Catholicos: quippe pellendis Mauris à nostris finibus, atque occupandis, expoliandi sque, quæ loca eorum perfidia profanauisset. Hodie Christianis armatis ont ra Christianos euacuatur vbique gloriâ Crucis: & vt non vinci, perire vtrique possunt, vincere neutri possunt sine ingenti ruina Christiani nominis: sed neque Ecclesias, vnde ditent, habent: & satis se, superque feciisse putant, si non spolient. Dormitorium per Munionem Sanctium cœptum, & consummatum est ex spoliis Saracenorum, sumptuosum planè opus ad nostra vsque tempora mansit, muris ad vndecim pedum latitudinem ex lapide quadrato, firmóque; sed qui iam transierunt in alios vsus.

4.

Cæterùm, quod ad sepulturam attinet, Hortæ à multis quæsitam ob sanctitatem loci, atque Abbatis Martini, cui omnes deferebant, venerationem, extat, & legitur monumentum antiquitatis satis illustre; atque ô vtinam! imitandum nostris temporibus: armatos milites ab Abbate sancto, atque gladiis succinctos ritu solenni; sed designato prius sepulcro viris; quasi qui se, aut mori pro Christi gloria, aut vincere paratos profiterentur: neque se vltra inertem in otio vitam, sed triumphum, aut mortem manere posse. *Quicunque* (inquiunt [c] antiquæ Memoriæ Domus) *Castella Proceres cum Saracenis prælium commissuri, ad Sanctum Virum Martinum confluebant, vt eius precibus, & benedictione muniti de inimicis victoriam reportarent. Porrò Abbas Sanctus, celebrata Missa de Sancta Trinitate, armatos equites, gladióque accinctos sacra Corporis Christi Communione muniebat. Tum assignata cunctis sepultura in ambitu Claustri, non nisi mortuos, aut victores redituros competentibus*

5.

c ex Tabulario Hortensi.

bus verbis intimabat, ac tandem illi innitendum sibi iubebant, vt inter fortes, & strenuos duces loco assignato sepeliri promererentur: condito testamento, quo corpus, & cum corpore baldachinum ex serico intexum aureis filis; crateram argenteum, equum, thoracemque, ille, quo vehereter, hic, quo cubaret, Hortensi Monasterio legatum ibant. Hactenus Tabulæ idiomate Hispano: subiunctis pluribus, qui Claustri sepulcra occupant.

6. Cæterùm, vt ad bella perrecturi Martinum Ducem, sic remansuri Magistrum amplectebantur; nec solùm Monachi sub eius disciplina, Conuersive, sed Donati, & Oblati, & sæculares se illi commendabant, imò tradebant. Extant multorum chartæ per hoc tempus, se, & sua tradentium, quarum vnam, aut alteram adducam exempli gratia [d]: *Ego Don Oro reddo me Deo, & Sanctæ Mariæ de Horta, & omnibus Monachis, ibidem, secundum Regulam B. Benedicti, Deo seruientibus, cum casa, & hereditate, & omnibus, qua in mea potestate sunt; tali pacto, vt ego secundum vitam eorum viuam in victu, & vestitu, & ipsi habeant me in vita, & post mortem, sicut se ipsos. Testis huius rei est Martinus Sacerdos.*

d ex eisdem Archiuiis.

7. Nec dissimilis alia, quæ ita habet [e]: *Ego Don Caro do me, & quicquid habeo, videlicet, vineam, quam habeo in Petralia, & duas quinones, quos habeo in Suela, dono Martino Abbati de Horta, & cæteris Fratribus, tam præsentibus, quàm absentibus. Huius rei sunt testes Ioannes Gonsaluo, & Saluador frater eius.* His plures similes Tabularia continent, quas longum esset in præsenti recensere: solùm producam alterius subscriptiones, ex quibus Sancti Abbatis Officiales, Ministríque, Prior, Supprior, & alij, quos hoc anno habebat, palam fient:

e inde supra.

Ego Prior Horta, nomine Bonus homo, confirmo.
Ego Supprior Vitalis confirmo.
Ego Arnaldus Maiordomus confirmo.
Ego Armenius Cellerarius confirmo.
Ego Saturninus Sacrista confirmo.
Ego Senior Cantor confirmo.
Et totum Capitulum confirmat.

Facta charta sub Æra millesima ducentesima decimatertia. Hæc laicorum in Martinum, & Hortam pietas; Ecclesiasticorum non minor, quantumuis ea ratior esse soleat.

8. Eodem anno Ioscelinus, Segontinus Episcopus, in cuius Diœcesi Monasterium continetur, quas nostris alij decimas concessas causabantur seuerius; & quà poterant, etiam extorquebant, pius æquè remisit, ac liberalis: addita pro maiori firmitudine facili quidem, leuique pensione trium marapetinorum, ab Hortensibus soluenda (neque enim obligabat) per annos singulos. Quam etiam ob Martini Abbatis venerationem, cui cuncta cedebant, in die Sancti Martini persolui voluit publico instrumento confecto desuper, cuius transumptum extat à Celebruno Toletano Archiepiscopo, Hispaniarum Primate, & Capitulo Ecclesiæ Segontinæ firmatum, & subscriptum sub hoc tenore [f]:

f ibid.

Ioscelinus, Dei gratia Segontina Sedis humilis Minister, eiusdémque Conuentus Canonicorum, ibidem Deo seruientium, Domini causa, eiúsque respectu Martino Abbati, eiúsque Monasterio, quod dicitur Horta, cunctíisque Fratribus tam præsentibus, quam futuris ibi Deo seruientibus, decimarum redditus, quos in præsentiarum possident, spontanea voluntate, animoque volenti dimittimus; videlicet, decimam hereditatum, quas in prædicto Monasterio nouem iuga boum de anno in annum operantur. Decimam quoque grangiæ, quæ dicitur Cantanos, cum terminis suis, & grangiæ, quæ dicitur Estenilla cum terminis suis, & grangiæ, quæ dicitur Arandela cum terminis suis. Remittimus etiam decimam gregum, porcorum, iumentorum, & armentorum, & omnium nutrimentorum suorum; vinearum quoque, & hortorum, iure perpetuo, quatenus nec ego, neque Segontini Canonici, nec aliquis Successor meus hoc factum præsumat disrumpere. 9.

10. *Addimus præterea iam dicto Monasterio, vltra eas, quas nunc possidet, hereditates, tantam hereditatem, quantam septuaginta iuga boum de anno in annum arare possint, de quibus Hortenses Monachi decimas Segontinæ Ecclesiæ a nemine cogantur reddere. Si verò de hereditate prædicti Monasterij, quam nunc sibi concedimus, vel de prædictis grangiis, vel de septuaginta boum ingis, quam sibi addimus, Hortenses Monachi, vel vendiderint aliquid, vel cambiauerint, in Segontino Episcopatu se reimegrent, vbicunque potuerint. Vt verò hoc donatiuum firmum sit, & ne vnquam oblitioni tradatur, per singulos annos Hortenses Monachi, Segontinæ Ecclesiæ in Festo S. Martini tres marabitinos persoluere curent. Facta charta Æra millesima ducentesima decimatertia. Ego Celebrunus, Dei gratia Toletanus Archiepiscopus, & Hispaniarum Primas dictus, confirmo* Pergunt Segontini Episcopi, & Capituli, quas transire non decet, subscriptiones.

11. *Ego Ioscelinus, Segontinus Episcopus, propria manu roboro. Ego Pillauinus, Segontinus Archidiaconus, confirmo. Ego Vuillelmus, Segontinus Prior, confirmo. Petrus, Almazanensium Archidiaconus, confirmo. Ego Arnaldus, Molinæ Archidiaconus, confirmo. Ego Vuillelmus confirmo. Ego Paschal Presbyter confirmo. Ego Elias Sacrista confirmo. Ego Petrus Pelliça confirmo. Ego Vuillelmus Cantor confirmo. Ego Vitalis Presbyter confirmo. Ego Brunus Presbyter confirmo. Ego Raymundus confirmo. Ego Vuillelmus Capellanus confirmo. Ego Elias Diaconus confirmo. Ego Vincentius propria manu confirmo. Ego Stephanus Diaconus confirmo. Ego Petrus Diaconus confirmo. Ego Ioannes Diaconus confirmo. Ego Iberius Diaconus confirmo.* Hactenus Ioscelinus, & Capitulum. Sic Sancti Viri Martini authoritate, atque gratia apud omnes, qua pollebat, effectum est, vt neque decimas alicui Ecclesiæ solueret Hortense Monasterium, cui præsidebat; neque amittentium inuidiæ subiaceret. Hæc de statu Hortensis Monasterij sub Martino Abbate, Annalibus inserui; non solùm quia singularia, sed quia propria.

1. Chronologia Ecclesiarum. 2. Cella Sanctæ Mariæ, & Lindia obscuræ. 3. Capella Tosan notior. 4. Ouila, fundatio Regis Alphonsi, 5. quæ in Murelo primùm, 6. dein translata ad locum, quem nunc occupat, 7. initiis magnis, sed non magnum euentum sortituris. 8. Relatum de Cœnobio Lubus, licèt in dubio.

CAPVT V.

1. VOLVNT Chronologiam præsentis anni Cœnobia Virginum, quæ in Hispania duo perillustria in Castella & Gallæcia post Abbatias virorum dicenda erunt. Porrò ex his quinque video numerari sequenti ordine.

Anno M.C.LXXV. sexto Kalendas Iunij, fundata est Abbatia Cellæ Sanctæ Mariæ.

Eodem anno, Kalendas Nouembris, Abbatia in Lindia, siue de Linda.

Eodem anno, Kalendas Ianuarij, Abbatia de Capella Tosan.

Eodem anno Abbatia de Oliua in Hispania.

Eodem anno Abbatia de Ouila in Hispania. Hæc Chronologia. Vetum ex his, Oliua tacenda nobis, quæ longè antiquior suo tempore dicta; & loco eius Lubes subrogandæ, quam ab anno M.C.L. in hunc locum remissi referendam.

2. Cella Sanctæ Mariæ mihi dubia: nam quam aliqui assignant [a] hoc anno natam in Diœcesi Missensi, filiam Portæ. Chronologia multò antè designauit, & nos cum ipsa Video & aliam Mariæ dicatam Cellam in Diœcesi, vt puto, Ratisponensi, de qua non nihil Vviguleus Hundius [b], sed longè posteriorem: quippe sub annum M. CCC. XXIV. Vnde neutra in præsenti referri potest. Sic etiam Abbatia in Lindia dicta; nisi quòd tamen Lindias, siue Lindas (Lidas alij appellant, alij Lùdas) cùm duas memorauerim [c], alteram in Polonia de linea Moribundi; alteram non præfixis Regno, aut Diœcesi, inter Ecclesias de linea Clarævallis: facilè possunt in concordiam redigi, si vna primæ notæ correspondeat, secundæ alia. Notiores duæ aliæ, quæ sequuntur, quippe altera Hispana, altera Belgica; sed cuius extat notitia apud Authores.

[a] *Henriquez in Fasciculo.*

[b] *in Metrop. Salizburgen.*

[c] *an. 1146. c. 12.*

3. Capellam Tosan in Tornacensi Diœcesi, Euerardus Episcopus fundauit, Monachis euocatis ex Dunis, sub Aketo Abbate, quem mittendis præfecit Vvalterus Dunarum Abbas. Narrat Ægidius de Roma, Dunensis Monachus, in Manuscripto Chronico, quod ab initio Mundi ad annum M.C.D.XXX. concinnauit. *Anno*, inquit, *M.C.LXXV. Monasterium de Tosan ab Euerardo Episcopo Tornacensi fundatur, ad quod Vvalterus Abbas de Dunis Haketum Monachum suum cum duodecim aliis Monachis misit.* Hæc tantùm ille, quæ eadem fusiùs, distinctiùsque Meierus [d]: *Eodem anno apud Lisnegam, in agro Brugensi ab Euerardo Episcopo Tornacensi constitutum Monasterium Cisterciensis Ordinis, quod sacellum Thoram appellant; præpositúsque Abbas Haketus ex Monasterio Dunensi, qui prius erat Decanus Ecclesiæ B. Donatiani Brugensis, insigni vir litteratura, nec minùs pijs moribus. Emptus erat hic locus per Euerardum Episcopum de Laurentio Abbate Cœnobij D. Richarij in Pontiuo.* Eadem ex Meiero habent Emmanuel Suerius [e], Chrysostomus Henriquez [f], alique. Nos de Haketo plura infrà dicemus, cùm ex Tosan (Dunstanum alij vocant) Dunas promotum dixerimus, post quadriennium. Memoratur Capella Tosan in libris Cameræ, præfixa taxa florenorum C.LXVI. In hoc Cœnobio sepulti esse dicuntur Petrus Rosquizdensis in Dania, & Torphinus in Norbegia Episcopi, vterque exul ob libertatem ecclesiasticam, alter anno 1214. alter 1244.

[d] *lib. 6. ad hunc an.*

[e] *in Annalib. Flandr. Ianuarij 8. & Nouemb. 4.*

Monasterium Sanctæ Mariæ de Ouila, in noua, vt vocant, Castella, ad ripas Tagi fundauit Alfonsus Rex, loco empto ab Ecclesia Seguntina, in cuius territorio situm est: quod qui tunc Abbas Hortæ, Sanctus Martinus, pòst Seguntiæ Episcopus, litteris ad perpetuam memoriam datis, testificatur. Monachi ex Bolbona vocati, quod satis mirum, cùm Montem inter Salutis, Hortámque surrecturum Cœnobium disponeretur, atque hæc vltima floreret sub Martino, quem ipse Alfonsus, fermè supra omnes mortales venerabatur. Sed Gallis cum Hispanis frequens commercium, quandiu Hispania occupata à Sarracenis inferior viribus, mox pullis hostibus, æqualitas potentiæ æmulationem, dein subiectis exteris nationibus, latiùs patens imperium, inuidiam, odiúmque totius consortij expers, attulêre. Locus Monachis ab Alfonso Rege emptus quadripartitus, Ouila, Alcaramaz, Azagron, atque Murelum: porrò hic vltimus cæterorum caput, in quo structum Cœnobium per vndecim fermè annos perseuerauit, sub primo Abbate Petro, ad quem litteræ Lucij Papæ III. anno M. C. LXXXII. in fauorem Murelli extant, in hunc tenorem [g]. 4.

[g] *in Tabulario Ouila.*

Lucius Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis filiis Petro Abbati Sanctæ Mariæ de Murelo, eiúsque Fratribus, tam præsentibus, quam futuris, Regulariter vitam professis. 5.

Religiosam vitam professis apostolicum conuenit adesse præsidium: quapropter, dilecti in Domino filij, vestris supplicationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium, in quo diuino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri, & nostra protectione susc ipimus, &c. *Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium, aut in præsenti possidet, aut in futurum poterit adipisci, firma vobis, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda nominibus, locum ipsum de Murello, in quo prædictum Monasterium situm est, cum pertinentiis suis; grangiam de Ouila cum pertinentiis suis; grangiam de Alcaramaz cum appenditiis suis; grangiam de Azagron cum appenditiis suis*, &c. *Datum Verona, nono Kalendas Decembris, indictione prima, Incarnationis Dominicæ anno M.C.LXXXII. Pontificatus eiusdem Domini Lucij Papæ III. anno secundo.* Hactenus priuilegium Lucij Papæ. Quod idem aliud confirmat priuilegium Fundatoris Alfonsi, post translationem, in quo inter bona Cœnobij commemoratur: *Asuretum, vbi primum fundatum fuit Monasterium, & statutus Conuentus cum grangiis ad eum pertinentibus*, &c.

Stephanus Petro successit in Abbatia, qui Murelo 6.

relicto, transiit in Ouilam, vbi hodiéque Conuentus perseuerat. Atque hæc omnia maioti ex parte narrant Sancti Martini litteræ, Seguntini Episcopi, expeditæ anno M.C.XC. de conuenientia Monachorum Ouilensium, Canonicorúmque, verbis, quæ plenam fidem dictis concilient. Sic autem habent [b]:

[b] in Archivis Ecclesiæ Seguntinæ.

Qui superna miserationis respectu pastoralem curam suscipit, ex iniuncto sibi tenetur officio ampliandæ Religioni operam studio propensiori dare, & propagatam affectuosè diligere, fouere, & semper manutenere. Hac igitur ratione Ego Martinus, Dei gratia Seguntinus Episcopus, ad præsentium, futuræq; posteritatis notitiam, volo peruenire, quòd locus ille de Ouila, qui est in Diœcesi nostra, disponente Domino, cum conuenientia, & voluntate prædecessoris nostri Domini Arderici, & totius Capituli Seguntini, Domino Aldefonso illustri Rege Castellæ Fundatore existente, secundùm Regulam Beati Benedicti, in Monasterium Ordinis Cisterciensis constat institutum. Veruntamen ne vlla quæstionis, & contentionis radix inter Ecclesiam Seguntinam, & Ecclesiam de Ouila vlteriùs valeat suboriri: sub silentio non est prætereundum, quod locus de Murel cum pertinentiis suis; scilicet, cum Ouila, Murelegio, Alcæramuz, Aragun, hæreditate de Sotodosos, & Sancta Maria de Venacalde, cum Serna de Padiella, & hæreditate de Cornensin, & salinis, & molendino, & horto, & cum omnibus aliis pertinentiis nominatorum locorum, iuris erant Ecclesiæ Seguntinæ. Sed postea cùm iam dicto prædecessore nostro consentiente, & volente vniuersò Capitulo Seguntino, fecit memoratus Aldephonsus Illustris Rex Castellæ concambium, hoc, videlicet tenore, quòd Episcopus cum Capitulo dedit Murel cum omnibus prælibatis locis, & eorum pertinentiis, & accepit in concordiam hæreditatem, quæ dicitur, quinque iuga, posita supra ripam Tagi in territorio Toletano. Post hæc, facta prædicto Monasterio, à memorato Rege harum hæreditatum solenni donatione secundùm Ordinem Cisterciensem, vt præmissum est, locus ille de Ouila surrexit in Monasterium, &c. Hactenùs vera relatio Sancti Martini: nam cætera suis locis dicenda erunt.

7. Inchoauit Alfonsus Regio sumptu noui Cœnobij fabricam: si daretur absoluere, vt incepit, forsan nulli in Hispania concessuram: nec defuere regiæ donationes, & priuilegia, queis præ aliis abundat, eiusdem Aldefonsi annis M. C. LXXXVI. M. C. X C I. M.CC. II. M. CC. V. M. CC. VIII. M. CC. XIV. Henrici filij M. CC. XVI. Ferdinandi M. C C. XVIII. M. C C. X X. & reliquorum eorundem successorum. Quin & Iacobi Regis Aragonum, & multorum vtriusque Regni Principum, qui multa, & magna donarunt surgenti fabricæ. Sed vicit cuncta fatale genium domus non vnquam ab Stephani spiritu, non vnquam à primitiuo Cistercio deuiaturæ. Ædificia inchoata, neque perfecta, possessiones alienatæ, aut imminutæ perseuerant hucusque, neque vllis incrementis effici potuit, vt media, aut fines initiis responderent. Proximo sæculo Oratorium consummatum recenti opere: in Oratorio residet imago Mariæ Virginis, quam ferunt multis miraculis claruisse. Extat donatio cuiusdam Ioannis Martini in gratiarum actionem, pro miraculo ab ipsa perpetrato in eius Matris Sanctiæ, in fluuio Tago mersæ, liberatione. Memoratur Ouila in libris Cameræ in Episcopatu Seguntino, & quinquaginta florenorum taxa afficitur.

8. Hactenus fundationes ex Chronologia: nam Oliuam superiùs latè tradidimus. Verùm, quòd Monasterium Lubus, seu de Lubo, ab anno M. C. L. in hunc remisimus, postulat, vt dicamus, quæ in Historia Polonica collecta ex Bibliotheca Ioannis Pistorij Nidani, Basileæque vulgata, scripta inuenimus: siue ea certo anno notata sunt, seu fortè in illum veniant transferenda: *Boleslaus*, inquit [1], *altus dux Vratis-Lauiensis, anno Domini M. C. LXXV. prima die Maij, exclusis de Monasterio Lubus Monachis Ordinis Sancti Benedicti, per Regem Kazimirum, ex Cluniaco introductis, locauit Fratres Cisterciensis Ordinis, ex Monasterio Pertuensi sumptos supra fluuium Szola situato, cum consensu Ziroslai Episcopi Vratis-Lauiensis, & Mieszlai senis Monarchæ Regni Poloniæ sui patrui, cum consensu quoque germanorum suorum Mieszlai, & Conradi Ratiborienſis, & Glogobiensis Ducum, & filiorum suorum.* Hactenus ille. Quæ seu de illo Lubes dicta sint, seu de alio huius anni, in dubio, vt extera, & minùs nota nobis, addenda censui; ne quid Annalibus deesset incuria nostra. Nunc Monasteria Hispana sacratum Virginum, & quidem perillustria referamus. Iongelinus Monasterium peramplum tradit, permagnificúmque, in quo adhuc monstratur antiquum templum à Casimiro erectum, quod olim Benedictini inhabitarunt. Addit præterea Lubense Monasterium in tota Silesia, non solùm Cistercienſis Ordinis primum, sed & aliorum omnium, in quo Boleslaus Altus fundator loci, Vladislaus cognomento Lasconogus, Henricus III. cognomento Fidelis, Primislaus II. Poloniæ hæres, & Dux Silesiæ; demum Boleslaus, Dux Silesiæ, sepulti iacent.

[1] libro 2. c. 7.

---

1. *Sancti Clementis in Vrbe Toletana antiqua fundatio, 2. quæ planè Regia, 3. procurante Alfonso, Cisterciuum suscipit. 4. Abdicante illius præfecturam Archiepiscopo Toletano, 5. vt in Abbatis Cistercij ius transiret. 6. Regia exinde in Moniales munificentia. 7. Situs loci, atque fabricæ descriptio. 8. Dictum de Sancta Abbatissa eiusdem Domus, 9. & de quibusdam aliis remissiuè. 10. Ferrariæ initia, 11. donatióque. 12. Prima Abbatissa, 13. & Fundatrix habitum induens. 14. Dubitatum de filia eius Guiomare.*

CAPVT VI.

INSIGNE, & opulentum Monasterium Sancti Clementis in vrbe Toletana à multis annis conditum Benedictinæ Moniales inhabitabant. Extat donatio Bernardi Toletani ante quatuor, & sexaginta annos facta, nec tunc recèns fundato Monasterio, fundandóve; sed quod potuit longè antè præcessisse [a]: *Ego Bernardus, Dei gratia Toletanæ Sedis Archiepiscopus, iussi fieri hanc chartam confirmationis,*

[a] apud Yepez in Appendice, tom. 7.

confirmationis, & Testamenti roborationis spontanea voluntate Toletano Sancti Clementis Monasterio, omnibusque eiusdem loci Sanctimonialibus de quadam terra, quæ est in suburbio Toleti, &c. Facta charta testamenti, primo die mensis Ianuarij, Æra M.C. XLVII.

2. Porrò ex hoc instrumento donationis colligit Yepius contra Authores Historiæ Toletanæ [b], id Monasterium, neque à Rege Alfonso VIII. cognomento Bono, neque ab auo eius Alfonso Imperatore conditum fuisse: quippe ille anno M.C.IX. necdum natus: hic necdum Regni sceptra gubernabat. Nihilominùs regiam fundationem, antiquiorem vtroque, vtriusque nepos testatur Alfonsus X. [c] *En como este Monasterio fue edificado e fechura de los Reyes, donde yo vengo, e porque es mio Patronazgo*, &c. Vnde facilè licet coniectari, Alfonsi VI. opus, qui Toletum eripuit Sarracenis. Neque enim ante ipsum Reges Castellæ, Legionisve, ædificassent in vrbe Sarracenorum; neque post ipsum, quispiam alius fuit, quo non antiquius Cœnobium comprobetur. Aliam donationem ab Imperatore Alphonso factam *Deo, & Toletano Monasterio Sancti Clementis, eiusdemque loci Sanctimonialibus, & omnibus earum successoribus*, &c. *Quarto Kalendas Decembris, Æra M.C.LVI.* constat ex instrumentis eiusdem Domus. Iulianus Presbyter cognitus Bernardo Scriptor, in suis Aduersariis author est (si tamen ille vetus est Iulianus) Sanctum Bernardum Abbatem Clarævallis, dum in viuis esset, in Hispaniam venisse, alloquutum Moniales Sancti Clerientis, atque ad eas scripsisse quandam epistolam. *Hic sanctus vir* (ait [d]) *venit in Hispaniam cum Fratre Bernardo*, (corrige, *Niuardo*,) *& imisit Monasterium Toleti Sancti Clementis, & Sancti Dominici de Silos, & postea ad Moniales Sancti Clementis scripsit.* Sed hæc suspecta, aduerte, non affirmo ex fœtie Vitæ Sancti: quin & Iulianum ipsum suspectum habeo ex his, atque similibus, quæ aliena inueniuntur à veritate.

b *Petrum de Alcozer, & Pedr de Anila.*

c *apud Yepiū anno 1109. cap. 8.*

d *in Aduersariis, n. 418.*

3. Cæterum, illud ipsum Monasterium, quod hactenus nigræ Moniales inhabitarant, hoc tandem anno M.C.LXXV. in Cistercienſium leges, & iura venit sub Maria Abbatissa, quæ prima in ea Domo Cistercium induit, interuentu Alfonsi Regis Castellæ, & Cerebruni tunc Toletani Præsulis, cui hactenus subfuisset, libera & spontanea traditione. Et quidem Rex Alfonsus, cùm primùm nouit, quæ Abbatissa, & Moniales deliberarent, promouendo feruori multa indulsit, atque ab aliis indulta confirmauit, priuilegio expedito apud Toletum, quartodecimo Kalendas Februarij, Æra M.CC.XIII. Ast Cerebrunus Toletanus Archiepiscopus, Regis, Reginæque precibus deferens, nam super hoc ab vtroque rogatus fuit, nec resistens Spiritui, qui ad altiora vocabat Virgines sacras, suo, & Capituli Toletanæ Ecclesiæ nomine, necnon & successorum liberè renunciauit iuri, quod sibi competebat in Regia Domo; quatenus ex tunc Cistercio incorporata Abbati Cistercienſi, per se, aut per eius Commissarios visitanda, & plenariè instituenda subiiceretur; expedito instrumento renunciationis, abdicationisque, quod non vulgarem præsefert antiquitatem, atque æui illius felicis commendationem. Instrumentum autem illud est tale [e]:

e *Yep. in Appendice, tom. 7.*

4. *Nouerint vniuersi, tam præsentes, quàm futuri, quod nos Cerebrunus, Dei gratia Hispaniarum Primas, vna cum consensu & voluntate totius nostri Capituli, ob gratiam & reuerentiam Domini Alfonsi, Illustrissimi Regis Castellæ, & Toletani, & vxoris eius Domnæ Alienor nobilissimæ Reginæ, qui nos instimul instanter super hoc rogauerunt, & deuotas preces effuderunt, vt Monasterium Monialium Sancti Clementis Vrbis Toletanæ voluntate, & licentia nostra extet Ordini Cistercienſi incorporatum, & sub Regula Sancti Benedicti regularibus obseruantiis eiusdem Ordinis sine aliquo contradictionis impedimento, perpetuò mancipatum; abrenuntians per nos, & per successores nostros, & ex hac die ex toto dimittimus quicquid iuris in eodem Monasterio Sancti Clementis credebamus, & asserebamus nos habere ratione paternitatis, gratia visitationis, procurationes exigendi, Abbatissam instituendi, & deponendi, necnon totius iurisdictionis, & iurispatronatus, quod tam ad nos, quàm ad nostram Ecclesiam causa paternitatis credebamus pertinere.*

5. *Concedimus insuper tam Abbatissæ, quàm Conuentui eiusdem Monasterij, præsentibus, & futuris, licentiam liberam Ordini Cistercienſi incorporandi, Abbatem Cistercienſem in Patrem Abbatem eligendi, & priuilegiis, & indulgentiis, & libertatibus eiusdem Ordinis deinceps vtendi & gaudendi; & ex hac die in posterum se nouerint totaliter à nostra iurisdictione exemptas; & vt regularibus obseruantiis Ordinis Cistercienſis liberiùs possint intendere, & Regi Christo, Sponso Virginum, libentiùs, & liberaliùs valeant inseruire; abrenuntiamus deinceps omni iuri, quod habebamus in dicto Monasterio Sancti Clementis, per nos, & per successores nostros, & per Capitulum nostrum: & concedimus Abbatissæ, & Conuentui prædicti Monasterij, tam præsenti, quam futuro, vt suum Monasterium, & omnia sua habeant in perpetuam possessionem liberam, & quietam, & hoc nostrum factum volumus, vt ratum & illæsum permaneat per nos, & per successores nostros deinceps in perpetuum. Facta charta decimo Kalendas Martij, Æra M.CC.XIII.*

Cerebrunus Toletanus Archiepiscopus, & Hispaniæ Primas, confirmo.
Ego Ioannes Sacrista, confirmo.
Ego Didacus Tauarez Archidiaconus, confirmo.
Ego Nicolaus Presbyter, confirmo.
Ego Dominus Archipresbyter, confirmo.
Ego V. Prior, confirmo.
Ego Ioannes Magister scholæ, confirmo.
Ego Fredericus Archidiaconus, confirmo.
Ego Petrus Mixtarabus, confirmo.
Ego Raymundus Capellanus, confirmo.

6. Hoc, in celebri illo Monasterio Cistercij initium, pio Abbatissæ, & Conuentus feruore conceptum, Regum Castellæ interuentu stabilitum, Toletani Archiepiscopi, & Capituli concessione, siue abdicatione firmatum; demum ingenti totius perfectionis, & sanctitatis cumulandum fragrantia probauit euentus, & probat vsque ad hunc diem. Memoratur Monasterium Sancti Clementis in diffinitionibus Ordinis antiquis, & inter Cistercio immediatè subiecta connumeratur. Porrò Abbatissam, quæ Cistercium suscepit, Mariam dictam priuilegium Alfonsi manifestat, quod hoc anno ante mensem expeditum ita habet [f]: *Tibi Domina Maria, eiusdem Monasterij Abbatissæ, & Domina, vestrisque successoribus, & cunctis Sanctimonialibus ibidem Deo seruientibus, tam præsentibus, quàm futuris*, &c. Ex inde Monasterium Sancti Clementis adeò promouit, & fouit Alfonsus Rex, vt eius Fundatorem multi Authores aut putent, aut vocent; quippe qui in eo Cistercium introduxerit: & alias

f *vbi suprà.*

tot, ac tanta illi donauerit, vt nihil præstitisse viderentur, qui præcesserunt. De protectione Archiepiscopi Toletani, quem post annos septem & sexaginta accepit conseruatorem, authoritate Clementis Papæ IV. dicam in tempore.

7. Visitur situm Cœnobium in media vrbe, loco editiori, inter duas Parochiales, alteram Sanctæ Virgini Leocadiæ, alteram Sancto Romano dicatam, vtrumque insignem, vtrasque reuerendam antiquitate. Ædificiis aptata palatia Regum, sumptuosa pro tempore, quæ hodiéque maiestatem testificantur. Constant ex septem Claustris, seu peristiliis, quorum duo maiora, velut obuersa, in magnam molem surgunt, & extenduntur: reliqua breuiora, sed polita, suis quæque officinis accommodantur. Moniales centum, & suprà continuò alit, Conuersas ferè totidem, atque has omnes Chorus, Dormitorium, Refectoriúmque, capacia omnia, admittunt: nec communibus atriis, siue aulis, aut reliquis apothecis coangustantur. Templum ornatu potiùs, quàm magnitudine; sed quod ingentem, numerosámque totius Hispaniæ primam Toletanam Ecclesiam illuc processionaliter adeuntem, ita suscipiat, vt populi concursum non excludat. Iuxta maiorem eiusdem templi aram, ad latus Euangelij surgit sepulcrum Infantis Ferdinandi, Imperatoris Alfonsi Magni filij, qui inde olim ad Capitulum translatus, ætate Patrum restitutus est, tumulo superposita inscriptione: *Infans Ferdinandus, Aldefonsi Imperatoris filius, immatura morte Toleti interceptus, cum iniuria temporum, ab hoc loco motus, in interiori Capitulo conditus esset, per Philippum II. Hispaniarum Regem Catholicum, in maxima Cleri, totiúsque populi Toletani frequentia, sepulcro, quod olim Pater dederat, restitutus est: anno millesimo quingentesimo septuagesimo.* Hæc carptim nos, ex Salazario Mendoza, qui cuncta lustrauit, ex quo & Yepius decerpsit [g], vulgari lingua.

g *vbi suprà.*

8. Floruit Cœnobium multis, & claris fœminis, quas in tempore dicam. Nunc vna tantùm nobis dicenda venit, quæ Domna ex Regula, & ex officio Mater, quia Abbatissa, *Domna Madre* communiter vocata, aut prima sub Alfonso sexto fuit, adeóque ante Cistercium: aut ignoratur quo tempore floruerit. Hæc meritis gloriosa, vsque ad miracula, quibus in vita, & post mortem claruisse dicitur, sepulcro suo eam gratiam impetrauit, vt ex eo oleum primùm salutare, verùm parciùs erumpens; dein apertis amplis velut meatibus, abundanter, & largè, ad omnes Monasterij vsus scaturiret. Et perduraſſet miraculum fortassis ad nostra tempora, si non venalem facere voluissent diuinam gratiam; oleum, inquam, de sepulcro sancto ebulliens, quod sumptus Monasterij longè excedens, alienis poterat etiam inseruire. Sed ibi oleum cessauit misericordiæ, vbi quæstus incepit: nec vltrà erupit, sed tantùm madefecit sepulcri terram; quod nostro sæculo multas assequutas ex eiusdem Cœnobij Sanctimonialibus testatur Franciscus Biuarius in libello de Conceptióne, ex quo Yepius [h], aliíque hausêre.

h *tomo 7. an. 1109. c. 8.*

9. Hæc satis nunc de Regio illo Cœnobio: nam cæteta reddenda sunt suis annis. Qualiter autem ex illo etiam prodierit Ordo, quem vocant Immaculatæ Conceptionis Sanctimonialium, quæ nunc sub Beati Francisci Regulis militant, & qualiter ab Obseruantiis Cistercienſibus, quas primò professæ ad Franciscanas postmodum transierint, idque post obitum Venerabilis Beatricis de Silua, Ordinis Fundatricis, quæ solas Cistercienses, dum vixit; habuit; Continuatori Annalium, si quis fuerit, suo loco dicendum reseruabimus. Sed iam ad aliud Virginum Cœnobium in Gallæcia fundatum transeamus.

10. Florebat interim Meirense Monasterium sub Vitali Abbate, fama percelebri, qua fœminæ excitatæ subdere satagebant colla Cistercij iugo: maximè præeunte exemplo Virginum, quæ in Gallæcia iam pridem; sed sub his annis per totum Orbem Hispanum spargebantur. Et erat in eadem Lucensi diœcesi perantiquum Cœnobium, duplex olim, quod sæcularis iuris effectum iniuria temporum, ad Comitissam Fronillam, Illustris Ferdinandi Comitis filiam, pertinebat. Ferreyra loco nomen etiam tunc, quod ipsum permanere videmus hoc nostro æuo. Cœnobium hoc instaurare curauit Fronilla, lectis Virginibus, ex prima nobilitate totius Regni. Has de consilio, & assensu Lucensis Episcopi Sanctimoniales loco destinatas Vitali Abbati tradidit ad Cistercienſem normam imbuendas. Idem Compostellanus, & Aurienſis Pontifices, necnon & Abbates Superadensis, & Melopeponensis confirmarunt. Tantæ molis erat Cœnobium, quod parabatur. Huius traditionis exemplar hîc subiungam [i]:

i *ex Tabulario Ferrariæ,*

11. *Quoniam ea, quæ citò fuêre, obliuione quandoque citò pereunt. Idcircò pro memoria temporum conditio est adhibenda litterarum, inde ego Comitissa Fronilla Ferdinandi facio fundamentum Scripturæ firmissimum Monasterio de Ferreyra, de hereditate, quæ fuit de ipso Monasterio, quam ego habui ab auis, & atauis meis. Concedo illam pro remedio animæ meæ, & parentum meorum, Omnipotenti Deo, & Sanctæ Mariæ eius Genitrici, necnon & omnibus Sanctis, videlicet, illis Monialibus, quæ in Religione sancta voluerint perseuerare, iuxta consuetudinem Cisterciensium Monachorum, per manum Abbatis, vocati Vitalis de Meyra, & Conuentus sui. Atque hoc facimus de consilio, & consensu Ioannis Lucensis Episcopi. Damus ergo illis de monte Cais, vsque Silum, & vsque ad Miniam*, &c. (nam plures & Ecclesias, & villas ibidem nominat.) *Facta charta XVI. Kalendas Ianuarii, Æra M.CC.XIII.* Qua autem die hæc donatio facta est, eadem etiam & omnes consanguinei, quibus pars erat in eodem Monasterio, aut ius aliquod succedendi; etiam remotum, similem aliam vnanimes fecerunt, assistentibus, confirmantibúsque vtranque chartam Episcopis, & Abbatibus prædictis; &, quod mireris, præcedenti subscriptione trium Abbatum, quam subscriptiò Pontificum subsequitur: sic enim habet [k]:

k *ibidem.*

Abbas Ægidius de Superado, confirmat.
Abbas Vitalis de Meyra, confirmat.
Abbas Martinus de Melone, confirmat.
Dominus Petrus Compostellanus Archiepiscopus, confirmat.
Dominus Ioannes Lucensis Episcopus, confirmat.
Dominus Aldephonsus Aurienſis Episcopus, confirmat.
Comes Gometius confirmat.
Comes Vrgellensis confirmat, &c.

Sic Sanctos Viros venerabantur olim Ecclesiæ Principes: sic etiam Monachi sanctis suis moribus venerabiles se præbebant Ecclesiæ Patribus.

12. Prima Abbatissa loco præfecta fuit Maria Sanctij è Comitissæ Fronillæ consanguineis, Comitissa & ipsa: nam & partem, quam in Monasterio habebat, donat vtraque charta, & se Comitissam subscribit nondum Monacha. Fronilla, vt primùm Ferrariam Deo restituit, Monasterio instaurato, nec

sine

sine fœnore, relicto sæculo, & quam vnicè diligebat, Guiomare filia, Sanctimonialem in eodem loco induit, non sine admiratione totius Regni. Generis nobilitatem in fœmina Principe corporis elegantia commendabat, vtranque ingenium mite, mores placidi: & quam ratò coniungas, cum his bonis in tenem viduitate, honesta fama, nullis, vel spretis amatoribus carpenda. Accesserat & Ferdinandi Regis gratia his omnibus augendis apta in primis: adeò ferè inter homines increbruit, Principum magis, quàm suo iudicio viuere. Mirabile est, vt creuerit opinio noui Cœnobij, noua Moniali facta ex Fundatrice. Extat eiusdem Ferdinandi diploma Ferrariam multis illustraus priuilegiis, augens possessionibus, Fronillæ causa: *Attendens*, inquit *deuotionem, & obsequium, quod sæpissimè dilectissima mea Comitissa, Domna Fronilla, mihi exhibuit, do illi, & Monasterio de Ferraria totam meam Sirgariam, & totum meum Caritelum*, &c. Facta charta Mayorguæ, in Regum Collegio, mense Februario, Æra M.CC.XIX.

1 *in eiſd. Archiuis.*

13. Vixit Fronilla in eodem Cœnobio vsque ad annum 1195. quo dierum, & virtutum plena, vt piè creditur, multis piis operibus præmissis, transiit ad Dominum, Monachatus sui præmium receptura. Sepulta à suis in Claustro Monasterij, arcu ad murum cauato, lapide plano, & sine inscriptione, vbi hodiéque immota perseuerat. Porrò anno 1196. proximè sequenti, Guiomara filia in obsequium & gratiam dilectæ matris, ne quis data repetere tentaret, aut fortè minus firma esse prætenderet, omnia, & singula à Fronilla matre facta, grata, & rata habuit litteris, quas non piget hic subiungere:

In Dei Nomine. Amen. Ego Domna Guiomar volo omnibus esse notum, quod ego concedo, & firmum habeo, quantum fecit mater mea, Comitissa Domna Fronilla de Monasterio Ferrariæ; & concedo Deo, & Ordini Cistercienſi omnes donationes, quas eidem contulit Monasterio. Placet igitur mihi, vt sicut ipsa voluit, Ordo Cistercienſis ibi à fœminis teneatur per manum Abbatis de Meyra, vt secundum Deum, & Ordinem constituat, quod voluerit, vel deponat; & contra factum illius nullus veniat. Quod si aliqua minùs firmè ab ea concessa videntur, scias omnis posteritas mea, me his litteris illa omnia ex integro concessisse. Hoc tamen excipio, quod si ego, vel alia de mea progenie ibi elegerit Deo seruire, recipiatur benignè, & prout poterit, de Monasterio ei prouideatur, &c. *Hanc scripsi firmitudinem, Ego Domna Guiomar feci Mandato Abbati de Meyra, Æra M.CC.XXXIV.* Hactenus instrumentum confirmationis.

14. An autem Guiomar Fronillæ matris imitata exemplar, Monialem induerit, vt in litteris insinuate videtur, incertum adhuc: sanè à principio suæ fundationis Cœnobium illud nobilitati patens totius Regni, ferè tot fœminas illustres habuit, quot Moniales. Sed neque aliorum multiplicatione, etiam tenuium, qua hodie laborare videtur Hispania nostra, effectum video, quominùs nobiles in eo recipiantur, quod vt in viris factum non probarem, ita inter fœminas magni esse momenti melior magistra experientia nos diu docuit. A temporibus Vitalis Abbatis, vsque ad nostra, manuit Ferraria sub Mevrensium Abbatum cura, & correctione. Qualiter autem anno 1600. plùs, minusve, in Reuerendissimorum Generalium Obseruantiæ Hispaniarum ius transierit, vtriusque Conuentus consensu præcedente, suo loco commodiùs referemus.

ANNVS CHRISTI M.C.LXXVI. CISTERCII LXXIX.

1. Noua in Angliam transmissa legatia: 2. atque occasione Sedium inter Metropolitas noua dissidia. 3. Pronisi à Richardo Cantuariæ duo Archidiaconi: 4. & Regi Siculo desponsata Henrici filia: 5. per eundem deducta: 6. Henrici sub Hugone Legato maior audacia, 7. per Richardum compressa, 8. cuius cura Ecclesiasticis prouisum. 9. Eiusdem epistola super tollendo abusu de non puniendis Clericorum percussoribus: & qualiterhuic malo subueniendum?

CAPVT I.

1. INTERPOSITA præcedenti anno appellatio ad Alexandrum Papam, per Clericos Eboracenses, & Cantuarienses, quamuis alij alias causas suspicentur, huius in Angliam transmissæ legationis; hæc tursus congregandi noui Concilij, atque hoc tandem nouorum dissidiorum, turbarúmque inter vtranque Sedem, hoc anno millesimo centesimo septuagesimosexto occasio fuit, elato, atque ad omnes nouitates prono Rogerij animo: Richardi è contra quieto, atque pacifico, verùm constanti pro suæ Ecclesiæ iuribus, maximè post Blesensis admonitionem. Hæc quo ordine, & qualiter euenerint, ex Guillelmo Neubricenti, eius sæculi Authore, totidem verbis scripta accipiat Lector [a]:

a *lib. 3. c. 1.*

2. *Sequenti anno Hugo Cardinalis, apostolicæ Sedis Legatus, nescio quid ordinaturus venit in Angliam. Qui cum totius Angliæ Concilium celebraturus, fauore adiutus regio, vtriusque Prouincia, id est, Cantuariensis, & Eboracensis Ecclesiasticas personas Londoniis conuocasset, statuto Concilij die, cum iam sumptis insignibus processurus esset, facta est contemio vehemens inter ipsos Archiepiscopos de prioratu sessionis in Concilio. Quippe Eboracensis matutiùs aduenieus primam Sedem præoccupauit: eandem sibi allegans competere ex antiquo Beati Gregorij decreto, quo statutum noscitur, vt Metropolitanorum Angliæ ipse prior haberetur, qui priùs fuerit ordinatus. Cantuariensis verò solenniter posita præoccupata Sedis querela, secundam Sedem, tanquam passus præiudicium, recusauit. Mox subditis eius ferociùs pro ipso æmulantibus, simplex verborum contentio exiuit in rixam: Eboracensis autem, quia pars aduersa fortior, loco præmaturè occupato, cum contumelia deturbatus, cappam eius scissam, illatæ sibi violentiæ iudicem, Legato exhibuit, & Cantuariensem ad Sedem apostolicam prouocauit. Metropolitanis ergo ita contendentibus, rebúsque turbatis Concilium non celebratum, sed dissipatum est.* Ita Guillelmus, cui alij omnes concordant.

3. Richardus interim, seu conflictus memor, atque ex eo prouidentior, cautiórque, seu promouendæ suæ Sedis authoritati; seu tandem, quia diffusam nimiùm diœcesim pluribus administris indigere arbitrabatur; *pro vno*, (Nicolaus Harsfeldius ait [b],) *quo hactenus vtebatur Archidiacono, tres fuffecit; nempe, Sobericum, Nicolaüm, & Herebertum:* qua prouidentia cautum in futurum, vt onere partito, muniíque, faciliùs quisque incumbentia sibi perageret, quod semper vtile, prudénsque consilium, tunc multò magis necessarium fuit; sequuta statim Archiepiscopi absentia, amandati Siciliam ab Henrico seniore, Ioannam filiam in sponsam tradituri Siculo Regi. Verùm hoc item qua ratione gestum, quia hunc annum concernit ex Romualdo Salernitano, eius temporis Scriptore, atque aliis antiquis recenseamus.

b *saculo* 12. *cap.*..

4. *Interea* (ait prædicatus Romualdus [c]) *Rex Vuillelmus consilio Papæ Alexandri, Eliam Troianum electum, & Arnulphum Caputaquensem Episcopum, & Florium de Camerota Iustitiarium ad Regem Henricum in Angliam misit, vt ei Ioannam minorem filiam suam in vxorem daret. Rex autem Angliæ Henricus Papæ Alexandri, & Principum suorum consiliis acquiescens, petitioni Regiæ prabuit gratanter assensum; & filiam suam cum Nunciis eiusdem Regis, & Principibus suis vsque ad Sanctum Ægidium honestè transmisit. Quo cognito, Rex Vuillelmus Alphanum Capuanum Archiepiscopum, & Richardum Syracusanum Episcopum, & Comitem Robertum de Caserta, cum vigintiquinque galeis, ei obuiam misit. Qui venientes vsque ad Sanctum Ægidium, prænominatam Regis filiam intra galeas recipientes, vsque Neapolim deduxerunt*, &c. Hæc Romualdus, nulla Richardi facta mentione.

c *apud Baron. hoc anno.*

5. Verùm Rogerius [d], consultos ab Henrico, priusquàm responderet, Angliæ Episcopos congregatos Londonij, nec quicquam sine eorum consensu factum: Harsfeldius, Cantuariensem designatum, qui Ioannam deduceret ex Gerualio, ad hunc annum memoriæ prodiit. *Eodem anno*, inquit [e], *Richardus in Siciliam, cum quibusdam aliis illustribus viris amandatus est, vt filiam Regis Ioannam ad sponsum Guillelmum Siciliæ Regem deduceret; quásque interim Richardus vices Gilberto Londinensi commisit, qui Landauensem, eo absente, Episcopum Cantuaria consecrauit.* Ita Harsfeldius. Qui paulò inferiùs addit [f], quàm non frustrà laborioſum iter susceperit. Quippe *reuersus* (scilicet, Richardus) *diploma secum retulit à Rege, Episcopis, Proceribúsque subsignatum, quo amplissima quadam dos Ioanna attribuebatur.* Hactenus gesta Richardi Cantuariensis circa hunc annum.

d *In Anna. Rb. Angl.*

e *saculo* 12. *cap.*...

f *vbi suprà*

6. Cæterùm illud etiam notandum est, quod omnes ferè Authores Angli obseruant, Henricum Regem sub Hugone Legato, multa in Ecclesias rursus vsurpasse, quibus Richardus nullatenus consenserit; quin ab eius discessu, hoc est, Hugonis, effecisse constanter, vt res iterum ad meliorem statum, & Ecclesia præcipuè Cantuariensis solitæ suæ libertati restitueretur. De primo, quod hoc item anno contigit, idem qui suprà Harsfeldius hæc habet verba [g]: *Et ille quidem*, scilicet, Hugo, *valdè in plurimis, idque in antiquis priuilegiis Ecclesia violandis, Regia cupiditati tam indulgenter, & abiectè inseruiit, vt Regi permitteret, etiamsi sacris initiati cernos, aut damas intra saltus Regios occidissent, in suo tribunali causam cognoscere; illoſque multare. Qua fenestra patefacta, Rex licentius ad rescindenda reliqua omnia illa priuilegia se effudit; pro quibus D. Thomas tam longum, tam constanter exilium sustinuerat, & caput gladio obiecerat, quásque ipse ex suo iuramento damnauerat, & reiecerat. Mox enim accitis ad se Proceribus Northamtoniam, consuetudines illas omnes Clarendonenses, de quibus antèa diximus, obseruari seuerè edicto præcepit.* Hæc de Henrico recidiuum passo, sub Hugone Legato Romanæ Sedis.

g *saculo* 12. *cap.* 18.

7. At de eodem post Legati illius discessum, cùm legatiam Richardus reassumpsisset, audi, quod sequitur: *Proximo deinde Henricus anno, ne Cantuariensis Ecclesiæ priuilegia penitùs infregisse videretur, inuisens sepulcrum D. Thomæ, rescriptum suum ibidem obtulit, quo omnes illas possessiones, immunitates, & libertates, vt appellant, confirmauit, quibus tempore ani, & proani, vtebantur, & fruebantur; & alias quasdam de suo adiecit.* Hæc à discessu Hugonis Legati facta, maximè Cantuariæ, non dubito Richardo, atque eius tum apud Regem gratiæ, tum pro Ecclesia vigilanti curæ esse adscribenda.

8. Constat profectò plures consuetudines ecclesiasticæ, tum immunitati, tum grauitati & authoritati contrarias, ipso adnitente rescissas, cassatásque, ac penitùs abolitas, non sine ingenti Ecclesiasticorum vtilitate; quarum, exempli gratia, ex eodem Authore [h] vnam adducam: *Perniciosa quadam, & quæ à totius æqui, & boni ratione prorsus aliena; sed quæ maiorum curriculo longè defluxerat consuetudo, nescio, quomodo irrepserat; vt qui Sacerdotem occidisset, impunè abire soleret: de qua re grauiter conquestus est Richardus, omnémque operam dedit ad eam consuetudinem euertendam.* Ita Harsfeldius. Quanuis tenerà hæc adeò detestanda corruptela (quod animaduersione dignum iudico, ne quis existimet, Principes Catholicos aliquo tempore adeò desipuisse) ex Ecclesiasticis ipsis ortum duxerit. Qui nollent vti brachio sæculari ad suorum iniuriam vlciscendam: cùm tamen ab hominibus scelestis spiritualis gladius, qui solus eis commissus, contemneretur, constabit clarè ex epistola Richardi ad Episcopos Angliæ, quam mox adducam. Eodem itidem, vt credo, procurante, effectum est, quòd Henricũ Regẽ promisisse non minùs lego [i]: *Quòd nullus ex Clericis in foro profano interpellaretur, nisi ob venationem in syluis regiis, aut ob profanum beneficium, quod feudum appellant. Nolle se, nisi vrgenti ex causa, supra annum vllas Cleri possessiones viduatas tenere; demum ne Clerici, sui purgandi causa, armis certare cogerentur.* Hæc, & similia indulsisse Henricus legitur: quæ vt laudandam Richardi sollicitudinem, sic aliorum indignam, & abiectam patientiam probant, qui talia hactenus per claues non repressissent. Extat eiusdem Richardi grauis epistola ad Episcopos Vintonienſem, Elienſem, & Norwicenſem, super tollendo priori illo abusu prorsus intolerando, quam piaculum foret pertransire. Sic autem habet [k]:

h *vt suprà.*

i *Ibidem*

k *inter epistolas Petri Blesensis, epist.* 73.

Richardus, Dei gratia Cantuaria Archiepiscopus, totius Angliæ Primas, & apostolicæ Sedis Legatus, Venerabilibus, & dilectis Fratribus, R. Vintonienſi, G. Helienſi, I. Norwicenſi, Episcopis, Salutem, & salubre consilium.

10. *In Ecclesia Anglicana damnosa omnibus, & omninò damnanda consuetudo inualuit, qua nisi per industriam vestram fuerit omninò sublata de medio, in enormè totius Cleri dispendium vehementer excrescet. Si Iudæus, aut laicorum vilissimus occiditur, statim supplicio mortis addicitur interfector: si quis verò Sacerdotem, vel Clericum, minoris, aut maioris status occiderit, Ecclesia sola excommunicatione contenta, aut, vt veriùs loquar, contempta, materialis opem gladij non requirit. Scitis equidem, quod à Domino dictum est Moysi [l]: Maleficos non patieris viuere. Et Apostolo teste [m]: Princeps gladium habet ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Sed & Dominus dicit:*

l Exodi 18.

m 1. Pet. 2.

[b] Zachar.2. [c] Psal.4. dicit [b]: *Qui vos tangit, me tangit. Et per Prophetam* [c]: *Nolite, inquit, tangere Christos meos. Vbi igitur posset maleficium immanius, & execrabilius inueniri, quàm grassari in Christos Domini, & in populum acquisitionis liberæ impunitatis audacia gladium exercere?*

10. *Accepta mihi esset sententia excommunicationis in talibus, si timerem homicidis incutere. Sed culpis nostris exigentibus, gladius Petri rubigine obductus est, & quia non potest incidere, datus est in contemptum. Si capra, si ouicula furto sublata sit, vel occisa, in huius rei authorem, si lateat, sententia excommunicationis emittitur: conuictus verò, aut confessus, furcarum patibulo deputatur. Porrò Clerici, vel Episcopi occisores Romam mittuntur, cunctisque in deliciis cum plenitudine apostolicæ gratiæ, & maiore delinquendi audacia reuertuntur. Talium vindictam excessuum Dominus Rex sibi vendicat: sed nos eam nobis dammabiliter reseruamus: atque liberam prebentes impunitatis materiam, in fauces nostras laicorum gladios prouocamus. Ignominiosius est, quòd pro capra, vel ouicula, grauior; pro Sacerdote occiso pœna remissior irrogatur. Sed his, & durioribus digni sumus, qui iurisdictionem alienam, & nobis omnino indebitam ambitione temeraria vsurpamus. Nam & in corpore Decretorum, & in Epistola ad Romanos, hæc verba legisse meminimus. Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi Iudices, quàm per Rectores, & Iudices Ecclesiarum vindicantur. Sicut est, cùm quis interficit Pontificem apostolicum, Presbyterum, siue Diaconum. Huius reos Reges, & Principes mundi damnant. Omnis equidem iustitia ideò exercetur, vt debita quiete gaudeat innocentia, & malignantium temeritas refrenetur. Veruntamen in hac iurisdictione maledicta, quam ambitiosè, & superbè præsumimus, Deum offendimus, & Dominum Regem, vimque in Clericos machinandi tutissimam laicis aperimus.*

11. *Nuper apud Vintoniam Sacerdos litteraturæ commendabilis, & conuersationis honestæ malitiosè occisus est à Guillelmo Frechet, & vxore eius; nec illi maleficium diffitentur: prompti sunt ergo Curiam adire Romanam: nam confidit in ea cor viri sui, atque in specie, & pulchritudine sua incendit prosperè procedere, & de lenocinio vxoris in via, præter absolutionis beneficium, fructus vberioris manipulos reportare. Vos ergo, dilectissimi Fratres, huic publicæ posti, dum in suo cursu est, maturiore consilio studeatis occurrere: nam, si liberius aliquantulum, & licentius euaserit, periculum, quod inter pauperes nunc versatur, nostris in proximo cernicibus immòrebit. Ecclesia iurisdictionem suam prius exerceat: & si illa non sufficis, eius imperfectum suppleat gladius secularis.*

12. *Huius rei authoritas è Synodo Vrbani Papæ, & decreto Gregorij, ex epistola Nicolai ad Episcopos Galliarum, ex Concilio etiam Martini Papæ, & ex Concilio Carthaginensi III. & ex multis Sanctorum Patrum institutionibus emanauit. Nec dicatur, quòd aliquis puniatur propter hoc bis in idipsum: nec enim iteratum videtur, quod ab vno incipitur, & ab altero consummatur. Duo sunt gladij, qui mutuum à se mendicant auxilium, atque ad inuicem sibi vires impartiuntur alternas; Sacerdotium Regibus, & Sacerdotibus Regnum. Ideòque, si ab altero suppletur alterius insufficientia, non videtur duplex contritio, aut punitio combinata. Nam & illi, qui ad mortis patibulum sunt damnandi, iuxta Moguntinense Concilium, antequàm ad tormenta ducantur, per cordis contritionem, & pœnitentiam spiritualiter puniuntur; nec duplicitatem contritionis inducit, sed quædam præparatio est ad mortem pœnitentia, & satisfactio, quæ precedit. Reddentes igitur Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris, iuxta petitionem Domini Regis, si tamen vindictam excessuum relinquamus: vos autem in mortis articulo constituti, quia sententiam latæ Canonis incurrerunt, si absolutionem postulauerint, & in hoc, & in aliis quantum possumus, sine scandalo, & periculo Ecclesiæ, humanitatis consilium misericorditer impendamus. Publicè nanque interest, vt materiali gladio cohibeantur, qui nec Deum timent, nec defensam Ecclesiæ, nec censuram Canonum reuerentur. Bene valete.* Hactenus Epistola Archiepiscopi Richardi, quia Cistercienſis, digna quæ inſereretur nostris Annalibus.

---

1. *Hæretici Albigenses qui?* 2. *Et dictum latè de erroribus illorum,* 3. *contra quos grauis Synodus coacta,* 4. *in qua & examinati,* 5. *vafri omninò, & subdoli inuenti:* 6. *sed conuicti per Patres,* 7. *cùm nihilominùs in obstinatione perseuerarent,* 8. *per Iudices ex Cistercio assumptos damnati sunt,* 9. *fatali Cistercienſium aduersùs Hæreticos Albigenses destinatione,* 10. *animadnersum in quosdam recentiores.*

CAPVT II.

1. VNC annum nostris, imò & toti Ecclesiæ celebrem reddiderunt Hæretici Albigenses, damnati primùm in Concilio Prouinciali sub Assessoribus Episcopi Albiensis, Coniudicibúsque Abbatibus de Ardurelo, & de Candilio, Cistercienſi vtroque, & designato Abbate Fontis frigidi, qui ex nouo Testamento (nam cætera negabant) testimoniis depromptis, aut corrigibiles ad salutis viam reduceret; aut contumaces condemnandos manifestaret. Horum Author Oliuerius quidam, vt mox constabit. Referam priùs nefaria hominum dogmata; mox dogmatum examen; demum sententiam, & eiusdem sententiæ subscriptores. Referam autem ex Rogerio Ouvedenio, eius sæculi Authore, ex quo Baronius [a], Vinius [b], aliique eisdem prorsus verbis transcripsêre. Nihil quod nos ea prefsius, & districtiùs: nec singulorum errorum confutationes, quod est alterius loci, prosequemur.

[a] ad hùc ann. hinc. 3. Conrad.

2. *Erant in Prouincia Tolosana quidam Hæretici, qui se appellare faciebant, Bonos Homines, qui manutenebant milites de Lumbercio, proponentes, & docentes populum contra fidem Christianam; dicentes etiam, quòd non recipiebant legem Moysis, nec Prophetas, nec Psalmos, nec vetus Testamentum, nec Doctores noui Testamenti, nisi solummodo Epistolas Pauli, & septem canonicas Epistolas, & Actus Apostolorum, & Apocalypsim.* Hic primus error grauis multos inuoluens: post quem alij non minùs detestabiles: *Quòd fides nunquam obliget ad externam confessionem.*

Quòd Baptismus ante vsum rationis decedentibus nequaquam prosit, aut sufficiat ad salutem.

Digitized by Google

Quòd Corpus Christi non consecretur per malum Sacerdotem.

Quod licitè consecrari possit extra Ecclesiam.

Quòd coniuges, si carnaliter misceantur, peccent: & quod omnes debeant seruare virginitatem in coniugatu permanentes, vt Apostolus.

Quod infirmis sufficiat confiteri, cuicunque velint, iuxta illud Apostoli: Confitemini alterutrum peccata vestra. De militibus verò, qui in bello occumbunt, nihil certi haberi: quia Iacobus non loquitur nisi de infirmis.

Quòd non est necessaria satisfactio, quandoquidem nec idem Apostolus eam requisiuit, neque ipsi velint meliores esse eo, vt aliquid de suo adderent, sicut Episcopi faciunt.

Demum quòd non esset parendum malis Episcopis: & quòd nihil vnquam iurare liceret esse.

3. Hæc summa errorum illorum Bonorum Hominum, vt ipsi se vocari gestiebant, contra quos, cùm ad Gerardum Albiensem delati essent, congregauit Concilium diœcesanum, cui ob materiæ grauitatem vicini etiam Episcopi, quinimò & Archiepiscopi interfuerunt. Petrus, nimirum, Narbonensis, & Gocelinus Tolosanus, cum quibus Neumacensis, & Agathensis cum multis aliis Prælatis inferioribus: adfuit etiam Constantia, Ludouici Francorum Regis soror, Raymundi Tolosani Comitis coniux, in cuius hæc ditione pertractabantur. Designati in primis Viti docti, qui impugnarent errores, & cum sequacibus Oliuerij, (nam ipse non comparuit,) productis noui Testamenti, quando alias non recipiebant, authoritatibus, argumentarentur: & designati ad hoc munus duo Pontifices, Narbonensis, nimirum, & Neumacensis, cum Abbatibus Sendracensi, & Fontisfrigidi, quippe iam tunc destinante Deo Cœnobium (Fontemfrigidum dico) hæreticæ perfidiæ coërcendæ, iudicium diœcesino Episcopo, hoc est, Gerardo Albiensi reseruatum; adiunctis tamen tribus Assessoribus Candilienti, Arduricensique Abbatibus, Cistercientibus item; & Arnaldo de Be, quorum diffinitiuæ sententiæ standum foret.

4. Sedentibus præfatis quatuor Iudicibus, assistentibus Episcopis, atque Actoribus dimicare patatis pro veritate, Oliueriani (ne Bonos Homines dicam, quos malos constat) *interrogati* (ait Rogerius [c]) *ac fide sua, & de Baptismo parulorum, & si saluabantur per Baptismum, & de Corpore, & Sanguine Domini, vbi consecrabatur, vel per quos; & qui sumebant; & si magis, vel melius consecrabatur per bonum, quam per malum; & de Matrimonio, si poterum saluari, si carnaliter coniungebantur vir, & mulier. Respondebant, quòd de fide sua; & de Baptismo parulorum dicerent, nec dicere cogebantur. De Corpore autem Domini dicebant, quod, qui dignè sumebat, saluabatur; & qui indignè, acquirebat sibi damnationem. De Matrimonio autem dicebant, quòd vir, & mulier iungebantur propter luxuriam, & fornicationem vitandam, sicut dicit Paulus. Dixerunt etiam multa non interrogati; quòd non debebant iurare omninò per aliquod iuramentum, sicut dicebat B. Matthæus in Euangelio, & Iacobus in Epistola sua.*

5. *Dixerunt etiam, quòd Paulus prædicebat, quod essent ordinandi Episcopi, & Presbyteri in Ecclesia: & si tales non ordinabantur, quales prædicebat, non essent Episcopi, nec Presbyteri; sed lupi rapaces, & hypocritæ, & seductores, amatores salutationes in foro, primas cathedras, & primos accubitus in cœnis; volentes vocari Rabbi contra præceptum Christi, ferentes albas, & candidas vestes, gestantes in digitis aureos annulos, & gemmatos, quod non præcipit Magister eorum: & ideirco quia tales Episcopi, & Presbyteri erant, quales fuerunt Presbyteri, qui tradiderunt Iesum, non debebant illis obedire, quia mali erant.* Hæc, & alia, miscentes vera falsis; & multò plura celantes, quàm detegentes, pro innata cunctis Hæreticis vafritie, procaci & subdola voce insusurrabant.

6. Tum verò Actores à Concilio designati detegere fraudes, secreta æquè, & publica discutere, perpendere verba, librare sensus, & noui Testamenti productis paginis, sigillatim discurrere, ac deuios homines ad veritatis viam reducere, quibus poterant modis sollicitabant: nam pergit Rogerius: *Contra ea, quæ prædicti Hæretici proponebant, inducta sunt noui Testamenti multa authoritates à Domino Petro Narbonensi Archiepiscopo, & à Neumacensi Episcopo, & Petro Sendracensi Abbate, & Abbate de Fontefrigido. Prafati enim Hæretici nolebant recipere iudicium, nisi per nouum Testamentum.* Sic ille.

7. Verùm post longam satis disputationem, cùm homines rebelles, & peruicaces conuictos, priusquàm persuasos, experirentur; lata in eos sententia per quatuor Iudices, & condemnati vnanimiter errores, Gileberto Lugdunensi, aliàs Conuenarum Episcopo, legendi traditi sunt, quod iderumet Rogerius his verbis tradidit: *Talem ergo sententiam diffinitiuam ex nouo Testamento protulit Lugdunensis Episcopus coram omnibus prædictis, facto à cunctis silentio: Ego Gilebertus, Lugdunensis Episcopus, ex mandato Albiensis Episcopi, & Assessorum eius, iudico, istos esse Hæreticos, & damno sententiam Oliueri, & sociorum eius, vbicunque sint, & hoc iudicamus per nouum Testamentum.* Pergit deinde enumerare errores, & testimonia, quibus contrairent, eo ordine, quo à nobis sunt descripti; & tandem concludit:

8. *Surgens itaque Albiensis Episcopus dixit, sententiam, quam protulit Gilebertus, Lugdunensis Episcopus, ego confirmo, & iussu meo data est. Et commoneo milites de Lonberico, vt non manuteneant eos per fidelitatem, quam fecerunt in manu mea: Ego Candilionsis Abbas, electus Iudex hanc sententiam laudo, & assensu meo sic data est. Ego Petrus Narbonensis Episcopus: & Ego Agathensis Episcopus: & Ego R. Abbas Sancti Ponij: & Ego R. Abbas Sancti Vrilleloni: & Ego N. Abbas Gallacensis, & Abbas Fontisfrigidi: & Ego M. Tolosanus Præpositus: & Ego G. Albiensis Præpositus: & Ego N. Narbonnsis Præpositus: & Ego R. Agathensis Archidiaconus: & Ego G. Prior de Sancta Maria: & Ego Petrus Sendracensis Abbas: & Ego Magister Blancus: & Ego Bego de Veireiras: & Ego Trencauellus Vicecomes: & Ego Constantia soror Regis Francia, vxor Raymundi Comitis Tolosani: & Ego Sicardus Vicecomes Lantrocensis, hanc sententiam ratam habemus, & istos Hæreticos esse scimus, & eorum sententiam improbamus.* Hactenus ex Rogerio gesta Concilij, in quo ex tribus Iudicibus electis, Cistercienses duo, de Arduretlo, nimirum, & de Candilio: ex impugnatoribus errorum, vnus, Fontisfrigidis Abbas, vt nihil non deberetur eorum cutæ.

9. Hoc initium Hæreticorum Albigensium, nisi rem altiùs fortè repetamus ad tempora Bernardi referentes, quem ad eandem Prouinciam hæresi laborantem conuertendam transmissum diximus: serpente malo semel, iterúmque, intò in longum durante, nec vnquam nisi per Cistercium repumendo. Quippe, vt olim Bernardus, nunc tres Abbates: sic paulò pòst, sub Alexandro Henricus, Guarinusque: sub Innocentio duodecim Abbates: cum Arnaldo Cistercij: atque inter eos illustris ille athleta Martyr

insignis

insignis Petrus de Castro nouo, ex Fontefrigido Tolosam missus est, turbidam illam gentem compressurus. Sed de his late in sequentibus dicemus.

10. Interim noto pro dictis in hoc Capite, in Rogerio amanuensium incuria irrepsisse errorem, vt qui nunc Gilebertus Lugdunensis, non multò pòst Gozelinus Lodouensis Episcopus, intolerabili dissonantia, nuncupetur. Illud mirabile, quòd cùm Cardinalis Baronius, aliàs accuratissimus enucleator Historiæ veteris, & Seuerinus Vinius eadem verba ex ipso transcribant, errorem neque notent, neque corrigant; sed integrum relinquant, non sine magna Lectorum confusione. De nomine Episcopi, vix quicquam: de Episcopatu coniector, non affirmo, Lugdunensem legendum à Lugduno Conuenarum diruta olim vrbe; sed ex propriis ruinis reparata in Sancti Bernardi fano, in quo Sedem episcopalem sub Auxitano Metropolita in Basconia erectam, lego; & numeratam in libris taxarum Cameræ, quanuis à Ioanne Chenu in libro de Episcopis Galliæ non numeretur. Certè si fortè Lugdunensis Archiepiscopus sub illis verbis intelligeretur, vt quidam volunt, non solùm Iudices, Actoresque ex Cistercio; sed Notarius assumptus dicendus foret. Sed tunc nec Gilebertus, nec Gozelinus, sed Guicardus legendum, quem per hæc tempora præsedisse Lugduni constat.

---

1. *Introductio ad Martyrium Sancti Gerardi,* 2. *& dictum obiter de Hugone de Bazochiis,* 3. *& de eius excessu, ac reclusione.* 4. *Sancti de suorum salute sollicitudo.* 5. *Germaniam intrans* 6. *Treueris ad sepulcrum Martyrum orat,* 7. *à quibus visitatur, docetúrque, atque ad subeundum Martyrium confortatur:* 8. *tum visitato Claustro ad eosdem redit,* 9. *à quibus iterum docetur, & confortatur.* 10. *Reuelata nonnulla,* 11. *& concordatus cum Authore Exordij Cæsarius.*

CAPVT III.

1 INTEREA Monachus de linea Clarævallis, ignotæ domus (atque vtinam & ipse ignotus fuisset) dum fuse apostata, seu Principum fauore, quod aliud apostatiæ genus est, licentia per mentitas causas extorta, diuagatur in aulis: cœlestem, per gloriosam Martyrij palmam præparabat Gerardo Clarævallensi, sibi in ruinam, vniuerso Orbi in scandalum, nostris in confusionem simul, & gloriam: quippe, quos parricidium æquè infamat, ac corona honestat; nisi quod filij degeneris infamia, non coinquinat fratres: Patris gloriæ illustrant successores. Adde, quòd parricidæ, cæteris paribus, eò leuius dehonestamentum, quò exilior notitia, obscuriórque. Gerardum veneratur Christianus Orbis, & latuisset sacrilegus omninò, si Martyr sine authore Martyrij tradi posset. Referam primùm vagationi hominis adhibitam per Gerardum Patrem cautelam, & Monachum Igniaci reclusum sub Sancto Petro: mox quæ inde sequuta præcessêre Martyrium Sancti: simul reuelationes, & oracula, quibus ad passionem, & gloriam præparabatur. Referam autem Exordij magni verbis, quò maior fides dictis, & maius pondus.

2. *Monachus quidam* (ait Exordij Author [a]) *nobilis quidem genere, sed degener moribus contra formam, & honestatem Ordinis, vbique vagabatur, frequentans Curias Principum, & secularibus negotiis se ipsum impudenter ingerens, & in omni conuersatione sua magis se Gyrouagum, quam Monachum claustralem ostendens. Hunc Dominus Gerardus, Abbas Clarauallensis, zelo iustitiæ; & Ordinis æmulatione succensus, teneri iussit, & ablatis ei tam equis, quam omnibus, quæ habebat, Venerabili Viro, Domino Petro Abbati Igniaci ipsum commisit: quatenus in Domo eius regulari districtione coërceius, omni denique vagationis licentia recisa, pœnitentiam ageret, vel inuitus.* Hæc in Exordio: nec dubito, perillustres fuisse natales hominis, quos ne tantum flagitium aboleuit, vt palam fiat, generosos in Religionibus, aut optimos, aut pessimos. Quippe plerunque ex animi ardore fugientes media, & quacunque aut declinent, aut inclinent, maiori tum conatu, cum potentia, vel ad vltimum metæ peruenturos. Beatus Ricardus, anno sequenti referendus, flagitia hominis multa, atque peruersa, quamuis non detegat; talia tamen scribit, quorum cuilibet supplicia deberentur etiam grauissima.

[a] lib. 2. c. 17.

3. Mihi, vt nobilem fuisse Parricidam, atque ex nostris prodiisse in confusione, sic in solatio nesciri, vnde prodierit, atque vtranque eius domum ignorari, qua primùm mundo, & mox Cistercio genitus. Quin constare extra Claustra demigratum in Cuxiis Principum, vt sæcularibus semper in permissu, sæpè in præcepto: sic Religiosis (Monachis præcipuè) prorsus prohibitis. Quippe Nazaræi, etiam pulcherrimi, super carbones tetri, atque in plateis degeneres, & nulli cognoscendi, iam olim à Propheta deplorabantur. Porrò Gyrouagum Igniaci reclusum à Sancto Patre, non pertinuisse ad Ecclesiam Igniacensem, duo mihi argumenta persuadent: vtrunque ex zelo sumptum, alterum Beati Petri, Gerardi alterum: illius, qui proprium Monachum vagari nequaquam permisisset, regio præcipuè sanguine ipse ortus, & neque astu, & mendaciis decipiendus, neque sæculari potentia superandus: huius, qui non remisisset ad Abbatem, sub quo semel vagantem expertus esset. Adde, nihil aliud hominem causarum, nihil conquestum, nisi notam exilij, cùm se eiectum videret à Domo propria: cætera liberum, nec mancipatum carceri, quod sacrilegium sequuntur comprobauit.

4. Recluso Monacho, & commisso Beato Petro, à quo, aut à nullo videbatur reuocandus ad semitas regularis disciplinæ; cùm nihilominùs in moribus proteruiam, in dictis audaciam, in vultu obstinationem præseferret; Gerardum, quo zelo pollebat, & charitate, dum non præesse, sed prodesse iuuat, nec quicquam aliud quàm suorum salutem cogitat; aut scrupulus, aut pastoralis curæ tædium inuasit. Dolere sei, quem intulit dolorem homini generoso, fortè & sanabili, remedio mitiori: nam quid si consenuati honoris fræno continere potuisset, quem pudoris habenis semel ruptis in præceps actum, nulla iam arte valeat coërcere? Quid si culpa prudentiùs latuisset, quæ reuelata, cæteris in scandalum, committenti in ruinam,

ruinam, Religioni in opprobrium posset euadere? Optimè cum Republica agi, si nullus peccet; proximè ad hanc innocentiam tunc accedi, quando credere licet non peccasse. An expedire potuit quieti publicæ vagandi exemplum, ipsa pœna inflicta comprobatum? An non decentius de commissa culpa dubitaretur, in qua alios præire pauci auderent; sequi, plurimi forsan non dubitarent? esto culpa celari non potuisset, publica, & patens nimis. Quid, si adhuc pœna consultiùs omittenda? quid, si concepta, quàm visa magis terreret, quò maior timeretur; nec tam inflicti supplicij metus reuocet, quàm prouocet securitas non alterius grauioris infligendi? Nihil intolerabile, quod alius pertulerit: quod alius fecerit, nihil infectibile.

5. Hæc, & similia angebant animum Sancti, atque in eas inducebant cogitationes, vt de abdicanda pastorali cura, cui se imparem sentiebat, deliberaret. Verùm, qualiter Deus illi prouiderit, simul, & per Oraculum edoctum, de gloria sui Martyrij certum effecerit; mutuatis ex eodem Exordio verbis, queis nulla elegantiora, aut grauiora, in gratiam mei Lectoris præstat referre [b]: *Accidit*, inquit, *interea, vt Dominus Gerardus, Clarauallensis Abbas, partes Germaniarum ingrederetur, gratia visitandi Cœnobia, quæ in illis partibus Clarauallis habet. Inter eundum verò contigit eum Treuerim deuenire, (Belgica prima Metropolim,) quæ olim nobilissima, & secunda Roma est vocata; nunc verò vastitate suarum ruinarum, quid olim fuerit, demonstrat. In huius suburbio ciuitatis extat famosissimum Cœnobium, quod Sancti Matthiæ nomine vocatur, eò quod corpus Sanctissimi Apostoli illic integrum requiescat, quod Helena Augusta, Constantini Magni mater, a Iudæa translatum, ibidem honorificè recondidit. Accedit autem ad authoritatem confirmandam loco, quòd discipulorum Beatissimi Principis Apostolorum Petri, Eucharij, scilicet, Valerij, atque Materni corpora, in crypta eiusdem Ecclesiæ decenter locata, magna fidelium deuotione colantur. Qui a Sanctissimo Apostolo illuc directi, primis Germaniæ populis verbum salutis, & trophæum Crucis prædicauerunt; quique diebus suis tres nobilissimas Germaniæ ciuitates, Treuerim, & Coloniam, Tiburrimque Pontificatus honore insigniter illustrarunt.*

[b] vbi suprà.

6. *Ad præfatam itaque Treuirorum ciuitatem Domus Gerardus Abbas veniens hospitandi gratia, Cœnobium Sancti Matthiæ petiit, atque ab Abbate, & Fratribus eiusdem loci officiosissimè est susceptus. Sed is, qui non tam corporalis commodi, quàm spiritualis emolumenti gratia illo diuerterat, intempesta noctis silentio surgens, Oratorium petiit, cryptam ingreditur: ante memorias prædictorum Christi Confessorum corpore pariter, & mente prosternitur affectuosis precibus sibi, suisque diuinum auxilium per eorum suffragia postulaturus. Ast, vbi prolata oratio gratiam deuotionis promeruit, infusa deuotio mentem dilatauit, dilatata mens cœlestium secretorum capax est effecta: vidit, ecce, repente eosdem Domini Confessores, cœlesti gratia refulgentes, prope se assistere: quorum vnus, id est, Eucharius, talibus eum verbis alloquitur: Frater, ne timeas, nec paueat cor tuum in aspectu nostro: nos enim sumus, qui ab Apostolo Petro directo, primi in his partibus Christum euangelizauimus: ego quidem Eucharius, & isti Fratres mei Maternus, & Valerius, quorum opem flagitaturus memorias nostras adiisti: quapropter fidei, & deuotioni tuæ congaudentes, per voluntatem Dei, ad te venimus, super his, quæ in corde tuo versantur, consilium tibi daturi.*

7. *Voluntas tua, & propositum cordis tui est, vt officio Prælationis absolutus, & mordacibus negotiorum sæculi multitudinis exoneratus, soli Deo, & tibi vacare incipias: sed scire debes, quoniam hæc voluntas tua non est secundùm voluntatem Dei: quocirca suadeo, & admoneo, ne gradum honoris, quem diuina largientis gratia consequutus es, temerè deseras; sed constans esto, & viriliter age: quia in proximo est, vt à Domino visiteris, & pro laboribus tuis immarcessibilem gloriosæ victoriæ coronam adipiscaris. His dictis disparuere, Abbatem, qui hæc viderat, & audierat, stupore pariter, & admiratione consternatum relinquentes.* Hactenus verba dulcia, grauiáque ex Authore Exordij, quæ ferè eadem Vincentius [c], Antoninus, Cæsarius [d], atque alij transcripsêre. Haud aliter oranti in horto Christo apparuit Angelus de Cœlo confortans eum: nisi quòd Christus de morte subeunda; Gerardus de præfectura retinenda: Christus per vnicum, & eum impassibilem; Gerardus per tres Martyres: Christus ante Passionem, immediatè; Gerardus, interiectis quibusdam mensibus, vterque per cœlestes nuncios confortabantur. Sed iam, quæ alia contigerint, videamus.

[c] Speculi Hist. part. 2.

[d] lib. 8. Dialog. c. 78.

8. *Gerardus hospitibus suis consalutatis, atque ab aliis benedictione accepta, largita aliis, Hemmenrodem perrexit, filios sanctissimos, quos ibidem habebat, visitaturus. Quis mutua gaudia, quis cœlestia colloquia Sanctorum Dauidis, Meineri, Isembardi, atque aliorum, locum Parente Gerardo satis declaret?* Cæsarius perrexisse ad Clausirum tantùm [e]; Author Exordij ad Domos, pro quibus visitandis aduenerat: nec quidquam aliud addunt; quasi silentio reuerentiùs declarent, quod verbis non possunt. Ast, quæ in reditu ab eisdem Sanctis (Maternum loquor, Eucharium, & Valerium) iteratâ manifestatione acceperit, verbis item Exordij libet prosequi: sic autem pergit:

[e] lib. 8. c. 78.

9. *Interea cœptum accelerat iter: Domos, pro quibus venerat ad partes illas, visitat, & iucunda sua præsentia, & doctrina Fratres in Dei laudibus, & sacri Ordinis obseruatione feruentiores reddit; semper prædicta visionis dulcedinem mente reuoluens, vbique verborum, quæ audierat, quòd, scilicet, à Domino in proximo visitandus esset, sedula meditatione pertractans. Cæterùm affectuosius de eisdem Sanctis, qui sibi apparuerant, cogitare incipiens, mirabatur valdè de anima Beati Materni, vbinam fuisset, vel quali vita vixisset, quadraginta dierum illorum spatio, quibus corpus eius in sepulcro iacuit, antequàm per baculum Apostoli resuscitaretur. Et quasi pœnitentia ductus ingemuit, quod cum in præfata visione congruam satis opportunitatem quærendi nactus fuisset, minimè hæc quæsiuisset. Explicitis ergo negotiis, pro quibus erat, Treuerim reuertitur: sed minimè apud Sanctum Matthiam hospitabatur. Nam quidam potens, & diues homo de eadem ciuitate, magnis precibus extorserat ab eo, cùm priori vice illuc fuisset, quatenus in reditu suo benedictionem domui suæ dare dignaretur.* Hunc virum diuitem, potentémque de eadem ciuitate Præpositum Sancti Simeonis fuisse scribit Cæsarius. Portò Author Exordij [f] ita prosequitur [g].

[f] vbi sup. à.

[g] vbi sup. à.

10. *In eadem itaque domo susceptus hospitio, prinsquàm cubatum iret, Conuersum suum secretiùs alloquitur, & vt duos equos sibi ante lucem sternat, imperat: vt ipse solus cum eo ad Sanctum Matthiam vadat. Parat ille; dictisque tempestiuè Matutinis, Abbas, orationis gratia, corpora Sanctorum deuotus inuisit, vbi dum lacrymosis precibus attentiùs insistit, magno Dei munere eosdem Sanctos eodem schemate, quò prius, videre promeruit. Tunc verò Sanctus Eucharius respiciens ad Abbatem, protenso manu ad Sanctum Maternum dixit: Ecce iste est frater meus Maternus: scisciteris*

sciscitare ab eo, quod vix: cúmque mutaret ille, & præ reuerentia, & gloria vultus eorum nihil respondere præsumeret, Beatus Maternus sic ad eum locutus est: Meritò, Frater charissime, fronteseè caues requirere, quod scire desideras: quia tam profundam iudiciorum abyssum, & a sensibus humanis prorsus secluſam scrutari velle, temeritatis esse videtur: quia tamen pius magis, quàm curiosus scrutator es, arcanum huius secreti tibi, quantum capere potes, patefaciam. Tu cogitas, & sedula mente versus, vbinam anima mea fuerit, vel quali vita vixerit spatio quadragima dierum illorum, quibus corpus meum in sepulcro iacuit, & hoc ardenti pietatis affectu desideras. Scito igitur, quia sicut infans intra viscera materna clausus vivit, nec tamen sentit, sic ego eram in visceribus terræ iacens, & somno mortis in corpore dormiens, Deo tamen in anima viuens: in cuius omnipotenti præsentia iam tunc eram, quod postea resuscitatus in oculis hominis futurus eram. Hactenus ibi.

II. Variat, an explicat Cæsarius Heisteruacensis? Certè Sancti responsum aliter promit: nam Gerardo iteratò prædictam palmam Martyrij, atque iteratò iniunctam perseuerantiam: Materni animam nequaquam in sepulcro, sed in Paradiso, necnon sentientem; sed cuncta, quæ in mundo fiebant, videntem tradit [h]: *Noui, inquit Eucharius, ad quid veneris: ecce Maternum, interroga eum. Quod cùm feciſſet, respondit ille: Anima mea per illos quadraginta dies fuit in Paradiso, & quia sciebat ad corpus esse reuersuram, mercede sibi in cœlestibus præparata frui non potuit. Mane ergo in officio tuo, quia per palmam Martyrij citò nobis sociaberis.* Et paulò inferiùs: *Existente me in Paradiso, nihil factum est in mundo, quod non viderim.* Ita Cæsarius addens fortasse, aut explicans, quæ ex Exordio dicta. Quippe corpore nihil sentiente, intelligere animam, & Paradisum, hoc est, tranquillitatem, quietémque, etiam in ipso sepulcro habere potuit. Pergit Author Exordij de Gerardo: *Hac ergo gemina visitatione, & locutione Sanctorum Dominus Gerardus, Claraualles Abbas, confortatus fiebat de die in diem proficiens, Christo sedulum exhibere famulatum: tantò certior de imminente sibi termino vitæ, quantò minùs fallí posse, vel fallere sciebat Nuncium cœlestem, qui hunc in proximo esse prædixerat.* Hactenus quæ hoc anno præcesserunt Martyrium Sancti: reliqua suo tempore dicemus.

h lib. 8. c. 78.

---

1. *Henrici, Ludouici fratris, mors.* 2. *Qualis, & quantus vir.* 3. *Rhemense bellum, dum ipse præesset Rhemis,* 4. *in quo pro causa iusta semper steterit:* 5. *frequens, atque honorifica ipsius in iure mentio:* 6. *insignes suæ ætatis homines colit.* 7. *Quid de meritis vitæ, & sanctitate?* 8. *Fames valida leuata per Cistercienses.* 9. *Ferdinandi, Legionensis Regis, fauor in Pereirenses,* 10. *priuilegio expedito satis magnifico.*

CAPVT IV.

I. Hoc item annus Ludouico Francorum Regi, simul & nostris lugubris: illi fratrem ademit, his parentem, quem æquè fratrem, filiúmque habuissent. *Obiit* (ait Robertus, Abbas Montis [a]) *Henricus, frater Ludouici, Regis Francorum, Archiepiscopus Rhemensis, Religiosus Ordinis Cisterciensis.* Hæc ille, quanuis, nescio, qua motus coniectura, Sancti Gerardi Martyrium statim subdit, quod tamen constat post annum contigisse. Sunt tamen, fateor, qui mortem Henrici differant: sunt, qui anteponant: sed neutris certum aliquid promentibus, media via securior tenenda fuit. Quocunque obierit, ingentem Ludouico fratri luctum; maiorem adhuc Ecclesiæ Gallicanæ, sed nostris maximum reliquisse credendus est; queis æquè zelo, prudentiáque probatus, ac grauitate morum in regio sanguine, dignus Patre Bernardo per omnia filius, dignus Magistro discipulus euasit. Demochares [b], & eum penè transcribens Ioannes Chenu [c] Henricum Magnum vocant: *Henricus Magnus, filius Philippi Regis, & Ludouici frater, Religiosus Ordinis Cisterciensis,* &c. Sic in Catalogo Archiepiscoporum Rhemensium: neque dubium, quin hausturn ab antiquioribus, vt cognomen glorioſius, quo antiquius, crescat ex cæterorum totius Galliæ Primatuni collatione.

a in Chronico.

b de sacrific. Missæ, lib. 4.

c de Episcopis Gallia.

2. Fuit Henricus statura procerus, ingenio comis, conditione vniformiter difformis; & qui, vt superbos debellare, sic parcere subiectis consueuisset: de quo, & ad quem Arnulfus Lexouiensis [d]: *Sicut magnanimitas vestra superbiæ cedere nescit; sic humilitati non sustinet obuiare.* Ioannes Saresberiensis carpens dubium, an laudans, facilem vocat, nec tenacem vindictæ, aut offensionum: *Via autem* (inquit ad Beatum Thomam Cantuariensem, de eo scribens [e]) *reconciliationis facillima erit, vt in aliquo munusculo capiatur.* Ego, vt abiectum, captabilem per munera; sic per munuscula, generosum dixerim, quem non corrumpant dona, sed flectant obsequia, & magnanimitas inermem reddat, non spes, non metus, non auaritia. Petrus Cellensis contrà, inuictum robur, proteruis inflexibile collaudat [f]: *Noui* (inquit) *inter regiam animositatem, noui contra inflexam iniustitiam, inflexibilem ceruicem, noui ardorem.*

d in epist. ad eund. tom. 12. Bibl.

e lib. 1. epist. 16.

f lib. 8. epist. 16.

3. Rhemensis, sub Henrico, belli memoriam aliquam in antiquis Authoribus inuenio, incerto licèt anno, locóque; nec certis occasione, & congressoribus. Henricum ipsum in partibus fuisse, probare videtur quædam ad eum epistola Petri ad Sanctum Remigium tunc Abbatis, ægrè ferentis, quòd ad Præsulis absentiam insolescerent hostes, solo ipsius aduentu compescendi. Atque ecce exemplar eius, quæ est breuissima [g].

g lib. 1. epist. 26.

Venerabili Domino, & Patri charissimo, Henrico, Rhemensium Archiepiscopo, Frater Petrus, humilis Abbas Sancti Remigij, seipsum deuotissime.

Cùm semper præsentia vestra nobis, & toti Prouinciæ Rhemensi necessaria sit, quia mox solitò increuerunt, & intumescunt tribulationes, quæ circundederunt nos, omnino postulantes rogamus, ne moram facturis venire ad nos. In absentia enim vestra cornua sibi assumunt inimici vestri, & nostri, adeò vt non sit pax ingredienti, vel egredienti. Indifferenter ingrediuntur rapere, vastare, & deuorare omnia, in quibus manum iniicere possint. Monacho, Clerico, laico, pauperi, vidue, cuilibet conditionis miseria parcunt. Placeat igitur, Pater amantissime, sollicitudini vestræ inclinare animam necessitatibus, & angustiis terra vestra, qua clamat

ad

ad vos, & post vos. Hactenus Petrus Abbas ad Archiepiscopum.

4. In qua tamen, vt id obiter notem, quædam occurrunt commendantia virtutem illustris Principis, & bello, & pace clari, nullis aduersitatibus cessuri, sicut nec prosperis vllis efferendi. Alterum est, ipsius causam iustam, & cui boni fauerent: imò quæ nihil aliud sibi quæreret, quam vt bonos, tum Clericos, tum Monachos, pauperes etiam, & viduas vindicaret ab iniusta oppressione prauorum hominum, vt non pro alio, quàm pro Christo sumpserit arma, qui pro pauperibus, & dum pro Clericis, Monachisque pugnat, hoc est, pro Ecclesiasticis, non sibi, sed Ecclesiæ militauerit. Alterum, robur animi, & industriam, cuius absentia hostes insolescerent, vultum adeò, aut reuererentur, aut timerent, vt solo eius aspectu comprimerentur. Demum virum, vt facilem humilibus, cedentemque, ita superbis durum, & inflexibilem, lapidem offensionis, & petram scandali, in quam mali impingerent, ab eius pondere statim conterendi.

5. Fuit inter alia Henricus Romanæ Sedis, & Alexandri III. obsequentissimus, quem crebris frequentauit consultationibus, ita vt quæ extant ad ipsum eius rescripta, integros Decretalium titulos impleant. capite secundo, cap. *Cùm sit.* cap. *Ad hæc.* cap. *Si duobus.* de appellationibus. cap. *Parochianos.* de decimis. cap. 1. *Qui Clerici, vel volentes.* cap. *Cùm Christus.* de Hæreticis. quin in altero illorum Alexander de præstito sibi obsequio, & Ecclesiæ Romanæ ab Henrico congratulatur: *Cùm sit*, inquit, *Romana Ecclesia Caput, & Magistra omnium Ecclesiarum, disponente Domino, constituta, & ad eandem consultationes, & quæstiones de diuersis Mundi partibus meritò referantur, quod eam super variis quæstionibus consulis, gratulamur, & prudentiam tuam meritò commendamus. Inde est, quod scriptis præsentibus*, &c. Hactenus Alexander. Extant & aliæ eiusdem non cohsulti litteræ ad eundem [h], quas longum esset adducere in præsentiarum.

h *post epist. Petri Cellen. sis, epist.* 17.

6. Inuenio item Henricum Archiepiscopum in regia maiestate egregie doctum, atque eximium cultorem doctorum hominum. Cuius rei non mediocre indicium est familiare cum omnibus commercium, quos ætas illa tulit, Bernardo Patre, Venerabili Petro Cluniacensi, Arnulfo Lexouiensi, Nicolao Clarævallensi, Petro Cellensi, quorum plures ad eum, quæ adhuc extant, & leguntur epistolæ, ingentem, quam apud eum obtinuerunt, gratiam satis ostendunt, de qua & sibi gloriandum Arnulfus censuit [i], cùm ad eundem pro adolescente regio Philippo scriberet [k]: *Sane*, inquit, *dum nobis cum esset, intellexi sæpius, quod plurimam nobis in oculis vestris gratiam diuina bonitas contulerat, quæ tanto pradicabilior est, quanto de gratuita liberalis animi vestri liberalitate procedit.* Hæc breuiter de genio Henrici, longiori vita digni: quippe qui Ludouico fratre minor, nihilominùs eo prior occubuit.

i *epist.*

7. De virtutibus, inter Sanctos, & Beatos Cistercij relatum video à Philippo Seguino, atque Henriquez, qui virum Menologio suo inseruit, ad vigesimamsextam mensis Maij; sed destitutus antiquo ductu vterque. Quippe nec à Ioanne Cistercienti, nec in Missali antiquo, nec ab Authore Dialogi de prospero, & aduerso statu Ordinis, inter Sanctos illius connumeratur. Vnde nec Hugo Menardus Martyrologio Monastico, nec Aubertus Miræus suis Catalogis [k] censuêre annumerandum. Ego inter viros illustres nequaquam dubito virum, vel solo sanguine clarissimum; Sanctis adscribere, difficilibus audeam. Non quia non piè conregnantem Christo credam hominem religiosum, qui tot, ac tanta pro ipso reliquisset: sed, quia plùs aliquid ad Beati cognomen requiri videam. In quo vt antiquis multum; ita modernis patum; & iam nihil licere compertum est, cessante publica Ecclesiæ approbatione. In Catalogo Archiepiscoporum Rhemensium apud Claudium Robertum, notatum, lego, Henricum transtulisse corpus B. Rictrudis 4. Nonas Augusti, anno M.C.LXIV. cum Andrea, Episcopo Attrebatensi; quod etiam Buzelinus [l] adnotauit. Porrò ipsius, vt benefactoris, Anniuersarium celebrari, tum Rhemis, tum Parisiis, 17. Kalendas Decembris. Vt inde non ipsius munificentia, atque largitas tantùm; sed etiam obitus dies coniici valeat.

k Origin. Benedict. lib. 5. c. 14. & 15.

l *lib.* 1. c. 41.

8. Hoc ipso anno, quo mortuus est Henricus, fortè sic disponente diuino Numine, quo viri iusti memoriam, ab ipso largitatis eius desiderio, redderet clariorem, ingens fames inuasit Prouincias Galliæ, non sine insigni laude Cistercienstum: quorum bona pauperibus communia, multorum millium inopiam sublenarunt. De his hæc habet Chronicon Antisiodorense per pauca quidem verbis, sed in re multa. *Anno M.C.LXXVI. maxima per Galliæ fames, in qua multarum Abbatiarum, sed præcipuè Cistercienstis Ordinis magna apparuit munificentia in pauperibus sustentandis.* Hæc Sanctorum Gulielmi, atque Gerardi Cistercij, Clarævallisque Abbatum, hæc Ioannis prioris, hæc reliquorum omnium ingens laus, quòd pauperibus potuerunt subuenire pauperes ipsi.

m *ad hunc annum.*

9. Hoc item anno, quod ad sacras militias attinet, Ferdinandus, Legionensis Regni Princeps, Alfonsi Imperatoris filius, Sancij frater, cuius filius Alfonsus etiam dictus gubernabat Castellam, cùm Calatrauam fauore Alphonsi crescere, atque in dies dilatari conspiceret, ne quid minùs Sancti-Iulianæi haberent, quos non minora merita exornabant, fratres eosdem, & cuncta eorum bona sub regia protectione suscepit, grauibus pœnis statim infligendis contra quoscunque eorum molestatores. Specialiter autem Senatoribus Ciuitatensibus, quibus fortè ob vicinium offensionis, has in eadem vbe existens litteras censuit fore dirigendas [n]: *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quæ ab omnibus Christi fidelibus in vna claritate honoratur, & adoratur. Regum est Catholicorum loca sancta, & personas religiosas augere, easque secundum earum merita magnis beneficiis cumulare. Propterea ego Rex Ferdinandus vna cum filio meo Rege Alphonso, & Coniuge mea Regina Teresa, omnibus Regni mei fidelibus, vobisque ciuitatis Rodrigo Senatoribus, bonis vasallis, & amicis meis, & vniuersis, ad quos hæ litteræ deuenient, significandum duxi, me in tutelam, atque defensionem meam suscepisse Pereyro, Fratresque, tam præsentes, quàm futuros, qui Deo ibi deseruiant, omnesque ipsorum grangias, & pecora, & vniuersa quocunque modo possident, & in posterum possidebunt in Regno meo, & alibi. Firmitérque in perpetuum statuo, vt tam posteri mei, quàm illi, qui animæ meæ salutem amant, & quærunt, hoc ipsum obseruent, & perficiant. Et qui ex hodierno die vim aliquam ipsis, aut in suis possessionibus fecerit, aut si fuerint extra Regni mei terminos, aliquam iniuriam personis illorum intulerit, aut ipsorum grangiis, & pecoribus, aut vlla rei, quam possident, hostis, & proditor meus habebitur, & duplum ablati restituet, & præterea mulctam mille maraperinorum persoluet, aut in corpore suo luet, vt iustitia satisfiat. Magistratúsque*

n *ex Archiuiis Alcantarę.*

Google

que ille, qui querelæ sibi factæ non condescenderit, meam, posterorumque meorum iram, & indignationem incurret; mihique duorum millium ducatorum mulctam persolvet. Ipse verò transgressor sit maledictus.

10. *Hanc verò donationem, & cautionem facio Petro, locisque ad illud spectantibus pro remedio animæ meæ, & parentum meorum, & ad intercessionem Aulæ meæ propter bonum servitium, quod Fratres Deo exhibent, cuius particeps fieri exopto. Et quicunque hoc violaverit, aut quæ hic disposita sunt infregerit, hostis meus erit, pœnisque supradictis subiacebit. Ne verò hoc unquam perturbari possit, sed potiùs firmum, & inviolabile permaneat, præsens scriptum concedo, illúdque meo Regio sigillo, Optimatúmque meorum subscriptionibus in perpetuum stabilio. Actum in civitate Rodrigo, mense Decembri, Æra M.CC.XIV. Regnante Domino Rege Ferdinando in Legione, Gallacia, Asturia, & Estremadura. Ego Ferdinandus, divina favente gratia Rex Hispaniarum, vnà cum filio meo Rege Alphonso, & Comite mea Teresa, scriptum hoc, quod meo iussu factum fuit, confirmo.* Hoc primum priuilegium Regium inuenio Sanct. Iulianæis militibus concessum sub Priore degentibus; neque ob obsequia Regi in bello præstita, quanuis multa præstarent: sed *propter bonum servitium, quod Fratres Deo exhibent*, &c. quæ erat pietas Regum illius æui. Aliud postea Alexandri Summi Pontificis sequenti anno expeditum sequutum est, suo tempore dandum pro more nostro.

---

1. *Chronologia: 2. & dictum de Rocadia Sicula Domo. 3. In Legione Comitissa Stephania, Pontij Minervæ vidua, 4. ex bonis dotalibus 5. fundat Monasterium de Carrizo. 6. Prima Abbatissa, 7. & varia alia notitiæ eiusdem Domus. 8. Fundatio Monasterij Fontis calidi, 9. cui aliud unitum, remissiné. 10. Singulare instrumentum transactionis inter Farachel Moro, atque Conventum.*

CAPVT V.

1. HOc item anno Monasteria vitorum, quinque maiori ex parte incognita, atque eorum notitiam supplentia Cœnobia Virginum. Quarto Kalend. Aprilis Pons Roberti, & Barbereium eiusdem mensis Idibus: sexto Kalen. Augusti de Cumir: eiusdem mensis Kalendis Longaullis. Tandem Rocadia, nulla præfixa die. Sed de singulis pauca, quæ dicam, habeo. Tres priores Claræuallis lineam augent: nam Pons Roberti Buxeleiæ filia dicitur, Barbereium Sabigniaci; de Cumir Blanchæ Landæ Primæ in tabulis Prouincia nulla præfigitur, quanuis aliunde constet Angliæ Dominum in Cicestrensi Diœcesi, quam Alexander IV. eximiè laudat, litteris ad Abbatem illius datis Lateraní 6. Idus Martij, Pontificatus ipsius anno tertio. Cœnobium fundat Aluredus de sancto Martino, in Comitatu Sussexiæ. Secunda in Normania Baiocensem Diœcesim occupat: neque alia nobis eius notitia subest: nisi quòd tamen Oratorij filiam, sunt, qui affirment, de linea Cistercij: reclamantibus Tabulis, quas ego hactenus potui inuenire. Tertia in Hibernia, ad Menenensem spectat, & memoratur in cap. *Cùm ordinem.* de rescriptis, quanuis corrupto nomine, & pro Cumir, Cuman scriptum habeat, eiúsque Abbati Innocentius scribit graues, & doctas litteras, quæ hodiéque in Regestis eius leguntur, datas Anagniæ, quarto Kalend. Decembris, Pontificatus ipsius anno 6. De Longaualle nihil potui inuenire, nisi quòd inter Domos incertæ lineæ memorant tabulæ, quas ex domo Cistercij haustas, in suo Falciculo Henriquez euulgauit.

Paulò notius Rocadiæ Monasterium in Regno Siciliæ, quod in geneſi Ecclesiarum Claræuallensium (nam & hoc Claræuallis lineam auget) inter Sambucinæ filias memoratur. Situm in emporio Leontino, vt notat Facelius in descriptione Siciliæ mediterraneæ [a]: *Leontinum, ait, & Abbatissa S. Mariæ de Rocadia.* Porrò de emporio, simul & Monasterio, ni fortè fallor, hæc ab eodem Authore scripta lego: *Leontinum, frumenti emporium.* Deinde sequitur: *Vbi sinus parvus est: qui, quòd ad angulum quendam situs est, quo collis, qui ei imminet, in Orientem se porrigere incipit, faciens Taurum promontorium, Ingluni vernacula lingua, qua litteris scribi minimè potest, licèt distinctè proferatur, hodie Siculis nominatur. Iuxta emporium, & eius horreæ, templum quadrato, & ingenti lapide à Friderico secundo Cæsare Siciliæ Rege conditum, imperfectum quidem, sed mirum extat.* Hactenus ille. Rocadiæ meminit item Syluester Mauruli, in Oceano omnium Religionum, atque alij Regni Siculi Scriptores.

Hoc ipso anno, in regno Legionensi, insigne 3.
Monasterium Sanctæ Mariæ de Cartizo, fundatum lego, tradito Cistercienſi Ordini loco cum multis aliis, pro alendis Virginibus, quæ idem Institutum profiterentur. Fundatrix infra regium diadema satis illustris, Stephania Ramirez, magni Ramiri dicti Legionensis filia, Pontij Minervæ vidua, quorum superiùs fecimus mentionem; quæ locum ipsum Deo consecrauit, quem in dotem, & arrhas susceperisset, cùm sacro Matrimonij iugo subderet collum. Quippe medietas loci de Cartizo Ramiri Comitis; medietas alia Regiæ partis erat: & prima quidem pro dote designata, secundam Imperator Alfonsus Pontio dederat, extero homini, sed clara stirpe orto, quem præ aliis diligeret, ne virgini ducendæ arrhæ deessent, iuxta vtriusque nubentis qualitatem. Constant hæc omnia ex quodam Instrumento compositionis, quam iussu Alfonsi Regis, post annos aliquot, Abbas Nucalium cum Collega suo firmauit, in quo hæc inter alia leguntur [b]:

2. *Sub Æra milleſima ducenteſima quadrageſima-quinta mandauit Rex Aldefonsus Legionensis Dominico Abbati Sanctæ Mariæ de Nucalibus, & Petro de Sanctæ Christinæ, vt facerent inquisitionem in terra sua, à Vinna, vsque ad Pontem de Veizana,*

[a] de eadem l. 10. c. 2. 9.

[b] *In Tabulario Nucaliſi.* 4.

Veizana, de hæreditatibus Realengis, & Abbadengis: & fecerunt hanc inquisitionem in Carrizo, & in Quintanilla: & ita inuenerunt. Quod quando Dominus Imperator adduxit suam coniugem Imperatricem, adduxit cum ea Comitem Pontium de Minerua, & desponsauit eum cum Comitissa Domna Stephania, filia Comitis Ramiri: & dedit ei medietatem de Carrizo, quæ erat de Regalengo, vt daret eam Sponsæ suæ pro arrhis: & alia medietas de Carrizo erat Comitis Ramiri, & dedit eam Comiti Pontio cum filia sua in casamento, &c. Ergo, quæ prima bona coniugio cesserant, nobilis fœmina Deo consecrauit: additis multis aliis, quæ acquisierat, ac tali omnium facta donatione [c]:

c ex Archiuiis Carrizo.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, qui vera Sapientia Dei Patris est, per quam Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: per quam Principes imperant, & potentes discernunt iustitiam.

Ego Comitissa Domna Stephania Ramiri, Ecclesiæ eiusdem Domini nostri incrementis debitis, toto desiderio inseruire affectans; ob honorem, & reuerentiam B. Dei Genitricis Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, præcipuè pro anima mariti mei Comitis Domini Ponty, & pro remissione peccatorum meorum, do, & concedo villam, quæ dicitur de Carrizo, cum omnibus directuris, & pertinentiis suis integrè, & villam S. Petri de Paramis, totam integram, & Villam de Grolleres, & de Argobollones, cum omnibus directuris, & pertinentiis suis: quas villas ego habeo de mea ganantia, & de meis arrhis, & de meis directuris, quas dedit mihi maritus meus. Do etiam totam illam hæreditatem, quam ego habeo in Asturica, & habere debeo in Riegos, & in Tapia, quas hæreditates habeo de meo patrimonio, Ordini Cisterciensi, tali conuenientia, vt sit Abbatia Sanctimonialium in Carrizo. Quod si Ordini Cisterciensium non placuerit Abbatiam Sanctimonialium in Carrizo construere, sit in potestate, & prudentia Comitissæ Domnæ Mariæ filiæ meæ faciendi ibi Abbatiam, sub quocunque Ordine Deo seruientium sibi placuerit. Facta charta sub Æra M.C.C.XIV. & quarto Idus Septembris; regnante Rege Domino Fernando cum filio suo Rege Domino Alfonso in Legione, Gallacia, & Asturiis. Domino Ioanne Episcopo in Legione. Ioanne Gallecotarres Legionis tenente. Ego Comitissa Domna Stephania Ramiri hanc chartam donationis, quam fieri iussi, propria manu robero, & confirmo, & signum facio. † Hactenus larga & magnifica donatio Heroinæ illustris, quæ hodiéque Cœnobio perseuerat, subiectis oppidis, & iure decimali, vnde redditus Monasterio annui accrescunt.

6. Prima Abbatissa Domus Maria fuit, Stephaniæ filia, Pontisque, in cuius adeò reliquit potestate, vt quem Ordinem mallet, institueret, si Cistercienses nollent acceptare. Huic Alfonsus Rex multa concessit, non solùm priuilegia, sed possessiones expeditis indultis, quæ hodie extant [d]. *Dono, & concedo Deo, & Monasterio de Carrizo, & vobis Comitissæ Domnæ Mariæ, & successoribus vestris in perpetuum, &c. Facta charta apud Beneuentum decimo Kalendas Maij, Æra M.C.C.XXX.* Atque item aliud expeditum mense sequenti apud eundem locum, octauo Kalend. Iunij, Æra M.C.C.XXXI. Matiæ successit Tarasia, quam ex nobilibus Salmantinæ Vrbis traxisse originem, antiquæ produnt memoriæ. Huic Gundisaluus Abbas Fusillensis; *de vsillo*, vulgò dicimus. *Filius*, vt ipse ait [e], *Petri Garzia, & Sanctiæ Ponty, nepos Comitis Pontij, & Comitissæ Domnæ Stephaniæ, anorum meorum vestigiis inhærendo, dono, & concedo vobis Abbatissæ Domnæ Tarasiæ de Carrizo, & Conuentui eiusdem loci, quantum habeo, vel habere debeo in Vega de Infanzones, &c. Facta charta apud Carrizo, VI. Kal. Octob. Æra M.C.C.XXXVII.*

d In Tabulario eiusdem Domus.

e ibidem.

Iacet Cœnobium ad ripas fluuij Orbigo, quinto lapide ab vrbe Legionensi, quamuis ad Diœcesim Astoricensem spectet; ad lapidem octauum distante vrbe. In medio Chori sepulcra duo surgunt leonibus lapideis superposita, lapidea & ipsa: quorum alterum Comitissæ Stephaniæ, alterum Mariæ filiæ cineres claudit, nulla inscriptione, pro modestia illius temporis. Plura alia Mausolea templum illustrant, Legionis Regni Procerum, quæ in præsenti non vacat recensere. Habent Moniales fragmentum ligni Dominici, Cruci argenteæ inclusum, atque multis miraculis probatum, quæ hodiéque ægrotantes experiuntur. Quin & duas effigies Mariæ Virginis, depictam alteram, alteram sculptam, quarum illa ante incendium Monasterij, quod Patrum sæculo accidit, ploraſſe dicitur: hæc multis multa beneficia contulisse, conferréque; quoties à populis implo-ratur illius fauor. Hæc satis nunc de Cœnobio Carrizensi, quod Regiæ fundationi Sanctæ Mariæ de las Huelgas, prope vrbem Burgensem, inter cæteras filias numerandum præparabatur. 7.

Sub idem tempus, si non paulò antiquius, fundatur Sancta Maria Fontis calidi, vulgò, *de Fuentecaliente*, in Diœcesi Oxomensi, Virginum Monasterium, quod Patrum ætate translatum est Arandam, ad ripas Dautij. Fundatrix creditur Vracca Auellaneda, ex Comitum Mirandæ, & Ducum Pennarandæ progenitoribus, quæ post viduitatem professa Monacham idem Cœnobium struxit, & gubernauit. Nam & ipsa Abbatissa prima loci, cuius in Instrumentis memoria extat Æra millesima ducentesima decimaquarta, id est, hoc ipso anno; & præfectura, vitámque protraxit per plures: nam Æra millesima ducentesima quadragesimanona, quæ incidit in annum millesimum ducentesimum vndecimum, non exiguæ dicuntur donationes Cœnobio factæ ab ipsius, tum filiis, tum consanguineis, intuitu Vracæ Abbatissæ, (nanque sic loquebantur,) quæ idem Monasterium moderabatur. Fabrica Domus pro tempore sumptuosa; templum haud magnum; vsque in hodiernum diem perseuerant ruinosa, & caduca; vt quæ anno Christi M.D.L. igne conflagrarunt. Vnde orta occasio translationis, quæ tamen non sequuta, nisi post annos aliquot, cùm iam, quæ flamma absumpsit, repararentur. 8.

Cùm inter alia Archiuium conflagraret, periêre Instrumenta, ex quibus certior fundationis notitia haberi posset: seruata tamen industria Monialium quædam, inter quæ Bulla sno témpore danda Guillelmi Cardinalis titulo Sanctæ Mariæ in Cosmedin, anno salutis millesimo trecentesimo nonagesimoquarto, quo Legatum agebat apud Hispanos; per quam Prioratum Monialium Sanctæ Tusiæ non longè à Sancto Dominico Silensi, ob vicinorum violentas irruptiones ad nimiam paupertatem redactum, Fonti calido incorporat, & vnit, tribus, aut quatuor, quas habebat, Monialibus illuc translatis. Antiquius alterum cuiusdam transactionis factæ anno Christi millesimo ducentesimo trigesimoprimo, quam singularem ex verbis, & ex personis, pro more sæculi; nec aliàs dignam proprio anno inseri, in leuamen Lectoris hic transcribam: sic autem habet [f]: 9.

f in Archiuio eiusdem Domus.

Notum sit omnibus, quòd ego Farach el Moro cum

10. *vxore*

vxore mea Missol, ambus de mancomun ex nostra bona voluntate facimus cambium cum vobis Domna Maria Antolinez, Abbatissa del Monasterio de S. Maria de Fuencaliente, & con Conuento de aqueste mismo Monasterio, de illas tierras proprias casas con so solar, que nos habemus en la Vargnilla alla tras casas de D. Adam filio de Petro Garciez, & casa de Pasqual el Moro, & detras el Calce, & de lam lavia current. Et accipimus de vobis in cambium vna passata de terra, cum entrada, & exida en casa de Garzia el Moro, & insuper de pretio LXXX. maravedis bonos de contados, & sumus de toto bene pagati, & non finco nada per pagar. Si quis hoc cambium infringere voluerit, habeat iram Dei, & in coto Regi terra CC. maravedis persoluat: istud cambium sit vobis duplatum, & melioratum in simili tali loco. Et super hoc ego Farach, & vxor mea Missol ambus de mancomun sumus fiadores, & debitores con quanto habemus. Facta charta mense Novemb. XVII. dias andados, Æra M.CC.LXXVIIII. Regnante Rege Ferdinando cum vxore sua Regina Beatrice in Burgis, & in Toleto, & in Castella, & in Leon, & in Gallicia, & in omni Regno suo. Hæc subleuandæ serioris lecturæ tædio: & si non quia exquisita, quia insolita. Hoc item Monasterium ex illis fuit, quæ S. Mariæ Huelgensi præparabantur.

---

1. *Argumentum Capitis*, 2. *abusus in Baptismi collatione non tolerandus.* 3. *Dubium incidens*, & *eius occasione consultu ab Episcopo Pontio Viri doctissimi*; 4. *Consultatio*, 5. & *Responsum Mauricij, Episcopi Parisiensis.* 6. *Emendatus in Bibliotheca Colonienſi Epistola titulus.* 7. *Aliud responsum Stephani Tornacensis*, 8. *ex diametro oppositum.* 9. *atque rationibus*, 10. & *authoritatibus fulcitum*, 11. *dictúmque ad aliam Pontij dubitationem.* 12. *Vtraque pars relata ad Alexandrum, à quo veritas tandem stabilita, in capite primo de Baptismo.*

CAPVT VI.

1. SVb idem, aut non longè distans tempus, quantum ex annis, tum Episcoporum consulentis, consultíque, tum Alexandri III. à quo tandem videmus sublatum dubium, licet colligere; intolerandus abusus per totam Galliam, longa assuetudine transiens in opinionem, zelo, & industria Claromontensis Præsulis, Pontij, quem ex Abbate quinto Claræuallis promotum diximus, occasionem dedisse comprobatur celebri sanè per illud ævum textui in capite primo *de Baptismo*; cui illustrando, in gratiam Theologorum, & Professorum Iuris, (nam vtrique hoc fragmentum nobis debebunt) præsens caput constitui reseruandum: idque post Chronologiam, præter morem; vt, si cui forsan proprius annus constet, in eum facilius possit transfocare. Porrò, in quanta materia error irrepserit, & quàm periculosus; quantúmque in eo extirpando Pontius præstiterit, ex sequentibus Lector videre poterit.

2. Mos erat Gallis, cùm laïcus vir, aut fœmina, necessitate vrgente, baptizabant, prima illa verba formæ subtricere: *Ego te baptizo.* fortè quòd propriam personam exprimentia, velut honoris causa, deputatis ab Ecclesia Ministris reseruarent. Quare solùm tingebant aqua, corpora infantum; atque huic actioni exequutæ, vt sic dicam, sed non prolatæ, reliqua verba formæ superaddebant: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hinc dubitatio inter doctos eò grauior, quò pueris, si statim decedebant, periculosior. Quippe hoc Baptismo, si fortè esset inualidus, nulla eis ianua Regni patere poterat: sed ea plerunque consuetudinis vis est, vt, sicut rarò visis, quantumuis leuibus, grauiter immutamur; ita frequentibus, quamuis horribilibus, vix leuiter tangamur, aut ne vix quidem. Multò leuior haud dubiè occasio fuit, quæ quia rarior, fecit dubitare. Baptizauit sic quispiam filium proprium, ex fœmina, cum qua erat contracturus: non priùs de valore Baptismi, quod sciamus, dubitatum fuit, quàm de impedimento ex eo proueniente, inter baptizantem, & matrem baptizati, dubitaretur. Res ad Pontium Episcopum delata, quòd in diœcesi eius contigisset. Ille, vt erat discretus, & prudens, sed planè humilis, nihil sibi censuit decernendum sine consilio.

Erant tunc temporis in Gallia viri duo, inter alios illustres opinione doctrinæ, & pietatis; alter Mauricius, Parisiensis Præsul, atque quondam præceptor, ingentis apud omnes authoritatis; alter ætate iunior, nímirum, Stephanus, tunc Sancti Eburcij Abbas, mox sanctæ Genouefæ; demum Tornacensis Episcopus futurus, de quo anno superiori, & in sequentibus non semel dictum sumus. Visus prior, vt senior, ita maturior: posterior longè ingenio superuolitans; & quò acutior, audacior, atque aliquid antiquis additurus. Vtrunque Pontius censuit consulendum: vt nec iudicio acumen, & subtilitas; nec maturitas, iudiciúmque deesset subtilitati. Erant, qui volunt, antiquioribus solùm fidendum esse; post quos multa inuenta, multa addita; quæ si vidissent, forsan retractassent aliqua ex his, quæ vera esse putarunt. Errant, qui solos modernos audiendos putant: quippe vt illos latere multa potuerunt, quæ hi de nouo proferunt; sic calore dicendi, aut disputandi, hi, nisi antiquos attendant, præcipitantur. Tunc demum stabiles vtrique, certique, si mutuo se inuamine confirment, vt neque authoritas antiquitatis desit recentiorum inuentis, neque antiquorum placita rationibus, quæ de nouo illuxerint, destituantur. Ergo, vt vtriusque responsum obtineret, & vel conforme penitùs probaret, vel discordans conferret, vt eligeret, hanc ad vtrunque epistolam scripsit [a]:

3.

4. *Reuerendis in Christo Dominis, & Patribus suis, Mauricio, Dei gratia Parisiensi Episcopo; & Stephano,*

a *inter epist. Steph. Tornac. epist. 3.*

phano, Sancti Ebortij Abbati, Pontius, eadem gratia Claremontensis Episcopus, Salutem, & totius dilectionis obsequium. Vobis duobus specialiter fidem nostram ducimus referendam, quos spiritalis commendat affectus dilectionis, quem erga vos habemus; & specialis intelligentia Scripturarum fructuosos reddit, & commendabiles apud omnes. Homo iste presentium lator quandam olim feminam amabat, quam quidem desponsauerat, sicut ipse dicit; sed priùs quàm eam acciperet vxorem, fornicauit eam. Cum igitur puer natus esset, nec posset Sacerdos ad baptizandum eum congruè reperiri, pater eius immersit eum aqua dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. & hoc est pessima consuetudo in terra nostra, vt in talis necessitatis articulo dicant: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. nec totam exprimant verborum formam, que debet exprimi in Baptismo, quod vndaizare vocant. Quærimus ergo, vtrum istud, Baptismus sit; vel, vtrum puer postea debeat baptizari: vtrum etiam homo iste mulierem illam accipere valeat vxorem, quoniam boni fatis esse testimonij perhibetur; & rogamus dignationem vestram, vt per litteras vestras de his omnibus certificetis nos. Valete. Ita ad vtrunque Præsul Claromontanus.

5. Porrò hæc epistola ad litteram habetur inter epistolas Stephani Tornacensis, ordine tertia, nisi quòd in aliquibus exemplaribus, in titulo P. tantùm more antiquo pro Pontio ponitur: vnde & in Bibliotheca Colonienti, Petrus, pro Pontio irreptit per errorem: sed cum detegit series Episcoporum. Quippe toto tempore, quo Stephanus scribebat, nempe, ab anno M. C. I. X. vsque ad M. C. X C V I. nullus Petrus Claremontensi Ecclesiæ præfuit; imò nec alius, qui per litteram P. notari possit, præter hunc Pontium, qui in correctioribus exemplaribus expressè nominatur, vt benè in ipso notat Robertus Claudius. Itaque in Bibliotheca Colonienti, tam huius, quàm duarum sequentium epistolarum corrigendi sunt tituli, & pro Petro, Pontius reponendus. Cæterùm in eisdem litteris noto, Pontium non vnicum, quod ad ipsum delatum est; sed duplex dubium vtrique proposuisse; alterum, de valore Baptismi; alterum, de impedimento matrimonij: illud, quanuis de ipso non consultus, omninò prius, vtpote grauius, periculosiúsque, & ex quo aliud pendebat: hoc, de quo rogabatur ipse, posterius, seu leuius multò damnum iudicabat, seu remedium facilius; seu tandem ex prioris decisione in vtranlibet partem, posterius auferendum non ignorabat.

6. His litteris acceptis, Mauricius senex, breuiter quidem, sed solidè respondit: neque ad vtrunque dubium, sed ad primum: quippe statuta Baptismi nouitate, nouerat, vnde resultaret impedimentum: litteræ autem eius, quæ immediatè sequuntur, ita habent [b]:

[b epist. 4. sequenti.]

Reuerendissimo Patri, & Domino Pontio venerabili Claremontensi Episcopo Mauricius, Parisiensis Ecclesiæ humilis Minister, Salutem, & obsequij plenitudinem. Super quo Celsitudo vestra nostram consuluit paruitatem, breuiter respondemus: quia in quem modum forma Baptismi tradi, vel recipi debeat, Scripturarum diuinarum authoritate, & Sanctorum Patrum testimonio traditum habemus in hunc modum, scilicet: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. & tanta est verborum vinacitas, vt nihil immutari, nihil innouari oporteat: nisi verò tota hæc verba simul à quocunque, & quacunque lingua proferantur, Baptismum esse non credimus. Quia ergo, sicut litterarum vestrarum testimonio cognouimus, præsentium lator in submersione filij sui, Ego te baptizo, filule, & tantùm, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, protulit, Baptismus non fuit; & ideò puer ille baptizandus est: quia Baptismum nunquam suscepit. Itaque de reliquo nulla superest quæstio. Vale. Ita Mauricius.

7. Longiori epistola Stephanus respondit, contrariam partem adstruens, opinionis captandæ, si cum Mauricio inciperet contendere, an veritatis statuendæ causa, dubium; certè in re nondum adhuc definita adeò subtiliter, vt Pontius perpensis eius rationibus, authoritatibúsque, Alexandrum censuerit consulendum. Porrò eius responsum in epistola, quæ est ordine quinta, ad vtranque quæstionem, (nanque valor Baptismi præsuppositus secundæ locum dabat,) hæc habet verba [c]:

[c epist. 5. sequenti.]

Sanctissimo Patri, & Domino Pontio Claremontensi Episcopo, Frater Stephanus de Sancto Eburtio, Salutem, & cum omni deuotione reuerentiam.

Premit, fateor, imperitiam meam, & quærentis authoritas, & nouitas quæstionis. Accedit moles verecundia mea, Pater, quòd in tanta consultatione vestra Domino Parisiensi me iungitis, camelo cùlicem, cedro cardamum, Hylam Herculi comparantes. Scriba doctus in regno cœlorum proferre de thesauro suo noua, & vetera, quæstionibus vestris in profunditate sensus, & sublimitate scientiæ, respondit, & cœleste opaculum suum facili vobis absoluit epistola, felix lingua. Diuinam eius responsionem, vt Thebais Æneida, longè sequor, & vestigia semper adoro: mouerer in contrarium, si absque sacris eius apicibus mihi quæstio moueretur. Hactenus Stephanus humiliter de seipso: at de quæstione in contrariam partem decisa, seu decidenda, vt ipsi videbatur, ita subiungit:

8. *Qui Sacramentum instituit Baptismi, formam tradidit baptizandi: Ite, inquit, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Qui potestatem baptizandi sibi retinuit, in hac forma mysterium aliis concessit. Nemo dixerit, quia quod dicitur: Ite, docete omnes gentes. vel Sacramenti obtineat substantiam, vel exprimat formam. Teneamus, quod sequitur:* Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Nondum ibi legi:* Baptizantes eos, & dicentes: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Si baptizare, intingere, & Baptismus imiectio est, quid aliud sunt baptizantes, nisi intingentes? Intingens ergo cum intentione baptizandi, si proferat, quod veritas iubet, id est:* In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *baptizasse videtur, & formam à Christo traditam compleuisse. Etiam Hæreticos, si hæc tremenda verba protulerint, catholicam formam tenuisse dicemus:* Nouatiani (*inquit Innocentius*) tremendis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizant. Nec apud eos de vnitate potestatis diuinæ, hoc est, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, aliquando quæstio mota est. *Sed & Pater Augustinus de ecclesiasticis regulis,* Si qui, *inquit,* apud illos Hæreticos baptizati sint, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad catholicam fidem; recipiantur quidem vt baptizati, ne sanctæ Trinitatis inuocatio, vel confessio annulletur. *Si ab Hæreticis baptizati in confessione Trinitatis ab Ecclesia recipiuntur, ne Trinitatis inuocatio, vel confessio annulletur; quare non baptizatus dicetur, qui à laico Catholico dicitur:* In nomine Patris, & Filij,

Filij, & Spiritus Sancti. *tertiò mersus est? nam, si hoc non admittitur, confessio, vel invocatio Trinitatis, qua ibi facta est, tanquàm, qua nihil contulit, annullatur.*

9. *Idem ad Orosium:* Idem Baptisma est, & Hæreticorum, scilicet, qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, baptizant, & Ecclesiæ Catholicæ: & ideò eos Ecclesia non rebaptizat, qui in nomine Trinitatis baptizati sunt: & ipsa est profectò forma Sacramenti. *Ecce quia formam Sacramenti hanc esse dicit, immergere, scilicet, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; non additur:* Ego te baptizo, *vel* immergo. *Idem de vnico Baptismo:* Nequaquam dubitatem, eos habere Baptismum, qui vbicunque, vel à quibuscunque illud euangelicis verbis consecratum, sine simulatione, & cum aliqua fide accepissent. *Vides, Pater, quia solis verbis, & euangelicis consecratur Baptismus. Nusquam autem in toto Euangelio lego:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *sed tantùm:* Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Sed & Zacharias Papa Bonifacio Episcopo:* In Synodo Anglorum decretum, & firmissimè præceptum, & diligenter demonstratum esse dignoscitur, quòd quicunque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, Sacramentum regenerationis non haberet. Quod omninò verum est: quia, si mersus in fonte Baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, fuerit mersus. *Non ait:* Nisi qui baptizat, dixerit: Baptizo te in nomine Patris. *Plura possem colligere, Pater, qua in hac parte me mouent, & nota quæstionis solutionem promouent. Verùm, quia timeo, & prolixitatis argui, & procacitatis notari, parco chartulæ, parco & famæ meæ. Opiniones profundo, non affertionet: paratus, vt dixi, Summi, & Catholici Viri, Domini Parisiensis sequi vestigia; non tamen addictus in alicuius iurare verba.*

10. *Clausulam tamen, quæ à baptizantibus solet, & debet dici, scilicet:* Ego te baptizo. *summa reuerentia deosculor, summo studio amplector. Eam Mater Ecclesia sic induxit, vt esset de solennitate mysterij, non de substantia Sacramenti. Nam, si aliud dixerimus absque medio, confitebimur damnatos, quos in necessitatis articulo nouimus a laicis baptizatos. Hoc enim solùm dicere solent, qui litteras ignorantes parvulos vndaizant:* In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *in quibus verbis eandem virtutem inesse, quàm in Latinis syllabis idem significantibus, & credimus, & fatemur. Vehementer tamen arguendos, & pœnitentia afficiendos dixerim Sacerdotes, qui vel per negligentiam, vel per imperitiam aliquid omiserint de verborum solenni dignitate.*

11. *Qui præmissis rationibus fidem adhibuerit, baptizatum taliter,* In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, *non iterum baptizabit. Itaque qui sic eum baptizauit, & spiritalis pueri pater, & matris eius compater effectus est. Vnde, etsi vxor eius prius non erat, impediente compaternitate, iudicio meo cum ea non contrahet matrimonium; vnor sua etsi prius contraxisset, secundum quod Deus dedit Papa asserit, nullo modo sese in coniugio cum ea reciperet. Nec obloquitur, quod Ioannes Papa Anselmo Episcopo scribit, capitulo, Ad Limina B Petri. ibi namque de coniunctis, hic agitur de modo coniungendis. Exorte multa impedium matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum: Non & idem Papa in eodem capitulo rationem subdit, quare coniuncti ob talem causam non separentur:* Quod fieri, *inquit,* nullatenus debet, dicente Scriptura, à Domino iunctam esse vito vxorem: & quos Deus coniunxit, homo non separet. *Vbi planè loquitur de coniunctis, qui fortè aliter dicerent de coniungendis. Valeat Sanctitas vestra.*

Iis contrariis responsis, vtroque graui, altero 12.
authoritate respondentis, altero, quòd negari non potest, subtilitate, atque in speciem saltem, rationum pondere, effectum est, vt Pontius neutri parti satis adhærens, quia neutri fidens, infallibilis veritatis fontem aditet, atque Summum Pontificem consuleret, cuius responsione hæsitatio submoueretur. Porrò Alexander ab eo interrogatus controuersiam diremit, abusum damnans, edita Decretali, quæ in corpore Iuris circumfertur, in capite primo *de Baptismo*, totidem verbis: *Si quis puerum aut in aqua merserit, dicens:* In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. *& non dixerit:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *non est puer baptizatus.* Hactenus Alexander Papa consultus. Porrò in his quatuor epistolis adductis (nam & hanc vltimam epistolam appello) quædam nobis occurrunt aduotanda, ex quibus magis constet dictorum fides. Alterum est, suppressionis verborum frequentem vsum latè iam irrepsisse per totam Galliam. Non enim solus Pontius eam proposuit, quasi in sua tantùm Diœcesi inualuisset, ibi: *Et hæc est pessima consuetudo in terrâ nostra,* &c. sed & Stephanus in alia longè positus, atque de toto regno sermonem faciens, eandem prorsus, aut supposuit, aut confirmauit, dum dixit: *Hoc enim solùm dicere solent, qui litteras ignorantes parvulos vndaizant,* &c. Alterum est, hanc eandem suppressionem adeò iam consuetudine totius Galliæ consensum obtinuisse, vt neque dubium in ea multis occurreret, neque solùm ignaris, sed etiam doctis, & qui rem altius potuissent percallere: ideò enim Stephanus in principio ait: *Premis, fateor, imperitiam nostram, & quærentis authoritas, & nouitas quæstionis.* Itaque Virum adhuc sapientissimum, cui abusus patebat, dubitationis nouitas turbabat: quasi in re certa eatenus, & quæ nunquam venisset in controuersiam. Alterum tandem, Alexandri Decretalem, vel scriptam ad Pontium, (quanuis solius Alexandri nomen præscriptum habeat,) quod & tempus, & occasio satis indicant: vel si forsan ad aliud scripta est, debitam tamen Pontio consultationem, atque adeò & responsum, quod & doctrinam necessariam Ecclesiæ tradidit, & late serpentem abusum relegauit.

1. *Illustriores euentus præsentis anni.* 2. *Quis status pacis Regni cum Sacerdotio?* 3. *Quæ primò irrita:* 4. *sed mox per Sanctos Pontium, & Hugonem,* 5. *post multas difficultates,* 6. *tandem sancita,* 7. *altero ad opus pacis de Cælo misso.* 8. *Multa officia inter Alexandrum, & Fridericum,* 9. *atque Pontificis litteræ ad Richardum, quæ alias similes datas non est dubium.* 10. *Albertus Cardinalis Cancellarius, cùm Alexander anteà nullum habuisset.*

CAPVT I.

1. SEQVENS annus insignis Cisterciensibus, & Gerardi Martyrio glorioso, & Monachatu Eschili, Primatis Daniæ, insignis etiam sedato prolixo schismate; sed non sine Cistercio, Ecclesiæ fuit. Narrationem incipiam ab hoc vltimo, nec mensium antecessu, sed dignitatis. Alexandrum, Fridericúmque, Capita Orbis, in quorum manu situs vterque gladius, conuenisse Venetiis; (siue illuc Pontifex in seruili habitu venerit, sub quo dudum latuerit; siue per Regem Siculum deductus, per ciues Venetos publicè susceptus, ac reuerenter, in quo longa dissidia;) conueniunt Authores omnes illius ætui. Porrò ibidem firmatis pacis capitulis Fridericum admissum ad pedum oscula, post abiuratum schisma, Calixtumque, quem in Idolum eligi fecisset. Tum stratoris, pro more, officio functum, neque vllum prorsus obsequium omisisse erga Alexandrum, quo suam illi fidem posset obstringere, à quo è conuerso non solùm absolutus, atque fidelium communioni redditus; verùm pro Imperatoria Maiestate reuerenter; pro stabilita pace, & amicitia, amice etiam, & gratanter susceptus fuerit. Narrat hæc latiùs Baronius Cardinalis, variis hinc inde tractatibus propositis, variis conditionibus, quas non vacat in præsenti examinare.

2. Verùm nihil horum sine Cistercio factum, illustres duo Viri, Sanctique, Cisterciensis vterque, palam faciunt Pontius, & Hugo; ille Claræmontensis Ecclesiæ Præsul, ex Claraualle assumptus; hic Bonævallis Viennensis Abbas; quos simul cum Gotifredo Cancellario minori conferendis sacratioribus arcanis cum Alexandro, Fridericus censuit præficiendos. Nullum iam dubium de Alexandri Pontificatu, & Fridericus antiquo odio depositio, seu saltem occultato, in eius obedientiam facilis ibat. Soli Rex Siculus, Longobardique, siue quia partes Alexandri fouerant, alienati ab ipso, aut aliàs ei infensi, desideratam pacem retardabant. Nanque in hos bellum integrum manere, atque totius hostilitatis illæsa iura Imperator dolebat: è contra Pontifex sine sociis reconciliari reputans indecorum, ne quos fautores in aduersis expertus fuisset, deserendos in prosperis; aut pacem eis, aut inducias sollicitabat. Porrò hæc discordia, cùm Christiani Moguntini, Maioris Cancellarij, atque Imperialium aliorum interuentu minùs componeretur, prædictis tandem viris commissa est, reuelatis arcanis, sub quibus ad concordiam redigi posset. Et redacta de facto per duos tantùm, Gotifredo excluso, quo per tot annos pax desiderata, adnitente Cistercio, tandem per Cistercienses consummaretur. Verùm de his Romualdum Salernitanum, qui præsens fuit, distinctius loquentem proferamus [a]:

3. *Accepta, inquit, à Papa licentia* (scilicet, Christianus Moguntinus, sociique,) *ad Imperatorem, qui apud Pomposam venerat, gradu concito perrexerunt. Est autem Pomposa, locus quidam delectabilis, & numerosus, inter Rauennam, & Venetiam collocatus. Cúmque Imperatori petitionem Papæ de componenda pace cum Rege Sicilia vsque ad annos quindecim, & de faciendis treguas cum Lombardis vsque ad annos sex per ordinem exposuissent, aduersùs eos vehementer indignatus infremuit: asserens illos in hoc tractatu pacis, magis Alexandri Papæ honori, & commodo, quam dignitati Imperij prouidisse. Quare præcepit eis, vt ad Papam redeuntes firmiter ei ex sua parte proponerent, quod ipse cum eo, & Ecclesia pacem libenter faceret: at Regis Sicilia, & Longobardorum tregnas denegaret. Qui venientes, totam Papæ per ordinem retulerunt, sicut illis fuerat ab Imperatore mandatum.* Hactenus desperata penè Ecclesiæ pax, quandiu ab aliis intenta. Pergit de eadem per nostros reparanda, atque sacratioribus arcanis illis commissis [b]: b *vbi suprà.*

4. *Post quorum* (id est, Christiani, sociorúmque) *discessum Imperator Gotifridum minorem Cancellarium cum Episcopo Clarimontis, & Abbate de Bonavalle, Venetias delegauit, iniungens eis, quòd Christiano Cancellario, & sociis suis ignorantibus, cautè & priuatim Papa ex sua parte significarent, quòd ipse amoris vias inuitus, pacem Regi Sicilia vsque ad annos quindecim, & vsque ad sex annos Longobardorum tregnas concederet, si Papa cuidam suæ petitioni præberet assensum. Quam tamen petitionem ei volebat penitùs esse incognitam; sed duobus Cardinalibus, quos ipse elegisset, volebat illam diligenter exponi; ea tamen conditione, quòd si Cardinales electi, petitionem cognitam, de ea complenda consilium Papæ tribuerent, ipse eam sine dilatione perficeret.* Hæc ab Imperatore Gotifrido, Pontióque, & Hugoni iuncta, qualiter acta, executaque à cunctis, verùm peracta tantùm à duobus, pergit Author scribere in hunc modum [c]: c *vbi suprà.*

5. *Ex mandato itaque Papæ Humbaldus, Ostiensis Episcopus, & Theodinus Cardinalis ad hoc negotium sunt electi: quibus Imperatoris petitio ab eius nunciis primitùs est, & studiosè exposita. Cúmque Cardinales, petitione cognita, Papæ suggererent, quòd petitioni Imperatoris præberet assensum; Alexander Papa, vtpote homo prouidus, & discretus, cæpit, quenam esset occulta illa petitio, animo attuanti reuoluere, & Teutonicorum dolos, & versutias suspectas habere. Quare mutauit cum voluntate consilium, asserens, non decere authoritatem apostolicam petitioni incognitæ præbere consensum, nec de re dubia, & incerta aliquid respondere. Sed, si petitionem illam vellent ei fideliter aperire; & talis esset illa petitio, quæ contra honorem Dei, & damnum Ecclesiæ non spectaret, libenter eam effectui manciparet. Quo audito Gotifredus minor Cancellarius indignatus ad Imperatorem rediit. Episco-*

pus

a *ex Baronio ad hunc annum*

pus autem Clarimontis, cum Abbate de Bonaualle, qui remanserant, videntes, quod nullum a Papa possent habere responsum (licet inuiti) petitionem Imperatoris Papæ exposuerunt.

6. *Erat autem hæc petitio. Imperator Papæ per nuncios suos promiserat, quòd si pacem cum eo faceret, terram Comitissæ Matildis, (alias Mathildis,) quam ipse tenebat, in manus eius, & Ecclesiæ potestate remitteret. Petebat ergo, vt liceret ei vsque ad quindecim annos, videlicet, quousque pax Regis Sicilię perduraret, eiusdem terræ redditus sine contradictione recipere: completis vero quindecim annis, volebat possessione penes eum remanente, statim de eadem terra cum Ecclesia placitare, asserens, illam ad ius sui Imperii pertinere. Papa autem inuitus Regis Siciliæ, quem plurimùm diligebat, vsque ad conflictum terminum Imperatori prænominatæ terræ fructus habere concessit; hac tamen conditione, quod completis quindecim annis, ad potestatem, & possessionem Romanæ Ecclesiæ terra illa rediret; & tunc Ecclesia in possessione posita, si Imperator vellet de proprietate terræ illius agere, libenter ei Ecclesia iustitiam faceret.* Hactenus Romualdus Salernitanus. Qui quamuis statim subiungat, cum *modum componendæ petitionis, per Episcopum Clarimontis, & Abbatem de Bonaualle Imperatori propositum, plurimùm illi displicuisse*: quippe qui vellet deferri sibi in manibus, quando ipse in tot, ac tantis rebus, odio depositus, Alexandro deferret: verum cùm constet, sub eo tandem conuentum inter vtrumque; nec quidquam additum pacis conditionibus, ab eisdem sancitis cum Alexandro, non est, cur gloriam illis denegemus adeptæ pacis, qua ex tunc fruetetur tota Ecclesia.

7. Adde, quòd alter ex nostris Beatus Hugo, non à Pontifice, Imperatoréve, id est, non ab homine vocatus, aut missus, sed à Deo ad hoc opus destinatus est, comprobante miraculo missionem, quod Vincentius Belluacensis, penè synchronos Author his verbis narrat [d]: *Idem Abbas, nempe Hugo, aliquando infirmatus, intrauit in Infirmitorium, & vidit columbam niue candidiorem super humerum Monachi infirmati: quam cùm idem Monachus vellet apprehendere, illa volans venit ad Abbatem, & intrauit in sinum eius, & postea exiit per aperturam tunicæ Abbatis, & fixit rostrum suum in aure Abbatis, dicens ei verbis humanis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, para te, para te: mandat tibi Beatus Bernardus, vt vadas facere pacem inter Papam, & Imperatorem Alemaniæ. Qui Sancti admonitione susceptâ, pacem inter eos postea perfecit.* Hactenus ille, vt miraculo ipso comprobetur, non solùm veritas diuinæ missionis, sed efficacia.

[d] lib. 29. c. 35.

8. Tunc conueniente Regno cùm Sacerdotio in templo D. Marci apud Venetias, confirmata solenni ritu pax, abiuratum schisma, absoluti Schismatici, acclamatus Alexander Pontifex verus, damnato Calixto; & Fridericus declaratus Princeps Catholicus, ingenti omnia pompa, gaudióque promaiestate actionum, & pacis tandiu optatæ consequutione. Ast Alexander, quasi tunc primùm inciperet Sede Petri potiri, cùm sine æmulo; sed multò magis, vt credere par est, de vnitate totius Ecclesiæ gaudens, insignioribus viris Ecclesiasticis; sed his præcipuè, qui magis pro reformanda pace laborauissent, de his omnibus censuit scribendum. Primi inter hos, vel saltem inter primos, quos referunt Annales, noster Guillelmus, qui totius tunc Cistercij clauum tenens, ingenti ardore negotium procurauerat, atque illi proximus Richardus Cantuariensis, tunc recens à Sicilia reuersus, vel quia Primas, & Legatus totius Angliæ, vel quia Cisterciensis, quod semper Alexandro satis, superque fuit. Epistolæ ad Guillelmum Vincentius meminit: ad Richardum Arseldius, qui ex Gervasio, & aliis Scriptoribus Angliæ hæc habet verba [e]: *Richardus vero reuersus, scilicet, de Sicilia, diploma secum retulit*, &c. *litteras postea ab Alexandro Romano Pontifice accepit pacificationis inter ipsum, & Fridericum Augustum, & de schismate, quod octodecim annos fuerat grassatum, extincto.* Hæc Nicolaus. Porrò eadem Alexandri Papæ litteras Rogerius [f], & ex ipso Baronius [f], ad verbum referunt; quas, quia eædem, aut eisdem valdè similes, quas accepit Guillelmus, Cistercij Pater, & alias continentes rei gestæ seriem, nequaquam duxi in præsenti prætereundas: sunt autem tales [g]:

[e] lib. 29. cap. 38.

[f] ad hunc an.

[g] apud Roger. & Baron.

9. *Alexander Episcopus, Seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Richardo, Cantuariensi Episcopo, & Suffraganeis eius, & dilectis Filiis Abbatibus, specialiter ad Romanam Ecclesiam pertinentibus, in Archiepiscopatu Cantuariensi constitutis, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Immensas laudes, & gratias agimus Omnipotenti Deo, qui licèt nauem Petri diu permisisset procellosa maris tempestate quassari, nunc tandem imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna, ita vt pacatis maris sæuientis fluctibus, prædicta nauis ad portum quietis reducta sit, & salutis. Sanè charissimus in Christo Filius noster Fridericus, illustris Romanorum Imperator, proximo præterito die, Dominica ante Festum D. Iacob, cum Principibus ecclesiasticis, & sæcularibus Teutonici Regni, cum multa deuotione venit Venetiam, ad præsentiam nostram: & ibi coram innumera multitudine virorum, ac mulierum, altis vocibus resonantium laudes Altissimo, nobis, sicut Summo Pontifici, omnem reuerentiam, & honorem exhibuit, & in Festo Beati Iacobi nobis, ad preces eius, Beati Marci Ecclesiam adeuntibus pro celebrandis Missarum solemniis, obuiam venit: & finita Missa, quam a nobis, licèt indignis, deuotè audiuit, nobis omnem honorem exhibuit, quem prædecessores eius nostris consueuerunt antecessoribus exhibere. In Kalendis verò instantis mensis Augusti præfatus Imperator, vbi erat numerosa hominum multitudo, in anima sua iurare fecit; & Principes sui, quos præsentes habebat, tam ecclesiastici, quàm sæculares, præstito iuramento firmauerunt, quòd pacem Ecclesiæ perpetuò, & pacem charissimi in Christo Filij nostri, Guillelmi, illustris Siciliæ Regis, vsque ad quindecim annos, & treguam Longobardorum, à præditis Kalendis Augusti, vsque ad sex annos, sicut pax, & tregua ipsa dispositæ erat, & tractata, & in scriptis redacta, illæsam deberet, & illibatam seruare. Sicut autem idem Imperator nos in Catholicum Papam, & spiritualem Patrem recepit: ita nos eum in Catholicum Imperatorem, & vxorem eius in Catholicam Imperatricem, & filium ipsorum in Catholicum Regem recepimus. Agite itaque gratias Creatori nostro, qui Sponsam suam Sacrosanctam Ecclesiam sua miseratione respexit, & ei post multas persecutiones, quibus grauiter pressa est, & attrita, per suam gratiam, plenam pacem reddidit, & quietem. Data Venetiis in Riuoalto, octauo Idus Augusti. Hactenus Alexander ad Richardum. Nec dubium, quin in eadem forma scripserit ad Guillelmum Abbatem, quin ad totum Capitulum Cistercij, si qua tabulis fides, atque specialiter ad illa Monasteria consistentia in Germania, quæ tot, ac tanta pro ipso passa fuissent.

Hoc ipso anno, vt quam verbis prædicabat, operibus referret Cistercio gratiam, Romanæ Ecclesiæ creauit Cancellarium, Cardinalem Albertum, 10.

dictum de Mora, ex Cistercio assumptum, cùm totos XVIII. annos, quibus præfuerat, per substitutos id munus administrasset: ita Chaconius [b], qui hæc, & alia ex Regestis Vaticani, velut ex ipso fonte haurire potuit. *Tempore*, ait, *schismatis Romana Sedes sub Alexandro III. sine Cancellario fuit annos XVIII.* Et paulò inferiùs: *Albertus de Mora Beneuentanus, Presbyter Cardinalis Sancti Laurentij in Lucina, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius, ab anno Pontificatus Alexandri XVIII. vsque ad obitum Vrbani III. Papæ.* Hactenus Author ille: quanuis non desint alij, grauesque, qui Albertum ante id tempus tradant functum hoc munere. Quidquid fuerit, creatus ab Alexandro, sicut ipse ab Eugenio olim promotus fuerat, non solùm gratiæ præsentibus obsequiis, sed præteritis etiam beneficiis cumulatè repensæ, argumentum fuit. Quippe Alexander reddidit Cistercio, quod ab ipso acceperat: atque Pontificis Cistercientis domum Pontifex ipse factus, Cardinali restituit Cistercienſi, inde in Pontificem non minùs promouendo. Distulisse electionem visus est, quandiu schisma durauit; non vt differret, sed ne ex dubia eligentis potestate, & negata ab aliquibus, minùs aliquid daret, quàm accepisset.

[b] *in Alexandro.*

---

1. *Gerardus sub initium intrantis anni*, 2. *Igniacum pergit.* 3. *Nec retardatur, morte sibi prædicta.* 4. *Hugonem alloquitur.* 5. *Matutinis Laudibus interest.* 6. *A quibus exiens crudeliter occiditur*, 7. *nullo gemitu emisso, nulla voce.* 8. *Mox à Sacrista inuentus, penè exanguis.* 9. *Ante obitum apparet Clarauallensibus.* 10. *Necnon Petro Abbati.* 11. *Funus Sancti perlatum ad Claramvallem.* 12. *Noua apparitio illustrior, & corpus tandem mandatum sepulturæ.*

CAPVT II.

1. INTRANTEM annum consecrauit Martyrium Beati Gerardi, non multò antè eidem reuelatum, cùm Treueri, Prouinciæ illius Apostolos, Maternum, scilicet, Eucharium̃que, & Valerium deprecaretur. De tempore non satis nobis constat, nisi quòd ad hunc annum pertigisse probant memoriæ omnes Clarævallis, quæ ad sex annos præfuisse virum affirmant, hoc est, vt minimum quatuor annos integros, & duorum confinium finem, principiúmque, quibus senarius numerus compleatur. Consonat & Dunense Manuscriptum apud Henriquez [a], & quæ plura aliunde nacti, contulimus, & omninò conformia reperimus. Porrò intra eundem non longè differendum inde coniector, quòd Henricus successor triennio præfuit, anno 1180. promotus in Cardinalem. Sed de his suo tempore dicemus. Nunc ad Martyrium Sancti glorioſum, & post reuelationes iteratas inflexibilem animum, demum ad execrabile flagitium Hugonis de Bazochiis, (heu! iam excidit nomen indignum promi,) quin infra annum Igniaci reclusum, Beati Petri custodiæ commendauerat, verbis Exordij Magni proferamus. Contigit autem intra annum à prima reuelatione (id enim est, quod eodem anno contigisse Exordium vocat) cùm Sanctus dudum redisset ad Claramvallem. Reliqua prosequatur Exordij Author [b]:

[a] *In Menologio Decemb.*

[b] *lib. 2. c. 18.*

2. *Igitur*, ait Exordium [b], *eodem anno, quo hanc visionem viderat* (scilicet, Gerardus) *imminente tempore, quo Sanctus Abbas Gerardus hostia Christi effici mereretur, & Agni immaculati pedisequus, sanguinem pro iustitia, sicut ille pro vniuersali Ecclesia, funderet; cùm visitationem Domorum suarum secundum Ordinis institua facere proposuisset, inter caeras etiam Igniacum adire decreuit. Fratres autem, qui belluinam Pseudomonachi illius rabiem* (quem suprà à Domino Abbate correctum, & in eadem Domo pœnitentia constrictum retulimus) *suspectam habebant: monebant Dominum Abbatem, vt cautiùs se ageret: ne fortè* (quod vehementer abhorrebant) *lucerna in Israël extingueretur. Ille verò metu mortis intrepidus, & totum se diuinæ voluntati commendans, nec propter mortem, etiamsi sibi immineret, ea, quæ officij sui essent, se intermittere posse dicebat.*

3. *Cúmque in procinctu itineris positus iam pararet exire, Frater quidam spiritualis accedens, vt secretiùs sibi loqui dignaretur, orabat. Quo impetrato, lacrymosis suspiriis cœpit rogare, ne iter, quod proposuerat, exequeretur, dicens, sibi per reuelationem ostensum, quia si tunc Igniacum veniret, crudeli morte esset perimendus. Cui vir Domini respondit: Chare Frater, gratias ago sollicitudini tuæ pro me. Scire tamen te volo, quod non facio animam, id est, temporalem hanc vitam pretiosiorem, quàm me. Nec omninò expedit mihi, vt quod ex debito officij mei* (quo indignus fungor) *facere incumbit, meticulosa mortis imaginatione territus intermittam. Quis autem scit, si tentat me Deus meus? Quis autem nesciat, Omnipotentem esse Deum, qui si voluerit, mortem, quam tu imminere dicis, & quam ego secura conscientia me non meruisse confido, facillimè auertere poterit? Quòd si noluerit, nos, tanquam serui inutiles, ipsius per omnia voluntati obsecundare necesse habemus. Ipsius ergo de nobis voluntas, & de vobis fiat.*

4. *Sic dixit, & Fratres omnes diuina gratia commendans, in spiritu fortitudinis, iter, quod proposuerat, aggressus, Igniacum peruenit, vbi ab Abbate eiusdem loci, beatæ memoriæ Domno Petro, cunctisque Fratribus, cum multa, sicut dignum erat, reuerentia susceptus, iucundum se, ac affabilem exhibebat vniuersis. Cumque singulis publicè, & priuatim de salute animarum, & de Ordinis obseruatione loqueretur, etiam illum, de quo suprà diximus, non Monachum, sed detestabilem parricidam mox futurum, ad se vocari præcepit. Quicum venisset, Pater sanctus, hostia Christi post paululum futurus, dulcissimis eum verbis adorsus, monere cœpit, vt quod causa salutis animæ ipsius factum fuerat, patienter ferret. Se nullo modo rancoris quicquam aduersùs eum habere: imò verò sicut filium sum charissimum, amplecti paratum, si correctionem eius, sancta humilitatis, & patientiæ indiciis deprehendere potuisset. At ille* (qui cum Diabolo ab initio homicida existente, vnus iam spiritus effectus fuerat) *ne scelus horrendi parricidij, quod iam dudum mente conceperat, aliquo modo protelaretur, & sic effectu malitiæ suæ priuaretur, tanquàm callidissimus serpens capite demisso simulabat, se, ea, quæ dicebantur, humiliter audire. Verbum etiam mansuetudinis, & pacis proferebat ore, quam non habebat in pectore.*

5. *Exhilarantur Fratres, & super indicto falsæ humilitatis habitu, quo se pestifer ille* (ne deprehenderetur) *induerat, dignos pœnitentiæ fructus sperabant; nihilque minùs fieri posse putabant, quàm quòd in tam breui,*

tum

tam horrendi facinoris perpetratione, se ipsum aterna mortis, & damnationis laqueo innecteret. Postero die ad nocturna synaxeos officium persoluendum congregatis, dum ex more de via veniemium, Domno Abbati Gerardo oblatum fuisset, quatenus de Matutinis exiens lassitudinem ex itinere contractam nocturna quiete repelleret, sicut erat feruens spiritu, perstitit, & toto vigiliarum spatio diuinis Laudibus vigilanter intendens, quasi iam prasago spiritu, qua super eum uentura erant, prænosceret, futuro se agoni præparabat. Quid plura? Finitis Laudibus, dum secundum consuetudinem Ordinis Prima continuatim subiungeretur, Dominus Abbas de Choro exit, Dormitorium ascendit, inde ad abluendas manus descensurus, quatenus finita hora ad celebranda diuina mysteria expeditior occurreret. Quod execrabilis ille non Monachus, sed parricida vequiter deprehendens, nequiùs insequutus est eum; & in loco Dormitorij, quem tanto facinori perpetrando congruum præuiderat, tanquàm leo paratus ad prædam, in insidiis se occultabat. Ita in Exordio Sanctus Antoninus eandem historiam narrans [e] tanti flagitij authorem, non Hugonem; sed magis Dæmones per ipsum fuisse tradit: visosque eos ab alio quodam Monacho, nomine Haimone, cùm ad ingressum Domus infirmorum positus esset: sic enim ait: *Cum disposuissent Hugo Abbatem Gerardum occidere propter punitionem ei factam, quidam ex Fratribus, nomine Haimo, cùm sederet in vestibulo Domus infirmorum, vidit duas personas horribiles intrare Dormitorium.* Hæc Anton. cui consonat Author vitæ S. Petri c. 18. ex quo ipse videtur transcripsisse. Pergit Author Exordij de S. Patre [d]:

[e] par. 2. tit. 17. cap. §. 13.

[d] vbi supra. 6

Vir itaque Domini redieus, & per Dormitorium versùs gradus, quibus in claustrum descenditur, incedens, ad insidiarum locum peruenit; & ecce filius perditionis subitò exiliens, impetum fecit in eum, & ensem acuminatum, longum, & latum visceribus eius immergens, crudeliter scindendo, secando, fodiendo, usque ad spinam dorsi pertransiit. Sed sicut verus Agnus Dei Dominus noster Iesus Christus, non quidem coram tondente; sed coram sacras manus, ac pedes fodientes obmutuit, & non aperuit os suum: sic & iste verus imitator, & hostia Christi, coram terribili laniatore, & suffore viscerum suorum, non modò clamorem, sed vix aliquam vocem doloris emisit. Tunc verò Deo odibilis, & hominibus inuisus ille homicida, cum eruentem cultrum obsistentem sentiret, nec sacrum corpus, sicut volebat, transfodere posset, grauibus tormentis grauiora superaddens, detestabilem sicam inter viscera versando atque reuersando omnibus modis satagebat, ne Pastor sanctus vitus de manibus eius euaderet. Mitis vero Pastor execrabilem illius instantiam perhorrescens, leni voce dixit ad eum: Quæso, Frater, parce: cesset iam manus tua: quia nullo modo de cætero viuere potero. Ad quam vocem malignus ille aufugit pernici cursu; & Dæmonum præda factus, ultricem tanti sceleris conscientiam secum ferebat. Hactenus coæuus Author Exordij magni de immani flagitio parricidæ, & stupenda patientia Martyris Sancti.

7. Cæterùm, quod admirationem omnem superat, & ni constaret tanto testimonio, fidem etiam excedere videatur, illud occurrit. In Dormitorio Cistercien sis Ordinis, in quo vel medio Sole tantum silentium, vt quæuis respiratio grauior audiri soleat, inter matutinas Laudes, & Horam Primam, ante diei crepusculum, quando profundior quies omnia tenet; potuisse hominem tot tormenta pati, tot vulnera subire, nulla voce emissa, nullo gemitu, quin alloqui valuisse percussorem, adeò submissè, & blandè, vt à nullo audiretur, nisi ab ipso: cùm maxime hyemale tempus esset, quod soporem excludit illius Horæ.

Sed nos Authorem loquentem audiamus [e]: *Venerabilis autem Abbas, euolutis viribus, per gradus, quibus in Ecclesiam descenditur, iam horrendo vulnere confossus descendit. Sed cùm ad extremos gradus venisset, grauissima sanguinis effusione defectus corruit, & tanquam exanimis iacebat. Nutu vero Dei Sacrista per Ecclesiam incedens, iacentem offendit: sed, quis esset, aut quare illic iaceret, in tenebris discernere non poterat: territus itaque vehementer concitus candelam accendit, & admoto lumine Patrem Sanctum recognouit.* Certè Fratribus cunctis vigilantibus, & facilè percepturis quodcùque signum, videri potuit, aut præcultile vitæ obseruantiam silentij, aut idemmet silentium procurasse, ne à Fratribus, si illuc conuenirent, optata Martyrij palma defraudaretur. Sed redeo ad Historiam, quæ quid Sacrista, quid item Fratres egerint, deprehenso flagitio, quid demù S. Martyr, ita prosequitur [f]:

[e] ibidem.

Protinus ergo lamentabiliter exclamans (scilicet, Sacrista,) *& heu, heu congeminans, Fratres vniuersos ad tam miserabile spectaculum concurrere fecit. Ipse etiam Dominus Petrus Abbas affuit, & videns Martyrem Christi in suo sanguine volutari, lacrymosis suspiriis internum cordis prodebat dolorem. Itaque manibus Fratrum lugentium in Infirmitorium est delatus: vbi verò paululum quieuit, recollecto spiritu, immensas Omnipotenti Deo gratias agere cœpit, quòd eum in præsenti tam dura morte puniri permitteret, que pro peccatis, & negligentiis suis post mortem in Purgatorijs locis grauiores pœnas exulueret. Triduum postea superuixit. In quo spatio Sacramentis ecclesiasticis munitus, deuotis precibus, & piis sancti desiderij votis, ad Beatitudinem futuræ vitæ suspirabat. Occidi suo ex corde indulsit: & omnes, qui aderant, attentius precabatur, vt si fortè comprehenderetur, nihil mali a quoquam pateretur. Specialiter filios suos Claraualenses ex intimo cordis affectu diuinæ gratiæ commendauit. Sicque sancta anima illa, carne soluta, amò liberior (vt creditur) æthereum penetrauit Cœlum, quamò durius hic carnis tribulationis, & horrendæ mortis extremitate purgari meruerat.* Hic Sancti Præsulis desideratus exitus, hæc cursus eius consummatio felix fuit. In vita S. Petri Monoculi hæc habentur [g]: *Vixit vsque ad sequentem diem circa vesperum, & positis circa se Fratribus dixit: Dirigenie, Domine, in via tua, & doce me: quia tu es Deus Saluator meus, & te sustinui tota die. Et cùm hæc dixisset, obdormiuit in Domino.*

[f] lib. 1. c. 28. 8.

[g] cap. 18.

Addit Richardus infetiùs referendus, quo tempore iam, iámque decessurus, Claræuallenses Christo commendabat, multis Monachis visum in Claraualle, iucunda facie, & candida cuculla, sanguine rubricata, super Altare maius, benedicentem filiis, quos, vel discedens, non foret deserturus. Haud aliter immolanda Deo hostia meliùs quàm in Altari; offerenda pro filiis, quos amabat, quàm ipsis benedicens deseribi potuit. Addit & prædictam a Sancto mortis horam; atque in ipsa Angelorum voces auditas, qui egredientem animam susciperent, & cum gaudio deducerent, æterna gloria in Cœlis coronandam. Verùm hæc omnia ex ipso, cùm tempus venerit, pergit Author de exuuiis sacri corporis Claramuallem delatis, iustis solutis, & mirabili visione, quæ S. Petro Abbati Igniacensi celebranti ad funus, S. Martyris gloria est reuelata.

9.

Antoninus, ante funus etiam visum Abbati Petro, iussisséque, vt pro eo celebraret officium funeris, corpore ad Claramuallem perlato, scriptum reliquit [h]: *Apparuit, ait, ipsi Petro dolenti de morte sua Gerardus ipse dicens: Noli contristari de morte mea: quia cum Domino Iesu Christo sum. Tu autem cùm veneris ad Claramuallem, facies officium meum, & sepelies me.*

10.

[h] vbi supra.

Hæc

Hæc Florentinus. Portò de funere petlato ad Claramuallem, Author Exordij magni ita prosequitur [i]: *Sacrum corpus eius basterna impositum, diuinis psalmis, & hymnis per totam viam resonantibus, Domino quoque Petro Abbate funus cum magna reuerentia prosequente, in Claramuallem honorifice delatum est. Vbi quàm sublimi, & manifesta reuelatione de gloria Martyrij eius idem Abbas certificari meruit, ad commendandam posteris tanti Martyris memoriam, referre non incongruum puto* [k].

[i] lib. 2. c. 28. in fine.

[k] cap. 29. sequenti.

11. *Cùm à Conuentu Claraualli pro commendatione Beatæ Animæ Domini Gerardi Missa solemniter (sicut moris est) celebraretur; præfatus Dominus Petrus Abbas sacro Altari adstabat, solita sua deuotione salutarem Hostiam immolaturus. Qui licèt hilaritatem vultus inuentibus se prætenderet, erat tamen tristis, & mœrens valde super indigna morte pij Patris, maximè quod in Domo sua* (scilicet, Igniaco) *Dominus tam immane scelus fieri permisisset. Cúmque diuersis cogitationibus æstuaret, reputans, ne fortè propter peccata sua id accidisset, vidit repente visibili specie B. Bernardum à dextris Altaris stantem*, (Antoninus Malachiam etiam addit, [l]) *ipsúmque, de cuius morte lugebat, Dominum Gerardum a sinistris, vtrosque inæstimabilis gloriæ refulgentes claritate. Quorum visione stupefactus, dum attonitus hæreret, dixit ad eum B. Bernardus: Cur, quæso, tanquam mortuum, fluges eum, cuius transitoria mors in perennitatem beatæ vitæ commutata, pretiosa est in conspectu Domini? Et protensa manu Christi Martyrem Gerardum, qui in sinistra Altaris parte adstabat, Ecce, inquit, iste est Frater meus, cuius funeri debitas exequias persoluisti: qui quantò crudeliorem mortem, & indigniorem in oculis hominum pertulisse visus est, tantò maiori gloria à Domino sublimatus inter victrices, & purpuratas Martyrum catervas sortem sua vocationis accipere meruit. His dictis, tam incunda visio ab oculis intuentis sublata est.* Hactenus gloria Sancti Sancto ostensa.

[l] vbi suprà.

12. Pergit de certitudine visionis, & de corpore mandato sepulturæ: *Tanta verò lætitia, & securitas de glorificatione dilecti amici sui in corde eius, qui hæc videre, & audire meruerat, successit, vt non iam, quasi mortuũ, plangendum putaret: sed propulsato omnis mœroris, & dubietatis nubilo, tanquam fidelissimum intercessorem apud Omnipotentem Dei misericordiam habendum censeret.* Et paulò inferiùs: *Exequiarum itaque celebritate, luctu mixto gaudio peracta, & spiritualibus Filiis tanti Patris, non tam temporalem mortem eius lugentibus, quàm gloriosa victoria ipsius, qua de inimico fortiter pro iustitia occumbens triumphauit, congratulantibus, sanctum corpus eius ante fores Oratorij Claraualtis, in cellula, qua olim ob receptionem corporum Sanctorum Confessorum Bernardi, & Malachiæ constructa fuerat, in sarcophago super pauimentum exaltato, venerabiliter conditum est.* Hæc in Exordio de S. Martyris gloria, & sepultura: verùm quæ post hæc adhuc gesta sint: quid de misero Hugone, & quis in Claraualle Sancto successerit, cum aliis, quæ concernunt Martyrium eius, sigillatim, distinctisque capitibus commodiùs nobis venient referenda.

---

1. *Fidelium ex Gerardi morte turbatio.* 2. *Occisor, primùm negata absolutione,* 3. *cùm mox ab Alexandro quæreretur, nullatenus potuit inueniri.* 4. *Conceptatum de eius damnatione.* 5. *Miracula ad sepulcrum Martyris Sancti.* 6. *Tum B. Richardi grauis epistola,* 7. *ad Monachum curiosius inquirentem eius agonem,* 8. *in qua series historiæ,* 9. *plena fide.* 10. *Varia memoria Sancti apud Authores.*

CAPVT III.

1. SVRREXIT Beati Viri, Gerardi mors vniuersos Christicolas, & adhuc deficientibus tyrannis subesse sibi Martyres gratulabundi, sed dolentes conquerebantur. Recentem tunc Cantuariensis Thomæ sanguinem, super effusio cruore noui Athletæ, antequàm siccaretur, reuirescere, & modesti adhuc terræ imbrem immitti fœcundum, sed pudendum cunctis fidelibus. Nam, qui deinceps liberi à contagio, à quo ne Cistercienses immunes essent? Hactenus passos Sanctos à Paganis; passos & à Christianis, sed sæcularibus: Thomam passum ab aulicis, quo nullum fortè deterius hominum genus. Nunc, vel ab ipso statu perfectionis surrexisse tyrannos, qui Martyres coronent; qui sanguine innocenti cruentent manus sacrilegas. Tum, quos vlteriùs corrigere liceret, quos errantes arguere, si ne intra claustra quidem correctio indemnis? Si grauiùs luat, qui correxit, quàm qui deliquit? Gerardi caput à Monacho impetitum: & cecidisse cucullati hominis manu, quod vel Schismatici, atque ipse etiam Schismaticorum Dux Imperator Fridericus reuereretur. Hæc, & similia commouebant piorum animos, cùm maxime impunito Hugone, clapsóque, scandalum integrum, nec esset pœna, quæ posset retardare, si quos audaciores fecisset exemplum criminis.

2. At non flagitium indemne delinquenti, non sine exemplo vltionis cæteris fuit, fortè horribilioris, quò occultioris: quippe quæ Deum authorem præ se tulit, in cuius manus horrendum incidisse. Verùm, quæ eum vindicta sequuta sit, verbis Exordij magni proferamus [a]: *Igitur*, ait, *dum fama pretiosæ mortis eius*, (Gerardi, scilicet,) *quomodo innocens pro iustitia, & zelo Ordinis, crudeli morte mulctatus esset, vbique vulgaretur, ad aures Summi Pontificis*, (videlicet, piæ memoriæ Alexandri III.) *peruenit. Qui, quoniam speciali cum deuotione, pro sua reuerentia sanctitatis amauerat, multo pietatis affectu super tam indigna morte ipsius contristatus est, ipsúmque tanti facinoris patratorem, excommunicatum, & extorrem à societate omnium fidelium confuit habendum. Euolutis post hæc aliquantis annis; crudelis ille carnifex, qui tantum scelus commiserat, pœnitentia ductus Summum Pontificem adiit; atque ad pedes eius misericordiam postulaturus corruit. Domino verò Apostolico quærente, quis esset, vel quid mali commisisset? Ego sum, ait ille, qui Gerardum Abbatem Claraualli occidi. Cumq; Dominus Papa dilectum olim sibi Abbatẽ nominare audisset, & authorẽ mortis eius coram se positũ cerneret, totus inhorruit, & vehementer turbatus, minus discrete (sicut dicitur) pede eũ repulit dicens: Vade, fili perditionis. Quo audito, miser ille cõcitus foràs, recessit.*

[a] vbi suprà.

Hactenus

3. Hactenus prima pœnitentiæ vltionis pars, negata pœnitenti (quantum exteriùs cernere licebat) absolutione: idque ab homine sancto, pio, & docto, siue eum Deus permiserit errare, siue instruxerit; sed longè terribiliorem adhuc secunda. *Cardinales verò, qui aderant, reuerenter accedentes suggesserunt Domino Papæ, quamuis sceleratissimum hominem, non debere sine misericordia dimitti. Dominum Iesum in Cruce pro crucifixoribus suis orasse: nec expedire Apostolatui eius, si tam immite desperationis exemplum posteris relinqueret. Quorum verbis motus Pontifex Apostolicus festinanter parricidam vocari præcepit. Quoniam non propterea ad horam eum repulit, vt desperandum de ipso censeret: sed vt horrorem, & enormitatem tam immanis flagitij præcordiis eius artius imprimeret, & per hac ad dura quæque pro scelere suo toleranda prouocaret. Sed, ô quam terribilis est Deus in consiliis super filios hominum! Quoniam nemo valet eum corrigere, quem ille neglexerit. Cùm enim ad iussum Pontificis miserabilis ille peccator à ministris vbique quæreretur, non in Consistorio, non in Palatio; sed neque in vniuersa vrbe inueniri potuit: quòve deuenerit, vel quali fine defecerit, vsque hodie ignoratur.* Hic miser parricidæ illius exitus fuit.

4. Et mihi quidem rem altiùs perpendenti, & quantùm licet, caliginosis oculis à longinquo rimanti, vt non omninò desperanda repulsi salus, qui qualicunque negata absolutione, potuit per contritionem culpam abstergere: at extra communionem fidelium factum, Sacramentis negatum, & orationibus, cùm peteret absolui, repulsam passum; cùm quæreretur statim absoluendus, nusquam inuentum, nequaquam leue diuinæ indignationis indicium est. Quòd resilierit à pedibus Pontificis, neque pulsans, & clamans perseuerauerit; sed ipse è limine pœnitentiæ retrocesserit, diuina permittente prouidentia, vt qui Iudæ, in prodendo Magistro similis, in occidendo quodammodo deterior, non dissimilem exitum haberet; atque vtrique in perniciem verteretur pœnitudo damnanda, ex qua, si debitus modus accessisset, meritum debitum, potuissent remissionem auspicari. Hæc satis de interitu Hugonis: qui si desperationem repulsæ subdidit, non diu superuixit: quippe intra tempus Alexandri Summi Pontificis, qui vix integro triennio superstes fuit.

5. De S. Martyre id etiam addendum censeo vltra reuelationes, quas recensuimus, illustratum à Deo, editis ad sepulcrum eius signis, quæ coronam Martyrij in sacro corpore, in anima adepti triumphi gloriam contestarentur. Postò, cùm tam Martyrium, quàm miracula diuulgata per Orbem Christianum, ad intimam Germaniam penetrassent, atque ad ante annum visitatos filios, in eadem Prouincia consistentes, tristis simul, & dulcis peruenisset, vnus ex eis Ebrbacensis Monachus, suo, an fortassis totius Conuentus nomine curiosus, & pius, B. Richardo, tunc in Alduert Monacho, scripsit, à quo veluti Galliæ proximiori, aut qui forsan interfuit funeri Sancti, sigillatim de cunctis instrueretur: & extat rescriptum eiusdem Sancti Viri vitiatum sanè duplici versione, altera in Lusitanum, in Latinum altera. Sed quod ob authoritatem scribentis, notitiamque, non licet in præsenti præterire. Est autem tale[b]:

[b] Brito lib. 6. c. 23. Henriquez in fascicul. lib. 2. disp. 35. c. 6.

6. *Quærisà me, Frater charissime, vt Martyrium Sanctissimi Viri, Gerardi, Abbatis Monasterij Clarevallensis breuiter enarrem, qui pietate tua verus filius & imitator gloriosissimi Bernardi, necnon benignitate sua, pater vigilantissimus erga filios, & fratres fuit exstitit. Conabor, quantum potero, veritatis limites non transilire, & amœnare paucis dolorem, quem ex commissa prauitate semis. Itaque Beatus hic Vir Monasteria, & Fratres suos quodam tempore visitauit, (illos, inquam, qui ipsi, vt Patri, veram obedientiam tenebantur præstare,) & in Igniacensi inuenit Hugonem Barochiensem summis vitiis deditum; ita vt vnum quodlibet eorum merebatur adeò seueram pœnam, quam leges Ordinis instituerant. Omittam vitia vobis describere, quia sub silentio mihi narrata fuêre: scis enim litteras non esse adeò securas, vt earum verum, quæ intus scribuntur, conscientia tua manere possit. Blandissimis ergo eum verbis Gerardus noster admonuit, & potius suauiter moderando culpam, quam adiudicando pœnam legibus, Ordinisque institutionibus; moderata quadam pœnitentia, immoderata peccata, sua benignitate puniuit, vt se his verbis accommodaret: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Sed peruersus animus huius Hugonis peiorauit hac medicina: quia statim natus est pestifera quadam vindicta compensare modestiam Sanctissimi Abbatis. Ita vt quadam nocte in loco quodam obscuro, furore, & indignatione bulliens, eum miserè aggressus fuerit, & cultro quodam (cùm Sanctus Vir matutinas Deo Laudes cum cæteris in Choro decantasset; indèque ad Dormitorium reuerteretur) vitam Beatissimi Viri ademit. Qui dum occisori vitam daret, Dominum Deum pro remissione peccati eius rogabat. Sed quid plura? Cecidit Agnus innocens inter nocentes lupi dentes, & simplex columba inter astutissimi vngues accipitris, Sanctus inter manus peruersi peccatoris, & mortuus est Abel propter inuidiam fratricidæ fratris Cain.*

7. *Omnes itaque Religiosi summoperè miserandum, sed non minùs gloriosum ipsius obitum lacrymis cordis defleuerunt, vt omnes pariter subitanea hac morte angebantur. Solus Christi Martyr animo constanti, & alacri, consolabatur omnes, obsecrans, vt lacrymas suas in preces vellent conuertere, & submissè orarent Deum, vt vellet illuminare cor Hugonis, vt errorem, & culpam suam agnoscens ageret pœnitentiam; sicque dignus foret aliquando ante summum iudicium acquirere veniam suorum delictorum. Prædixit Monachis vltimam horam mortis; auditáque est sonora Angelorum Musica, & habuerunt clarissimas reuelationes, ex quibus animam Sanctissimi Viri gloriosam in Cœlis existere facillimè collegerunt; ex quo Igniacenses Monachi non paruum doloris sui receperunt lenamen: plurimique bonæ vitæ Religiosi (inter quos Petrus Abbas) oculis corporeis viderunt eundem Gerardum, comitatum clarissimo Angelorum Choro, cœlestia scandere regna, vbi hodie, & in æternum requiescit.*

8. *Illo ipso die Martyrij sui, dum vltimum in agone exhalaret spiritum, multi eum Monachi ex Clarevalle in supremo Altari viderunt, quòd rubicunda, alacrique facie, cuculla rubro sanguine tincta, Monachorum Conuentui benedictionem suam daret, & dum in eodem Clarevallensi Cœnobio, eius celebrarentur exequiæ, visus fuit à Petro successore suo in vna parte Altaris, & D. Bernardus ab alia, asseuerans eum iam de facto frui æterna Paradisi gloria: & prohibuit, ne vllo modo dolorem ex morte, & obitu suo conciperet.*

9. *Sed, quorsum vobis tot suæ felicitatis æternæ exhibere testimonia? Loquantur miracula, quæ scimus ab ipso post mortem facta fuisse. Patet enim ipsum optatam salutem, duobus, qui dissoluis membris miserè languebant, non sine omnium stupore dedisse. Necnon vni Monacho prorsus cæco, visum vnius oculi restituisse, aliósque quamplurimos morbos sanasse. Sed cum tempore magis patefacta nobis erunt eius miracula, ex quibus colligimus immortalem Deo Optimo Maximo nos debere*

debere reddere gratias, quòd mutauerit, electo hoc sibi Martyrio, dolorem, quem ex falsa malignitate Hugonis conceperamus, in iucundissimum gaudium, propter virtutes illustres in Sancto Abbate Gerardo relucentes, cùm plus boni, & felicitatis posset spiritus, & homo inter Cœlites coronatus, intercessione, & meritis suis in hoc mundo præstare, quàm possem omnes peruersi diabolicis suis artibus machinari. Hactenus epistola, vt stili nitore destituta, vertentium culpa; sic veritati nixa, subsisténtsque, quoad substantiam prorsus immutata.

10. Gerardi sepultura hodie, cum B. Petro (qui mediante Henriquo illi successit) sub hoc communi titulo notatur in libro sepulcrorum Clarævallis [c]: *In magno Claustro, sub primo arcu, iuxta ostium Ecclesiæ requiescunt Venerabiles Viri, bonorum memoria digni, Dominus Gerardus VI. & Dominus Petrus VIII. Clarævallis Abbates, quorum prior post laudabilem vitam, pro iustitia, & zelo Ordinis innocens occisus est. Alter verò sanctæ paupertatis, & humilitatis feruentissimus æmulator, multis in vita sua virtutibus claruit. Hos apud Deum Patronos habere mereamur. Amen.* Memoratur inter Sanctos illustres Ordinis ab omnibus antiquis, & recentioribus, propriis, & exteris, ex quibus plures recensuit Henriquez in Menologio [d], Hugo Menardus in suo Martyrologio [d], qui & in Notis ad Compendium redegit Martyrium Sancti; Aubertus Myræus [e], & alij recentiores. Nisi quòd tamen in assignanda die (Decembris septima) omnes Kalendarium nostrum Salmanticæ excusum sequuti sunt, quam, te meliùs inspecta, differendam, & ad initium anni subsequentis, huius, nimirum, iudicaui similiùs vero. Extat ad eum, & ad Petrum Abbatem S. Rhemigij Alexandri epistola, quæ incipit: *Cùm dilectus*, &c. 45. inter eas, quæ cum Operibus Petri Cellensis circunferuntur. Sed de Gerardo dictum nobis satis: nunc iam ad successorem perueniamus.

c apud Henriq. lib. 2. fasc. dist. 42. c. 2.

d Decembrit 7.

e Origin. Monast. lib. 5. c. 15. & 17.

---

1. Actum de successore B. Martyris, & electus Henriquus ex Abbate Altæcumbæ: 3. Vir planè magnus. 4. Hic dum operi manuum feruentiùs instat, 5. moriensi Fratri abest, 6. pro quo à Deo pœnitentiam sibi impositam vsque ad mortem adimplet. 7. Conuersus alius desperata penè salute, 8. tandem confessus, 9. à culpa primùm, media pœnitentia, per Virum Dei, 10. mox cùm post mortem oblita renelasset, etiam à pœnis meruit liberari.

CAPVT IV.

1. a part. 2. tit. 17. c. 1. §. 12. CONVENISSE vicinos Abbates ad funus Sancti, Antoninus affirmat [a], quorum rogatu, quæ in mandatis acceperat, de peragendo officio Petrus impleuerit. Nec dubium, quin actum statim de successore, qui in locum Martyris Sancti subrogaretur: & timuit Petrus eligi in Abbatem, memor responsi quondam ad se facti, per Sanctos Patres, Bernardum, & Malachiam. De quo timore hæc pauca in Vita Sancti [b]: *Corpus* (Gerardi) *de more compositum Abbas Petrus vsque ad Clarumuallem deduxit; multùm metuens, ne quod audierat:* Tu eris Abbas Clarævallis *impleretur.* Verùm huius Oraculi impletione dilata ad tempus, interim iunior ætate; sed virtute non impar Henriquus electus est ex Abbate Altæcumbæ, quem in totius Ecclesiæ firmam columnam ab æterno ordinatam per hæc munera Deus præparabat. De eius successione hæc in exordio.

b cap. 18.

2. *Glorificato per Martyrij palmam B. Gerardo, sexto Clarævallis Abbate, Dominus Henriquez Altæcumbæ Abbas ad Sabbathismum populi Dei, iam in septima ætate quiescentis, cui dicit spiritus, vt requiescat à laboribus suis, desiderio, vita, & moribus suspirans, septima ordinatione, nobilis illius in syncera Religione Clarævallensis Congregationis spiritalis Pater electus est. Hic venerandus Pater, nobilis quidem genere, sed nobilior longè virtutum generositate, à primis adolescentiæ suæ annis Sanctuario Domini locatur.* Et paulò infrà: *Porrò dies adolescentiæ suæ tanta puritate, & innocentia pertransiit, sicque canos sapientia in annis tenerioribus induerat, vt dum vix adhuc limen virilis ætatis attigisset, meritò magis Religionis & prudentiæ, quàm ætatis, sequester inter Deum, & homines constitueretur: vt Vicarius Filij Dei* (in Claraualle) *factus, nomen pariter, & officium Patris, & Pastoris adipisci mereretur.* Hæc de electione, déque electi ætate, & qualitate, tunc temporis, cùm Altæcumbæ præfectus fuerat. Ad Clarauuallem in maturiori ætate promotum, nec minùs ideò feruidum, ac promptum ad omnes obseruantias, etiam externas, in hæc verba idem Author ita prosequitur [c]:

c vbi suprà. 3.

Quia tamen prærogatiuam honoris, vel potiùs pondus sollicitudinis semel susceptum, tanta fidei alacritate administrauit, vt internus ille Iudex cogitationum, & intentionum cordis (qui in manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua) fidelem in minori dispensatione probans, maiori eum Christianum gratia sublimare decerneret. Nempe, maturiori iam ætate, virtutibúsque in habitum versis, Abbas Clarauallensis factus, rigorem disciplinæ, per quem alios ad tramitem Iustitiæ cogebat, in se ipso minimè neglexit: sed quantum dignitas officij sui patiebatur, ad communis vitæ socialitatem se constringens, ipsi etiam labori manuum aliquoties pro tempore cum cæteris Fratribus insudabat. Hæc de Sancto Gerardi successore. Qui quantæ puritatis vitæ fuerit, quámque frequentes supernorum ciuium visitationes, admonitionésque habere consueuerit, vel de minimis purgandus ante decessum, indicauit euentus, multorum testimonio comprobatus, nec negatus ab ipso, quem non pigebit ad litteram transcribere [d]:

d ibidem. 4.

Accidit quadam vice, vt idem Venerabilis Abbas tempore fœnationis colligendo fœno instans in pratis grangiæ, quæ trans flumen Albam sita est, proximæ Monasterio Clarævallis, cum Fratribus impigrè laboraret. Et ecce dum feruentiùs operi instares, Frater quidam festinus ad eum nuncius, venam de Conuersis infirmis, ægritudine prænalescente, morti approximare, & propterea gratiam sanctæ Vnctionis desiderare. Abbas autem sciens cæteros sua præsentia roborari, & ad laborandum

randum feruentius incitari, ægrè nimis tulit, se ab opere diuelli. Ideoque vnum de senioribus pro se Vicarium misit, qui eidem infirmo solemne sanctæ Vnctionis officium ministraret: quod vbi factum est, Frater ille Sacramentis ecclesiasticis contra aereas potestates munitus, in pace vitam finiuit.

5. Post hæc, die quadam, dicto Completorio, dum clara adhuc luce Fratres se in lectulis suis collocassent, ipse etiam Dominus Abbas vigilans in lectulo suo iacebat. Cui sic iacenti Frater quidam, qui paulo ante prædictum Fratrem vita discesserat, visibiliter apparuit, sicque ad eum loquutus est: Scias, Domine Pater, quoniam Frater ille, qui proximè defunctus est, mox vt carnis exuit indumias, ante thronum Domini nostri Iesu Christi à sanctis Angelis præsentatus est. Vbi, cùm subtilissima examinatione vita eius discuteretur, tandem ad ea, quæ circa eum in extremis agentem gesta sunt, discussionis scrutinium processit. Cùmque benignus Iudex quæreret, quæ circa morientes Fratres fieri solent, vtrùne circa eum adimpleta fuissent, responsum est, quia vtrè, excepto eo solo, quòd Abbas, dum labori feruentius insisteret, eum in propria persona vngere neglexisset; sed pro se Vicarium misisset. Quapropter Dominus me vocans, qui cum cæteris tremendæ Maiestati adstabam, dixit mihi: Vade, & ex parte mea dic Abbati, quatenus pro hac negligentia, toto tempore vitæ suæ singulis diebus septem Psalmos pœnitentiales persoluat. His dictis, nuncius cœlestis, dum ea, quæ intus audierat, foris nunciasset, ad Dominum mittentem rediit: à quo, licèt foris apparens, intus minimè recesserat.

6. Abbas verò cum tremore, & admiratione multa, quæ audierat mente pertractans, diuinæ pietati ex imimo corde gratias rettulit, proprio experimento probans irrefragabili veritate subnixam esse sententiam, quam de Domino testatur Apostolus dicens [f]: Quoniam ipsi cura est de nobis. Humillima itaque obedientia pœnitentiam sibi à summo omnium Abbatum Abbate iniunctam suscipiens, tanta curauit sollicitudine obseruare, vt etiam postea factus Albanensis Episcopus Cardinalis, solebat familiaribus suis dicere: quia, si hoc articulo premeretur, vt vnum è duobus omnibus modis fieri oporteret, scilicet, in die sancto Paschæ, seu Natalis Domini, aut Missam, aut Psalmos illos omittere, potius Missam dimisisset. Hactenus pœnitentia Sancto iniuncta ab ipso Patre misericordiarum pro culpa leui. Cui tanti viri non solum testimonium; sed acceptatio, & continuata vsque ad mortem exequutio, indubitatam omninò fidem conciliant.

[f] 1. Petri 5.

7. Sub idem tempus Esronensis quidam Conuersus, de propria Domo electus, fortè à Gerardo Abbate, dum visitaret; in Claraualle manens, dum in extremis ageret, Fratres lætificauit simul, & terruit: quippe ereptus de faucibus Inferni, quò propria eum peccata præcipitabant. Rem sub Henrico Abbate, atque eius interuentu gestam, à cunctis visam, quia nullus alius certior locus subest, & aliàs Sancti Viri merita pandit, hîc consequenter censui subiungendam [g]: Frater quidam laicus in Claraualle aliquandiu fuerat conuersatus; sed sub castissima Clerauallensium disciplina nequaquam fuerat nutritus: verùm de alia Domo illuc transmissus, crimina per grauissima, quæ in priori Domo sua commiserat, vsque ad ipsum mortis articulum, horrenda cordis duritia, sine confessione, & pœnitentia, in abysso pessima celabat conscientia. Hunc Deus omnipotens, in cuius ditione, & voluntate vniuersa sunt posita, tam liberaliter, quàm misericorditer ab æterna damnationis voragine, iam, iamque super caput eius imminentis, eripere dignatus est. Pressus enim grauissima infirmitate, cùm iam mortem vicinam adesse sentiret; diuina gratia (quæ quandoque miseris, & indignis peccatoribus misereturi) illustratus, accito Confessore, peccata sua confiteri voluit. Liuida vero malignorum Spirituum caterua, quæ, quantum in ipsa est, semper gratiæ Dei aduersatur, timens, ne per salutaris confessionis antidotum peccatorem perderet, quem diu laqueis suis irretitum, in continenti se rapere præsumebat; tanta vi malitiæ suæ super eum irruit, vt perdito linguæ officio diutiùs permanens mutus, iam vltimum trahere flatum videretur.

[g] lib. 2. c. 31.

8. Pius verò Dominus, qui sicut nouit parcere supplicantibus, ita nouit etiam debellare superbos, sicut quondam typicum illum Pharaonis exercitum, media nocte silentio per columnam ignis, & nubis respiciens; ita & nunc mediæ noctis silentio per intercessionem (sicut credimus) B. Bernardi, Sanctorumque; qui in Claraualle conquieuerunt, tyrannicam Dæmonum superbiam increpans, & fugans, reum suum absoluit, redditóque linguæ officio, ad Confessionis Sacramentum animauit. Denique, cùm Fratres Infirmarij sollicitè circa eum obseruarent, & nihil aliud, nisi mortem præstolarentur; ecce repentè mediæ noctis hora instante, aperuit oculos, & absolutè loquens, se confiteri velle Fratribus indicauit. Tunc velociter accersito Venerabili Domno Henrico Abbate, confessus est ei loquens in amaritudine animæ suæ, & dicens: Ego peccator immundus: ego omnium flagitiosissimus, confiteor Deo, & tibi, Pater, quia cùm essem in Monasterio meo, nomine Esron, quod est in Dacia, ex quadam fornicaria filium genui, & nunquam, nec confessionem, neque pœnitentiam super huiusmodi scelere egi. Proinde nunc cùm obmutuissem, maligni Spiritus miserrimam animam meam ad loca infernalia rapuerunt, ibique vidi supplicia, quibus mox, eruus corpore, mancipandus ero ad punientum. Ibi quoque ad cumulum damnationis meæ filium meum iam pridem mortuum reperi, iniquitates meas arguentem, & exprobrantem mihi huiusmodi verbis: Heu, detestande peccator! Heu, execrande proditor castitatis, & Religionis! numquam natus fuisses, numquam adultus fuisses. Exigente enim malitia tua, ego in istas perduci miserias merui. His ergo auditis, & visis perturbor, atque coarctor nimis: tum pro eiusdem filij mei impuratæ pœnalitate, tum pro mea ipsius iam, iamque imminente damnatione.

9. Cùm ergo hæc audisset discretus, & prudens Pater Dominus Abbas Henricus, commota sunt viscera eius vehementer super tanta tribulatione, & angustia peccatoris in supremo agone periclitantis. Vnde & salutaribus verbis aggrediens hominem, cœpit eum omnimoda argumentosa pietatis instantia ad spem venia animare, consulens, & suadens efficacibus monitis, ne vnquam aliquo modo de ineffabili misericordia potentissimi Redemptoris diffideret; sed fidei plena deuotione clamaret, & diceret ei: Credo, Domine, quia etiamsi in profundum Inferni demersus fuero, inde potens est misericordia tua liberare. His, & similibus salutaribus verbis, ac monitis, per aliquod temporis spatium ægrotum adhortatus in virtute sua (vt erat potens in opere, & sermone) Dominus Abbas Henricus, tandémque iniuncta salutari pœnitentia; factáque absolutione, dimisit eum, seque recepit in Dormitorium. Vixit tamen hora transierat, & ecce denuò sollicitante infirmo, Abbas ad eum vocatus, qui sine mora venerit. Ad quem sic ait infirmus: Obsecro te, Domine Pater, miserere mei, & ora pro me misero peccatore: quia modò, postquàm tibi loquutus sum, ad loca pœnarum reductus sum. Vbi etiam significatum est mihi, quondam propter confessionem, quam, miserante Deo, feci, & propter pœnitentiam, quam accepi, per gratiam Dei liberandus sum ab æterna damnationis voragine, in purgatoriis tamen suppliciis scelera, quæ commisi, & omnia peccata mea vsque ad nouissimum quadrantem exoluturus sum. Hactenus ibi: & paucis interiectis:

Itaque Religiosus, & pius Pater Henricus tantam diuinæ bonitatis abundantiam super tanto peccatore vehementiùs admirans, & tanquam bonus pastor ouicula, perdita quidem, sed inuenta congratulans, facta denuò absolutione, pœnitentiáque iniuncta, infirmum, & pœnitentem tenerrimo pietatis affectu gratia Dei commendauit. Qui etiam infirmus erante Abbate alacrior factus, & ex ipsa vultus serenitate statum suum melioratum esse significans, rursum obmutuit: & post modicum interuallum in pace quieuit. Ita Conuersus à supplicijs æternis liber, à temporalibus ex parte etiam redemptus, oratione Henrici, quos terruerat, consolatus est, experimento proprio discens, & docens, quàm pium Patrem, quàm potentem haberent apud Deum intercessorem. Sed de his satis: nunc ad magnum Eskilum, Primatem Daniæ, infulis abdicatis, patriáque; ex Magistro discipulum, ex Imperatore Tyronem, atque sub nouo Claræuallis Abbate Monachum, insigni planè exemplo, transeamus.

---

1. *Tertius Eskili aduentus in Claramuallem*, 2. *fortuna viri varia*: 3. *liberalitas, & zelus pro Religione.* 4. *Apostolatus per se ipsum*, 5. *& per creatos Episcopos exercitus.* 6. *Anathematis ab eodem lati mira efficacia.* 7. *Coniuratio nepotum, & eius dolor: demum constantia, & prudentia aduersùs Principem.*

CAPVT V.

1. SVB finem huius (vt scribit Baronius) anni, Venerabilis, & Deo dignus Eskilus, Danorum Primas, laboribus iam fractus, & senio grauis, eóque ad episcopalem curam minùs aptus; sed multò magis desiderio solitudinis, & solius patriæ cœlestis amore flagrans, cùm iam Bernardum, cùm Robertum, Patres obstantes non haberet, per quos hactenus steterat, quominùs cunctis spretis, Monachum ageret, tandem Archiepiscopatum, Primatiam, & Legationem Sedis apostolicæ, patriam, propinquos, amicósque deseruit, & tertiò remeauit ad Claramuallem ibidem consummandus felici obitu; atque inde quod mortalis minùs potuit, glorioſus cum amicissimo Bernardo, cum Roberto, atque aliis surrecturus. De hoc aduentu hoc habet Exordium magnum [a]: *Itaque commendans Ecclesiam, cui laudabiliter præfuerat, Deo, & Principibus terræ, relictis parentibus, propinquis, notis, & amicis, ipsi cessiti patrio valedicens, exul egregius Claramuallem venit, sepulcrúmque B. Viri, intimi quondam amici sui, visitauit, & ad sacratissimam tumbam ipsius viuere, & mori delegit, vbi etiam Sacra Religionis habitum, Deo donante, postmodum suscepit: neque enim minùs in defuncto, quàm olim viuente confisus est. Quippe quem post mortem carnis veriùs viuere omnino non ambigebat.* Hactenus Exordium. Cæterùm nos illustris Sancti Viri iam Cistercienſis, genus, mores, & acta perstringemus.

a lib. 3. c. 29.

2. Patria Eskilo Dania; genus regium, parentes clari, nepotes Regum æmuli (Carolus, & Canutus) adolescentia in principio ætatis lubrica; sed post redemptam promissione facta vitam, imò & animam, quod b *tom. præced.* suprà memorauimus [b], constans, atque ad arduа quæque superanda procliuis fuit. Sponsa prima, Ecclesia Roskildensis, in qua Ericum Regem sibi infensum aut fecit, aut habuit: & quamuis semper aduersa fortuna vsus, regiam potentiam constantia superauit. Huic successit Lundensis, nec sine æmulis, quorum alterum ne promoueretur, alterum iam promotus expertus est. Sed reportata victoria de vtroque; primum, cuius aut nullum, aut leuius crimen, inferiori contentum; secundum, qui atrociùs deliquisset, seuera morte mulctatum vidit, & doluit, quo erat miti animo, atque omnium iniuriarum contemptore. Eo in Lundensem Pontificem assumpto nationalem Synodum Lundæ celebratam, Danicarum rerum Scriptores memoriæ produnt [c]: cui præter Daniæ, Norwegiæque, & Sueciæ omnes Episcopos, affuisse alios tradunt, pietate, & doctrina illustres viros; vnà cum Teodino Cardinali, qui tum Legatum agebat in illis partibus. Inde zelo, & constantia Viri cognitis, Legatia illi coniuncta, quam per Prouinciam Daniæ, Sueciæque sub Alexandro III. cum magna Ecclesiæ gloria est assequutus. Hinc variæ in ipsum Regum offensiones, obsequiáque pro rerum, atque occurrentium occasionum vicissitudine: hæc vt virum in Regno potentissimum sibi conciliarent: illæ, vt obsisterent, si quando fortè contrarium experirentur: & erat Viro zelanti pro Dei gloria, & libertate Ecclesiæ, Principibus frequentiùs resistendum. Extat epistola Bernardi Patris, ad ipsum aduersitatibus eius condolentis [d]: *Inde est* (ait) *quòd auditis tribulationibus vestris, eas non solùm meas feci, sed & inueni. Qui non possum, se dolente, non dolere, dulcissime Pater; nec nisi molestus, & anxius tuas molestias, & anxietates audire. Tangit, & angit cor meum, quicquid tuum exasperat, & quicquid illud sit, quod te persequitur, non solùm te persequitur, sed me tecum.* Extant & aliæ ad eundem Petri Cellensis prosperitatibus ipsius congratulantis. *Vidi illum*, ait, (scilicet, Eskilum) *supra nubes ambulantem, & vsque in densissimam altitudinem euolantem. Quis gloriam illam, quis potestatem, quis dominationem, quas rerum omnium opulentias, quas erogationes, & donationes tam largas, tam immeneras enarrare sufficiat.* Sic ferè Eskilus nihil vnquam medium in fortuna inuenit: sed, quæ congenita magnis vitis sors inter extrema frequentiùs fluctuabat.

d epist. 114

3. Authores Dani pro suo quisque affectu commendant, aut condemnant eius actiones. Saxo Grammaticus non paucas, neque obscuras in deteriorem partem interpretatur: Krantius non solùm excusat, verùm extollit. Ioannes Magnus inter sacrilegia Danorum ponit [e]: *Quod Sueno Rex properantem à Lundensi urbe Eskilum Archiepiscopum subsequutus comprehendit, captúmque, quia publica custodia non suppetebat, sub excelsam Laurenti ana Ædis testudinem, in corbe, perinde ac gallum gallinaceum attollerit; eique templum ergastulo fecerit.* Sunt tamen aliqua, quæ omnes in viro laudent, ingentem animi liberalitatem, & zelum extendendæ religionis. De prima Petrus Cellensis, eius temporis Author, hæc ad eundem [f]: *& quidem malim dicere in dando vos pluere, quàm seminare. Nam, qui seminat, primùm in spe percipiendi fructus seminat; deinde non fundit, sed spargit. Postremò, non nisi culta terra semen suum credit. Horum nihil imitatur pluuia: sed se ipsam, vt sic dicam, perdit in terræ visceribus, vt postea resurgens cum maxima frugum prole afferat fructum centesimum, sexagesimum, & centesimum.*

e de gestis Sepimæ dialo. 8.

f lib. 1. epist. 23.

c apud Isaacum Pontanum, lib. 6.

centesimum. Aliud rursum charitatis indicium in pluuia reperio: quia sine deiectu rigua fœcunda, & infœcunda; fertilem agrum, & sterilem; granum electum, & germen reprobum. Sic per pluuiæ metaphoram amplissimam Petrus Cellensis Abbas indeficientes largitatis Eskili thesauros, à quo nullus immunis, significabat. At de zelo extendendæ Religionis hæc in
g lib. 3. c. 25. Exordio magno scripta lego g: *Dabat autem operam* (scilicet, Eskilus) *Paganitatis ritus, quibus adhuc in magna parte terra illa imbuta erat, radicitus extirpare: & Christiana disciplina moribus omnes salubriter informare: superbientes, & contemnentes vltionis mucrone ferire. Ita denique zelo iustitiæ armatus, noxia quaque, & superstitiosa eliminare, & omnia saluti animarum profutura genti suæ providere satagebat, vt à nullis retrò temporibus nullum in Metropoli illa Antistitem sedisse putemus, qui tantum in Ecclesia Dei fecerit fructum, quantum fecerit ipse.*

4. Consecrabat Episcopos, sustentabátque, & destinabat ad opus Euangelij illius Prouinciæ Apostolos futuros. Legitur adhuc epistolà Cellensis, qua Fulconem transmissum ad hoc negotium Eskilo eidem
h lib. 6. epist. 15. commendat in hæc verba h: *Sanctus iste Episcopus, Dominus Fulco, quem per Euangelium in Christo ego genui Monachum, & vos Episcopum, de magnificentissima liberalitate vestra Deo gratias nobiscum refert, exponens, quod sustentamentum vitæ, & peregrinationis suæ vos habet, & semper habiturum confidit. Scitis, Domine Pater, quam dura Prouincia sortitus sit, & quod animam suam in manibus suis posuerit, potius mortem semper expectans, quam longum vitam. Scitis etiam, quia qui Prophetam in nomine Prophetæ recipit, mercedem Prophetæ recipit. Vnde remittimus eum ad vos, & commendamus eum Deo, & vobis. Retinuimus eum, siquidem malo tempore: remisimus autem bono, & congruo, vt visites messem, priùs matura sit ad metendum, an immatura ad laborandum. Manum suam siquidem misit ad aratrum ope vestra, & opere ad Christianitatem dilatandam, & horrea Dei fertiliori segete implenda. Vestrum enim, vestrum est, quicquid incrementi prouenerit ex labore ipsius: quia & de vestro vixit, tanquam operarius Dei, & vester, & ad gloriam vestram respicit, atque coronam, quodcunque Christo acquirere potuerit. Non igitur obturandum est os boui triturantis, neque palea subtrahenda.* Sic Petrus ad Eskilum pro Fulcone, cui alios similes Euangelio plantando, Paganismo euellendo destinatos ab ipso nequaquam dubium.

5. Certè quod ad Fulconem spectat, quanta vir Dei Eskilus Archiepiscopus gratia cum & susceperit, & fouerit, quantùm promouerit igneum illius zelum, & quem semel iniunxerat, ad gentes Christum adhuc ignorantes, Apostolatus; testatur idemmet Petrus
i lib. 8. epist. 29. S. Remigij Abbas in alia epistola i. *Suscepit*, inquit, *grates referre vobis pro beneficiis Fratri, & amico nostro Fulconi Episcopo collatis, & quod obsequium suum tantus Dominus tam indigno Monacho litteris suis perrexit: sed peccatum reputo falsa dicere, nihilominus & vera tacere.* Et paulò inferiùs: *A multis retrò annis, Pater charissime, de vestra nobilitate, & industria plura audiuimus, & quod feruentissimo zelo, qua Dei sunt, in vobis, & in aliis augmentare studeatis, tenuissima hoc didiceram: sed cumulù veritatis, & certitudinis adiecit charissimus noster, & vester Fulco Episcopus.* Hic in negotiis fidei zelus Sancti Pontificis: hæc dilatandæ Christianæ pietatis, per vniuersum Orbem, voluntas fuit.

Cæterùm, qualiter hunc ipsum viri zelum Christus promouerit, nec solùm pro Paganis, sed pro fidelibus, qui more paganorum obdurati, torperent in vitiis, nec eius monitis, ac præceptis obtemperarent: patendus satis euentus palam fecit, familiæ ab ipso anathemate percussæ, cui repentina statim mors sequuta. Vtranque simul lucem perpetuò abstulit Rem prodit Author Exordij Cistercienſis, cuius hæc verba k: *Dominus autem ob illius honorem, & amorem cuncta faciebat, ciuibus voci suæ dare vocem virtutis, & quos hic anathematis vinculo innodabat, ipse terribili morte vulnerabat. In tantum vt adulterum quendam diuitem, ac potentem, quem Venerabilis Sacerdos in Cœna Domini publicè excommunicauerat, in ipsa sacratissima nocte Dominicæ Resurrectionis cum adultera, & duobus filiis ex adulterio natis, malignus Spiritus crudeliter suffocatum ad Inferos æternaliter puniendum detraheret.* Hæc breuis vitæ Eskili descriptio, morúmque, aduentum vsque ad primum in Claramuallem. Reliqua vsque ad secundum superiùs vidimus, quæ post secundum vlteriùs prosequemur.

6.

7. In reditu nepotes obuios habuit Carolum, & Kanutum, queis Benedictus Frater, licèt ex pellice, coniurationis antèa præconceptæ, & impulsor, & proditor Eskilo ingentis mœroris occasio fuit. Vt inde corporis, & animi ægritudine anteuertens senectam euidenter ostenderit, quantùm animi passionibus corpora subsint; & rursus quantò incurabiliores illorum morbi, queis nulla prorsus subueniat medicina. Sed hæc Saxonem loquentem audiamus l: *Eodem* (ait) *nuntio Kanutus, & Carolus per Benedictum acceptos, sacrè Ripensium vrbem egressi, conscensa apud Randrusium naui, Præfectum Gothiæ Birgerum propinquitatis fiducia petiêre. Adeò illos maligna conscientiæ vis, securitate defectos, subito pauore quati coegit. Quorum profectionem Eskilus, tum propriam, tum nepotum fortunam miserabilius quæstus, infinita ægritudinis molestia prosequebatur, ob cuius magnitudinem lingua debilitate contracta parum vocalis euasit.* Hactenus redundantis in corpus mœroris animi manifesta indicia, imò effectus. Nunc in ipso mœrore prudentiam viri, & restitutam Medicorum ope vocem; sed non lætitiam, cum eodem Saxone prosequamur.
l lib. 14.

8.

Quem (id est, Eskilum) *Rex ad se Vvibergi venientem iucunda admodum fronte suscepit, ne quid suspicionis in eius aduentu reponere videretur. Quam Regis moderationem Pontificis prudentia æquauit. Supplicem enim pro nepotibus vocem mittere non sustinuit, quo magis se ab insidiarum suspicione alienum efficeret: ne verò eorum culpa affinis, quos precibus seruare cuperet, existimari posset, consultius arbitrando taciturnitatis argumento maiestatis suspicionem vitare, quam offensam pro noxiis supplicando contrahere. Cui postmodum Scaniam profecto, opportuna Medicorum industria debilitate vocis opem redintegrauit. At mentem eius ingenti curarum æstu obsitam, ægritudine vacare nepotum proprio spiritu charorum fortuna passa non est. Adeò facilius corporis, quàm animi differimina vitantur.* Pergit deinde de procurata reconciliatione nepotum, neque obtenta cum aliis, quæ à reditu viri à Claraualle, vsque ad dimissas insulas, & gloriam mundi spretam, interceſsêre; ex quibus illustriora nos decerpsimus. At qualiter se cunctis abdicauerit, & tandem Monachum in Claraualle induerit, sequenti capite latiùs referendum.

Digitized by Google

1. Eskilus reditum ad Claramvallem parat: 2. Vvaldemaro ante alios secretum pandit: 3. alloquitur populum, 4. & quæ curauerit incrementa diuini cultus, continuanda recensèt: 5. mox Regem adit. 6. Missionem sibi à Romano Præsule indultam legit. 7. Itémque ius eligendi successorem. 8. Absalonis pro ipso designatio, 9. & resistentia 10. non facilè vincenda. 11. Eskili discedentis munificentia.

CAPVT VI.

1. QVÆ pluribus de Eskili abdicatione scripsêre antiqui, Baronius ad compendium redegit his planè verbis [a]: *Eskilus, venerandus senex, Lundensis Ecclesiæ Metropolitanæ diu perfunctus munere Archiepiscopi, & apostolicæ Legationis fascibus oneratus, vt quiesceret, illud ab eodem Alexandro Pontifice impetrauit exorsit, vt litteras scriberet, quibus significaret, concedi sibi a Pontificatu missionem, atque depositionem Legationis amplissimæ dignitatis, quam, cui vellet, conferre posset: ipsum verò monasticum posse habitum obseruantiæ Ordinis Cistercienſis suscipere, vt sic post labores sibi vacans diem paratus expectaret vocationis ad Deum.* Ita Baronius, qui etiam addit designatum ab Eskilo Roschildensem Episcopum Absalonem, Virum sanctissimum, in quem omnium suffragia conuenirent, ipso solo abnuente, & recusante; sed tandem per Alexandrum, Summum Pontificem, ad quem appellauisset, constringendo. Tum verò Eskilus omnibus peractis, quæ eius possent præsentiam desiderare, Rege, & Principibus affectuosiùs contalutatis, lacrymantibúsque, & dolentibus tanto se Patre destitui, adhuc viuente, dilectæ Daniæ æternum vale dixit, non vnquam amplius ad illam rediturus. Porrò, quæ singula in discessu hoc interuenerint, quid Rex, quid populus, quid Eskilus ipse separandi ad inuicem, aut gesserint, aut dixerint; quæ mutua signa amoris, & reuerentiæ vtrinque interciserint, à Saxone Grammatico descripta, quia hos Annales, & conuersionem tanti Viri proprie concernunt, in hoc capite reddam totidem verbis [b]:

a ad hunc annum.

Quibus peractis, Vvaldemarum Eskilus secreta alloquutione petitum enixè deposcit, arcani, quod ei committere velit, intempestiuam confessionem non arguat. A quo postulata sperare iussus, iam pridem deponendi Pontificatus allatam sibi cupidinem dixit. Quem tanto oneri imparem ætas viribus defuncta constituat: neque enim in fastigio se, sed priuatum, ac procuratione liberum decedere velle: præterita conuersationis habitum, monasticum mutaturum. Quem cum Rex verbis charitatem simulantibus proposito prohiberet, idque ei sine Romani authoritate exequendi fas esse negaret; habere se Summi Pontificis epistolas, per quas non solùm abdicandi honoris licentiam, sed etiam transferendi, in quem vellet, potestatem acceperit, testatus est. Huc accedere, quòd se Romanæ Legationis officio fungentem, ne Sedes successore vacua haberetur, subrogationis curam exhibere par sit. Quod dictum Rex, Asciscum ab eo Pontificem adoptari ratus, suspicione insequi cæpit, nec dubius Kanutum, & Karolum, si quid vlteriùs adnitam se conati ferent, nullum ab Auo virium contractures. Cùm diu verbis amicitiam præferentibus egisset, ad postremum votis eius annuere se dixit, quòd Romana sententia decreto obuiam ire nequeat, penes quam publica Religionis norma consistat.

b lib. 14.

2.

3. *Tum Eskilus honoris abdicationem contractorum Pontificum frequentia celebrari magni æstimans, profecturum ab vrbe Regem precari instituit, vt ipsos exacto mense secum reducat, quos non solùm sua renunciationis, verùm etiam noui Antistitis creationi interesse expediat. Quam rem prorsus silentio dignam existere, ne cognita, quemquam electionis metu dilabi cogeret. Quo concesso, statam interitu, solemnémque populorum concionem ingressus, docet, quantam subditorum charitatem fastigio functus exhibuerit, quámque benenolo studio merita sua publicus eorum fauor pensauerit. Iam verò sibi re pontificali cedere in animo esse, cuius administrationi suprema ætatis sua habitus dissidere conspiciat; ideóque se eorum curam, quam hactenus plenus pietatis officiis gesserit, diuino mandare præsidio, cæleſtisque sibi militiæ fide deinceps, huiusce generis nexum remittere: super hæc omnia alienis delictis veniam dare, propriis petere, vniuersos etiam discessum suum piis precibus prosequi, vosque pro se exorare precatur, parem se eis dignationem repensurum politicus. Adeo autem miserabiliter in concione egit, vt eam lacrymis suffusam dimitteret.*

4. *Quæ soluta, Absalonem Silandiæ redeuntem, missis, quibus excipiretur, equis, penatum suorum hospitio vti compulit. A quo quid ita plebem mœstitia affecisset rogatus, tum senium suum, tum exilium nepotum, dignitatis sibi, patriæ, fastidium afferre respondit. Huc accedere vota religionem, qua se dudum Bernardo Clarauallensi Pontificatum vtrò cessurum, priuatámque vitam, & honoribus defunctam actuarum spoponderit. Die posterò, cùm præfati Prouinciarum Antistites in eadem Laurentij mansionè consisterent, ornamenta Sacraria armamentaria egeri, conspectuique subiici iubet, quantum veteri Altarium cultui, pristinoque sacrorum splendori noua, ac religiosa liberalitate adiecerit, in propatulo ostendere cupiens. Quibus prolatis, voce suspiriis permixta, quanta charitatis impendiis pro subditorum pace, ac stabilitate excubuerit; aut erumnis, quot periculis obsitum omne Pontificatus sui tempus exegerit, edocet. Quem ob hoc se deponere stetisse, quod ætatis suæ magnitudinem vlteriori eius functioni inhabilem sentiat.*

5. *Cuius orationem Rex respondendi officio subsequutus, eum, tametsi crebras cum Regibus simultates gessisset, Pontificis partes laudabiliter exequutum æstimat. Sua verò sententiæ resignationis eius propositum non placere, cui iam eò ætatis peruentum sit, vt malignitatis vltrò notari non debeat. Deinde eum proprio motu, an suo cõpulsu Pastoris officiũ detrectaret, fateri iubet. Tunc Eskilus directis in iram manibus iurare, & præsentia sacra testari, se non odio Regis, aut vllius iniuriæ ex eo receptæ violentia, sed peritiæ honoris fastidio, perpetuique studio huc propositi esse perductum. Grata Regi responsio fuit, cupienti vera Pontificis assertione calumniæ suspicionem vitare. Rogat deinde, an vnquam regia seueritate pœnas ab his exigere superseditset, aduersùm quos ille pontificalem censuram prior distringendam curasset. Quo nihil tale eum fecisse fatente, graui metu liberatum se dixit, veritum, ne subita Antistitis abdicatio occultam apud complures sibi notam crearet.*

6. *Romani deinde Pontificis epistola, sine cuius nutu Rex dignitatem ab ipso deponendam negabat, in commune relegenda profertur. Ea scribebatur, Romanum Antistitem Lundensi pontificalis ministerij laxationem petenti, quòd eum huic muneri perutilem sciisset, hactenus repugnasse; nunc verò precum eius perseuerantia superatum, ætati ipsius, assiduoq; languori petita rei licentiam detulisse. Cuius authoritati Rege refragandum negante, sua sede exurgens, virgam, annulúmque, præcipua Pontificalis Sacerdotij insignia, Altari imponens, perfectum*

profectam fuit muneris abdicationem agere protestatus est. Cuius facilitati, ratione horum allatibus chortæ, silentium ne murmuris instar reddentibus ædes repleta.

7. Tertio Eskilus, qui Regni Clerum excussus sedi, Sciens a se relicta successorem a Rege circumspicere rogatus, comprobata monitoris industria, aliam Romanæ dignitatis epistolam explicat, qua sibi legationis habenas tenens: subrogandi Antistitis arbitrium mandabatur. Ea patricius, potestatem, quam ipsis indulgentia Romana detulerat, ad eos, quibus eligendi ius esse consueverit transferre se dixit, quod vitro iure suo cedere, quam alienum offendere malit, ne Ecclesiam, pro cuius maiestate tuenda semper excubuerit, consueto libertatis beneficio fraudare videretur. Tunc iisdem, uti consilium suum exponeret, obsecrantibus, Regéque Cleri postulationem sub plebis nomine, cuius se partibus proloqui referebat, consentaneis precibus prosequente, sententiam suam inter diuinam humanamque charitatem fluctuari asserit, quarum alteram tacendo, alteram loquendo offendere posset. Dei namque nutum exasperaturum se esse, si illius, quem huic maxime regimini idoneum scisset, indicem agere supersedisset. Si verò hominem huius officij gnarum, Pontificisque partes alibi laudabiliter exequutum, sed & pro patria dicendi audere solitum minuparet familiaritati, & propinqui gratiam violaret, quem huius honoris oblationem auersari non dubitet. Tunc cunctis, quisnam ab eo destinaretur animo perpendentes, solam vocabuli certitudinem flagitant, & ille, Roschildensem, inquit, Antistitem mihi propinquitate, vobis opinione notum designo.

8. Igitur compluribus herè Ecclesiæ consultum acclamantibus, exurgens Absalon maiorem hunc fascem, quam ut humeris sibi imponi debere, referat nullo se pacto ad deferendam Ecclesiam adduci præfatus, quam arduissimis rei Danicæ temporibus sibi creditam, ad eminentem fortunæ habitum summa animi, corporisque fortitudine perduxerit, cuius ne non suum externum hostem armis submouerit; sed etiam ceteram, atque hereditariam pupertatem felicibus eorum incrementis mutauerit. Tum hi, quibus suffragandi ius erat, ab Eskilo tertium hortationis incepit, & cuinam offici sui partes cedere vellent, vocati, partibus in Absalonem vocem promentium, adeóque concordes suffragiorum voces miscent, ut nihil in his diuersum, aut dubium reperires. Nec oris officio contenti, manu comprobant ad Sedem, quam ei voce detulerant, pertrahere conantur. Nam primus Eskilus iniecta in eum dextera, exemplo ceteris idem audendi fiduciam tribuere videbatur. Quid etiam? vt mos est, eunctorum eversis, celebrem electionis ordinem de Choro plaudendi Officio prosequuntur. Quorum plenum venerationis consensum populus ingenij alacritate ripudians, sero cantilenæ genere æmulabatur, gloriosis Clericorum vocibus, aliquid honorifica modulationis addicere gestiendo, personantibus aliis, desuper sibi tranquillitatem cælitum. Adeo in eligendo tota multitudo vnam benevolæ suffragationis vocem habuit.

9. Ille verò trahenti se nubis fumus corporis cæcitate obtulerat, complures volubiliter impulsu proprio locorum petere coegit. Absalon quoque exuuiis non terni detrusta, diuinum res ad vim & vitam Ecclesiæ promouendam, permissum sibi principatum exercendi. Non inficiabor. Igitur Absalon ad Sedem pontificali habitu consecratus, plebis violentia perducitur, in ea collocatus pontificum est, nec ulla ex parte contentio exoriri potuit. Quæ celebrem eruit ab Eskilo, nec ab Vualdemaro obtinuit, diuinidus honoris tardandi cupidi. Sed ut primum sensit Ecclesiæ maiestatem nobilitatis ornamenta perfundere, imperata loquendi copia, ad omnes ordines proficiscitur. Cui nunc primum obsequiorum primitias

tur, validissimum repugnationi suæ tutamentum adiecit. Rapuisset à vita dignitatis beneficium, nisi quo se tanti Sacerdotis tribunal ingressisset. Nicolaus Roskildensis, Chori socius super irrogata Antistiti violentia parem appellationis vocem edere cunctatus non est. Tum Eskilus, aliquantò concussior, certissime se suffragatorum partibus affuturum dicebat sensuum Absalonem suæ, an illius vota plus momenti Romæ sint habitura. Hinc Missæ studium datum. Quæ peracta, benedictionem Eskilus Absalonis ministerio præstare præcepit. Hac usurpatione, cum electionis assensorem efficere gestiendo, se iam cunctis Pontificatus partibus defunctum huic ministerio congruentia amplius exequi non oportere præfatus. Quem Absalon, si nec si pontificalia deposuerit; Legationis tamen iure benedicendi prærogatiuam retinere dicebat, neque ad inferioris potentia viros, debitum fasti in suo munus relegare debere. Ea Absalonis verecundia, fervem voti cupidum, neglecta dignitatis suæ meminisse coegit.

Alio quoque moderationis genere, repugnationis eius perseuerantiam idem labefactare tentauit. Siquidem in cubiculum deiectum cùm precibus perflectere non posset, genibus nixus plenis supplicationibus, lacrymis aggredi conatus est. Profecto vacuis tertium irritamenti modum, quis electi mentem ad sanam sententiam adducere, excogitauit, incertum relinquens, vtrum inuocante, an resistente perseuerantiæ conatus extinxerit. Siquidem equites suos munero, & amplitudine insignes ad eum direxit, militari fide se eius partibus obligaturos. Quorum Absalon scandalum repudians, se prorsus in honorem, eorum obsequij dignum, consensurum negabat. Qua demum constantia cuncta Eskilus, ne supellectilis, quam Ecclesiæ reliquere statuisset, obscurior depositio foret, eandem in arcanam vestibuli partem abducium instare tibi hortari cæpit, vti, saltem oculis, eam subiicere dignaretur. Sed, & hanc quoque sollicitationis partem superiorum victor mire despexit, ne qui gloriæ tentamenta calcasset, quæritia irritamentis succumberet. Quamobrem Eskilus ira accensi creditus, nihilo se bonorum, quam cogitauerit, inquit, sacris, atque domesticis exsibus relictorum, ipsumque tam stolidæ pertinaciæ quandoque damna sensorum.

Aureo deinde pileo Regem, Absalonémque simili 11.
munerauit. Præterea animum exuuiis indonatum reliquit, apud patriam sibi præclaræ liberalitatis monumenta creare cupiens. Varia quoque vectigalium debilitate perstrictus, ad pristinam etiam igne (quem sacrum vocant) quadam corporis parte resipiscentis abscedere maturauit, perinde ac diuinitus iniecti sibi supplicij cruciamenta fortitus. Quem cùm Absalon Scanis excedentem Castelli sui hostilia exercuisset, séque tanto pedum frigore teneri, vt nullo quidem capere non posset, conquerentem audiret, calidam lacernulam cistulæ crebris foraminibus distinctæ inclusam planis applicuit, eóque fomenti genere præfrigido seni patientem quietis calorem restituit. Cuius medicamenti beneficium hunc Eskilo gratius fuit, qui ab artificis charitatem non scientia, aut professione vsurpauit. Qui cùm Absalonis nauigio, omnibusque Siellandiam petentibus, secum ab eodem sibi pro munere clipeum fabricare recusasset, præfatus se deinceps nullum insignium eorum, sum laturum. Idem cùm Regem Siellandiæ in ponte obuium comperisset, ita corporis debilitate stantis, vt a pleriſque examinis putaretur. Recreatus tandem, frequentique vate vtens, ut præsentes lenitate exsultans, inter fidelis animum voce plausit, & ipse curriculo per Absalonem fruitato, cum prorsus equitandi impatiens foret, quo nollis celeretur, ingressum. Cuius sicuti discessum amicorum nullus ipsum alacritas non sensit, perinde ad suum,

lacrymis prosequuta est. Hactenus de discessu Eskili. Sanctus cuncta in deteriùs vertens, pro suo more; siue Sancto Pontifici infensus; siue, quod præfero, Lectori conciliando, quem nullo alio hamo faciliùs Authores capiant, quàm si cuncta in obliquum interpretentur. Pergit deinde de Legatis Romam transmissis pertinaciæ Absalonis coërcendæ. Qui iam inuenerint virum in Claraualle, pauperem Monachum; sed neutiquam minùs reuerendum.

---

1. *Eskili Monachatus in Claraualle.* 2. *Petri Cellensis ad eundem virum epistola* 3. *De eius admiranda conuersione*, 4. *& nouo vitæ genere instituto*; 5. *fragmentum alterius.* 6. *Eskili à rebus terrenis abdicatio*, 7. *& mira de fraternis Manibus visio.* 8. *Visitatus à Legatis Danorum Regis, pro quibus etiam ad Pontificem scribit.*

CAPVT VII.

1. ITAQVE venerabilem senem, quondam communem Patrem multarum gentium, Claræuallenses in socium, fratrémque, Henricus Abbas in filium susceperè: ac monachali, id est, vili sago indutum inspexit Gallia, quem Dania, & Suecia in ostro refulgentem, quem iura dantem Regibus, & Regnis; cui populum, cui Clerum, cui Principes subesse conspexissent. Extat ad ipsum elegans epistola Petri Abbatis Cellensis, cùm Monachum tum primùm induisset, qua Viri gloriam, dignitatésque spretas pro Christo, tum vitam pauperem, vigilias, & labores senis emeriti, nec minori remuneratione dignos, quia tardos tempore; quin gloriosiori mercede coronandos, quia promptos animo, atque ab excelso throno descendentes, solita sibi depingit verborum copia, & clausularum flosculis, quos nefas esset in præsenti præterire.

2. Incipit autem Petrus à se ipso, mox ad Eskili glo-
lib. 7. epist. 7. rias transiturus, atque ecce epistola [a]:

Lundensi Archiepiscopo Petrus Abbas Sancti Remigij.

De duobus oculis meis, alterum ad me retineo: alterum frequenter ad vos, Pater, & Domine charissime, retorqueo. Qui meus mihi remanet, quid in me videt? Certè plura, quibus condolet, quibus illacrymatur, quibus vsque ad effusionem nimiam turbatur. Certè reptilia, quorum non est numerus: certè gentem illam nefariam, quam Ezechiel vidit depictam in pariete domus, quem iubente Domino effoderat. Ad vltimum, quædam ineffabilia, non profunditate mysterij, sed enormitate corrupti animi. Sed, quando ista cernit oculus? Quando incuruatur ad suas faces reuoluendas: quando lucernam accendit, & euertit domum, quærens drachmam perditam: quando scissuras in muris Ierusalem, & ruinas respicit, si fortè cum Zorobabel, & Esdra reparare licitum sit.

3. *Occurrunt vestigia eruca, locusta, bruchi, rubiginis, quæ deuorauerunt vniuersa speciosa deserti, pilosi onocentauri, vlula, simiæ, & omnis generis phantasmatum grandis syluæ. Si quando autem idem oculus sursum palpebras erexerit, & cælum aspexerit, videt Dominum innixum scalæ vocantem, & expectantem malè soporatum, & dicentem:* Surge, qui dormis. *&*, Exurge à mortuis. *&*, Lazare, veni foras. *&*, Adolescens, tibi dico, surge. *&*, Puella, surge. *Porrigit quoque manum Petro naufraganti, occurrit in via Saulo spiranti minas, & cædes in discipulos Domini: prodigo filio reuertenti stolam, annulum, & calceamenta restituit, conuiuium, & vitulum immolat, & misericordiarum suarum syluam condensam fugientibus, & erepti de laqueis ferreis ad sese refugiendum offert. Huiusmodi collyrio relenatur turbatus de se ipso ad se ipsum oculus. Iam illum conuenio oculum, qui de vobis amicabiliter sollicitus, lustrat vias nostras, & studia ab adolescentia. Dic mihi, bone oculc, de amico nostro, quod occurrit, quod sentis, quod intelligis. Non sine multa fatigatione, inquit, gesta eius recolo, quia aliquando vidi illum supra nubes ambulantem, & vsque in densissimam altitudinem euolantem.*

4. *Quis gloriam illam, quis potestatem, quis dominationem, quis rerum omnium opulentiam, quis erogationes, & donationes tam largas, tam diuinneras enarrare sufficiat? Quis enauigationes, quis marina pericula, quis insidias magnorum latronum dicat? Tandem Lucifer ille, qui manè oriebatur, qui inter astra Dei solium gloriæ, & Archiepiscopatus tenuerat, non sicut fulgur de Cælo cecidit; sed sicut filius hominis semetipsum exinaniuit, formam pauperis assumpsit, Principis mundi exulas reiecit, vt si Laban Iacob insequutus fuerit, idola sua apud ipsum non inueniat, & cum Domino, saltem cum B. Martino dicat: Nihil in me reperies, inimice. Ecce sic humiliatus in Claraualle, spicas recolligit post terga metentium, non glorians de labore, sed se humilians de impossibilitate. Voluntate quidem currit, & charitate cum prioribus, & iuuenibus sed ætate, & infirmitate sortem habet cum nouissimis, vt sit nouissimus vocatione, primus remuneratione; quia apud Patremfamilias, cuius vniuersa via misericordia, & veritas, non est potior remuneratione, qui prior tempore; sed prior denarij acceptione, qui posteriùs labore, & tempore.*

5. *An non ita est? Planè hoc probat veritas, quæ priùs latronem de cruce transtulit in Paradisum, quàm Principem Apostolorum Petrum; cui tamen dederat claues Regni Cælorum. Pietatis est, parum de meritis præsumentem suscipere: securum verò, si necesse sit differre, & citiùs trepidantem à timore excutere, quam iam scabrosum admittere. Ecce, Pater amantissime, vt credo, non me fefellit oculus meus. Hac enim eadem prater illum multi alij de te mihi dixerunt. Sit itaque pax cum spiritu tuo, sit anima tua cum Deo meo, sit melior finis orationis, quàm principium: quia omnis laus in fine canitur. Totus sum vester.* Hactenus ad Eskilum Petrus Cellensis, cuius item epistola alia extat ad eundem de ipsius Monachatu; cùm, quem præsens videre minùs posset, alloqueretur stilo, atque humillimè ad Deum pro eo funderet preces: in qua hæc inter alia satis modestè; sed non ideò minùs satis sublimiter [b]: *Ecce substantia Domini mei Lundensis, quondam Archiepiscopi, nunc pauperis Claraualensis, per manus pauperum tuorum apud te est. Repende ergo ei vicem, & da ei substantiam tuam, qui tibi dedit suam; tamen quam tu dederas,*
b lib. 2. epist. 1.

quam

quam à te acceperat. Amantissime Pater, non dormit, neque dormitat in recordatione vestra cor meum: clamat, pulsat, státque ad fores nostras, Quando, inquiens, videbo, quem desiderat anima mea? Quando veniam, & videbo illum? Via longa est, pedes vix mouentur, renes congelauerunt; & quomodo longè positus amicum videbitur? Quærendum ergo remedium, vbi primum deest solatium. Pergere nequeo, scribere saltem valeo. Cernere non potest oculus, alloquatur stilus. Curret in membranis littera: quia in membris suis retardatur corporalis præsentia. Referat charta, quod non potest lingua: suppleat imago mortua, quod non valet viua, & vera. Syllaba fortunam nostram nuncient, quia eloquia oris nequeunt: desidero vos videre. Pax Christi, & gratia Dei vobiscum semper. Saluto Capellanos, & Pvforem, Dominum Gaucherium, & Dominum Antisiodorensem Episcopum, & Philippum, & omnes amicos nostros. Hæc ille.

5. Verùm Eskilus qualem vitam egerit sub Sancto Enriquo degens in Claraualle, qualitérque pro reuerentia sua, & viuis, & defunctis interpellandus, nec minùs exaudiendus à Deo, quàm ab hominibus, ex ipsa noui status abiectione, maiorem sibi gloriam comparauerit, partim ex Authore Exordij, partim ex Saxone Grammatico, propriis vtriusque verbis accipiat Lector. Primò autem de feruore S. Viri, quo se Deo per omnia consecrauit, hæc in Exordio [c]: *Quanto ergo ab ecclesiasticis, & secularibus negotiis secretiùs vacabat, tanto sanctiùs diuinis obsequiis intendere curabat: deuotioni sacræ, & orationi quotidie, imò penè continuè sollicitus imigilare: pro peccatis suis præteritis myrrham cordis contriti, & spiritus humiliati Deo offerre, & gratiam superne benedictionis thymiamate pia compunctionis enixiùs implorare.* Hæc de perfecta vita Viri Dei. Verùm, quanti apud Deum meriti fuerit, supplicis fratris Manes indicarunt, qui purgatoriis ignibus cruciandi per longum tempus, visibiliter ei apparere permissi sunt: cuius precibus, suffragiísque, tanquàm per pium, & potentem intercessorem, à reatu pœnarum exoluerentur. Audi, quæ idem Author statim subdit [d]:

7. *Quadam igitur vice, dum in Oratorio suo solus existeret, apparuit ei vigilanti, & oranti quidam frater eius vterinus, qui olim defunctus fuerat, quique hostili gladio trucidatus occubuit, & morte præuenius Viaticum non accepit. Hic autem, dum adhuc viueret, eundem Archiepiscopum aliquando iniustè offenderat, nec ei ante mortem reconciliatus fuerat per satisfactionem. Cúmque venisset ante illum, demisso capite supplicitur se inclinabat quasi de offensa veniam postulans, aut etiam orationum suffragia flagitans. Steris ergo aliquandiu coram eo, nihil penitus dicens, nisi tantùm humiliato capite, calamitatem, & necessitatem inuens. Sed nec Archiepiscopus quicquam loquutus est ei: quia præ timore, & admiratione nimia, & mente turbatus, & sui minime compos erat. Verumtamen ex eodem mortuo nihil aliud agnoscere poterat nisi caput, & collum, ac summitatem scapularum: reliqua namque pars corporis ita arderè videbatur, vt nulla penitùs in eo membrorum lineamenta discernere posset; nec quicquam aliud cernere nisi flammam, qua totum eum occupauerat. Cúmque aliquandiu sic miserabilis ille apparuisset, tandem ab oculis eius sublatus est: sed fraternam animam super angustia sua magno dolore contenebratam reliquit. Qui etiam posterâ die veniens in Capitulum Monachorum, multa Missarum, & orationum impendia pro eodem mortuo impetrauit.*

Hæc satis indicant Eskili in probatione feruentem spiritum, ac piam, atque Deo placentem conuersationem. Sed nec amisit gratiam apud homines, venerationémque, quamuis se ipsum pro Christo exinaniuerit. Saxo Grammaticus, quem retuli superiùs, author est. Cùm Absalon, quem sibi ipsi sufficisset, omninò renueret, nec onus sibi iniunctum acceptaret, missos à Rege simul, & Lundensibus Legatos ad Pontificem, qui electionem ab Eskilo factam apostolica authoritate firmandam, atque Absalonem appellatione postpolita ad onus subeundum, compellendum sollicitarent. Verùm, nec hos Pontificem adiisse insalutato Eskilo, nec quicquam se impetraturos sperasse, nisi eius litteris ad Alexandrum præmunirentur: *Post hæc*, inquit [e], *Regis Legati cum Lundensibus cogendi Absalonis gratia Romam mittuntur. Qui primùm Claramuallem profecti, reperti illic Eskili epistolam, cuius ea tempestate non mediocris apud Curiam fauor vigebat, in adiumentum suæ petitionis accipiunt.* Hæc apud Deum gratia, hac apud homines præualebat Eskilus, quam æquè mortui, & viuentes, ad homines, & ad Deum, velut cunctis dilecti, sollicitarent.

[a] lib. 3. c. 25.

[b] Ibid.

[e] lib. 4.

---

1. *Valeria vrbs erepta à Sarracenis*, 2. *dolo, an virtute dubium.* 3. *Ditauit Monasterium Montis Salutis*, 4. *quamuis neque instrumento certa fides.* 5. *Atque item Hortenses*, 6. *inter quos extant memoria certiores.* 7. *Ruandi Venetensis Præsulis mors.* 8. *Balduini in Vvigornien sem Sedem electio*, 9. *laudes:* 10. *tum Ioscelini assumptio ad Glascuensem, & Eberardi Monachatus in Vrsi campo.*

CAPVT VIII.

1. HOc item anno, post nouem tandem menses obsidionis, capta à Mauris Valeria, Regia vrbs (*Cuencam* vernacula lingua Hispani dicimus) adduxit dotem Ecclesiæ Montis Salutis. Quippe obtenta victoria Virginis meritis, & Fratrum orationibus, quibus se, & belli successus commendasset, Alfonsus Rex donauit nobili oppido, *Alocem* vulgò dicto, & priuilegio firmauit donationem, quod hodie etiam ibidem conseruatur. Captam hoc anno vrbem conueniunt omnes, in die S. Matthæi Euangelistæ. Captionis modus adhuc controuersus, nec qui de facili valeat determinari. Fabulæ, quàm historiæ similior traditio probat, ingressos vrbem dolo Christianos milites superinduris velleribus arietinis, atque intermixtos gregibus, quibus paruus hiatus muri pateret: & profertur Christianus captiuus pastor Martinus Alaxa, cuius consilio, & auxilio peracta res, hiatui simul, & fontibus vicinis nomen dederit. Addit & vetus traditio Montis Salutis, Martinum hunc à lupis impetitum, & dilaniandum imploraſſe fauorem S. Mariæ Virginis, ad cuius nominis efficacem inuocationem lupi mu-

tui cecidérint, atque ipse illæsus prorsus euaserit. Hinc excitatam regiam deuotionem, & quo velut incentiuo pietatis Mariæ commendassiet euentum instantis belli, eodem instrumento victoriæ vsum, introduxisse aricetes dolosus, velut equum Troianum, quorum armis vrbs tandem capienda foret.

2. Sunt, qui hæc omnia fabulosa putent [a]: & reque greges ab obsessa dudum vrbe egredi permittendos in prædam obsessoribus futuros: nec committendos captiuo Christiano à Sarracenis, quem facile transiturum ad suos non dubitarent: neque demum tam inertem custodiam vrbis iam nouem mensibus assidium hostile passæ, vt pro aricetibas homines, pro quibus leones, quos agnoscebant, hoc est, Hispanos homines, & hostes ferro accinctos admitterent, à quibus ipsi statim pellendi forent. Certè à pastore reuelatum hiatum muri, qui nostris pateret, siue Christiano, seu forte Sarraceno; sed mox ad fidem Christi conuertendo, à quo & pars muri, & fontes nomen sumpserint, verisimile est. Nec multùm fiet, si vulgus cætera addidit, innata ad fabulosa propensione, facilis veris mendacia superaddere, & reminens cunctorum, quæ supra fidem.

a *Martirizo Historia Concha c.8.*

3. Vtcunque fuerit, victoriam comparatam Virginis ope, Virgini Alfonsus censuit referendam; maximè cum per eam non multò antè ab epilepsia, qua dudum laborabat, miraculo non dubio sanatus fuisset. Itaque vtriusque beneficij grata memoria, & qua regiam decebat munificentiam, integram villam cum suis omnibus iuribus Monasterio concessit, donatione firmata hoc priuilegio:

Quoniam bona omnia præsentis vitæ caduca sunt, nec quicquam illorum, præter bona opera, permanent; idcirco ego Alfonsus Rex, qui me specialiter Deo, & B. Mariæ de Monte Saluus deuinctum confiteor, quoniam per eius meritum, ab epilepsia, qua diu laboraueram, sanus effectus sum, & de Maurís in obsidione super Conchum victoriam reportaui, atque vrbem cepi: Dono Deo, & S. Mariæ de Monte Saluis, & Monasterio, quod Annus meus Imperator Alfonsus fundauit, eiúsque Abbati, & Monachis, tam præsentibus, quam futuris, in perpetuum villam de Alorem cum terminis suis, & cum mero, & mixto imperio, & cum hæreditatibus, quas in ea ego possideo. Nolo autem, vt ob hanc donationem Abbas, & Monachi ad quicquam aliud teneantur, quam vt pro me, & pro parentibus, & filiis meis orent, atque Reges antecessores, & successores meos Deo commendent. Facta charta in Monasterio Montis Saluis, Æra M.CC.XV.

4. Hactenus priuilegium Regis Alfonsi, prout ad me ex Tabulario Montis Salutis transmissum est: nisi quòd tamen dicitur confectum lingua vernacula, quod nequaquam in vsu illius sæculi. Quin vocem illam meri, & mixti imperij, & conditionem priuilegio additam, ne Conuentus ob eam deuotionem ad quicquam aliud teneatur, quàm ad orandum pro Regibus Castellæ, faciliùs referas ad recentiora sæcula, quàm ad illud antiquum, simplicéque, in quo, vt onera exclusa à donationibus, sic exceptio superflua, nec visa alibi, vt non immeritò ipsum instrumentum suspectum fiat. Nec sine hac nota à nobis transcribendum: constat tamen de dono, atque donante: nec dubitatur de occasione donationis.

5. Hoc item bellum Hortensibus proficuum Munionis Sancij Signiferi maioris, & Comitis Petri Amalrici donationibus, illo ex decima Quintæ, quam promiserat, insignem possessionem (vulgò *de Alualadejo del cuende*) hoc tuitim Zafræ, à victo Sarraceno, sic nominatam, cum suis terminis, appendiciisque donantibus, visitato Cœnobio ante congressum, & sepultura ibidem designata, iuxta morè antiquum, cuius superiùs facimus mentionem. Extat in Tabulario Ecclesiæ Conchensis antiquum Manuscriptum, Bernardinum Herennium Authorem præferens, in quo & memoria visitati antè Cœnobij, & sepulturæ electæ, & donationis Amalrici Comitis; quin & victoriæ ab hoste Mahometano enormis magnitudinis, cuíque nullus resistere valeret; ab eodem obtentæ, continentur. Fragmentum eius, quia graue, quia authenticum, à Ioanne Paulo Martyrizo vulgatum, atque instrumentis hortensibus concordans eisdem verbis, adeóque Hispanis Lectori meo legendum proponam, illustre monumentum antiquitatis. Sic autem habet:

[a] *a hist. Concha c.8.*

6. *E auiendo conquistado la Ciudad de Cuenca, el Conde D. Pedro Manrique mato a Zafra, que era vn Moro descomunal, que tenia de oio a ojo vn palmo, e otras figuras muy fuertes, à tal que no hauia hombre, que osasse auer pelea con el, porque los matauia à todos, y este Senor Conde se encomendo à Nuestra Senora de Huerca, y ofrecio su cuerpo à la Casa, y le prometio todo lo sobredicho, y entrò en batalla con el Moro, y le matò, y despues fue al Monasterio, y le dio todo lo que suso va relatado, y se dize oy dia la Torre el Monte, que esta cerca del villar de Sa. de D. Guillen.* Hactenus in eo antiquo M. S. Porrò; quas dictus Comes Hortæ contulerit ab hoste Zafra ereptas, simul cum vita à nobis supra tradita, productis instrumentis confirmauimus.

7. Hunc ipsum annum tres Episcopi illustrarunt; alter in Galliis ad Superos translatus Ruandus Venetensis: duo alij in Scotia, Angliáque ad Sedes promoti Glascuensem, & Vvigornienfem: hic ex Abbate Fordæ, Balduinus de Voniis; ille ex Melrosiæ Iocelinus, de quo superiùs. De anno mortis B. Viri Ruandi, pauca pro suo more Robertus Montis, cui omnes alij consonant [b]: *Obiit Ruandus Venetensis, Episcopus, Vir Religiosus, Monachus Cisterciensis.* Præfuisse legitur Ecclesiæ Venetensi viginti annis, quibus haud dubium multa gessit historia digna, quæ ô vtinam sint, qui addant nostris Annalibus. Virum Sanctis Cisterciensibus annumerant, quotquot de eis scripsere. Vvionius [c], Rulca [d], & alij: ex quibus item Henriquez, Menardusque: in suis Martyrologio, & Menologio, nisi quòd ille ad vicesimamtertiam diem mentis Martij; hic ad Octobris vigesimamsecundam: nec satis constat vter certiori fide.

[b] *ad hunc an.*

[c] *lib. 3. ligni vitæ, c. 46.*

[d] *In Episcopis Sanctis Cist.*

8. Balduinus sequitur ex Abbate Fordæ in Anglia Vvigornienfis Pontifex, de quo hæc Nicolaus Arsfeldius [e] habet: *Natus humili Exoniæ loco, quem cum parentes propter facultatum suarum exilitatem, liberaliter ad bonas capessendas litteras educare non valerent, Bartholomæus Exoniensis parentum desiderio, & pueri inopiæ abundè prospexit, Præceptoribúsque dedit, litteris imbuendum. In quibus ille, cùm felici vigeret ingenio, egregiè profecit, euásitque posteà in virum, tam in diuinis disciplinis, quàm in Theologia insigniter doctum, doctrinæ, magnitudinem rerum gerendarum prudentia, & singulari eloquentia cumulauit, quæ illi in sacris conciónibus magno fuit alimento, & ornamento, eiúsque posteà, in qua natus est, vrbis Archidiaconatu ornatus est: sed ad monasticum magis ille vitam propendebat. Quare illo se Magistratu abdicans, in Cœnobio se Fordiensi abdidit: cui posteà, & Vvigorniensi deinde Episcopatui præfectus est.* Hæc Nicolaus de hominis progressu, & promotionibus: annum à Renato [f] Chopino notatum lego [g] *Anno M. C. L. XXVIII. Balduino Fordensi Abbatia ex Cistercienfium sella delatus est Vvigorniæ sit*

[e] *sæcul. 12. c. 18.*

[f] *In Monasticis lib. 2. fol. 163.*

gothensis Angliæ Præsulatus, quanuis reuerà dubium, quippe à Roberto Montis, antiquiore Authore, & pene synchrono in Appendice dilatum per quadriennium: nam anno M. C. LXXXI. hæc habet verba: *Balduinus, Abbas Fordensis, Cisterciensis Ordinis Monachus, magnæ Religionis, & litteraturæ homo, electus est in Episcopatum Vvigornien sem.* Mihi in re dubia notatum vtrunque tempus, ne verum omitterem; & priùs, vel minùs certum prælatum est, ne tanti Patris notitiam retardarem: reliqua inferiùs reddam, Deo dante, cùm dedero Richardo successorem.

2. Nunc zelum viri, & constantiam pro Dei cultu, & summam, qua apud omnes pollebat, authoritatem, Vvigorniæ ostendit, dum quendam militem capitis damnatum, atque in die solemni strangulandum, imperioso præcepto liberauit, de quo hæc idem Arsfeldius eodem loco: *Cum adhuc sederet Vvigornia, miles quidam Gilbertus Plumptonius suspendio ibidem, propter raptum admissum, adiudicatus est. Qui cùm Dominica die supplicio esset addicendus, populúsque valdè illius, quasi innocentis, necem deploraret, progressus Balduinus, cùm iam iam collo funem carnifex innecteret, ministrus Regis (quos alioqui anathemate se configere velle minatus est) mandauit, vt supplicium in illius diei honorem ad proximum reiceret. Cui, & illi paruerunt. Qua delatio reo salutaris fuit. Rex enim ei interim veniam criminis indulsit.* Pergo ad Ioscelinum, cuius minor notitia, non minùs certa.

ib. Ioscelinum Abbatem Melrosensem, cuius suprà meminimus, in Episcopum Glascuensem promotum sub hoc tempus habemus ex Actis Vitæ S. Vvaleni, in quibus hæc Ioscelinus g alter, qui compilauit: *Abbas verò Ioscelinus post aliquanti temporis spatium Episcopus de Glasgu, effectus est, Vir in multis laudandus.* Hæc tantùm ibi. At de Laurentio, qui Melrosiæ Ioscelino suffectus est, hæc, quæ sequuntur h: *Laurentius*, ait, *Abbati Ioscelino pontificanti successit in regimine Melrosensis Ecclesiæ, Vir magnæ mansuetudinis, & humilitatis, ab ipso pubertatis flore sacræ Scripturæ studiis deditus, & eisdem decenter imbutus, operibus misericordiæ, & charitatis plenus.* De hoc Laurentio apparuisse post mortem cum Vvaleno in magna vtrunque gloria assistentem totius gloriæ Reginæ, dicemus in tempore.

g *lib. 2. c. 14.*

h *cap. 16.*

11. Circa idem tempus, ne quid penitùs omittamus historia dignum, Eberardus Aroasiensis Abbas, præfectura relicta, primò ad Cluniacum: verùm ne ibi satisfactum putans, Cistercienſi se ritui mancipauit in Vrsi campo, de quo hæc in Ferreolo Locrio i loco: *Eberardus Bononiensis genere, Abbas S. Mariæ de Nemore, subrogatur,* (scilicet, in Aroasiensi præfectura,) *Vir ætate, & animi seueritate maturus, qui post quatuor annos, quam quorundam Fratrum animos aduersùm se commotos præsentiret, reddita cura suæ anno M. C. LXXVII. relictis illis abiit, & apud Cluniacenses aliquandiu commoratus, tandem in Monasterio Vrsi campi, Cistercienſi se Regulæ mancipauit.* Ita Ferreolus ad annum M. C. LXXII. quæ eadem repetita narratione habet circa hunc annum.

i *ad hunc annum.*

---

1. *Vallis Ecclesiarum antiquitas,* 2. *& prima fundatio,* 3. *mox sub Mauris destructio, & instauratio.* 4. *Prima dotatio Alfonsi Imperatoris:* 5. *atque admissio Cisterci,* 6. *super quæ adducti versus, atque conuicti.* 7. *Plura incrementa Domus remissiuè.* 8. *Dictum de filia eius Grandi-sylua,* 9. *& de S. Bernardo de Candeleda.* 10. *Chronologia aliorum Monasteriorum,* 11. *& de S. Mauricio, & eius Domo.* 12. *Progressus vitæ,* 13. *Abbatia in Langoneto, & abdicatio.* 14. *Mox Carnoetum Cœnobium sub ipso surgens.*

CAPVT IX.

1. ILLVSTRE, & perantiquum Monasterium in Regno Toletano ad ripas Albertchæ, à situ loci, & Ecclesiis, quas continebat Vallis Ecclesiarum cognominatum, hoc anno fundationum initia consecrat, quo creditur suscepisse Cisterciij iugum. Fundatum illud, ante Hispaniam possessam à Sarracenis, à Teodemiro Principe, mox loci à se fundati primo Abbate, traditio est, cui fidem faciunt versus perantiqui in veteri Manuscripto libro reperti, qui & tradunt Monachos, quibus præsidebat, lectos ex prima Hispaniæ, id est, Gothicæ gentis nobilitate:

Teodemirus Abbas, Gothorum Regia proles,
Benedicti inclytum germen, primus hanc vallem sacrauit,
Dux pia militia, stabiles qui milites traxit.
Hic fides, hic pietas, hic vigil Christi amor.
O magna, ô felix virtus amoris,
Qua fortiter trahis, qua dulciter allicis omnes.

Ferunt iniunctam pœnitentiam viro ob perpetrata crimina, quæ seu semel admissa adeò grauarent, seu animi corrupti lubricitate repetenda immineret, non aliter expianda iudicarentur.

2. Locus hominibus prorsùs inaccessus, inter abrupta montium, longitudine ad quinque passuum millia, latitudine angusta, nec æquali, solis fermè reptilibus patebat, aut certè solis auibus: & nisi feræ, dum venatores fugerent, illuc metu subactæ diuertissent, permansurum incognitum, Alfonsus Rex XI. & magnum illud fortunæ variæ exemplum, ludibriúmque Aluarus de Luna testificantur a. Vitam in eo ad normam sanctæ Regulæ, id est, Benedictinæ, Teodemirus instituit: cœnobiticam tamen, & eremiticam, hanc proiectioribus, illam incipientibus, & his quidem maiusculum Cœnobium titulo S. Mariæ; illis undecim cellas curauit struere, Oratoriis adiunctis, quæ sparsæ per longitudinem vallis diffundebantur. His, Sanctæ Crucis, Præcursoris Christi, Pauli Apostoli, S. Saluatoris, S. Stephani, Archangeli Michaëlis, S. Martini, Mariæ Magdalenæ, atque S. Pelagij, nomina indidit, atque singulis Monachos locauit, qui eremiticæ vitæ austeritatem perfectione obedientiæ, obedientiam solitariæ vitæ incommodis coronarent feruentes, & tunc se tantùm cum aliis viuere nossent, cùm nihil sibi permissum sine alieno consensu recordarentur.

a *lib. de vetust. in Hist. ecclesiæ sub eius nomine.*

3. Latuerint asperitate loci, quandiu Hispania vsurpata per Sarracenos, in eo relicto, post recuperatum, conseruata

conseruata memoria Sanctuarij illuc redierint, aut alij eorum vitam imitaturi; in dubio est. Certum, sub anno M.C.XLVIII. floruisse in loco Monachos sub Abbate Guillelmo, viro industrio, quorum Religioni deferens Imperator Alfonsus, Vallem ipsam donauerit (quæ tunc adhuc deserta) per successores perpetuò possidendam. Extat, & legitur hodie donatio loci, quę prima Monasterij dotatio est, quam monumentum egregium antiquitatis, & pietatis eximiæ illius Principis, quem tot alia, ac tanta dedisse constat, licet ante admissim Cistercium facta sit, ad litteram hîc duxi transcribendam: sic autem habet:

4. *Ego Aldefonsus Imperator Hispaniæ, vnà cum filio meo Sancio Rege, dono pro salute animæ meæ, & parentum meorum, & iure perpetuo liberam concedo Vallem Ecclesiarum Deo, & B. Mariæ, & S. Crucі, & S. Ioanni, & omnibus Sanctis, tibique Guillelmo Abbati, atque omnibus successoribus tuis militantibus sub Regula S. Benedicti. Sit autem terminus loci a superiori fonte eiusdem Vallis, & sicut diffluit riuus eius in Alueretum, & vltra centum passus: ipsum vero terminum in quadrum per montes, & valles ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, & quod infra continetur, cultum, & incultum, dono Deo, & supradictis Sanctis, inuicque perpetuo liberum tibi Guillelmo Abbati concedo, & omnibus successoribus tuis militantibus sub Regula S. Benedicti. Si quis autem hoc priuilegium meum infregerit, &c. Facta charta in Toleto, pridie Kalendas Decemb. Æra M.C.LXXXVI. anno ab Incarnatione Christi M.C.XLVIII.* Hactenus instrumentum dotationis satis magnificæ, vt euentus probauit, & quam Cœnobium habuit ante Cistercium.

5. Cùm adhuc potiretur rerum Guillelmus Abbas, quippe qui ad annum M.C.LXXX. quo Iterius successit, dicitur continuasse vitam, & præfecturam, proprio Abbatis, & Monachorum ipsorum motu, an interuentu Alfonsi Regis Castellæ, sicut de S. Clemente suprà vidimus, Cistercium in Valle Ecclesiarum admissim est, & Monachi ex Monasterio Spinæ adducti, per quos noui instituti mores edocerentur. Quod, præter Chronologiam Monasteriorum, antiqua Manuscripta Spinæ probant. Quæ hoc anno prodiisse Monachos tradunt, Vallis Ecclesiarum Cœnobium, quod anteà Monachorum nigrorum erat, reformaturos. Ita post Regulam in membrana scriptam, characteribus prisis, in qua & alia nonnulla continentur. Tunc primùm credo desertas minores cellas, & Monachos congregatos in Monasterio, conseruata memoria singularum, atque Oratoriis, quæ hodie etiam visuntur, & perseuerant. Nisi quòd tamen quædam inserta fabricæ, alia oppidorum templis, quæ duo in valle postmodum constructa ob pinguedinem terræ tandem expertam, vt mox dicemus.

6. Ex his confutandi, & reiiciendi veniunt antiqui in speciem versus, quos nescio quis supposuit in libro antiquo Vallis Ecclesiarum, quorum hæc verba:

Guillelmus Abbas pius, ac nobilis Gallus,
Primus in hac Valle Cisterci cecinit laudes:
E Claraualle veniens Spiritus almi gloriosa pignora traxit,
Pullisque, quos spiritu genuit,
Spiritus alti pretiosa munera dedit.
Venit Anno centesima, bisque quadragesimaterția
Supra millesimam. Obiit eadem, superadita bisque vigesima.

Cæterum versus hos fuisse suppositos, vel illud manifestat, quod tradunt Guillelmum venisse ex Claratalle, anno MCC.XLV. quem tamen constat anno adhuc sequenti Benedictinum Monachum, nec hactenus subiectum Cistercij legibus. Quid quòd Cœnobium Vallis Ecclesiarum, non ex Claraualle immediatè, sed ex Spina prodiisse Tabulæ omnes concordes testificantur; & tamen Monasterium de Spina non fuisse ante annum M.C.XLVII. ex ipsis instrumentis fundationis probatum manet.

Admisso Cistercio, Monasterium in dies creuit, donationibus Regum, ac populorum confluentium ad Vallem accessione. Rex Ferdinandus, cognomento Sanctus, anno M.CC.XVIII. terminos longè, & late dilatauit, priuilegio expedito, quod multa alia indulta concedit Monachis. Idem ingentem donationem impetrauit ab vrbe Abula, misso ad id proprio filio, & successore circa annum Christi M.CC.XXXIV. quæ suo veniet loco referenda. Sed, præter alia, opulentiam Domus auxit loci, & terræ fœcunditas, plantandis vitibus supra modum apta, ex quibus generosa vina proueniant, vulgò, *de San Martin*, nullis planè in Europa tota, secunda; & si ptima omnium dicam, fortè non errem. Hinc populorum concursus ad illam vallem, & terra à Monasterio accepta in feudum, surgentia oppida dicta, *de S. Martin*, & *de Pelaios*, queis pleno Abbas iure dominabatur. Hodie, quæ Principum potentia, siue tyrannis alienatum vtrunque: alterum magno Duci del Infantado; alterum Marchioni Nauarum subest; integro tamen feudo Monasterij, atque addita pensione non exigua, pro ea, qua defraudatur, iurisdictione. S. Martini oppidum antiquius, quippe à tempore Alfonsi VIII. Regis, structa in loco sibi regia domo, atque ab Aulicis aliis, minoris pretij, queis venationis tempore, vterentur: & manet hodie Palatium Monasterio concessum, atque illi deseruiens ad proprios vsus. 7.

Fertur Cœnobium Vallis Ecclesiarum genuisse filiam, Grandi-Syluam nomine in extremis vtriusque Castellæ finibus, qua parte aspiciunt Bœticam, vnde & Estremadura (olim pars Lusitaniæ) nuncupatur. Potrò Abbatia generali peste destructa, solùm Conuentum, atque Monachos matri restitutos cum instrumentis donationis filiæ, quorum hodie notitia perseuerat. Huius Domus Abbatem, siue Monachum extitisse coniector S. Bernardum, dictum de Candeleda, ex loco, vbi requieuerit ipsius corpus, quem Cisterciensem, & Sanctum fuisse constat; cùm tamen reliqua lateant notitiam hominum: Candeledenses vt Patronum colunt; sed ignorato etiam obitus die, dum Bernardum audierunt, facto Magni Bernardi Claræuallensis Festo venerantur sepulcrum, frequentántque celebri anniuersaria solennitate. Erat olim in Altari Ecclesiæ tabula ante centum triginta annos depicta, in qua Sancti effigies, sine cuculla, cum alba tunica, & nigro scapulari, quasi qui operi manuum accingeretur. Subtus aram in fronte iterum pictus iam cucullatus, lectóque decumbens, vnde anima Cœlos penetraret, corpus terræ, ex qua factum, restitueretur. Ferunt miraculis in vita, post mortémque vsque ad hæc nostra tempora claruisse, inter quæ illud in eadem tabula pictum, quòd fluuium Monasterio suo proximum, manto vt nauigio vtens, dum viueret, transibat sicco vestigio. Chrysostomus Henriquez[a] Author est, extitisse in Ecclesia Candeledensi libellum manuscriptum deputatum miraculis, quæ [a] *in Menologio.* frequentia à Deo ad sacram Sancti tumbam perpetrabantur. 8.

Pretiosa gleba cùm ante sexagintaquinque annos, Christi, nimirum, M.D.LXXII. digno concursu, & cultu detegeretur, cœlesti odore fragrans inuenta est, qui in hunc diem continuus perseuerat. Tum ad Capellam dicatam eius nomini, religiosè translata, & sub Altari posita in arca, atque area ipsa inclusa cratibus ferreis, custodiæ simul, & religiosæ veneration: clauibus 9.

Digitized by Google

ûibus tribus crates obſerantur,quarum vna Plebani, altera Oeconomi,fidei velut commiſſis,tertiam Conſiſtoriales Miniſtri ſeruant ; gratulantibus cunctis tanto ſe miniſterio deputari.Caluariæ fruſtum minoti cuſtodiæ ſubeſt,tangendis infirmis,qui plurimi experiuntur virtutem Sancti.Super altare tabula recentior effigiem eius reddens,& diſtincta miraculis, ex quibus quædam ipſius,quædam magni Bernardi eſſe probantur,nempe, vt alterutrum gloriam ſibi præſtent ; hic dum diem partitur,ille dum aram. Bernardi Candeledæ meminerunt Aubertus Miræus [b] in ſuis Orig.Chryſoſt.Henriquez [c] in Menolog.& apud ipſum Philip. Seguin.aliique, qui facilè in oe videri poſſunt. Hæc occaſione Vallis Eccleſiarum incerti temporis : quia non alibi commodiùs dici poterant.

[b] lib.1.c.14. [c] Aug.20.

10. Illuſtrem Domum,quæ cæteras præcedit in Chronologia,quatuor aliæ ſequuntur ; ignotæ tres. Silio, Gradiz,Moab ; niſi quòd primam in Polonia Gneſnenſis Diœceſis, poſitam video in tabulis Eccleſiarum Morimundenſium. Gradizenſem in Norvegia Abbatiam eandem puto, quam ſuprà præcedenti tomo memorauimus, Placenſis filiam de linea Morimundi : nam, quæ anno M.C.XLV. quo & Placenſis nata, longè diuerſa, quippe quam pertinere ad Claramuallem, filiam Cariloci,in Diœceſi Ambianenſi,in quibuſdam Geneſibus antiquis, nuperrimè ad me miſſis,notatam lego. Moab,aliàs,*Mons*, Angliæ eſt Domus,Eboracenſis Diœceſis, ſi credimus Geneſibus, filia Fontium,adeóque adaugens lineam Claræuallis.Sed prætermiſſa ab Anglis Scriptoribus, aut binomia,& notata ſub alio titulo.

11. Notius multò Cœnobium S.Mauricij, de linea Ciſtercij,quod Longonium in Britannia minori protulit,in Coriſopitenſi Diœceſi,dubium de nouo conſtructum,an reformatum. Nam ante plures annos incepiſſe, ſub auſpiciis Conani,Britanniæ Ducis, & illius expenſis,& Carnoëtum priùs nominatum,præcedenti tomo,ni fallor,memorauimus. Conſtat,qui primus Præfecturam in eo tenuit,Mauricium Abbatem,adeò frequentibus viuentem, mortuúmque claruiſſe miraculis,vt Monaſterium aliàs,vt puto, dicatum Mariæ Virgini, in ipſius tranſierit vocationem; & S.Mauricij dicatur vſque ad hanc diem. Quod ab Honorio III. teſtatum video,epiſtola ad Coriſopitenſem,& Trecorenſem Epiſcopos,quæ iam corpori Iuris inſerta legitur, truncа licet, & mutila,vt aliæ; cuius hæc verba:*Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo,& Capitulo Coriſopitenſi, ac vniuerſis Abbatibus apud Ciſtercium in Generali Capitulo congregatis,multiſque Epiſcopis aliis,& Religioſis,vna cum Abbate,& Conuentu S.Mauricij, Monaſterij Ciſtercienſis Ordinis, Coriſopitenſis Diœceſis.*

Olim nobis inſinuantibus,piæ memoriæ Mauricium, Abbatem præfati Monaſterij,diuino munere claris coruſcare miraculis,adeò vt Monaſterium ipſum quadam vſurpatione vſum,ſeu potiùs quadam anticipatione futuri,votum ab eius nomine ſortiatur, &c. Ita Honorius III. in ea epiſtola, de qua in tempore iterum agemus. Nunc ſatis eſt,Cœnobium adoleuiſſe ſub tanto Viro,à quo,& nomen acceperit, & iuge patrocinium ſortitum fuerit. An autem ex Longonio illuc tranſmiſſus,an ibidem inuentus,dederit, an acceperit Ciſtercium,quandiu aliunde non conſtat,non auſim dicere : cùm eius Acta à me dudum quæſita,ne nunc quidem nanciſci adhuc potuerim.

11. Hæc poſtquàm ſcripſeram , cùm Tomus hic iam iam luce donandus properaret in Galliam , optata tandem nobis Sancti Viri notitia diſtinctior aliquantò ad nos peruenit,induſtria,& opera Reuerendi admodum Patris Magiſtri Fratris Ioſephi Arnolfini, Theologi Pariſienſis, atque in noſtro Collegio Profeſſoris ; qua dubia omnia,quæ ſe nobis obtulerant, facilè expediuntur,conſtatque,Sanctum Mauricium, ſeu Virum,ſiue Domum, Ciſtercium ab initio profeſſos fuiſſe.Illum præterea in Langoneto Monachũ, inde triennio elapſo à probatione, eiuſdem loci Abbatem extitiſſe, cui laudabiliter præfuit triginta annis. Mox abdicata hac prima præfectura, quòd iam adulta Domus fortè non indigeret tanto nutritio, ad Carnoëtum miſſum, nouum ibi Cœnobium fundaturũ (quod pòſt ab ipſo nomen mutauit) pingue,& illuſtre, ſi Dux Conanus viueret,cuius ſurgebat opibus;ab eius morte tenue, puſillúmque,nec Mauricio viuente conſummandum:quanuis meritis eius,& miraculis, quibus,dum vixit,claruit, poſt mortémque breui obtinuit,vt vicinorum fidelium largitate,fortè & donariis ad ſepulcrum eius oblatis, conſummaretur.Exemplar literarum ad me miſſarum, in gratiam mei Lectoris hic tranſcribam.

13. *Sancti Mauricij,primi Abbatis Monaſterij Ordinis Ciſtercienſis eiuſdem nominis in Britannia minori, in Diœceſi Coriſopitenſi, Vita Synopſis ex Archiuiis eiuſdem Abbatiæ fideliter excerpta.*

Quo tempore Ludouicus Groſſus, auus Philippi magnanimi,Francorum Rex Chriſtianiſſimus regnabat,B. Mauricius territorij Briocenſis indigena in Parochia, quæ Ledouac dicitur,quaſi Lucifer in tenebris,oriens in occidenti, regnum Francia natiuitatis ſuæ primordiis decorauit. A parentibus Chriſtianis ad ſtudia literarũ miſſus multum inter coætaneos ſuos profecit,nõ in literis tantum,ſed in mundi contemptu. Vnde non ſolùm bonis temporalibus,verùm propria renuncians voluntati,mundo, & amicis carnalibus valedixit, & in Monaſterio Langoneti,Ciſtercienſis Ordinis, habitum ſuſcepit monachalem.Tanta autem breui edidit exempla virtutum, vt à profeſſione nondum expleto triennio, communibus ſuffragiis,in eiuſdem Monaſterij Abbatem eligeretur. Quod per triginta annos ſumma cum prudentia gubernauit.Sed laboribus tandem fatigatus,ac ſibi ſoli,& Deo viuere ſtudens,alium operarium idoneum in ſuum ſuffecit locum,qui vineæ Domini inuigilaret.

14. *Hac tempeſtate Conanus,Dux Britanniæ,& Richemontis Comes,audita viri Dei fama libẽter eius fruebatur alloquio,& ſalutaria eius monita ſequebatur.Vnde in gratiam Viri Dei,& eius conſilio in ſylua,cui nomen eſt Carnoeta,in epiſcopatu Coriſopitenſi,loc. nouo Monaſterio commodũ,& terram diuerſi ſeminis ſuſceptibilem, quã Fratres excolerent,aſſignauit.Vir itaque Beatus cũ 12.Monachis de ſuo Monaſter.edificator,& Abbas nouellæ illius plantationis efficitur.Cumq; iã ibi Monachi ſub Mauricio,Deo ſeruirent, Conanus, antequàm bona,quæ illi,& loco ſancto facere cogitauerat,comuliſſet, moritur. Mauricius verò cum Fratribus Deo ſeruiens, in illo confidebat. Cùmque Monaſterio neceſſaria deeſſent,magis,ac magis ſe, ſuoſque Deo commendans, per patientiam conſolationem à Cœlo expectabat. Et licèt conſummationem operis non viderit;meruit tamen, vt poſt eius mortem pleniſſimè omnia complerentur, & Domus integra perficeretur:ſic Deo virtutes,quæ in ſeruo ſuo latuerant,poſt eius mortem compenſante,& illum illuſtrem reddente gloria miraculorum,quæ & eo viuẽte non defuerunt.* Hactenus ex Archiuiis Monaſterij,& MS.illius perantiquo fideliter deſcriptum per R. admodum P. Andr.Gaudeſche,eiuſdẽ loci Abbatem,ex quo & reliqua inferiùs proſequemur. Interim noto, iuxta huius Vitæ ſeriem,fundationẽ Monaſterij Carnoëti verè in hunc annum,præcedentémque incidiſſe:etenim floruit per XV. primos annos ſub Abbate Mauricio : ipſe autem fertur ad Superos tranſiſſe anno M. C. XCI. vt ſuo loco dicemus.

ANNVS

1. Contra repullulantes Albigenſes 2. noui Legati, & inter eos Henricus deſignatur. 3. Prioribus errores alij additi, 4. atque Principibus viris inſtillati. 5. Præcipuum onus Legatiæ Henrico impoſitum: 6. eiuſdem declamatio 7. de miſero ſtatu ciuitatis Toloſanæ, 8. & de Petro Morano 9. ſubdolè primùm iudicio ſe ſubtrahente; ſed mox conuicto, 11. compuncto, & obedienti, atque acceptante, & complente pœnitentiam ſatis ſeueram.

CAPVT I.

1. SEQVENTEM annum ab ortu Chriſti Domini centeſimum ſeptuageſimumoctauum ſupra milleſimum, à condito Ciſtercio primum, & octuageſimum, illuſtrem aliàs tranſlatione corporis Parentis Bernardi (quæ prima cura Henrici Claræuallenſis, nouum illi ſepulcrum adornare) recrudeſcentes errores Albigenſium penè turbarunt; ſerpente malo per viros etiam Principes, à quibus maior lues, & tabes, quaſi ex alto deſcendens, latiùs, quo impetuoſiùs debacchabatur. Hinc Alexandri pro vera religione ſollicitudo, & clari Reges Gallorum, Anglorúmque, qui ſibi hactenus inuicem infenſi, vtrunque Regnum, & Orbem exagitabant, zelo fidei ſuccenſi, iungere vires, exagitare Hæreticos, eorum vrbes demoliri primùm; ſed mox fatali Ciſtercienſium gloria (qui huic errori compeſcendo, quoties emergebat, deſtinabantur) prædicatione, quàm armis agendum fore: & gladio Spiritus, hoc eſt, verbo Dei, priùs quàm ferro impetendos delibetarunt. Miſſus itaque ad eos Petrus Presbyter Cardinalis Sancti Chryſogoni: miſſi & alij Epiſcopi, & Abbates: ſed inter eos ex Ciſtercio præcipuè duo, Guarinus, ex Abbate Pontigniacenſi, Bituricenſis Præſul; & Henricus, quem anno præcedenti ex Altæcumbæ in Claræuallenſem Archimanditam promotum diximus. De his, eiúsque temporis Author Rogerius hæc in Annalibus [a].

a *ad hunc annum.*

2. *Interim Arriana hæreſis* (ſic vulgò dicebatur) *quæ, vt ſuprà dictum eſt, damnata erat a Conuentibus Epiſcopi Albienſis,* (Abbate de Ardurelo, & de Candilio,) *in Prouincia Toloſana, iam reuixerat. Quod cùm ad aures Regis Franciæ, & Regis Angliæ peruenisset, zelo Chriſtianæ fidei accenſi ſtatuerunt, quòd illuc irent in propriis perſonis, vt prædictos Hæreticos prorſus à finibus illis eliminarent. Elapſo deinde aliquantulo temporis ſpatio, videbatur eis plus poſſe proficere, ſi viros ſapientes illuc miſiſſent, qui Hæreticos illos prædicatione, & doctrina ad fidem Chriſtianam conuerterent, quàm ſi ipſi in propriis perſonis illuc ire properaſſent. Dictum enim eis erat: Vindictam mandaſſe ſat eſt: plùs nominis horror, quàm tuus enſis ages; minuit præſentia famam. Miſerunt ergo illuc Petrum tituli Sancti Chryſogoni, Preſbyterum Cardinalem, apoſtolicæ Sedis Legatum, & Bituricenſem, & Narbonenſem Archiepiſcopos, & Reginaldum Bathonienſem, & Ioannem Pictauienſem, Epiſcopos, & Henricum Abbatem Claræuallenſem, & alios multos Viros eccleſiaſticos, vt prædicatione ſua Hæreticos illos ad fidem Chriſtianam conuerterent, vel rationibus probabilibus illos eſſe Hæreticos manifeſtarent, & à liminibus Sanctæ Matris Eccleſiæ, & fidelium conſortio ſequeſtrarent.* Ita Rogerius.

3. Errores hominum plures continuatí, ſiue reuiuiſcentes; additi alij. Porrò de quibus fuerint conuicti, idem Cardinalis Legatus, patentibus litteris ad vniuerſos Catholicos declarat, quæ ita habent [b]: b *apud Rog. & Baron. hoc an.*

Quidam enim conſtanter proteſtati ſunt, ſe à quibuſdam illorum audiſſe, quòd duo Dij exiſterent, alter bonus, & alter malus: bonus, qui inuiſibilia tantùm, & ea, quæ mutari, aut corrumpi non poſſunt, feciſſet; malus, qui Cœlum, terram, hominem, & alia viſibilia condidiſſet. Alij affirmauerunt, ſe in illorum prædicatione audiſſe, Corpus Chriſti non confici per miniſterium Sacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti. Multi ſimiliter teſtati ſunt, eos prorſus negantes audiſſe virum cum vxore ſaluari, ſi alter alteri debitum reddat. Alij in faciem illis firmiter opponebant, quòd ab ipſis audiſſent Baptiſmum paruulis non prodeſſe: & alias quamplures contra Deum, & Sanctam Eccleſiam, & Catholicam fidem blaſphemias protuliſſe, quas pro abominabili earum enormitate tacere maluimus, quàm referre. Et paulò inferiùs: *Tandem hæreſim nolarum relinquere, vbi craſſum, & ſopitum intellectum eorum alicuius authoritatis ſuperficies videbatur iuuare, occaſione verbi illius, quod Dominus in Euangelio dixiſſe legitur* [c]: Nolite omninò iurare. *& Sit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non. dicentes ſe non debere iurare, cùm ipſe Dominus ſæpè iuraſſe legatur, ſicut ſcriptum eſt* [d]: Iurauit Dominus, *&c. Et alibi* [e]: Per metipſum iuraui, dicit Dominus. *& Apoſtolus* [f]: Omnis controuerſiæ finis eſt iuramentum. *Et multa in hunc modum in diuinis Scripturis legentibus ſe ſe offerunt, & occurrunt; quibus propter illorum infirmitatem, quibus aliquid ſtudemus, iurare permittimur.* Hæc execranda Hæreticorum illorum dogmata, ex quibus, quod ad duos Deos attinet, ex antiquata Manichæorum ſecta, de nouo additum: reliqua pertinaci obſtinatione, etiam poſt damnationem recentem, retinebantur.

c Matth. 5.
d Pſal. 109.
e Geneſis 22.
f Hebr. 6.

4. Infectos ingruente peſte viros primores, argumento ſunt Petrus Moronus, & Rogerius de Peders: hic Albienſium Princeps; ille in ditione Toloſani Comitis genere, & opibus clarus vel inter paucos. Quorum primus, cùm de fide ſua interrogaretur, quæ priùs occultare voluiſſet, perfidiæ dogmata, diuina prouidentia diſponente manifeſtauit. Secundus eò dementiæ audax peruenerat, vt Albienſem Epiſcopum vinciret, ac manciparet carceri, ne verbum veritatis annunciaret erranti populo. Porrò ab his ad vulgus ſerpente morbo, per cunctos Ordines etiam eccleſiaſticos, per Clericos, per laïcos, per idiotas, graſſabantur errores; deſignatis ex eis Euangeliſtis, quibus cæteri crederent. Neque erat, qui audetet mutire pro veritate.

5. Præcipuum onus prædicandi, & diſputandi impoſitum Hentico, duo mihi argumenta perſuadent: alterum, quòd iniunctæ eidem patentes litteræ, diuulgandæ per Orbem, de vniuerſis in eo negotio factis, quas ſtatim dabimus, non vlli alteri conuenientiùs committendæ, quàm qui cuncta peregerit. Alterum, quòd in eis Prædicatorem, ac diſputantem pro Fidei veritate

Digitized by Google

veritate nequaquam nominat, sed vnum tantùm ex nobis esse dicit; quod ad modestiam viri relatum puto, ne sui ipsius scriptor, atque operum suorum commendator videri posset. Petrus Moranus coactus aperire, quæ celare tentauerat, post varios casus, tandem resipiscens, seuera pœnitentia antè suscepta, ad deterrendos alios, abiurauit errores, cuius exemplo, & timore similis pœnæ, plures vltrò Legatos adeuntes Catholicam veritatem professi sunt, ingenti iubilo fidelium populorum. Ad Rogerium Henricus solus missus cum Bathonensi Episcopo, pertinaciam saniora, & susceptur clementer, si resipisceret: contra rebellem anathema indicturi, quod quali, & quanta constantia animi fecerint, simul cum cæteris ante eorum discessum gestis, patentibus, quas supra memorauí, litteris mandauit Henricus (Legati, vt credo, iussu) à Baronio, Rogerióque relatis, ad vniuersos Catholicæ Ecclesiæ filios scriptis, quas multis titulis, Annalibus his debitas, totidem verbis transcriptas accipiat Lector. Proferam autem, quæ cum aliis simul in hoc capite: in sequenti quid seorsim, & solus Henricus; quid item post discessum illius cæteri fecerint.

6. *Declamatio Henrici Abbatis Clarauallis scripta ad vniuersos Christi fideles.*

Audite, Cœli, quod plangimus: sciat terra gemitum cordis nostri: doleant vices Christi Catholici Christiani, & ad detrimenta Fidei fidelis populus ingemiscat. Quique terrigena, & filij hominum humana salutis damna deplorent, & generalis vita nostra subuersio ab omnibus viuentibus generaliter lugeatur. Stat contra plebs Israel nouus nostri temporis Philisthæus, Hæreticorum ordo, exercitus peruersorum, qui agminibus Dei viuentis irreuerenter exprobrat, & Deum Maiestatis in prima præsumptione blasphemat. Quid dubitas, o David? quid trepidas, vir fidelis? Sume tibi fundam, & lapidem percutiatur protinus in fronte blasphemus; & caput nequam, quod impudenter erigitur, suo tuis manibus mœrore tollatur. Si enim in hoc certamine pars Christi vincitur: si vel ad modicum, & in puncto Mater Ecclesia conculcatur; scimus pro certo causæ non deesse meritum, sed patronum: scimus, quod non negabitur agonistæ nostro triumphus, si amore Fidei militat pugnaturus. Verum, quis iuxta veritatis verbum 8, *messis multa est, & operarij pauci, si introierint audaciter tuorum, bone Iesu, depopulatores agrorum, parati, sicut operarij subdoli, acerba magis eradicare, quam matura demetere, quasi tua messionis diem suis direptionibus putant præuenire. Vbi sunt ergo agricolæ tui constituti super agrum fertilem, & iucundum, tuo cruore floridum, & aspersione pij sanguinis irrigatum? Surgant, & opitulentur nobis, & in necessitate nos protegant, seque ad cruentas bestias murum nobis defensionis opponant. Surgite, inquam, surgite, Viri Patres, Duces gentium, Principes populorum, obsistite feras pessimas, quas monstramus; vel saltem vulpes parvulas effugate. Sed capere quidem est melius: sed ad hoc quis idoneus? Non habent certos aditus: semitas ambulant circulares: & in quodam frandium suarum labyrintho monstra sæuissima reconduntur. Tanquam dumula de manu dissugiunt, & instar colubri tortuosi, quò eos plus astrinxeris, facilius elabuntur. Deo autem gratias, quòd etsi capi nequeunt, fugari possunt, vt cùm perdiderint, quod demoliebantur in nobis, confundantur, & pereant in semetipsis. Hoc autem quòd sit facile, per ea, quæ vidimus, & tractauimus, approbauimus, vt iam amodò, si factum non fuerit, non tam illorum nequitiam, quam defectus nostros, nostrorumque negligentiam deploremus.*

7. *Contigit enim nuper ad imperium Domini Papæ, & hortatu piissimorum Principum Ludouici Francorum, & Henrici Anglorum Regum, Dominum Petrum Apostolicæ Sedis Legatum, Virosque venerabiles Pictauiensem, & Bathoniensem Episcopos, nosque in comitatu eorum vrbem adire Tolosam, quæ, sicut erat ciuitas maximæ multitudinis; ita etiam dicebatur esse mater Hæresis, & caput erroris. Perreximus ergo ad illam, vt sciremus, si iuxta clamorem, qui ascendit, esset dolor eius. Et ecce inuenta est plaga eius magna nimis, ita vt à planta pedis, vsque ad verticem capitis vix esset in ea sanitas: verè enim tertia pars nobis nunciata non fuerat de omnibus abominationibus suis malis, quas ciuitas illa nobilis incredulitatis suæ gremio confouebat. Locum in ea sibi abominatio desolationis inuenerat, & propheticorum similitudo reptilium in latibulis eius domicilium obtinebat. Ibi Hæretici principabantur in populo, dominabantur in Clero, eò quòd vt populus, sic Sacerdos, & in interitum gregis ipsa configurabatur vita Pastoris. Loquebantur Hæretici, & omnes admirabantur: loquebatur Catholicus, & dicebant: Quis est hic? in stuporem, & miraculum deducentes, si esset aliquis inter eos, qui de verbo Fidei auderet aliquid vel mutire. In tantum præualuerat pestis in terra, quòd illi sibi non solùm Sacerdotes, & Pontifices fecerant; sed etiam Euangelistas habebant, qui corrupta, & cancellata euangelica veritate, noua illis Euangelia cuderent, & de corde suo nequam recentia dogmata seducto populo prædicarent.*

Mentior, si non erat inter eos homo quidam ætate grandæuus, rebus locuples, ornatus fratribus, & amicis, 8. *& magnus omninò inter maximos ciuitatis, quem ita peccatis exigentibus, Diabolus excæcauerat, vt se ipsum Ioannem Euangelistam diceret; & Verbum, quod erat in principio apud Deum, ab alio quodam rerum principio, tanquàm à Deo altero segregaret. Hic erat in vrbe illa pereuntium Caput, & Princeps Hæreticorum: qui licèt, tanquàm laicus, & idiota nil saperet; inter eos tamen velut quidam diabolicæ sapientiæ fons, perditionis, & mortis felleos latices emanabat. Conueniebant ad eum noctibus noctua tenebrosæ: & ille indumento quodam ad instar tunicæ dalmaticæ vestitus, cùm sederet inter eos, tanquam Rex, circumstante exercitu, erat, & inerat desipientium prædicator. Totam penitùs vrbem discipulis suis, & disciplina repleuerat: quippe cui aliquis de vrbe pro fortitudine sua resistere non audebat. In ipso quoque introitu nostro tanta erat Hæreticis vbique licentia, vt nos quoque per vicos, & plateas recto itinere præcedentes subsannarent verbo, digito demonstrarent, nos apostatas, nos hypocritas, nos Hæreticos conclamantes. Verùm procedente tempore, & data nobis requie diebus paucis, inimicum est vni de nobis verbum exhortationis assumere, & de regula vera Fidei coram infideli multitudine disputare. Habito autem sermone orthodoxæ prædicationis ad plebem, conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas; ita vt qui prius obstruebant ora loquentium, iam apparere coram loquentibus non auderent. Audiens illicò, vel videns vulpes transfiguratas in talpas, vt quæ prius impunè in publico discurrebant, iam terræum latebris, iam sese cellulis immergerent cauernosis, & plantaria sacra, quæ iam non audebant in aperto commandere, intra terræ viscera corroderent, & necarent: ne autem pardus ille discolor pellis suæ varietate se proderet, sed morem sibi nequam callidis adinuentionibus firmauerunt, vt ad nostræ confirmationis similitudinem simulandam tracti ad disceptationis examen, quicquid nos credimus, se credere mentirentur.*

Ex illa ergo die Dominus Legatus, & nos alij, qui 9. *cum feris bestiis in aperto congredi putabamus; ad perscrutandos eos, quos timor, & confusio, tanquam ignobiles, in ima terræ detruserat, studium to-*

tum conuertimus,& laborem,vt vel coacti prodirent in publicum,& abiicerem in luce opera tenebrarum. Factum est exinde præcipiente Legato,vt ingrederet Episcopus,& quidam de Clero, & Consules ciuitatis, aliique ciuitatis verè Fideles, quos nondum in aliquo perfidiæ fama respersérat, quòd quoscunque vel hactenus nouerant,vel nosse eos contingeret in futuro, qui essent huius hæresis vel complices,vel authores,eorum nobis nomina scripto depromerent,nulli penitus,vel amore,vel pretio, vel cuiuspiam necessitudinis ratione parcentes. Cúmque per singulos dies innumera multitudo in catalogum illius conscriptionis incideret, nominatus est inter alios magnus ille Petrus Moranus, quem Ioannem Euangelistam,vt suprà diximus, nominabant. Super quo nos omnes,communicato consilio,decreuimus ab illo inchoare iudicium,vt turba in reliquos perfida contremisceret, cùm falsi Euangelistæ versutiam veri Euangelij simplicitas condemnasset. Missis ergo apparitoribus præcepit eum Comes Sancti Ægidij, qui fideliter nobis aderat, accersiri.Sed ille in multitudine diuitiarum suarum,& parentum numerositate confidens, prima citationis edictum fastuosæ dilationis colludio declinauit.Altera ergo die præfatus Comes blanditiis magis,quam terroribus enitens,eundem Petrum per amicos,& notos leniter aduocauit,& cum nobis tandem, post difficultates plurimas veniendi,mixtis cum terrore blanditiis præsentauit. Tunc vnus, qui loquebatur à nobis,taliter cum exorsus est commonere.Eia nunc,Petre,sui te concines accusant, quòd sanctæ Fidei regulis confutatis,in Arriana hæresis deueneris prauitatem; imò per multiplicium errorum deuia,& ducis ipse alios,& ab aliis deducaris. Ad hæc ille de profundo suspirans, & tactus dolore cordis intrinsecùs, se non esse huiusmodi est prima fronte mentitus; & requisitus,an hoc iramento probaret, simplici assertioni suæ tanquàm fidelis viri, & illustris credi oportere contendit.

10. *Cæterùm,cùm in exigendo iramento vniuersi pariter instaremus,promisit se continuò iraturum,ne in hoc ipso deprehenderetur Hæreticus, si iuxta quod consuetudo illius erroris obtinuit, vitandi iramenti existeret obstinatus.Mox igitur Sanctorum Reliquiæ honorabiliter afferuntur,cum tam solemni reuerentia,& deuotione susceptæ,vt & fidelis populus compungeretur ad lacrymas,& Hæreticos,qui conuenerant,lætebra potius,quàm talia spectacula delectarent.Ipsum verò Petrum in cantu, quem ad inuocandum Spiritus Sancti præsentiam profusis lacrymis canebamus, tremor euidens,& pallor operuit; ita vt ab eo & color vultus aufugeret, & vigor animi deperiret. Quomodo enim, adueniente Spiritu Sancto, in aduersario eius spiritus remaneret? Cernere erat hominem, quasi morbo paralytico dissolutum,nec loquelam retinuisse,nec sensum: quamuis tanta facundia fuisse diceretur ab omnibus,quòd omnes in dicendo sit solitus superare. Quid plura? Iurat infelix, astantibus vniuersis, quòd de omnibus articulis fidei, quos requireremus ab eo,sua credulitatis exprimeret veritatem.Res mira,& in tali spectaculo pia iucunditate gratissima. Apertus est liber,in quo iurauerat, & vno de circunstantibus,Religioso quodam, ioco occurrentis littera prænosticum perquirente, illius scripturæ textus occurrit? Quid tibi,& nobis, Iesu, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos. Verè, Domine Iesu,nihil tibi,& illis,quos Pater tuus cœlestis à te vite vera,tanquam infructuosos palmites,amputarat, & foras miserat,vt arescant. At nobis in tuo nomine congregatis lætitiæ multiplicatur argumentum,& in gratiarum actione,& voce laudis virtutis tuæ gloria resonabit.*

11. *Demum Petrus in virtute Sacramenti simpliciter requisitus,vt de Sacramento Altaris suam nobis fidem sine fraude aliqua fateretur:sed quod corde non credidit ad iustitiam,nec ore confessus est ad salutem:sed contra id, quod de omnibus mentiri decreuerat, falsitatis suæ prodidit veritatem,& Panem sanctum vitæ æternæ,Sacerdotis ministerio in verbo Domini consecratum,non esse Corpus Domini nouo dogmate contendebat asserere. Tunc surrexerunt omnes, eum quodammodo lacrymis obruentes, quas & Sacramentorum Christi contemptus elicuit, & habita erga miserum compassio Christiana produxit.Nec plura dant Comiti responsa.Reus,& Hæreticus iudicatus est: statimque sub diligenti pollicitatione parentum custodiæ publicæ mancipatur. Volat facti rumor per vicos,& plateas amplissimæ ciuitatis:aperiuntur ora fidelium, & Catholicæ plebis labia in suæ, Christe,præconia resoluuntur,velut tunc primùm in eadem vrbe Fidei splendor erumperet, & in spem salutis æternæ desperata diudum ciuitas respiraret. Ex tunc ergo,& deinceps verbum Dei crescebat,& multiplicabatur in dies: ita vt vniuersa vrbis facies latior videretur,per quæ in candorem lucidæ veritatis de tenebris enadebat erroris.*

Interèa Petrus ad se reuersus,& Domino respiciente compunctus,cùm se dignum penitùs tam præsenti morte cerneret,quàm futura,missis mediatoribus multis,satisfactionis quæris aditum,& conuersionis pollicetur effectum, vt posset in fructum melioris vitæ ab imminentis mortis interitu liberari. Venit,recipitur,& in conspectu sistitur populi contristantis,nudo quidem corpore veteris perfidiæ exuens prauitatem. Ibi se coram omnibus Hæreticum recognouit: ibi dedit manus Fidei: ibi renunciauit errori,præstito coram omnibus manu dextera iuramento,& datis fideiussoribus,tam Comiti ipsi, quàm militibus, & præcipuis concinibus suis, quod ad omne mandatum Domini Legati se subderet,& iussionem eius in omnibus adimpleret. Tunc indictum est populo, vt omnes pariter ad Ecclesiam Sancti Saturnini die altera conuenirent, audituri, & visuri solenniter, quam pœnitentiæ formam Petrus ille susciperet obseruandam. 12.

Omnes igitur sequenti die,vt fuerant prænominati, conuenerunt,tanta vtique multitudo, tam frequens,vt vix remaneret locus vacuus, qui Domino Legato Missa solennia celebranti sine compressione nimia præberetur. Et ecce coram illa multitudine multa nimis Petrus ille iam noster per ipsas Ecclesiæ valuas nudus,& discalceatus adducitur,eademque hinc inde eum Episcopo Tolosano,& Abbate Sancti Saturnini,donec ad pedes Legati in ipsis Altaris gradibus poneretur;& ibi in facie Ecclesiæ ecclesiasticis reconciliatus est Sacramentis,abiurata omni hæresi,& Hæreticis anathematizatis ab eo. Mox autem possessionibus eius publicatis vniuersaliter, & proscriptis, pœnitentia illi talis iniungitur, vt infra quadraginta dies à patria sua exulaturus abscederet,in seruitio pauperum Ierosolymis triennio moraturus. Interim verò singulis diebus Dominicis Ecclesias Tolosanæ vrbis nudus, & discalceatus cum disciplinalibus virgis iussus est circuire.Ecclesiarum bona,quæ abstulerat,reddere, vsuras omnes, quas acceperat,restituere; damna pauperum,quos afflixerat,resarcire,& castrum quoddam suum,quod Hæreticorum conuenticulis profanarat, ab ipsis fundamentis euertere.Deus bone!quos ibi lacrymas lætitia sancta profudit? quas gratiarum actiones,& laudes populus iubilans,& deuotus cœlestibus choris ingessit, cùm de cauernis perfidiæ talpa talis educitur, & in Israëliticam ouem lupus rapacissimus reformatur? Hactenus Henricus Claræuallensis de gestis ab omnibus. Nunc, quæ ipse ab aliis diuisus gesserit, quæ alij sine ipso, sequenti capite seorsim refetamus. 13.

1. *Perrecturus*

1. Perrecturus Henricus ad Capitulum, 2. ad Prouinciam Albiensem destinatur. 3. Quam ibi aduersùs Comitem Rogerium sententiam tulerit. 4. Actum deinde Tolosæ contra cæteros, 5. qui de singulis articulis interrogati, 6. cùm priùs catholicè ad omnia respondissent, 7. non multò post conuicti, 8. & pertinaces, anathematis gladio præcisi sunt. 9. Quot, quantáque Cistercium in hos Hæreticos.

CAPVT II.

1. TAM signum Canis Sole prætergresso, instabat September, atque vt olim cecinit Poëta [a] maiores cadebant altis de montibus vmbræ; cùm Henricus ad Generalem Synodum Cistercij congregandam, pro debito suæ dignitatis adigebatur; nec poterat sine ipso celebrari, in quem oculi omnium (qua vel iam tunc authoritate pollebat) conuersi essent. Vrgebat & specialior causa Virum Dei, Solemnitas, quam dudum concepisset, transferendo in decentius sepulcrum Bernardi corpori, modico sumptu structum, non modica filiorum deuotione. Sed nihilominus ad vtrunque vocatum, & properantem detinebat communis Ecclesiæ causa, atque instans negotium turbatæ fidei, quibuscunque priuatis præferendum. Et deseruisset hæc, quantumuis grauia, quantuncunque vrgentia, si non illa, dum aliò virum vocat, vtrisque adesse opportunè permisissent. Quippe Rogerius, Albiensium Princeps, vt modò dicebamus, contumax in Ecclesiam, fidémque, dum se ab Episcopo corripi aspernabatur, velut alter Herodes sacrilegas in eum manus iniecerat: & mancipatū carceri, arcta detinebat custodia Sanctum Pōtificem. Ergo cùm à Legatis Tolosam deseri, periculosum foret, & alias tam immane flagitium, atroxque, promptum & efficax remediū postularet; diuisio omnibus visa: & cæteris Tolosæ permansuris, Albigesium Henrico, (nempe zelo, & sapientia præstantiori, quod difficilius in tāta Legatia, certè periculosius sub Principe rebelli, atque sacrilego, suctóque inferte violentiam Ministris Christi,) vno omnium consensu commendatur; vna cum Rainaldo Bathonensi, æqualis zeli viro, & qui meritò Henrico componi posset. Porrò hæc missio, quanuis tot impedita difficultatibus, viam ei ad Cistercium aperuit, & Claramuallem; illuc, nimirum, inde perrecturo, cùm iam ab aliorum nexu solutus esset. Cæterùm, quid ab ipso factum sit, quantáque animi constantia, & fortitudine à Rogerij etiam militibus obsessus, coram eius vxore, filiisque, in proprio Castro positus eundem anathemate percusserit, percussúmque, cùm nondum resipisceret, publicum hostem Ecclesiæ declatauerit, pernitum, & sacrilegum; ipsius Henrici verbis audiamus, qui ibidem pergit scribere in hunc modum [b]:

[a] *Virgil.*

[b] *apud eos. dem.*

2. *Post hæc*, ait, *illo dimisso*, nempe, Petro Morano, *Dominus Legatus ad alios manus misit, excommunicaturus vtique illos, quos in magno numero, vel suspicio publica, vel accusatio priuata notauerat. Nos autem vix tandem cum lacrymis exorta lætitia, reuertendi pro eo, quod instantia Capituli nostros iam reditus exigebat, petita licentia, sub ea nobis est exceptione concessa, vt Albiensem Diœcesim intrauerimus, commonituri Principem terræ, Rogerium, videlicet, de Beders, vt & Albiensem Episcopum, quem sub custodia Hæreticorum in vinculis tenebat, absolueret, & vniuersam terram suam iuxta præceptum Domini Legati, eliminatis Hæreticis, emendaret. Is credentibus ergo nobis vna cum supradicto Bathonensi Episcopo illam perditissimam regionem, quæ, velut totius semina malitiæ, totam in se colluuionem hæresis illuc defluentis excepit, prædictus Rogerius in vltimos, & inaccessibiles terræ sua fines abscessit, iam mala conscientia profugus, quàm causæ sua merito desperatus. Oderat enim lucem veritatis author malitiæ, nec sustinere poterat nostræ collocutionis accessum, qui totus recesserat in opera tenebrarum. Peruenimus tamen ad quoddam munitissimum castrum eius, quod proprie, ac singulariter Castri nomine incola nuncupabant. Ibi habitabat vxor illius cum militia magna, & familia multa nimis. Omnes ferè habitatores eiusdē Castri, vel Hæretici, vel Hæreticorum complices erant, licèt sola Domini virtute repressi nihil contra Fidem, quam prædicabamus, præsumerent vel mutire. Quanuis enim essemus in manus eorum positi, & velut in quasdam potentiæ suæ compedes hæretica vndique multitudine circumuenti; verbum tamen Domini non erat alligatum, quin eos cominus inuectionibus, & increpationibus feriremus.*

Cúmque videremus, quod nihil omninò præsumerent 3.
respondere, iudicauimus prædictum Rogerium proditorem, Hæreticum, & de violata Episcopi fœderitate periurum, eum tanquam publica excommunicatione damnatum ex parte Domini Papæ, & prædictorum Regum, in præsentia coniugis, militúmque suorum in nomine Christi confidenter diffidemus. Ecce amodò satis appareat, quàm grande & euidens ostium patet Principibus Christianis, vt Christi vlciscantur iniurias, pondúmque desertum quasi hortum Domini, & solitudinem eius in delicias Paradisi. Ne autem vel parum, vel nihil fieri contra illos posse causentur, sciant omnes, generalem fuisse in vrbe Tolosana sententiam, quòd si ista visitatio fuisset adhuc triennio retardata, vix inueniretur in ea, qui nomen Christi amplius inuocaret. Super hac autem omnia prædictus Comes Sancti Ægidij coram populo ciuitatis præstito iuramento firmauit, quòd amodò nec precem, nec pretio fauebit Hæreticis. Hactenus declamatio Henrici historica, de gestis, primùm, ab omnibus Legatis, antequàm diuiderentur: pòst à se, & à Reginaldo, non minori constantia, quàm zelo fidei. Verùm dum ipsi Albigesium peragrarent, indeque Henricus ad Cistercium pergeret, quid Cardinalis cum cæteris Legatis (quorum primus Guarinus Bituricensis, ex Cistercio assumptus) Tolosæ egerit, *cùm*, sicut ait, *ad alios manus misit, excommunicaturus vtique illos, quos in magno numero, vel suspicio publica, vel accusatio priuata notauerat*, quia hos Annales concernit, ex aliis Cardinalis ipsius litteris, quas Rogerius adducit, referamus [c].

[c] *apud Baron.*

Nos itaque (id est, Cardinalis & Archiepiscopi) 4.
indulgentiam eis concessimus, quanuis à præfato Comite Tolosano, & aliis nobilibus viris (sicut diximus) iam exierat edictum, vt de terris eorum deberent expelli, ratam habentes: eodem Pictauiensi Episcopo, & prædicto Comite Tolosano, & aliis Clericis, & laicis quasi trecentis, in Ecclesia Beati Stephani nobiscum pariter congregatis, illis iniunximus, vt fidem suam nobis exponerent, & ad Catholicæ Fidei veritatem redeuntes, in-

famiam, quam & tota terra, & ipſi per damnabilem prædicationem incurrerant, per ſalutiferam confeſſionem veræ Fidei remouerent. Ipſi verò inter alia verba, quæ hinc inde proceſſerunt, chartam quandam, in qua fidei ſuæ articulos conſcripſerant, in medium protulerunt, & eam, ſicut prolixiùs ſcripta fuerat, perlegerunt. In qua cùm verba quædam deprehendiſſemus, quæ & ſuſpecta videbantur exiſtere, & niſi plenius exponerentur, hæreſim, quam prædicauerant, poſſent velare, quæſiuimus, vt Latinis verbis reſpondentes, ſuam Fidem defenderent: tum, quia lingua eorum non erat nobis ſatis nota; tum, quia Euangelia, & Epiſtolæ, quibus tantummodo fidem ſuam confirmare volebant, Latino eloquio noſcuntur eſſe ſcripta. Cúmque id facere non auderent, vtpote qui linguam Latinam penitùs ignorabant, ſicut in verbis vnius illorum apparuit, qui cùm Latinè vellet loqui, vix duo verba iungere potuit, & omninò defecit; neceſſe fuit, nos illis condeſcendere, & de eccleſiaſticis Sacramentis propter imperitiam illorum, quamuis ſatis eſſet abſurdum, vulgarem habere ſermonem.

5. *Illi ergo duo eſſe principia denegantes, publicè coram nobis, & prædictis viris confeſſi ſunt, & firmiter aſſeruerunt, quòd vnus Deus Altiſſimus omnia viſibilia, & inuiſibilia condidiſſet: quod etiam Scripturis, ſicut verum eſt, euangelicis, atque apoſtolicis comprobabant. Confeſſi ſunt etiam, quòd Sacerdos noſter bonus, ſiue malus, iuſtus, vel iniuſtus, & talis etiam, quem adulterum, vel aliàs criminoſum indubitanter eſſe ſcirent, Corpus, & Sanguinem Chriſti poſſet conficere, & per miniſterium huiuſmodi Sacerdotis, & virtutem diuinorum verborum, quæ à Domino prolata ſunt, panis, & vinum in Corpus, & Sanguinem Chriſti verè tranſubſtantiantur. Aſſerunt quoque, quòd paruuli, vel adulti noſtro Baptiſmate baptizati ſaluantur, & nullus ſine eodem Baptiſmo poteſt ſaluari: omninò inficiantes, ſe aliud Baptiſma, aut manus impoſitionem, ſicut eis imponebatur, habere. Affirmauerunt nihilominùs, quòd & vir, & mulier matrimonio copulati, ſi aliud peccatum non impediat, licèt carnaliter alter alteri debitum reddat, propter bonum matrimonij excuſati ſaluantur, & propter hoc nunquam damnantur. Archiepiſcopos præterea, & Epiſcopos, Preſbyteros, Monachos, Canonicos, & Eremitas, Templarios, & Hoſpitalarios affirmauerunt eſſe ſaluandos. Dignum quoque, & iuſtum eſſe dicebant, vt Eccleſias in honore Dei, atque Sanctorum fundatas cum ſumma deuotione viſitantes adirent, & Sacerdotibus, & aliis earum Miniſtris honorem, & reuerentiam exhibentes, primitias, & decimas eis deberent ſoluere, & de omnibus Parochialibus deuotè, & fideliter reſpondere. Eleemoſynas etiam, tam Eccleſiis, quàm pauperibus, necnon & omni petenti eſſe tribuendas inter cætera laudabiliter aſſerebant. Hæc omnia licèt priùs dicerentur negaſſe, iuxta noſtrum ſanum intellectum ſe intelligere aſſerebant.*

6. *Poſtquàm autem ita à nobis examinati fuerunt, & ea, qua diximus, ſpontanea voluntate confeſſi ſunt, Eccleſiam Beati Iacobi intrauimus, vbi nobiſcum innumera populi multitudo, quæ ſe quaſi ad ſpectandum præparabat, conuenit, & confeſſionem fidei eorum, quæ in prædicta chartula conſcripta fuerant, vulgari ſermone audiuit. Porrò, cùm à nobis, & omni populo, qui ibidem conuenerat, in omni patientia, & ſine tumultu aliquo fuiſſent auditi, & ipſi ſponte finem dicendi feciſſent, quia expoſitio ſua fidei ſatis laudabilis, & Catholica videbatur, iterum ab eis, audiente vniuerſo populo, quæſiuimus, ſi corde crederent, quod ore fuerant confeſſi: & ſi aliquando in contrarium, ſicut eis ſæpiùs impoſitum fuerat, prædicaſſent. Illis verò reſpondentibus, ſe ita credere; & nihilominùs negantibus, ſe vnquam aliter prædicaſſe, nobilis vir Comes Toloſanus, & multi alij Clerici, & laici, qui eos audierant aliter prædicantes, vehementi admiratione commoti, & Chriſtianæ Fidei zelo ſuccenſi ſurrexerunt, & eos planè in caput ſuum mentitos fuiſſe manifeſtiùs comiceruntur. Quidam enim conſtanter propoſuerunt, ſe à quibuſdam illorum audiſſe, quòd duo Dij exiſterent, alter bonus, & alter malus: bonus, qui inuiſibilia tantùm, & ea, quæ mutari, aut corrumpi non poſſunt, feciſſet; malus, qui cœlum, terram, hominem, & alia viſibilia condidiſſet. Alij affirmauerunt, ſe in illorum prædicatione audiſſe, Corpus Chriſti non confici per miniſterium Sacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti. Multi ſimiliter teſtati ſunt, eos prorſus negantes audiſſe virum cum vxore ſaluari, ſi alter alteri debitum reddat. Alij in faciem illis firmiter opponebant, quod ab ipſis audiſſent, Baptiſmum paruulis non prodeſſe, & alias quamplures contra Deum, & Sanctam Eccleſiam, & Catholicam Fidem blaſphemias protuliſſe, quas pro abominabili earum enormitate tacere maluimus, quàm referre.*

7. *Quidquid autem illi in ſua ſuperiori confeſſione, quæ ſatis videbatur ſufficere ad ſalutem, ſi ita corde crederent ad iuſtitiam, & in corde, & corde dixerint, ſicut homines torta mentis, & intentionis obliqua; tandem hæreſim noluerunt relinquere, vbi craſſum, & ſæpium intellectum eorum alicuius authoritatis ſuperficie videbatur iuuare, occaſione verbi illius, quod Dominus in Euangelio dixiſſe legitur* [d]: Nolite omninò iurare: & ſit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non. *dicentes ſe non debere iurare, cùm ipſe Dominus ſæpè iuraſſe legatur, ſicut ſcriptum eſt:* Iurauit Dominus, *&c. Et alibi:* Per memetipſum iuraui, dicit Dominus. *& Apoſtolus* [f]: Omnis controuerſiæ finis eſt iuramentum. *Et multa in hunc modum in diuinis Scripturis legentibus ſeſe offerunt, & occurrunt, quibus propter illorum infirmitatem, quibus aliquid ſuademus, iurare permittimur. Cæterum ipſi, tanquàm viri idiota, non intelligentes Scripturas, in laqueum, quem abſconderant, ceciderunt. Quia cùm priùs iuramentum, tanquàm rem execrabilem, & à Domino prohibitam, abhorrerent, in ipſa confeſſionit ſua charta iuraſſe conuicti ſunt, cùm dixerint: In veritate, quæ Deus eſt, ita credimus, & dicimus, quòd hæc eſt fides noſtra, neſcientes, quòd veritatem, & verbum Dei teſtimonium veræ aſſertionis adducere, proculdubio ſit iurare, ſicut de Apoſtolo legimus, cùm dixit:* Hoc enim vobis dicimus in verbo Dei. *& alibi:* Teſtis eſt mihi Deus. *& alia ſimilia comprobant, quæ ab illis, qui diuinas Scripturas intelligunt, & legerunt, poſſunt facilius inueniri.*

[d] Matth. 5.

[f] Hebr. 6.

8. *Cùm autem à multis, & ſufficientibus teſtibus fuiſſent conuicti, & adhuc multi ſe ad ferendum contra eos teſtimonium præpararent: quia Eccleſia conſueuit redeuntibus miſericordiæ gremium non negare, eos diligentiùs monuimus, vt omni hæretica prauitate depoſita, ad Fidei vnitatem redirent, & quia à Domino Papa, & Venerabilibus Fratribus noſtris Bituricenſi, & Narbonenſi Archiepiſcopis, & à Toloſano Epiſcopo, & à nobis ipſis propter peruerſam prædicationem, & ſectam excommunicati fuerant; ad nos iuxta formam Eccleſiæ reconciliandi venirent. Quod cùm illi in arcum prauum conuerſi, & mente perdita indurati facere recuſarent; nos in conſpectu totius populi, qui inſiter acclamabat, & in eos multa immanitate fremebat, eos iterum accenſis candelis, vnà cum prædicto Pictauienſi Epiſcopo, & aliis Religioſis viris, qui nobis in omnibus aſtiterunt, excommunicatos annunciauimus, & ipſos cum ſuo authore Diabolo condẽnauimus.* Hactenus geſta in cauſa Hæreticorũ, poſt diſceſſum Henrici per Legatos: & inter eos per Guarinum Bituricenſem. Vetùm, quę eodẽ veneno repullulante,

pullulante, ante triginta annos, alij item Legati Cistercienses contulerint Ecclesiæ, suis temporibus, locisque reddemus.

9. Interim adnoto, Albigensium grassanti pesti, quâ nulla planè grauior, serpentiórve, Cistercium in Ecclesia exortum, velut antidotum, quod diuina ei manus præparauisset: missò primùm Bernardo sub Eugenio; dein Abbatibus de Ardurelo, & de Candilio, sub Alexandro III. mox sub eodem Henrico, atque Guarino, Cistercien sibus cunctis, qui verbo veritatem expedirent, potestate vtgerent, &, si fieri posset, sola dogmata; sin minùs tamen eisdem extirpandis, etiam dogmatizantes eradicarent. Noto præterea, priores ex his Patribus, cùm omnia ritè, & rectè peregissent, quod negari non potest, eò solum frustratos parte victoriæ, quòd posteriores adhuc inuenirent, quæ superarent. Nam, quid alias à Bernardo Patre infectum, tot radiante miraculis, cùm dilataret (quod hactenus non visum) etiam vltra terminos Fidei, salutis commoda? Non vllis gloriis inferior esse potuit, qui vel hoc poterat: potuit quas voluit filiis reseruare. Demum aduerto tertiò, iam erumpentem hunc ipsum ignem, per Cistercienses tertiò etiam repressum, sopitúmque; sed nondum plenè extinctum ipsorum sanguine tandem extinguendum; cùm Beatus Petrus, cùm alij item Abbates, Monachique, quas tulerint sententias contra Hæreticos, proprij martyrij cruore rubricauerint. Vt palam fiat, Sanctissimæ Inquisitionis officium (quod primum in Ecclesia inuentum contra Albigenses suo loco dicemus) nihil prorsùs habuisse sub his initiis, quod non à Cistercien sibus acceptum, eisdem etiam veniat referendum. Sed de his infrà, hoc tomo, si Deus dederit. 3

---

1. *Henricus ad Cistercij Synodum primùm, dein ad suam Claramuallem properans,* 2. *Bernardi translationem celebrauit.* 3. *Quo tempore Godefridus Sorensis obiit,* 4. *præcedentibus, subsequentibusque reuelationibus.* 5. *Morienti Henrico Claræuallis Abbas assistit.* 6. *Annus, dies, & hora gloriosi obitus.* 7. *Quid de septennio Præsulatus Beati Viri?* 8. *Admirandum exemplum de Eucharistia* 9. *Perpensum Godefridi Purgatorium,* 10 *& gesta quædam Guarini Bituricensis.*

CAPVT III.

1. IVXTA hæc ab Archiepiscopo Guarino, & cæteris Legatis peragerentur, Henricus Abbas Rogerio declarato Burgundiam ingressus, Cistercium primum ad Generalem Synodum, cui Archiepiscopi; cui Episcopi, & Abbates, aliàs frequentes, frequentiores hoc anno, dein ad Claramuallem properauit, sanctam, & diu desideratam solennitatem in translatione Corporis Bernardi, communis omnium Patris, celebraturus. Nec defuere virum plures ex Patribus, qui intererant Concilio. Certè Metropolitam Lugdunensem, id est, Guicardum ex Pontigniaco assumptum, vt suprà vidimus, cum Diœcesano, & aliis Suffraganeis, necnon & multis ex Ordine assumptis translationi interfuisse, habemus ex libro Sepulcrorum Claraual-lensium; vbi occasione Godefridi Soritani, qui affuit inter cæteros, feliciter ibidem consummandus, hæc de hac translatione scripta lego [a]: *Audiens autem* (scilicet, Godefridus) *canonizationem Beati Bernardi per felicis memoriæ Alexandrum Papam III. factam, & translationem corporis eiusdem Beati Bernardi sub Domino Henrico Abbate, septimo Claraualli faciendam, ad Capitulum Generale veniens, exinde Claramuallem festinauit: vbi cum Archiepiscopo Lugdunensi, & Coepiscopis officiosissimè studuit interesse.* Hactenus ibi de translatione celebri corporis Sancti Patris. Quibus ex his, quæ in eodem libro in epitaphio Henrici scripta sunt, hæc expressiora, & quæ rem magis pandant, accipiat Lector.

[a] lib. Sepulcrorum Claramallis.

2. *Duo enim* (ait) *in Claraualle bona opera, & magnifica, exemptis aliis innumeris bonis, gloriosè consummauit,* (scilicet, Henricus.) *Nam Beatum Bernardum, quem iam Dominus Alexander Papa III. canonizauerat, & diem depositionis eius ab vniuersa Ecclesia cum gaudio celebrari præceperat, commotis hinc inde Venerabilibus Episcopis, aliisque reuerendis personis, per Venerabilem Patrem nostrum Dominum Guicardum, Archiepiscopum Lugdunensem, quondam Abbatem Pontigniacensem fecit, cum magno gaudio, & exultatione totius Ecclesiæ Gallicanæ eleuari, & releuari, & in tabernaculo marmoreo retrò Altare Beatæ Mariæ Virginis, sicut hodie apparet, religiosè, & honorificè collocari.* Hoc primum opus Henrici Claræuallensis: nam de alio in sequentibus dicemus.

[b] ibi ibid. in Henrico.

3. Translationem Bernardi felix Godefridi dormitio sequuta est, Præsulis Soritani, quem ex Sardinia venisse commemorauimus, positurum ibidem ex voto felicem animam, inde ad Regna cœlestia transferendam. De eo hæc habet Author Exordij Magni [c]: *Appropinquante autem vocationis eius termino, quem solus Deus nouerat, egressus de Sardinia, venit ad visitandam Claramuallem, cuius filius erat, & in qua sepeliri magno desiderio peroptauerat. Quam cum à longè intuitus esset, eleuatis oculis, suspirauit in Cœlum, toto cordis affectu deprecans Dominum, si infra triennium esset moriturus, (tali siquidem spatio temporis semper eandem Domum, vel vna vice visitare decreuerat,) nunquam ipsum amplius separari permitteret ab eaine forte alibi consummari cum contingeret, & desiderata sibi sepultura priuaretur. Ingressus itaque dilectum sibi Monasterium, cùm aliquando sanus ibi perstitisset, & Fratres vniuersi de tanto hospite lætarentur, tandem corripiente se acuta valetudine, per dies aliquot ægrotauit: & ingrauescente morbo, ad extrema deuenit. Cúmque fuisset inunctus oleo sancto, & munitus etiam Sacramento Christi, Viatico, eadem hora, in vno ferè eodem momento, mirantibus vniuersis, obdormiuit in Domino.* Hæc in Exordio de morte Beati Viri. 3

[c] lib. 3. c. 23.

4. Glorioſum transitum præcessêre reuelationes, cuidam ex Monachis Claræuallis factæ, quas idem Author tradit his planè verbis [d]: *Cum autem primum ægrotare cœpisset ipse Sanctus Sacerdos, reuelatum est de eo cuidam ex Fratribus ipsius Monasterij, quia in proximo esset migraturus. Dein post dies paucos, cùm idem Frater vigiliis diuini Officij interesset, vidit in spiritu stratum quoddam floribus mollibus diligenter aptatum, & niueis operimentis decenter ornatum, quod eidem Episcopo seruabatur: nimirum signans æterna felicitatis requiem, ad quam post modicum erat assumendus.* Hæc præcessêre glorioſum viri obitum. Nec inferiores visiones sequutæ sunt, quibus ipsius cœlestis habitatio, 4

[d] vbi supra.

simul & veritas præcedentium confirmaretur. Nam corpore in Ecclesiam iam delato, ac iacente in feretro [e]: *Cùm cantarentur matutina Laudes, idem, qui priùs Monachus vidit, & ecce in parietibus templi circa defunctum Antistitem, quasi vnius horæ spatio luminaria copiosa, quasi diuinitùs accensa, ita vt præ multitudine numerari non possent.* Et post pauca: *Expletis autem* (pergit idem Author) *post depositionem Beati Viri, duobus mensibus, cum idem Frater in Choro esset, ad vigilias vigilans, & psallens, subitò venit in mentis excessum: & ecce apparuit ei Beatus Episcopus, induens se sacerdotalibus, & quasi præparans se ad Missam celebrandam, ita vt Frater ipse adiuuans eum reuerteretur casulam super brachia illius. Porrò in eadem hora cantabatur hic versus in Ecclesia: Et introibo ad Altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.* Hactenus ibi.

[e] *ibid.*

5. Morienti Henricus Abbas deuotus affuit, & funeris officium piè impendit: alterum siccis, vdit alterum oculis; primas partes, vt decebat, fidei tribuens, secundas, quod à fide non abhorret, permittens sensibus. Vtrumque notat idem Exordij Author, dum ita ait [f]: *Porrò Venerabilis eiusdem Monasterij Abbas,* (Henricus,) *qui eius conscientiæ puritatem optimè nouerat, cùm iam exanimati corporis oculos clauderet, cum magna fidei pietate exclamans, ait: O dulcis, & venerande Pater, Deus omnipotens faciat me quantocyùs ad tuum peruenire consortium. Dum verò commendationis officium sacro funeri eius impenderet, tanto pietatis affectu mouebatur, vt erumpentes lacrymas continere non posset, ita vt etiam duros corde in fletum commoueret.*

[f] *vbi suprà.*

6. De anno obitus non licet dubitare, asserente Exordio [g]: *Migrauit autem à sæculo idem Beatus Pontifex anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo octauo.* Nec dissentiente libro Sepulcrorum Clarævallis, quanuis corruptè legatur apud Henriquez [h], vbi nonus substituitur pro octauo. Sed nec de die liceret, ni sibi ipsi Exordium contrariaretur, & nunc in diem Dedicationis Ecclesiæ Clarævallensis, mox in tertiam ante Idus Nouembris incidisse circa mediam noctem memoriæ prodit. Cùm tamen Clarævallis Dedicatio, non tertio Idus Nouembris, vt palam est; sed tertio Idus Octobris celebretur. Prima verba Exordij ita se habent [i]: *Transiit autem circa medium noctis in Festiuitate Dedicationis Ecclesiæ Clarævallis.* Secunda sic [k]: *Migrauit anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXXVIII. tertio Idus Nouembris.* Potuit facilè mendum irrepsisse, vt pro Octobri Nouember supponeretur. Haud aliter apud Henriquez in Menologio [l] aliud mendum irrepsit, & pro tertio Idus Octobris, pridie Idus Octobris scriptum legitur. Magis ab scopo deuiauit Hugo Menardus [m], qui tradit x i. Octobris obiisse.

[g] *ibid.*

[h] *Octobr. 14.*

[i] *lib. 3. c. 25.*

[k] *ibid.*

[l] *vbi suprà.*

[m] *in Martyrolog. Monast.*

7. De septennio, quo Sanctanæ Ecclesiæ præfuit, & candelabro vnius Prouinciæ impositus radios doctrinæ diffudit per totum Orbem, nec eum ipso extinguendos, sed ad nos etiam vsque peruenturos; hæc in eodem Exordio notata lego [n]: *Qui septem annorum curriculo strenuè regens, & suam ipsius vitam in omni puritate custodiens, ministerium suum magnificè honorauit; dignumque sanctitatis exemplum posteris reliquit.* Strenuè, inquam, regens commissas oues, quod munus Episcopi, & suam ipsius vitam, non in hac, aut in illa, quod minus esset; sed in omni puritate custodiens, quod munus Viri Sancti, perfectique, ministerium suum, id est, pontificalem dignitatem, quæ cæteros honorat, ipse è contra magnificè honorauit: & dignum sanctitatis exemplum reliquit posteris, quod ad nos etiam transiit, non eius magisterio defraudandos, vel post tot sæcula. Hæc in Exordio de Magno Godefrido, quæ si Augustino, aut Ambrosio componantur, vix inferiora euadent ipsorum meritis. Narrat præterea illustre quoddam miraculum eius tempore inuentum in Eucharistia, quod quia ipsius decorat Pontificatum, non immeritò censui subiiciendum: sic autem habet:

[n] *lib. 3. c. 23.*

8. *Consilium eiusdem Præsulis fuit, vt quadam ipsius Basilicæ vetus, & ruinosa dilapidaretur, & in maiorem statum repararetur. Cùm ergo ipsum Altare in præsentia sua dirui præcepisset, reperit in eo capsellam scabrosam, ac veterem, Sanctorum Reliquias continentem. Porrò inter easdem Reliquias Corpus Domini repositum erat, quod ita sanum, & integrum, ita mundum, & candidum, & ab omni corruptione penitùs alienum inuentum est, ac si recentissimè ibi repositum fuisset. Sanè nemo in terra illa repertus est, qui eiusdem Ecclesiæ, vel Altaris constitutionem, vel constructionem, vel consecrationem se vidisse recoleret. Viso itaque tanto miraculo, vniuersi, qui aderant, lætati sunt valdè, & ædificati in fide glorificauerunt Deum cognoscentes vtique ipsum esse sacratissimum Corpus Domini, de quo veraciter scriptum est: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Hæc de vita, & de morte Sancti Pontificis. Quem inter illustriores Cistercij numerant Ioannes Abbas [o], Missale antiquum Ordinis [p], Author Dialogi de prospero, & aduerso eius statu [q], Martyrologium Monasticum [r], & Menologium [s], Ioannes de Assignus [t], & alij recentiores.

[o] *In suis Catalogis.*

[p] *Octobr. 11.*

[q] *Octobr. 14.*

[r] *in Concilium Gall.*

9. Hunc tamen Virtum, tot meritis illustrem, tot insignibus gloriæ decoratum, non sine aliquo temporalis pœnæ reatu, in futuro purgando decessisse, alia etiam reuelatio satis indicat, qua spiritus circa medium noctis emissus, matutinarum Laudum signum sustinuit, (hoc est, per vnam horam iuxta præscriptum Regulæ in solennioribus, qualis tunc celebrabatur, Festiuitatibus,) priusquàm in cœleste Palatium reciperetur: sic enim in eodem Exordio dicitur [u]: *Eadem verò nocte, qua defunctus est, posito in Ecclesia corpore, cùm signum ad solennes vigilias Dedicationis pulsaretur, prædictus Frater euigilans, cœpit illicò Pontificem defunctum ad mentem reuocare; factumque est vox in auribus eius loquens ad eum de eodem Dei famulo defuncto: Ecce nunc à principio signi huius recipient illum Sancti Dei omnes in consortium suum. Hanc vocem Frater ille audiens, gauisus est valdè, surgensque venit in Chorum, & stabat cum cæteris ad psallendum, semper glorificationem Beati Viri mente reuoluens.* Hactenus ibi: vt palam fiat, in tremendo illo Iudicio nihil iniudicatum, nihil impunitum, à quo nec sanctissimi Viri, & quos excellens gloria præstolatur, indemnes euadunt. Haud aliter de Balduino Cardinali superiùs dictum, quin & de aliis infrà dicendum erit.

[u] *vbi suprà.*

10. Hoc ipso anno, ante, aut post expeditionem Tolosanam, incertum nobis: *Guarinus Bituricensis Archipræsul* (ait Ioannes Chenu [x], qui gesta Episcoporum eius Ecclesiæ præ aliis accuratiùs adnotauit) *reduxit numerum Præbendarum in Ecclesia Bituricensi ad trigesimum, de consensu Humbaldi Decani, anno* 1178. *permisitque Canonicis Ecclesiæ Medy Monasterij, (qui antequàm Religiosi, vnà simul viuebant, vt & cæteri Canonici aliarum Ecclesiarum, quæ omnes erant Monasteria, Cathedrali excepta,) quòd separatim ederent. Visitauit etiam Prouinciam Burdegalensem iure Primatiæ, & procurationem accepit, ac iurisdictionem ibi exercuit.* Sic Guarinus, dum contra hostes Ecclesiæ exteriùs pugnat, non minùs ideò curat de domesticis, & commodis filiorum impensiùs prouidet.

[x] *in Episc. Gallia.*

1. Igniaci,

1. Igniaci, præsidente Beato Petro, 2. Balduinus miles ad mortem ægrotans accersis Sanctum: 3. impetrato vxoris consensu, habitum induit, & in eo decedit. 4. Sancti per omnia illius sollicitudo. 5. Horrenda visio potenter fugata, 6. & pro defuncto cæterorum preces adiunctæ. 7. Quid nigri Ordinis Abbas illuc aduenies. 8. Balduini exempti à pœnis apparitio, 9. firmo satis indicio comprobata. 10. Dictum de intelligentia harum virtutum. 11. Petri pro Henrico subrogatio in Morimundo, 12. atque eius historia satis mirandâ, 13. comprobata ex Cæsario ratione temporis.

CAPVT IV.

1. SVB idem tempus Igniacum florens sub Beato Petro, Balduini militis nobilis, & diuitis, atque in armis strenui; sed degeneris moribus, & eadem, quæ habebat, cœlestia dona, conuertentis in Cœlum pro more sæculi; vera, etsi sera conuersio lætificauit: quò desperatior, eò gloriosior, atque eò celebrior, quo pluribus sequutis apparitionibus comprobatior fructus, de quo nequaquam liceret dubitare. Narrata omnia ab Authore Exordij Magni, & sanctitatem, tum Beati Abbatis Petri, tum totius Conuentus Igniacensis eximiè commendantia, quia hoc tempus concernere videntur, totidem verbis hic censui transcribenda; & quidem hæc priora præcedentibus, si tempus aduertas: quippe gesta ab initio intrantis anni, vsque ad Parasceuen, sed postposita à nobis, quia priuata, quibus semper communia præferenda. Itaque Author Exordij Magni scribit [a]:

a lib. 2. c. 13.

2. *Miles quidam, nomine Balduinus, Dominus Castri, quod in territorio Rhemensi situm est, & Guiza nuncupatur, cùm esset bonno bellicosus, & strenuus in armis, postposito timore Dei, multa mala quotidie perpetrabat, rapinis, incendiis, cædibus, cæterisque similibus diabolicis operibus frequenter insistens. Hoc autem solummodo boni in eo esse videbatur, quod virum sanctissimum Petrum, tunc Igniaci, postea Clarauallis Abbatem, cum tota Domo Igniacensi syncere diligens, magnificè honorabat; multumque de eius meritis confidebat. Neque verò id frustrà, quemadmodum rei exitus declarabit, vt adimpleretur sententia, quam Dominus in Euangelio ait* [b]: Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. *Nam, cùm adhuc esset in ætate virili, contigit, eum lethali ægritudine pressum ad extrema perduci. Proinde missis quamtocyus nuncium rogans, & supplicans, quatenus præditus Abbas ad se venire dignaretur. Qui cauetè veniens, inuenit hominem iam penè consumptum, & linguæ officio penitùs destitutum. Sed orante Abbate Sancto, largâ benignitate Domini nostri, indulta est protinus ægro loquendi facultas, & confitendi voluntas.*

b Matth. 10.

3. *Confessione verò cum multa cordis contritione facta, voluit in continenti mundum deserere, & habitum Religionis assumere. Coniux autem ipsius, qua plùs corpus mariti, quàm animam diligebat, multa pertinacia, ne hoc fieret, prohibebat. Dilatum est interim votum, donec illa de sospitate ipsius penitùs desperata, sandem dedit assensum. Qui gauisus vehementer de impetrata conuersionis licentia, mox ad supradictam Igniaci Domum transferri se fecit, futurus ibidem Monachus, si vixisset. Sed morte accelerante, soluta est anima eius à corpore, amarissima contritione ingemiscens, quòd tempus pœnitentiæ sine pœnitentia trænsegisset. Cumque defunctus fuisset, facta sunt de eo multa reuelationes predicto Abbati, cæterisque senioribus loci: quas quia longum esset, omnes explicare, paucas ex pluribus enarrare curabimus. Eadem igitur nocte, qua defunctus est, apparuit eadem viro Religioso, quasi de lecto se erigens, in quo graui ægritudine depressus iacere videbatur: cúmque illi adminiculum ferre conaretur, ait: Non est mihi necesse, Frater, vt fatiges te ipsum: Sanctus namque Benedictus, sub cuius alis, licèt indignus, confugi, adiutor est mihi fortissimus, ipséque me mittit ad Dominum Petrum Abbatem nostrum, vt ab eo Monachus fiam.*

4. *In ipsa nocte, cùm Venerabilis Abbas pro anima peccatoris, sed pœnitentis, sollicitus valdè existeret, cœpit animo pertractare, qualiter homini mortuo, tanta peccatorum mole grauato, succurrere posset. Hæc illo cogitante, subitò adstitit ei quidam, cuius vultum non agnoscebat (quem tamen Angelum Dei fuisse credebat) respondens cogitationibus eius, & dicens: Magno adiutorio indiget. Haud dubium verò est, quin de ipso mortuo diceret. Et his dictis, statim ab oculis eius sublatus est. Itaque Sanctus Abbas accepto diuinitùs responso, liquefactus est totus pietatis, & fraterna compassionis vnguento, & mox conuersus ad orationem, Altaria Sanctorum circuibat, eorúmque suffragia pro salute defuncti medullitùs implorabat: cúmque hoc ardenti pietatis affectu diutiùs actitaret, ex infirmitate fragilitatis humanæ, tanquàm mœsto, & fatigato somnus obrepere cœpit.*

5. *Tenuiter verò obductis palpebris, cùm nec plenè vigilans, nec plenè dormiens sibi videretur, apparuit ei Satanas vultu terribili minaciter fremens, & dicens aduersùs eum: Quid Balduinum aufers mihi? Et cùm hoc dixisset, maximo impetu furoris exiliit in eum, coarctans, & comprimens vehementer. Qui statim expergefactus, ita se omnibus membris astrictum reperit, vt ea mouere non posset. Sed verbum Dei non fuit alligatum. Dixit itaque ad insatiabilem illum homicidam: Adiuro te, Spiritus immunde, per Sanguinem Iesu Christi Filij Dei, quem pro nobis miseris peccatoribus effundere dignatus est, & per gloriosam eius Genitricem, & Virginem Mariam, quatenus huic animæ confessæ, & pœnitenti nocere non præsumas. Cùm autem hoc dixisset, suprema virtute coactus, reliquit eum Diabolus, & fugit. Ipsè verò in sua relaxatione, defuncti liberationem sentiens, reassumpta erandi constantia, magis, ac magis iterum precibus insistebat. Tanta namque in illa hora deuotionis gratia perfusus est, tantámque de Dei misericordia fiduciam mente concepit, quantam nunquam in vita sua fuerat expertus. Vnde etiam indubitanter credidit, suas, suorúmque Fratrum supplicationes pro eodem defuncto diuinitùs exaudiri.*

6. *Manè ergo facto, cùm Capitulo Fratrum præsideret, omnes in communi sollicitè rogat, attentiùs monet, quatenus pro anima peccatoris, qui ad ipsos in supremo necessitatis articulo confugisset, ardentes preces effunderent. Multáque, & diuturnas orationes faciens, ipse per dies triginta penè quotidie sacrificium nostræ Redemptionis pro eius anima offerre curauit. Porrò per totum Tricenarium illud, vix aliqua dies præteriit, quin memorato Abbati aliquando dormienti, aliquando etiam (quod magis mirum est) vigilanti, idem defunctus appareret. Interdum quoque flexis genibus,*

simul & veritas præcedentium confirmaretur. Nam corpore in Ecclesiam iam delato, ac iacente in feretro [c]: *Cùm cantarentur matutina Laudes, idem, qui priùs Monachus vidit, & ecce in parietibus templi circa defunctum Antistitem, quasi vnius horæ spatio luminaria copiosa, quasi diuinitùs accensa, ita vt præ multitudine numerari non possent.* Et post pauca: *Expletis autem* (pergit idem Author) *post depositionem Beati Viri, duobus mensibus, cùm idem Frater in Choro esset, ad vigilias vigilans, & psallens, subitò venit in mentis excessum: & ecce apparuit ei Beatus Episcopus, induens se sacerdotalibus, & quasi præparans se ad Missam celebrandam, ita vt Frater ipse adiuuans eum reuersaret casulam super brachia illius. Porrò in eadem hora cantabatur hic versus in Ecclesia: Et introibo ad Altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.* Hactenus ibi.

c *ibid.*

5. Morienti Henricus Abbas deuotus affuit, & funeris officium piè impendit: alterum siccis, vdis alterum oculis; primas partes, vt decebat, fidei tribuens; secundas, quod à fide non abhorret, permittens sensibus. Vtcunque notat idem Exordij Author, dum ita ait [f]: *Porro Venerabilis eiusdem Monasterij Abbas,* (Henricus,) *qui eius conscientiæ puritatem optimè nouerat, cùm iam exanimati corporis oculos claudaret, cum magna fidei pietate exclamans, ait: O dulcis, & venerande Pater, Deus omnipotens faciat me quantocyùs ad tuum peruenire consortium. Dum verò commendationis officium sacro funeri eius impenderet, tanto pietatis affectu mouebatur, vt erumpentes lacrymas continere non posset, ita vt etiam duros corde in fletum commoueret.*

f *vbi suprà.*

6. De anno obitus non licet dubitare, asserente Exordio [g]: *Migrauit autem à sæculo idem Beatus Pontifex anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo octauo.* Nec dissentiente libro Sepulcrorum Clarævallis, quanuis corruptè legatur apud Henriquez [h], vbi nonus substituitur pro octauo. Sed nec de die liceret, ni sibi ipsi Exordium contrariaretur, & nunc in diem Dedicationis Ecclesiæ Clarævallensis, mox in tertiam ante Idus Nouembris incidisse circa mediam noctem memoriæ prodit. Cùm tamen Clarævallis Dedicatio, non tertio Idus Nouembris, vt palam est; sed tertio Idus Octobris celebretur. Prima verba Exordij ita se habent [i]: *Transiit autem circa medium noctis in Festiuitate Dedicationis Ecclesiæ Clarævallis.* Secunda sic [k]: *Migrauit anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXXVIII. tertio Idus Nouembris.* Potuit facilè mendum irrepsisse, vt pro Octobri Nouember supponeretur. Haud aliter apud Henriquez in Menologio [l] aliud mendum irrepsit, & pro tertio Idus Octobris, pridie Idus Octobris scriptum legitur. Magis ab scopo deuiauit Hugo Menardus [m], qui tradit x I. Octobris obiisse.

g *ibid.*

h *Octobr. 14.*

i *lib. 3. c. 23.*

k *ibid.*

l *vbi suprà.*

m *in Martyrolog. Monast.*

7. De septennio, quo Soritanæ Ecclesiæ præfuit, & candelabro vnius Prouinciæ impositus radios doctrinæ diffudit per totum Orbem, nec cum ipso extinguendos, sed ad nos etiam vsque peruenturos; hæc in eodem Exordio notata lego [n]: *Qui septem annorum curriculo strenuè regens, & suam ipsius vitam in omni puritate custodiens, ministerium suum magnificè honorauit; dignumque sanctitatis exemplum posteris reliquit.* Strenuè, inquam, regens commissas oues, quod munus Episcopi, & suam ipsius vitam, non in hac, aut in illa, quod minus esset; sed in omni puritate custodiens, quod munus Viri Sancti, perfectique, ministerium suum, id est, pontificalem dignitatem, quæ cæteros honorat, ipse è contra magnificè honorauit: & dignum sanctitatis exemplum reliquit posteris, quod ad nos etiam transiit, non eius magisterio defraudandos, vel post tot sæcula. Hæc in Exordio de Magno Godefrido, quæ si Augustino, aut Ambrosio componantur, vix inferiora euadent ipsorum meritis. Narrat præterea illustre quoddam miraculum eius tempore inuentum in Eucharistia, quod quia ipsius decorat Pontificatum, non immeritò censui subiiciendum: sic autem habet:

n *lib. 3. c. 23.*

8. *Consilium eiusdem Præsulis fuit, vt quadam ipsius Basilica vetus, & ruinosa dilapidaretur, & in maiorem statum repararetur. Cùm ergo ipsum Altare in præsentia sua dirui præcepisset, reperit in eo capsellam scabrosam, ac veterem, Sanctorum Reliquias continentem. Porrò inter easdem Reliquias Corpus Domini repositum erat, quod ita sanum, & integrum, ita mundum, & candidum, & ab omni corruptione penitùs alienum inuentum est, ac si recentissimè ibi repositum fuisset. Sanè nemo in terra illa repertus est, qui eiusdem Ecclesiæ, vel Altaris constitutionem, vel constructionem, vel consecrationem se vidisse recoleret. Viso itaque tanto miraculo, vniuersi, qui aderant, lætati sunt valdè, & ædificati in fide glorificauerunt Deum cognoscentes vtique ipsum esse sacratissimum Corpus Domini, de quo veraciter scriptum est: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Hæc de vita, & de morte Sancti Pontificis. Quem inter illustriores Cistercij numerant Ioannes Abbas [o], Missale antiquum Ordinis [p], Author Dialogi de prospero, & aduerso eius statu [q], Martyrologium Monasticum [r], & Menologium [s], Ioannes de Assignus [t], & alij recentiores.

o *In suis Catalogis.*

p *Octobr. 11.*

q *Octobr. 14.*

r *in Concilium Gall.*

9. Hunc tamen Virum, tot meritis illustrem, tot insignibus gloriæ decoratum, non sine aliquo temporalis pœnæ reatu, in futuro purgando decessisse, alia etiam reuelatio satis indicat, qua spiritus circa medium noctis emissus, matutinarum Laudum signum sustinuit, (hoc est, per vnam horam iuxta præscriptum Regulæ in solennioribus, qualis tunc celebrabatur, Festiuitatibus,) priusquàm in cœleste Palatium reciperetur: sic enim in eodem Exordio dicitur [u]: *Eadem verò nocte, qua defunctus est, posito in Ecclesia corpore, cùm signum ad solemnes vigilias Dedicationis pulsaretur, prædictus Frater euigilans, cæpit illicò Pontificem defunctum ad mentem reducere; fluitque facta est vox in auribus eius loquens ad eum de eodem Dei famulo defuncto: Ecce nunc à principio signi huius recipient illum Sancti Dei omnes in consortium suum. Hanc vocem Frater ille audiens, gaudio est valdè, surgensque venit in Chorum, & stabat cum cæteris ad psallendum, semper glorificationem Beati Viri mente reuoluens.* Hactenus ibi: vt palam fiat, in tremendo illo Iudicio nihil iniudicatum, nihil impunitum, à quo nec sanctissimi Viri, & quos excellens gloria præstolatur, indemnes euadunt. Haud aliter de Balduino Cardinali superiùs dictum, quin & de aliis infrà dicendum erit.

u *vbi suprà.*

10. Hoc ipso anno, ante, aut post expeditionem Tolosanam, incertum nobis: *Guarinus Bituricensis Archipræsul* (ait Ioannes Chenu [x], qui gesta Episcoporum eius Ecclesiæ præ aliis accuratiùs adnotauit) *reduxit monerum Prebendarum in Ecclesia Bituricensi ad trigesimum, de consensu Humbaldi Decani, anno* 1178. *permisitque Canonicis Ecclesiæ Medij Monasterij, (qui antequàm Religiosi, vnà simul viuebant, vt & cæteri Canonici aliarum Ecclesiarum, quæ omnes erant Monasteria, Cathedrali excepta,) quod separatim ederent. Visitauit etiam Prouinciam Burdegalensem iure Primatis, & procurationem accepit, ac iurisdictionem ibi exercuit.* Sic Guarinus, dum contra hostes Ecclesiæ exteriùs pugnat, non minùs ideò curat de domesticis, & commodis filiorum impensiùs prouidet.

x *in Episc. Gallia.*

1. Igniaci, præsidente Beato Petro, 2. Balduinus miles ad mortem ægrotans accersis Sanctum: 3. impetrato uxoris consensu, habitum induit, & in eo decedit. 4. Sancti per omnia illius sollicitudo 5. Horrenda visio potenter fugata, 6. & pro defuncto cæterorum preces adiunctæ. 7. Quid nigri Ordinis Abbas illuc adueniens. 8. Balduini exempti à pœnis apparitio, 9. firmo satis indicio comprobata. 10. Dictum de intelligentia harum virtutum. 11. Petri pro Henrico subrogatio in Morimundo, 12. atque eius historia satis mirandæ, 13. comprobata ex Cæsario ratione temporis.

CAPVT IV.

1. SVB idem tempus Igniacum florens sub Beato Petro, Balduini militis nobilis, & diuitis, atque in armis strenui; sed degeneris moribus, & eadem, quæ habebat, cœlestia dona, conuertentis in Cœlum pro more sæculi; vera, etsi sera conuersio lætificauit: quò desperatior, eò gloriosior, atque eò celebrior, quo pluribus sequutis apparitionibus comprobatior fructus, de quo nequaquam liceret dubitare. Narrata omnia ab Authore Exordij Magni, & sanctitatem, tum Beati Abbatis Petri, tum totius Conuentus Igniacensis eximiè commendantia, quia hoc tempus concernere videntur, totidem verbis hic censui transcribenda; & quidem hæc priora præcedentibus, si tempus aduertas: quippe gesta ab initio intrantis anni, vsque ad Parasceuen, sed postposita à nobis, quia priuata, quibus semper communia præferenda. Itaque Author Exordij Magni scribit [a]:

a lib. 2. c. 23.

2. *Miles quidam, nomine Balduinus, Dominus Castri, quod in territorio Rhemensi situm est, & Guiza nuncupatur, cùm esset homo bellicosus, & strenuus in armis, postposito timore Dei, multa mala quotidie perpetrabat, rapinis, incendiis, cædibus, cæterisque similibus diabolicis operibus frequenter insistens. Hoc autem solummodo boni in eo esse videbatur, quod virum sanctissimum Petrum, tunc Igniaci, postea Clarauallis Abbatem, cum tota Domo Igniacensi syncerè diligens, magnificè honorabat; multumque de eius meritis confidebat. Neque verò id frustrà, quemadmodum rei exitus declarabit, vt adimpleretur sententia, quam Dominus in Euangelio ait* [b]: Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. *Nam, cùm adhuc esset in ætate virili, contigit, eum lethali ægritudine pressum ad extrema perduci. Proinde misit quamtocyus nuncium rogans, & supplicans, quatenus præditus Abbas ad se venire dignaretur. Qui comite veniens, inuenit hominem iam penè consumptum, & linguæ officio penitùs destitutum. Sed erante Abbate Sancto, larga benignitate Domini nostri, indulta est protinus ægro loquendi facultas, & confitendi voluntas.*

b Matth. 10.

3. *Confessione verò cum multa cordis contritione facta, voluit in continenti mundum deserere, & habitum Religionis assumere. Coniux autem ipsius, quæ plus corpus mariti, quàm animam diligebat, multa pertinacia, ne hoc fieret, prohibebat. Dilatum est interim votum, donec illa de sospitate ipsius penitùs desperata, tandem dedit assensum. Qui gauisus vehementer de impetrata conuersionis licentia, mox ad supradictam Igniaci Domum transferri se fecit, futurus ibidem Monachus, si vixisset. Sed morte accelerante, soluta est anima eius à corpore, amarissima contritione ingemiscens, quòd tempus pœnitentiæ sine pœnitentia transegisset. Cumque defunctus fuisset, facta sunt de eo multa reuelationes predicto Abbati, cæterisque senioribus loci: quas quia longum esset, omnes explicare, paucas ex pluribus enarrare curabimus. Eadem igitur nocte, qua defunctus est, apparuit cuidam viro Religioso, quasi de lecto se erigens, in quo graui ægritudine depressus iacere videbatur: cumque illi adminiculum ferre conaretur, ait: Non est mihi necesse, Frater, vt fatigeris te ipsum: Sanctus namque Benedictus, sub cuius alis, licèt indignus, confugi, aditor est mihi fortissimus, ipséque me misit ad Dominum Petrum Abbatem nostrum, vt ab eo Monachus fiam.*

4. *In ipsa nocte, cum Venerabilis Abbas pro anima peccatoris, sed pœnitentis, sollicitus valdè existeret, cœpit animo pertractare, qualiter homini mortuo, tanta peccatorum mole grauato, succurrere posset. Hæc illo cogitante, subitò adstitit ei quidam, cuius vultum non agnoscebat (quem tamen Angelum Dei fuisse credebat) respondens cogitationibus eius, & dicens: Magno adiutorio indiget. Haud dubium verò est, quin de ipso mortuo diceret. Et his dictis, statim ab oculis eius sublatus est. Itaque Sanctus Abbas accepto diuinitùs responso, liquefactus est totus pietatis, & fraternæ compassionis vnguento, & mox conuersus ad orationem, Altaria Sanctorum circuibat, eorúmque suffragiis pro salute defuncti medullitùs implorabat: cúmque hoc ardenti pietatis affectu diutiùs æstuaret, ex infirmitate fragilitatis humanæ, tanquàm mœsto, & fatigato somnus obrepere cœpit.*

5. *Tenuiter verò obductis palpebris, cùm nec plenè vigilans, nec plenè dormiens sibi videretur, apparuit ei Satanas vultu terribili minaciter fremens, & dicens aduersùs eum: Quid Balduinum aufers mihi? Et cùm hoc dixisset, maximo impetu furoris exiliit in eum, coarctans, & comprimens vehementer. Qui statim expergefactus, ita se omnibus membris astrictum reperit, vt ea mouere non posset. Sed verbum Dei non fuit alligatum. Dixit itaque ad insatiabilem illum homicidam: Adiuro te, Spiritus immunde, per Sanguinem Iesu Christi Filij Dei, quem pro nobis miseris peccatoribus effundere dignatus est, & per gloriosam eius Genitricem, & Virginem Mariam, quatenus huic animæ confessæ, & pœnitenti nocere non præsumas. Cùm autem hoc dixisset, suprema virtute coactus, reliquit eum Diabolus, & fugit. Ipse verò in sua relaxatione, defuncti liberationem sentiens, resumpta erandi constantia, magis, ac magis iterum precibus insistebat. Tanta namque in illa hora deuotionis gratia perfusus est, tamámque de Dei misericordia fiduciam mente concepit, quantam nunquam in vita sua fuerat expertus. Vnde etiam indubitanter credidit, suas, suorúmque Fratrum supplicationes pro eodem defuncto diuinitus exaudiri.*

6. *Manè ergo facto, cùm Capitulo Fratrum præsideret, omnes in communi sollicitè rogat, attentiùs monet, quatenus pro anima peccatoris, qui ad ipsos in supremo necessitatis articulo confugisset, deuotas preces effunderent. Multásque, & diuturnas orationes statuens, ipse per dies triginta penè quotidie sacrificium nostræ Redemptionis pro eius anima offerre curauit. Porrò per totum Tricenarium illud, vix aliqua dies præteriit, quin memorato Abbati aliquando dormienti, aliquando etiam (quod magis mirum est) vigilanti, idem defunctus appareret. Interdum quoque flexis genibus,*

Digitized by Google

& iunctis manibus coram eo suas supplicare videbatur, vt pro se orare non desisteret.

7. *Contigit autem in ipso tempore, Abbatem quendam Monachum nigri Ordinis, qui Mites ille adhuc in carne viuens aliquando grauiter iniuriatus fuerat, ad eundem Dominum Ignatiaci hospitandi gratia, obuertere: quisquis verò Reuerendissimus Abbas Petrus, quod hanc quoque occasionem adiuuandi peccatricem animam sibi praestitisset Dominus; supradictum Abbatem duxit ad tumulum defuncti, obsecrans in Christi amore, vt eum absolueret ab illa iniuria, quam, suadente Diabolo, in ipsum commiserat: quo statim sine dilatione, tum propter hominem Dei, tum etiam propter compassionem fraternæ miseriæ, quod petebatur, concedente; ecce in ipsa nocte defunctus ille Domino Abbati Petro gratulabundus apparuit, ostendens corpus suum purgatum à lepra, qua se olim contaminatum fuisse insinuabat. Praterea in facie ipsius apparuit immensi cuiusdam vulneris penitùs obducta cicatrix, cuius sanitas recens deletum ostendebat esse piaculum, quod in Abbatem commiserat.*

8. *Post hæc autem, cùm iam Dominus declarare vellet, exauditas fuisse in conspectu suo preces Sancti Abbatis, Fratrisque eius pro anima pœnitentis illius; in ipso sancto die Parasceues, iam inchoato circa horam nonam diuino Officio; in ipsa, inquam, hora, qua Dominus noster Iesus Christus pro peccatoribus Crucis supplicium subire, & mortem gustare dignatus est; cum idem Venerabilis Abbas, indutus sacerdotalibus vestibus iuxta Altare præsideret, apparuerunt ei duo iuuenes præclaris vultibus, & holosericis vestimentis renitentes, qui eundem Balduinum defunctum, dextra, lauaque incedentes, vsque ad Altare deduxerunt; transeuntes verò coram Abbate, conuertentésque se ad eum, dixerunt: Ecce Dominus Balduinus. Erat autem ipse defunctus nigris quidem vestimentis; sed tam bonis, & decoris amictus, vt quasi de assembruno esse videretur. Quod videns Sanctus Abbas, lætatus est valde, nimirum, intelligens in vestibus nigris pœnitentiæ signum; & in representatione ipsius ad Altare certum reconciliationis indicium.*

9. *Vt verò reconciliationis huius à corde famuli Dei remoueretur scrupulus, qui priùs crebrò apparere solebat, intercessionis opem flagitans, deinceps nec ipsi Abbati, nec alteri cuipiam apparuit, vt etiam per hoc, magna misericordia Dei se in numero pœnitentium, & in purgatorijs locis ad similitudinem reformandorum receptum fuisse declararet.* Hactenus in Exordio, de conuersione Balduini militis, & eiusdem salute, vtraque consequuta meritis Petri. Vnde & subdit in ipsius laudes conuersus: *Perpende itaque, Lector, quàm charus, & quàm acceptus Deo fuerit iste Abbas Petrus, cuius meritis, & precibus donauit hominem peccatorem, qui ob multiplicitatem, & enormitatem scelerum suorum vix vnquam de profunda mortis voragine respirare posse videbatur.*

10. Cæterùm in his apparitionibus, similibúsque, quibus peccata à Deo semel remissa veluti lepramaculæ, seu vulnera, aut vulnerum cicatrices conspiciuntur, nequaquam sic intelligendum est, quasi aliquid maneat admissæ culpæ, aut non penitùs ei eradicetur, velut si nunquam fuisset; sed quia aliter significari nequit reatus pœnæ, pro quo aut satisfaciendum dolentes postulent, aut satisfactum glorioſi congratulentur.

11. Sub idem tempus, quantùm ex Dialogis Cæsarij Heisterbacensis, & Catalogo Abbatum Morimondensium licet coniicere, Henrico, vndecimo eiusdem Monasterij Abbate, qui Aliprando successerat, defuncto, vir venerabilis Petrus electus est, de quo idem Cæsarius mira narrat, quæ seu verè contigerint, siue per visum, & tantùm in deliquio, nequaquam censui silentio præteremnda: *Cum esset iuuenis, cum cæteris Scholaribus studebat Parisijs, qui cùm esset duri ingenij, labilisque memoriæ, ita vt penè nihil posset capere, vel retinere, ab omnibus irridebatur, ab omnibus idiota iudicabatur: vnde cœpit turbari, multisque doloribus cor eius affligi. Contigit, vt die quadam infirmaretur, & ecce Satan affuit, qui diceret ei: Vis mihi facere homagium, & ego tibi dabo scientiam omnium literarum? Audiens hæc iuuenis expauit, & Diabolo talia suggerenti respondit: Redi post me, Satana: quia nunquam eris dominus meus, neque ego homo tuus. Et cùm ei non acquiesceret, manum illius quasi violenter aperuit, lapidémque imponens dixit: Quandiu conclusum teneris lapidem istum in manu tua, scies omnia. Recedente inimico, iuuenis surrexit, scholas intrauit, quæstiones proposuit, omnésque disputando superauit. Mirati sunt omnes, vnde idiota tanta facundia, nouitas tam insuetata: ille verò negotium celatum habuit, nec alicui hominum causam tantæ scientiæ exponere voluit.* c.lib.1.dialog. c.32.

12. *Non multò post infirmari cœpit vsque ad mortem: vocatus est Sacerdos, qui eius audiret confessionem; cui etiam inter cætera confessus est, quomodo à Diabolo recepisset lapidem, & cum lapide scientiam. Respondit Sacerdos: Proice, miser, artem Diaboli, ne expers fias scientiæ Dei. Territus ille, lapidem, quem adhuc manu tenebat, proiecit, & cum lapide fallacem scientiam deposuit. Quid plura? Defunctus est Clericus, & corpus eius positum in Ecclesia, ordinatis circa feretrum Scholaribus, qui more Christiano Psalmos decantarent. Dæmones animam tollentes, & ad vallem profundam, terribilem, fœtidámque sulphureum euaporantem, illam portantes ordinabant se ex vtraque parte vallis: & qui stabant ex vna parte animam miseram ad similitudinem ludi pila proiiciebant: alij ex parte altera per aëra volantem manibus suscipiebant; quorum vngues ita erant acutissimi, vt acus exacutas, omnique acumen ferri incomparabiliter superarent, à quibus ita tormentabatur, sicut postea dicebat, cùm eum iactarent, vel exciperent, vt illi tormento nullum genus tormentorum posset æquiparari. Miserius illius Dominus, misit nescio quem cœlestem personam, virum magnæ reuerentiæ, qui Dæmonibus tale nuncium deferebat: Audite: præcipit vobis Dominus Altissimus, vt animam à vobis deceptam dimittatis. Mox omnes inclinantes simul animam dimiserunt, nec eam amplius tangere præsumpserunt. Quæ reuersa ad corpus, membra exanimata viuificauit, viuificata erexit, Scholares circum sedentes in fugam vertit; descendénsque de feretro, dicebat, se viuere; & quid viderit, quidve audierit, magis operè, quàm sermone manifestauit. Nam statim conuersus in Ordine Cisterciensi tam rigidus fuit sibi, tam durus castigator corporis sui, vt omnibus, qui eum videre poterant, patenter daretur intelligi; quia pœnas senserit Purgatorij, vel potius Inferni.* Hactenus ibi de viri conuersione.

13. Porrò eundem præfectum in Abbatem, paulò pòst subdit: *Postea verò propter meritum vitæ factus est Abbas Morimundi, vna de quatuor primis Domibus, vir sanctus, & iustus.* Cæterùm, quod ad tempus attinet, hæc habet in principio eiusdem capitis: *Ante hos viginti quatuor annos Abbas quidam Morimundi fuit, quem talis necessitas ad Ordinem traxit,* &c. Hinc nanque constare videtur annorum calculus, quandiu Cæsarius scribebat Dialogos sub annum M.C.C.XXII. vt suo loco videbimus, à quibus demptis quatuor & viginti, superùm anni

ni M.C.XCVIII. Tum si ab his vlteriùs viginti demas, quos ex Catalogo Abbatum Morimundensium intercessisse constat à prima Petri electione ad eius obitum, inuenias hoc anno M.C.LXXVIII. fuisse electum eum, quem tradit Cæsarius obiisse quatuor, & viginti annis, antequàm libros illos concinnaret. Rexit Petrus Cœnobium tribus annis, post quos sponte cessit, succedente Henrico, per annos duos, Bartholomæo nec vnum adimplente, vt denuò idem ipse, qui nunciauerat, Petrus, in regimine rerum reuocaretur.

---

1. *Sanctus Felix Odulanus in Scotia in Episcopum Ossorienſem promotus:* 2. *ratio temporis*, 3. *& panca de eius actibus.* 4. *Ioachimus Abbas in Siciliam nauigat*, 5. *& priuilegio obtento Calabriam redit.* 6. *In Hispania Bernardus Carletensis Matertera Euangelium Christi prædicat.* 7. *Mox dilutis obiectis persuadet.* 8. *Demum ipsam conuersam potenter instruit.* 9. *In Alcobatia nouum templum surgit.* 10. *Chronologia, & fundationes præsentis anni*, 11. *inter quas notatur Samaria Hiberniæ domus:* 12. *& Abbatia de Casuas Sanctimonialium.*

CAPVT V.

1. EO ipso anno in Hibernia promotum lego, (ex Abbate, an ex Monacho, non constat,) in Episcopum Ossoriensem insignem sanctitate, & doctrina virum, Beatum Felicem, cognomento Odulanum, de quo hæc habet Iacobus Vvaræus [a]: *Donaldo successit Felix Odulanus Monachus Cisterciensis. Hic Aghaboa relicta, Cathedram episcopalem, Killeniam transtulisse fertur, & ibidem fundamenta iecisse Ecclesiæ Cathedralis, postea Sancto Canico Abbati dicatæ. Præfuit annos plus minus XXIV. tumque* (anno, scilicet, M.CC.II.) *decedens, in Monasterio Beatæ Mariæ de Geriponte conditus est.* Hæc ille. Cui maior habenda fides, quàm Chrysostomo Henriquez in Menologio [b], qui virum obiisse tradit ante sexennium, anno, nimirum, M.C.LXXII. idque ex antiquis Annalibus Kilkeniæ ista narrantibus [c]:

[a] *sub tit. Episcopi Ossoriensis.*

[b] *Ianuarij 24.*

[c] *ibid.*

2. *Felix Odulanus, Episcopus Ossoriensis, sepultus est in Monasterio de Beata Virgine de Geriponte, Sacri Ordinis Cisterciensis, diœcesis Ossoriensis, prope Altare magnum à parte Boreali: & vsque in hodiernum diem diuersa ibidem, per ipsum, miracula facta sunt. Quo tempore factæ fuerunt Constitutiones Casicliensis, anno millesimo centesimo septuagesimo secundo.* Cæterùm hæc ipsa Annalium verba, si rectè perpendantur, Casselienses, de quibus loquuntur, Constitutiones non referunt ad annum mortis Sancti Pontificis; sed ad discursum vitæ (quo tempore, id est, cuius tempore) qui quia annum non determinabat, cùm plures contineret, determinatum censuêre subiiciendum.

3. Periêre, heu, huius Sancti Præsulis Acta, nec quicquam aliud de eo scriptum lego, præter Cathedralis Ecclesiæ translationem, ab Ossoria ad Kilkeniam, quam Prouinciam ad familiam Butlerorum, siue Beckettorum, qui sunt ex stirpe Sancti Thomæ Cantuariensis, spectare tradit Aubertus Miræus in Geographia [d]. Vtraque Sedes sub Archiepiscopatu Dublinien si, & Kilkeniam à templo ipsius maximo per Felicem Odulanum extrui cœpto, Sancti Canici fanum etiam dictam, idem qui suprà Author testis existit. Reliqua vitæ ignota, præter miracula, quibus post mortem floruit, quibus etiam Vvaræus adstipulatur. Verùm de his dicemus, cùm tempus venerit.

[d] *in Ossoria.*

4. In Calabria, cùm Curatij Monasterium à Ministris Guillelmi Regis Siculi, atque Calabriæ Ducis infestaretur, Ioachimus Abbas in Siciliam transfretauit, Panormique Guillelmum Regem conueniens, cui valdè charus, tale ab ipso rescriptum impetrauit, quod Iacobus Græcus Sillanæus in lucem dedit [e]: *Guillelmus, Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Gualterio de Moac, fortunati Stolij Ammirato, & Regiæ Duhanæ de secretis, & Duhanæ Baronum Magistro, dilecto, fideli suo salutem, & dilectionem.*

[e] *in Vita Ioachim, sect. 10.*

Venerabilis Abbas Sanctæ Mariæ de Curatio nuper Panormum veniens ostendit in Curia nostra duo scripta de diuisis terrarum, quas eidem Monasterio misericorditer olim concessimus, asserens, te diuisas ipsas à Camerariis ipsius coarctari, frangi, & terminari fecisse. Supplicauit idem Venerabilis Abbas, quatenus præciperemus fieri priuilegium de diuisis ipsis Monasterio supradicto. Sed quoniam Curia nostra nesciebat pro certo, qualiter diuisæ ipsæ fuerunt factæ, mandamus fidelitati tuæ, & præcipimus, de diuisis ipsis Monasterio, quas tu fieri fecisti, secundum concessionem nostram, mandato & authoritate nostra facias fieri priuilegium, & parte tua eidem Monasterio semper assistas, vt habeat illud ad memoriam, & securitatem nostræ concessionis. Datum Panormi duodecimo mensis Decembris, indictionis duodecimæ.

His litteris acceptis Ioachimus Calabriam rediens, præsentauit Gualtero de Moac, qui regiis, vt par erat, mandatis parens, diuisarum diploma expediuit, sub hoc tenore [f]:

[f] *vbi suprà.*

5. *Redemptoris nostri Domini nostri Iesu Christi anno millesimo centesimo septuagesimo octauo, & tertio decimo regnante Domino Guillelmo, glorioſissimo Rege Siciliæ, Ducatui Apuliæ, & Principatus Capuæ, tertio decimo mensis Februarij, duodecimæ indictionis. Nos Gualterus de Moac, Regij fortunati Stolij Ammiratus, & Magister Regiæ Duhanæ de secretis, & Duhanæ Baronum, dum essemus in Baroli pro regiis agendis, Ioachim venerabilis Abbas Sanctæ Mariæ de Curatio detulit nobis sacras litteras à sacra Regia Maiestate, quarum continentia talis est. Guillelmus Dei gratia,* &c. Inserit priuilegio Regis mandatum, & mox descendit ad diuisas pro more tertiæ, quas hîc referre superuacaneum duximus: sed neque licuit omninò præterire, testes sollicitudinis Ioachimi, & qua vel Reges eum prosequebantur, venerationis.

In Hispania, vergenti iam ad senium Carletensi Bernardo concessa quies, atque otium à Monasterij cura indultum, dolentibus Monachis, & populis vicinis lacrymantibus; vtrisque, quòd communem patrem amitterent, sub quo neque illis deficere, quod darent, nedum quod possiderent; neque his, quid acciperent, potuisset. Tum verò Sanctus ad

altiora

altiora manum extendens,atque hactenus alendorum corporum curam sibi commissam, ad conuertendas animas,& ad spretos pro Christo consanguineos per Euangelij prædicationem illuminandos transferens, petita ab Abbate Hugone licentia,obtentáque, Ilerdam priùs ad materteram peruenit, inde ad sorores, & fratrem perrecturus. Illa,vt nepotem,quæ auro, & ostro fulgidum iuuenem conspexisset,in vili sago, atque habitu despecto cognouit marcidum senem,insultans primùm,& nouos illi ritus, inuisum crucifixi hominis cultum, Religionem degenerem obiiciens, quæ per speciem virtutis eneruet animos, & corpora seruituti duræ subiiciat:mox vt Bernardum de Christo differentem, & Mahometanos errores confutantem attentiùs audiit, serenior vultu,& iam deliberanti similior, quàm obiicienti, Quod, inquit, fili, in Christiana lege subsidium, in qua deiectio pro humilitate,patientia pro constantia,& miseriæ pro gloriis vsurpantur? Quæ cæcitatem sub honesto nomine fidei,aut producit,aut palliat,& rationi, ac discursui parum defert,senibus nihil. Tum si in qualibet lege dubia occurrant,præferendam vitam,quam siue fato, siue prouidentia diuina datam sine culpa retineas, nec possis adimplere, nisi cum laude,vt parentes,& patriam,genúsque accepta, non quæsita, nec quibuslibet aliis permutanda; sic Religionem, quam semel haustam,ad mortem conseruare constantiæ sit, nimiùm examinare, sacrilegij; deserere, perfidiæ; variare, inconstantiæ, & leuitatis.

7. Hæc, & similia ad Bernardum annosa mulier: ille è contra fidei cæcitatem oculatissimam nequicquam è ratione magis, quàm multa dari, quæ sint supra rationem. Non fore hominem, si à brutis caperetur; non Angelum, si ab homine mortali; & quantò minùs Deum, si à creatutis? Quæ de se ipso nobis reuelauit, tot,ac tantis inniti testimoniis, tot conuinci argumentis, vt cæcus sit,qui non videat cœleste Numen. Tum semel cognita diuina veritate, quid amabilius nobis, quàm Deus homo inter homines conuersans, pro hominibus patiens, atque homines ad diuinum esse assumens? æternas animas, æternis donandas præmiis, præferendas corporibus caducis, quæ si rectè deseruiant spiritui, neque irremunerata remanebunt ad immortalitatem surrectura. Patriam, parentes, genus nequaquam eligi; quia præueniunt arbitrium. Religiosum arbitrio nostro subiicis, rem grauissimam omnium, atque adeò consultiùs eligendam. Hactenus forsan ignorantiæ datum, forsan inaduertentiæ,quòd non discusserit. Nunc iam neutram ab ea posse prætendi. Videat,inspiciat,conferat,& eligat æternùm,aut damnanda,aut regnatura.

8. Dixit: & mulier,interiùs tangente Deo, velut si è graui somno euigilaret,summum illud principium sine principio, immutabile, immensum, ac totam æternitatem mente reuoluens, Mahometanas nugas primùm spernere, auersari spurcitias,damnare licentiam, quæ sanctis moribus plurimùm obsisteret. Mox grauitatem Christianæ Religionis venerari, amplecti, & nunc timore imminentis sibi gehennæ terreri actiùs, nunc spe gloriæ allici; deinde amore immensæ bonitatis, misericordiæque, quæ in opere præcipuè Redemptionis altiùs resplenduisset, resoluta in lacrymas, tandem Fidem Christianam, imò & qua licuit, etiam perfectionem amplexa est, in vtraque vsque ad mortem permansura. Bona maiori ex parte adhuc viuentis distributa pauperibus: reliqua reseruata in vsus fœminæ,modicos pro qualitate regij sanguinis; sed sibi, & suis satis, & qui superuenirent adhuc pauperibus. Tum grati animi pignus post eius obitum, hæc ipsa cedere voluit Populeto, vnde illi salus,vnde illuxisset Euangelij diuina veritas, & manet hodie prædicto Monasterio nemus opacum,non procul ab Ilerda, quod inter alia Heroïnæ legatum fuisse traditio est,instrumentis,vt ferunt, adstipulantibus; quæ tamen dolet se non inuenisse,qui Acta Sancti collegit [g], vnde hæc hausimus. Hæc prima seges Bernardi Carletensis,quam maior alia in propria fratris domo, atque eò gloriosior,quò cruentior præstolabatur. Interim Populetum reuersus est,vnde constantior animo, & nobis à quiete,& oratione resumptis viribus, prædicationem efficaciùs aggrederetur. [g] *vita. 3. c. 1.*

9. Hoc item anno nonum, & amplum templum in Alcobatia, Alfonsi Lusitani Regis opus, inceptum est, quod sibi, & posteris fabricabat in sepulturam. Extat adhuc memoria incisa lapidi, versibus tamen (nam & id fatebor) nonnihil politioribus, quàm vt sapiant barbariem illius æui:

Indicat en digitus,quo fundamenta secundi
Huius,& ingentis tempore iacta forent.
Æra M.CC.XVI. VI. Idus Maij.

Brito [h] hoc anno consummatam insinuat illustrem fabricam; verùm cùm tradat, neque consecratam ante annum M. C C. X X II. neque Monachos ante sequentem accepisse, nequaquam satis capio, vnde coniecerit. [h] *lib. 3. c. 22.*

10. Chronologia tres tantùm fundationes hoc anno notat,Vallem S. Mariæ,S.Hadrianum de Irancio,atque Samariam. Verùm de Irancio satis à nobis dictum: neque enim à Pampilonensi diuersam puto. Primam, & vltimam breuiter dicemus. Valles S. Mariæ duas superiùs diximus: alteram Curiæ Dei filiam, Alneti alteram; adeóque illam de linea Cisterci,hanc Claræuallis. Duas alias promisimus dicendas; sed quarum minor longè notitia subest: certè inter filias veteris Montis vna, Alberstadensis Diœcesis,prima inter eius filias numeratur.Eius Abbati,neque semel, scribit Ioannes X X I. causis eidem,& Abbati de Redaggeshausen iniunctis,sub tali titulo [i]: *Vallis Sanctæ Mariæ,& in Redaggeshausen Abbatibus Cisterciensis Ordinis, Alberstadensis Diœcesis.* Scribit etiam Innocentius Papa I V. Laterani 3.Nonas Februarij, Pontificatus ipsius anno XI. Sed & hanc etiam antiquiorem alij faciunt; alij, vt Miræus,longè recentiorem. Mihi, quæ legi,protulisse satis,multa aliis discutienda relicturo. De alia Sanctæ Mariæ Valle ad annum M. C. LXXXIX. dicendum erit. [i] *Ex Biblioth. Vatic.*

11. Notior Samaria,in Hibernia sita Domus de linea Claræuallis,filia Buellij,quam alias *Askroe* dicunt,si tamen Vvaræo fides,qui ita loquitur [k]: *Askroë,alias Esarna. Author Annalium Hibernia à Guillelmo Candeno editorum Abbatiam de Samaria fundatam tradit nono Kalendas Decembris,*1188. *Annales Buellienses annum habent* 1184. *Illa autem est Abbatia Askroënsis in Comitatu Donagalia,aut tanquàm nubes me obduxit Samaria fluuius,quem illo tractu locat Giraldus Cambrensis.* Hæc Vvaræus fundationem Domus differens: sed & coniectans magis,quàm affirmans. Domum in Ratpotensi Diœcesi Tabulæ notant: vnde Vvaræi coniectura inter Prouinciæ gnaros, siue cadere possit, siue firmari. Plura de hoc Cœnobio, & Viris illustribus eius,sepulcrísque, & aliis modernus Author Gaspar Longelinus, qui ea se ex antiquis M.S. hausisse tradit. [k] *in Appara. tu.*

12. Hoc item anno,quod ante quatuor ædificari cœperat, illustre Monasterium Sanctimonialium in Aragonia,& Diœcesi Hoscensi,Virgines simul accepit,

pit,& pinguem dotem. Fundatrix,& dotatrix Domina Oria,Alfonsi Aragonensis soror, vt quidam volunt,Comitissa Pallarensis,vulgò,*de Pallas*, in proprio Castro,*de Casuas* nuncupato,à quo & ipsa Abbatia nomen sumpsit, *Sancta Maria de Casuas*, quod hodie etiam videmus conseruare. Inter bona dotalia Monasterij,oppidum ipsum,quod pleno iure Abbatissæ subiici voluit, cum aliis circunstantibus, inter quæ Castrum dictum *de Morata*,quod postmodum cum aliis commutatum,atque Comitibus de Morata cedens,titulum illis facit satis illustrem. Prima Abbatissa Cathalana dicta, quanuis non satis constat, vnde venerit, fortè ex Bolbona,quam Domum ante quinque annos fundaram,in secundo Tomo dedimus; & in Appendice prætermissorum ad tres Tomos, cum aliis, iterum, Deo dante, daturi sumus. Ipsam Dominam Oriam Fundatricem induisse ibidem Sanctimonialem, traditio est. Cæterùm instrumentum dotationis, prout in scriniis Domus continetur,hæc habet verba: *Magnum scripturæ testimonium, quòd præsentibus calumniis obuiet, & futuris: hinc est, quòd donationem, quam facio Ego Domina Oria Pallarensis, Comitissa, pro remedio animæ meæ, & animæ Raymundi,Comitis Pallarensis, filij mei,scripturæ testimonio volo roborare.Diuino igitur succensa amore, & meæ animæ cupiens prouidere, pro remedio etiam Patris, & Matris meæ,& omnium Parentum,& amicorum præsentium,& futurorum, dono,& concedo Monasterio de Casuas,quod ipsa fundauit propriis sumptibus, & Sanctimonialibus secundum Regulam Sancti Benedicti, & reformationem Cisterciensem ibi Deo seruientibus, tam præsentibus, quàm futuris totam Villam de Casuas,quam habeo iure hæreditario,sicut vnquam melius habui,vel habere debui.... Et similiter dono, & concedo isti præfato Monasterio, & Sanctimonialibus ibi Deo seruientibus,tam præsentibus,quàm futuris, totam Villam de Morata,vel Castrum,& sanctã Agra cum totis suis terminis,sicut vnquam melius habui,vel habere debui*, &c. nam multa alia prosequitur.... *Facta charta ista in mense Aprilis apud Monasterium de Casuas, Vigilia Sancti Marci Euangelistæ. Æra M.C.C.XVI.* Signum. *Oria Comitissa Pallarensis,qua hanc chartam mandauit scribere,& testes firmare.* Hactenus ibi.

---

1. *De Henrico certatum inter fideles: 2. eligentibus primùm Tolosanis in Archiepiscopum, quod ipse recusauit, 3. & scribente pro eo Petro Cellensi 4. ad Alexandrum Papam; 5. atque item ad Albertum Cardinalem. 6. Mox Guillelmo Cistercij consummato, 7. ad Cistercium vocatus, nec minùs renuens, 8. in Claranalle mansit, Petro in locum Guillelmi substituto.*

CAPVT I.

1. NAscentem annum à virgineo partu centesimum septuagesimum nonum supra millesimum, à condito Cistercio octuagesimum secundum auspicetur Henricus Claræuallensis, vetè Deo, & hominibus dilectus,quem populi, quem Regna, Regésque; quem Alexander, quem tota Ecclesia Romana veneraretur: *Tantam gratiam* (ait liber sepulcrorum Claræuallis [a]) *non in Ordine tantùm, sed apud Reges Francorum pariter,& Anglorum, apud Archiepiscopos, & Episcopos,apud Principes, & Barones obtinuit,quantum nemo Claræuallensium à Beato Bernardo,habuerit ante eum.* Hæc ibi: quæ vera,& sine fuco de eo sctipta,hic præ aliis annus manifestauit. Nam Rex vterque muneribus certauit in virum, quibus hodiéque Claraualis cohonestatur: populi optauêre sibi Pastorem: optauit Cistercium, & renitentem, ac suis se reseruantem Claræuallensibus, Curia tandem Romana rapuit in Cardinalem, vix quatuor mensium spatio claudente euentus. Qui longam aliàs cuiuscumque alterius vitam illustrem redderent.Visitur adhuc Claræuallensis fani superbum tectum polito plumbo opertum, Henrici, Anglorum Regis, eximium opus, quod in obsequium, reuerentiámque Henrici Abbatis cœptum,& consummatum,idem qui suprà liber memoriæ prodit [b]: *Ecclesiam istam*,ait, *inclytus,& illustris Rex Anglia, Henricus,amore,& honore Dei,& ipsius Henrici Abbatis Claræuallensis, fecit plumbo pulcherrimè cooperiri.* Hactenus ibi, atqué hoc fuit insigne alterum opus, quod post B. Bernardi translationem Henricus Abbas fecit in Claraualle. Sed iam ad alia maiora procedamus.

[a] *in eius Epitaphio.*

[b] *lib. sepulcr. Claræual.*

2. Sopitis, quàm extinctis magis erroribus,qui Tolosanam Prouinciam infestabant, Tolosates Pastore destituti, quem euangelicæ veritatis Magistrum experti essent, vix ab ipsis anulsum, reducturi, in Episcopum sibi postularunt. Vt quo præcipuè agente conuulsa hæresis, promouente compressa,tandem prædicationem continuante, extirpata radicitùs,aut omninò veniret,aut saltem piè, & prudenter speraretur. De qua electione hæc idem qui suprà liber [c]: *Dum autem Claræuallis in manibus eius* (Henrici) *amplius clarificaretur,in Episcopum Tolosanum,votis, & desiderio vniuersorum, solemniter est electus.* Hæc tantùm ibi, tenuentia viri subiuncta,qua nullis precibus,nullis persuasionibus, vt à dilectis,& diligentibus se filiis dimoueretur, aliquatenus potuit persuaderi. Extant epistolæ Venerabilis Abbatis Petri Cellensis ad Alexandrum Papam, atque item ad Albertum Cardinalem, & Cancellarium ex Cistercio assumptum, vt suprà vidimus,queis pro Claræuallensibus exorat, ne carere cogantur tam Sancto Patre; pro Henrico, ne dilectis sibi filiis,ne tranquilla Claræ illius vallis quiete defraudetur. Elegit autem ad hos præ aliis scribere: ad Alexandrum, vt communem omnium Patrem, cui incumbebat potestas; ad Albertum, vt ad fratrem eorum,pro quibus rogat, atque adeò affectuosiùs, intercessurum. Vtranque redundantem lacte, & melle, quis nihil aliud continent,non pigebit ad litteram transcribere. Atque ecce exemplar epistolæ ad Pontificem [d]:

[c] *ibidem.*

[d] *lib. 8. epist. 8.*

3. *Alexandro Summo Pontifici, Petrus Abbas Sancti Remigij.*

Apostolicæ Sedis Oraculum; nec sine reuerentia penetrandum est,nec sine fiducia adeundum. Tibi itaque, Pater

Pater venerande, cui data sunt claues Regni Cœlorum, non est data potestas sine indulgentia; nec iustitia, absque misericordia. Interpellet igitur, & inclinet ad petitionem nostram, authoritatem tuæ potestatis sobria indulgentia: temperet æquè rigorem iustitiæ pius misericordia. Intuitum proinde est throni magni Regis, qui est in sæculum sæculi, aliquatenus concutere: nec minus periculosum, lectulum Salomonis, propter ambientes gladios versatiles, citra decubantis placitum, qui dormit vt catulus leonis, excitare. Sedentem, & quiescentem Deum in Sanctis quis audeat dubitare. De numero, & sorte istorum, teste sancta conuersatione, confratrem nostrum dilectissimum Clarauallensem Abbatem fide occulta cernimus, & credimus. Fortè electus est in Episcopum Tolosanæ ciuitatis. Vt autem verè Religiosus, metiens se sibi, & insufficientiam suam metuens, repudiato connubio, mauult discalceari, & sputa cuiuslibet improperij in faciem cum Iesu excipere, quàm vitis, oliua, & ficus assumpta professionis dulcedinem deserere. Nec in hoc visus est reprehensibili leuitate, cùm hæc faciat ex legislatoris authoritate, Moysis vtique qui grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Reputat etiam, quod in Lamentationibus legitur [b]*, quia mutatus est color optimus, postquàm dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite plateærum. Timet in se fieri eclipsim Solis, si de stratione Hebræorum transierit in castris eorum, quorum os locutum est vanitatem, & quorum pedes currunt ad malum.*

b Threnor. 4.

4. *Citius enim inficit venenum, quàm succurrit antidotum: & fragilis natura difficilius reparatur, cùm facilè frangatur. Concedas igitur Apostolica licentia hominem istum in Paradiso Clarauallensi operari cibum, qui non perit, & in sudore vultus sui panem suum manducare: quia nec vult vestitum tangere, nec tunicam pelliceam assumere. Fixit namque tentorium suum de pellibus Salomonis, iuxta puteum viuentis, & videntis, iuxta aceruum nouarum frugum, iuxta denique propitiatorium intra Sanctuarij velum, subter alas Cherubim Sancti Benedicti, & Beati Bernardi. Supposuit quoque humerum arcæ fœderis Dei, in qua est virga Crucis, quæ floruit in Apostolis, frondiuit in regeneratis fidelium turbis, & nuces protulit in Martyribus, Confessoribus, atque Virginibus: in qua duæ tabulæ Testamenti, vna asperitatem legis continens, altera Euangelij mansuetudinem, & gratiam conferens. Ad vltimum manna est ibi absconditum promissæ dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, & dabit diligentibus se. Habitat in medio lapidum ignitorum, quorum contemplatione visus acuitur, torpor excutitur, vitalia nutriuntur, morticina reiiciuntur, religio perpetuatur. O quàm dura, quàm amara separatio religiosi affectus, cui cedit carnalis necessitudo, cui supponitur delectatio, cui ambitio substernitur! Quàm infelix commutatio, vbi pro suaui odore recipitur fœtor; pro crispanti crine, caluitium; pro fascia pelleardi, cilicium. Nequaquam est hæc commutatio dextera Excelsi. Non igitur audiat auris Apostolica aduersus Mariam ad pedes Iesu sedentem, Martham conquerentem, quæ sollicita est circa frequens ministerium; nec gustauit poculum ex vino condito sanctæ contemplationis, & in lege Dei assiduæ meditationis.* Ista Petrus Cellensis ad Alexandrum. Cæterùm ad Albertum Cardinalem eiusdem cum Henrico professionis, fidentiùs adhuc, veluti quem pro suis interpellet: sic autem habet [f]:

f epist. seq.

5. *Domino Alberto Cancellario Petrus Abbas Sancti Remigij.*

Pro aliis rogare cogimur, qui pro nobis vix exorare sufficimus. Nec tamen in postulatione hæsitamus, quam commendat iustitia postulationis, conscientia postulantis, & pietas postulati. Iustitia est, suum ius vnicuique seruare: conscientia bona est dilecto Domino, pro conserno fideli humiliter supplicare: pietas paterna est propositum etiam inflexibile amxiato filio benignè remittere. Scimus, Domine amantissime, potestati apostolicæ subesse, quod mandare voluerit, & dicere huic: Vade, & vadit; & alio, Veni, & venit; & seruo, Fac hoc, & facit. Sed iungatur curuis potestatis, & pietatis, sublimitatis, & mansuetudinis, vt media sternatur charitas propter filias Ierusalem. Certè, vt credo, aut mallas filias in terris habet Ecclesia, quæ est Mater nostra aut in Clarauallensi Cœnobio quotidie parturit, & maternis vberibus alit matrizantes filios. Siquidem Iesu Christi de Virgine nati, in mundo religiosè conuersati, in Cruce sub Pontio Pilato affixi, vera vestigia vestri Clarauallenses sequuntur, casse viuendo, Patri spirituali in omnibus obediendo, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis quotidie crucifigendo. Si Deus pro his, quis contra illos? Ecce pulli isti sub alis gallinæ, quæ se contra miluos spiritualis nequitiæ opponis, lambunt sanguinem Dominicæ Passionis, & dormiunt sub vmbra iuniperi, labores suos consolantes dilectione protexeris sui. Quanti itaque periculi sit excitare quiescentes sub hac ficu, & vinea, non carnali, sed spirituali dulcedine, discernat discretissima moderatio Apostolica, & non auferat ab eis desiderabile oculorum suorum. An non sint alij præter istum? imò super numerum multiplicati sunt, qui dicunt: Ecce ego, mitte me. cùm iste dicat: A, a, a, Domine Deus, nescio loqui: quia puer sum. Fortè dicitis: Quid ad te de Clarauallensibus, cùm Samaritani non coitantur Iudæis: & nigra Æthiopissa facies, & vestis differat ab illa veste, & facie, quæ apparuit Apostolis in transfiguratione Domini? Ad quod ego: Ex multorum facierum personis, Regina, quæ assistit a dextris Filij, in vestitu deaurato, circumdata varietate, cantat in psalterio decachordo ante sedentem in throno gratia; vnde procedunt diuersa charismata gratiarum, cùm sit tamen vnus, atque idem Spiritus, idem Dominus. Hactenus ad Abbatem Petrus Cellensis, quem nimia charitate coniunctum Clarævallensibus, plures eius epistolæ demonstrant: ex quibus aliquas nos etiam inseremus suis temporibus. Vtrùm autem ex hac eius epistola coniectari possimus, Albertum Clarævallis fuisse Monachum, an alienæ Domus; ex his, quæ pertinent ad lineam Clarævallis, aliorum linquo iudicio discernendum.

Obtinuit tandem Petrus pro Claraualle, cui ser- 6.
natus Henricus, ne Tolosanis præesse compelleretur. Sed vix, heu! id periculum euasit, (nam non exiguum malum reputabat à Claraualle diuidi,) cùm ecce Reuerendissimi Guillelmi Cisterciensis Abbatis inopinata mors nouum illi negotium facessit magis domesticum, atque eò difficiliùs expediendum. Igitur tertio Idus Ianuarij, vt habet Martyrologium Cisterciense, ex quo sumpsisse videtur Robertus Claudius [g], Venerabilis Guillelmus, Alexandri di- g in Gall. Christ.
gnissimus successor, nondum triennio exacto in præfectura, (quanuis alij quadriennium ad vsque protrahant,) meritis plenus, nec minùs eleemosynis, quas fame vniuersam Galliam inundante, largè dispersérat, viam vniuersæ carnis ingressus est, æterna præmia in Cœlis recepturus; & memoratur inter primos illos Abbates Sanctis adscriptos, quos protulit Cistercium; dubium declaratione Summi Pontificis, an generali Ecclesiæ, quæ tunc adhuc vigebat, acclamatione. Illud compertum, sepultum inter Sanctos, tanquàm vnum ex illis, Alberico, Stephano, Raynaldo,

Raynaldo, Gozeuino,& Fastrado fuisse appositum: quod acclamatæ indicium sanctitatis ab ipsa morte, manifestum iudicium præstulit. Titulus sæpiùs repetitus sepulcri, talis: BEATI, AC VENERABILES PATRES ABBATES MONASTERII, ET ORDINIS CISTERCIENSIS FVNDATORES, ET AMPLIFICATORES HIC SIMVL RECONDITI SVNT, VIDELICET, D. ALBERICVS, STEPHANVS, RAINALDVS, GOZEVINVS, FASTRADVS, GVILLERMVS, ALEXANDER, GVILLELMVS, &c. HIC SITI SVNT; QVORVM FELICES ANIMÆ OMNIPOTENTI DEO VIVENTES, NOSTRI SEMPER MEMORES EXISTANT. AMEN. Sic Epitaphium toties repetitum, quoties occurrunt Viri, quos sacer ille locus sepultos retinet. De die obitus hæc habet Cistercij liber: *Tertio Idus Ianuarij obiit Dominus Guillelmus decimus Abbas Cistercij.* Porrò ex hac die annus etiam colligitur, cùm nec potuerit vlteriùs prorogari, vt Henricus in defuncti locum eligeretur, vt statim dicemus; nec anteponi, vt tempus Præfecturæ Guillelmi constet; aliàs, infra biennium coarctandum. Vnde obiter corrigendus venit Henriquez in Menologio, qui nescio quem sequutus, recenset transitum viri ad vigesimum secundum diem mensis Aprilis, atque refert in annum antecedentem, cùm nihilominùs duos supra triginta Præfecturæ ipsius menses attribuat, quæ tamen duo vix possunt coharere.

7. Translato ad Superos Venerabili Guillelmo, (neque enim in alterius locum eligi potuit) Henricus, Clarævallis Abbas, communibus suffragiis suffectus est, vniuerso Cistercio præfecturus. Ita non solùm ciues alienigenæ, & populus Æthiopum, id est, hæretica labe maculatus, Clarævalli inuidebant Beatum virum, cuius doctrina ad purum excoqueretur: verùm domestici etiam, Fratrésque, quibus vix posset se ipsum denegare. Sed vicit tamen cunctos Henrici charitas erga Clarævallenses nunquam ab ipso sponte deferendos. Electus electioni suæ dissensit, restitit, precibúsque, atque lacrymis obtinuit, ne in Sede Cistercij sublimaretur. Vtrunque lego in Epitome Vitæ eius, quę extat, hodiéque ad eius sepulcrum Epitaphij loco, quod ita habet[1]: *Apud Cistercium, pari Abbatum, & Fratrum consilio, in Abbatem Cistercy eligitur, quod similiter totis viribus recusauit.* Sic Cistercienses frustrati à desiderio suo Clarævallensibus cedere compulsi, licèt inuiti, parentes filiis Henricum concesserunt, sed quo non diutiùs forent fruituri. Quippe vocatum ad Concilium generale, in quo maior eum locus, illustriórque, sublimior in Ecclesia dignitas, & irrefragabilis Summi Pontificis Alexandri iussio præstolabantur. Sed de his statim. [1] vbi supra.

Interim Cistercienses fraudati Pastore duplici, & 8.
quem amiserant, & quem non prævaluerant obtinere; insignem moribus, & doctrina Virum, nomine Petrú, & sibi, & cæteris Patrem cooptarunt. In Chronico Abbatum Cisterciensium hoc illi distichon:

Petrus doctrinæ pretiosum manna fluebat:
Hinc odiosa Venus. Præsul fuit Atrebatensis.

De Præsulatu eius inferiùs agam: quæ antecesserint Cistercij præfecturam, ignota penitùs: quæ Abbas gessit vsque ad annum M. C. LXXXIV. quo in Atrebatensem Ecclesiam assumptus est, si quid occurret, in tempore dicemus.

---

1. Ioannis Clarævallensis Prioris mors, 2. encomia, & laudes: 3. rigor vitæ, 4. & Zelus pro obseruantia. 5. Subiuncta quædam de pretiosa morte Viri, 6. ex Exordio desumpta: 7. atque ex his omnibus coniectata ratio temporis 8. Addendum, fore Ioannem in Menologio, 9. atque ex dictis de eius successore, Catalogum Priorum Clarævallensium. 10. Philippi primi Abbatis Clarimontis in Episcopum Redonensem electio, gesta, & mors intra biennium.

CAPVT II.

1. DVM hi terrores afflictarent Clarævallenses, & tanti Patris imminentem sibi iacturam tentatam toties, tandem exequendam certos inter, & dubios præstolarentur, ecce, quod vnicum instantis orbitatis solatium erat, Venerabilis, Ioannes Prior, quem à temporibus Martyris Gerardi præfectum diximus, propera morte raptus, chariorem fecit Henricum viris sanctissimis, cuius absentiam tolerabiliorem, viuente Ioanne, per quem posset suppleri, post ipsum eò grauiorem iudicabant, quominùs potetat per alium compensari. Nec deerant, inter ipsos, Ioannes multi: sed vera humilitas meliorem reputabat, quem gradu maiorem, atque eius virtus ex alto præfecturæ lucidior apparebat, atque altiùs se ingerebat oculis omnium. De eo in Catalogo Priorum Clarævallensium hæc tantùm scripta[a]: *Ioannes, qui in Prioratu obiit, anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono.* At in Exordio, vltra ea, quæ suprà diximus, multa de zelo, & constantia Viri Dei, quædam de sancta ipsius dormitione. [a] apud Henriquez in Fasciculo.

2. Celebre est illud eius soliloquium sub Beato Gerardo, quando ne graui pressus ægritudine Infirmitorium ingredi, aut lætamenta cæteris indulta, imò naturæ debita subire, nisi obedientia tandem compellente, aliquatenus potuit persuaderi. Id in exemplum simul, & confusionem delicatè viuentium, sub prætextu cuiusuis ægritudinis, quamuis non nihil historiæ filum rumpar, non pigebit ad litteram transcribere,

Accidit, ait [b], *quadam vice, dum sacris vigiliis interesset, vt corporali molestia tactus infirmaretur, nec valeret psalmodiæ horas stremitate, qua solebat, explere: eúmque magis, ac magis malum intra se grassari, & per vitalia diffusum serpere sentiret, licèt multum à cogitationibus suis vrgeretur, vt de Choro exiret, perstitit tamen tristis quidem, & reputans, ne fortè eiusdem inualetudinis inæqualitate pressus Infirmitorium (quod, quantum in se fuit, semper vitare studebat) intrare compelleretur.* [b] lib. 4. c. 2.

3. *Finitis verò vigiliarum solemniis, locum quendam secretiorem adiit, ibique remotis arbitris, quantò secretiùs, tantò seueriùs talia secum loquebatur: Quid modo, miser Ioannes, quid modò eris? Numquid infirmaris? numquid Infirmitorium, quod solet, aut sub flagellis Dei laborantium corpora misericorditer refouere, aut flagellari se simulantium conscientias terribiliter dissipare, tantilla incommoditate victus intrabis? Benè: videlicet, vt lectum mollioribus culcitris stratum, & ornatum ascendas; quaq́, meliora sint in Cellario, quaq́, delicatiora in promptuariis, propter reuerentiam*

veniam officij, quo indignus fungeris, moritura, & putredini obnoxia carni tuæ accuratiùs præparentur, & sic negligentiores quique Fratrum ad sectanda carnis suæ commoda tuo prouocentur exemplo. | *Ergòne deliciosa hac infirmitate cursum pœnitentiæ tuæ interrumpere debebis? Quare non potiùs præsumis de misericordia Dei, qui potens est, morbum tibi temperare, vt & corpus exerceat, & de labore pœnitentiæ, qui est seminarium Beatitudinis æternæ, nihil minuere cogatur? Nutu verò Dei Monachus quidam proximus erat loco, in quo vir Domini talia loquebatur secum; qui parietis tantùm interstitio ab eo diuisus, clamoris, & pij murmuris susurrum audiebat. Quique mox festinus ad Reuerendissimum Abbatem Gerardum (cuius suprà mentionem fecimus) currens, quid à Priore audisset, intimauit. A quo vocatus, vix obedientiæ cogente, Infirmitorium intrare compulsus est, licèt hoc imalescentis agritudinis eius pondus per se requirere videretur.* Hæc ibi Exordij magni cœuus Author: neque tantùm cœuus, sed familiaris, quippe Clarævallensis; ex quibus facilè Lector videre possit, qualem rigorem valens obseruaret; qui vel infirmus, licentiam formidabat naturæ, debitam.

4. Mirum præterea inter alia miranda satis, quòd toto tempore Priorat⁹ Beati Viri, nulla indulgentia, nulla in Conuentu à pristino rigore, quantuncunque discreta dispensatio permissa fuerit [c]: *Adeo vt cum quadam vice, vnus de senioribus prorsus decrepitus, & ferè edentulus, indulgentia Venerabilis Abbatis Gerardi, panem Infirmitorij in Conuentu Fratrum manducaret, patienter ferre nequaquam valeret. Hac autem impatientia, non de rabida peste inuidia, sed de feruore Religionis, & Ordinis æmulatione descendebat. Dicebat enim: Numquid non senes, & debiles ante nos in hac sancta Domo fuerunt? A quibus tamen nunquam tale aliquid vsurpatum est. Quare ergo nunc à nobis præsumitur? Nunquid non remissiones, & indulgentias corporales magis pro arbitrio imperantis, quàm pro requisitione propriæ voluntatis accipiebant, ita tamen vt misericordia eis impensa consuetudinibus Ordinis minimè obuiaret? Scimus verò nonnullos tanta altitudine spiritalis vitæ à curis carnis euolasse, vt etiam in decrepita ætate miseros se reputarent, si inferiores aliis in vigiliis, in ieiuniis inuenirentur: consolatiunculas quoque corporales à Prælatis sibi oblatas recipere nullatenus acquieuerent. Timendum, & valdè timendum nobis est, ne cùm Sancti antecessores nostri spiritu fortiter cœperint, & spiritu fortiùs consummauerint, nos spiritu incipientes, carne (quod Deus auertat) consummemur. Quapropter, si quis est inter nos emeritorum laborum senex, qui fatiscentibus membris in acie Conuentus stare non possit, satius est, vt remissionem accipiens, necessitatem suam in Infirmitorio transigat, quàm Conuentum tenens inter abstinentes, & nauseam grossioribus alimentis victumque sustentantes, consolationes Infirmitorij requirat. Certus sum autem, quòd vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem; & qui parcè seminat, parcè & metet: & quod Iudex, qui terribiliter minatur, scrutaturus se Ierusalem in lucernis, subtilissima examinatione discutiet, qua occasione, qua necessitate, quis pondus diei, & æstus, quod in vinea Domini Sabbaoth portare suscepimus, declinet.* Sic Sanctus Senex illibatam puritatem, rigorem integrum à Patribus acceptum, tam in se, quàm in aliis conseruabat.

[c] *vbi suprà.*

5. Pergit Author Exordij de eius morte, quæ sanctæ vitæ per omnia similis fuit [d]: *In hac igitur sancti feruoris æmulatione, & religiosæ conuersationis claritate, gratia Dei alumnus Ioannes, vitam suam laudabiliter consummans, denarium diurnum, & insuper mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem [e], quam sibi laboribus multis, vigiliis supra modum, strenua quoque exercitatione seruitij Dei conquisierat, à Summo Patrefamilias recepturus, infirmitate correptus lecto decubuit. Ad quem visitandum, cùm Venerabiles Viri Esebilus (de quo suprà meminimus) Danorum quondam Archiepiscopus, & Alanus Antisiodorensis quondam Episcopus venissent, videntes hominem feruentissimum, nec in ipsa grauissima infirmitate à solito rigore suo in tantum cedere, vt saltem vestibus agritudini, & debilitati suæ competentibus refrigeraretur; zelo quidem compassionis ducti, vestes aliquantulùm tractabiliores, quas tanta personæ infirmitati congruas nouerant, intulerunt afferri, petentes, vt causa leuaminis, eis vestiri dignaretur.*

[d] *Ibid.*

[e] Luc. 6.

6. *Tunc verò fortis Athleta Dominj eadem vestimenta coram se posita seuerius intuens ait: Itáne beatiorem me faciet vestis mollis, & tenera magis, quàm grossa, & rustica? Aut quale emolumentum erit, humilitatem, quam à primis adolescentiæ meæ annis tanta sollicitudine seruare curaui, imminente mortis articulo perdere? Credite prauitati meæ: quia quandiu spiritus superest in visceribus meis, non recedam a vilitate, per quam elegi abiectus esse in domo Dei mei: nec dabo occasionem inimicis meis confundendi me, cùm loquar eis in porta. Cùm autem vocante Domino, moribundos hos iam, iámque morientes artus exuero, quantùm voluerit is, hunc putridum carnis saccum induite, & exornate. Quia, quidquid de massa vitali, spiritu carente fiat, nihil mea interesse confido. Tanta itaque fidei, virtutisque constantia munitus vir Dei Ioannes corruptibilis carnis macerium exuit, & bona Domini in terra viuentium videre promeruit. Corpus eius iuxta sacra ossa Fratrum veteris Abbatiæ, quorum patientiam, & humilitatem haud segniter imitatus fuerat, condigno honore sepultum requiescit in pace.* Hactenus ibi de Sancti Viri morte, quam accidisse sub initium intrantis anni, successoris electio manifestat.

7. Henricus namque, cùm primùm ablatum à se vidit Priorem Sanctum, quo viuente nec sibi à domesticis, nec Clarævalli à negotiis externis timendum foret: quippe sub cuius cura & magisterio, ne Henricus ipse desideraretur, insignem alium pietate, doctrináque nomine Gilibertum subrogauit; dubium ex Claraualle assumptum, an ex Igniaco. Certum Beato Petro Igniacensi non solùm charitate, sed familiari amicitia valdè astrictum; quo postmodum agente ad Clarauallem, Henrico tandem creato Cardinali, promotus fuerit, vt capite sequenti differemus. Atque hinc manifestè constat ratio temporis; si tamen aliqua Catalogo Priorum habenda fides. Nam Giliberto Præsidente Clarævalli, cùm Venerabilis eius Abbas Henricus in Cardinalem Episcopum Albanensem promotus fuit, hoc est, in huius anni Quadragesima, qui eodem anno Prior obiisse dicitur, non potuit non consummari ante id tempus (non multò post Guillermum Cistercien-sem) adeóque inter ipsas pressuras Fratrum, atque imminentes Henrici translationes.

8. Miror equidem, hunc Sanctum Virum, Ioannem, prætermissum ab Henriquez in Menologio, qui plures alios inseruit minoris notitiæ, atque longè minoris authoritatis. Certè Author Exordij talis, ac tantus homo visus est, qui magnis illis Patribus antiquis annumerari, & duo integra capita implere supra multos meruerit ex virtutibus, zelóque laudatior, quam

ex

ex miraculis. Sed neque à Ioanne Abbate recenseretur, quod magis mirum. Certè in Exordio, vel ex loco sepulturæ legitur veneratus ab ipsâ morte: quod non leue indicium acclamationis, quæ sub Henrico grauiori, detentióque: maximè viris illis assistentibus Eskilo, atque Alano, quibus vel in Concilio deferendum. Sed de his satis.

9. Cæterùm anteaquàm ad alia transeam, notandum censeo, ex dictis, & dicendis in sequentibus, corrigendum Catalogum Priorum Clarævallis apud Henriquez: quippe qui Ioanni Rogerium, huic Tranquillum, Tranquillo Stephanum, aliósque substituit, Gilleberto omninò prætermisso: & tamen constat ex Authore Vitæ Sancti Petri, præfedisse Comentui (eo fingentem officio) Sede vacante per Hentici promotionem, quæ ex dicendis capite sequenti constabunt apertiùs. Igitur hinc Catalogus supplendus, addendúsque: *Gilbertus, qui postmodum fuit Abbas Bocheriarum, mox Fusniacensis.* Omissionis ea fortassis causa fuit, quòd vix officium exercens sub Hentico, sub Petro statim in Abbatem Bocheriarum promotus legitur.

10. Hoc ipso anno, qui Abbatiam Clarimontis, ex Claraualle missus, Philippus nomine, ante septem, & viginti annos condiderat, atque bonis vtrisque cumulauerat, in Episcopum Redonensem promotus, Stephano de Fulgeriis sufficitur, vir honesto, & litterato, vt ait Robertus Montis[f]; illi, nimirum, qui Vitam Sancti Vitalis, primi Sabigniacensis Abbatis, compilauit. Ad eam porrò dignitatem promotus Beatum Herbertum egregiæ sanctitatis Monachum (dubium, an Claraullis, an Clarimontis) pro se substituit: ipse per duos annos, & paucos menses, meritis longè, quàm infulis illustrior, temporis breuitatem abundè compensauit gestorum gloria. Inter quæ etiam Ecclesiæ Redonensis, eatenus exiguæ, humillsque, quò altiùs surgeret, latiúsque pateret, ingenti animo iecit prima fundamina: quæ vt commodiùs ad perfectum deducerentur; atque authore Deo iacta constaret, dum altiùs fodit, inuenit thesaurum in Chori, seu Sacelli maioris capite, anno M.C.LXXXII. Tum verò ipse, quasi nihil vltrà agendum superesset, eodem anno feliciter obdormit, die octaua mensis Aprilis, vt habet Catalogus Redonensium Episcoporum 8. Quod ne diuiderem, hîc placuit congregare.

f *in Addit. ad Sigeb.*

g *apud Claud. Rob.*

---

1. *Romæ Alexander generale Concilium celebrat*, 2. *in quo multa Ecclesiam, quædam specialiùs Cisterciam concernentia determinantur.* 3. *Relatum de exemptione decimarum nostris concessa.* 4. *Alexandri responsum.* 5. *Richardi Cantuariensis Præsulis zelus.* 6. *atque acrior epistola*, 7. *scripta nostris*, 8. *priuilegium, & vsum illius improbans:* 9. *atque multa inculcans;* 10. *per quæ instruit ad cedendum* 11. (*minas etiam subiungens*) *persuaderentur* 12. *Vnde orta forsan Alexandri Decretalis supra decimarum inter nostros, & alios compositione.*

CAPVT III.

1. INDIXERAT præcedenti anno Alexander generale Concilium in Quadragesima Romæ celebrandum, ad quod Archiepiscopos, Episcopósque totius Orbis, quin & maioris nominis Abbates, atque inter alios Guillelmum, Henricumque, alterum Clarævallis, Cistercij alterum, litteris ad eos datis conuocauerat. Sed pro Guillelmo, ante tempus per mortem rapto, qui ei successerat Petrus, præsto fuit. Henricus per se ipsum Romam petiit, futuri nescius, & quasi qui Concilio celebrato liberum habiturus esset ad suos reditum. Vocati & plures alij Cisterciensis, ex Germania præcipuè, quos saeua tempestate vexatos, durante schismate, maternum tandem gremium Romanæ Sedis cum gratiarum actione suscipiendos, & spiritualiter fouendos præstolabatur. Congregandi Concilij causa duplex: Ecclesiæ vnio post longam diuisionem, & schismate abiurato solenni ritu, reconciliandi quicumque defecissent, atque emergentium, nec satis extinctorum, vt dictum est, Albigensium errorum prouida, & necessaria debellatio. Vtrumque variè ab Authoribus expressam, in ipsis conuocatorijs litteris sub generali correctionis nomine Pontifex comprehendit, dum ita ait[a]: *Quia in Ecclesia Dei correctione videmus quamplurima indigere, tam ad emendanda, quæ digna emendatione videntur, quam ad promulganda, quæ salutem fidelium visa fuerint expedire, de diuersis partibus personas ecclesiasticas decreuimus euocandas, quarum præsentia, & consilio, quæ fuerint salubria, statuantur; & quod bonum secundum consuetudinem antiquorum Patrum prouideatur, & firmetur a multis.* Sic Alexander Episcopos, & Patres Ecclesiarum ex toto Orbe Christiano congregauerunt.

a *apud Baron. & Sanctum Vincent.*

2. Igitur statuta die quæ fuit quinta Martij præsentis anni, Synodus Laterani coacta est, cui trecenti Pontifices, & inter eos Guarinus Bituricensis, vt habent eius Acta[b]: nec dubium, quin & Guicardus Lugdunensis, atque ex Cistercio plures interfuêre. In ea primùm de electione Summi Pontificis, ne aliud schisma Ecclesia pateretur, præscriptus modus. Cassatæ mox electiones Schismaticorum, atque ab his, qui fœdati per diuisionem, obedientia promissa, vt vel sic tandem Ecclesiæ restituerentur. Tum congregatis in vnitate Fidei cunctis Catholicis, condemnati errores Hæreticorum, maximè Albigensium; ac ne possent latere sub alio nomine, detecta, atque distincta alia plura, quibus hactenus variè vsi fuissent. Demum plura decreta promulgata ad correctionem morum, & Dei gloriam; quæ tradita à Baronio, Viniόque ex Rogerio, Guillelmo Tyrio, & aliis, quia nostros non concernunt, nequaquam mihi censui transcribenda. Concernentia Cistercium hæc tantùm video: controuersiam sopitam iam ab olim, tunc acriùs excitatam, sæuientémque super obtenta decimarum exemptione: elevationem trium sanctorum corporum Vallcellensium Abbatum; qui vt in vita virtutibus, ita post mortem clarerent multis miraculis: & tandem creationem Hentici in Cardinalem, substracti hactenus variis electionibus, vt integer Ecclesiæ Romanæ, atque Alexandri præceptis reseruaretur. Singula à nobis dicenda sigillatim, distinctéque. Verùm de decimis, quia maior concertatio, longior etiam narratio texenda erit.

b *In Catalogo Archiepisc. Bituric.*

Ergo relatum in Concilio fuit de iure decimandi, à cuius pensitatione nostri exempti, dum nimiùm creuerant, cæteras Ecclesias, maximè parochiales, depauperabant. Additum, & quod in priuilegijs nocentius est, plures alias Familias æmulatione Cistercij, si-

3.

Digitized by Google

ue exemplo,eandem exemptionem impetrauisse,non iam Canonicos,non Hospitalarios,non inueniri milites, qui non simili gaudeant priuilegio,in ruinam Cleri, Diœcesanorúmque,quibus vix quid supersit ablatis decimis. Potuisse forsan indultum tolerari,& debuisse concedi, quandiu paucorum, potuisse & multorum,sed verè pauperum;quibus ex decimis tenuis tantùm victus, atque abiectus vestitus acquirebatur. Quare non tam per illud aliena rapere,quam propriam sustentare vitam videri possent. Nunc plurimos, & diuites, quo iure aliena retineant,& propriios dominos in paupertatem redigant,vt ipsi abundent, & fruantur eorum bonis? Opportunè occurrendum serpenti malo, atque omnes pariter priuandos priuilegio,quod in perniciem omnium æquè redundat. Cistercienses præcipuè,quia ditiores,& qui crebris Ecclesiis Orbem impleant; acquisitione nouarum possessionum continent terminos, & vix vacua relinquant,quæ aliis cedant. Ponendum modum exemptioni perniciosæ, ne dum alij diteſcunt, alij mendicent,atque ad eum statum Clerus deueniat,vt à Monachis egeat sustentari. Hæc,& similia Episcoporum nomine proclamata in Concilio,discussáque, tandem ad Alexandrum remissa sunt,ipsius iudicio, & prudentia discernenda. Porrò Alexandro Epis-

c apud Surium. Vnium.

co Tullensi,quòd is præ aliis actiùs instituisset,& cæteris in ipso,ita respondit:

4. *Ex parte Fraternitatis tuæ ad audientiam nostram nouerit peruenisse,quòd albi Monachi,& nigri,& quidam alij viri Religiosi,Ecclesias tuæ iurisdictionis redditibus decimarum spoliare præsumunt,occasione priuilegiorum,quæ sibi Romana indulsit Ecclesia.Sane tuam nolumus latere prudentiam,quòd sanctæ memoriæ prædecessores nostri ferè omnibus Religiosis decimas laborum suorum concesserunt. Sed bonæ memoriæ prædecessor noster Adrianus, solis Fratribus Cisterciensis Ordinis, & Templariis, & Hospitalariis decimas laborum suorum indulsit. Cæteris verò,vt de noualibus suis, quæ propriis manibus, & sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium, & de hortis suis decimas non persoluant,concessit.Quem super his imitati sumus,quatenus hi, quibus indulta sunt decimæ de noualibus suis, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis, hac occasione decimas de aliis Ecclesiæ suæ rebus non debent, nec possint subtrahere, vel sibi vlteriùs aliquid vendicare.* Hæc Alexander prædecessorum suorum vestigia sequens nostris, Templariisque terrarum omnium; reliquis Noualium tantùm decimas firmat, de quibus nullus eásdem percepisset.

5. Tum verò Richardus Cantuariensis Archiepiscopus, seu præsens fuerit,siue ex Anglia scripserit,non antèa Cisterciensi Abbati reddendas litteras, quàm Alexander causam decidisset in Cistercienses, velut in primam exemptionis radicem, exæstuans animo, suarúmque Ecclesiarum iura fraudari dolens,& nondum benè firmatæ professionis forsan oblitus,zelo, an inuidia,quis audeat iudicare? Petri Blesensis pungenti, & acri calamo ad Venerabilem Petrum,cæterósque epistolam scripsit, qua post eximias laudes instituti, hoc vno næuo cuncta denigrari conatur ostendere; quòd subtrahant decimas Clericis,& Monachis;& de alienis diteſcant contra iustitiam. Hortatur, vt renuncient priuilegio, quod, quia apostolicum, non audet condemnare: sed, neque putat præponendum diuino iuri; minatúrque, si in eo vltrà persistant, anathema vibrandum in vniuersos, qui nostris aliquid dedant, vendántve,vnde decimæ possint defraudari. Quin se auxilium brachij sæcularis imploraturum ait, quo hæc, & alia faciliùs exequeretur. Sed nos eundem Richardum Cantuariensem, quamuis in nostros loquentem, audiamus [d]:

d apud Petrum Blesens. epist. 82.

6. *Richardus, Dei gratia Cantuariensis Archiepiscopus, totius Angliæ Primas, & Apostolicæ Sedis Legatus,dilectis in Christo Fratribus, & amicis, Abbati, & Conuentui Cisterciensi, salutem, & consilium salutare.*

Licèt vos diligamus in Christi visceribus, & in charitate non ficta; grauem tamen, & publicam ad vos, & de vobis querelam deferre compellimur. Nam, cùm per gratiam Dei Domus vestra nominatissima sit in obseruantia Ordinis, & perseuerantia sanctitatis, periculosum est, pro re modica titulum, & gloriam tanta opinionis perdere; atque conuertere in famæ dispendium, compendium temporale. Inter vniuersas Ordinum varietates, quibus decorata est Sponsa Christi, nullus Ordo virtute fragrantior, nullus sancti nominis odore suauior est in Christo, quàm vester: si rem vnicam amiseritis de medio, per quam hostis humani generis synceritatem vestram attentare præsumit.

Scitis, quòd omnium malorum radix est cupiditas: publicè tamen dicitur, & nos id ipsum cum lacrymis recensemus, quòd vsque ad Congregationes vestras ausa est irrumpere illa transgressionis mater,magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, & auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fomes scandalorum. Renunciastis mundo, & cupiditatibus eius, atque cum Iosue vestram in vobis spiritualem Iericho subuertistis. Sententiam, maledictionem incurrit, qui reædificat Iericho; & cum Achan, filio Charmi, lapidatus obruitur, qui de anathemate Iericho rapuisse conuincitur. Verbum Tobiæ est [e]: Videte,ne furtiuus sit. *furtum siquidem committitur,quoties res aliena inuito Domino contrectatur. Sed & rapina crimen in Iure ciuili furto improbius diffinitur. Neminem prædonem vocamus, aut furem; sed veremur,ne vestram sugillet opinionem, si rem concupiscitis, aut rapitis alienam.Vna omnium vox est, quia Cisterciensis Ordinis Professores tantò differentiùs præ cæteris triumphales sanctitatis titulos referunt, quantò expressiùs Religionis apostolicæ vestigiis inhæserunt, cùm in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliis, in confessionibus,in disciplinis, in psalmis, in humilitate, hospitalitate, obedientia, charitate, & cæteris, quibus fructus vitæ seminatur in terris, deprimatis carnem, spiritum erigatis, angelicæ vitæ synceritati vos homines comparetis, cùm vobis in fauorem plenissimum laus hominum communis assistat; vnam nisi clamaret in contrarium, tantámque glorioſæ opinionis faciem decoloraret.*

e Tobiæ 2.

Et quæ est ista maledicta coniunctio, nisi quæ à Christi gratia, & fauore hominum vos disiungit? Inuiti, & dolentes hoc dicimus: sed ad dicendum murmur vniuersorum, & communis querimonia nos compellunt. Vota, & lingua omnium in vestræ sanctitatis præconium laxarentur, nisi raperetis, quod alienum est; nisi Monachis, & Clericis decimas auferretis. Hæc est coniunctio quidem, & dictio satis modica; sed, quæ vitam vestram non modicè dehoneſtet. Testimonio sacra Pagina, decimæ tributa sunt gentium animarum. Et quæ est hæc iniuriosa immunitas, vt exempti sitis à decimarum solutione, quibus obnoxia terra erant, antequàm vestræ essent; vt quæ soluta sunt hactenus, non personarum obtentu, sed territorij ratione. Si in vestram possessionem terræ deuolutæ sunt,quare in hoc periclitatur alienum ius? Nam ad vos terra iuxta communem aquitatem, cum suo honore transierunt. Vt quid in alienam iniuriam

7.

terras,

terras, & nutrimenta vestra priuilegiari facitis, vt auferatis, quod alienum est? Nunquid Abel de nutrimentis suis Dominum non rogauit? Nunquid iustiores estis primo omnium iusto? vt vos contra Dei iustitiam eripiatis. Per Prophetam præcepit Dominus decimas inferri in horreum suum: vos ab eius horreo iuberis auferri. Habet iustitia diuina legis, vt in Leuitarum sortem cedant decimæ: vnde & iustitia Dei manifestè resistit, qui ministris Ecclesiæ militat ius decimationis auferre. Sane & ex his, & consimilibus satis liquet, quod si virtus obedientiæ esset in solutione decimarum, aut reddituum, aut exhibitione iuris alieni, facilè detrectaretis obedientiæ iugum.

9. *Milites Galliarum sibi ius decimationis vsurpant, neque vestris priuilegiis deferentes, eas à vobis potenter extorquent. Aduersus eos deberetis insurgere, non aduersus Clericos, aut Ecclesias Clericorum: deberetis recolere, vos quandoque fuisse laicos, atque Sacramenta salutis in earum Ecclesiis percepisse. Sed Christianæ professionis vinculum, & deuotionis filialis affectus priuignales induit; & sub Religionis prætextu transiit in contemptum. Non ponimus os nostrum in Cœlum, nec de facto Summi Pontificis disputamus. Sed, si Dominus Papa indulgentia speciali quandoque priuilegiauit vos, dum Ordo vester in paupertate gaudebat, dum in vsus egentium sua temeritatis viscera liberaliter effundebat; potuit tolerari ad tempus, licèt in communem redundaret iniuriam, quod causa necessitatis fuerat introductum. Nunc autem, quando vestræ possessiones multiplicatæ sunt, etiam in immensum, priuilegia hæc potius ambitionis, quàm Religionis instrumenta censentur. Quidquid indulgeant priuilegia Romanæ Ecclesiæ, vobis expedire non credo, contra conscientiam vestram, quod alienum est, vsurpare. Quòd, si à Sede illa publicum emanasset edictum, quòd vbicunque inueneritis Clericos, aut alterius habitus Monachos equitantes, vobis liceret eos de suis electionibus deiicere, & equos in vsus proprios retinere? Quid interest, equos rapiatis, an decimas? nisi quia decima, res spiritualis est, & ideò enormius sacrilegium in decimis committitur, quam in equis?*

10. *Cum Dominus præcipiat decimas solui, quis contra eius præceptum potuit dispensare? Vbi diuina, & humana iussio sibimet inuicem contradicunt, obediendum est Deo magis, quàm hominibus. Vtinam sint duæ leges, exterior, & interior; interior semper præiudicet: quòdque puritas conscientiæ dictat mihi, exteriori præcepto fortius est, & omnem indulgentiam aliena dispensationis euacuat. Si filij Israël de mandato Domini, & in retributionem longi obsequij, quod Ægyptiis impenderant, eis vasa argentea, & aurea abstulerunt, non expedit vos hac ad consequentiam trahere; nisi constet, Dominum hoc mandasse, & vos nobis, tanquam Ægyptiis, longa seruitutis obsequium impendisse. Consultius ergo, & modestius agentes, date operam, vt prædicta ambitionis nota, quæ vestræ Sanctitati titulos deshonestat, abscindatur à vobis, nec pro rebus perituris commune in vos scandalum excitetis. Væ illis, per quos scandalum venit. In restitutione aliena rei non credatis conditionem vestram in aliquo læsi: nam, si quid vilioribus vestris deperit in hac parte, deuotio populorum, qua nunc erga vos plurimùm turbata est, eorum hoc pleniore munificentia restaurabit.*

11. *Quòd si pertinates vos, & inflexibiles exhibueritis, vinculo anathematis innodabimus vniuersos, quòd aliquid vobis dederint, aut vendiderint, vnde ius decimationis obueniat; atque in Cœlum clamabimus, & ad thronum Summi Iudicis appellabimus, ne quis huius vinculum excommunicationis absoluat. Principum etiam fauorem in hoc plenissimè obtinebimus, vt gladio spirituali manus ciuilis assistat, & quicquid principale Oraculum, venditum, aut donatum vobis fuerit, confiscetur. Antequàm ergo res in deteriorem vergat exitum, vestræ famæ maturius prouidentes, vellitis assuescere solutioni decimarum; illarum maximè, quas cum maiore omnium rancore, & odio vsurpatis, & quas Clerici, siue Monachi hactenus percepérunt. Nam, si de nonalibus tantùm, sicut beatæ recordationis Adrianus Papa constituit, decimas retinetis, vobis in eo vere damnum erit tolerabilius, cuius emolumenta non sentimus. Verùm iuxta Philosophi sententiam, non sine dolore amittitur, quod delectabiliter & commodè possidetur. Valete.* Hactenus vehemens Richardi Cantuariensis ad nostros epistola, siue inuectiua magis; cuius fortè occasione factum est, vt nostris procurantibus, & Alexandro indulgente, aut præcipiente, amicabilis compositio iniuncta sit, ineunda cum Episcopis, & Clericis super decimarum ad ipsos pertinentium contributione. De qua extat decretalis epistola eiusdem Pontificis ex eodem, vt aliqui arbitrantur, scripta Concilio ad Abbatem, & Fratres Dalonenses, & habetur in capite, *Suggestum.* de decimis, quæ ita habet:

12. *Suggestum est nobis ex parte tua, quòd Abbas & Fratres de Vrsitan, decimas auferre conantur, & alia damna, & grauamina vobis irrogare non cessant. Quia tamen non decet honestatem, siue Religionem monasticam litibus, & contentionibus intendere, Discretioni vestræ per apostolica scripta mandando consulimus, & hortamur, quatenus cum prædicto Abbate, & Fratribus super decimis ipsis, & aliis, vnde inter vos est controuersia, pacificè conueniatis, ne pro huiusmodi contentionibus fama vestra Religionis valeat denigrari. Nam, quando Ordini vestro Romana Ecclesia priuilegia de decimis dederat, Domus vestræ ita erant arctæ, quod exinde nulli poterat de iure scandalum suboriri. Sed per gratiam Dei nunc sunt in tantum augmentatæ, & possessionibus ditatæ, quòd multi viri Ecclesiastici de confinibus vestris apud nos querelam deponunt.* Hactenus ibi ex epistola Richardi sumpto motiuo, inserta quæ præcipuè eius ratione, quam multi alij haud dubiè allegauissent. Porrò has compositiones amicabiles in Hispania antè cœptas, vt suprà vidimus, approbante Alexandro, seu quæ in Principibus consiliorum conditio est, præcipiente, & iubente, breui aliæ nationes admisère, & manent hodiéque compositiones super decimis factæ, quæ inuiolabiliter solent obseruari.

1. Vallcellenſes Abbates canonizandi in Concilio propoſiti. 2. Sed obſiſtente ſanctorum multitudine, 3. decreta ſaltem ſolennis elevatio ſacrorum oſſium. 4. Henricus Abbas creatus Cardinalis: 5. qualis, ac quantus vir: 6. atque obiter oſtenſa ratio temporis. 7. In Claraualle ſubrogatus Petrus Monoculus, 8. præcedentibus 9. revelationibus, 10. & miraculo, in Gileberto Priore, facto. 11. Mox ad ingreſſum Sancti in Claramuallem, 12. brevi ſubſequutum aliud miraculum.

CAPVT IV.

1. SEQVITVR elevatio ſacrorum corporum Abbatum Vallcellenſium, Rodulfi, ſcilicet, Riquardi, & Nicolai in Concilio decreta, cùm multa de virtutibus eorum, de miraculis multa relata eſſent. Nihil magis Eccleſiam illuſtrare, quàm ſanctos homines, quos cæteri imitentur, quibus vtantur ad Deum interceſſoribus. Veteres exempla eò minùs immutare, quò longiùs diſtant: recentibus vtendum aduersùs pigros, qui naturæ defectum, qui rerum variationem cauſari ſolent. Eorum Canonem prouidè reſeruatum Romanæ Sedi, ne tantus honor facilè contingat, aut ſupra merita; ſed reſeruatum tamen, non interclusum, & quò minùs permiſſum aliis Epiſcopis, eò magis Romano curandum fore, ne cæteræ Prouinciæ tantis ſubſidiis; ne in ipſis Eccleſia tam illuſtri ornamento defraudetur. Gaudium eſſe in Cœlis Angelis Dei ſuper quocunque peccatore homine, qui in terris pœniteat, quantò magis hominibus gaudendum ſuper Fratribus iuſtis, quos in Cœlis triumphare non dubitarent. Tum, ſi qui tales proponendi ſunt, Vallcellenſes Abbates præferendos, claros, quandiu in hac vita fuêre, meritis, poſt mortem miraculis; neque decere ſub modio latitare, quibus Deus tot radios diuinæ lucis, tot cœleſtis virtutis inſignia communicaſſet. Nihil minùs à magnis illis viris, quos primitiua ſæcula tulêre, conſtantes fide, feruentes zelo, efficaces ſermone, potentes opere; & qui tot Cœlis Angelos intulerint, quot eruditos homines accepetint; ac deſcendente à Patribus ad filios pietate, & doctrina, longum ad tempus ſperantur illaturi.

2. Hæc, & ſimilia religioſè primùm propoſita, mox certis teſtimoniis comprobata, quominus Patres Concilij perſuaderent, multitudine ſola, ferax nanque Sanctorum ſæculum illud, ex Ciſtercio præcipuè, retardabantur. Nam, cur, ſi ſoli in publicum prodirent, cur tres præ aliis venerandi populis, ſimúlque interpellandi proponerentur? Si vitam ſpectes, ſi mores, ſi miracula, fuiſſe in Ciſtercio, fuiſſe in Claraualle, fuiſſe in aliis Eccleſiis multos non impares; ſi doctrinam, fuiſſe ſuperiores, atque eò forſan illis præferendos, quò non in tenebris, ſiue inter luminaria minora fulſerint, quod planè facilius, ſed coram primitiui Ciſtercij Patribus, quaſi ad Solis aſpectum radiauerint. An etiam Canon, vt cætera terrena, petentium magis, quàm merentium præmium erit? An non ſanctiores adſcribendi ſunt; ſed qui habent, qui curent, vt adſcribantur? Pateant mundana humanæ ſollicitudini: cœleſtia non pateant; neque penſentur alienis negotiationibus, quæ propriis meritis debent reſpondere. Senſêre Patres vtrarúque rationum pondus, & ne vel deuotioni flagitantium, vel repugnantium zelo non ſatisfacerent, mediam aggreſſi viam, cùm non Canonem, elevationem trium ſanctorum corporum Concilij authoritate celebrandam, communibus ſuffragiis decreuerunt. Atque hæc tunc Romæ. Cæterum, quali, & quanta religione; quali, & quanto concurſu populorum ex priſtino, humiliorique ſarcophago, ad honorificentius tranſlata ſint hoc ipſo anno, in vigilia Sanctæ Petronillæ Virginis, id eſt, tricesima die menſis Maij, habemus ex Appendice Vallcellenſium ad Sigeberti Chronicon [a], quem Aubertus Miræus [b] cum Sigeberto primùm, mox in Chronico Ciſtercienſi, & ex ipſo recentiores adhuc Hugo Menardus:

[a] *ad an.* 1132. [b] *in notis Maij* 30.

3. *Anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, 11. Kalend. Iunij, feria tertia, leuata ſunt oſſa Abbatum huius loci de Capitulo, in quo à principio poſiti fuerant, videlicet, Domini Radulfi primi Abbatis; & Domini Riquardi, ſecundi; & Domini Nicolai, qui loco tertio ſucceſſerat, ſed pra nimia corporis infirmitate, ipſam Abbatiam dimiſerat: & poſita ſunt à Domino Alelmo, qui regimen quinto loco ſuſceperat, condigno honore infra maceriam nouæ Eccleſiæ, quæ eſt intra oſtium ipſius Eccleſiæ, & armarium, ad ſeptentrionalem plagam, in locis honorificè præparatis, cunctis miniſtris, albis induti, adſtante etiam copioſo Conuentu, tam Conuerſorum, quàm Monachorum, & multitudine ſæcularium plurimorum. Illa autem Abbatum tranſlatio facta eſt per Concilium, quod ipſo anno ſub Alexandro Papa III. Romæ celebratum eſt.* Hactenus de corporum ſanctorum elevatione, Concilij iuſſu facta. Sed iam ad vltimam Concilij eiuſdem partem, quæ Ciſtercium concernit, tranſeamus.

4. Henricus Abbas, qui ſe non pridem Toloſanis, Clero, & populo, qui Ciſtercio negauerat, Claræualli, quoad poſſet, adhæſurus, tandem Romani Pontificis præcepto, Romanæ Curiæ adhæſit, donatus pileo, atque in Cardinalem Albanenſem Epiſcopum promotus, quod nullatenus licuit recuſare. Creatus & cum eo Vvillelmus Rhemenſis Archiepiſcopus, Presbyter Cardinalis Sanctæ Sabinæ. Potrò de vtriuſque viri creatione hæc habet Rogerius in Annalibus [c]: *In quo Concilio Vvillelmus Rhemenſis Archiepiſcopus, factus eſt Preſbyter Cardinalis ad titulum Sanctæ Sabinæ, & Henricus Abbas Claraualenſis factus eſt Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, & Dominus Papa tertium diem Concilij ſui celebrauit ſecunda feria ante Dominicam in Ramis palmarum, quæ quarto decimo Kalendarum Aprilis euenit.* Ita Rogerius. Nec multò plura, qui noui Cardinalis acta redigit ad epitomen [d]: *Tandem*, ait, *à Domino Alexandro Papa III. ad Lateranenſe Concilium ex nomine per litteras euocatur, retinetur, Cardinalis efficitur, & in Albanenſem Epiſcopum, quamuis inuitus, conſecratur.* Hactenus geſta in Concilio, quæ noſtros tangunt. Nunc noui Cardinalis antiquos mores in purpura retentos, atque Petri pro ipſo ſubrogationem in Claraualle factam proſequamur.

[c] *ad hunc an.* [d] *apud Henriquez.*

5. Qualiter ergo promotus in Cardinalem ſe geſſerit Henricus, tam in ſe ipſo, quàm erga ſuos, à quibus adeò difficulter auulſus, Claræuallenſes; Author Exordij deſcripſit grauibus verbis [e]: *Igitur*, ait, *Reuerendiſſimus*

Digitized by Google

Reuerendissimus Pater Henricus, dum quotidianis virtutum incrementis ad meliora proficeret, & opinio sanctitatis eius clara vbique vulgaretur, voluntate & electione Summi Pontificis, Fratrum quoque Cardinalium consilio annuente, in Albanensem Episcopum Cardinalem assumptus est. Quam dignitatem adeptus, sic ea, quæ erant Pontificis exequebatur, vt prime sue professionis, & humilitatis nequaquam immemor existeret: & foris authoritatem condignam Sacerdotio prætendens; intus verò luctum Monachi in spiritu contrito, & corde humiliato sacrificans, obtutibus interni inspectoris placere festinabat. Factus autem Episcopus, Claramuallem suam oblitioni minimè tradidit: sed sincere eam semper dilexit amore, honori, & vtilitati eius, tam in Curia Romana, quàm alibi vbicunque poterat, fidelissima deuotione intendens. Hactenus ibi.

6. Sunt, qui annum creationis Henrici differant: quod facit Chaconius [f], incertum, quo Author, cùm Concilium celebratum hoc anno, & in eo Cardinales quosdam creatos antè tradiderit; nec, quod miretis, in eo alium recenseat. Turpiùs erraruntOnufrius Panuinus [g] &, Arnoldus Vvionius [h] pro suo more, qui hunc Henricum, cum magno illo Henrico tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Cardinali dudum defuncto, craſsè confundunt: neque immediatè ex Abbate Claræuallis, vt clarè constat; sed ex Presbytero Cardinali, promotum tradunt, nominis tantùm, aut fortè professionis, quam tamen Panuinus silet, similitudine. Robertus Montis sub anno M. C. L X X X. Concilium notat: *Anno*, inquit, *M.C.LXXX. Alexander Papa III. tenuit generale Concilium Romæ, media Quadragesima, cuius decreta, quæ ab eo, & ab aliis Coepiscopis eius, ibi constituta sunt, apud nos habentur.* Sed putò irrepsisse, amanuensium incuria, mendum, qui anni numeros in margine signatos anteuertit. Quod non aduertens Seuerinus Vinius [i] sibi contrarius, annum item designat octuagesimum. Sed de electione Henrici satis dictum. Nunc iterum redeundum ad Claramuallem tanto Pastore, & Patre destitutam, & iacturam pro dignitate dolentem, curantémque, vt dignus illi successor subrogaretur, & subrogatus æqualis, si non superior, Sanctus Petrus Monoculus, ex cuius actis, quæ electionem eius præcesserint, quæ subsequuta fuerint, fideli narratione describamus:

7. *Sortitus est*, ait [k], *sortem ministerij huius* (scilicet, Præsulatus Claræuallensis) *quidam Henricus, vir potens in opere, & sermone. Sed eo postmodum in Episcopum Cardinalem assumpto, Sedes illa vacabat, & tractabatur de electione successoris* [l]. *Erat in Claraualle Prior Claustralis, Gilebertus nomine, Abbas hodie Fusniaci. Hic sanctitatem Beatissimi viri (Sancti Petri, tunc Abbatis Igniacensis) intimè cognoscens, & opportunè, scilicet, vt intimus eius, & familiaris amicus, cogitabat eum ab Igniaco in Claramuallem transferre. Dum hæc voluerat in animo, quidam de Fratribus animum eius, & interiora prorsus ignorans, confessus est ei dicens: Piam, inquit, gero sollicitudinem nostra Domus; & ignoro, quem nobis Deus Pastorem propanat prouidere: hæc talis visio mihi ostensa est. Nunciabatur nobis ad hanc Domum Christum Dominum aduenire: ad fores Monasterij occurrebamus obuiam: videbamus eum non habentem speciem, neque decorem: statura breuis erat, habitu pauper, aspectu contemptibilis: nulli tamen erat dubium, quoniam esset Dominus Iesus Christus.* Atque hæc quidem visio ostensa Monacho, excepto Christi nomine, Petrum per omnia Igniacensem Abbatem repræsentabat, quem statura pusilla, habitu despicabilem, nec reuerendum facie, superiùs diximus. Pergit igitur Author in hunc modum [m].

Hanc visionem conferens, & comparans proposito suo Gilebertus, nihil aliud potuit interpretari, nisi Petrum per Christum intelligendum, vtpote verissimum Christianum, & verè Christum, id est, cœlesti chrismate, & Sancto Pneumate unctum. Qui in oculis hominum pauper & modicus videbatur, virorum nouissimus, & tanquàm à Deo percussus: cæterùm omnis gloria eius erat ab intus, vbi pretiosa margarita fulgebat in corde, vbi erat locus Domino, & tabernaculum Deo Iacob. Tabernaculum, inquam, fide, spe, charitate, cæterisque virtutibus, velut argento, auro, lapidibus pretiosis instructum, ornatum, spatiosum, speciosum, & exteriùs cilicio coopertum. Vbi desiderium visionis diuinæ erat in odorem suauissimum Domino, vbi consonantia rationis, & affectuum reddens mellifluam harmoniam, diuinum etiam demulcebat auditum. Competenter igitur in habitu pauperis Petri Christus apparuit, & transformauit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ; siue, quod verius dicam, trãsformauit corpus claritatis suæ, configuratum corpori infirmitatis nostræ; & cùm in forma Dei esset, & esset æqualis Deo, semetipsum exinaniuit in similitudinem Petri factus, & habitu inuentus vt ipse. Hactenus visio, & interpretatio eius, cui consonabat Oraculum cœleste, eidem Petro factum, cuius superiùs fecimus mentionem. Nunc qualiter vtrunque impletum sit, ipso licèt fugiente, & obnitente, sed per Abbatem Cisterciensem Petrum coacto, ex eodem Authore videamus: *Gilebertus hac visione factus animosior, vicinos Abbates, & Petrum nomine conuocauit: & Petrus quidem citatus aufugit: ceteri nihilominùs venientes, consentiente Conuentu, ipsum elegerunt absentem: nec fuit, qui contradiceret, admirabilem virtutem illius cognoscentes.* Author Exordij fusiùs hæc ipsa narrat [n]:

9. *Cùm quærerent emixius Abbates, & Fratres Claræuallenses, quem in locum eius subrogarent, citò de proximo obtulit se fragrantissima virtutum suauiolentia Domini Petri Abbatis Igniacensis, cuius suprà mentionem fecimus. Qui hanc specialem gratiam ab omnibus sui temporis obtinuerat, vt sanctus, & bonus, electus ex millibus prædicaretur. Hunc itaque dignum Domini Henrici successorem, octauum Claræuallis Abbatem, vnanimi consensu elegerunt.* Sicin Exordio. Pergunt acta Abbatis recèns electi [o]: *Quæsitus igitur, inuentus est in quadam grangia Ordinis illius, inter Conuersos conuersans, & eo die inuentus est in pratis fœna vertens. Inde ductus Igniacum, cùm precibus vinci non posset, Ordinis authoritate coactus, officium imitus, & nolens suscepit.* Hæc Sancti Viri electio, & acceptatio, cœlestibus Oraculis præuenta, quæ frustrari non possent; sed non minùs gloriosè comprobata, sequente miraculo, quod idem ipse, qui exequi curauit, expertus est, cùm venisset Igniacum, persuasurus electum, vt consentiret. Nam audi quod sequitur [p]:

10. *In crastino cùm proficisci vellent Claramuallem, valida febris inuasit Gilebertum superiùs nominatum, qui vnus erat querentium eum. Igitur cùm Igniaci res maneret, venit ad eum homo Dei conquerens, & dicens, quòd omnia per ipsum facta forent; & nunc contra iura amicitiæ eum in necessitate deserret. Necessitatem suam non mendacem ille prædidit. Ad quod Sanctus Abbas ait: Surgite, eamus hinc: febris vobis vlteriùs non nocebit. Surrexit, & abiit cum seruo Dei, & post paulum febris eum dimisit.* Hoc fuit initium signorum Petri, ex quo in Claræuallis Abbatem electus est, plura, & maiora ex inde perpetraturi. Cæterùm, quanto cum omnium Fratrum gaudio, quanta cum reuerentia Claræuallensium, homo aliàs despicabilis,

f in Alexandro III.
g in Cardinalib.
h in Ligno vitæ.
i in Tomis Concil.
k cap. 18.
l cap. 19.
m vbi suprà n lib. 2. c. 33. o cap. 20. p vbi suprà

spicabilis, vt diximus; sed gratia intùs agente, venerandus, susceptus sit, pergit Author describere in hunc modum [q]:

q cap. 11. 11.

Itaque vsque ad Claramuallem deductus à Fratribus, vt Angelus Dei, vt homo missus à Deo, cum deuotione, & gratia cunctorum susceptus est. Ipse verò venit ad eos, non in sublimitate sermonis, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione spiritus, & veritatis, in veritate, & perfectione Christianæ Religionis, quarum virtutum eis exempla veneranda monstrauit. Potuisset addere, in ostensione signorum, quæ proculdubiò plurima patrauit: atque item in efficacia conuersationis, eò maioris, quò minior sperabatur; & cui adeò resisti minùs posset. Hunc successorem Cardinalis Henricis habuit, hunc Bernardus Vicarium de Cœlo datum, hunc demum Patrem Clarævallenses Monachi, quo discedentis Henrici iacturam, quantumuis magnam, aut in lucrum verterent, aut saltem non sentirent. Certè de Petro promoto ad Claramuallem hæc in Exordio Magno scripta lego [r]: *Iste Dei famulus, cùm ante susceptum regimen Clarævallensis Ecclesiæ, perfectus, & sanctus iudicio omnium habitus fuisset, ad nouum agonem se ipsum extendere cœpit, studens modis omnibus dare voci suæ vocem virtutis, id est, quæ ore docebat, opere ostendere, Patrumque præcedentium vestigia continuò præoculis habere, præcipuè Sanctissimi Patris Nostri Bernardi, cuius se indignum iudicabat Vicarium.* Ita Vir Sanctus recentem dignitatem, fructu, quàm fastu, & virtutibus magis, quàm imperio, repræsentabat.

r lib. 2. c. 32.

12. Non multò pòst Bocheriarum Sede vacante, quæ Domus est de linea Clarævallis, filia Tusniaci, Gillebertus electus Prioratum Clarævallis Rogerio reliquit, quam Sanctus Abbas illi subrogauit, virum doctrina, & moribus præstantem, inde in Abbatem de Petrosa primùm, mox Triumfontium dignè promouendum. Porrò, cùm Gilleberto nouo Abbate ad visitandas Ecclesias sibi subditas veteretur, vt socio, miraculum miraculo coniunxit; & qui salutem priùs restituerat, casum item præuenit, noua, & maiori gratia, quam non licet silentio præterire [s]. *Non multis interpositis diebus visitabat Abbas Clarævallis filias, & Gillebertus cum eo de Bocheriis iam nouus creatus Abbas. Porrò Gillebertus equo insidebat, aliàs quidem commodo; sed qui sapius offendebat ad lapides pedes suos: & erat periculum. Petrus autem attendens equum frequenter offendere, & à casu metuens Gilleberto, arguebat eum, quare eo animali veteretur, vnde ruinam, damnúmque corporis facillimè posset incurrere. Ad hoc ille: Molliter, ait, & aptè graditur, & non est inuidiosus; propter quod vsum illius multùm amplector. Caterùm, si mihi metuisti, rogate Dominum, vt hoc vitio amplius non laboret. Itáne, inquit, orationes effundendæ sunt potius, quàm fundenda? Nunquid enim de bobus cura est Deo? Attamen oro Deum, ne ita corruat, vt vobis malum faciat. Vsus est eo posteà multis annis, nec vnquam cecidit: stabili nanque fuit ille pede, & ne casui potius, quàm Petri meritis adscribatur, statim vt Gillebertus Fusniacum transiuit, equum, & Bocherias deseruit; quidam ex eius loci Fratribus equum ascendit, sub quo, imò super quem quadrupes crudeliter corruit, & Frater fracto crure lapsus infeliciter, ad Monasterium fuit delatus.*

s c. 11. Vitæ S. Petri.

---

1. *Simon Aquicentinus ex Claraualle, Bernardi Patris exuuias secum asportat.* 2. *Ludouicus admonitus in somnis, cùm filius ægrotaret,* 3. *Sancti Thomæ sepulcrum deuotus visitat,* 4. *plurima in illud vsus munificentia.* 5. *Philippi à mortis faucibus erepti coronatio solennis,* 6. *cui multi Cistercienses interfuere.* 7. *Quid de Guicardo Lugdunensi Præsule,* 8. *quem ad hunc annum pertigisse constat.* 9. *Quid tandem de illius successoribus.*

CAPVT V.

1. EODEM anno Aquicentinus Abbas Petrus, vir magnæ authoritatis, & opinionis, dum à Concilio ad propria reuerteretur, Claram, per vniuersum Orbem, Vallem, & eius, à quo lucem accepisset, Bernardi Patris sepulcrum visitauit, ad eius corpus excubias peracturus. Clarævallenses porrò illustrem virum, & verum Sancti Patris imitatorem, atque eius pietatem venerati donarunt sacris xenils, ex exuuiis eiusdem Sancti Patris, quæ Aquicintum etiam delata, religiosissimè à Monachis excepta, nec minùs religiosè locata sunt. Quod olim in Aquicentinæ Ecclesiæ Chronico memoriæ proditum, recèns à Ferreolo Locrio vulgatum est [a], transcribente ad hunc annum hæc ipsa verba: *Anno millesimo centesimo septuagesimonono, Simon, nonus Aquicentini Monasterij Antistes, in reditu ex Concilio Romano, Claramuallem diuertit, & reliquias Beati Bernardi ab eiusdem Cœnobij Abbate, precibus impetrat, quas Aquicintum delatas magnis honoribus effecit.* Hæc ille. De Abbate, an Henricus, an Petrus fuerit, affirmare non ausim, cùm alter in Concilio promotus sit, alter vix dum suffectus tunc credi possit, nisi fortè longiori mora Simon Romæ, siue in itinere substituendo Petro locum dederit. Sed nec de ipsis Bernardi Patris exuuiis, qualesnam fuerint, compertum satis habeo: neque an de ossibus, an de vestimentis: illud tamen Lectorem meum aduerto: Si de prioribus, primas omnium esse, quas extra Claramuallem asportandas concessas lego.

a in Chronico Belgico.

2. Sub idem tempus illustrem Martyrem Thomam, illustriorem effecit nouum miraculum; non, quia maius aliis; sed, quia in filio, & hærede Francorum Regis, & vel miracula, ex his, in quibus fiunt (quæ hominum plerunque opinio est) crescere solent. Habuit tamen & alias circunstantias non contemnendas, quæ admirationem euentui conciliarunt: quòd miraculum præcedente promissione patratum sit: quòd religiosa peregrinatione eiusdé Regis ad Martyris sepulcrum sollicitatum: quòd comitante Henrico Anglorum Rege: quòd demum subsequutis incrementis Cantuariensis Ecclesiæ, & Ludouici Regis largitione, velut remuneratum, non solùm illis potuerint patere, qui tunc viuebant; sed ad posteros etiam peruenire. Rem totam rerum Anglicarum scripta nobilis Rogerius Ouuedenius, tum pietatem Ludouici Regis in Sanctum; Henrici in Ludouicum munificentiam, atque id genetis alia, quæ contigêre, coæuus penè Author memoriæ prodit, atque en eius verba [b]:

b in Annal. lib.

3. *Philippus, filius Ludouici Regis Francorum, & predicta*

dictæ Alæ Reginæ, ægrotauit vsque ad mortem. Vnde pater suus plurimum condoluit, & diuina reuelatione in somnis admonitus est, vt deuota peregrinatione adiret Beatum Thomam, Cantuariensem Martyrem, si vellet filium suum pristinæ sanitati restitui. Vnde factum est, quòd Ludouicus, Rex Francorum, missis Legatis ad Henricum Regem Angliæ patrem, quæsiuit licentiam, & securitatem veniendi in Angliam, & sine impedimento redire quæsiuit, & obtinuit. Rex igitur Francorum fiduciam habens in Domino, contra multorum consilium, iter arripuit versùs Angliam, & assumens secum Philippum, Comitem Flandriæ, & Balduinum, Comitem de Ginnes, & Henricum, Ducem de Lunain, & Comitem Vuillelmum de Mandeuile, & Aduocatum Betuiniæ, & alios Barones de Regno Franciæ, peruenit vsque Veitsand, & inde transfretauit in Angliam, & applicuit apud Douere, vndecimo Kalendas Septembris, feria quarta. Cui Rex Angliæ pater in littore maris occurrens, suscepit eum magno gaudio, & honore, sicut charissimum Dominum, & amicum suum, & omnia necessaria sibi, & hominibus suis honorificè ministrauit, & in crastino, videlicet, vigilia Beati Bartholomæi Apostoli, duxit eum Cantuariam, vsque ad tumbam Sancti Thomæ Martyris. Quo cum venisset Ludouicus, Rex Francorum, obtulit super tumbam Beati Thomæ Martyris vnam cuppam de auro valdè magnam, & pretiosam, & ad vsus Monachorum ibidem Deo seruientium. centum modios vini in perpetuum, singulis annis recipiendos, apud Peissi in Francia, ad omnimodam impensam Regis Franciæ.

4. Præterea concessit eis, quòd quæcunque de cætero emerentur in Regno Franciæ ad proprios vsus illorum, quieta sint de telonio, & omnibus aliis consuetudinibus, & exigentiis. Et hæc omnia fecit ei confirmari charta sua, quam ipsi receperunt de manu Hugonis de Puteaco, Cancellarij Regis Franciæ, filij Hugonis, Dunelmensis Episcopi. Tertio autem die sequente, Rex Franciæ, & sui, qui cum eo venerant, Rege Anglorum eos reducente reuersi sunt ad Douere, & in crastino, videlicet, septimo Kalendas Septembris, die Dominica, Rex Francia cum suis transfretauit de Anglia in Flandriam, & applicuit apud Veitsand. Interim Philippus, filius eius, meritis, & precibus Beati Thomæ Martyris, pristinam adeptus est sanitatem. Quo audito, Rex Franciæ in magno fluctuans gaudio, publico præcepit edicto, vt omnes Principes regni sui, Ecclesiastici, & seculares, conuenirent Rhemis in capite Kalendarum Nouembrium ad coronationem Philippi filij sui. Hactenus ex Rogerio de Ludouico Religioso in Thomam, & liberali.

5. Nec multò pòst idem Ludouicus, quò filij optata salute frueretur, quem à faucibus mortis velut creptum, Sancti Thomæ interuentu recepisset, vigendum, coronandúmque curauit, superstiti adhuc patri successurum. Est celebrata Rhemis solennis vnctio, Gallorum Regum mos te, de qua hæc ex antiquis Papirius Massonus [c]: *Anno millesimo centesimo septuagesimonono Kalend. Octobris* (corrige, *Nouembris*, quippe in die omnium Sanctorum, vt infrà dicam) *Ludouici Patris consensu Philippus apud Rhemos Regium ornatum, nomenque sumpsit, præsente Henrico, Regis Angliæ filio, & cæteris Regni Proceribus.* Ita Massonus. Verùm distinctiùs, enucleatiúsque Paulus Æmilius [d]: *Anno*, ait, *superiore quàm Ludouicus mortem obiret, curat Philippum Regni consortem assumere. Quare Rhemos perductum magna cum pompâ adolescentem sacrari iubet, annum vix quartumdecimum agentem. Cui coronationi Guillelmus, nouelli Regis Auunculus, Rhemorum Primas, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Romanus Legatus affuit. Henricus item Angliæ Rex ob eas, quas à Rege in Francia terras possidebat, obsequens, pro debito subiectionis Philippo adstitit*, &c. Ergo tibi donatum à Deo filium, intercessione Thomæ Ludouicus sacrauit solemni pompa.

[c] in Philip. Augusto.

[d] lib. 6.

Sed neque hoc contigisse sine Cistercio aut debuit, aut potuit: atque affuisse inter alios multos, Abbatem Clarævallis, præcipuè Beatum Petrum, quem sanguine præ aliis coniunctum Regi, & sanctitate, ac doctrina venerabilem, vt Patrem diligeret, & tanquàm Dei amicum reuereretur, Actorum eius Author memoriæ prodit [e]. Affuère etiam Pontifices non pauci ex Cistercio assumpti, è quibus quondam Pontigniaci Abbatem; sed tunc Bituricensem Archiepiscopum, Aquitaniæ Primatem, magnum Guarinum memorauit Rogerius [f] Ouedenius loco supra citato, totidem verbis: *Quibus congregatis* (scilicet, insignioribus Viris totius Regni) *Vuillelmus, Rhemensis Archiepiscopus, præfatum Philippum filium Alæ sororis suæ iam quintum decimum annum ætatis suæ agentem coronauit, & in Regem vnxit Rhemis in Ecclesia Sedis Pontificalis, die solennitatis omnium Sanctorum, ministrantibus ei in illo officio Vuillelmo Turonensi, & Bituricensi, & Senonensi Archiepiscopis, & ferè omnibus Episcopis Regni.* Hactenus ille.

6.

[e] cap. 22.

[f] in Annalib.

Cæterùm, quòd Guicardus Lugdunensis inter assistentes coronationi Philippi non nominatur, aliquibus argumento fuit, iam per hoc tempus claudisse diem extremum; aliàs nec defuturum tantæ solennitati tantum Pontificem; nec ab Authoribus silentio prætereundum, aut anonymum cum aliis inuoluendum; & potuit obiisse sub finem anni; ante mensem Nouembrem, in quo coronatio Philippi est celebrata. At ad hunc annum vsque pertigisse, probat consecrata ab eo Ecclesia Bellævillana, de qua consecratione hæc in Catalogo Archiepiscoporum Lugdunensium [g]: *Guicardus consecrauit Ecclesiam Abbatiæ Bellæville anno M.C.LXXIX. præsente Stephano Matisconensi Episcopo.* Et potest facilè vtrunque simul stare, cùm obierit die 14. Iunij, vt statim nobis veniet referendum.

7.

[g] apud Ioan. Chyuu.

Quocunque anno, siue hoc, siue sequenti, neque enim legitur habuisse successorem ante millesimum centesimum octuagesimumprimum, inter insignes sanctitatis Viros Cisterciensis Familiæ commemoratur, tam à Ioanne Abbate [h], quàm ab Authore Dialogi, de prospero, & aduerso statu Ordinis; atque item in Missali antiquo [i], ex quibus recentiores transcripsêre; Philippus Seguinus [k], Miræus, & Henriquez [l], qui tamen sine causa postponit natalem Sancti, nempe, ad vigesimumoctauum diem mensis Iulij, cùm constet obiisse 14. Iunij, quod in Martyrologio Pontigniacensi notatum lego: *Die 14. Iunij obiit Dominus Gerardus, octauus Abbas huius Monasterij, postea Episcopus Cardinalis Prænestinus. Eadem die obiit Dominus Guicardus, secundus Abbas huius Monasterij, postea Archiepiscopus Lugdunensis.* Fuit Guicardus, vt Iacobus Seuertius ait [m], Poëta excellens, in quo acumen ingenij, viuacitatémque, vt grauitatem morum in cæteris negotiis demonstrabat. Recèns electus obtinuisse dicitur ab Alexandro III. Primatiæ Lugdunensis confirmationem. Qui etiam Alexander ei scripsit caput primum, de deposito, vt in secunda compilatione Decretalium videre licet: *Consecrauit* (Robertus Claudius ait) *Altare S. Ioannis, in Ecclesia Sancti Stephani Diuionensis, an. M.C.LXX. Cui & nonnullas confirmauit donationes.* Anno autem M.C.LXXIII. ex Iacobo Seuertio, *composuit cum Guigone, Forensi Comite, qui multa iura*

8.

[h] in suis Catalogis.

[i] de viris illustr.

[k] lib. 5. orig. Monast.

[l] in Fasciculi & in Menol.

[m] in Chronolog. Archiepisc. Lugd.

Digitized by Google

cum Ecclesia Lugdunensi permixta habebat: vt ex tum Archiepiscopus, & Capitulum, indiuiduo nexu, dicti sint Comites Prouinciæ Lugdunensis. Hæc, & alia, dum vixit, ab ipso gesta, memoriam eius illustrem commendant posteris. Mortuus primam accepit sepulturam, si credimus Roberto, *ante maius Altare Retorterij, seu Reoterij, vulgò, de Riotier, quod est Castrum ad Ararim, distans quinque leucis Lugduno, quod acquisierat à Ioanne Brennensi, Comite Matisconensi, pretio sexdecim millium librarum.* Ita Robertus de prima sepultura. Posteà verò (quod hunc Authorem latuit) corpus eius Pontigniacum deductum, atque in maiori capella templi sepultum iacet, ad latus Epistolæ, sub breui titulo: *Hic iacet Dominus Guicardus, Archiepiscopus Lugdunensis, secundus Abbas huius Monasterij.* Atque hæc nobis satis de Viro Sancto, quem degener Lugduni successor sequutus est, vt ex infrà dicendis apparebit.

9. In Tabulis Ecclesiæ Lugdunensis [n], post Guicardum, immediatè ponitur Ioannes ex Pictauiensi Episcopo, in Archiepiscopum Narbonensem recens promotus, mox Lugdunum translatus, cùm nondum Narbonensi Sede potitus esset. Sed, qui anno M. C. LXXXI. Sedem conscendit, potuit degeneri alij locum dare; qui tamen, quia depositus, & breuis temporis Pontifex, non meruerit cum aliis recenseri. Certè Ioannem post octo annos in Archiepiscopatu exactos, plùs, minúsve, infulis abdicatis, in Claraualle Monachum induisse, vbi per plures annos sanctè vixerit, dicemus in tempore. Interim adnoto, Lugdunensem Ecclesiam, Cisterciúmque, charitate certantes circa hæc tempora, dedisse, & accepisse alternis Monachos, & Pontifices: Cistercium, Monachos, in Lugdunenses Præsules; Lugdunum Archiepiscopos in Monachos, qui instituta Cistercij profiterentur. Nec facilè discernas, quæ maior gloria, proferre filios tanta Ecclesia dignos, an cucullam præferri Præsulatui à viris piis, & sanctis, atque infulis tantis anteponi? Extat epistola Stephani Tornacensis ad hunc Ioannem de eius promotionibus, quæ suo tempore veniet recensenda.

[n] apud Ioan. Chenu, & alios.

---

1. *Sancti Dauidis Hemmenrodensis pretiosa mors.* 2. *Contemplatio iugis*, 3. *& lacrymarum profluuium item perenne.* 4. *Miracula, & reuelationes de eius gloria.* 5. *Scripta vita, ac memoria inter Authores.* 6. *Defuncti & alij sancti in eadem Domo.* 7. *Inter quos Isembardus*, 8. *cui alij visi*, 9. *ante mortem ad Choros cælestes rapto.* 10. *Tum Sancto Viro mira proferente*, 11. *vocati Nouitij, confirmatique:* 12. *atque alij de sæculo conuersi.*

CAPVT VI.

1. INTER cætera illustrauit finem præsentis anni Sancti Senis Dauidis sancta dormitio, quam multæ aliæ sequutæ breui tempore, ingentem corporum stragem Hemmenrodensibus; sed animarum glorioſam exaltationem, nec minùs hanc, quàm illam manifestam, certis indiciis simul attulêre. De his antiquus Author, qui cunctis affuit, ex quo hausit Cæsarius Heisterbacensis [a]: *Eo tempore, quo Beatissimus Dauid, Monachus Claustrensis, ab hac luce migrauit, facta est in eadem Domo, quæ alio nomine Hemmenrode vocatur, mortalitas magna, Domino eligente sibi eos, quos vita commendabat sanctior, ad similitudinem columbæ, quæ melioribus granis pascitur.* In Actibus eiusdem Viri Sancti, quæ à Monacho quodam Hemmenrodensi Latinè olim conscripta, Gallicè edidit Ioannes de Assignies nostris temporibus; vsque ad triginta ea tempestate translatos lego, de quorum paucis aliquid hoc anno, de aliis in sequenti dicendum erit.

[a] lib. 11. c. 2.

2. Supererat ex Bernardi filiis solus Sanctus Dauid, cum primis Hemmẽrodensis Domus Fundatoribus, vt diximus, transmissus ex Claraualle. Hic quò senecta, morbísque debilior, eò mente robustior extra se factus, mortalis per æternas, terrenus adhuc per cœlestes regiones spatiabatur. Ferunt in Deum, aut absorptum, aut transformatum, & vix permissum sensibus externis, in agro, in clausstris, in mensa, nedum in Choro per cestases, & raptus extra se factum, continuis ferè custodibus eguisse, per quos prandij in mensa, in agro, in clausstris Domus, cellæque tandem ad se reuersus admoneretur. Quin redundante ex spiritu in corpus, contemplationis gloria, intentam oculorum aciem aduersùs Solem figere consueuisse, quasi qui nulla, quantumuis eminenti, claritate creata superarentur. Vnde Cæsarius [b]: *Dum sancta recordationis Dominus Dauid, Monachus Claustrensis, adhuc esset in corpore, sæpè sedens in labore, in ipsum globum solarem irreuerberatis oculis ad instar aquilæ respexit. Huius rei testes sunt seniores nostri, qui ea, quæ dicta sunt, sæpiùs viderunt.*

[b] lib. 12. cap. 55.

3. Hos tamen oculos, quos intentos Soli glorificatos diceres, mortales arguebant continuæ lacrymæ, quorum dono inter alia decorabatur adeò copioso, vt contra aliorum morem (quod summè dolebat) panno rudi, sed lato vti cogeretur, excipiendo, quàm siccando magis profluuio, quod de Arsenio legitur, ne vestes à perpetuo imbre maderent. Noctes illi vsque ad summum mane peruigiles, cibus parcissimus, labor indefessus, & qui olim delicatus visus Claræ vallensibus, adeóque impar rigori disciplinæ, tam robustus euaserat, vt cæteris admirandus magis, quàm imitandus, & patiens vltra vires humanas iudicaretur. Obiit Vir Sanctus, præuentus, vt putatur, Oraculo cœlesti, quod ipse cuidam seni manifestauit. Obiit autem plenus dierum, virtutúmque, sub finem huius anni millesimi centesimi septuagesimi noni, tertio Idus Decembris, hoc est, die vndecima. Sepultus in Capitulo, inter Abbates, cum quibus veneranda ossa quieuêre per annos fermè septem & quadraginta: quo tandem tempore frequentibus miraculis, quæ ad sepulcrum illius perpetrabantur, eleuata de terra, & decentiùs, venerabiliúsque locata, suo loco veniet differendum.

4. Mortem, & sepulturam Viri Sancti, reuelationes, & miracula sequuta, transeunte virtute etiam in vestes, quarum fragmenta sibi salutaria, quicunque Sanctum deuotiùs inuocabant, experiebantur. Perseuerauit per multos annos cingulum, fortè & nunc perseuerat in Hemmenrode, medicina probata cunctis ægrotis, quo se sanari simul, atque tangi, domestici, extranei, vicini, atque è longinquo venientes gratulabantur. Nec dissimilis virtus patri vestis Heisterbacum

cum transmissæ, & si quæ aliæ dispersæ per Germaniam, ingenti venerantium consolatione. Ferunt, Missam pro eo celebranti apparuisse Godefrido Monacho Hemmenrodensi, fulgentem facie, & gloria circumamictum, nec se in ea parte constitutum, pro quo foret orandum, quin exorandum potiùs, & inuocandum pro eo, & aliis ad Deum intercessurum. Tum Ascelinæ deuotæ Moniali non longè ab Hemmenrode per noctem visum, nec sibi opus veste, quam retinebat eiusdem Viri Sancti respondisse: mittat potiùs Gerardo peccatori conuerso in Hemmenrode, multa per eam beneficia consequuturo. Hæc & similia plura in eius Actis [c], longum esset in præsenti recensere.

[c] apud Ioan. de Assign. 5. ad hunc annum.

Aubertus Miræus in Chronico Cistercienſi hæc habet [d]: *Scripsit vitam eius, & miracula*, scilicet, Sancti Dauid, *Monachus quidam Hemmenrodensis, quæ Gallicè reddita, extant in libro Reuerendi Patris Ioannis de Assignies de Vitis illustrium Virorum Ordinis Cistercienſis, Montibus Amoniæ* 1603. *edito.* Nobis Latinum exemplar nequaquam contigit: ex Gallico transumpto, quod habemus, atque ex Cæsario Authore subæquali, excerpsimus quæcunque hactenus dicta. Memorant Sanctum Martyrologia Monastica [e] Arnoldi Vvionij, & Hugonis Menardi [f]; Petrus Cratepolius [g], Hubertus Miræus [h], Menologium Chrysostomi, Henriquez [i], & ex antiquis Ioannes Cistercij Abbas, Author Dialogi de prospero, & aduerso statu Ordinis, & Missale antiquum in Catalogis, & quotquot alij ex ipsis transcripsere.

[d] ad hunc annum. [e] 8 Decembr. [f] de Episcop. Germ. [g] de Episcopis Germ. [h] in Chron. & in originib. [i] Decembr. 11.

6. Quo tempore sanctissimus Confessor Christi Dauid mortalitatem exuit, obiêre & alij eiusdem Domus, Vvernerus Prior, Michaël Arnoldus, & Cuno venerabiles Monachi, quos item omnes simul cum Sancto Sene, in magna gloria visos Beato Isembardo, cùm simile & ipse præmium præstolaretur, habemus ex Cæsario Heisterbacensi [k]: qui dum vnius transitum describit, recensét cæteros, & quidem, vt ipse ait, non suis verbis; sed his, quæ repetit notata à quodam Monacho, *Qui se cuncta vidisse, & audiuisse commemorat.* Igitur cæterorum aliorum gloriam Isembardus Sacrista, nam eo munere fungebatur in Hemmenrode, in breui assequuturus, & iam iam antè raptis quinque Fratribus, in cœlestibus sedibus sociandus, præueniens triumphum, seu magis ipse præuentus supernò lumine, adimpleuit senarium translatorum felicissima morte consummatus, ab vtroque descripta, & nobis totidem verbis referenda [l]:

[k] infrà in Addit. [l] lib. 11. c. 3.

7. *Ægrotabat in eodem Cœnobio*, scilicet, Hemmenrode, *Sacerdos, Isembardus nomine, Custos Ecclesiæ, plusquàm trisesimum annum agens in Ordine; & ad extrema perductus est. Media nocte, cùm super eum ministrorum vigilaret diligentia, audiuerunt eum leui susurro verba sonare, timentésque, ne morti proximus aliena loqueretur, ori loquentis aure adhibita, intellexerunt verba sublimia, ædificationis plena, de gloria cœlestium, & inenarrabili lætitia Sanctorum. Dignum ergo iudicantes testem his idoneum adhiberi, nunciauerunt hæc Abbati, qui & ipse graui laborabat infirmitate. Vocatus Abbas adfuit. Interim cecidit horologium, & occasione siampra, sic fari cœpit: Ah quàm suauem noctem exegi! quàm delectabili horologio temperando operam dedi! quàm dulces, & quàm suaues concentus audiui! Choris in Cœlo psallentium interfui: ah quàm concorditer, quàm delectabiliter psallebant! In nostro cantu solet esse dissonantia, tædium, lassitudo; ibi longè aliter est, in vnam omnes conueniunt melodiam, super omne, quod delectat, dulciorem. Infatigabiles laudare non cessant, & quanto plus laudant, tanto plus crescit amor laudandi, & mirabili, ac ineffabili modo hoc prouenit in vsum gratissimæ quietis, quòd nunquam vacant à laude Creatoris.*

Ibi vidi homines nostri Ordinis super homines alios 8. *eminere claritate, & dignitate, & gratia præcellere. Qui enim hic humiliati sunt, mediocribus pro Christo contemti, eò gloriosius ibi exultant, abundantiorem accipientes cònsolationem, facie splendidissimi, statura celsi, veste glorioſi. Cum his familiariter conuersatus sum, & amico refectus colloquio. Apparuerunt etiam mihi Fratres nostri, Dominus Vvernerus Prior, & Dominus Michaël, & Dominus Arnoldus, & Dominus Cuno, & Dominus Dauid, honore celsior, candidissimis indutí cuculis, quorum nitor oculis meis tam erat impenetrabilis, quàm radius fulguris coruscantis. Tanta gloria vestium delectatus, sollicitè quærebam, si talem ego habiturus essem: & dixerunt: Qui viuit irreprehensibiliter, talem vestem sperare potest: si verò vitium latuerit in conuersatione, macula apparebit in veste: culpa enim vitæ maculam facit in veste: immaculatam ergo meretur habere vestem, qui se à maculis seruat immunem. Et dixi: Quæ sunt macula? Et ille: Murmuratio, detractio, inuidia, negligentia, & quicquid sinceritatem cordis maculat, & confundit: qui talia agunt, in gloria vestis, maculam ponunt. Tu verò pro multis laboribus, & vitæ honestate, similem sortieris vestem.*

His dictis, faucibus arefactis, viribúsque exhaustis, 9. *defecit loquens. Post modicum instillata refocillatus aqua, resumptóque spiritu, ad loquendum se parans, sic fecit auditoribus, & ait: Vtinam differret me Dominus, vsque dum completo opere Dei, Dominis nostris loqui possem. Ah! quàm læti nuntij baiulus essem, quam læta, quàm stupenda narrarem, quæ vidi, quæ audiui, & sensi, quæ parata sunt diligentibus Deum, & in laude eius vigilantibus. Et Abbas: Frater, quomodo hæc vidisti? Et ille: Quater hac nocte raptus sum ante Deum, pectus meum apertum est, & anima mea edicta est, & statim fui inter Choros Angelorum, & vidi Dominam nostram in immensa claritate, cum suis sacris Virginibus, quæ se mihi promisit in necessitate adfuturam, & Sanctum Michaëlem cum multo exercitu Angelorum præparatum in auxilium mihi. Nam altari, & memoriæ suæ honorem solebam semper impendere, & innumerabilem multitudinem Sanctorum, & quos antea non videram, statim agnoui.*

Rursum spiritu, & viribus deficiens, loqui cessauit. 10. *Compulsus itaque de sorbitiuncula pauxillum accepit, & gustans ait: O quàm dulcis est Dominus gustantibus se! O quanta est suauitatis eius abundantia, quàm larga, quam indeficiens, & omnium deliciarum copiis affluens, quæ me in hac nocte reficere dignatus est! O dulcedo illa, dulcedo gratissima, optabilis, & præsentissima! O quàm singularis, quàm excellens, & ineffabilis! Intus enim in corde, vtcunque teneo; verbis autem explicare non valeo, quam sentire potui, non possum effari, rei nimietate victus. Tam felici refectione pastus, hanc superaddere superfluum duco: hæc breue, & modicum nutrimentum præstat, illa in perpetuum reficit, & saginat. O quàm beati sunt, qui illa sine fine fruituri sunt!*

Iubente Abbate vocati sunt quidam Nouitij, viri 11. *quondam in sæculo clari, virtute militari insignes, quos ita cònsolatus est: Verè felices estis, & tèrque, quatérque beati, qui de vana vestra conuersatione, atque mundana vanitate per diuinam misericordiam vocati estis, partem in Cœlis cum iustis habituri: confiat enim de salute vestra, si tamen perseueraueritis: nam*

Domine

Dominus Dauid indefinenter pro vobis preces ad Dominum fundit, quatenus quod salubriter inchoastis, feliciter compleatis. Vnum autem eorum nomine exprimens, de eo dicebat, nisi portas Claustri ingressus fuisset, mortis aterna portas non euasisset.

12. *Aderant & hospites conuertendi gratia de sedibus suis euocati: sed nimio adhuc rerum temporalium amore detenti, rem arduam aggredi dubitabant. Qui fiducialiter accedentes ad Virum Dei, mentisque fluctuationem confessi, quòd, videlicet, velle adiacet eis, perficere autem bonum non inuenirent, supplicabant, vt orationibus eius adiuti mererentur in bono stabiliri. Et ille: Quamdiu mente adhaeretis seculo, non potestis perfectè placere Deo, nec firmari in bono, habentes voluntatem fixam in malo: quapropter recedite omnino ab his, qua inutiliter amatis, & non deerit vobis gratia Saluatoris. Si vidisseus, qua ego vidi, omnem gloriam mundi vilem reputaretis. Deinde multa quærebant, ille de patre, ille de fratre, ille de suo statu futuro, ille de præsenti. Sed Vir Dei ita responsum de singulis temperauit, vt secretorum reuelator, & conscientiarum inspector esse probaretur. Mox, vocante Domino, sancta illa anima carne soluta est, ad dolores corporis vltrà non reditura; sed, vt credimus, immortalitatis luce vestienda, & perenni gaudiorum suauitate reficienda.* Hactenus ex Authore illo Cæsarius. Nec plures credimus consummatos ante Ilembardum, quia plures non vidit. Post ipsum, intra hunc annum, alium sequenti capite; pertinentes ad Ianuarium alterius anni, sub illius initiũ expediemus. Huic Ilembardo contigisse lego [m], Oratorium intrãti post mediam noctem, atque lucernam extinctã inuenienti, cùm ad eãdem accendendam pergeret, Sancto Dauide sene illic orante, repente succẽsam, decertãte vtroque miraculum tribuendum alterius meritis.

[m] *in Vita S. Dauidis.*

---

1. Beati Oberti in eodem Claustro felix dormitio, 2. atque gloria cælesti præuentus exitus. 3. Alfonsus Rex Hortense Cœnobium visitat, 4. & noua Ecclesiæ fundamenta iacit, 5. annuis redditibus designatis, 6. & priuilegio firmatis pro dote fabricæ. 7. Theobaldus ex Cistercio per varios casus in Abbatem Cluniaci promouetur: 8. animaduersum de eo contra Chaconium. 9. In Belgio Haketus subrogatus pro Vualtero. 10. Chronologia, & de Ægris, Vngaria Domo, 11. deinde Ferraria, 12. Camina, atque Silua, Silo, siue Silea.

CAPVT VII.

1. [a] *lib. 11. c. 6.* ERAT *in eadem Domo, pergit Cæsarius [a], Claustro, scilicet, Laicus Conuersus, nomine Obertus, vir moribus ornatus, & actione circunspectus, à primis adolescentiæ annis deseruiens in Ordine, ad omne iubentis imperium hilaris & promptus. Hic annis circiter triginta, cùm Fratribus infirmis tam deuotum, quàm sedulum exhibuisset obsequium, ipse quoque diuersa corporis inæqualitate correptus est, & magnis laboribus superuiuens annis quasi viginti, longum trahebat martyrium. Verumtamen, licèt corpore infirmus, animi prouidentia non deerat Fratrum necessitatibus, prudenter disponens omnia. Tandem aduersa mortalitatis vrgente procella, & languore inualescente, diem suum functus, vita simul, & doloribus ereptus est. Nocte Beati Stephani, qua proxima est Natali Domini, pulsata est tabula defunctorum pro eo, & surgentes festinanter, aduenerunt Fratres, orationibus munientes Fratris exitum.*

2. *Iacebat autem, vt moris est, positus supra matram, extremum trahens spiritum. Dicta Litania, cùm adhuc aliquid spiramenti superesse videretur, inceptí sunt septem Psalmi. Inter dicendum, paulùm de leui somno excitatus, respexit, circumferens oculos, & iubente Abbate, repositus est in lectum suum, & requieuit sumus. Quidam autem, rei nouitate perculsi, manserunt circa eum, expectantes, donec consummaretur spiritus eius, cupientes audire ab eo, quid hoc esset miraculi. Postquàm autem sibi redditus est, ita dicere exorsus est: Hic ego quid facio? Certè hic esse nolo: modò eram inter Angelos, cœlestis harmoniæ suauitate demulcebar, deputatus eram Beato Protomartyri, gloriæ ipsius consors & collega futurus. Hic ergo quid facio? Certè redire volo. Post modicum, iterum tabula pulsata est, & feliciter obdormiens in Domino, vt credimus, non est fraudatus desiderio suo, partem habiturus in sorte Sanctorum. Quòd autem, præostensa sibi gloria, reuersus ad horam, earuit, in hoc pusillanimitati nostræ consultum esse non ambigimus, videlicet, vt minùs sollicitos deuotos faceret & proficientes studiis melioribus accenderet.* Hactenus obitus Cœnobij Hemmenrodensis præsentis anni, vel soli Cistercicnsem Familiam illustraturi.

3. Inter hæc in Hispania illustrauit Cœnobium Hortæ Alfonsus Rex Castellæ, visitans locum, atque humili ædificio primò subrogans Regium, quod superbum non dicam, sed sumptuosum: cuius ipse author, dotatórque, imò & qua licuit, etiam executor, posito propria manu primo lapide in noua templi fabrica, coadiuuantibus Martino Abbate Sancto; & Regina Eleonora, vt felicioribus cresceret auspiciis, quæ Deo ibidem habitatio præparabatur. Extat inceptí ædificij per ipsos Reges, ac dotationis pro continuanda, ac reparanda fabrica magnificè collatæ publicum instrumentum, vel ipsa antiquitate venerandum; sed magis pietate tantorum Principum, quod non pigeat ad litteram transcribere: sic autem habet [b]:

[b] *in Archiuiis Horta.*

4. *In Christi nomine. Inter cætera pietatis opera potissimum est, Ecclesias construere, constructas donatiuis donare, & ecclesiasticas personas diligere, ac venerari, præsertim tamen eos, qui contemptis secularibus pompis, Claustris mancipati, die, nocteque psalmis, hymnis, & orationibus pro salute populi non cessant Deo deuotissimè famulari. Ea propter ego Alfonsus, Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, vnà cum vxore mea Alienor Regina, libenti animo, & spontanea voluntate, intuitu pietatis, ac misericordiæ pro animabus parentum meorum, & salute propria, facio Monasterium Sanctæ Mariæ de Horta, & pono primum lapidem in fundamento, & Abbas Martinus mecum.*

5. *Sed, vt hoc Monasterium plenissimè compleatur, dono, & concedo Deo, & prædicto Sanctæ Mariæ Monasterio, & Domino Martino eiusdem Monasterij Abbati, omnibusque Monachis, ibidem Deo seruientibus, tam præsentibus, quam futuris salinas de Landet, quas habeo in Medina, cum exitibus, & introitibus suis, & cum acequiis, & cum omnibus, quæ ad illas pertinent salinas. Donaueram quondam easdem salinas Deo, & Beatæ Mariæ prædicto Monasterio, etiam dicto Abbati Martino*

Martino prò amore Dei, & pro seruitio, quod fecit mihi, tali conuenientia, vt singulis quibusque annis mihi trecentos mencales persolueret. Ad honorem igitur Dei, & Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, & pro remedio animarum parentum meorum, & propria salute, dono, & concedo Deo, & sepè dicto Monasterio praditas salinas ex integro sine omni retentione, iure hereditario liberè, & quietè in perpetuum habendas, & absolutè, & irrenocabiliter possidendas. Et praditos trecentos mencales penitùs absolno, & relinquo, vt confirmentur ex iam dictis salinis Monasterium, & officinæ Sanctæ Mariæ de Horta, & quicquid edificationis ad ipsum conuenit Monasterium: & hæc mea donatio rata, & stabilis per sæcula cuncta permaneat.

6. *Si quis verò ex meo, vel ex alio genere hoc meum donatiuum, quod ego causa salutis animæ meæ, & parentum meorum dono, & concedo praditæ Ecclesiæ, quam ego propriis manibus meis edificaui, infringere præsumpserit, iram Dei Omnipotentis plenarie incurrat, & cum Iuda, Domini proditore, in suppliciis condemnetur æternis; & insuper Regiæ parti mille aureos in cauto persoluat. Facta charta in Horta, Æra M.C.C. XVII. terriodecimo Kalendas Aprilis, anno tertio, ex quo Serenissimus Rex præfatus Alfonsus Cocham cepit, & Ego Rex Aragonum in Castella, & Toleto, præsens priuilegium, quod fieri mandaui, ore proprio laudo, & manu propria roboro, & confirmo. Cerebrunus, Toletanus Archiepiscopus, & Hispaniarum Primas, confirmo. Raymundus Palentinus, Episcopus, confirmo. Petrus, Burgensis Episcopus, confirmo. Rodericus, Nagerensis Episcopus, confirmo. Sancius, Abulensis Episcopus, confirmo. Gundisalnus, Segouiensis Episcopus, confirmo. Michael, Oxouiensis Episcopus, confirmo. Comes Petrus confirmo. Comes Gomez confirmo. Comes Ferrandus confirmo. Petrus Roderici de Azagra confirmo. Petrus Roderici, filius Comitis, confirmo. Petrus de Arazuri confirmo. Didacus Semenz confirmo. Petrus Garsia confirmo. Petrus Gutierrez confirmo. Tello Petri confirmo. Petrus Radici de Guzman confirmo. Lopez Diaz, Maiordomus Regis in Castella, confirmo. Rodericus Gutierrez, Maiordomus Curiæ Regis, confirmo. Gomez Garsiæ de Roda, Alferiz Regis, confirmo. Magister Geraldus, Regis Notarius, Petro de Cardona existente Cancellario, scripsit.* Hactenus priuilegium Alfonsi Regis Castellæ, pietatem exæquans munificentia. Scio in aliquibus transumptis, quæ Hortæ extant quinquennio Ætam postpositam: & pro M.C.XVII. M.CC.XXII. inueniri notatam: sed ex captione Conchæ corrigenda, quæ cùm inciderit in Æram M.CC.XV. satis conuincit Hortense priuilegium, atque templi inceptionem vltra hunc annum, aut ad summum sequentem non differendam. Sequenti verò Rex Aragonensium intrans Capitulum, recipi se in Monachorum Fratrem supplex poposcit, certantibus vtriusque Regni Principibus, quis maiora conferret, quis melius de Abbate Martino, & sanctis eius filiis promereretur. Hæc in Hispania.

7. In Gallia noua electio, siue promotio, atque eatenus cunctis inaudita illustrauit Cistercium, si qua fides antiquis Scriptoribus, quos penès stare solet Historiæ pondus. Theobaldus olim Monachus, & Abbas Ordinis Cistercien sis, (de Ecclesia non constat,) cùm in Abbatem Flauiacensem primùm, insigne Monasterium Ordinis nigri, mox Sancti Luciani promotus esset, hoc tandem anno ad Cluniacum assumptus Venerabilis illius Ecclesiæ simul, & totius Cluniacensis Congregationis Pater effectus est singulari exemplo, sed non minori eligentium acclamatione. Narrat eiusdem penè temporis Author, atque eiusdem Familiæ Robertus Montis in Appendice ad Sigeberti Chronicon, his verbis [c]: *Hic*, ait, scilicet, Theobaldus, *primùm fuit Abbas cuiusdam Abbatiæ Ordinis Cisterciensis: inde translatus est ad Abbatiam Flauiacensem: deinde subortis quibusdam causis, factus est Abbas Sancti Luciani Martyris, primi Episcopi Bellouacensis. Exinde, vt diximus, factus est Abbas Cluniacensis.* Ita Robertus, & ipse Montis Abbas, quod est Cœnobium nigrorum Monachorum, fide, inter Scriptores illius ævi, nulli secundus; notitia primus; eóque cunctis aliis præferendus. Claritudine generis, ac morum, & vera meritorum nobilitate ad eam dignitatem promotus sit, non de facili ausim affirmare: quauis vtraque præcelluisse virum perspicuum sit, atque ex vtraque ad purpuram euectum non multò pòst: quod suo loco nos etiam referemus. Illud mirabile, adeò iam sopitam, & longè relegatam per hæc tempora ab vtraque Familia mutuam illam, qua vtrique laborabant, æmulationem, vt neque Cluniacenses recusarent accipere in Patrem, quem scirent ab infantia imbutum Cistercij moribus; nec Cistercienses putarent à se deficere, quicunque ad Cluniacenses pertransirent. Cætera Theobaldi, tum Cluniaci, tum in purpura agentis, si quæ occurrerint, suis temporibus, locisque reddemus.

[c] *ad annum 1181.*

8. Chaconius aliter de Theobaldo loquitur: sic enim habet [d]: *Theobaldus Gallus, Monachus Cluniacensis, ex priore Monasterij Crispeij, primùm Abbas Sancti Basoli XV. annis, deinde Cluniacensis, demum Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veliternus successit in Abbatia Cluniacensi Guillelmo viro sanctissimo, anno M.C.LXXXI. & biennio post Cardinalis creatus, successorem habuit N. filium Comitis de Claromonte, ex Abbate S. Luciani Bellouacensis, qui à primo Abbate Cluniacensi Othone XVII. fuit.* Ita Chaconius, nescio quem sequutus. Sed præferendus Author eiusdem ævi, eiusdem Religionis: maximè cùm quem sequitur Chaconius, in aliis erroris conuincatur: quippe creatum Cluniacensem Abbatem tradit anno M.C.LXXXI. & tamen extant in Bibliotheca Cluniacensi tria instrumenta Ataldi Vicecomitis de Amberta, Vuillelmi Comitis Cabilonensis, & Getardi Comitis Matiscónensis Theobaldo iam Abbate expedita, anno millesimo centesimo octuagesimo, in quorum altero subscriptio talis legitur: *Facta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXX. primo die mensis Septembris, apud Ambertam, & regnante Francorum Rege Philippo, primo anno, & Domini Theobaldi Venerabilis Abbatis Cluniacensis primo promotionis anno.* Vt non imperitè dixerit Baronius [f] hac occasione, Chaconium habere plausum in his, quæ scripsit ab emunctas nares habentibus. Ad hunc Theobaldum recèns hoc anno electum, aut principio sequentis, dolentémque tantum onus sibi imponi, extat epistola Venerabilis Petri Abbatis Cellensis sub, hoc initio [g]: *Gemebundus, & quasi intestinorum suorum tumultuosa colliſione, seu conquestione, & velut à fulgure & tempestate percussus, à vobis accepi litteras, &c.*

[d] *in Locip. III.*

[e] *in Theobaldo An. 1.*

[f] *an. 1184.*

[g] *lib. 9. ep. 2.*

9. Hoc ipso anno, (nam neque hæc minora prætereunda disposui, quoties ea ab antiquis notata lego,) in Belgio, Viro sancto æquè, & docto, nomine Vualtero, quem suprà Dunis Præfectum cõmemorauimus, baculum resignanti, successit Haketus ille, nimirum, quê tenellæ plantationi in Capella Tosan in primum loci Abbatem assumptum diximus. Vt qui in pauca fidelis extitisset, iuxta doctrinã Christi supra multa, & maiora cõstitueretur. Porrò de hac cessione, & successione hæc Ægidius de Roma, Dunensis Monachus [h]: *Anno M.C.LXXIX. Dominus Vualterus Abbas de Dunis resignat: cui succedit Dominus Haketus primus Abbas de Tosan, postquam rexerat Tosan quatuor annis: & præfuit*

[h] *in Chronic. ad hunc an.*

præfuit Diuis sex annis. Hæc tantùm ibi. Reliqua Haketi, aut superiùs à nobis dicta sunt, aut inferiùs, cum vitam hanc cum morte commutauerit, propriori haud dubiè loco dicéda erunt. Qui modò quietis auidus regimen abdicauit, Haketo subrogatum post eius mortem, licèt inuitum, & multùm obsistentem, suo tempore etiam referemus.

10. Claudat hunc annum pro more Chronologiæ, in qua quatuor Ecclesias Cistercio hoc anno natas scriptum lego: sunt autem hæ;

Anno M.C.LXXIX. octauo Kalendas Aprilis, fundata est Abbatia de Egris.

Eodem anno, nono Kalendas Decembris, Abbatia de Ferraria, in terra laboris.

Eodem anno Abbatia de Camina.

Eodem anno Abbatia de Silua, aliàs de Siloa. Hæc Chronologia. Egris Vngariæ Domus nota satis, filia Pontigniaci, & quæ Matrem in breui nepotibus auxit. Quippe Eremus, Sancta Crux, Orles, & Landola; duæ priores intra proprium Vngariæ Regnum: reliquæ sine certa Prouncia ab Egris processisse commemorantur: in Tabulis nulla Diœcesis præfigitur: sed supplenda, vt aliæ ex litteris Innocentij Papæ III. datis Perusij, VI. Kalend. Februarij, Pontificatus ipsius anno 3. quibus hic titulus [b]: *Abbati, & Priori de Egris, Cisterciensis Ordinis, Cenadiensis Diœcesis.* Et item aliis datis Laterani, XII. Kalendas Februarij, Pontificatus ipsius anno sexto [i]: *Archiepiscopo Strigoniensi, Episcopo Vesprimiensi, & Abbati de Egris, Cisterciensis Ordinis, Cenadiensis Diœcesis.* Memoratus & Egris frequentissimè in multis litteris Innocentij Papæ IV. multis, & grauibus causis Abbati eius iniunctis, vt non immeritò liceat coniectari insignem virum pietate, doctrináque, cui tot, ac tanta negotia à Petri successore committerentur. Sed de his suis locis, si Deus dederit. An autem idem, an diuersus sit, ad quem scribit Gregorius Papa IX. Laterani pridie Kalendas Februarij, Pontificatus ipsius anno septimo, ex successione Abbatis eiusdem Domus, si possit inueniri, petendum erit. Primum Abbatem Hugonem fuisse dicunt. Illustrat Domum Andreas Hungariæ Rex, cognomento Ierosolymitanus, ibidem sepultus, qui & loci Fundator, aut eximius promotor fuisse creditur. Quam verò posteà vastationem passum est sub Bela, Andreæ filio, referet suo loco, qui prosequetur.

[b] *ex Regestis Vaticani.*

[i] *ex eod. Bibliotheca.*

11. Ferrariam in terra laboris, non contemnendam Domum Diœcesis Theanensis filiam Fossæ nouæ continent Tabulæ Ecclesiarum Claræuallensium: fœcundam item tribus filiabus, nempe, Sancta Maria de Coronato, Sancto Spiritu de Valle ficus, & Sancta Maria de Arcu in Sicilia, de quibus suis locis dicendum erit. Memorarat Ferraria Theanensis in litteris Honorij Papæ III. datis Ferenti, duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus sui anno secundo. Item, in litteris Gregorij Papæ IX. ad Abbates Ferrariæ, & de Ripalta, Cistercienſis Ordinis, Theanensis, & Ciuitatensis Diœcesis, datis Viterbij, tertio Idus Aprilis, Pontificatus ipsius anno II. Cæterum longè maior notitia subest fundationis, & dotis eiusdem Domus, quin & alterius quartæ illius filiæ (si tamen adhuc extat) ex litteris Innocentij Papæ III. datis Laterani, tertio Kalendas Februarij, Pontificatus ipsius anno secundo, quarum fragmentum in gratiam mei Lectoris non pigebit ad litteram transcribere. Sic autem habet [b]: *Præfatam Ecclesiam Sancta Maria de Ferraria, quam in fundo à nobili viro Richardo quondam Comite de Sagro, pia vobis deuotione concessò, ad diuinum Officium construxistis: sed & cambium, quod fecistis cum bonæ memoriæ Matthæo, quondam Capuano Archiepiscopo, & Ecclesia Capuana, a quibus recepistis duas Ecclesias diruras, id est, Ecclesiam Sancti Martini, cum qua Cistercienſem Ordinem stauistis, & Sancti Heliæ cum omnibus tenementis earum,* &c. Et post pauca: *Prædia, quæ contulit vobis illustris memoriæ Vuillelmus, quondam Rex Siciliæ, scilicet, Starsan de Cornillan, & Starsan de Fraxo, quam dedit vobis Tancredus, illustris quondam Siciliæ Rex.* Hactenus Innocentius in suis litteris. Ex quibus videas, Fundatores Ferrariæ Comites de Sangro, dotatores illustres Siciliæ Reges, tum quartam filiam, dictam Sancti Martini in Diœcesi Capuana, quam in Genesibus constat prætermissam.

[b] *in Vaticana.*

12. Caminam, aliàs Cantnam in Polonia, filiam Morimundi, inuenio in Genesi Ecclesiarum Morimundensium. Sanè, si ex anno licet coniectari, hoc illud ipsum Monasterium est, de quo in Historia Polonica collecta ex Bibliotheca Ioannis Pistorij Nidani ita habetur [l]: *Anno saluris septuagesimonono supra millesimum centesimumque Gedeon, Episcopus Cracouiensis, fundauit Monasterium, in Vanchatco, Ordinis Cistercienſis, supra fluuium Camiena, & donauit ei de bonis Episcopatus Cracouiensis plures decimas. Ecclesiam quoque construxit de quadrato lapide, quam postea in honorem Sancti Floriani consecrauit.* Hæc coniectata ex tempore, & ex Regno, cùm alia non cohæreant, aliorum linquo iudicio discutienda. In eadem linea Morimundi notatas lego Siluam latam, & canam, vtranque incerta Matre, Prouinciáque: sed & Silo inter Ecclesias Clarauallis, atque Siluam Regalem: neque ausim dicere, quænam harum sit, quam Chronologia notat ad hunc annum.

[l] *lib. 4*

---

1. *Ingruente in Hemmenrode peste, sublati multi: 2. inter quos Meinerus, 3. præcedente admiranda visione, 4. & ostensa scala, per quam in Cœlum foret ascensurus. 5. Sequutus Sigerus, 9. & Beata Virgo apparens pro his,* Te Deum laudamus, *canendum iubet. 7. Tum voces Angelorum audita inter exequias, 8. & vocari per ipsos, qui sequuturi. 9. Hildebrandi anima ab Angelis deducta, & qualiter notati in Menologio.*

CAPVT I.

1. INTRABAT annus à Christo Seruatore millesimus centesimus, octuagesimúsque, à condito Cistercio tertius, & octuagesimus: & pestis valida (nam ab ea initium sumam, contra consuetum, morem temporis gerens magis, quàm rebus: quamuis nec leuis, aut priuata tantùm dicenda sit, quæ tot homines Cœlis, tot socios Angelis, tot demum ciues cœlesti Curiæ dedit:) & pestis, inquam, grassabatur in Hemmenrode, quæ post septem

absumptos

ablumptos de medio fratrum, serpebat in plures, atque optimos quosque, & sanctiores depascebatur. In his Meinerus, Sigerus, Hildebrandus, & alij, glorioso omnes fine consummati, de quibus singulis per ordinem dicendum, mutuatis verbis ex Cæsario Heisternacensi, quæ ipse ab eo, qui vidit, descripta tradidit [a]: *Erat ibi Sacerdos quidam, nomine Meinerus, quandoque Ecclesiæ Sancti Simeonis in Treueri Canonicus, & saluari admonitione Sancti Bernardi Abbatis ad Ordinem conuersus, amplius quam 30. annos in Ordine fecerat, & per plurimos labores ad sublime sanctitatis culmen peruenerat. Cumque in eadem Domo ob suam probitatem ad diuersa electus fuisset officia, Prioratus, scilicet, Cellarie, grangiaria, magistery Nouitiorum; gradatim tamē, omnibus irreprehensibiliter administrauit, grauiter infirmatus, mortem adesse dolet vehemens indicauit. Cuius dolores Abbas considerans, in Domum secretiorem eum pomifecit, quatuor ad ministerium eius deputatis. Ille verò licèt gauderet de solitudine, tristabatur tamen de exhibito honore, dicens Abbati: Fratres isti vigilando, atque laborando sunt lassi; neque mihi sunt necessarij: grata est mihi solitudo: nunquam minùs solus ero, quam cum solus ero: non enim solus est, cui præsul, & custos Dominus adest: si careo hominum obsequio, credo, quòd non deerit præsidium de Cœlo.*

2. *Abbate recedente, & ad sermones eius minùs attendente, ipse Fratres abire compulit, lucernámque extinguere. Media nocte, Priore iubente, in eandem Domum ad dicendas Horas minuti conuenium, & ignis accensus est, quia byems erat. Dictis Matutinis, visitauit eum Prior, Fratribus lectum eius circumstantibus, quibus ait: Tota nocte solennizabam: si centum linguas haberem, interna iucunditatis gaudium explicare non possem. Vidi Deificum lumen, audiui cœlestem harmoniam, interfui choris psallentium in Cœlo. Ah! quàm ordinatè, quàm distinctè, quàm reuerenter psallebant: voces quidem erant multæ, & diuersæ; sed quemadmodum in cithara varietas chordarum vniformem reddit concentum; ita concors illa diuersitas in vnam conueniebat melodiam, supra humanum sensum delectabilem: granibus succinentibus, quellares voces asciendebant, facientes diapason; cuius organi suauitatem humana infirmitas æstimare non potest. Admiranti mihi super his, astitit quidam in habitu venerabili dicens: Quid miraris? hæc est laus Verbi Dei. Et cùm hæc dixisset, psallentibus adiunctus est, & tota virtute psallebat.*

3. *Interea grauum occurrit spectaculum. Videbam scalam speciosam super me directam, iter è terris in Cœlum præbentem. Vnus ex nostris subitò de medio factus, hinc ea ascensus superna regna petebat lætabundus, & laudans Angelorum vallatus copiis, nullúmque passus omninò discrimen, Cœlo receptus est. Verumtamen Frater ille non est mihi designatus ex nomine. Quidam autem calumniabatur Fratres nostros, duo obiiciens scilicet, quòd defunctis Fratribus debitam pensionem negligenter soluerent, & veteres tunicas, cùm nouas reciperent, non statim redderent. In altera me reprehensibilem doleo; propter vrgentes enim causas, Missas nondum persolui, quas debeo; sed quamplura psalteria dixi. Deo enim gratias ago, labia mea nunquam otiosa fuerunt à laude Dei.* Hæc prosequutus est, & consequenter ab hac luce subtractus fidem fecit dictis. *Aiunt de eò, quod in exterioribus agens, sæpè per diem duo psalteria dicere solitus esset.* Hactenus Author de transitu glorioso Beati Meineri, quem qui præcesserant, vt laborum in hac vita, sic gloriæ in alia socium præstolabantur.

4. Cæterùm, quòd super se stantem scalam vidit directam in Cœlum, per quam vnus ex illius Cœnobij Monachis quans conscenderet, æternis à Deo præmijs coronandus; nequaquam alium, quàm Meinerum eundem significasse, duo mihi argumenta persuadent: alterum, quòd supra se, non super Domum: alterum, quòd non plures, sed vnam tantùm erectam viderit, velut paratam egressuræ animæ, per quam Cœlos conscenderet, & arcana suprema penetraret. Nec dubitauit Author, ex quo sumpsit Cæsarius, qui hæc continuò censuit subiungenda: *Perspicuum est, quòd Frater ille, qui subitò de medio factus cum honore cœlesti deduci visus est, ipsum Meinerum satis eleganter expressit; euidenti declarans indicio, quòd velociùs morte subueniente sine omni discrimine, transiturus esset de pressuris ad gloriam, de morte ad vitam, de mundo ad Christum, cui est honor, & imperium in secula seculorum. Amen.*

5. Beatum Meinerum Venerabilis Sigerus sequutus est, virtutibus, quàm annis longè maturior, in cuius obitu Oraculum virgineum, non eius tantùm; sed cæterorum, qui antè, & pòst decesserunt, gloriam manifestauit. Sic enim sequitur [b]: *Fuit in eadem Domo Monachus Sacerdos, nomine Sigerus, ætate iuuenis, & amator Ordinis sui corporis seuerus exactor, qui inter cætera virtutum opera, Sanctam Dei Genitricem ardenter diligebat, & quibus poterat modis alios ad amorem eius accendebat. Cùm autem accersionis suæ hora imminebat, eò quòd infirmaretur, & langueret fortissimus, quidam Conuersus magna Dei gratia præditus, quem Dominus secretis consolationibus suis frequenter consolari dignatur, huiusmodi visionem vidit. Visa est (ait) ei tabula defunctorum pulsari, & ire cœpit ad numerandum Fratrum exitum. & forte transitum habens per palatium operis mirifici, inuenit residentem in eo matronam reuerendæ dignitatis, cuius facies angelicum præferebat gratiam, & niueum indumenta candorem.* b lib. 11. c. 3.

6. *Hærebat igitur defixis in eam luminibus, certus tam desiderabili personæ diuinum Numen ineste: denique tantæ Diuinitatis præsentia ausum præbente, propius accedit, non metuens offensæ periculum, & familiariter verba conserit, dicens: Amantissima Domina, quid causæ habes ingredi ad nos, cùm hoc non sit licitum matronis? Et illa: Speciali, inquit, iure fungor in Domo ista, & venio visitare familiares, & domesticos meos. Et ille, piam pro Fratribus gerens sollicitudinem, ait: Ecce Fratres nostri viritim decedunt, iuuenes, & senes, & mediocres, & non est personarum acceptio: quid inde nobis faciendum est? Et illa: Debetis decantare, Te Deum laudamus. Cùm plura responderet, hæc tantùm verba retinuit vir simplex, & sine litteris. Interim verò pulsata est tabula, & cessauit visio figuratiua. Credimus piam Dei Genitricem, vtpote Matrem misericordiæ, fideli suo in morte non defuisse, & tale indicium aduentus sui dedisse.* His visionibus, respondisque cœlestibus misericordiæ Mater clementissima, & eos, quos auferebat, honorabat, & sequuturos, imò & relinquendos in mundo consolabatur.

7. Cæterùm, vt in ore duorum testium stet verbum, eandem defunctorum illorum gloriam alia visione Deus manifestauit, Conuerso alteri ostensa, vt quò vterque simplicior, eò fidelior; & quæ à sapientibus, & prudentibus abscondita, paruulis reuelata, ex Deo esse manifestè comprobarentur [c]: *In eadem Domo cæcus quidam Conuersus fuit, cui Deus interioris hominis lumen contulit, dumnum corporis cœlesti munere commutans: dedit enim ei diuinas videre visiones, aliquando gloriam Sanctorum, frequenter pœnas malorum, assidùe ipsum Dæmonem, flammiuomos ignium globos eructantem. Mira sunt hæc, & mutera Dei. Frequenter autem patitur Dæmonum incursus, & congressus, ita vt ipsi impingant in eum, & ipse vel pugno, vel baculo affligat eos. Hos assultus pati solet in quolibet loco, magis in Ecclesia, maximè* c lib. 11. c. 4.

Digitized by Google

cùm pro defunctis orat. Ea tempestate cœpit ille in exequiis defunctorum audire Choros Angelorum psallentium, modo cum Monachis, modò diuisim. Cùm autem efferebantur corpora præcedente Conuentu, manebant Angeli in Choro exequiarum officia complentes. Inter. *Sanctus autem, & Pater noster ineffabiles solebat audire iubilos, & supra humanam æstimationem dulces. Hac cœlestis modulatio post depositionem Domini Dauid dulcior, & magis intelligibilis audiebatur. Contigit aliquando Dominum Abbatem ædificationis causa venire ad hunc cœcum, qui inter cætera, accepta gratia beneficium confessus est.* Hæc, & similia visa, auditáque confortabant morientes, & vel tytunculos ad optandam similem mortem, quadam æmulatione sancta sollicitabant. Nam audi aliud, quod tunc etiam ibidem contigit [d]:

d lib. 11. c. 5.

8. *Ea tempestate venit ad conuersionem adolescens laicus, mundi corruptelam incorruptus euadens, carnis integritate seruata, quod est magnum diuinæ miserationis beneficium. Hic cùm se Capitulo præsentasset, consequenter languore correptus, immunis est: quo immuno, alius defunctus est, cuius exequiis cùm vniuersi interessent, infirmis interim sine custode relictis, audiuit adolescens ille Choros Angelorum obsequia funeris agentium, & suauitate psallentium magnificè delectatus est. Insuper quidam ex ipsis præsentialiter astiterunt ei, & alloquentes eum dicentes: Amice, tu quid dicis? Placétne tibi hac vice venire ad nos? Et ille: Vehementer cupio dissolui, & esse cum Christo. Et Angeli: Esto paratus, expletis præsentibus exequiis, statim nobiscum ibis. Ille promissi haud dubius superni futurorum gaudiorum primitias iam corde præsentiens, lætus & hilaris redeunti Infirmario rem pandit per ordinem, & adiecit: Sternite matram, & pulsate tabulam, & quæ præparanda sunt, parate celerius: iam enim iturus sum ad Dominum. Quod ita factum est. Porrò quidam Infirmus, proximus iacebat ei, & quasi contiguus, tenui tantùm pariete diuisus ab ipso, qui audiuit Angelos cum eo loquentes, qui adhuc superest testis fidelis, cuius testimonio fidem facit vita laudabilis.* Hactenus ibi, vt satis aptè liceat hîc repetere: Tua sunt hæc, Christe, mirabilia, qui Sanctos tuos ita glorificas; qui mortem illis æquè, ac vitam subdis; neque huius blandimentis delaturis, sed neque illius timore deterrendis.

Morientes Fratres Hildebrandus sequutus est, in cuius item transitu alia visio, nec minùs certa, nec minùs consolatoria: *Dum enim in extremis ageret,* ait idem qui suprà [e], *tabula pulsata Conuentus occurrit, quo morientem circumstante, & exequias ex more celebrante, stetit Frater quidam inter alios, cui talem visionem reuelare Dominus dignatus est. Vidit, & ecce alius Conuentus superuenit hominum albatorum, qui in loco, quo moriens iacebat, speciosum valdè puerum accipiens, cum gaudio magno, & canticis obiit. Itaque gemina felicis huius Fratris substantia à gemino Conuentu delata, atque deducta est, anima, scilicet, à Conuentu albatorum, ad beatam requiem; corpus verò à Conuentu albandorum ad Ecclesiam: vtroque sanè pro eo, quod deferebant, in Dei laudem, quamquam differenter concrepante.* e lib. 11. c. 8. 9.

Hos omnes viros Cœnobij Hemmenrodensis, quos hæc pestis absorbuit, Hentiquez Menologio suo notauit ad diem tertiam Iulij, sub his verbis: *In Germania pia obdormitio triginta quinque Monachorum Hemmenrodensium, quibus breui temporis spatio ex hac vita feliciter subtractis, admirandis præcedentibus, & subsequentibus visionibus, eorum gloria omnibus innotuit, atque Angelorum suauissimè canentium voces, dum eorum sacra corpora terra mandarentur, audita fuerunt. Quorum etiam veram in æterna patria felicitatem Beatissima Virgo Maria commendauit.* Hæc ille, lapsus in tempore, & in numero: quippe illud sub hyemis rigore, inter mensem Decembrem, Ianuariúmque, vt constat ex dictis: hic à Cæsario nequaquam prætermissus in Vita Sancti Dauidis, tricenarius; nec maior denotatur. Atque hæc quidem memoria illi pro omnibus, aliàs pro singulis, ex his, quos nominauimus singulos dies delegit ex cunctis mensibus, & Isembardo vigesimum Februarij, Vvernero Aprilis decimumnonum, Cunoni Iunij nonum supra vigesimum, Arnaldo Iulij decimum, & septimum, Meynero Augusti vigesimumnonum, Hildebrando, & Hoberto quartum, & sextum, supra vigesimum vtrumque sacratos tradit. Crediderim ignotatis propriis, notasse aliquos, quibus singulorum nomina distinctiùs & deuotiùs recolerentur. Verùm de Hemmenrodensium strage per hoc tempus serpente, simul & gloria satis à nobis dictum; nunc reliqua huius anni prosequamur. 10.

---

1. *Beati Petri pro suis sollicitudo:* 2. *pactum cum Rege Gallia:* 3. *atque in forensibus fructus ex contemptu.* 4. *Tum per seipsum, quas poterat Ecclesias,* 5. *Hispanas per Humbertum Abbatem visitat.* 6. *In Morerola Ferdinandus Nonitius primùm illusus.* 7. *Mox graniter tentatus, consentiénsque à Dæmone corripitur.* 8. *Sed apparente sibi Roderico recèns defuncto, de vtriusque morbi remediis admonetur.*

CAPVT II.

1. DVM in Germania Hemmenrodensis lues simul, & gloria Confessorum Christi mœrorem inter, & consolationem narrantium, & audientium diuulgabantur, in Claraualle nouus Abbas Petrus, sapientia, & gratia apud Deum, hominésque quotidie crescere, quæ sui muneris essent instanter agere, Claræuallensibus paterna sollicitudine, nec minùs ideò cæteris Ecclesiis, quibus debitor erat ex officio solerter prouidere, proximas quasque per se ipsum visitare, remotas diuidere, & per viros zelantes, & sapientes ex singulis Prouinciis visitandas æquè in omnes industrius satagebat. Et quidem, quod ad Claramuallem attinet, *Vniuersa ferè Domus* (vt Exordij Magni verbis vtar [a]) *administratione in temporalibus, Cellerariis, & Prouisoribus eiusdem Domus commissa, ipse soli Deo vacare, saluisque animarum intendere proposuit. Nempe, quotiescunque exoccupatus esse poterat, in auditorio solus, in silentio, demisso in terram vultu sedebat, ut si quis de iunioribus, vel infirmioribus Fratribus, multitudine tentationum percussus,* a lib. 2. c. 11.

seu

ſeu quamis moleſtia grauatus fuiſſet, liberam eum facultatem adeundi haberet. Quem etiam continuò, ſecundùm datam ſibi gratiam, ſalutaribus monitis, & dulciſſimis adificationum eloquiis ad agonis pro Chriſto ſuſcepti tolerantiam roborabat. Sic verus imitator Bernardi Patris terrenis cœleſtia, temporalibus æterna anteponebat.

2. At cùm ne illa contemnenda fore putaret, ſine quibus vix hæc ſtare, aut ſaltem rarò valeant ſine periculo, vltra iniunctam Monaſterij miniſtris ſollicitudinem, ſanguine ſibi iunctum Francorum Regem ſubſtituendum putauit, & obtinuit, cui Clarævallis exteriora omnia incumberent, quaſi qui his ſubſidiis indigeret, vt omus ſuſciperet, quo ſe aliàs inferiorem non dubitaret. Habemus id ex eodem Exordio ita

b ibid. dicente [b]: *Vnde etiam Regi Francorum, cui propinquus erat, quadam vice dixiſſe fertur: Vides, Domine mi Rex, quòd ego tantillus homuncio, nullam prorſus habens perſonam, mentis etiam, & rationis inops, tam ſublimem Domum regendam ſuſcepi; & timeo graviter, ne forte per imprudentiam, & inſufficientiam meam ſtatus Clarævallis, qui hucuſque inviolatus permanſit, labefactetur. Cuius humilitate Rex admodum delectatus reſpondit: Cur, Domine mi Pater, in tantam puſillanimitatem temetipſum deiicis, vt curam animarum, quas Deo authore regendas ſuſcepiſti, deſerere velis? Ne, quaſo, ita feceris: ſed ſecundùm gratiam à Domino collatam, curam Dominici ouilis vigilanter exercere non negligas. Tu tamen eſto Abbas intus, in his, quæ ad honorem Dei, & ad ſalutem animarum pertinent. Ego autem foris ero Abbas in omnibus, quæ ad vtilitatem Domus veſtræ ſpectant, poſſeſſiones veſtras tuendo, & ab omni exactione liberas reddendo: omnem etiam, qui maligna voluntate vos quolibet modo inquietare præſumpſerit, Regiæ animaduerſionis vltione feriendo.* Hæc Ludouicus. Dubium, an ſucceſſor ad Sanctum Virum, quo à temporalibus curis expeditus, ſpiritualibus ſollicitior inuigilaret.

3. Sed in his adhuc potentiores coadiutrices, diuinam prouidentiam, & ſuam ipſius ſyncericatem, venerabilem cunctis, expertus eſt, qua dum cedere mauult, quam litigare, quæ dubia ſpe à Iudicibus vix poſſet, nec ſine magnis ſumptibus, certa fide obtinebat ab aduerſariis, idque gratis omninò, quò fructuoſior victoria reſponderet. Referam ex Cæſario Heiſterbacenſi iucundum euentum, quem non licet ſilentio

c lib. 6. c. 11. præterire [c]: *Dominus*, inquit, *Petrus Abbas Clarævallis, monoculus ex infirmitate, vir ſanctus nomine, & re, Petri Apoſtoli imitator, & filius columbæ, vò quòd magna & pura fuerit ſimplicitatis. Cum ipſo, & Fratribus eius miles quidam, pro quibuſdam bonis contendebat: præfixus eſt dies, in quo vel miles cum Abbate componeret, vel coram Iudice litem intraret. Venit ad diem miles cum amicis ſuis; venit & Abbas ſolo Monacho quodam ſimplice ſectum aſſumpto: non tamen in equis, ſed pedites venerunt: & cùm eſſet Abbas venerabilis pacis, & paupertatis amator, rerúmque tranſeuntium contemptor, coram omnibus dicebat militi: Homo Chriſtianus es: ſi dixeris in verbo veritatis, quòd bona iſta, pro quibus contentio eſt, tua ſint, & tua eſſe debeam: bene: ſufficiet mihi teſtimonium tuum. Ille magis curans de bonis obtinendis, quàm de verbo veritatis: In veritate dico, quòd mea ſunt hæc bona. Ad quod Abbas: Sint ergo tua tibi: ego de cætero non repetam illa. Sicque reuerſus eſt ad Clarumuallem. Miles etiam ad vxorem ſuam, quaſi victor rediens, cùm ei per ordinem recitaſſet, quid Abbas dixiſſet, vel quid ipſe egiſſet, illa territa ad verba tam pura, & tam ſimplicia, reſpondit: Doleò egiſti contra Abbatem ſanctum: vltio diuina nos puniet: niſi Monaſterio bona ſua reſtituas, conſortio meo cærebis.*

Territus ille, ad Clarumuallem venit, bonis vltrò renunciauit, de indebita vexatione Sancti Abbatis veniam poſtulauit. His velut artibus terrena conſeruabat Beatus Abbas, dum totis vitibus ad incrementa cœleſtium protendebatur.

4. Interim quas per ſe ipſum potuit Eccleſias Galliæ, Clarævallis filias, viſitabat frequenter, vt in ſequentibus latiùs expediemus. Quin Germaniam ingreſſum ab Hemmenrode, inuenio apud Cæſarium eodem loco: *Vir iſte Beatus* (ſcilicet, Petrus) *temporibus ſeniorum noſtrorum viſitauit in Clauſtro.* De peragrata Italia inferiùs dicam. At in Hiſpania, quam ingredi non valuit, hoc ſaltem anno, Hymbertum Superadi Abbatem ſibi ſubſtituit, doctum æquè, ac pium, ſub quo cùm Morerolam viſitaret, ſtupendum omninò, miraculúmne dicam, an illuſionem? Certè præter, aut ſupra naturæ leges, per quatuor dies continuos prorogatum contigiſſe comperio, quod in gloriam Sanctorum illius Domus; nam plures comprehendit penè cœuos, ab eodem Hymberto, qui vidit, memoriæ proditum: quia hunc annum concernit, operæpretium me facturum duxi, ſi hîc tranſcriberem. Referam autem eiſdem Hymberti verbis, prout in antiquo libro M.S. Bibliothecæ Ciſtercienſis, poſt Ciſtercienſe Exordium, quaſi loco appendicis ſcriptum eſt, atque inde ad Fiterienſem Abbatem primùm, mox & ad me tranſmiſſum, tranſſumpto vtroque per omnia concordante; quod ita habet:

5. *Ad laudem Regis æterni. Comprobatur glorioſè, quoties aliquid ab eo factum à ſubiecto milite dilatatur. Eapropter ego Hymbertus, Abbas Superadi, quæ ſub præſentia noſtra contigerunt ad edificationem aliorum auditorum, in multorum notitiam venire deſidero. Anno igitur ab Incarnatione Domini* 1180. *ex iniuncto Domini Clarævallis* (Petri Monoculi) *in partibus Hiſpaniarum tenebar viſitare quandam Abbatiam Ordinis noſtri Ciſtercienſis, nomine Morerolam, in qua ſub oculis noſtris acciderunt, quæ ſeriatim teſtamur. Erat in partibus illis adoleſcens quidam armiger, ſimplicis naturæ, idiota, & ſine litteris; ſed nobili ortus proſapia. Huic, patre mortuo, voluntas venit ſæculum relinquendi. Quod cùm effectui vellet mancipare, ad præfatam Abbatiam confugit. A qua, violentia propinquorum abſtractus, & in cuſtodia per annum, aut eo amplius poſitus, tunc quidem à voluntate ſua eſt enatuatus: ſed poſt ſolutus a cuſtodia, ad præfatum Monaſterium confugit. Qui ſuſceptus, & in Probatione poſitus, cùm tres menſes in ſimplicitate, & innocentia vixiſſet, a Diabolo hoc modo eſt circumuentus.*

6. *Quadam nocte, cùm Matutinis intereſſet, & frigus pateretur, de Choro exiuit, tunicam veſtiturus. Sed dum Dormitorium intraret, ad lectum veniens, eam minimè inuenit. Qua non inuenta, ad neceſſaria vadit: in eadem via tunicam ante pedes ſuos iacentem videre cœpit. Tandem manu leuata, & ad lampadem conſiderans, ſuam eſſe cognouit. Dúmque eam ad lectum portaret, audiuit vocem poſt ſe dicentem: Putáſne remanſurus es in loco iſto? Ego te, quocunque ieris, perſequar, donec te hinc eiiciam. Ad quam vocem perterritus Nouitius totus intremuit, & cum timore ad Chorum rediit. Mane facto, quid factum eſſet Magiſtro, & Abbati ſuo retulit. Illi verò eum conſolabantur, & ſic dimiſit, non multùm de eo, quod retulerat, curauerunt: ſed nec ipſe Nouitius.*

7. *Poſt tres hebdomadas tentationibus circumuallatur, quas qui ſpiritualibus viris abſcondit, ſemper in deterius cadit. Cùm vulnus tegitur, morbus lethaliter creſcit. Nouitius itaque de fuga deliberans, quodam die, dum Fratres poſt prandium dormirent, ipſe de Dormito-*

terio exiuit, & Abbatiam aliquantulum elongans, ad quandam domum diuertit; ibique arreptus a Diabolo, sensum amittit, & aliquantulum fatigatus, modico spatio interposito, Diabolus eum dimisit. Nouitio verò cogitante, quod non benefaceret, ad Monasterium rediit, & dum Vespera cantarentur, Chorum intrauit. Illi verò, qui eum quærebant, & eum recessisse credebant, eo viso exhilarati tacuerunt. Sequenti nocte, dum cæteri dormirent, iterum mala voluntate concepta, à Dormitorio exiturus, nec ostium inuenire potuit: nec ad lectum remeare. Nocte verò tota gyrando, donec Matutini pulsarentur, tunc à Demone arreptus durissimè: quasi insanus à Fratribus apprehenditur, & in Infirmitorium portatur. Ibique dum in alienatione mentis esset positus, apparuit ei quidam Monachus iuuenis defunctus, qui bona conuersationis, & omnibus amabilis fuerat. Hic in ministerio hospitum; sed & mihi ipsi sedulus extiterat, nomine Rodericus.

Hic Nouitium alloquens, Malè (inquit) Fernande Frater feci sti: qui cum canis ad vomitum, ad immunditias sæcularis illecebras redire dispenebas. Ideò sic à Diabolo cruciaris, & cruciaberis. Et quando de Dormitorio, Dæmonibus te trahentibus, exire volebas, Sanctus Michaël ex aduerso oppositus, obseratis portis Dormitorij exitum denegabat. Sed fac te ante altare Beati Bernardi portari, & quare, vt detur tibi scapulare Abbatis Petri, quod habet Frater Ocrius in quodam canistro plicatum, & reconditum, pro sanctitate & reuerentia tanti Viri, quo indutus contra Dæmonum impugnationes protegaris. Hactenus prima pars huius Historiæ, quæ ex parte cunctis in Monasterio patuit: ex parte ab ipso Nouitio narrata est: sed cohærentibus tot, ac tantis signis, tot, ac tantis externis comprobationibus, vt non liceat de illa dubitare. Atque sequuta inde longè maiora; sed non minùs exteriùs comprobata, sequenti capite venient referenda.

---

1. *Scapulare petitum, & negatum; sed tandem inuentum.* 2. *Nouitio interim à Dæmone vexato, Bernardi Pallium,* 3. *dein de ligno Crucis crustum affertur.* 4. *Quiescenti Sancti Bernardus, & Petrus cum aliis assident.* 5. *Qui omnes de Beata Maria celebrant:* 6. *mox canunt Vesperas, cunctis audientibus.* 7. *Tandem Nouitius correptus, & flagellatus, ad se reuersus.* 8. *Multa aptè respondet.* 9. *Deus moribundus à Fratribus inungitur.* 10. *Sed mox priori visioni restitutus, ac denuò flagellatus, Subdiaconi officium ad Missam per visum implet, & sanus manet.* 11. *Similis alius huius anni euentus,* 12. *atque iudicium, aut iudicij suspensio de his miraculis.*

CAPVT III.

1. CVM primùm Ferdinandus ad se reuersus, siue à somno euigilans, quæ viderat, Abbati suo indicauit, quæsitum scapulare Petri Abbatis, quod nos superiùs in loco commemorauimus, & *Frater Ocrius* (pergit Hymbertus Abbas [a]) *de eodem reddendo commentus, sè habere negauit. At Fratres, illo absente, super lectum eius scrutati, scapulare, sicut dictum erat, inuenerunt. Erat autem prædictus Petrus defunctus magna sanctitatis homo, & gratia miraculorum, & spiritu Prophetiæ insignis. Miracula eius nouerunt, qui adhuc in eodem Monasterio supersunt. Per spiritum Prophetiæ prædixit Reginæ Hispaniæ, quòd habitura esset filium. Nam, dum sine liberis esset, & prefatum Abbatem ad se venire mandasset, rogauit, vt pro hac re Dominum precaretur: qui respondit, eodem anno concepturam, & filium pariturum; quod ita contigit.* Ergo huius Sancti Viri dudum defuncti scapulare tandem inuentum est, & Nouitio impositum: at ille tali pignore munitus iuxta præscriptum Oraculi cœlestis, ante Altare Sancti Bernardi, cum magna ipsius Hymberti expectatione, & exterorum Fratrum, deductus est. Sed his, quæ coram ipsis contigerunt, longè minori. Nam audi, quod sequitur, rarum absque dubio, &, si singulas circumstantias perpendas, forsan sine exemplo.

[a] *vbi suprà.*

2. *Prafatus infirmus, dum iaceret, ante altare Beati Bernardi, nos qui aderamus, tres voces audiuimus & diuersas, & dissonas, vt per eas dilucidè scire possemus, quando sui compos erat, & quando in ecstasi factus, cœtui fidelium intererat: & quando à Demone vexaretur. Iacuit autem per quatuor dies ita, & videbat qualiter Dæmones ad eum veniebant, & mox tremebundus clamabat; modò venium, modò venium per illam fenestram, per illud, & per illud ostium me vexaturi intrant. Et stringens scapulare circa pectus, & collum, totus in clamore horribili, & pauore intolerabili manebat. Cùm verò Diabolus eum cruciabat, tunc horrisonas in Deum blasphemias emittebat, spumans, & stridens, & proiiciens se hac & illac, miserabiliter se extendebat: sed nos eius miseti, præcepimus afferri ei pallium Sancti Bernardi, quod erat in eodem Cœnobio, & arripiens illud, modis omnibus se circa pectus, & collum protegebat.*

3. *Abbas verò loci illius, & ego, & cæteri, qui cruciatui interfuimus, non sine compassione fecimus ei afferri Crucem, in qua erat de ligno Domini. Quam sæpius in os patientis vsque ad guttur mittentes, Dæmonem exire compellebamus. At ille aperto ore, & dentibus, quasi candens ferrum recipere fugiebat. Sed contrà furibundus clamabat dicens: Quare de casa mea eiicere me vultis? Meus enim est iste: sese mihi totum tradidit. Vt quid Bernardus vester pilosus, & hispidus sic me infestat? Non exibo propter ipsum. Nos autem authoritatem Scripturæ sequentes, quæ dicit:* Omnia possibilia sunt credenti. *vehementer instabamus illum egredi compellentes. Tandem victus in hunc modum verba formabat. Vultis, vt exeam: Quare me de casa mea eiicitis? Quà exibo? Per fundamentum, & posteriores partes, an per os? Ad quod respondimus, neque per fundamentum, neque per os. Non enim volumus, vt aliquid inhonestum inter nos committas, & creaturam Dei in aliquo ladas. Tandem victus dimisit eum interiùs; sed exteriùs tam ille qui exierat, quam cæteri Dæmones tormentis, & verberibus afficiebant, vt vexato plangendi non esset modus.* Pergit de aliis, quæ minùs ad rem faciunt; & post pauca subiungit:

4. *Post longum huiusmodi cruciatum Dæmones eum dimiserant. Postea in excessum mentis factus in agonia iacebat; & venientes ad eum Frater Rodericus, & Dominus Petrus duxerunt (vt sibi videbatur, sicut postea confessus est) ad cellam eximij splendoris. Ad quam conueniebant Monachi, & plures alij defuncti diuinum Officium celebraturi. Inter quos ille Nouitius, qui in ecstasi, sicut ex his, quæ canebat, discere potera-*

veramus, intererat. Fidem praterea à nobis omnibus dabat, quod sine scientia litterarum erat: nisi quòd tantum in pueritia syllabizare didicerat: & hoc ita temiter, vt cum festuca singulas syllabas monstrando, vix eas copulare sciret. Hoc adhuc in Probatione positus faciebat.

5. Celebrabamus autem Missam ita morosè, & solemniter cantando, & neumata distinguendo, sicut in Ordine Cistercienſi. Canabat cum eis patiens Nouitius, cuius vocem audiebamus, caterorum minimè. Ad Kyrie, eleiſon. Chorus alternatim cantabat: & Nouitius Kyrie, eleiſon. dicebat, quoties in Choro oportebat. Hanc Missam (vt qui aderam, testificabantur) nullus in eodem Conuentu cantare poterat, nisi quidam Sacrista loci illius, Petrus Dei nomine. Quod ideò memorauerat: quia, dum aduiueret, quoties vacabat, Missam de Beata Maria canabat. Ob hoc quasi Capellanus eius erat. Posi Kyrie, eleiſon, respondebat Nouitius dicens: Gloria in excelſis Deo, &c. Cúmque cantare non posſet pra nimia infirmitate, dicebat secundùm idioma lingua ſua: Roderice Frater, Domne Dei Petre, cantate. & exultens, cum pectus liberum haberet, iterum cantabat: & hoc quidem crebrius faciebat. Post Gloria in excelſis Deo. respondebat: Et cum Spiritu tuo. & ſic ad omnia, qua oportet, respoſion dabat. Qua tanta morositate dicebat, vt ſeptem Pſalmi cantari posſent. Ad eaque Sacerdos vel Miniſter dicere ſolet, Nouitius tacebat: reliqua opportunè complebat: & hac omnia faciens, quaſi in ecſtaſi poſitus, iacebat.

6. Miſſa celebrata, cantauerunt Veſperas de Sancta Maria, Dixit Dominus. & cateros Pſalmos alternatim, magnam pauſam, ſicut conſuetudo eſt in Ordine Ciſtercienſi, facientes. Nos autem, qui aderamus, neminem, praeter Nouitium, partem ſuam canentem audiebamus. Ad Magnificat, cantabat Antiphonam, quam nunquam audieramus: ſed toties ab ipſo Nouitio audiuimus eam, donec litteram, & cantum teneremus, cuius littera talis erat: Sancta Maria, non eſt tibi ſimilis orta in vniuerſo Mundo, inter mulieres florens vt roſa, flagrans vt lilium, ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix, alleluia. In illo Choro locum Abbatis Petrus tenebat. Quando Sanctus Bernardus aderat, ſecedebat in locum Prioris. Inter quos etiam Stephanus Epiſcopus Zamorenſis erat, qui benedictionem accipiebat. Quod, praeter Nouitij ſequentem atteſtationem, ex eo colligimus: quia poſt Veſperas Nouitius reſpondebat: Deus meus, ſperantem in te; &, Deprecabilis eſto ſuper ſeruum tuum. Iſte Stephanus erat magna deuotionis, & dilectionis erga Ordinem Ciſtercienſem, & maxime erga Claramuallen. Hic ſingulas Miſſas aſſignabat. Vos, inquit, cantate pro Fratribus adhuc in ſeculo laborantibus. Vos pro Fratribus defunctis. Vos de Spiritu Sancto. Et tu, Frater Petre Dei, de Sancta Maria. Atque caeteris in hunc modum aſſignabat.

7. Poſt hac venerunt ad Nouitium Frater Rodericus, & Domnus Petrus Abbas, arguentes eum trãſgreſſionis, & dicentes, etiam hac de cauſa iſta pati. Arguebant eum, quòd ſine licentia cum quodam Fratre, qui Ioannes Zabata vocabatur, locutus eſt, & cum eo de fuga conſiliatus, atque cum quodam Clerico iterum ſine licentia locutus, & cum eo conſilium fecit diſcedendi, de Infirmitorio ei ad comedendum portauit, & pomerium peragrans pomum comedit. Hac omnia ipſe Nouitius, ſubmiſſa voce confitebatur. Tunc Abbas Petrus iubebat, vt ſuſciperet diſciplinam. Qui reſpondit: Placet mihi, placet mihi: libenter accipiam. Mox erigens ſe, ſingulo tenus cum reuerentia ſe nudabat, & adgeniculabat, & percutiens pectus ſuum, ſecundùm idioma lingua ſua dicebat: Mea culpa, mea culpa: ego meliorabo. Quod vſque ad viginti quinque vices faciebat. Ex quo coniicimus, eos illius accepiſſe eum, quos vicibus pectus percuſſit: & certè omnibus miraculo fuit, quòd adoleſcens, qui nunquam diſciplinam dare viderat, vel accipere, ita ſe honeſtè denudabat: multò etiam magis, quòd adoleſcens penitùs idiota, & ignarus pſallendi, tam aptè, tam concinnè, quos nunquam didicerat Pſalmos, decantaret.

8. Tandem compos ſui aliquantulùm factus, quarebamus ab eo, quales eſſent Sanctus Bernardus, & Sanctus Petrus, & cateri. Ad quod dicebat: Sanctus Bernardus ita ſplendida facie eſt, vt nullus poſſit vultum eius intueri. Cateri verò ſplendidi, & lucidi ſunt, & coronas aureas in capitibus habent. Inter quos erat quidam Nouitius, qui in Probatione obierat. Hunc Abbas de Superado, quando Dominum illam viſitabat, de Ordine pro innocentia, & puritate ſua eiicere volebat. Sed ad Fratrum, & Abbatis preces retentus propter virtutem, breui tempore in Cœlis coronandus. Nos autem quarebamus ab eo, vtrùm Frater Rodericus coronam auream haberet. Et habet, inquit. Et paucis interiectis: Iacuit autem Nouitius ita per quatuor dies non manducans, neque bibens; ſed per vices ſuccedentes modò vexabatur a Diabolo, modò catibus Sanctorum intererat, in lucida Domo diuinum Officium celebrantibus. Quando Nouitius ſui compos erat, qua viderat, referebat. Per ſeptem vices ſuccedentes, ſeptem diſciplinas accepit.

9. Pergit deinde recenſere varios cruciatus, quos à Dæmonibus paſſus viſibiliter, quoad vſque penè examinem relinquerent: & tandem concludit: Tunc balitum tantummodo in pectore retinens, obmutuit; & nos putantes eum conſummatum, fecimus eum oleo inungi, & tabulam percuti. Mox Conuentus adueniens, tribus vicibus Litaniam, & ſeptem Pſalmos, eius exitum expectantes, decantauerunt: poſt hac dormitum vadum. Interea venerunt ad Nouitium Frater Rodericus, & Dominus Petrus Abbas, & Sanctus Bernardus, & eum increpantes monuerunt, vt vitam ſuam corrigeret, & recidiuum caueret. At ille: Si vnquam ab iſto Cœnobio diſceſſero, Dæmones me poſſideant, & Infernus deglutiat, ac maledictus ſim comedens, & bibens, vigilans, & dormiens, ſtans & ſedens. Hac, & his ſimilia, nobis audientibus, ſibi imprecabatur.

10. Tunc Abbas Petrus ait: Sanctus Bernardus iubet, vt accipias diſciplinam. Reſpondit Nouitius: Ha! vos videtis me nimis infirmari, & ſtatum ſupremum tantum in pectore remanſiſſe, & iubetis, vt accipiam diſciplinam? Sed ex quo vultis, placet mihi: faciam. Et erigens ſe, prout poterat, & ſecundum morem ſe denudans, viginti quinque vicibus dicebat: Mea culpa: ego meliorabo. Tunc Sancto Bernardo iubente, ceſſatur à verbere. Poſtea verò Dominus Petrus Abbas dixit Nouitio: Oportet te ad Miſſam preparare, & Officium Subdiaconi complere. Ad quem Nouitius: Neſcio legere Epiſtolam. Cui Abbas Petrus: Ego te eam legere docebo. At ille: Fiat, inquit, vt placet vobis. Et lauans manus, & exſiccans, amictu caput operuit, albam induit, & Subdiaconi officium adimplenit. Cùm autem Collectæ dicerentur, dixit Abbati Petro: Domne Petre, dicite mihi Epiſtolam. & commodans illi aurem, ab eo Epiſtolam auſcultabat. Poſt Collectas perlegit Epiſtolam, ita opportunè, ac ſi litteratus eſſet; & ad Miſſam in omnibus Subdiaconi ſupplenit officium. Cúmque Corpus Domini accepiſſet, ac nobis videntibus id feciſſet, maſticabat. Nouiſſimè verò ad Ite, Miſſa eſt, reſpondens, Deo gratias, in facilem ſomnum reſolutus eſt, à quo euigilans, ſanus inuentus eſt, ad laudem & gloriam nominis Chriſti, qui eſt Deus benedictus in ſecula. Amen. Hactenus relatio Hymberti, de his, quæ vidit.

11. At mihi hæc,& similia contemplanti, nihil aliud occurrit,quàm illud Pauli [b]: *O altitudo diuitiarum sapientiæ,& scientiæ Dei,quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Superant captum nostrum portenta hæc: nec facilè inter miracula, & præstigia,veros,& apparentes euentus,seu fictos (nam & id contingit) discernit ratio. Multa per illusiones Dæmonum fiunt; nec pauca ex vehementi apprehensione, seu cerebri defectu facta creduntur, Deo magis permittente, quàm operante: quæ tamen illi vulgus, imò & docti attribuunt. E contra alia ex Deo esse non dubito,quibus nos dissentimur,quia non assequimur, eò facilius decepti,quò scrupulosius cauemus, ne decipiamur. Certè hoc anno,quo visa hæc in Hispania, adeò præter, aut supra communem cursum, & quæ non facilè diuina esse putaueris; tradunt quid aliud non minùs stupendum, nec captui nostro magis permeabile contigisse in Gallia, & tempore longioti, nempe,per totam vitam permansurum.

b Rom 11.

12. Robertus Abbas Montis Author est,honestæ fœminæ enixæ infantem vitum intra cortinas templi Beatæ Virginis,quas vir ipsius in pignus accepisset, cùm Ecclesia maneret sine ornatu in quadam sacra eiusdem Matris Christi Solennitate. Oraculum de Cœlo factum sequenti nocte,quo mors infantis, virique prædicta: *Tu autem* (inquit [c]) *proficiscere ad Ecclesiam meam,quæ est in Bethlehem, & circumspectis ibi tribus sepulcris, quorum quidem duo extrema vacua non sunt,medium tibi eliges in sepulcrum. Interim omni feria quarta circa horam nonam deficiet in te spiritus tuus,& decurret ab ore tuo,& naribus sanguis multus,& vsque ad horam nonam Sabbathi velut mortua permanebis. Sabbatho,hora nona, spiritu redeunte, duces vtrasque manus tuas super faciem tuam, & continuò pristinus color, & fortitudo in te remeabunt.* Hæc ex Roberto Montis [d], graui,& illius temporis Scriptore, qui ex tunc eandem fœminam fatidicam multa in excessibus illis accepisse diuinitùs, memoriæ prodit; quæ omnia pòst,euentibus sequutis;quin & spiritus fœminæ,Alexandri Pontificis iudicio,diuinitùs acceptus comprobarentur: & ille quidem quatuor diebus tantùm, & moribundus: hæc tot, quot supermixit partui, hebdomadas instar mortuæ iacebat: nec minùs aliquid in illo præter naturam per exteriora signa, quàm in hac per euentus,& eorum vaticinia demonstrabatur. Sed hæc,& alia; si lapis Lydius desit,proponenda sub dubio: & vt credendum à Deo esse potuisse; ita de facto fuisse nequaquam temerè nobis affirmandum. Transeo ad alia.

c ad hūc annum.

d ad hūc annum.

---

1. Benno in Vvalia Mekelem Burgensem Ecclesiam transfert in Zuerin: 2. multa passus à Barbaris. 3. Bernardus interim in Hispania Carletum petit. 4. Insigne eius miraculum, 5. quod vulgò Clarauallensi tribui solet. 6. Carleti prædicanti Christum minatur frater: 7. Sed peruertendum sororibus permittit. 8. Illis è contra conuersis ad Euangelium,& cum eo perrectutis,9. ægrè à fratre redeundi licentiam impetrat.

CAPVT IV.

1. EODEM temporibus, nempe, sub vltimis annis Bennonis, seu Brunonis Mekelen, Burgensis Episcopi,in superioribus à nobis commemorati,quem circa annum M.C.LXXXIII. aut ad summum M. C. LXXXV. obiisse credimus: *Mekelem Burgensis Ecclesia in Vvandalia* (inquit Albertus Krantzius [a]) *nouissimo tempore Benonis Episcopi,qui annis fermè quinquaginta præfuit,multo labore, & periculis non paucis, transfertur in Zuerin.* Translationis accessio,capta ciuitas,tunc primùm sub fidelium iugo posita, atque ardens zelus sanctissimi Pastoris prædicandi Euangelium, ac fidei extendendæ,quacunque posset. Inde pericula,& insidiæ ab infidelibus,quos supra insitam genti barbariem,amissi in bello parentes,fratresve, atque fugata auita superstitio efficiebat truciores, inde & fallaci Religionis honestamento in Bennonem,& socios,velut in nouatores accendebantur. De his idem qui suprà Krantzius,hæc habet alibi [b]:

a lib. 7. Metrop. c. 20.

b lib. 6. Metrop. c. 39.

2. *Principes in ea gente Niclotus cum filiis adhuc seruiebant idolis; non multi ex populo Christum adorabant,& quotidie instabat bonus Pontifex,vt multiplicarentur,qui salui fierent. Eius temporibus Henricus Dux Saxoniæ Leo terram Vvandalorum hostiliter inuasit: Principem Niclotum (quem nos dicimus Nicolaum) oppressit, & rebelles subiugauit: occupabat omnem terram vsque in Demin,& ex filiis Niclqti alterum,quod iuuentor esset fratris ad rebellionem,cùm captus apud se teneretur, iussit in conspectu agminis hostilis iugulari: armis alterum expulit omni ditione. Sed inter alia Suerinum captum ex hoste,dedit cuidam ex suis Guncelino, qui inde creatus est Comes. Quem in locum viuente adhuc Bennone (sed longè post hæc tempora) translata est Sedes; & manet vsque hodie. Miris inde perplexitatibus inuoluitur bonus Pater,cùm inde docendi erant increduli; inde vero placandi,qui suos amiserant in bello: solum hoc illi erat inter multas tribulationes solatium, quòd in præsidiis,quæ communierat dux dictus, Saxones confederant, qui illum tuerentur: alioqui mille sæpè gladiis confectus interiisset.* Hæc in Vvalia, propagante fidem Sancti Diui Brunonis sollicitudine.

3. In Hispania Bernardus Carletensis simili prædicandi Euangelij successus zelo, Abbatis sui (Hugonis,an Stephani? nam Stephanus Hugoni successit hoc ipso anno) obtenta licentia, ac Fratrum se orationibus commendans, Carletum perrexit, fratrem,sororésque,& si quos posset alios,ex Mahometismo ad veram Christi fidem conuersurus. Patrata ab eo in itinere miracula Acta eius affirmant: sed, quæ, aut qualia, minimè recensent. Celebre illud de Monacho apostata per virum Dei conuersio, sed non statim reuerso ad Monasterium; qui mox decedens, in clericali sepultus habitu, redeunte Sancto, ac sepulcrum scrutante,in monachali cuculla inuentus est,non sine ingenti cunctorum admiratione. Atque hoc quidem,siue in hoc itinere, siue in alio patratum ab hoc Bernardo: quod manifestè constat ex eius Actis, Clarævallensi per errorem tributum,maximè ab exteris, qui Carletensis minorem notitiam habent, ex Manuscripto Monasterij Barbelliani,Ioannes Picardus vulgauit totidem verbis:

4. *Tempore Beati Bernardi accidit, quòd Monachus quidam de eius Monasterio,& disciplina exiens,relicto*

cto habitu, suadente Diabolo, ad sæculum rediit, & Paræciam quandam regendam suscepit: erat quippe Sacerdos. Et quia sæpè peccatum peccato punitur, desertor Ordinis in vitium labitur libidinis. Concubinam, sicut multis consuetudinis est, ad sibi cohabitandum accepit, de qua & liberos genuit. Accidit, vt post annos plurimos, miseratus Dominus, qui neminem vult perire, Sanctus Bernardus per villam, in qua morabatur idem Monachus, transiret, & ad domum illius hospitandi gratia diuerteret. Quem ille cognoscens, & quasi proprium Patrem cum multa reuerentia excipiens, deuotè ministrauit, & tam ipsi, quàm iumentis necessaria procurauit; non tamen cognitus est ab eo. Manè, cùm Vir Sanctus, dictis Matutinis paratus esset ad eundum, nec posset loqui Sacerdoti, eò quòd maturiùs surgens iuit ad Ecclesiam, ait filio ipsius Sacerdotis: Vade, defer munuscum istud domino tuo. Erat autem puer idem mutus à natiuitate. Qui præcepto obediens, & præcipientis sentiens in se virtutem, ad patrem cucurrit, & Sancti Patris verba, verbis valdè absolutis expressit, dicens: Hæc, & hæc mandat tibi Abbas.

5. *Pater primùm filij vocem audiens, & præ gaudio lacrymans, vt secundò, ac tertiò eadem verba repeteret, admonuit: & quid sibi Abbas fecerit, inquisiuit. Cui ille: Nihil aliud mihi fecit: sed solummodo mihi dixit: Vade, dic domino tuo verba hæc. Ad tam euidens miraculum Sacerdos compunctus, festinanter ad Sanctum Virum venit, séque cum lacrymis ad pedes illius prostrauit. Domine (inquit) Pater, Monachus vester talis, ac talis fui; & tali tempore à tali Monasterio recessi. Rogo igitur Paternitatem vestram, vt liceat mihi redire vobiscum ad Monasterium: quia Deus in aduentu vestro visitauit cor meum. Cui Sanctus: Expecta me hîc: & ego, peracto negotio, citiùs reuertens ducam te mecum. Timens ille mortem, quam priùs non timebat, respondit: Domine, timeo interim mori. Ad hæc ille: Hoc (inquit) pro certo scias: quia, si in tali conditione, & proposito mortuus fueris, coram Deo Monachus inuenieris. Recessit, fortè præscius: sed mox rediit, illúmque recentem mortuum, ac sepultum audiens, sepulcrum aperiri præcepit. Dicentibus, quid vellet facere, respondit: Volo videre, vtrùm in sepulcro iacent Monachus, an Clericus? Clericum, inquiunt, in habitu sæculari sepeliuimus: reiecta terrâ, non in veste, qua sepultus fuit; sed in tonsura, & in habitu Monachi cunctis apparuit, & magnificatus est ab omnibus Deus.* Hactenus ibi de Bernardo Clarævallensi, quòd is, qui scripsit Carterensem, ignoraret. Aliàs miraculum ab hoc secundo factum, Authores omnes, qui eius Vitam scribunt, constanter affirmant. Portò à Bernardo Patre non patratum (etsi his contigisse, & fieri ab vtroque facilè potuit) argumento est, quòd ab antiquis Guillelmo, Arnoldo, Godefridóque, Authore Exordij, & aliis prætermittatur; & credibile lecto Bernardi nomine, applicatum Bernardo principaliori, maximè ab his, qui Hispanum minùs norunt, eóque omnia ad vnicum, quem nouerant, referenda putarent; quod passim etiam aliis solet accidere.

6. Vtcunque fuerit, ingressus domum fratris, gratanter primùm, velut, qui ad vomitum Paganismi reuersus, atque ad hoc tantùm venisse iudicaretur susceptus est; indulta statim apostasiæ venia, & quando frater orbus permaneret, repromissa corona, coniugéque, ex qua, etsi seros successores habere posset. At postquàm Sanctus diuersam sibi mentem, & longè aliam aduentus sui ad fratrem causam aperuit, nec se ad sacrilega deliria Mahometis, quæ semel exhorruisset authoritate Euangelij, peruertendum, quin fratrem Almanzorium, sororéque Zoraidam, & Zaidam conuersurum, si posset, protestaretur; vnde salus ad populum descendens, veram illis coronam, sublimius Regnum, atque præmia cœlestia compararet. Tum verò Regulus terram pede quatiens, atque oculis, naribúsque flammans & fumans; nec minùs ideò in eum dentibus stridens, quasi qui zelo violatæ Religionis commotus esset: exprobrare apostasiam, cumulare opprobria, nec se fratrem, sed hostem prædicare desertoris sacrilegi, in quem verbera, crucem, teláque, ac grauiora supplicia comminaretur. Et nisi intercessissent piæ sorores, quæ fratrem se suasuras pollicebantur, actum fortasse foret de vita Sancti; occidente Almanzorio, siue vt Mahometem tali sacrificio, siue vt populum sibi, quod Principum aliquando consilium est, per speciem Religionis conciliaret. Sed Bernardus, diuina prouidentia, quas postmodum seruaturus erat sorores, tunc seruatrices habuit, simul cum ipso exinde coronandas.

Igitur permissus Zoraidæ, Zaidæque, per quas ad 7.
leges auitas, & patriam religionem reuocaretur, Bernardus magis, qua erat fide præditus, atque zelo Christianæ professionis, vtranque aggressus, cùm multa illis de cœlesti patria, multa de Christo, & fide disseruisset, qui sororibus peruertendus traditus fuerat, sorores conuertit, ac doctrina Christiana aptè instructas, ac verè fideles, sacro Baptismatis fonte deuotus abluens, alteram Gratiam appellauit, Mariam alteram. Vtranque commendatam ex ipso nomine; illo, nimirum, quod gratiam præseferat; hoc, quod totius gratiæ Genitricem. Vtranque item ex virginitate, quæ, ferò licèt, Agnum sequuturæ, nihilominùs sequerentur, quocumque iret. Nec dubium, præseruatas sibi à Christo, quas viro dudum maturas, nubilésque, sub lege continentiam aspernante, opibus, genere, formáque præstantes, plures iam Reguli elegissent sibi vxores, si non ab alio amatore præuentæ essent, cui à cunctis, vel inuitis cedendum foret. 8.

Interim Sanctus fratrem Almanzorium salutaribus monitis aggressus, & nunc ex Mahometanis deliramentis, nunc ex Christianæ legis excellentia, aucupium capiens, cùm nihil se proficere videret, & aliàs nouæ Sponsæ Christi, Mariæ, & Gratiæ, inter Christianos Sponso deseruire, atque inter Virgines illi consecratas solemniter & ipsæ consecrari exoptarent ardentiùs, communicato inter ipsos consilio, ac singulis, quæ facienda erant iniunctis, placuit per fugam tempus anteuertere. Tum Almanzorio, velut desperatæ de reuocando fratre, quem suis precibus durum omninò silicem, atque immobilem cautem expertæ essent: Quin, inquiunt, Religionis desertorem, & vilem transfugam, quantociùs expellamus de terra nostra; quem neque persuadere pertinacem, neque fratrem occidere, neque apostatam liceat retinere. Eat, & laboriosam, ac despectam, quam semel elegisset, resumens vitam, obstinatæ perfidiæ pœnas luat. Cæteris gentibus mortem in supplicio, quia in deliciis viuere consueuerunt; Christianis vitam in amaritudine, mortem in gloria: vnde in hanc faciles, atque eò atrociùs puniantur, quò diutiùs viuant.

Hæc, & similia dicentibus sororibus credidit 9.
Almanzorius, & Bernardum seuerius alloquutus ab aula, ab vrbe, à Regno abire iubet, nequaquam illuc vltrà rediturum. Ille, vt erat de salute fratris sollicitus, quanuis sorores ob nouum Christi vinculum, charitate ardentiori complecteretur, obortis lacrymis; Discedam, frater, ait, & tibi terram leuiter relinquam, dum Cœlum non deseram: & qui non tua, sed te quærere veni, facilè ab his amoueat, quæ non quæsiui.

Digitized by Google

quæsiui. Adueneram,te Christo lucraturus,non mihi opes, aut Regnum temporale. Discedam lætus ab his, quæ lubens fugi, imò ab his,quæ euasi: sed te, quem fratrem vinculo naturæ, quem dominum iure successionis & amaui,& æolui, æternæ damnationis vinculis captum, nec eripi patientem, dolebo tristis,lacrymabor amarus,neque vnquam capiam de amisso fratre,quem vnice dilexi,consolationem. Dixit,& pene ad lacrymas commouit superbum Regulum; siue intra proprias venas sanguis efferbuit,cum Bernardo communis; siue de æterna salute,aut damnatione memoria potens extorsit,vel ab inuito. Affuêre sorores discedenti, siccioribus oculis,qui tunc illis pro lingua, quibus horam, & locum condicta commemorabant. Ergo Bernardus sub vesperam egressus, altero ab vrbe lapide diuertit ad nemus, Mariam & Gratiam, ac reliquam familiam (nam plures sese illis associauerant) in medio noctis silentio præstolaturus. Ibi orationibus, & precibus intentus sacris Virginibus animum virilem, obscuritatem nocti, ostiariis aulæ fratris profundum somnum, demum conatibus piis felicem exitum, & tardam fratri notitiam deprecabatur. Sed nos eundem intentum orationi, dum Virgines prosequimur, in ipso nemore parumper relinquamus.

---

1. *Bernardus cum sororibus discedens, nemus ingreditur:* 2. *inde regressus, alimenta quæsiturus à fratre capitur.* 3. *Dein per dolum ad sorores tractus,* 4. *cùm à fide diuelli non potuisset,coràm occiditur:* 5. *mox sorores, cùm ne ipsæ peruerterentur.* 6. *Quid factum tunc de corporum exuuiis.* 7. *Quæ veneratio sequuta Martyres Sanctos? & alia remissiùs.* 8. *Alfonsi Aragonensis in Hortam aduentus.* 9. *Postulata fraternitas,* 10. *& oblata protectio,* 11. *Priuilegio expedito non vulgari.*

CAPVT V.

1. IAM cœlestem sphæram profunda nox,silentium terras, atque homines somnus occupabat, cùm recens Christo desponsatæ Virgines Sponso obuiam ituræ surrexerunt,ac congregatis, qui erant fidei sociis,assumptisque per sopitos custodes transeuntes aulam primùm, mox vrbem deseruêre. Nec erat leue spatium vnius leucæ peragrandum vtrisque; sed præcipuè Mariæ,Gratiæque fœminis regiis, & ferri sueris magis,quàm ambulare,& retinebant obscura caligo noctis,cæca plerunque via, inusi lapides, glisceníque rupturæ,& si quæ alia passim occurrentia, aut offendere solent, aut retardare. Sed quæ cum fide charitatem simul, cum charitate virtutes omnes induerant, nouum ad omnia robur in se ipsis,fortitudinem nouam supra virilem,nedum supra fœmineam experiebantur. Ergo albescente aurora, nemus primùm,deín ante nemus Bernardum fratrem obuium conspicientes, qui iam obuiam exiret venienti agmini,resolutæ in lacrymas, Ecquis,inquiunt,nos vltra separabit à charitate Christi? non mors,non vita,non periculum,non gladius. Quærat,si volet,sorores Almanzorius,& inueniat,si potest: aut vita nos manebit inter Christianos, aut mors pro Christo. Occultatas fideles præstolantur, detectas Angeli. Itaque siue viuimus,siue morimur,Domini sumus. Interim nemus latentes tueatur,egressuras de latebris,cùm fratris inquisitio deferbuerit.

2. Iam biduum in eodem loco peregerant, & ministri Almanzorij, qui omnem circa discurrerant regionem, nulla prorsus vestigia reperientes, spe sua fraudati reuertebantur: cùm ecce egressus de latebris Bernardus proximam nemori Coloniam petiturus, vnde aliquid, quo vitam sustentarent, afferret sororibus,in Regem,heu! & seruos eius incidit, agnus in lupum,ouis in carnifices. Tum verò Regulus insano furore percitus,irruere in fratrem,& nisi à propriis seruis retentus esset, vltrò se offerentem,nec recusantem pro Christo trucidari, hasta, quam manu gestabat,tranuerberasset. Sed obstitêre ministri primis conatibus: & si hunc,inquiunt,per mortem anteuertas, quis nobis Zaidam, quis Zoraidam deteget, seu medio in nemore,siue alibi relictas,& occultatas;antequàm inueniantur,perituras? Viuat potiùs, & detegat latentes,atque eius consiliis deuias a veritate,dedoceat dolos,fraudésque reponat, quibus imbutas a fraterna domo eduxit. Placuit consilium furenti quamuis Regulo, & semel captum ad mortem semper adigi,reuocari ad vitam,nunquam posse perpendens animo,propiùs accedens Bernardum ficte alloquitur:

Ergóne,frater,si te mihi permittas, me ipso chariorem,quem amicum, quem Regni nunc consortem, mox successorem,vel post auitas leges abiuratas dudum delegetam,fratrem non solùm spernis,sed eludis? Ergóne etiam sorores mihi auferis (nam deceptas non dicam) vt ne ex eis quidem adoptandos in proprios suscipiam liberos? Esto in me crimen aliquod inuenias,quod maiori adhuc pœna plectendum putes, quid in te patres nostri commiserunt? quid tanti meruêre viri, quos nepotibus fraudas? quos omninò destituis successione? Esto,lex vestra potior, & salubrior: an Christus vnquam filiorum in parentes impietatem approbauit, aut docuit? an generis humani conseruationi contrarius fuit? An Reges orbos præcepit,aut consuluit,vt ipsis mortuis nullus paci locus; sed successores per arma designarentur? Quin Radamirum,Aragonium Regem,ex Monacho ad coniugium translatum iussu Pontificis,ex quo orta Petronilla,vestræ gentis exempla, eáque satis recentia manifestant,quantò magis,quæ nondum consecratæ, tradendæ nuptiis, conseruandæ coronæ, quantumuis minimæ? Nil vltrà nobis altercandum de Religione, quæ cunctis libera; de successione Regni,quis prohibeat? Nubat vtraque soror, nubat altera,& dum alicui,nubat Christiano,ac vestræ legis iura pia obseruet, vt vel in matrimonio perseueret; vel, si maluerit, post susceptam prolem ad cœlibatum redeat,vsque ad mortem in ipso permansura. 3. 4.

Hæc Almanzorius in dolo ad virum Dei,dum ad sorores simul peruenirent. At postquàm præda optata potitus est,in furorem conuersus,aut reliliendum à fide Christiana, aut subeundam atrocem mortem proponit. Nihil iam medium in Amethi rebus (sic Bernardum vocabat ex prisco nomine) aut coronam, aut gladium subituri. Illam, si vellet fratri conregnare;

gnare ; hunc,ſi,vt ipſe putabat,ſuo Chriſto. Fœmineos animos per ſpeciem pietatis deceptos hactenus, vtrouis modo reducendos ad veritatem ; ſi perſeueret,timore ſimilis mortis ; ſi reſipiſcat,eo ipſo Magiſtro,quo deceptore. Tum verò Sanctus : Decepiſti tu magis volentem decipi,& vltrò me offerentem ad ſacrificium traxiſti per dolos, quos facilè potuiſſem præuidere. Mihi viuere ſolus Chriſtus eſt,pro Chriſto mori lucrum,quod dudum quæro. Nec credam ſemel Chriſto deſponſatas Mariam,& Gratiam,morte mea diuellendas ab eius fide. Quin ſanguine fraterno,velut irriguæ,radicabuntur altiùs,ſecuris ictus firmiùs ſuſcepturæ. Dixit,& oculos ad Cœlum leuans priùs,mox ad ſorores vertens,quaſi quas ad paſſionem inuitaret,Chriſte,ait,quia poſſibile eſt,tranſeat à me ad illas calix iſte;compatiantur,conregnent: & quas congenitas mihi carne,& ſpiritu,tibi in filias per gratiam adoptaſti,fac cohæredes. Mox ſatellitibus vinciendas manus offerens , atque arborem , cui alligabatur,reuerenter ſalutans,quaſi quæ ligni Crucis ſpeciem ferret,ferreo tandem , quem miles fortè ferebat,clauo ad frontem affixo,maiorem ad cruciatum occiſus eſt , videntibus ſororibus,& fratre, nec lacrymantibus ; illis , quia gloriæ fratris congaudebant ; hoc , quia propriæ vindictæ gratulabatur.

5. Coronato Bernardo per martyrium,atque ipſa corona victrici fronti clauo velut infixa,ne cadere , aut auelli facilè poſſet,reſtabant ſorores , quas inferiores viribus natura ; ſed gratia ſubæquales haud diſſimilis triumphus præſtolabatur. Has primùm mitis, promiſſis,blanditiiſque,& qui plerunque fœmineos animos mouent,propoſitis coniugibus , atque alteri Regni ſucceſſione , alteri pingui dote , & gaza multa , quæ Reges ambirent , largè oblatis,ſeducere ſtuduit : per illecebras,luxum,deliciáſque impotentiam muliebrem peruerſurus. Aſt,vbi blandimenta nihil proficere,atque vtranque ſororem in fide Chriſti acceptæ conſtantem vidit,ad terrores conuerſus,& nunc ſubitam mortem intentans gladio ; nunc cædem acerbiorem cæde fratris comminatus atrociter : Ille, ait,clauo confoſſus caput,occubuit : vos membra ſingula clauis , & vncis dabitis diſcerpenda per partes, quo diutiùs torqueamini,ſegniùs perituræ. An non placabo Deum ſanguine veſtro , qui vel proprio non parcerem ? Aut reuerebor contemptiones cœleſtis Numinis , in totius noſtræ gentis , imò & ipſius legis confuſionem ? Natura fœminas , generatione ſorores,educatione filias (nam vt tales vos habui) poſt trucidatum fratrem de medio tollere impium,fateor, videtur , & inhumanum : ſed conſeruare præuaricatrices,atque apoſtatas viles erit ſacrilegum : & quantò Deus creaturis omnibus præſtat , tantò obſeruantiæ religio anteponenda. Datem fortaſſe pœnitentiæ locum , (atque ô vtinam velitis pœnitere !) ſi non idem pateret obſtinationi : ſed cùm magis hanc lineam , quàm illam ſperem,quod ipſæ proclamatis, pereundum eſt vobis,non tam quia peccauiſtis,quàm ne peccetis. Dixit , & gladio percuſſas occidi iubet in conſpectu cadaueris Bernardi , quod vires eis de terra , robúrque , non ſecùs ac de Cœlo triumphans ſpiritus , auxilia , & vitæ æternæ deſiderium,temporalis contemptum , atque in morte lætitiam impetrabat. Excepit ictum ſancta vtraque virgo conſtanter, & auidè : nec ſeriùs penetrauit anima Cœlos,quàm terram truncо contigit : Regio apparatu vtrunque; quippe de Cœlo cuantibus occurrit cœleſtis aulæ Curia : terra non priùs corpora ſuſcepit , quàm proprio ſanguine , vt purpura Regali conſtrata foret. Hæc de martyrio Principis inuicti , ſororúmque,ex Antonio Beutero [a] , Martino de Viciano [b],aliiſque, necnon & ex Archiuiis Populeti deſcripſit fideliter, qui Acta Sancti vulganda compilauit. De die mortis nihil certi conſtat : colitur tamen memoria trium fratrum , vigeſimaprima menſis Auguſti ; ſiue , quia in ea Martyrium obierunt,ſiue quòd prima poſt Feſtum Magni Bernardi Clarævallis Abbatis, cui ſubiungi voluerunt,vt patri filias ; ſi non,vt ſolet , occaſione ſumpta ex nomine. Haud aliter Bernardum de Candeleda memoratum ſuperiùs eadem die colunt, qui Durij fluminis extrema littora incolunt , vnde ipſa Prouincia Extrema Daurij , aut Durij , vulgò , *Eſtremadura* , quæ Luſitaniam inter Bæticámque , atque vtranque Caſtellam latè protenditur.

a .... b ....

6. Sanctorum corpora in nemore relicta beſtiis terræ,& volucribus expoſita : & pauiſſent vtraſque proculdubiò,ſi non vnus de ſeruis minùs barbarus , ſiue fortè Chriſtianæ legi addictus , effoſſa terra,mandaſſet ſepulturæ , ipſo in loco Martyrij non procul ab Alzira nobili oppido,à quo glorioſus Martyr,hodiéque *Sanctus Bernardus de Alzira* cognominatur. Manſêre ignota ſepulcra per multos annos , quoadvſque ſub Iacobo primo Rege (quem poſt fundatum Ordinem ſanctiſſimum Beatæ Mariæ dictæ de Mercede,pro captiuis Chriſtianis redimendis,poſt Maioricam,Valentiámque expugnatas,poſt plures,& illuſtres victorias partas de Sarracenis , tandem Ciſtercienſis Familia præſtolabatur) cœleſtibus ſignis præcedentibus detecta , atque ab ipſo honorifica Capella,& tumulo marmoreo donata ſunt , quod ſuo tempore latiùs referemus.Sic Sanctus Martyr aſſumptus ex Ciſtercio , per Regem in Ciſtercio conſummandum inceptus coli , extorquentibus cæterorum omnium cultum,crebris miráculis,quæ Deus per ſacras Reliquias operabatur. Qualiter autem , & qua occaſione occultata iterum,iterum detecta , & locus ſacer in Conuentum Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione captiuorum tranſierit , quos Deus poſuit cuſtodes ſacri theſauri,ſuo tempore etiam Annales tradent.

7. Veneratur Alzira ſanctum Bernardum,velut loci Patronum , quem propitium,ac potentem ad Deum interceſſorem in multis experti frequenter viſitant, & celebrant ſolenniter anniuerſaria votiua feſtiuitate. Recolunt etiam Bernardum Anciranum Martyrologium Monaſticum Hugonis, Menardi Auguſti 20.quanuis in notis annum Typographi incuria longè anteponat : Arnoldus Vvionius in Appendice littera B. Ioannes Vincentius , Dominicanus , de Sanctis Cataloniæ : Alfonſus de Villegas,de Sanctis Hiſpaniæ : Chryſoſtomus Henriquez in Menologio Auguſti 23.& in Faſciculo. Quin & nos etiam dum iuuenes eſſemus,cócione edita in Sanctorali noſtro, Beati Martyris laudes declamauimus. Mariam , & Gratiam multi noſtris tribuunt,quaſi ſpiritu,& voto Moniales , quod in antiquis non potui inuenire. Quin potiùs ad materteram deduci , cùm ipſa Ilerdæ piè conuerſaturas. Ego à Bernardo conuerſas,vel ſæculares,non dubito adſcribendas illius gloriæ : cætera neque affirmo,neque nego , ſed integra Lectori meo relinquo.

8. Priuſquàm à Tarraconenſi Hiſpania diſcedamus, illuſtris nobis Ildefonſus dicendus erit Aragonenſium Rex,qui in confinibus Regni ſui ſitum Cœnobium Hortæ,hoc ipſo anno deuotus viſitauit , vt à Martino Abbate,Fratribúſque in ſocietatem,ſeu confraternitatem Hortenſium admitteretur. Et permanere voluit memoriam facti priuilegio expedito, quod non licet ſilentio præterire:ſic autem habet:

Notum

Notum sit omnibus hominibus præsentibus,& futuris,qualiter Ego Ildefonsus Rex veniens ad Monasterium de Horta ab Abbate Martino,& cunctis Fratribus in societatem,& participationem omnium bonorum, orationum, videlicet,ieiuniorum,eleemosynarum,vigiliarum,Missarúmque solenniorum,& cunctorum, quibus Regnum æternum acquiritur,in Capitulo eorum receptus sum,tam ego,quam omnis generatio mea per sæcula cuncta.

9. *Ego verò desiderans vtilitati eorum, ac si Domui propriæ prouidere,personas Fratrum,hæreditates & omnia, quæ illorum existunt, vel in futurum, largitione Principum,donatione Pontificum,oblatione fidelium,siue emptione,vel commutatione, seu aliis quibuslibet iustis modis acquirere poterunt,sub defensione, & protectione, & nostro amparamento,& de tota nostra generatione recipio; decernens,vt nulli potestati, militi, seu cuiuscunque conditionis homini liceat,neque in pace, neque in guerra, neque nomine pignoris, vel alia aliqua ratione in tota mea terra præfatos Fratres aliquatenus molestare,vel bona eorum inuadere. Nolo enim, vt si fortè per guerram Regni de Castella,vel alterius Regni,in aliquibus Monasteriis terræ meæ, præda facta fuerit,vel aliquod malum,vt in ea, quæ illorum Fratrum de Horta fuerint,vlla vindicta iacteturſed semper in tota mea terra,omnia,quæ eorum sunt,vel erunt, salua,sicura,& tuta consistant.*

10. *Greges eorum,& armenta,& cuncta eorum animalia,quasi nostra propria in tota terra nostra liberè,& sine aliqua exactione & sine herbatico pascantur. Nusquam in tota terra nostra portaticum donent de propriis rebus. Deinde,si quis eorum,qui ad meam ditionem pertinere noscantur,ausus esset huiusmodi donativum prærumpere,si honorem per me tenent, illum siquidem honorem priùs data damni satisfactione perdet, & a Regno proscribetur. Si verò quicunque miles non habens per me honorem,vel burgensis,aut villanus hoc fecerit, data priùs satisfactione,vt prædixi, mille marabitinos mihi persolvet nihilominùs,& eum a Regno proscribi faciam. Hoc autem decretum,seu eleemosynam,quod pro nostra,nostrorúmque omnium prædecessorum pariter,& successorum salute facio,vt ab eisdem successoribus nostris,cùm debitum naturæ persoluero, inuiolabiliter obseruetur perpetuò, piè, & charitatiuè rogo, & moneo, quatenus cùm ad Curiam summi, æternique Regis peruenerint,in illa nouissima die inter Choros Angelorum audire mereantur: Beati misericordes,& qui diligentes me dilexistis, quoniam vestrum est Regnum Cœlorum. Facta charta apud Taræssonam, mense Iulij,sub Æra M.C.C.XVIII.* Hactenus priuilegium,in quo pro subscriptionibus Episcoporum,quæ vulgò in aliis solent consignari nomina, & Episcopatus notata lego sub hoc tenore. *Regnante eodem Ildefonso Rege in Aragona, & in Cathalonia Episcopo Petro in Cæsaraugustæ. Episcopo Ioanne in Tirasona. Episcopo Stephano in Osca. Episcopo Berengario in Ilerda, & in Roda.* Quod ideò in præsenti libuit adnotare: quia non video vsurpatum in aliis Regnis,& facit aliquid ad Episcoporum authoritatem. Hæc in Hispania.

---

1. *Petrus Cellensis assumptus in Episcopum.* 2. *Capitulo Generali Cistercij scribit,* 3. *eximia in totam Familiam veneratione;* 4. *sed in Claræuallenses longè præcipua.* 5. *Obiit in Gallia Ludouicus Rex, in Barbello Cisterciensi Domo sepultus.* 6. *Ioachimus Calaber secedit ad Casamarium.* 7. *Floret in Scotia Rogerius de Monte Roseo:* 8. *tandem Templi Martyres,velut filij Bernardi, commemorantur.* 9. *Chronologia l' allis Deusdedensis,* 10. *Ripa lata,siue alta,atque aliæ Domus:* 11. *tandem de Hieriponte,ex Vvaræo,* 12. *& de Monialibus Cœnobij Sancti Prosperi.*

CAPVT VI.

1. IN Gallia Venerabilis Petrus,olim Cellensis,dein Sancti Remigij Abbas,à nobis hactenus toties memoratus, in Episcopum Carnotensem electus,qui tunc recèns obierat,Ioanni Saresberiensi successurus,qua charitate in Bernardum communem patrem,(nanque talem agnoscit,) qua in Cistercium pollebat, Cisterciensi Capitulo scribit,se,& nouam sibi Sponsam copulatam,Carnotensem Ecclesiam offerens,& commendans Sanctorum precibus,illustre monumentum venerationis exhibitæ Cistercio,per Virum celebrem, venerandum doctrina,ætate,& moribus (nam excusatum à Concilio Generali paulò antè inuenio [a], quia iam annosum) meritò duxi adscribendum nostris Annalibus. Est autem talis [b]:

[a] *lib. 8. epist. 12.*

[b] *lib. 9. epist. 8.*

2. *Petrus Carnotensis electus,Capitulo Cisterciensi.*

Sancta Sanctorum studia impedire non minoris æstimo culpæ, quàm angelica,& diuina negotia interrumpere. Tanti verò reatus pœnam timeo incurrere, si vos ad diuina, & in diuinis occupatos,vanis, & superfluis tentauero verbis retinere. Excusat tamen quandoque vrgens necessitas ingerentem se importunitatem: quando etsi reprimit ad modicum festinationem,non perimit, aut deprimit penitùs necessariam operationem. Vtinam, *inquit Apostolus* [c], *sustineretis modicum quid insipientiæ meæ! Non arguitur insipientia formica, quæ sibi præparat escam in æstate. Non arguitur insipientiæ villicus iniquitatis,qui fodere non valens,& mendicare erubescens, fecit sibi amicos, qui reciperent illum in æterna tabernacula. Non ad insipientiam est mihi,si non de mammona iniquitatis; sed de supplicatione humilitatis,& debito fraternæ charitatis interpello Dominos meos, & Fratres charissimos,quatenus me commemorent inter sui gaudij socios, & futuræ expectationis amicos. Recolat igitur sanctissimum vestrum Collegium, vnum me esse de alumnis Beatissimi Bernardi, cuius merito Cisterciensem Ordinem Deus vsque ad mare, & vltrà dilatauit, & vsque ad nubes,vt iste, qua adhuc superstant,reliquis testantur,magnificauit.*

[c] 2. *Cor. 11.*

3. *Inter cætera sua beneficia contulit mihi superna gratia,eo viuente, adfuisse in his Cætrorum Dei Conuentibus,& commendatum,atque receptum tam beneficiis, quàm orationibus. Transfato etiam ipso ad cœlestem Curiam, semel adiui Dominos meos,& Fratres charissimos, replicans,& inculcans Societatem,& charitatem antiquitùs inductam. Prostratus itaque, licèt absens, pedibus totius sanctæ huius Congregationis semper expetitum,& expetitum,necnon etiam expetendum implоro suffragium. Vester fui, vester sum,vester semper ero. Alienos ad sinum suum colligit vestra charitas, & me leonibus,lupis,vrsis,& malis bestiis indefensum exponetis? Cellensem enutristis, Rhemensem anastis,*

Carnotensem

Carnotensem proijcietis? Vbi mater necessitas, ibi expirabit charitas? Vbi summum periculum, ibi nullum subsidium? vbi descendens ab Ierusalem in Iericho semiuiuus relinquitur, post Sacerdotis & Leuitæ negligentiam, Samaritani pectus indurabitur, ne oleum & vinum vulneribus sauciati infundantur? Absit, vt fons olei arescat, vt lecythus olei in sancto Ordine vestro deficiat. Certè si in vobis defecerit Sanctus, mundus remanebit immundus. Non esset dolor Angelis Dei, sicut dolor iste. Pax itaque æterna, & gratia sit vobiscum. Amen. Hactenus Petrus electus Carnotensis, quibus clarè videas, admissum anteà in Fratrem à Capitulo, cui præsens affuisset, & cui se, ac sua Monasteria, quibus anteà præfuisset, commendasset.

4. Cæterùm, quanuis tori Cistercio dedium, Clarævallensibus addictiorem fecerant memoria Patris, atque ipsi filij sibi notiores. Vnde in hos monumenta charitatis, neque pauca, neque leuia; plures epistolæ ad Eskilum [d], ad Suppriorem Thomam [e], & Ascelinum [f], ad Rainerum [g], omnes Clarævallenses. Quin & eiusdem liber de conscientia ad Alchærum scriptus, sub hoc initio: *Charissimo Fratri suo Alcharo Monacho Clarauallis, Frater Petrus Cellensis salutem, & conscientiam bonam, &c.* Et paulò inferiùs, quasi qui ad eius petitionem scripserit: *Animaduerto proinde hoc te, bone amice, & sancte Monache Alchari, sollicitum studijs circa animæ tuæ res familiares, cùm non solùm de agris Sanctorum Doctorum fertilissimis cibum quotidie, imò cibaria colligere spiritualia non desistas sed etiam ad tenuissimum nostræ paupertatis promptuarium manum porrigas, à paupere non pauperem postulans stipem, videlicet, conscientiam.* Hic est Alchærus, de quo Nicolaus Monachus [h] in pluribus epistolis, & alij item Authores illius æui.

[d] lib. 1. epist. 23. & lib. 5. ep. 5.
[e] lib. 3. ep. 11.
[f] lib. 3. epist. 12.
[g] lib. 1. epist. 13.
[h] epist. 22. 24. 25. 28. 49. & 51.

5. Hoc ipso anno Ludouicus Rex Galliæ diem extremum vixit, decimoquarto Kalendas Octobris, sepultus in Barbello, Cistercienſi Cœnobio, quod ipse superioribus annis ædificauerat. De quo hæc habet Robertus Abbas Montis: *Obiit Ludouicus, Rex Francorum, Vir religiosus, & timens Deum, & sepultus est in quodam Monasterio Cisterciensis Ordinis, dicto Barbel, quod ædificauerat* Ita Robertus reticens diem, annúmque postponens; distinctiùs tamen, & certiùs Matthæus Paris: *Eodem tempore* (id est, anno M.C.LXXX.) *Ludouicus Rex Francorum Parisiis diem clausit extremum, decimoquarto Kalendas Octobris, & sepultus est in Monasterio Cisterciensis Ordinis, quod Barbellum nuncupatum est, quod etiam propriis sumptibus inchoauit, idem Rex Ludouicus laudabiliter consummauit.* Matthæo Parisio Paulus Æmilius consonat, & Robertus Gaguinus, qui etiam addit [i]: *Ludouici sepulcrum per Alizan Reginam auro, Argentóque superadditis gemmis ornatum, in morem Regium.* Ludouico Philippus subrogatur, parenti filius, atque hic Cistercio obnoxius duplici titulo: & quia donatus Sanctorum orationibus, præcipuè Cistercienſium, vt suprà vidimus; vnde & *Adeodati* nomen accepit: & quia per Cistercienſem Martyrem Thomam redditus vitæ, desperata salute, quod anno præcedenti memorauimus.

[i] lib. 6. c. 4. in princ.

6. In Calabria Ioachimus, Curatij Abbas, à Venerabili Gerardo Fossænouæ, Curatienſis Ecclesiæ Patre, obtenta licentia, & Monasterio Priori commendato, Casamarium diuertit, sacræ Scripturæ mysteriis vacaturus: verùm hunc eius secessum à Curatio, & quæ in eo scripserit, narrat Matthæus Guerra, Episcopus Fundanus, in quadam de Ioachimo relatione ad Cardinalē de Claraualle missam, quæ ita habet [k]: *Constat, ait, quòd Abbas Ioachim Cisterciensis Ordinis fuit, & Abbas Curatij, qui paulò post assentientibus Monachis Cœnobij de Fossa noua, vt liberior ei in scribendo facultas adesset, Curatium cōmendauit; demum per annū cū dimidio in Monasterio Casemarij die, noctuque scribens, cū cæteris Fratribus etiā in diuinis adfuit, ibidemq; super Apocalyp. & Psalterium decem chordarū cōmentatus Lucio Papa III. illi diem certum captiuitatis Ieroſolymitanæ prædicens, lucubrationē illorū præsemauit.* Sed nunc de secessu; de fructu, suo loco erit agendū.

[k] in Chronolog. fol. 47.

Florebat in Scotia sub idem tempus Venerabilis Rogerius, dictus de Monte Roseo, sub Beato Nerno Kiloſensis Prior, qui inter alia Opera, quæ scripsit de licentia Capituli, Vitam Duffi Regis stilo mandauit. De quo hæc habet Demsterus in sua Historia [l]: *Rogerius, dictus de Monte Roseo, Monachus Cisterciensis professus in Kilos in Moravia, ac eiusdē Cœnobij Prior, vt existimo, secundus nam, ciam Sanctus Anselmus, primus Abbas, obiisset, Sanctus Nerbus successit, vt in Scoti-Chronico lib. 8. c. 15. & hic noster sub eo Prioratum administrauit, vt colligo ex Opere suo, qui in Deirano indice hic apex: Duffi Regis mors ad Nerbum Abbatē, lib. 1. Florebat an. M.C.LXXX. aut circiter.* Hoc item anno, exeuriente iugum fidei Vandalorum perfidia, cùm res ferro, atque igne agenda foret, Sleuuicenſis Episcopus, Fridericus, regio sanguine ortus, sed multò clarior pietate, doctrináque, & verbi, & belli Dux, dū mare traiicit, in mare submersus, insignis Daniæ, quin & totius Ecclesiæ luctus occasio fuit. Corpus vndis creptum pietate suorum, industriáque, ad Soram, Cistercienſe Cœnobium, Diœcesis Roskil, deductum est, atque ibidem sepultum honorificè sub tali inscriptione, quæ hodiéque memoriam Viri conseruat:

[l] lib. 2.

Vandalus vt discat diuini oracula Verbi
Impius, en Præsul mox Fridericus adest.
Pòst Ponto infelix submergitur ille profundo,
Percharus Regi, Flaminibusque piis.
Obiit anno M.C.LXXX.

7.

Viris illustribus Familiæ Cistercienſis subiungam Templi Martyres, hoc anno passos, quòd non alienos à Cistercio credam, Bernardi filios, de quibus hæc Robertus in Appendice: *Saladin, cum immenso exercitu obsedit castrum de Vado Iacob, quod machinis, & vi cepit: & milites Templi, qui intus erant, per medium serris per latera scidit.* Hæc Barbarorum aduersùs Christi milites dira immanitas, quos in terris atrociter peremit, gloriosè vt credimus in Cœlis coronauit. Militibus eorundem Magistrum addam, vt non scissum per medium, neque occisum; at in captiuitate decedentem, cùm redimi potuisset: neque, siue grauamen, siue periculum, sancta illa militia contra morem consuetum sustineret, si, videlicet, pretio redimendos, hostes auidiùs caperent, quasi lucrum ex præda captaturi: ant semel captos cariori pretio redderent, & totius neruos belli, id est, pecuniam, nomine redemptionis ad se transferrent. De hac Magistri militum constantia inter vincula, & compedes, idem qui suprà Robertus Abbas Mōtis hæc habet verba [m]: *Inito conflictu Christianorum contra Saladin, ex vtraque parte multi mortui sunt; plures tamen de Christianis, & Magister Templi captus est. Quem cùm Saladin vellet reddere pro nepote suo, quem Christiani captum tenebant, Magister Templi noluit, dicens, non esse consuetudinis Militum Templi, vt aliqua redemptio daretur pro eis, præter cingulum, & cultellum: & ita in captione mortuus est.* Hactenus ille.

[m] ad hunc an.

8.

Chronologia sex notat Monasteria, quæ accreuerint Cistercio circa hunc annum, sequenti ordine:

9.

Anno M.C.LXXX. septimo Idus Decembris fundata est Abbatia Vallis Dei in Andena.

Eodem anno XII. Kalend. Februarij Abbatia de Ripa alta, in Lombardia.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Eodem anno Abbatia de Choro S. Benedicti.
Eodem anno Abbatia de Maternan.
Eodem anno Abbatia de Geriponte.
Eodem anno Abbatia de Monte S. Petri. Hæc Chronologia Vallis Dei in Andena mihi dubia: quanuis coniector Clarævallis filiam esse, quod Aubertus Miræus, Author Belga, eandem ad hunc annum notat in suo Chronico. Consonat & Miræo Robertus Claudius in Gallia Christiana: nec eredam facile duas Valles Dei, Cistercienserm vtranque eodem anno natas, quanuis nec negem contingere potuisse. Adde, quòd in Genesi Ecclesiarum Clarævallensium Vallis Dei in Andena, in Diœcesi Leodiensi notata legitur. Verum est tamen, quòd in illis Tabulis filia Euerbaci ante triginta annos orta dicitur. Quin & in Chronologia Vallis Dei prope Leodium intra biennium veniat repetenda. Sed hæc, & alia, quæ nobis longè positis difficilia occurrunt à vicinioribus, si qui sunt, qui illustrant, facilè omninò veniant corrigenda.

10. Ripam altam Ordinis Cistercienſis in Lombardia, libri Camaræ notant in Terdonensi Diœcesi, & centum quadraginta florenos illi præfigunt. Est autem Domus de linea Firmitatis, in qua tamen non Ripa alta, sed Ripa lata, tertia Locedij filia in Ducatu Mediolanensi commemoratur. Reliqua ignota; neque vnde hauriremhactenus inueni. Sequitur Chorus Sancti Benedicti in Hibernia, Cloncrtis Diœcesis sub Archiepiscopatu Cassiliensi, filia Magij, quæque adeò auget lineam Clarævallis. Eius notitiam in Iacobo Vvaræo lego: *Chore*, ait, *alias de Choro Benedicti in Comitatu Corcagiæ. Nihil habeo quod hic adnotem, nisi erectum fuisse hoc Cœnobium anno M.C. LXXX. Barrios patronos agnouisse.* Hæc tantùm de Domo Hiberna, Hibernus Author: nec nos Hispani plura addere possumus. Ad eandem Clarævallis lineam spectant Maternon, siue Materna, atque Mons Sancti Petri, ineertis quanuis vtriusque Genitricibus. Prouinciisque, quas addere hic potest quicunque nouerit. Vidco S. Benedictum in Meterna ab Authore recenti in Frisia positum, Diœcesis Groëningatiæ; quod tamen an sit idem, alij iudicent.

Geripontis aliquantò maior notitia subest, Hiber- 11.
niæ insignis Domus, filiæ Vallis salutis, seu de Valltinglas, de qua hæc habet Iacobus Vvaræus: *Geripontе perpulchrum olim Monasterium, vt Reliquiæ testantur, a Donato, Odonoso Regulo extructum est, & magnis redditibus locupletatum. In hoc Cœnobio conduntur, præter alios melioris notæ, quorum sepulcrales imagines ibi iacent, ipse Conditor Donatus, & Felix Odulanus, Episcopus Osoriensis, ad cuius tumulum miracula, nescio quæ olim patrata dicuntur. Sedet Cœnobium ad dexteram Neori ripam in Comitatu Kilkennensi. Abbas huius Monasterij ante suppressionem, locum, suffragiumque habuit inter Proceres in Comitiis Parlamentariis.* Hæc Vvaræus. Nos de Felice Odulino Monacho Cistercienſi plura in tempore. Memoratur Abbatia de Geriponte in litteris Gregorij Papæ IX. ad Abbatem eiusdem Monasterij, & Episcopum Casiliensem super negotio Archiepiscopi Armachani datis Laterani, 17. Kalendas Octobris, Pontificatus ipsius anno 14. quas suo tempore latiùs referemus.

Sub idem tempus, si fortè non ante annum, cœpis- 12.
se lego Cœnobium Sancti Prosperi in Italia, iuxta vrbem Senensem, quod N. Virgo Anno ij Brieſij, ciuis Senensis filia, Sancto Galgano, aut sponsa, aut desponsanda, pro Virginibus sactis piè construxit ex dotalibus bonis; & ipsa in eo cum aliis consecranda, cùm ab eodem Sancto ad Christum Sponsum sequendum conuersa esset. Sed de Historia Galgani anno sequenti, quo Cistercio vel moriens tandem adhæsit: nunc satis nobis recens constructæ Domus ad eius monitionem, atque ab illius sponsa tempus notasse.

---

1. *Henrici Regis Anglie Gaufredus filius electus in Episcopum, nec Episcopum agens,* 2. *à Richardo Cantuariensi compulsus* 3. *cedit.* 4. *Alij ab eodem Richardo defenduntur,* 5. *grani epistola.* 6. *de supplenda eorum residentia,* 7. *pro maiori Reipublicæ,* 8. *atque causæ communis vtilitate.* 9. *Prudentia eius,* 10. *& prouidentia circa hoc ipsum.*

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur à Christo Redemptore centesimus octuagesimus primus supra millesimum, à condito Cistercio quartus, & octuagesimus, Alexandri vltimus, quo Gaufredo Anglo Henrici Regis filio in Episcopum Lincolniensem electo, sed recusante sacros Ordines suscipere, nec attendenti ad ea, quæ essent Episcopi, idem Alexander pastorali cura inuigilans censuit constanter fore resistendum, vsus ad hoc Richardo Cantuariensi, à quo vel sacros Ordines suscipere, & Episcopum agere, vel Pontificatui, quem nullarenus curaret, humiliter renunciare compelleretur. De quibus
2 ad hunc an. hæc Rogerius in Annalibus[a]: *Eodem anno*, scilicet, M.C.LXXXI. *Dominus Papa districtius in mandatis dederat Richardo Cantuariensi Archiepiscopo, vt omni occasione, & excusatione postposita, Gaufredum, Lincolniensis Ecclesiæ electum, Domini Regis Anglie filium, ecclesiastica censura compelleret electioni suæ renunciare, vel sine dilatione Ordinem Sacerdotis, & pontificalis officij dignitatem recipere.* Hactenus de mandatis Summi Pontificis.

Porrò quàm strenuè eisdem exequendis Richardus 2.
institerit, quàm non detulerit Regiæ Maiestati, potestatiæve, siue etiam fauoti, quominùs Alexandri præceptis obtemperaret, declarauit euentus, quem idem, qui suprà, Author ita prosequitur: *Gaufredus igitur in arcto positus, & imperfectum suum sentiens, consideransque, si tantæ administrationi minimè posse sufficere, maluit ab episcopalibus abstinere, quam onus importabile sibi imponere.* Ea tunc Episcopis potentia aduersùs Reges, ea Sacerdotio reuerentia exhibebatur. Demum ea constantia Richardo fuit, vt Regi se, quem nouerat præcipitem, atque impotentem iræ, vindictæque, recenti exemplo sui antecessoris, & cui se alias deuinctum agnoscebat, in causa filij viriliter opponeret, ipsumque adolescentem adigeret, vti se

se imparem nouerat. Episcopatum vltrò resignare, litteris datis ad eundem Richardum, quas idem Rogerius adducit, in hunc tenorem [b]:

b ibid.

Venerabili Patri, & Domino Richardo, Dei gratia Cantuariensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, Gaufredus, Domini Regis Angliæ filius, & Cancellarius, salutem, & reuerentiam debitam, ac deuotam.

3. *Placuit Maiestati Apostolicæ, vestræ iniungere Sanctitati, vt me certo tempore vnxeritis ad suscipiendum Ordinem Sacerdotis, & pontificalis officij dignitatem. Ego verò considerans quamplures Episcopos maturiores, ac prouectiores prudentia, & ætate, vix tantæ administrationi sufficere, nec sine periculo animarum sui Officium Pontificatus ad perfectum explere, veritus sum onus importabile senioribus, mihi imponere iuniori, faciens hoc non ex aliqua leuitate animi; sed ob reuerentiam Sacramenti. Habito itaque tractatu super hoc cum Domino Rege Patre meo, Dominisque Fratribus meis Rege, & Pictauia, & Britannorum Comitibus, Episcopis etiam Henrico Baiocensi, Rogerio Sagiensi, Reginaldo Bathoniensi, Sigefrido Cicestrensi, qui præsentes aderant, aliter de vita, & statu meo dispositi, volens Patris mei obsequiis militare ad tempus, & ab episcopalibus abstinere. Omne itaque ius electionis meæ, & Lincolniensem Episcopatum spontaneè, liberè, & integrè in manu vestra (Pater Sancte) resigno, tam electionis, quam Episcopatus absolutionem postulans à vobis, tanquam a Metropolitano meo, & ad hoc ab Apostolica Sede specialiter delegato. Bene vale.*

Ita Gaufredus, cuius in hoc exemplum nostri sæculi Principes, ô vtinam! (quos tamen condemnare non ausim) imitarentur.

4. Cæterùm, qui Gaufredo, regio iuueni arma tractanti ex cathedra sic restitit, Episcopos malè audientes apud Pontificem, tum propter quasdam speciales quorundam culpas insinuatas sinistra narratione; tum, quòd à sedibus suis exulantes, vltrà quàm par videretur, Regi assisterent; quos Alexander ab aula arcendos censuit (adeò hæc quæstio in Ecclesia Dei antiqua!) non minori constantia tutatus est singulorum opposita innocentia, quam ipse examinasset, & comperisset: sed & in causa communi multa discrepans, quæ ob iustam causam Episcoporum absentiam excusarent à propriis sedibus, illos totius Regni prudentissimos, experrissimósque, quales decet Prælatos, publica vtilitate vendicari ad publica negotia, quæ semper debeant priuatis anteponi. Regnorum corpora non solis sæcularibus constare, sed ecclesiasticis: neque minùs singulares Ecclesias, quàm ciuitates reputari vt membra, quæ debeant cedere saluti totius corporis. Eam, vbi per alios consequi nequeat, procurandam à Rege, vel per Episcopos: nec contraire diuino alicui iuri, si dum hanc curant, absint. Non, quia libera residentia Pastorum sit, quod quis Christianus ausit affirmare? sed, quia in conflictu sanctioris alterius iuris, æquè diuini, non tam ab eis violatur, quàm non obliget. Extat de vtrisque epistola erudita, elegánsque Petri Blesensis calamo ad Alexandrum Pontificem scripta, cùm super vtraque indemnitate, quasi oscitantiæ Richardus argueretur, quam in egregiam eiusdem Archiepiscopi commendationem his Annalibus censui transcribendam. Sic autem habet [c]:

c Petri Blesens. epist. 84.

5. *Alexandro, Dei gratia Summo Pontifici, Richardus Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, deuotum humilitatis, & obedientiæ famulatum.*

Detractores Deo odibiles, Serenitati vestræ de nostris Episcopis enormia suggesserunt, asserentes, quòd Venerabiles Fratres nostri R. Vinton, & G. Elien, atque Ioannes Norwicen. Episcopi, sequentes odorem munerum, & omninò abiecta sollicitudine pastorali, militiæ, ne dicam, malitiæ curialis fluctibus se immergunt. Dicunt, quòd iudicia sanguinis exercent: ideoque tanquam viri sanguinum a sacris abstinent, & ad mensam Domini non accedunt. Eapropter succensa est aduersùs eos indignatio vestra, nobisque pœnam indixistis, si excessus huiusmodi canonicè non punimus. Inhonestum siquidem esset, grauique animadversione dignissimum, si esset in hac parte os loquentium iniqua, veridicum: sed mentita est iniquitas sibi. Nam, vt excerpamus pauca de multis, Vintoniensi Episcopo nullus est afflictis compatientior, nullus in oculis suis humilior, nullus in Altari deuotior, nullus in beneficiis profusior: vnde, sicut vnguentum effusum est nomen eius, & eleemosynas eius enarrat omnis Ecclesia Sanctorum.

6. *Elienses autem, ex quo iuxta beneplaciti nostri formam, citra omnem infamiam tamen, & quasi de abundanti suam purgatione canonica innocentiam declarauit, plenè, & efficaciter implenit Episcopum, sanctáque, & honesta conuersatione mendaces ostendit, qui maculauerunt innoxium. Ipse etiam, & Episcopus Norwicensis, cuius honestatem, & prudentiam frequenter, dum ad vos à Domino Rege mitteretur, diuina conuersatione, & experientia didicistis, Ecclesias suas pauperes inuenerunt; sed possessiones earum prudenter, & strenuè reuocantes, & amplissimè dilatantes, ipsas nunc in statum optimum erexerunt. Non est equidem nouum, quod Regum consiliis interfint Episcopi: sicut enim honestate, & sapientia cæteros antecedunt; sic expeditiores, & efficaciores in Reipublicæ administratione consentiuntur. Quia, sicut scriptum est, minùs foedùs diffonitur regnum, quod non regitur consilio sapientium. Scriptum enim legistis: Væ terræ, cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt. Beata terra est, cuius Rex sensatus est, & cuius Principes vescuntur tempore suo. In quo notatur, eos consiliis Regum debere assistere, qui sciant, & velint, & possint patientibus compati, paci terræ, ac populi saluti prospicere, erudire ad iustitiam Reges, imminentibus occurrere periculis, vitæq; maturioris exemplis informare subditos, & quadam authoritate potestatiua præsumptionem malignantium cohibere. Regnum Hebræorum temporibus Roboam non fuisset diuisum, nec recessissent ab eo decem tribus, si prudentiores vires sibi consiliarios elegisset. Cum esset Saul prophetans inter eos, qui inuocabant nomen Domini; regnum tamen Dauid erexit, & firmauit eius solium institutio Samuelis. Rex Ezechias oppressus à Sennacherib, & quasi in extremis angustiis constitutus, per Isaiam ciuitatis liberationem, & beneficium consolationis obtinuit. Elisæus Atzyriam Syris induxit, & eius beneficio Samaria obsessores conuertuntur in fugam. Ioiada Sacerdos Ioas filium Ochoziæ à facie Athali persequentis abscondit, quem cùm erexisset in Regem, sanctis eum moribus informauit. Sed, Ioiada mortuo cœpit Ioas à Dei legitimis declinare, quem cùm Zacharias argueret, eum lapidibus obruit, & contriuit. In quo manifestissimè liquet, quàm vtilis, & necessaria sit conuersatio & doctrina iustorum his, qui populi regimen acceperint.*

7. *Nam temporibus Sedechiæ Regis, non fuisset exterminatum Regnum Iudæorum, nisi aduersus Ieremiam, qui publicæ consulebat vtilitati, praeualuissent mendacia Pseudoprophetarum. Vnum noueretis, quia nisi familiares & consiliarij Regis essent prefati Episcopi, supra dorsum Ecclesiæ fabricarent hodie peccatores, & immaniter, ac intolerabiliter opprimeret Clerum præsumptio laicalis. Non autem, si quid in Ecclesia attentatur iniuriam, authoritate Pontificali corripitur: aut, si ad hoc ecclesiastica censura non sufficit,*

spiritualis gladij defectus ciuili suppletur, & ad eorum arbitrium principalis animaduersio exercetur. Si quandoque, vt fieri solet, aduersus insontes Regis indignatio vehementer excandescit, Episcoporum precibus temperatur. Istis medientibus mansuescit circa simplices iudiciarius rigor, admittitur clamor pauperum, Ecclesiarum dignitas erigitur, releuatur pauperum indigentia, fit quies, iustitia liberè exercetur, superbia deprimitur, augetur laicorum deuotio, Religio fouetur, diriguntur iudicia, leges acceptantur, decreta Romana vim obtinent, & possessiones ecclesiasticæ dilatantur. Isti singulis præcipuis Solennitatibus suis interfuit Ecclesiis, vbi eleemosynarum largitione, consolatione pupillorum, ac viduarum, subiectorum correctione, atque aliis sanctitatis operibus, redimunt dies, quos in Curia consumpserunt.

8. *Porrò Archiepiscopi, vel Episcopi, qui in Curia Regis Siculi conuersantur, per septennium, aut decennium, à Curia non recedunt : nec refert, viuant, aut decesserint, quantùm ad ecclesiasticarum possessionum custodiam, vel regimen animarum. Ab hac equidem curialitate nostros quandoque volumus Episcopos prohibere, sed Consiliariis, & prudentibus viris visa est expediens eorum cohabitatio circa Regem ; quos si extraheremus à familiaritate illius, subtraheremus quietem Monasteriis, oppressis solatium, Ecclesiis libertatem. Vnde, licèt propter incommoditates varias, quas ibi sustinent, desiderio desiderarent egredi ; publicæ tamen vtilitatis obtentu, communi Fratrum nostrorum consilio, non solùm in hac vita castrensi tolerari, sed ad eam trahi debuerant, & compelli. Vtilitatem itaque Anglicanæ Ecclesiæ, & malitiam detractorum, qui vobis veritati contraria suggesserunt, velitis, Pater, in libra æquitatis appendere, & quod super hoc in oculis vestris acceptum fuerit, nostræ paruitati nuncio, vel litteris velitis intimare, rei veritatem priùs vobis declarari oportuit, vt ad huius rei decisionem certiùs, & confidentiùs procedatis. Nos autem, cùm receperimus vestræ Sanctitatis Oraculum, Apostolicæ iussionis executores efficaces erimus, & deuoti. Conseruet vos Deus Ecclesiæ suæ per tempora longa, Sanctissime Pater.*

9. Hæc ad Pontificem Richardus Cantuariensis, humilitate, obedientiaque promptissima, sed nihilominùs prudentia singulari, nec minori constantia : illa dum famæ Episcoporum consulit, quos vtiliùs amoueas, quàm dehoneste ; hæc, dum non solùm antiquis exemplis vtitur, sed Regni Siculi recentia etiam subnectit : non exprobrans, sed suggerens Pontifici eandem vtrorumque causam Episcoporum, idem diuinum ius, adeóque idem pro vtriusque decernendum. Curauit tamen Episcopos absentes, non nisi notos, & certos pro se sufficere, super quo etiam, & contra falsatores litterarum Apostolicarum, hanc ad suos Suffraganeos scripsit epistolam [d] : d Petri Blesensis epist. 53.

10. *Richardus, Dei gratia Cantuariensis Archiepiscopus, totius Angliæ Primas, Venerabilibus Fratribus, & Coepiscopis in Cantuariensi Prouincia constitutis, salutem in vero salutari.*

Licèt futura omninò vitare scandala non possimus, (necesse est enim, sicut legitur, vt veniant scandala,) officio tamen nobis iniuncta administrationis incumbit, quantum possumus, scandalorum materiam præscindere, atque maturiore consilio periculis imminentibus obuiare. Dudum est, quòd Angelus Satanæ transfigurare se nouit in Angelum lucis, & vestimentis ouium, atque sub adumbrata simplicitate desæuit ab antiquo lupina rapacitas. Sed & diebus istis quidam Pseudoepiscopi Hibernenses, aut Scotica lingua simulantes barbariem, cùm à nullo impositionem manus acceperint, episcopalia populis administrant, tesse quidem Apostolo : Nemo sumit sibi honorem ; sed, qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron. Illi verò non per ostium, sed aliunde intrantes Ecclesiam Christi communiculant, & vt vituperetur ministerium nostrum, præsumptione sacrilega dehonestant episcopalis eminentiæ sacramentum. Cum enim gratiam sacræ Vnctionis nunquam acceperint, celebrant Ordines, Ecclesias dedicant, Altaria consecrant, benedicunt Abbates, & sic vilium, & vestimentum miseri mendicantes, Sacramenta nostræ Redemptionis conuertunt in quæstum. Quoniam igitur ex talium administratione in Ecclesia Anglicana multiplex occasio scandali iam emersit, eósque, quorum ordinatio dubia est, sacri Canones non admittunt, Vniuersitati vestræ mandamus, atque præcipimus, quatenus per vestras Diœceses generaliter prohibere curetis, ne tales ministrare permittantur episcopalia, qui barbaræ nationis sunt, atque ordinationis incertæ. Sicut enim non intelligitur præcessisse dedicatio, vel Baptismus, vbi de talibus dubitatur : ita nec eos reputamus Episcopos, quorum consecratio ignoratur. Præterea, quoniam in his partibus publica falsariorum pestis obrepsit, qui Bullis adulterinis, & litteris calumnias innocentibus mouent ; & statum iuste possidentium subuertere moliuntur, prouidentiæ vestræ districtè præcipimus, quatenus solenniter denunciare faciatis excommunicatos singulis festiuis diebus eos, qui Domini Papæ Bullam, vel nostra, & vestra sigilla falsare præsumunt, eísque consentientes, vt quos à sua malignitate non cohibet propria iudicium conscientiæ, saltem frequens denunciationis iteratio valeat deterrere. Benè valeatis in Christo. Hæc de Richardo, ex materia, cohærentia collegi in tempore, quia nullus annus fixus, & vt facilius à Lectore percipierentur.

---

1. *Guarini, Bituricensis Præsulis, mors, 2. de quo, & de successore aliquid dictum.* 3. *Eskili item in Claraualle obitus,* 4. *& quædam notata :* 5. *& de Beato Laurentio Meilrosensi,* 6. *Glorioso post mortem.* 7. *Demùm de Sancto Galgano remissiuè.* 8. *Roderici Toletani Præsulis pietas in Martinum ostensa,* 9. *grauis memoria.* 10. *Consecrata Ecclesia Sanctæ Mariæ de Boto : & de Baldwino Fordensi obiter dictum.*

CAPVT II.

1. MEMORABILEM nostris præsentem annum Eskili, atque Guarini obitus faciunt : illius ex Primate Daniæ, Monachi ; huius ex Monacho, & Abbate Pontigniacensi, Aquitaniæ Primatis : illius Lundensis ; huius Bituricensis Archiepiscopi, vtriusque magni : illius, cùm quatuor iam annos egisset Monachum ; huius cùm septem Bituribus præfuisset. Et de Guarino in Catalogo Archiepiscoporum Bituricensium hæc scripta lego [a] : *Sedit tempore Romani Pontificis Alexandri III. Imperatoris* a apud Iean. Chenu.

peratoris Friderici primi, Regis Francia Ludouici Iunioris: obiit autem decimosexto Kalendas Aprilis, anno M.C.LXXXI. Rexerat Pontigniacum Guarinus annos fermè nouem plùs, minúsve; in quibus, & insignem Christi athletam, Thomam Cantuariensem, Monachum habuit, & inter Sanctos coluit, ac Festum eius celebrauit ritu solenni. Multa ab Henrico Rege Angliæ passus, constanter restitit, nec nisi inuitus discedere permisit Sanctum Pontificem. Plures ab Alexandro III. suscepit litteras, Legatias obiuit, in quibus ministerium suum impleuit, atque omnibus numeris ad votum eius absoluit. Dein Bituricensibus præfectus, contra Albigenses Hæreticos Legatos, opere simul, & sermone potens, detexit dolos, damnauit errores, Hæreticos confudit, mulctauitque, & Prouinciam, quantùm licuit, purgauit sordibus hæresum. Numerum Præbendarum suæ Ecclesiæ, quia nimis redundabant, ad breuiorem reduxit. Burdegalensem Prouinciam visitauit titulo Primatiæ, quod aliis denegatum: Concilio Generali Lateranensi Romæ cum multis; Rhemis cum paucis coronationi Philippi Regis interfuit; neque quicquam sine ipso magnum, quandiu vixit. Demùm plenus dierum, ac virtutum, simúlque Deo, & hominibus dilectus hoc anno moritur. Sepultus est in suo Monasterio Pontigniacensi, vbi hodiéque sepulcrum eius cernitur, in maiori sacello perhonorificum ad latus Euangelij sub hoc titulo: *Hic iacet Dominus Guarinus, Archiepiscopus Bituricensis, tertius Abbas huius Monasterij.* Inseruit Virum suo Menologio Chrysostomus Henriquez, ad decimamsextam diem mensis Aprilis; quanuis decimasexta Martij decessisse, nequaquam neget. Verùm, quod ait cum Barnata Montaluo, inter discipulos Bernardi connumerandum, cùm ex antiquis haustum non inueniam, nec affirmare ausim, nec reprobare.

2. Designatum Guarino successorem, Stephanum, ex Episcopo Meldensi, Ioannes Chenu coniectatur magis, quàm tradit [b]. Sed qui ante confirmationem morte præuentus, inter Archiepiscopos Bituricenses non numeratur. Portò suffectum virum ex eo probat, quòd inter epitaphia Monasterij Sancti Victoris Parisiensis à Iacobo Brenitio publicata scriptum legat: *Hic iacet R.P. Dominus Stephanus, qui natus Parisiis, ex Episcopo Meldensi, Bituricensis Primas factus est. Obiit anno* 1181. *pridie Idus Ianuary.* Claudius Robertus, & hunc, & alium tradit, Hubertum nomine, qui tamen possessionem non sit adeptus. Certè, qui post Guarinum numeratur, Henricus de Soliaco dictus, vel de Borbonio; non ante annum M.C.LXXXIII. electus legitur; sed & hunc ex Cistercio etiam assumptum, cùm ageret Abbatem loci Regij, in tempore dicemus, si Deus dederit. Hæc de Guarino.

b *vbi suprà.*

3. Quod attinet ad Eskili mortem, incidisse non minùs in hunc annum, habemus ex ipsius epitaphio, transcripto in libro sepulcrorum Claræuallis, vbi piè obdormiit, iacétque sub arcu lapideo, ad sinistram Altaris Sancti Saluatoris, quod ita habet [c]: *Item, in arcu ad sinistram Altaris Sancti Saluatoris; requiescit Vir magnificus, & insignis, ac de stirpe regia oriundus, felicis recordationis Dominus Eskilus, quondam Lundensis Archiepiscopus, & totius Dania, ac Suecia Primas, qui tempore Beati Bernardi veniens Clarimuallem, & Monachus factus ibidem, summa humilitatis, & totius honestatis, ac Religionis se speculum exhibuit, & Monachalis perfectionis exemplar suis posteris reliquit. Obiit autem anno Incarnationis Domini* 1181. Hactenus epitaphium, seu breue monumentum vitæ, & mortis, ac loci sepulturæ inclyti Viri. Cæterùm, quod in eo coniunctim dicitur, venientem ad Claramuallem Bernardi tempore, Monachum induisse, palam est, ad tempora diuersa referendum. Quippe Monachum induit post mortem Sancti viginti, & quatuor annis, vt ostendimus. Bis autem antè Claramuallem visitasset, semel ante glorioſum Sancti exitum, iterum peracturus excubias ad eius tumulum.

c *apud Henric. in Fasciculo.*

Erat Eskilus regio sanguine ortus, vt suprà memorauimus, lubrica adolescentia pro more Principum; sed repressa licentia per miraculum, cùm imminente æterna damnatione correctionem promitteret, & quinque se Ecclesias constructurum (quód largè pòst impleuit) voto ad Mariam concepto profiteretur iuuiens, Roskildensi Ecclesiæ primùm, mox Metropolitanæ Laudensi præpositus, Primas Daniæ, Sueciæque creatus, atque Legatus Sedis apostolicæ sub Hadriano, Alexandróque Summis Pontificibus, fortunam semper variam expertus est; mediam vix vnquam: acceptus populis, quòd sanctè administraret; quòd blandiri nesciret, infensus Regibus. Sed quem cuncti timerent, & vel qui non amarent, reuererentur. Bernardo Patri, dum vixit, adeò addictus, vt induisset Monachum sub ipso, si non ab ipso in Pontificatu retentus esset, certante vtroque, Bernardo, Eskilóque; Eskilo, vt sub Bernardo militaret: Bernardo, vt Eskilus commissas sibi oues ad Cœlum duceret. Quàm fuerit Ecclesiæ necessarius, monstrauit euentus. Tempore schismatis, constans pro Alexandro Daniam, Sueciámque illi asseruit, non audentibus Regibus reiicere, quem ille suscepisset: aut si reiicerent, declinarentve, deserendis à populo, & Regnum forsan cum Pontifice amissuris. Conuertendis Prouinciis Infidelium sedulus institit; Episcopos, qui in eis prædicarent, creauit, aluit, reformauit Clerum, instruxit populum, ditauit Ecclesias: Limina Apostolorum semel, & iterum; & iunt qui dicunt pluries; Redemptoris sepulcrum semel inuisit: & plura alia fecit, quibus se verum fidei promotorem, verum Christi Ministrum, nec minùs verum ostendit Ecclesiæ Patrem. Post longam deinde, & vberem senectam bonorum operum, impetrata missione ab Alexandro, ac potestate eligendi Successorem (in tantum illi ab eo deferebatur) cùm multa in pauperes Christi distribuisset, multa in amicos, nec sibi penitùs quicquam reseruasset; se ipsum vltimũ omnium traditurus, Claramuallem profectus, Monachum induit, quod ante quadriennium commemorauimus. Portò eo tempore sanctissimè exacto, hoc tandem anno feliciter transiuit de morte ad vitam, tot meritorum præmium recepturus. Eskilum inter Viros sanctos Cistercij memorant Aubertus Miræus, & Chrysostomus Henriquez; ille in suis originibus Monasticis [d]; hic in Menologio [e]. Certè, qui epistolis Bernardi præfixit titulos, sepulcri simul, & acclamatæ sanctitatis eius Lectorem monet: sic enim habet epistola 314. *Ad Dominum, ac Venerabilem Eskilum, Lundensem Archiepiscopum, Sedis apostolicæ in Dania, & Suecia Legatum, cuius corpus glorioſum in Claramalle requieſcit iuxta matrem eiusdem Diui Bernardi.* Ita in titulo. Ex quo nos olim occasionem sumpsimus, vt hominem inter Sanctos, ac Beatos Cistercij numeraremus [f].

d *lib. 3. c. 15.*
e *Aprilis 20.*
f *lib. 3. Laureæ, diſcur. 8. §.*

His Sanctis Viris tertium adiungamus Beatum Laurentium Abbatem Meilrosanſem, cuius superiùs fecimus mentionem. Hic Ioscelino in Pontificem assumpto successor datus, vsque in hunc annum Præfecturam cum vita, neque vltrà continuasse argumento est, quòd sub initium sequentis, vt ibidem videbimus, iam Arnoldum habebat successorem. Decessit autem in magna sanctitate, & post mortem in magna gloria

visus Sanctissimæ Genitrici Dei Matiæ, simul cum Sancto Vvalleno officiosus assistens, miraculo firmante visionem, quod in hunc in superioribus remissum salua fide non liceat prætermittere. Et quidem visio Mariæ patrocinium erga Meilrosiam, Vvalleni virtutem, atque gloriam Laurentij, in quodam arreptitio declarata, simul coniungit; quæ vt in
g lib.2.c.15. Actis Sancti Vvalleni prodita est 8, totidem verbis erit transcribenda:

6. *Cùm dormirem*, inquit (& loquitur, qui à Dæmone est ereptus,) *vidi quandam Reginam vltra omnem humanam pulchritudinem speciosam in vestitu deaurato, & diademate aureo gemmis stelliferis intexto adornatam, incedere per Claustrum, duasque personas præclaras hinc & inde obambulantes, deorum illi impendentes obsequium: illa verò dexteram erexit, & signo Crucis edito, circiam posita benedixit. Persona ad dexteram eius parumper diuertens ad me venit, & capiti meo, ac pectori signum Crucis imprimendo, benedixit me, & dixit: Esto sanus ab infirmitate tua amodò, & vsque in sempiternum: nec habebis inimicus potestatem vlteriùs vexandi corpus tuum. Ad hanc vocem sanum me sentiens, & fiduciam sumens, Quis, inquam, es, Domine, qui misertus es calamitatis meæ? Et ille: Ego sum Vvallenus, quondam Abbas huius loci, cuius auxilium quæsisti, & gratia Dei inuenisti. Sed iam vade in pace, & vitam tuam saluage in melius emendare. Oportet enim, me cum Collega, & Abbate meo Laurentio, Sancta Maria Regina Cæli, & terra, quam cernis, obsequiis deseruire.* Hactenus Sancti Vvalleni Acta, quæ dum miraculum ab eo patratum pandunt, Laurentij Abbatis gloriam manifestant. De Arnoldo, qui Laurentio successit, viro pio, & docto, magnæque apud Guillelmum Regem authoritatis, in sequentibus aliqua dicemus.

7. Hic item annus, quia de Sanctis Viris agimus, Sanctissimum Confessorem Christi Galganum in Thuscia, mundo priùs ademptum, Cistercio dedit tribus Abbatibus, Casæ Marij, Fossæ nouæ, atque altero (incertum cuius Domus) ex generali Synodo redeuntibus cum aliquibus Monachis, cùm animum exhalaret inter miracula, quibus ante, & post mortem æquè floruit, diuina prouidentia illuc adductis, & siue moribundum, seu iam mortuum cuculla donantibus, quam adhuc viuens ardentiùs concupiisset. Extructa exin Capella ad Sancti tumulum, sub Monachorum cura, quæ paulò pòst in insignem Ecclesiam creuit, adiuncto Monasterio numeroso, cum Sancti viri Galgani aduocatione. Vitam, & Acta eius sequenti capite, ad compendium redacta, reliqua inseremus suis temporibus. Collegit cuncta Reuerendus Pater Gregorius Lombardellus, ex Ordine Prædicatorum, vulgauitque, Magnæ Thusciæ Ducissæ Ioannæ Austriacæ dicata, Senis in quarto, apud Lucam Bonettum, anno M. D. LXXVII. Hi huius anni illustrium Virorum obitus, quos memorant Historiæ: nec dubium, plures silentio prætermissos,
8. quos ô! vtinam alij superaddant.

Interim tamen, ne cuncta funus occupet, & ne qui externa, & quasi aliena pandimus, propria & domestica omittere videamur: Horta in Hispania repetenda venit, in quam nos olim de sæculo translati, vtinam non indigna plantatio Mariæ horto;) repetenda, inquam, ac primò memorandus insignis Vasco Rodericus Ximenius, quod vnicum Castellæ nostræ lumen illis temporibus, Toletana Metropolis Pontificem; Primatem vniuersa Hispania præstolabatur. Quippe tum pietatis, tum amoris, queis pollebat in nostros, præcipue Hortenses; sed in Martinum maximè, hoc primùm anno; tum segetis copiosæ beneficiorum, quæ posteà nobis contulit, non vulgaria indicia præseferebat. Crescebat ingens moles noui templi, quod inchoatum ab Alfonso, Castellæ Rege, ipsius largitate continuabatur, & videbatur surrecturum simul Dormitorium contiguum, (sic vulgò vocant,) quod Monachorum cellulis aptandum in parte superiori, in inferiori Sacrario, atque Capitulo, atque id genus aliis locum daret. Nec deerant largitione fidelium expensæ fabricæ: sed Martinus ad spiritualia filiorum incrementa propensior, sibique, & Deo aliquando vacaturus, externa hæc, & corpori obsequentia, quanuis aueret, tamen aspernabatur: nec occurrebat Conuersus inter domesticos idoneus præfici operi: & Monachos ad Mariæ munia intentos, si ad Martham transferret, obedire paratiores habebat, quam imperare. Venerabatur Martinum ab infantia Rodericus Ximenius omnigena doctrina, & pietate, atque animi virtute, publicæ spei iuuenis; quem iam Reges, quem Principes suspicerent; quem omnes, velut futurorum præsagi, etiam supra ætatem, venerarentur. Hic qua in Hortenses feruebat charitate, pietate in Martinum; nec dubius gratum id futurum Alfonso Regi, relicta Curia, & qua plurimùm pollebat, acclamatione Procerum, nouæ fabricæ curam super se posuit, pactus sua industria perficiendam; supplendásque expensas, si quæ deessent, vno Monacho tantùm reseruato, eligendo ab ipso, per quem, si quæ posset, exequeretur.

Huius pactionis instrumentum publicum vidisse se, & legisse multos ex senioribus Hortæ testificantes, cùm adhuc essem iuuenis, audiui. Quin muris rupeis, ante annos quadraginta, pro noua fabrica plumbeam sub lapide capsam repertam esse, refertam nummis æneis, argenteisque, cum membrana corrosa, sed inscripta, quæ inceptum opus sub Æra M. C. C. XXIX. hoc est, anno M. C. LXXXI. consummatum, Æra M. C. XXI. hoc est, anno M. C. LXXXIII. Roderico Ximenio procurante, pro Abbate Martino contestaretur. Ingens sanè argumentum pietatis in tanto Viro, & qua in Martinum, & Hortenses feruebat, veneratonis, si non in gratiam Regis referre mauis, quæ sola rapit, & quò vult, inclinat Curialium corda. Hoc primum Roderici Toletani (nam notior ex hoc nomine) charitatis in Hortam indicium fuit. Nam, quæ mox ad Oxomensem Sedem primùm, dein ad Toletanam sublimatus contulit beneficia, quæ illi dona, quas possessiones, atque integrum item Monasterium; demum qualiter, relicta sua Ecclesia, corpus suum tandem post mortem Hortæ tradiderit, cum charissima sibi supellectili, hoc est, cum sua multis, & exquisitis libris Bibliotheca referta, atque ipso Hispaniæ Historiæ originali, quam ipse, supra illius temporis modum, eleganter conscripsit, suis temporibus, locisque dicemus.

9.

Eodem anno consecratur noua Ecclesia Sanctæ Mariæ de Voto, præsente Henrico, illustri Anglorum Rege, de quo hæc habet Robertus Abbas Montis: *Anno Verbi incarnati* 1183. *Episcopatus Alexandri Papæ* 22. *Rotroldi Rothomagensis Archiepiscopi* 16. *tertio Nonas Martij, dedicata est Ecclesia Sanctæ Mariæ de Voto, sita in territorio Rothomagensi, in honorem eiusdem Genitricis Dei Mariæ, à Domino Henrico Baiocensi Episcopo: assistentibus Episcopis Richardo Abricensi, & Renaldo Bathoniensi, astante illustri Rege Anglorum Henrico, Matildis Imperatricis filio, anno Regni sui* 27. Ita Robertus Montis in appendice. Idemmet Author refert ad hunc annum Balduini de Bonij promotionem ex

10.

Abbate

Abbate Fordensi in Episcopum Vvigornien sem, quam nos ex aliis suprà memorauimus. Certè si non antea promotus est, vix Vvigorniæ exegit triennium integrum, Cantuariam translatus intra id tempus successurus Richardo; atque semel introductum à D. Thoma in ea Sede Cistercium continuaturus. Sed de his suo tempore dicemus: nunc ad Galganum, vt promisimus, veniamus.

---

1. Galgani patria, genus, adolescentia: 2. vocatio Angeli, 3. & retractio propinquorum, 4. eremum primùm dissuadentium, mox cœlibatum. 5. Sponsam quarens ab Angelo arcetur, 6. & ad eremum ducitur, illustrato ducatu multis miraculis. 7. Tum tuguriolum construit in montis vertice, obsistente Damone, & multa machinante in nouum Athletam.

CAPVT III.

1. NATIONE ille Tuscus ex oppido Clusdino, genere nobilis: nomen Galgani, diuina prouidentia sortitus est, nempe, à Galgalis, quod aceruum acerui sonat, quasi acerua tim ad eum dona coïrent. Prima iuuenta lubrica, & obliqua, mox præcedente cœlesti vocatione vertit in rectum. Sunt quibus Deus venientibus assistat; sunt quos fugientes trahat. Galganum deuium, latéque abertantem per nuncium primùm ad iter reuocauit: mox per se ipsum. Michaël Archangelus per somnium illi apparens nouæ militiæ accingi, arma capessere, atque insurgere iubet aduersùs hostes. Dein à vitiis sæculi abstractum tali Oraculo (quippe interim, quæ sibi iniungeretur, curiosiùs inquirendæ nouæ militiæ) abstraxit à sæculo; subsequuta visione, quæ Virum Dei vocaret ad solitudinem, & post mystica quædam Sanctos Apostolos, atque ipsum Apostolorum Magistrum, Ducémque Christum Dominum glorioſum, super verticem montis illi ostenderet: miraculo visionem confirmante, quo homo prorsus idiota, & sine litteris librum legere iussus obediuit: & versum Psalmi legit, quo Dauid ait [a]: *Introibo in potentias Domini: Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius.* Extat de hac vtraque apparitione memoria in Officio eius satis authentica, quam non pigebit ad litteram transcribere.

a Psal. 70.

2. Ergo in quodam Responsorio ita habet [b]: *Archangelus apparuit sibi priùs per somnium; vt sequatur, admonuit ad locum solitarium, Archangelus apparuit, iteratóque monuit Galganum, se sequatur: ad flumen magnum veniunt: molendinum conspiciunt, quod ibi rorabatur: transacto ponte fluuij, pratum florum reperiunt odoris mirifici: ascendunt montem Siepi: domum ibi conspiciunt coetus apostolici: librum iubetur tollere, versiculum hunc legere: Litteras qui ignorauit, in potentias intrauit, diuini memor nominis. Imaginem speciosam, quam cognouit gloriosam, vidit Dei & hominis.* Hactenus verba primi Responsorij, quod canitur in Beati Galgani Solennitate. Porrò contentam in eo visionem Gregorius Lombardellus [c] latè declarat, multis adductis, de prato, & molendino; de spelunca, de fluuio, ponteque, quæ ad mysticum magis faciunt, quàm ad historiam.

b in eius Vit. cap. 11.

c cap. 11.

3. Hi, velut funes cœlestium vocationum, trahebant Galganum ad vitæ solitariæ perfectionem: & iam Paulum, Antonium, Hilarionem, iam priscos illos Patres, quos eremi cultores audiuisset, meditabatur; cùm ecce mater (nam patrem iam amiserat) propinquique dissuadere propositum, leuitatem arguere, præterita, futuráque conferre, & de perseuerantia desperare: solitarios, aut Angelos, aut belluas: quare Galganum, cùm se Angelum non esse ex anteacta vita perspectum habeat, aut ab eremo statim discessurum, aut ab homine in bestiam transformandum. Tum, si affectus humanos retineret, quod feris associato satis difficile: quod afflicto solamen, quod tentato subsidium, quis dux erranti, quis ignaro Magister in solitudine? Perfectissimis viris eremum aptam: ineptam, & contrariam incipientibus; quibusve illud diuinum semper imminet, quia si ceciderint, (& septies in die vel iustus cadit, nedum lubricus ætate, & assuetudine,) à quo subleuabuntur? Esto fugiat conuictum aliorum hominum, qui sibi in scandalum; nunquid fugere possit etiam se ipsum? Secum, quocunque ierit, hostem feret, à quo magis timendum, quominus sperat ab aliis subuentum iri.

4. His, & similibus aggressi militem Christi, quo eremum dissuadeant, Cœnobium consulunt: mox ab eremi proposito cadenti, nec cœlibatum satis conuenire, sub dubio primùm, dein constanter disserunt. Nam, quid, si vitæ liberiori suetus vouendæ continentiæ iugum excutiat. Quid, si metas transiliat professionis, sibi in perniciem, cæteris in scandalum. Sæcularium peccata fermè simplicia; & vt non leuia, saltem non grauissima: Regularium enormia, & multiplicia: nec licentiam peccandi, sed modum quæri his, qui in sæculo manent, quia impares se sentiunt votis solennibus. Nubat potiùs, & lubricum naturæ, quandiu auellere nequit, vertat in meritum. Ingratos esse generi humano, qui nuptias fugiunt; qui, quantum in se est, perire volunt, si cæteri sequantur, periturum. An ab Adamo producta generatio à Patribus ad filios, in ipso tandem veniat extinguenda? An solus degener post tot progenitores, atque ita hactenus filius vt nunquam pater? Quin sociam sibi æqualem, & filialem eligat, cum qua in Dei timore sanctè viuat, & ex qua filios procreet Christo educandos, atque Orbi profuturos. Nec longè illinc distare ciuitellam, (sic castrum vocant,) in qua puella nobilis moribus æquè, ac formæ, diuitissque, atque florens ætate, Antonij Briesij filia, cui poterit, si velit, copulari.

4. Nutantem semel de adimplendo præcepto Angeli, facilè ab aliis consiliis perpulère, vt solo fixum lapidem ægrè dimoueas, quem semel motum leuiter præcipites; sic mentem nostram. Ergo Galganus ab eremo ad Cœnobium, à Cœnobio ad connubium persuasus, eousque deuenit, vt castrum ciuitellæ aditet, Clusdino proximum, inuisurus puellam, &, si placuisset, etiam petiturus. Sed, ô diuitias diuinæ bonitatis præparatas electis! ô quàm durum est illis calcitrare contra diuinæ vocationis stimulum! Vix tria millia passuum emensus erat, cùm hærens equus primò, velut immobilis, mox quasi reuerenter inclinaret, vtroque genu flexus, equitantem insolentia facti perculit; & quò tandem contra Angeli præceptum, & ad quid iret? Simul cum pœnitentia menti

Digitized by Google

obiecit, quæ ab intimo corde pia ſuſpiria, ab ore præ pauore balbutiente, deuota verba, atque ab oculis cœlum adſpicientibus extorſere lacrymas, quibus inobedientiæ ſcelus ablueret, & diuinam clementiam prouocaret. Tum verò, qui hactenus per ſomnium tantùm viſus, Michael Archangelus, iam in vigilia, & velut reuelata facie ſibi apparens; Ne timeas, ait, Galgane: ſed me ſequere ducem itineris, quod malè declinabas. Dixit, & equum ſigno de terra eleuans, ſoluénſque, non anteà veluti ligatus decinebatur; atque vtrunque præcedens vltrò ſequentem; poſt longum terræ, & temporis ſpatium, quod Galgano inſtruendo ſat breue viſum, antiquum ſomnum patefecit terminis viæ. Nam inuenère flumen (Merſam dicunt) pontémque, & molendinum: & poſt puſillum, pratum diſtinctum floribus, & ſpeluncam ſubiunctum, per quam ad montis Siepij (ſic vulgò dicunt) radices, atque Ædiculam ſacram, illic ab olim ſitam peruenièbatur. Hic locus, Eremitæ deſtinatus, qui olim præuiſus, quanuis Angelus illicò euanuerit, fidem præteritis, præſentibus Religionem, & reuerentiam; demum futuris auxit firmitudinem.

6. Illuſtraſſe hunc ouentum plura miracula Lombardellus affirmat: nec dubium, quin ex antiquis Archiuiis hauſerit. Alterum, quòd in ea parte itineris, cui equus adhæſit, veſtigia petræ ſculpta hodie cernantur; parua Capella concluſa poſt mortem Sancti, ob miraculi, ac loci venerationem. Alterum, quòd pertranſiens pratum Galganus menſe Decembri floridum inuenerit. Quò virtutum, ad quas præparabatur, flores adſpiceret, ſiue, vt plenius viſioni reſponderet præuiſa veritas. Tertium, quòd iam in Siepio monte poſitus, cùm Crucem ſibi de ramis fabricare, viſibiliter Diabolo impediente, non præualeret, vexillum Crucis in gladio, quem portabat, deuotus cernens, atque erigere tentans, in montis culmine ſilicem adeò blandum expertus eſt, ac ſi ceram, non lapidem feriret. Et quartum tandem, quòd gladio cauti infixo, vocem audierit, quæ ſibi illic perpetuò manendum iuſſerit. Atque huius vltimi extat etiam mentio in ipſius Officio, hymni verſiculo ita concinente.

Formát Crucem, enſem figens:
Vocem audit, ſiſtat pedem,
Locum colat, non recedens,
7. *Vbi ſanctam vidit Ædem.*

Vexillo Crucis erecto per nouum militem, tugurioluin de ramis fabricatum curauit adiungere, in quo à bruma, & Sole, ac cœli, & aëris inclementiis protegeretur. Sed neque hoc ſine impugnatione Dæmonis, & cœleſti victoria peractum eſt. Adeò nihil in Galgano fuit, de quo non Angeli cum Diabolo certarent. Latentem vbi venator primus inuenit, à quo matri detectus, mox quæſitus ab ipſa, propinquíſque, quò tyronem ab incepta vita retraherent, virginem olim illi deſponſandam, Antonij Brieſij filiam, ſecum adducunt, per honeſtam ſpeciem matrimonij, ingens irritamentum ſenſualitatis. Vicit tamen ſapientia malitiam, vicit diuina virtus fraudes diabolicas: & qui à puella peruertendus ſperabatur, conuerſam potiùs, ac ſæculo cùm primùm renunciaturam à ſe dimittit, conſtruendo Monaſterio Ciſtercienſi, ex dotalibus bonis, in quo virginitatem ſuam (hactenus illibatam) longè meliori Sponſo conſecraret. Hoc initium Monaſterij S. Proſperi, iuxta vrbem Senenſem, quod per trecentos, & eis amplius annos permanſit integrum, quoad vltima obſidione Senenſi, dum bellum deſæuiret, dirutum fuit. Sed de eo dictum anno præcedenti. De Galgano id vltrà addendum puto: ex tunc Ciſtercio addictum, dum differebat, tradidiſſe meliorem ſui patrem, ſponſam voto, filiam magiſterio, à qua vt carne diuiſus propter Chriſtum; ſic non ſpiritu poſſet ſeparari, neque vltrà reſiſtere mater, propinquive diuinæ voluntati, atque potentiæ, quæ adeò manifeſtè in Galgano demonſtrabantur. 8.

Creſcebat interim ſanctitatis illius fama: creſcebat & fructus, quibuſdam ad exemplum eius conuerſis, quibuſdam ex miraculis; aliis, qui propiùs ad ipſum accedebant, etiam per efficaciam prædicationis. Sanè miracula illi familiaria, vt non immeritò de eo canat Eccleſia: *Claudos, leproſos, languidos, captiuos, & inualidos, quos longus languor tenuit, ad priſtinam reſtituit per ipſum Cœli Medicus.* At peccatorum conuerſiones, in quibus maior virtus diuina ſplendor, frequentiores multò, nec diſſimili teſtimonio comprobatæ: *Dona gratiarum Beatus Galganus obtinet deuotis Chriſti fidelibus, ad ſe venientibus virtute magna. Beatus Galganus perimit vitia, fugat Dæmones, curat languores, mores ordinat, informat virtutes: & hoc promeruit ex gratia ſanctitatis.* Hæc eius dona creſcentia ſupra conſuetum. Sed obiter creſcebant illuſiones malignorum Spirituum, creſcebant tentamina: & nunc velut Antonium forma terribili, nunc puellari, & pulchra; nunc ſub habitu Monachi, nunc militis; denique quos habuerat in ſæculo mentientes amicos tentabant decipere, per vim, per fraudem, per minas, per obſequia, quem palam non audebant impugnare. Ignitam trabem proiectam contra orantem traditio eſt, cuius aliqua in Officio Sancti mentio: *Dæmon*, ait, *terrere cupiens orantem, contra eum venit iacens trabem ignis.* At contra hæc Galganus Chriſtum inuocans, tot ſibi Angelos adeſſe auxiliares poſcebat, quot Dæmones aduerſantes experiebatur: nec minui labores, ſed augeri patientiam, roborari conſtantiam, & nullis dolis cædentem ſapientiam, quæ verè ſola talis, exorabat.

---

1. *Tentatus ſapiùs de eremo deſerenda, retinetur ab Angelo.* 2. *Limina Apoſtolorum deuotus adit.* 3. *Loca ſacra viſitat.* 4. *Ab Alexandro accerſitur, quicquid ab eo petierit, accepturus.* 5. *Quæ, & quales petitiones Sancti Viri.* 6. *Interim odia in eum, inuidiæq́, & ſæuitum in gladium, & in tugurium,* 7. *vindicante pro Sancto diuina manu.* 8. *Tum reuelata illi cuncta per Angelum, & relata Alexandro,* 9. *perturbarunt vtrunque,* 10. *quoadusque Pontifex eiuſdem Angeli reſponſo confirmaretur.*

CAPVT IV.

1. NON ſolùm per externos incurſus Dæmonum, quanuis & his frequenter, ſed etiam per internas ſuggeſtiones ſacratus Chriſti miles, & quod miteris per ſpeciem pietatis, à quibus plùs periculi, quò diutiùs, vehementiùs; & quò paucioribus hominum auxiliis, maioribus diſpendiis afflictabatur.

Eorum

Eorum omnium præcipuus scopus fuit, vt relicta ceruo, quam incolebat, rediret ad homines, quos per scandalum olim peruertisset, per exemplum, & vitæ conuersionem reuocaturus. Ita per speciem virtutis superioris, nimirum, charitatis, perseuerantiam viri, sine qua nulla virtus coronatur, labefactabant. Sed aderat tentato diuina manus: nec suggestionibus solas vocationes, inspirationésque; speciebus species opponebat: sed per miracula, responsáque cœlestia, ne consentiret, nutantem præseruabat. Externæ voces in aëre auditæ, Angelorum formatæ ministerio, quos nonnunquam videbat, atque his Diaboli laqueos, & dolos fugere, nec mutare propositum: sed in vita, quam semel incepisset, constans perseuerare præcipiebatur. Vt vix habuerit locum in Galgano prouidentia communis, præuento semper per specialissimam, & nihil ferè operante sine miraculis.

2. Inter hæc Sacram Vrbem non longè positam, atque Sanctorum Apostolorum Limina, quod dudum exoptasset, visitare deliberans, contra continuos anteactæ vitæ terrores, & futuræ pericula, benedictione apostolica muniendus, & vinculis, si quibus tenebatur, ex præteritis culpis liberandus: cùm assistentem sibi Michaëlem (nam huic præ aliis incumbebat illius cura) consultum sæpiùs, nequaquam repugnantem audiuisset: quin potiùs approbantem causam itineris; & suam opem fidenter promittentem eunti, & redeunti: certus omninò ex Deo esse consilium, quod approbaret Angelus, & cui exequendo se comitem præberet; ducem, & adiutorem pollicerétur: circa mensem Augustum præsentis anni, antequàm Alexander viam vniuersæ carnis ingrederetur, relicto tuguriolo, & quam (non vlla alia substituta in reuerentiam miraculi patrati) venerabatur, gladij in petra defixi cruce deuota: tùm salutatis in Æde conuicina, in qua orare solebat, Sanctis Apostolis, nam Christum sibi vbique præsentabat; Romanum iter pedes aggressus est, pro effigiebus, quas ibi relinquebat, Apostolorum corpora; pro cruce gladij, frusta ligni Dominici, & demum pro tugurio sacras Ædes; stationes præscriptas visitaturus.

3. Sensit in via præsentem Michaëlem, sensit custodem, ducem, comitémque: nec dubitare potuit Angelum lucis, quem veracem omninò, quem fidelem in cunctis experiebatur. Vt verò eminùs Ecclesiæ Beati Petri venerandum fastigium lustrauit oculis, & sese iam ad locum peruenisse, quem dudum exoptasset, certiùs nouit, pronus in terram adorauit Limina sacra: tum nudis pedibus, & reuelato capite, emensus viæ reliquum; quasi Angelum dicentem audiuisset: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* quæ se offerebant stationes, mysteriáque, mente, quàm corpore præsentior peragrabat. Ast vbi ad sacra corpora peruenit, & quæ dudum in via recogitasset, anteactæ vitæ crimina, traditis Petro à Christo Ecclesiæ clauibus, & potestati earum, tum meritis ipsius deuotus contulit; Peccaui (inquit) super numerum arenæ maris: sed infra mare diuinæ bonitatis, clementiæque; à quo & arenas omnes inundandas, imò obruendas; & peccata abluenda, quantumuis multa, & grauia, non dubitabo. Dixit, & inuocata diuina gratia, & Apostoli vtriusque intercessione, peccata sua confessus cum multis lacrymis, quippe verè contritus, verè pœnitens, satisfactionem iniunctam à Sacerdote, dein absolutionem sacramentalem, alteram acceptauit, suscepit alteram. Demum de manibus alterius Sacerdotis accepto Christi Corpore, atque ipsius virtute fidentiùs agens, ad loca alia sacra pius pertexit, indultas illis gratias, & thesauros Ecclesiæ, pro quibus venerat, laudabili auaritia, si ita fari licet, direpturus.

Vocatus antè Galganus ab Alexandro, an occasione aduentus, in dubio est; certum, Pontificem moribus sanctissimum, Senensem patria, Senensi viro, ac Sancto per omnia pronum, accersitum, & sibi obtemperantem, venientémque excepisse grauiter, ac multa de ipsius conuersione, conuersationéque, multa de arcanis mysteriis contulisse. Quin & diuinas, quibus fruebatur, reuelationes, miracula frequentia examinasse: multis vtrò quæsitis, responsísque; probandis primò, dein etiam firmandis, & sibi conciliandis Galgani meritis: demum cùm omnia ex voto comperisset, gratiam Dei venerarum, & admirantem, gentilem suum blandè conuenisse; orare pro se, post longa Ecclesiæ mala (quæ in robustiori ætate sustinuisset) iam senio, & morbis fracto, nec pace tandiu optata, vt coniiciebat, diutiùs fruituro, quatenus bono fine consummaretur. Rexisse naufragantem Petri nauem, quandiu potuit; & multis tempestatibus quassatam, tandem fauente Deo, per charybdes, per scyllas Schismaticorum, ad portum vnitatis perduxisse, prouidisse periculis futuris, in quantum licuit: & iam nec quid peragendum superesse, nec sibi vires. Vtinam permittatur morti morte iustorum, quod vnum exoptabat; in quo Galganus mereatur exaudiri. Interim, si quid velit, fidenter petat, nihil se negaturum viro, quem reputabat iustum, quem ad Deum appellabat intercessorem. 4.

Ille, vt erat contemptor terrenorum, atque cœlestium appetens, cùm se capessiturum iussa pollicerétur; tria è conuerso, quæ impetranda exoptaret, manifestauit; primum Ecclesiæ, & populo Christiano; secundum sibi; tertium parentibus, & propinquis suis, siue defunctis, siue adhuc superstitibus: & pro Ecclesia id vnum exorauit, in quo omnia collegit: ne Alexander ex instante sibi morte remissiùs ageret, quin cuncta prouideret, curaretque, velut si tunc inciperet, non aliter gloriosè consummandus. Pro se, vt Reliquias Sanctorum Sebastiani, & Fabiani, aq Pontificis Stephani, quos specialiori deuotione prosequebatur, mereretur accipere, accensuras teporem solutæ mentis, ac Sanctos sibi vel gratis conciliaturus. Demum pro suis, & viuis, & defunctis proportione seruata, plenaria Indulgentia, atque omnium peccatorum, pro singulorum capacitate remissio concederetur. Ad hæc Alexander, In primo, ait, curabo nihil omittere: sed, si dederit Deus, tibi ad hoc etiam impensiùs exorandus. Secundum, vt maiori consilio dignum, non aufero; sed differo, in alio die decentiùs peragendum; tertium, hac ipsa hora cunctis indulgeo, pro quibus exorasti, atque ô vtinam cunctis prodesse possit! Ista tunc Pontifex. 5.

Ast dum Galganus Romæ demoraretur, prope Clusdinum odia, insidiæque, prævalente inuidia in virum Dei, ac totius offensionis fomes seminabatur. Nam quis ille patrator miraculorum, reuelationum author, susceptórve? nónne is ipse Galganus, quem paulò antè cæteri prodigentiæ, ac luxus, & aliorum vitiorum insimulabant? An hodie crederent Angelis sociatum, quem heri fœdum per vitia conspexissent? An meretricum illecebris abstractum, Deus miraculis, Sancti apparitionibus, ac mundissimi illi cœlestes Spiritus illicò dignarentur suo alloquio? Quin magis crederent illusum, aut illusorem: siue hoc tantùm crimen restaret adhuc, quod nunquam admiserat; 6.

ferat: siue illam pernam iussè patereturquam per alia flagitia promeruisset; laxatsu hactenus habenas delictis hominum, quæ cùm exhauserit, ad diabolica transire: siue ex superbia adorationem ambiat, quam non meretur: siue se tenebratum harum ministrum, falsò in Angelum lucis transfiguret. Cætera vitia contemptui semper esse, hoc in honore: quippe cui boni æquè, ac mali deferant; hi ?um suspiciunt, quod minùs assequentur; illi, dum quærunt virtutes, quas imitentur. Neque vllum aliud bonum appetibilius, quàm id, quod Deus sibi reseruauit, honorem, & gloriam. Sed neque magis alienum à sorte hominum. Quòd si hanc gloriam Galganus non captaret, cur in eremo sua non delitesceret? cur venientes ad se lætus susciperet, gratus alloqueretur? Aut, cur inuentus alibò non diuertisset? Atque hæc, & similia non sæculares, non homines mundani disseminarunt; sed, proh dolor! pseudo-Religiosi, Ecclesiastiçique, quos similis ambitio præcipitabat.

7. Ergo hi inuicem seipsos stimulantes, adire montem, operiri Galganum, fugare, occidere, aut quoquo modo scandalum Prouinciæ de medio tollere per speciem pietatis deliberarunt: & perrexerunt vsque ad montis verticem, Ædem sacram, tugurium, & duris cautibus alte defixum gladium, non secùs ac Galganum ipsum denastaturi. Ast vbi inde Galganum discessisse, & se frustratos, ac vacuos agnouerunt optata præda, conuersi in tuguriolum, demoliri, quatere; dein supposito igne etiam incendere: & quò in habitatorem minùs poterant, eò acriùs desæuiebant in habitaculum. Quin gladium, in quo Crucem venerabatur, miraculo illustri petræ infixum manu sacrilega euellere, confringere, fragmina circum spargere, quò nulli vsui maneret, non dubitarunt. Tum verò, illis de monte descendentibus diuinam affuisse vltionem, traditio est, seuerum satis, piaculi in Galganum admissi vindicatricem: nam Sole, & cœlo sub obscuris tenebris factis, ac dira tempestate velut suppressis, cùm tres facinus impium commisissent; alter occubuit diuino fulmine ictus; alter in aquis ad radices montis labentis riuuli sine aqua submersus; & tertio tandem vrsus obuiam factus, brachia priùs, queis scelus commisisset, deinde vitam morsibus ademit. Et dicuntur vsque hodie permanere, ostendique in Monasterio sacrato Beato Galgano ad memoriam miraculi, ipsa brachia aualsa, carnosa, & cruentata, quasi nunc recèns scissa dentibus vrsi. Producuntur & in huius euentus confirmationem Officij fragmina, quo Sanctus Dei Confessor coli consueuit. Nam in quodam Responsorio canitur: *Dum sit absens, aliquorum corda fremunt malignorum, pro pessima inuidia.* & in versiculo:

Hos ad locum accedentes,
Eusem fractum relinquentes,
Dei ferit sententia.

Et item in Hymno:

Fit mucro Crux cùm figitur
Ab improbis, sed frangitur:
En morte praua peraiti
Simul hi cito post inuidi.

8. Interim Romæ, reuelata cuncta Galgano, per Michaëlem Archangelum, turbationem primùm, mœstitiamque de damnatione hominum, dein reditum eius in Tusciam reparando tugurio, & gladio resarciendo sollicitarunt. Itaque iterum Alexandrum Papam conueniens, Reliquias Martyrum, benedictionémque, queis munitus rediret, supplex exposcit. Verùm, cùm Pontifex in voce crebros singultus, in oculis lacrymas, atque in vultu mœstitiam perpendisset: Et quæ noua occasio, (ait,) Galgane, animum tuum turbat, & præmaturum reditum persuadet. An loca sancta tam citò iam fastidis, quæ concupieras? An tibi in Curia Romana aliqua displicent, quæ penitùs desperes corrigenda. Ille prius obumbrans angorem cordis; sed mox cùm obedientia compelleretur, detegens cuncta, quæ ab Angelo audisset, timentémque antea pro se, & pro sua Curia reddidit timidiorem. Summum Pontificem de ipsius Galgani viæ, vitæque, atque reuelationum, quas passim præferebat, securitate. Nam, quis Galganus, cui cæteri inuiderent? in quem desæuirent? cuius vt corpus perdere non possent, in tugurium, & gladium præcipuè Religiosi debaccharentur? tum, quod magis mouebat mentem Pontificis, quis, pro quo Deus tam seuerè vindicaret? olim Deum vltionum appellatum; quia seuerum, quia citamq, quia vitibilem de pluribus peccatis vindictam sumeret; nunc suppliciis pœnitentiam expectantibus, vel nisi in alia vita tardò inflictis, Patrem misericordiarum, & totius patientiæ cognominari. Quantò magis in Deum deliquisse, qui Apostolos, qui Martyres, qui recèns nunc ademptos Sanctum Thomam, qui Gerardum Abbatem illum in medio templi, hunc in vestibulo, duplici sacrilegio trucidauissent. Nec in hos tam vitibilem vltionem: sed neque finem sequuram, tempore vtique concesso, quo resipiscerent. An Galganus ante annum conuersus, vtroque maior; an illius tugurium, gladiusve charior Deo, quam vita vtriusque Sancti, vt celeriori, & manifestiori supplicio vindicarentur? Tum in Galgano gladius pro Cruce fuit, quandiu aliam non habuit in solitudine, cùm plures suppetant longè decentiores, quæ semel concidit, & fortè formam amisit, in quem finem vltrius reparetur: an vt præteritæ vitæ lenitates reuocet in memoriam, à quibus possit vel in desperationem, vel in reincidentiam præcipitari? Quid, si per speciem Religionis superstitiosus; quid si illusus (nam illusorem non credebat) inueniretur?

9. Hæc, & similia perpendens Ecclesiæ Pastor manere iubet, nec curare insomnia, quæ fortè non mereantur aliquam fidem. Esse in Ecclesia Dei reuelationes; sed, quæ non facilè, vel à vitis doctis dignosci valeant; nedum ab homine penitùs idiota, & quem facilè fallat quæuis illusio. Esse miracula, sed quæ tantùm contingant Viris sanctissimis. Relinquat veraque aliis, qui promeruerint: sibi sufficere, si in humilitate, si in obedientia vsque ad mortem permaneat, nil altum sapiens, nihil insolens credens; sed no mediocribus quidem consensurus. Recorderur præterita peccata, quæ impunè commiserit; nec quę commissa in ipsum, vel absentem, tam cito puniat. Confidat multùm de Dei misericordia, sed timeat interim iustitiam, quam pronocauerit: & sciat se obnoxium deceptionibus, quibus permitti possit, atque a quibus se petat liberari.

10. Verba Pontificis Galganum contristauêre: non quòd videret illusorem se, aut illusum existimari; sed, quòd timeret esse, & nec conscientiæ suę satis fideret: quauis certæ de primo; nec dubitante Alexandro de secundo, tutum sibi censeret non formidare. Itaque ad lacrymas versus, & orationes, non se permitti decipere, non decipi; illuminari potiùs, docerique, qualiter emendandum, si quid errabat, cum timore, & tremore deprecabatur. Hæc maior tribulatio Viri Dei; cui vni nisi citiùs pertransiisset, fortè succumberet, qui reliquias, quantuncunque graues, vndecunque emergentes aspernaretur. At non permissus diutius tribulari: sequenti nocte, quem habebat custodem de Cœlo datum, Michael Archangelus Alexandro

Papæ

Papæ apparuit, Et vera, inquit, sunt omnia, certaque, quæ à Galgano audisti: ne dubita. Quin diuinæ virtutis ostentum foue, (verè Vas electionis,) & neque inuitum retine: nec vacuum ab his, quæ petiuit, abire sine. Hæc tantùm Spiritus. Ast Alexander vocatum ad se Sanctum solatus priùs, atque in spem certam erigens, dein donatum Reliquiis, quas exoptabat, remisit in Thusciam; pro se, & pro commisso sibi grege Christi preces ad Deum continuas profusurum. Verùm, quid ex tunc egerit Galganus, sequenti capite, commodiùs referemus.

---

1. *Mors Alexandri, Lucisque successio.* 2. *Galganus rediens de mutando loco deliberans,* 3. *retinetur ab Angelo, & noua ibidem miracula experitur.* 4. *Deum ob frequentiam ipsum adeuntium, mortem à Deo petit, impetrátque* 5. *in habitu Cistercy; tribus illuc Abbatibus appulsis, cum multis Monachis, duobúsque Episcopis.* 6. *Perpensum pelagus prædestinationis.* 7. *Celebratæ solenniter exequiæ; replicata miracula.* 8. *Dein Capella ad sepulcrum eius erecta, per nostros ibi perpetuò permansuros.* 9. *Actum de Sancti canonizatione, & de quibusdam aliis remissiuè.*

CAPVT V.

1. REMANSIT Alexander Romæ vicinus morti, quam, siue iam instantem naturæ legibus, seu precibus obtentam, obiit mense Septembri, cùm sedisset annos viginti duos (minùs
a *ad hūc anr.* diebus septem, ait Baronius [a]) vir doctus, & sanctus; & qui pro qualitate temporum, & schismatis diuturni pertubatione, satis vtiliter Ecclesiam administrauit. Successit in Pontificatu Lucius III. Humbaldus anteà dictus, de quo ista Baronius hoc ipso anno: *Post obitum Alexandri, Lucius III. natione Etruscus, Humbaldus nomine anteà dictus, Cardinalis Episcopus Ostiensis, vir grandæuus admodum, (inquit Vuillelmus Tyrius,) & modicè litteratus, patria Lucensis, quarto Kalendas Septembris creatus est Romanus Pontifex, idémque postridie coronatus.* Atque hæc satis de vtriusque successore. Lucij electioni Henricum interfuisse Cardinalem Episcopum Albanensem ex Claraualle assumptum ab Alexandro, necnon Albertum, Cistercij etiam alumnum, Sacræ Romanæ Curiæ Cancellarium, Chaconius in Lucio, aliique omnes affirmant.

2. Ast Galganus ad locum suum reuersus, cùm tugurium combustum, & adhuc fumans, quod ad miraculum vertunt ipsius Acta, & gladium (Crucem suam) de petra auulsum, atque in frusta consciissum conspexisset, quasi non priùs ab Angelo præuentus, humanum passus, vtranque iacturam plùs nimio deploranit. Tum verò ipse excessus sibi conscius, ac se his adhæsisse vltrà permissum perpendens mente, locum simul, & chara sibi pignora deserere, atque aliò migrare, medius inter volentem, nolentémque, sed propensior volenti deliberabat. Nam, cur terrenis illis adhæreret, qui quærebat cœlestia? Cur tugurioło, & gladio animum daret? Non aliter obesse diuitias futuræ gloriæ, quàm quia diuites nimiùm post se trahunt: vnde non ipsas, sed amorem earum Psalmista carpit [b]: *Diuitiæ, si affluant, nolite cor apponere.* Quòd si quæ humana impensiùs appetantur, mutari materiam; sed obstaculum idem permanere. An sponsam, matrem, propinquos, amicósque; an omnia commoda terrena contempsisset, vt gladio inhæreret? an generosam domum, gazasque, vt tugurij iacturam non toleraret? Esto in gladio nihil aliud æstimaret, nisi quam præferebat Crucis imaginem; an non aptior ex lignis, similiórque ei, cui Christus affixus? Quòd si miraculum, quo silicem, vt ceram penetrasset, venerabatur; quantò securior humilitas occulta, virtute per miracula vulgata? Veniebant alij, videbant, venerabantur: verùm hæc, quid ad ipsum? An gloriam mundi fugit, non vt careret; sed vt ipsa fugientem sequeretur? Pereat potiùs miraculi memoria, qua non permittitur inglorius permanere.

b Psal. 61.

3. Hæc, & similia Galganus mente, reuoluens, cogitabat discessum; cùm ecce vox ad eum de Cœlo facta, manere iussit, & quæ perierant, qua posset reparare. Tum verò ipse fragmenta gladij colligens, velut experimentum facturus cœlestis oraculi: Deus, (inquit,) si sic placitum est ante te, hæc frusta reintegra. Nec dum benè orationem suam compleuerat, cùm ecce stagmina sibi cohærentia, ac suis inserta locis, coaleseunt in gladium, nullo relicto signo fractionis: atque hoc item miraculum, ob sui magnitudinem, non secùs ac de Beato Patre Benedicto capisterij resartio, in vna ex Antiphonis Officij commemoratur:

Te decet Hymnus hodie,
Galgani vocem audiens,
O Rex æterna gloria,
Fractum ensem reficiens.

Restituit filici gladium Vir Beatus, & pro tugurio, quod ignis absumpsisset, de tabulis à se, vtcunque delatis, fabricauit ædiculam rotundam, ad instar eius, quam Romæ conspexisset Beatæ Mariæ dicatæ sub eo nomine: vnde in eodem Officio alibi dicitur:

Construxit cellulam
Galganus paruulam,
De lignis humilem,
Rotundæ similem.

Sic, quæ, dum Romæ peregrinaretur, Vir Dei amiserat, cum lucro recepit, eò semper humilior, quò glorioſior.

4. Interim ex horrendo supplicio malignorum, qui sanctam eius mansionem igne combusserant, atque gladium perfregerant, simul & ex vtriusque (& huius cum miraculo ingenti) reparatione, vulgante fama aduentum Beati Viri, cùm ab omni vndequaque Prouincia, quin etiam ex remotis visitaretur; cùm populi deuotio, crebra miracula in obsessos, & ægros: miracula concursum sollicitarent, qui paulò antè miraculorum locum, memoriámque, ob quæ frequentabatur, voluisset fugere, nec Oraculo cœlesti permissus esset, dissolui tandem, essèque cum Christo, qui vnicus restabat fugiendi modus, & ardèter optauit, & à Deo petiuit enixis precibus; non quasi sibi meritorum conscius, quæ breui vnius tantùm anni spatio, respectu peccatorum totius vitæ, aut nulla, aut multò inferiora esse sciebat; sed timens magis à gloria temporali; & quia aliter non posset, saltem

cum

cum vita, sentiens desenendam. Quæsierimne antèà Cistercio fungi, in dubio est; nec lego in eius Actis: quàuis quibusdam Sanctis Eremitis non professione, sed quadam veluti arctioris vitæ similitudine, sociatum videbam. Certum, cùm exauditus hoc ipso anno, circa initium Decembris consummaretur, adductos illuc Cistercij tres Abbates, de quibus suprà, à quorum altero (Abbate Casæmarij) cuculla indutus, nostram Familiam vel moriens illustrauerit.

5. Ergo Galgano mortem despiciente, duo Episcopi primùm, Volaterranus, nimirum, & Mesanensis; mox dicti tres Abbates, & cum eis multi Monachi affuêre, & neutri quidem venientes ex condicto; sed prouidentia diuina omnes adducti, quo funeri assisterent, & tanti Viri exequias celebrarent; Abbates, vt Cistercio etiam vnirent, Volaterranus Prouinciam suam visitans, Mesanensis pertransiens, & Senas pergens, cùm casu conuenissent, inter alia Galganum commemorarunt; & Diœcesanus, Non longè (inquit) abest ab hoc loco Sancti inhabitatio, quem, si potuero, rediens visitabo. Tum Mesanensis: Quidni proximum loco visitemus vterque, & eius nos commendemus orationibus? Ergo vterque diuertens ab itinere, ad radices Montis, dein ad culmen. Mox aberrantes Monachi, & Abbates, cùm certam viæ rationem ab illis quærerent, Episcoporum exemplo prouocati, nec minùs auidi videndi Virum Dei, paruulam ædem, vnius hominis hactenus; sed iam tunc Angelorum habitationem, qui morienti assistebant, animam sanctam in Cœlum deducturi, deuoti intrant, atque Angelis admixti, lacrymas inter, & gaudia spiritualia circunstant hominem in ipsa morte alacrem, & se velut ad thalamum parantem ad sepulturam. Solam vestem nuptialem sibi deesse, quam semper optauisset, Cistercij habitum, in quo à Beatis Benedicto, Bernardóque, communis velut filius, susciperetur; nec aduentasse frustra illuc Abbates, à quibus ea veste donari posset. Id genus vitæ suasisse, & persuasisse tenellæ virgini sibi desponsandæ, nisi ambo de Cœlo præuenti essent; sibi, vt peccaris suis exigentibus, hactenus denegatum, sic diuina clementia disponente, vt cernebat, concessum id genus mortis. Non reiiciendos, qui venirent hora nouissima: quos Pater ille familias pares faceret his, qui portassent pondus diei, & æstus. Dixit, & ab Abbate Casæmarij cuculla donatus; nec satis constat, an votis etiam emissis, & admissis egredi properantem felicem animam securus efflauit, ab Angelis in Cœlum deducendam. Obiit mensis Decembris die tertia, cùm montem illum ante annum ascendisset, eiusdem mensis quinta, vt non integrum in illo consummauerit. Obiit autem ætatis suæ XXXIII. ex quibus vltimum peregit in eremo, in sæculo reliquos, tot planè in illa miraculis coruscans, tot virtutibus micans, quot in hoc vitiis.

6. Cæterùm mihi hoc altiùs contemplanti, occurrit pelagus diuinæ dignationis, & comprobatum illud euangelicum [c]: *Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.* Certè Galganus vna tantùm hora, id est, vno anno vitæ laborauit; & nihilominùs miraculorum frequentia, reuelationum varietate; donorum, & gratiarum multitudine, quæ sunt indicia excellentis sanctitatis, vix magnis illis impar inuenitur, qui ab infantia suaue iugum legis, & consiliorum pondus sustinuerunt. Quippe ab ipsis primordiis conuersionis, Angelis familiaris, hominibus admirabilis, Dæmonibus terribilis, cunctis naturæ legibus superior, & velut habens orationi subiectam omnipotentiam in cunctis mirabilium patrator inueniebatur. Nec dubium, multis post longæ vitæ merita, fortè & post innocentiam continuatam per plures annos, denegata hæc: sed omnes velut lutum in manu figuli; neque est, qui possit quærere: Quare me fecisti sic? Verùm hæc alias. Nunc reliqua Galgani prosequamur.

[c] Matth. 12.

Officium funeris Episcopus vterque, atque Abbas Casæmarij, recèns defuncti Pater, assistentibus reliquis, maioris causa honoris perfecêre: concurrente etiam plebe innumerabili, siue infirmos, obsessósque à Dæmonibus, adducente ex more, Sancti benedictione, quem mortuum ignorabant, liberandos; seu illa die præ aliis plures attulit interna quædam vis, quam nec ipsi cognoscebant, qui experiebantur. Constitit, nec in ipsa vrbe Senensi celebriorem concursum potuisse fieri; nullo ad exequias Sancti conuocante, nullo conscio felicis illius transitus: sed nec languoris, aut infirmitatis, quæ præcessisset. Tum nullum ex infirmis, qui conuenêre, leprosis, vulneratis, contractísque, atque variis laboribus detentis, sine optata salute discessisse. Quasi iam tunc comprobaret Deus post mortem, quæ Galganus patrasset, dum adhuc viueret. Corpus eius sepulturæ mandatum est, in ea parte montis, in qua miraculosus ipsius gladius, qui signum Crucis viuenti retulerat, defuncto præferret. Is honor gladio, is Sancto habitus fuit. Portò de sepultura, & sanitatibus hæc minùs culta in Officio eius leguntur: *Incerta spatium, eius corpus honorifice sepelitur, qui multis subuenire non dubitauit.* 7.

Cæterùm, cùm miracula crebrescerent, & ex miraculis populi concursus adaugeretur, qui Cistercienſi cuculla morientem induerat, Casæmarij Abbas, sepultum etiam honorare curauit; fabricata Capella, forma rotunda, ad instar eius, quam ipse constituxisset, quæ clauderet sepulcrum; & deputatis ex Conuentu suo Monachis, aut forsan vtiùs accitis ex Clarauallè, qui ad corpus Sancti excubias continuarent. Nec Diœcesani Episcopi consensus, aut adeuntium fidelium eleemosynæ defuerunt nouo Operi, quin contulêre omnes, ita vt breui ab Abbate consummaretur. Qualiter autem crescente deuotione, largitionibúsque, numerus Monachorum item creuerit, ac Domus post annos sexdecim plùs minùs, quamuis alij differant, ad montis radices in Abbatiam surrexerit, sub inuocatione Sancti Galgani, quæ centum octuaginta Monachis, nec Conuersis paucioribus insignis, multo tempore Tusciam illustrauit: item de capite à corpore auulso, atque Senas translato, cum reliquis, quæ sequentes annos concernunt, suis locis, Deo dante, dicturi sumus. 8.

Interim, quod ad canonizationem Galgani attinet, quantis de ea non liceat dubitare; obscuram tamen, nec firmam apud Authores satis ostendunt varietas eorum, & implicantia. Rolandus Pisanus, quinto post mortem anno tradit virum adscriptum Sanctorum Canoni. Gregorius Lombardellus statim à morte, cùm Pontifex ab Abbate Fossænouæ, dum ad propria rediret, de cunctis doctus, consultis Cardinalibus celebrandum sanciuit illius Festum. Sed dum vterque ab Alexandro factum constanter affirmat, qui proculdubiò obiit ante Galganum, totius narrationis eneruat fidem. Crediderim à Lucio Papa concessum illius Festum, crescentibus miraculis, atque totius Italiæ acclamatione. Celebrabatur cum Officio proprio (quod an modò canatur, mihi non constat,) ex quo desumpta pleraque, quæ hactenus de ipso commemorauimus. Id ab aliquo Monacho compactum, ex his, qui illuc venerunt, ex Casæmario, coniicit Lombardellus; neque deest fundamentum coniecturæ. Memoratur & in Martyrologio Roma- 9.

no

no ipsa, qua obiit die, Decembris tertia; qua etiam in Monastico describitur ab Arnaldo Vvionio, atque Hugone Menardo, & ab Henriquez in suo Menologio. Eius redegit vitam ad compendium Philippus Serratius de Sanctis Italiæ. Itémque Author descriptionis ciuitatis Senensis, inter Sanctos illius territorij. Qua autem ratione Augustinus Dathus Senensis eundem Galganum Cistercienſis Ordinis amplificatorem appellet, mihi non satis constat. Nisi fortè respexit ad Monasterium, de quo nos suo loco acturi sumus: *Et ne Galganum*, inquit, *Cisterciensis Ordinis amplificatorem commemorarem Cœlitem gloriosum, cuius tam præclare apud nos extant Reliquiæ, cuius sacrum verticem cum capillis, & antè quasi viuentis, tum in duro silice fixum gladium omnes plurimùm admirantur.* Demum, quòd lego in Claraualle pictum sub habitu Conuersi, quem Abbas Cæsarius cuculla induit, suspectum est: nisi fortè Eremitam, qualemcunque, cappa, quàm cuculla decentiùs designare Patres nostri censuerunt, in quo facilè eis succenturiabor.

---

1. *Sancti-Prudentiani Cistercium primùm recusant:* 2. *mox admittunt.* 3. *Donatio loci Rutensibus collati;* 4. *perpensa verba,* 5. *& dictum de donatore.* 6. *Quale Sancti Prudentij olim Cœnobium:* 7. *à morte Sancti,* 8. *miraculo illustri,* 9. *ditatum pretioso thesauro* 10. *sacri corporis;* 11. *atque à Pelagio constructum eius nepote.* 12. *Descriptio situs satis admirandi.*

CAPVT VI.

1. PRÆCEDAT fundationes præsentis anni Rutense Monasterium, translatum loco, & in ipsa translatione locupletatum exuuiis Sancti Prudentij, atque inde iam ab ipso denominandum. Translator Domus, idem qui Fundator Didacus Ximenius, vtrorumque Camerorum Dominus: nam frater Petrus sine liberis decedens integrum ei dominium adiudicauerat. Suberat patrocinio eius Ecclesia vetus, Canonicorum Regularium curæ commissa, in qua à sexcentis, & eis ampliùs annis, Sancti Pontificis corpus custodiebatur. Quominùs illuc Cistercienses induxisset, olim recèns adductos è sacris mœnibus: obstitère Canonici, quibus aut turpe, aut durum videbatur, vel discedentibus deseruisse Sancti corpus; vel remansuris subdidisse colla Cistercij iugo. Non de facili præferendos sibi aduenas, præsertim post sexcentos elapsos annos, quibus nunc sub Principibus Christianis, nunc sub Barbaris, tot bellorum incursibus afflicti, nihilominùs thesaurum sibi creditum, non minùs piè quàm fideliter seruassent. Pelagium Archidiaconum, non Monachum, nec Monachis; sed Canonicis, & Clericis condidisse Cœnobium: eisdem Ramirum, eisdem Sanctium Reges, possessiones largitos, queis non decere modò defraudari. Alia Monasteria (fortè etiam Monachorum) transiisse in suos, se nunquam in alios: sed neque, si Deo placeat, transituros. Hæc, & similia inexorabiliter iactantes, eminus respuebant, quod vix agnouerant.

2. Ast vbi cominùs Rutenses adspexisse (tribus milliaribus distat vterque locus) atque occasione communium Patronorum inuicem se hospitio recipientes, in familiaritatem notitia transiit; illicò sanctimonia vitæ illecti, & puritate doctrinæ quasi attracti, paulatim emolliti, homines prædicare, amare, colere, & iam non de ablegando à se Cistercio; sed magis de admittendo deliberabant. Decesserat Raymundus, Rutensis Abbas, cui vir prudens, & mitis Lambertus suffectus erat. Canonicis præsidebat Ignatius, siue Inigus; ex eis vltimus loco præfuturus. Hos inter denò collata mutua consilia elicuere pactionem, vt Canonicis sponte discedentibus, Ximenius aliud prouideret Cœnobium æquè commodum, & rebus omnibus necessariis æquè abundans: Rutenses prioribus terminis retentis, & cura per colonos eis adhibita, Sacratium Sancti Prudentij ingrederentur. Quod anno Christi M.C.LXXXI. à primo aduentu Monacho-

rum è sacris mœnibus XIX. constat contigisse. Rem totam à Tabulario peruetusto eiusdem Monasterij, certè scripto ante ducentos annos, Hispano, sed corrupto nimiùm sermone, habemus acceptam: vbi hæc inter alia: *En el tiempo deste Abad D. Tenigo saco Don Diego Ximenez los Calonges de aqui, e dioles, en que viesssen, e aduxo los Monges, que moraua en Ruet, e guiso con la orden queste Monasterio fuesse Abadia, por reuerencia de Senor S. Prudencio: e que en el fuessen Monges.* Hactenus ibi. Errat ergo Yepius [a], qui pri- [a] cent. 5. an. mat Monachorum olim Cœnobium, quòd Canonicos 950.
constat incoluisse.

Hac conuentione facta cum Canonicis, Illustris 3.
Princeps Didacus Ximenius, Lamberto, & Fratribus donauit Monasterium, confirmata instrumento donatione, cuius exemplar ita habet: *Cum mundus, & vniuersa, quæ in mundo sunt, velut vmbra celeriter pertranseant, magna Dei bonitatis gratia illuminantur, qui largitate verum temporalium gloriam meretur æternam. Propter hoc igitur Ego Didacus Ximenez, cum vxore mea Guioma, & sororibus meis D. Vrraca, D. Teresa, D. Sancia, & D. Maria, & cum omnibus filiis, & filiabus nostris, nullo cogente, vel violentiam nobis faciente, damus, & firma donatione concedimus ad honorem Dei Omnipotentis, & gloriosæ Mariæ semper Virginis, Ordini Cistercienſi, & vobis Lamberto Abbati, cum Fratribus vestris, tam præsentibus, quàm futuris in Ordine Cistercienſi permanentibus, sine permansuris, Sanctum Prudentium cum omnibus pertinentiis suis, &c. Est mirandum, quòd si vir, vel fœmina de genere nostro ad tantam paupertatis peruenerit, vt omninò non habeat, vnde viuere possit, victum, & vestitum de pannis, quibus vtuntur Monachi, percipere liceat, in loco, quem Abbas disposuerit, tali tenore, vt dum vnus, vel vna viuerit, alter, vel altera succedere non possit. De cætero volumus, vt Abbatia, & Conuentus ibi constituatur, vbi corpus Sancti Prudentij Confessoris quieuisse creditur, & vt deinceps vsque ad finem libera sit, & ab omni remota impedimento seruilis conditionis iuxta formam Ordinis Cistercienſis, &c. Facta charta in Iubera 4. Kalend. Septembris, Æra M.CC.XIX.*

Berengarius, Archiepisc. Tarraconensis, confirmat.
Rodericus, Episcopus Calagurritanus, confirmat.
Ioannes, Episcopus Turiasonensis, confirmat.
Petrus, Episcopus Pampilonensis, confirmat, &c.

Hucusque donatio: in qua tamen (vt id obiter 4.

notem) maiestatem cum humilitate certantes videas; cum liberalitate prouidentiam: atque in media prosperitate (quod rarum est) animum non elatum, sed demissum, certè prudentem: quippe vel in ipsa potentia, cui tot obsequebantur Ecclesiæ Præsules, in ipsa etiam rerum abundantia, quæ nullis videbatur cessura sumptibus, nullis largitionibus, non reputauit alienum à sorte hominum, quòd sui omninò non haberent, vnde viuerent. Qua consideratione præmonitus, præsentisque felicitatis gloriam, anticipatæ mendicitatis pudore præueniens, non munificentiam vanitari prostituit, non religionem: vtrumque potiùs eleemosynæ locauit pio coniugio, parcè, ordinatè, & & sapienter elargiendæ. Nunc fundationes Monasteriorum, atque Ecclesiarum Patronatus ambiunt Principes, vt Religio obsequatur; superbia imperet; vt Sacerdotium fiat penè seruile: pactis in gratiam fundantium conditionibus, à quibus nec altaria, neque vasa sacra; non diuina Officia; sed neque ipsum Missæ Sacrificium Angelis adorandum sit immune.

5. Rutensibus sub Abbate Lamberto, Sancti Prudentij Cœnobium occupantibus, multi, magníque viri susceptí ad habitum, virtutibus, & disciplina monastica floruerunt. Inter his Guillelmus Mendocius, Senior dictus, Didaci Ximenij ex Sorore Tarasia nepos, post multos in sæculari potentia annos exactos, nec paucos ex legitimo matrimonio susceptos liberos; mundo tamen ad vltimum vitæ valefaciens, pluribus Monasterio donatis, Monachum induit, piè, & laudabiliter conuersatus vsque ad mortem. Fundator Didacus, sex à translatione Monachorum elapsis annis, non sine magna sanctitatis opinione piè obdormiuit: sepultus in eodem Monasterio; ad quod & corpus Petri Ximenij fratris translatum fuerat, & cum progenitoribus suis Fortunio Ochoacio, & Menzia Infante Nauarræ collocatum. Ad Didaci Ximenij sepulcrum hoc epitaphium sculpsêre maiores inculto carmine:

Militis inuicti lapis hic tegit ossa beati:
Didacus hic quidem erit, si quis de nomine quærit.
Pace Deo charus, belli certamine clarus.
Hostibus inuictus, quoties petit ictibus ictus.
Iudicio iustus, fandi ratione venustus.
Ingenio gratus, claro de sanguine natus.
Vix sex cemena cum monade bis duodena,
Mortuus est, mensis Kalendas quarto Nouembris.
Virtus debet ei diuina ius requiei.

Obiit Didacus Ximenez miles illustrissimus Æra M.CC.XXV. 4. Kalend. Nouembris.

6. Hactenus dictum satis pro instituto de translatione Domus, & noua ad vetus Cœnobium migratione: neque addendum vlteriùs, quid putarem, si non loci ipsius reuerentia, antiquitas, ni Sancti Confessoris Christi exuuiæ, non humano consilio, casúve; sed per ingens miraculum, ab annis mille & ampliùs ibidem conditæ, ibidem conseruatæ (quidquid Nagerenses reclamarent) maiorem sibi lucem postularent. Ergo in hoc capite aduentus sancti corporis, atque Domus initia, in sequenti progressus ex miraculis, ac sacrum corpus in loco conseruatum, quem semel elegit, vt piè credimus, nunquam dimissurum, altiùs multarum Hispaniæ antiquitatum reperto principio, breuiter licèt, pro more refetemus.

7. Sanctum Prudentium, Turiasonensem olim in Aragonia Præsidem, Hispanorum Annales mirè prædicant, signis, doctrina, & virtutibus illustrem. Hunc componendis Episcopo, & Clericis Oxomam euocatum, (nam fortè discordabant,) & iam compositis rebus, discedentem febris inuasit: quam diu inualescentem mors sequuta; mortem, miracula; miracula, dissensio de sancto corpore, & Turiasonensibus, Oxomensibúsque vtrinque certantibus, noua etiam discordias excitabant. Illi reddendum sibi, & suæ Ecclesiæ: nec beneficium Pastoris erga proximos in gregis sui perniciem conuertendum. Sufficere, quòd morienti non adstitit, non clausit lumina, non hausit summum spiritum; non extrema mandata decedentis, neque vltimam benedictionem percepisset. Quid, si ab itinere accelerata senis mors? quid si à negotiis? Isti è contra in eorum Parochia mortuum, ipsis iure deberi sepeliendum. Hunc locum elegisse sibi Sanctum Præsulem, viuum quæsiisse, inuenisse moribundum; neque ipso, mortuum iam esse fraudandum. Non frustra seruatum à Deo vsque ad hæc tempora, adductum Oxomam, & morbo in ea correptum, cùm iam discederet, haud dubium, quin perpetuò ibi mansurum. Turiasonenses viuo fruitos esse: liceret sibi, saltem vel mortuo, frui. Sic concordantibus, qui priùs discordes fuerant, in partes abierunt, qui concordauerant.

8. Præsulem sanctum comitatus fuerat Pelagius Archidiaconus, eiusdem ex sorore dilectus nepos, tum iure sanguinis, tum officij titulo, atque insignis virtutis, inter reliquos præcipuè authoritatis. Hic causam soli Deo credendam censuit Sancti meritis decidendam nouo miraculo: & corpus concedendum illis proposuit, quibus Deus permitteret, à quibus Sanctus se trahi pateretur. Nulla partibus dissentiendi occasio fuit, vel solo ipso dissensu condemnandis. Iniustam quippe causam faterentur, quam Dei vellent iudicio subtrahendam. Corpus in medio Ecclesiæ locatum est: Episcopus, & Clerus Oxomensis, qui primi tem tentarent, designati. Ergo orationibus, ieiuniísque præmissis, inde albis, & pluuialibus induti, circunstant feretrum, supplices manus leuant, conantur tollere: sed feretrum, immobile persistens, nulla vi, nulla arte moueri potuit. Diem integrum consumptum fuisse ferunt sine vllo fructu. Sequenti die Pelagius Archidiaconus, comitantibus his, qui ex Tirasona equum, cui viuus insidere solebat Sanctus Præsul, sterni iubet, stratum sisti præ foribus Ecclesiæ. Ipse cùm suis Ecclesiam mox ingreditur: cuncti in modum coronæ corpus ambiunt, manus feretro iniiciunt, supponunt humeros, quod ea facilitate leuatum est, ac si nihil in eo graue, nihil terreum. Cessêre omnes miraculo patenti: Turiasonensibus adiudicatum corpus est, vel ipso Deo, & Pontifice sancto, ita volentibus.

9. Illi equo, quem strauerant, impositum, non tam referunt in patriam, quam comitantur, in quo quieuerit loco sepeliendum. Id in mandatis acceperat Pelagius, dum patruus viueret. Equus igitur sibi relictus est, atque totius viæ dux electus. Abeuntes, Oxomenses prosequuntur; dubium maiori tristitia, an suspensione; tanti Patris orbati reliquiis, tanto miraculo. Sole occidente intermissum inceptum iter, iterum eo oriente repetendum. Sic præeunte equo, aliis sequentibus, tandem ad flumen Lezam peruenêre, tertio lapide à præcipua Rinogiæ vrbe, olim Iuliobriga, nunc *Logrono* incolis dicta vulgari nomine. Sunt prope Lezam præminentes scopuli, ingenti mole in paucis memorabiles: *Pena Turce* vernacula lingua incolæ dicunt. Nec cœlum ab eorum cacuminibus, neque à radicibus Infernum tuta putes: ea altitudo inaccessæ rupis est, ea profunditas vallium inter abrupta. Hanc Hispanorum gloriis dedestinatam, quòd mox subiungam, voluit Deus longè antè sacrare Prudentij corpore.

10. Equus, transmisso vado, conscendit rupem vix sequi audentibus his, qui sequebantur: inuia nanque iumentis,

iumentis, & hominibus, feris tantummodo peruia noscebatur. In medio rupis antrum quoddam fuit, non artis, sed naturæ opus mirabile, Prudentij exuuiis paratum ab orbe condito. Huc simul ac peruenit, antrum ingressus, dubiúsque inter fatigatum, & reuerentem; humili genuflexione in terram procidit; & quasi muneri suo satisfeciſſet, emeritum se exonerari petiit facta sarcina; diuino nutu ibidem recondenda. Hæc requies Sancti Viri ossibus fuit, declarante Pelagio mandata patrui, vsque ad hæc tempora omninò imperturbata, & vt speramus in finem permansura. Porrò, quod ad rationem temporis attinet, facta sunt hæc anno Christi D.LXXXVI. sub Leouilgido Rege Hispaniæ, & Galliæ. Erant, qui ad tempora Diocletiani, & Maximiani gesta referunt, sicut & qui Prudentium Sanctum Præsulem cum Aurelio Prudentio Poëta confundunt: peius Marieta, qui ad annum Christi milleſimum centeſimum vigeſimumſextum debili prorsus ductus coniectura. Sed quod attinet ad annum:

b *lib* 1.*ep.* 29. & *sequent.*

Sanctus Prudentius (inquit Marcus [b] Maximus eiusdem temporis, eiusdem Regni Scriptor fide dignus) *Episcopus Turiasonenſis, Oxoma moritur, anno D. LXXXVI. succedit illi in eadem Sede Stephanus*, &c.

10. Hactenus corpus Sancti terræ mandatum: ad cuius tumulum Pelagius Archidiaconus, relicta dignitate, quo patrui sui reliquiis adhæreret, Cœnobium sibi cum paucis struxit Clericis, sub Sancti Martyris Vincentij aduocatione. Id initium Monasterij Sancti Prudentij, (sic nunc vocamus à Sancto ibi sepulto,) in quo idem Pelagius vitam transegit, neque post mortem à patruo separandus: quippe sepultus in eodem antro ad pedes Sancti, rudi pro tempore, sed maiori ex parte historiam continente, vtrique superpoſita inſcriptione. Atque hoc exemplar Epitaphij Sancti Præsulis:

Sic fuit in mundo prudens Prudentius iſte,
Corde quòd ex mundo ſeruiuit Rex ſibi, Chriſte:
Morte dolet cuius Taraſonia Præſulis huius
Facta ſtupenda canet, quo viduata manet.
Funus ſacratum, non mortali duce latum,
Sed proprio mulo condidit hoc tumulo.
Quem ſepeliuit ita Pelagius Archileuita,
Vel conſobrinus, quem dedit huic Dominus.

Exemplar verò Epitaphij Archidiaconi Pelagij tale est:

Continet hac petra, quem non poſſunt mea metra
Commendare ſatis, propter pelagus bonitatis.
Pelagius dictus, quem mortis ſuſtulit ictus:
Archileuita bonus, factor domus, atque patronus.
Viuum nutriuit Taraſonia, nec ſepeliuit:
Nam voluit patruo ſe ſociare ſuo.

Hæc de primordiis vetustiſſimi Cœnobij, quod ante mille annos constructum, duo perpetua miracula illustrant; certè miranda, aut magis stupenda. Cœnobium ipsum in procliui positum, & nec modicùm lubricans, aut deuians, surgentibus à Meridie muris altissimis, à Septentrione nullis: quippe rupes pro muro ex ea parte: (ea inæqualitas totius loci est; ea æqualitas surgentium scopulorum:) & rursus immania saxa, quibus subest, omninò pendula; tot centenariis annorum non abscissa; &, si abscindantur, Domum obruitura. Supra fidem vtrunque videretur, si non in confinio quatuor Regnorum, Galliæ, Castellæ, Nauarræ, & Aragoniæ, omnibus se spectandum exhiberet. Sed de his satis. 11.

---

1. *Clauigiana victoriæ parta à Ramiro: 2. gloriosa occasio: 3. conflictus, & euentus miraculosus: 4. vestigia belli, 5. & de spoliis dotatum Monasterium vicinum Sancti Prudentij, 6. & Sancto Apostolo Iacobo concepta vota, 7. quæ hodie soluuntur. 8. Subiectio Monasterij Sancti Prudentiani: 9. dein exemptio progressus, 10. & incrementa ante Cistercium.*

CAPVT VII.

1. DIximvs fundationem miraculosam nascentis Monasterij: nunc dotationem miraculosiorem ex Clauigiana clade, (neque enim quid in loco non illustre,) & quos habuit progressus prosequamur. Hispaniam Roderici Regis culpa, & Comitis Iuliani proditione à Mauris inuasam circa annum Domini D.CC.XIV. à morte Sancti Prudentij C.XXVIII. ex Historiis nostris habemus compertum. Quin & nos ipsi post nongentos annos ab ea clade adhuc reliquias Maurorum passi sumus; vix tandem Philippi III. decretis, seu potiùs armis expulsas à nostris finibus. Hinc multa, clara aliàs, illius ætatis nostram notitiam prorsus euaserunt. Quippe Christianis præliari, quàm scribere in pretio magis; & Barbari, si quæ inueniebant scripta, quasi suæ superstitioni contraria, concremabant. A fundatione Cœnobij per Pelagium, ad tria ferè sæcula, nulla prorsus illius memoria extat, nisi quòd inuiolatum à Mauris creditur (seu loci asperitatem fastidientibus, seu Numen, quod inesse putabant, venerantibus) sub fidelium custodia permansisse: sed re angusta, & in arcto omninò posita, Barbaris vitam precariò concedentibus, nec fortè sine pretio concessuris. Sic vsque ad annum D.CCC.XXVII. peruentum est, quo infame tributum centum virginum à Maurègato pactum, solutúmque, recusante Ramiro, resumptum bellum insolitam Saracenis cladem, nostris victoriam, Ramiro Regi gloriam singularem, & tandem Canonicis Monasterij Sancti Vincentij attulit libertatem simul, & dotem.

2. Ergo Ramiro ignominiosum visum de re turpissima interpellari initio Regni. Nec satis suæ gloriæ datum iri, si lacessentes tantùm repellat hostes, nisi etiam inuadat. Primum illud à prædecessore Alfonso factum, & sanè feliciter, non omninò repressisse Maurorum animos: bellum tum maximè hostibus inferri, cùm illos quærit, æquè passuros à propugnatoribus; nec minùs suis copiis vastandos, quàm inimicis. Denique (quod tunc solùm verum fuit, quia reuerà in Hispania alienum nihil) sua defendere priuatæ laudis esse. Regiam Maiestatem decere aliena inuadere. In Riuogiam irruptio facta est Barbarorum dominio subiacentem. Abderramenus Virginum oblitus, & bello, & armis penitùs intentus, innumerabili exercitu collecto Riuogiam aduolat, Ramirum,

mirum, si daretur, compressurus. Castra castris collata sunt ad Albeldam oppidum, planitie ferè ad Clauigium continuata, loco in cacumine sito Rupis Turcicæ. Atrox, & saeua pugna vtrinque fuit, victoria in Mauros nimiùm inclinante, quominùs vincerentur nostri, nox effecit, tenebras pro muro opponens Maurorum ictibus.

3. Ramirus Rex imminutas numero copias, & datis mutuò, acceptisque vulneribus, fatigatas, aut debiles ad Clauigium traduxit, vbi pro temporis angustiis munito loco, & vulneratis, ac sauciis cura adhibita, noctem insomnem, dubium, an peruigilem, inter spem ipse, metúmque transegit. Summo mane dormire visus est: dormienti Sancti Iacobi Imago apparuit, (hinc iam secunda gloria nostræ rupis, post corpus Sancti Prudentij in ea reconditum,) & vultu placido Regem alloquuta, sperare iubet, ipsum victorem fore, vincendos Barbaros, séque suis Hispanis affuturum in eo bello. Ramirus ad vocem loquentis excitatus, Præsules, Ducésque vocari facit, & Iacobi promissis certos redditos, instruere acies, irruere in hostes, de Crucis Christi inimicis vindictam sumere, dum exequitur, iubet, & nihil tale timentes interficere. Stetit dictis Apostolus gloriosus: in ipsa acie visibiliter apparuit, equo insidens, Mauros sternens, pro nostris pugnans. Inde Hymnus in Festiuitatibus eius cani solitus:

Tu, bella nos cùm cingerent,
Es visus ipso in prælio,
Equóque, & ense acerrimus
Mauros furentes sternere.

Inde etiam Hispanis antiquus mos inuocandi Sanctum Iacobum in suis prœliis: *Santiago y a ellos.* Vetustissimus ferè, qui circumfertur Scriptor rerum Hispaniæ, & vt tempore, ita fide etiam præcipuus, Rodericus [a], Toletanus Archiepiscopus, ad septuaginta millia Barbarorum cecidisse testatur in eo prœlio, præter alios, qui fuga lapsi sunt, incerto numero. Tali, ac tanta victoria Hispanis parta, potentissimus Hispaniarum Patronus Sancti Hispani sepulcrum illustrauit: quem etiam in gratiarum actionis partem traxit, ac diuidendis spoliis, imò & prædiis, voluit sibi associare, vt mox subiungam.

a *lib.4.c.13.*

4. Vestigia belli hodie etiam inuisi apud Clauigium Mariana testatur; effossis passim stragibus armorum per ruricolas, oppidanos illius loci. Nos sacratiora adnotabimus vestigia, Sancti Iacobi insigne referentia; vulgaria incolis, sed fortè ideò minùs obseruata, quia vulgaria. Vix vllus lapis in loco reperitur, qui non conchulæ formam præseferat; *veneras*, vernacula lingua Hispani dicimus. Et quod mireris, si in partes comminuatur, tot conchulas formabit, quot partes feceris. Naturæ loci, an perpetuo miraculo tribuere aliorum sit. Nos rem compertam, & notam tantùm scribimus [b].

b *lib.4.c.13.*

5. Rex insigni victoria lætus, descendit è rupe; antrum Sancti Prudentij deuotus visitat, Deo, & Apostolo eius gratias agit, ac Sanctis Vincentio, & Prudentio Patronis loci, quin etiam felicitatis suæ duces agnoscens, & quasi inter victores spolia diuidens, circum iacentia prædia Cœnobio dedit, alendis his, qui templo ministrabant. Extat in veteri Manuscripto Sanct-Prudentiano victoriæ partæ, simul & donationis authentica memoria sub his verbis: *Conserto prælio, Saraceni gladiis terga dederunt, & ex eis ferè septuaginta millia ceciderunt. In quo bello B. Iacobus in equo albo vexillum album baiulans fertur apparuisse: & ex tunc inolenit dici in bellis:* Deus, adiuua me, & Beate Iacobe, *ex tunc etiam vota, & donaria ei in aliquibus locis persoluuntur. Tunc Rex Ramirus in Ecclesiam Beati Vincentii intrauit, vbi corpus Beati Prudentij quieuit: ibi Domini Crucem orauit, & latus effectus de victoria, Beato Prudentio adiacentes terras tribuit, & concessit. Postea accepit Albaidam,* (Albelda,) *Clauigium, Calagurram, & multa alia loca.* Hactenus ibi de dotatione Monasterij Sancti Vincentij, facta abs Ramiro Rege, & Sancti Prudentij sepulcri veneratione.

6. Verùm, quod ait, ex tunc etiam vota & donaria Beato Iacobo in aliquibus locis soluí, quæ eadem sunt verba Roderici Toletani [c], non leue nobis argumentum est, in hoc sacratissimo antro, in quo Sanctus Prudentius requieuit, conceptum votum, quo Rex vniuersam Hispaniam Sancto Iacobo fecit vectigalem: è singulis iugeris agri, vineæque modio, singulis annis persoluendo. Id grati animi ob acceptum beneficium, pignus fuit, religioso, honestóque tributo in locum damnati, & turpis succedente: conceptum Rex Calagurræ sanciuit post breue tempus, cùm iam victori cessissent confinia oppida. Id à Romanis Præsulibus firmatum, primùm in vsu, cùm mox inoleuisset, tandem à Compostellanis reuocatum, multas Hispaniæ Ecclesias in lites traxit, quæ etiam agitari videmus hoc nostro æuo. Sed ad Cœnobium nostrum reuertamur.

c *lib.4.c.13.*

7. Ab anno DCCCXXVII. vsque ad DCCCCL. iterum redit caligo, iterum tenebræ, & vel nihil memoria dignum in eo fuit, vel defuêre, qui posteris mandarent. Coniectare licet, Canonicos vicinis Mauris obiectos, ac restaurandæ regioni haud instantibus, continuis irruptionibus, multa perpessos, duriores vicinos experti fuisse, quàm antea dominos: nec tamen defecisse Sancti corpus, aut Conuentum soluisse, vel ad tempus. Nam anno DCCCXXV. Sanctius, huius nominis primus, dictus Crassus, dotationem à Ramiro factam auxit, decimis acquirendorum à Mauris ad Oppidum Arnedum: anno DCCCCL. Abdica Abba (id nomen Præfecto loci) fe, & Domum suam regendam tradidit Dulquito Abbati Sancti Martini Albeldensis (Cœnobij ante triennium fundati à Rege Sanctio Nauarræ, cuius Mariana [d], & alij [e] mentionem fecere) puto & defendendam: quia & se timore Saracenorum facere ait; & arcem Albeldensem cum suis copiis Abbatibus S. Martini, mox Episcopis, quandiu durauit Cœnobium, paruisse, multis nec leuibus probatur coniecturis. Extat adhuc traditionis exemplar, quod est tale:

d *Mariana lo e qui supra.*

e *Tom. post an. 920. cens. 4. & 950. cens. 3.*

8. *Abdica Abba obtulit Monasterium Sancti Prudentij Abbati Albelda timore Saracenorum.*

Sub nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Ego Abdica Abba cum Fratribus meis Christophoro, Fortunio, Sarracino, Dato, Stephano, Rapinato, prompta mente, & toto corde tibi Patri spirituali Dulquito, & Fratribus tecum in amore Christi Albelda in Cœnobio S. Martini morantibus contradimus animas nostras, simúlque corpora, vt adipiscamur præmia Poli. Nos enim supra nominati Ecclesiam Sancti Vincentij, & Domini Prudentij Basilicam, vbi quieuit corpus eius venerabile, qua sita est ad radicem montis Laturcij, nutu Dei omnipotentis collatam habuimus, & sancitam cum suis adiacentiis, terris, vineis, hortis; ita & hæreditatem Petri Presbyteri, qui fuit Collega nostrum viuens, demóque obiit. Votum hoc nostrum firmitatem obtineat in æuo. Facta charta ad Hiericum fluuium. Æra D.CCCC.LXXXVIII. Huc vsque traditio Monasterij Sancti Vincentij, omissis his, quæ ad Historiam minùs faciunt.

9. Habuit sub hac obedientia tres Abbates, Abdicam, Abibim, Tellum, quorum nomina debemus tabulari conseruanti notitiam sepulcrorum eiusdem Domus. Tello successit Martinus vir magnanimus,

exemptione

exemptione Cœnobij ab Albeldensibus iam tunc Episcopis præ aliis memorabilis. Fortunius Ochoacius illustris Princeps, Didaci,& Petri Ximeniorum auus,atque Menciæ infantis Nauarræ coniux exemere locum,& sibi,& suis electum in sepulturam: rem ad effectum perducentibus filiis Ximenio, & Sancio, queis Albeldenses Cœnobium concessêre. accepto in cambium Sancto Michaele Viurcensi,id loco nomen pingui,& opulento,ac facilè alterius iacturam compensaturo. Exemptam iidem auxêre possessionibus,quas non solùm vterque larga manu; sed & fratres,& filij cumularunt. Martino successit Guillelmus, Guillelmo Vela, post quem Dominicus, Sancius,Inigúsque gradatim regimen Domus suscepêre. Horum tempore Monasterium non parum creuit,ac deuotio erga corpus Sancti Præsulis: & iam Vincentij nomine obsoleto, totum sibi Prudentius adrogabat. Accesserunt Cœnobio nouem Ecclesiæ,in quarum aliquas,effectas nullius Diœcesis,plenum,hodiéque ius Abbas exercet. Accessêre & quinque alia Monasteria,huic vni incorporata,accessêre vasalli, atque id genus alia non contemnenda.

10. Sed supra omnia ditarunt idem Cœnobium Sanctorum corpora Felicis,Funísque Martyrum,hic effectu,ille affectu. Felix flagrans Martyrij Hispaniam venerat, quo tempore,à Tyrannis oppressa,cuncta ferè madebat fidelium sanguine. Nec voti compos,arcto loco inclusus,& bouis,vt ferunt,lacte vitroneo pastus, sanctam vitam finiuit sanctioti morte. Extant ad sepulcrum eius semicomesa carmina,litteris deformatis præ vetustate, quæ Yepes[1] deformatiora adhuc adducit in suis Annalibus: [1] cent. 5. ann. 950.

Montis excelsi
Dicitur,atque caua centrum coluisse caverna
Lacte bouis pinguis illic sustentatus ab alto.
Tandem morte,domum vitæ penetrauit,Olympum.

Funes è contra Nagerensis Præsul (nec habuit successorem in ea Sede) Martyrij palmam meruit inter Catholicos. Trucidatus à suis Clericis est,ad annum Christi M.C.XV. quod ad eius sepulcrum clariùs legi olim solebat,appensa tali tabula: *Hic iacet corpus D.Funis,vltimi Episcopi Nagerensis,qui à suis Clericis Martyrium passus est,cuius nomen in libro Sanctorum est scriptum.* Nunc Sancti Prudentij corpus medium tenent Felix, & Funes, sub hoc qualicunque epitaphio communi omnibus:

Corpore Cœlicola,hoc Prudentius affatur in antro;
Auxilium patriæ,gloria,lumen,bonos.
Diuus quem Felix comitatur,quem quoque Funes:
Martyrio iste rubet; fulget & ille fide.

Sic Domum suam in vtroque augebat homine, qui eam Cistercienſi instituto præparabat.

---

1. *Super corpore S. Prudentij mota lis*, 2. *adstruentibus Nagerensibus translationem abs Rege Garsia factam* 3. *atque probantibus* 4. *antiquis testimoniis*, 5. *& instrumentis*: 6. *sed quæ statim vacillant.* 7. *Detecta fraudes*,8. *& suspecta instrumenta,seu conuicta*:9. *irrefragabiles testes veritatis*, 10. *quibus non possit fides non haberi.* 11. *Plures aliæ rationes,& coniectura.* 12. *Demum miraculum illustre Patrum sæculo,quod certam veritatem planè confirmat*: 13. *fragmenta ossium per Ecclesias quasdam diuisa.*

CAPVT VIII.

1. HACTENVS incrementa Monasterij Cistercio hoc anno additi, quo in Hispania haud dubiè maiora plura, antiquiora perpauca; sed vix aliud illustrius reperietur,neque obscuris,vt alia,gloriæ titulis,sed quos communis consensus præseferat. Cæterùm,quoniam nihil magnum, quod sine æmulo;nec quicquam adeò certum in hac vita,cui non aliquis se audeat opponere,æmulum,& contradictorem passa est Sancti Prudentij Domus, vel in ipso primo suæ tituli gloriæ, corpore Sancti Præsulis, quod ante centum & triginta annos plus, minúsve ab admisso Cistercio,inde translatum,atque Anagarum adductum (*Nageram* nos appellamus, antiqui *Tritium*) Nagerenses hodiéque habere gloriantur. Fatale id quibusque magnis Viris,de quorum natalitiis,& corporibus certent non vrbes modò,verùm & Regna. De Prudentij corpore bis certatum est; nimirum,& de obtinendo,& de obtento. Contra Oxomenses diuino iudicio lis dirempta, corpúsque adiudicatum Rupi Turciæ,à qua non vltrà auellendum sacrum pignus,cœleste aliud miraculum probauit,Patrum sæculo factum,de quo mox dicam. Neque satis Nagerensibus id fuit,quominùs quasi loco motum sibi vendicent Ecclesiæ suæ primordia consecrantem. Rem qualiter ipsi narrent, breuiter promam.

2. Regium,illustréque Sanctæ Mariæ ad Anagarum Cœnobium circa annum Domini M.LII. Regi Garsiæ Nauarræ initia debuit. Id sibi,& suis in sepulcrum destinatum,an magis venetandæ Iconi Beatæ Virginis miraculosè ab eo ibidem inuentæ, ingentibus possessionibus dotasse,illustrasse ædificiis,auxisse donariis; sed maximè Sanctorum corporibus vndequaque adductis,augustius & sacratius reddidisse,Nagerenses affirmant, queis magna ex parte res ipsa conciliat fidem. Inter reliquias,ossáve Sanctorum numerantur caput cum parte corporis Eugeniæ Virginis, Martyrísque ab Vrbe transmissa; integra corpora Vitalis, & Agricolæ Martyrum è Bononia allata: atque vtraque pontificio dono accepta: & tandem ex vicino Monasterio S. Prudentij, eiusdem Sancti corpus, licèt acephalum (in solatium, custodiámque suorum relicto capite) cum corpore Archidiaconi Pelagij, & brachio illustris Martyris Vincentij, à quo olim Cœnobium nomen traxerat,Regem ipsum Nagerensi Episcopo, & Primoribus comitatum Regni, adiisse sepulcrum, extraxisse reliquias, quæ Anagarum inde deportatæ summo plausu, summa omnium lætitia sint exceptæ 3. Kalendas Maij (ait Petrus de Valencia Nagerensis) quanuis in hoc dissentiant,sicut in aliis.

Donis pontificiis Nagerenses fidem adstruunt, 3.
quibusdam litteris Goticis,vt aiunt,cum ipsis ossibus repertis proximo sæculo, nempe,anno Domni M. D. XXXIII. quarum litterarum tenor hic fertur esse: *Hic iacent corpora Beatissimorum Martyrum,Vitalis, & Agricolæ, quæ Papa misit de Bononia Regi Garsiæ de Nauarra. Similiter misit è Roma caput,partémque*

corporis Sancta Eugenia, filia Philippi, & Claudia. Hactenus litteræ. Et Bononiensibus quidem, ac Romanis in longinquo positis, nec pro se responsuris, condemnandis; non plura instrumenta necessaria visa sunt, non plures testes. De corpore verò Sancti Prudentij, contrariis partibus in confinio constitutis, & nec potentibus ignorare, nec scienter passuris prætensum spolium, validiora, pluraque adduci oportuit. Ea sunt, Breuiarium petantiquum eiusdem Domus, (Nagerensis, nimirum,) non solùm Translationis Festum celebrans; sed in Lectionibus historiam ipsam narrans sub his verbis: *Post multum vero temporis, eiusdem Sanctissimi Prudentij corpus cum aliorum plurimorum Sanctorum Reliquiis, videlicet, Pelagij eiusdem Discipuli, & gloriosissimi Vincentij Martyris, digno honore translata sunt a Rege Garzia, qui hoc Regale Cœnobium Nagerense ædificauit in honorem Domini nostri Iesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, atque Sanctissimi Prudentij*, &c. Hucusque Breuiarium.

4. Adduntur trium Pontificum diplomata, expedita diuersis annis, queis corpus Sancti in Nagerensi Monasterio quiescere, non ambiguis, sed expressis verbis dicitur. Alterum Cerebruni Toletani, anno M.C. LXXV. vbi promouendæ per eleemosynas fabricæ factæ Domus, vnicam causam subnectit in hæc verba[a]: *Quatenus de facultatibus a Deo vobis collatis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Nagera libenti animo largiamini: in qua, sicut multorum relatione audiuimus, Omnipotens Deus per intercessionem Beatissimæ Matris suæ, & Beati Prudentij, Episcopi, & Confessoris, cuius corpus in prefata requiescit Ecclesia, multa miracula quotidie operatur. Quæ a Regibus, & sanctis Viris ædificata, Religioni, & Ordini Cluniacensi multis retrò temporibus fuit donata*, &c. Alterum Aznaris, Calagurritani Episcopi, anno M.C.C.XLVI. eodem penè fine expeditum, eadem causa: *Cùm igitur arca argentea, in qua corpus Beatissimi Prudentij Confessoris recondition veneratur in Ecclesia Sancta Maria de Nagera adeò sit vetustate consumpta, vt videatur reparatione non modica indigere; & ad hoc, & alia, quæ ad venerationem dicti pretiosissimi corporis competunt, propriæ non suppetant facultates, Vniuersitatem vestram monemus in Domino attentiùs & hortamur, quatenus de bonis à Deo vobis collatis pias eleemosynas erogetis*, &c. Et tertium tandem Biuiani successoris vulgati idiomate expeditum, consimili tenore anno sequenti: *Entendiendo los milagros, y merecimientos del santo cuerpo de San Prudencio, Confessor glorioso, que jace en el Monasterio de Santa Maria de Nagera, damos, y otorgamos quarenta dias de perdon à todos aquellos, que confessados sus pecados fueren en Santa Maria de Nagera, ò embiaren sus limosnas al dia de la Translacion de aquel santo cuerpo, que el en el postrer Domingo del mes de Marco, cada ano*, &c.

[a] *scriptura 24. in Appendice apud Yepes, tom. 6.*

5. His omnibus concordare dicuntur antiqua carmina, æneis incisa tabulis, cum ipsis ossibus ante centum penè annos inuentis, nimirum, anno M.D.LIII. quo coram Illustrissimis Nagerensibus Ducibus Antonio Manriquio, Ioannáque Cardonia, apertis arcis, Vitalis etiam, & Agricolæ, atque Eugeniæ testimonium supra à nobis adductum lucem viderint: atque ecce carmina:

Inclytus Antistes Prudentius hic requiescit,
Quo Calagura viget, per quem Tirasona nitescit,
Ecclesia, fidei, morumque dedit documenta,
Per quem perpetuæ vitæ cœpit emolumenta.
Hunc Rex Garsias huc attulit, hic q; locauit,
Hunc qui Basilicam sumptu proprio fabricauit.

Citantur etiam duæ aliæ Translationes, siue pyxidum renouationes factæ nostro tempore: altera anno M.D.LXXII. coram Catholico Rege Philippo II. & Sereniſſimis filiis eius Philippo Principe, & Infante Elisabetha: altera post decennium, multis adstantibus, queis omnibus adstipulari videtur perpetua (vt aiunt) traditio eiusdem loci. Vt penè videas continuata annorum serie, testimonia testimoniis cohærentia, ne locum quidem relinquere quæstioni.

6. Atque ita ferè Yepes[b] in Annalibus, & Petrus de Valencia[c] Nagerensis in Historia Regum Nauarræ, quæ extat in eiusdem vrbis Cœnobio manuscripta. Nisi quòd Yepes translati corporis causam, saltem occasionem, refert in frequentes incursus Saracenorum, à quibus eò securiùs, quò remotiùs in vrbe, quàm in agro custodiretur. Cum quo vix stat, quod asserit Valencia, nec certum, vnde sumpserit: nam nihil tale habetur in ea, quam pro se adducit Historia: in Translatione, ne sepulcrum omninò vacuum, Canonici omninò orbi manerent, caput cum paucis ossibus relictum confernando sepulcro, & loci à Sancto electi, quam semel acquisiſſet, nomenclatura. Id componendæ litis, vtcunque inuentum, seu Sancti Præsulis capiti delatum, quod in eius Cœnobio adorandum ostendi solet, aliquantisper vacillare facit Historiæ fidem. Certè Arabum incursibus totum corpus auferre, fortè religiosius; totum relinquere, fortè confidentius: sed parte ablata, & parte ibi relicta, nec satis fidei factum, nec pietati. Addunt præterea (quod miteris in vitis doctis) Yepes siuisse cranij inter omnia alia ossa, adductum Anagarum, quo mutilum ipsum caput, relictum in Cœnobio, hodiéque visitur; quasi in fidem adducti totius corporis: Valencia, Translationem contigisse Æra milleſima sexagesimasexta, quæ ad annum M.XXVIII. iuxta computum Hispaniæ, est referenda.

[b] *tomo 6. an. 1052. ip. 9.*
[c] *Valencia ip. 26.*

7. Tot testimoniis, tot authoritatibus veritate oppressa, destitissem ab illius indagatione, ni lux e tenebris his mihi illuxisset. Nam, neque caput imminutum est ex vlla parte, quod propriis ipsemet oculis vidi; sola imago argentea, in qua inclusum, paruo hiatu, venerantium visui cedit, imò & tactui. Sed neque Garsias, qui ab anno salutis M.XXXV. non planè antea, vsque ad M.LII. aut LIV. Regnum tenuit, potuit anno M.XXVIII. ossa transferre. Multò autem minùs ad Cœnobium Nagerense, quod anno M.LII. vel ex ipso fundationis suæ instrumento, quod Yepes adducit, incepisse perspicuum est. Semel autem detectis his erroribus, reliqua omnia suspecta esse cœpetunt. Quid, si & conuicta? Anne Rex Garsias ante initum Regnum septem annis, quatuor & viginti ante cœptam fundationem sui Cœnobij, Sancti Prudentij corpus ad illud tulit? Neque verò instrumentis certior fides, aut leuiores occurrunt contradictiones. Nam in historia Breuiarij suspectum est, quòd non solùm Pontificem Prudentium, sed Pelagium nepotem Sanctis adscribat. Quod Nagerensem Ecclesiam non solùm in honorem Matiæ Virginis, sed etiam S. Prudentij adsirmet conditam. Cùm tamen in testamento Regis Garsiæ, quod Yepes adducit, nulla non modò aduocationis huius; verùm neque ipsius Sancti mentio habeatur: quod mox patebit. In litteris Cerebruni nutat fides, quòd eam Ecclesiam à sua fundatione Ordini Cluniacenti adiudicatam, multis retrò temporibus affirmet: & nihilominùs eiusdem Garsiæ testamento constat, non Monachis, sed Canonicis, aut Clericis traditam, à principio, quod non obscuris, aut ambiguis verbis dictum: *Statui* (inquit) *apud Nageram in honorem B. Mariæ Ecclesiam, seu Monasterium ædificare, conuenientiori*

nientiori ordine, cum omnibus officinis regulari Congregationi aptis, in quo loco secundum instituta canonum, & legalia decreta Sanctorum Patrum, instituere decreui, qualiter iugiter ibidem Deo, eiusque Genitrici seruientium, & in communi regulariter viuentium honesta Clericorum existeret Congregatio, & ingemma, absque vllo meo, vel meorum seruitio, &c. Hæc testamentum, seu charta fundationis. Quibus verbis nulla Benedictini Monachatus (nam Canonicos Benedictinos faciliùs credam) nedum Cluniacensis instituti mentio facta; sicut neque aduocationis Sancti Prudentij.

8. Sic in Aznaris Calaguritani Bulla dubium ingerit de opulentissimo, & ferè totius Hispaniæ potentissimo Cœnobio scriptum legere: *Quod pro reparatione arcæ, in qua corpus S. Prudentij erat recondituum, propria non suppetebant facultates.* Mirabile est hoc testimonium pro se adduci à Nagerensibus. Meliùs Biuianus, apud quem non tam mendicant, quàm Festum celebrant; sed dum id vltima Dominica die mensis Maij agi testatur, in dubium vertitur, quod Valencia tradit, nimirum, Translationem factam mense Aprili, tertio Kalendas Maij, eo die anniuersario honore coli. Heu, quàm difficile, quæ vera non sunt, sibi ipsis cohærentia effici possunt! Crediderim & in alia translatione, quæ anno M. D. XXXIII. dicitur facta, simile quid inueniendum, si eam Yepes ad verbum transcripsisset. Sanè Valencia ossa confusa in arcis inuenta tradit, vt non possent discerni, cuius essent. Yepes è contra impermixta, atque distincta, singulaque prænotata suis titulis. Mihi, vt vtrunque Authorem æquè veneret; ita neutri adsentiri visum est, alteri præiudicium illaturo. Facta ad annos M.D.XCII. & M.DC.II. consultò omitto; quia non maiorem aut firmiorem fidem habere possunt, quàm præcedentia.

9. At, quo hæc quidem satis possidentibus, quippe tunc demum dominium probaturis, (liceat sic loqui,) si contrarias effringant probationes. Verùm Sancti Prudentiani testes suppetunt, quibus se tuerentur, etiam omus probandi subituri. Neque verò factitia testimonia pro se adducunt, si hanc vnicam litem de medio tollas, nulli alteri vsui profutura, qualia hactenus adducta pro Nagerensibus: sed quibus tota eorum substantia constat; si semel falsitatis conuincantur, spoliandi omninò, non solùm corpore Sancti, sed his, de quibus viuunt, possessionibus. Primum est priuilegium Sancti Regis prædicti Garsiæ filij, & in Regno Nauarræ Successoris, non multò pòst, sed decennio à morte patris, nec alibi, quàm Anagari expeditum, Nagerensibus ipsis confirmantibus, attestantibúsque, quo Rex Ecclesiæ S. Prudentij, vbi corpus eius quiescit, quo alia Monasteria largitur, & vnit religiosiùs colendis Reliquiis eiusdem Sancti. Verba Regis ipsissima adiungam: *In nomine Sanctæ Trinitatis. Hæc est charta donationis, quam ego Sancius, Dei gratia Rex, facio pro remedio animæ meæ, & parentum meorum deo Deo, & Ecclesiæ S. Prudentij, vbi corpus eius requiescit, Monasterium S. Augustini iuxta Naldam cum suis terris, & Monasterium Sancti Saturnini de Pauia cum sua villa,* &c. *vt seruiant inde Deo, & B. Prudentio per cuncta sæcula. Facta charta donationis in Nagera, Æra M.C.III. Regnante Domino nostro Iesu Christo, & sub eius imperio Ego Sancius, Dei gratia Rex in Nagera, & in Pampilona,* &c. Hactenus ibi: & sequuntur subscriptiones Nagerensis Episcopi, & Principum existentium in ea vrbe, vt palam sit decennio à morte Garsiæ corpus Sancti Prudentij loco immotum, quod semel sibi elegerat sepulcrum, non dimisisse; consentientibus ipsis Nagerensibus, adeóque neque Anagarum translatum ab illo Rege.

Extat & aliud priuilegium eiusdem Sancij ante annum expeditum, nempe M.LXIV. quo Ximeno, Fortunij Ochoacij filio, idem Sancti Prudentij Monasterium, quod ab Albeldensibus obtinuerat, confirmat per hæc, & alia signa monstrato loco: *Placuit mihi, vt concederem tibi, sicut & concedo Monasterium Sancti Prudentij, vbi corpus eius quiescit, in loco, qui vocatur Lauucio,* &c. *Facta charta donationis, siue confirmationis, Æra millesima centesima secunda.* Hæc testimonia exceptione omni maiora, atque adeò clara, quibus nihil possit opponi, nihil responderi. Sed expressiùs adhuc quasi triginta annis à morte Sancij, Imperator Alfonsus quædam permutans cum Abbate Martino, atque Conuentu: *Cambio* (inquit) *vobis cum Abbate Martino, & Conuentu Sancti Prudentij existente prope Clauigium, vbi corpus prænominati Sancti Prudentij quiescit, illam villam, quæ dicitur Lagunilla,* &c. *Facta charta Toleti Æra M.C.LXXXIII.* Nec multò pòst ipse Didacus Ximenius, qui Cistercienses induxit in id Cœnobium: *De cætero* (inquit) *volumus, vt Abbatia, & Conuentus ibi constituatur, vbi corpus S. Confessoris Prudentij quiescere creditur.* Omitto testimonia alia recentiora; omitto antiqua, quæ fetè in immensum volumen possent crescere. Vix vnquam aliquid Monasterium accepit, quod non Prudentij corpus præseferat, quasi adæquatum motiuum donationis. 10.

11. Accedat populorum omnium iugis consensus, acclamatio Procerum, & quod magis est, Nagerensium Episcoporum, quandiu sedes Anagari permansit, continuata deuotio in corpus sanctum, & Monasterium ab eo cognominatum. Nam Petrus duas Ecclesias illi vniuit ad oppidum Arnedum, anno M.C.II. *Ob reuerentiam*, inquit, *pretiosi corporis Sancti Sanctorum Pontificis Prudentij.* & Funes, Nagerensium Præsulum vltimus, sua Sede relicta, atque ad Sanctum Prudentium Sacello in vita condito, post mortem voluit in eo sepeliri; obtinuitque anno, vt diximus, M.C.XV. Quis autem credat, Sancti deuotione, præterita præsentibus, externa domesticis, & locum vacuum prælatum vero sepulcro, cui iam tunc sacrum corpus mandatum esset? Quis rursus credat Fortunium Ochoacium Garsiæ Regis generum, & Mentiam coniugem eiusdem Regis filiam tantopere expetiisse Cœnobium Sancti Prudentij recens a patre spoliatum beato corpore? Quis demum sibi facilè persuadeat miraculose electum a Sancto locum, tot centenariis annorum conseruatum vel inter Barbaros, subita mutatione desertum iri? Crediderim, si voluissent inde extrahere, iterum inconcussum Sanctum Præsulem, non vllis viribus mouendum ab eo loco, non vllis precibus.

12. Certè, quod Patrum sæculo accidisse miraculum Ambrosius Morales, diligens Hispanarũ rerum Scriptor, memoriæ prodit, immobilem stetisse Sanctum hucusque probat, si Deo placeat, etiam perstiturum. Id etsi anno M. D. XXII. gestum sit, anticipata tamen narratione, quia res ita exposcit, si non præueniam, saltem insinuabo; suo loco rem latiùs descripturus. Gallis eo anno obsidentibus Iuliobrigam, & per circuitum agros deuastantibus, Prudentianis Monachis res in arcto fuit. Abbas, qui tunc Bernardus dicebatur de Valle oleti, pretiosa corpori, quàm sibi, & suis præcauens, ad vlteriora statuit deportare, eò securiùs à Gallorum incursibus seruandum, quò remotiùs. Imponi iubet equo sacrum pignus, vt quo vectore aduenerat, exiret. Tum comitantibus Monachis, progressum, ventúmque ad fines vsque sacræ Domus.

Res mira,& ſtupenda;licèt non noua!vix dum equus eos terminos attigerat,& ecce tumens,ac ſudore manans totis artubus, ſterit immobilis ictibus ferientium ; nec niſi reduci greſſus,aut motus fuit.Reſtitutum eſt corpus ſuo antro. Vnde Iuliobrigam comimùs cuſtodiens, nullius ſibi cuſtodiæ egens obſidionem diſſoluit, atque ipſa die 28. Aprilis ſibi ſacra, fugauit Gallos,copiis immunitos, & duce orphanos. Id Locronienſes acceptum à Sancto Præſule,recolere quotannis promiſerunt ad ſactum corpus excubias peracturi. A cuius voti deuota redditione,non loci intercapedine ad 8000. fermè paſſuum protenſa;non intemperie aëris,non vllis aliis obſtantiis retardantur.

13. Sic Prudentius, quod ſemel tenuit antrum, nunquam ſe dimiſſurum profeſſus eſt, & multò magis nunquam dimiſiſſe. Paſſus tamen nonnullas Eccleſias fragmentis ſuorum oſſium locupletari,quod,non negauerim,extractis parcè,& reuerenter ad loca debita. Sic Turiaſona antiqua Sancti Sedes,à trecentis ferè annis brachium habet à Prudentianis tranſmiſſum ingenti dono. Victoria,quæ natale ſolum vtro, duobus oſſibus ab eiſdem acceptis gaudet.Horta(Regium Cœnobium) paruis tribus. Demum,quæ omnia confirment verum corpus, à quo geſtiant haurire cæteri omnes prædicto anno M. D. XXI. qui tunc Dertuſanus Præſul, poſt totius Eccleſiæ communis Pater Hadrianus VI. Gallis ab Hiſpania fugatis Sancti meritis,eius ſepulcrum deuotè viſitauit menſe Auguſti ; porrectiſque apoſtolicis Litteris, quas ad id ſpecialiter obtinuit (haud aliter agendum quicquam cenſuit in Sancti corpus) duo fragmenta non magna ſecum tulit Romæ in proprio Sacrario recondenda. Nec admittere renuam Regem Garziam nouo ſuo Monaſterio conſecrando, illuſtrandóque os aliquod Anagarum tuliſſe ; quod aliis aliorum Sanctorum permixtum oſſibus paſſiuæ foeſan fraudi, nam actiuam non credam, locum dedit. Atque hæc breuiter à nobis dicta ſint in gratiam Nageretiúmne, an Prudentianorum ? Credo vtrorunque : nam vtroſque veritas iuuat : nec tales ſunt, qui fictis theſauris egeant. Nunc ad Annalium ſeriem redeamus.

---

1. Sacra Cella Monachorum Cœnobium hoc anno ſurgit, 2. & Sancta Columba Virginum in Regno Legionenſi ; 3. donatio loci 4. firmata per inſtrumentum, 5. cum grauaminibus quibuſdam, & conditionibus. 6. Prima Moniales ex Gradeſes illuc adductæ. 7. Cœnobium ſubeſt Abbati Mererolenſi, 8. ac Patrum ſæculo à priori loco tranſlatum ad Beneuentum. 9. Virginum Morillenſium fundatio Regia, 10. quæ in Monachis hodie conſeruatur.

CAPVT IX.

1. QVOD attinet ad fundationes præſentis anni, duas tantùm inuenio,alteram Monachorum, Monialium alteram ; illam in Chronologia deſignatam ; hanc certiùs nobis conſtantem per inſtrumenta. Ergo de fundatione Monachorum hæc Chronologia: *Anno M.C.LXXXI. pridie Idus Decembris fundata eſt Abbatia de ſacra Cella.* Portò in Geneſibus,filia Curiæ Dei,eóque in Ciſtercij linea memoratur : notata ibidem Senonenſi Diœceſi, in qua etiam inuenitur in libris Carperæ ducentorum florenorum taxa præfixa. De ea, ſed poſtpoſita nouennio, ita Claudius Robertus in ſua Gallia : *Sacra Cella,*Cercans eam, *in Gaſtinio, Diœceſis Senonenſis, Ordinis Ciſtercienſis, fundatur à Philippo Auguſto,anno M.C.XC. ſeu potiùs eo regnante,à Clemente Henrico Domino Argentey Francia Mareſcallo.* Hæc tantùm ille ; nec nos alibi pluta hactenus vidimus.

2. Cœnobium Virginum in Hiſpania fundatum eſt in veteri Caſtella,non longè à Beneuento,in oppido, cui nomen Sancta Columba. Fundatores habuit,& nobiles,& diuites, & diſtinctos familiis,ad quos ex æquo pertinebat poſſeſſio loci, ſeu veriùs Monaſterij, quod olim à Religioſis inhabitatum, iam tunc in ſolitudinem redactum, in ſæcularium tranſierat poteſtatem. Dicatum illud Sancto Saluatori, & B. Mariæ,multíſque aliis Sanctis cœleſtis Curiæ,Apoſtolis, nimirum, Andreæ, Ioanni, & Iacobo, Archangelo Michaeli, Martyribus Vincentio,Torquatóque, Confeſſoribus Iſidoro, Sperato,& Martino, ac tandem Virginibus Iuſtæ, atque Rufinæ, vt ferè tot habuerit aduocatos, quot fundatores. Non conſtat,ſub qua Regula olim militauerit, aut cuius ſexus fuerit : tantùm ex inſtrumento donationis habemus compertum, reſtitutum hoc anno,vt ibidem Moniales Ciſtercienſes, ſub Abbatiſſa ex eiſdem eligenda ; ſed præcipuè ex propinquis Fundatorum inſtituerentur, additis vltrà duabus conditionibus; altera,quòd nullius alterius Regis,aut Principis,ſiue Reipublicæ patrocinium ſubire poſſent ; altera,ne vllo tempore deficerent à rigore Ciſtercij,poena illis infligenda, & quidem grani, ſi aut alteram, aut vtranque tranſgrederentur. Verùm hæc omnia conſtabunt ex inſtrumento, quod vetus & corroſum in membrana, maiori ex parte legi, & ita habet [a]: [a ex Archiuio Grad.]

3. *In nomine Patris & Filij,& Spiritus Sancti, cuius imperium & regnum permanet per nunquam finienda ſæcula ſæculorum. Amen.*

In honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis,& Beati Michaelis Archangeli,Sancti Iſidori, Sanctorum Apoſtolorum Andreæ, Ioannis,& Iacobi, Sancti Vincentij Leuitæ,Sanctorum Torquati, & Sociorum eius, Sanctorum Sperati, & Martini, Sanctarum Iuſtæ,& Rufinæ,in quorum honore Eccleſia fundata eſt in villa, quæ Sancta Columba dicitur, territorio de Pulvureda ſecus fluuium Ornigo, Ego Rodericus Petri,& Gundiſaluus Petri,Petrus Petri,Tarciſa Petri,Yracha Petri, & Ego Petrus Pelagij,Fernandus Pelagij,Aluarus Pelagij,Yracha Pelagij, Iuliana Pelagij,& ego Rodericus Ferdinandi filius Fernandi capiui, & ego Exemena Gomez, & ego Rodericus Muniz, & Fernandus Muniz, & ego Gundiſaluus Roderici, vnà cum ſobrinis meis, Gundiſaluus Petri, Garſia Petri, Maiore Petri, Nos omnes diuina accenſi amore, illud euangelicum attendentes præceptum, quod ait : Date,& dabitur vobis. *& illud:* Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. *quia,*Sicut aqua extinguit ignem,ita eleemoſyna extinguit peccatum. *Damus, & concedimus ob remedium animarum noſtrarum, & parentum noſtrorum, prædictum Monaſterium Sancti Saluatoris cum omnibus*

Digitized by Google

bus hæreditaribus sibi pertinentibus, tam populatis, quam non populatis, cum fluuiis, & riualis, molendinis, pratis, montibus, pascuis, & cum omnibus suis directuris, & pertinentiis Deo omnipotenti: tali siquidem ratione, vt ab hac die semper ibi Abbatissa habeatur Benedicta, & Sanctimoniales, qua seruiant Deo sub Regula Sancti Benedicti in ordine Sancta Maria de Cistels.

4. *Abbatissa verò huius Monasterij semper sit de progenie eorum, qui in hac charta scripti sunt, & si forte euenerit, vt conueniens Abbatissa de nostra progenie non inueniatur, eligatur Abbatissa de cæteris Sanctimonialibus huius Monasterij Deo seruientibus. Abbatissa verò huius Monasterij semper eligatur consilio Conuentus Sanctimonialium huius Monasteri, & nostri, vel nostra posteritatis, quos Domini istius Monasterij inuenerint. Si autem vxores nostra, vel sorores nostra, vel filia, vel neptes, vel aliqua de nostra posteritate progenita habitum monachalem recipere voluerint, & sub Regula Sancti Benedicti, & Sancta Maria de Cistels claustraliter cum Sanctimonialibus conuersare voluerit, omnino recipiantur, sine bene, sine mala sint. Et si aliquis homo de nostra posteritate oppressus fuerit paupertate, vel nimia infirmitate, vel misellus fuerit, quod aliter non possit viuere, recipiatur in hoc Monasterio, & det ei rationem, & lectum cum aliquo stramento. Hoc autem præcipuè mandamus, quod Abbatissa, vel Sanctimoniales non habeant potestatem donandi hoc Monasterium alicui Regi, vel alicui Concilio terræ; si autem committere voluerint, perdant ipsum Monasterium.*

5. *Et notum sit omnibus hominibus, tam præsentibus, quàm futuris, quod si Domina huius Monasterij non potuerint Deo seruire secundum Ordinem Sancta Maria de Cistels, Monasterium illud cum omnibus hæreditatibus, & pertinentiis, & cum. . . . . .*

. . . . . Et sic habeatur, sicut chartula illa, quam antecessores nostri fecerunt, denuncias. Si aliquis de nostris, vel de extraneis hoc nostrum contradixerit factum, sit maledictus, & excommunicatus, & cum Iuda Domini traditore in Inferno damnatus; persoluatque Abbatissæ, vel voce huius Monasterij pulsanti mille libras auri, & quod inuaserit, in quadruplum reddat. Et hoc nostrum factum semper maneat firmum. Facta charta Æra M.CC.XIX. secundo Idus Decembris, regnante Rege Fernando, cum filio suo Rege Alphonso in Legione, Gallecia, Asturiis, Estremadura, Maiordomus Comite Vrgel, Signifero Gundisaluo Roderici de Azagra, Fernando Astoricensis Ecclesiæ Episcopo, Roderico Ouetensi Episcopo, Mauriquo Legionensi Episcopo, Vuillelmo Zamorensi Episcopo. Ego Rodericus Petri, & Ego Petrus Pelagy cum supradictis nostris germanis, & parentibus, hoc scriptum, quod fieri iussimus, propriis manibus roborauimus, & signum fieri iussimus. Sequuntur subscriptiones nobilium, qui plures numero, & Conciliorum Beneuenti, & Sanctæ Columbæ.

6. Hactenus ea, quæ hodie legi possunt in instrumento: nam cætera corrosa præ vetustate, oculos intuentium prorsus deludunt. Sed neque ea in Domo Sanctæ Columbæ, in qua nihil, nisi tenebræ, & eò solùm veneranda initia, quia ignorata: hausimus ergo ex Cœnobio Gradefiensi, in quo instrumentum hodiéque conspicitur, vt inde facilis pateat coniectura, adductas illinc Moniales cum Abbatissa, vbi mansit memoria donationis, cùm maximè obseruatum constet illis temporibus, matemitatis ius in Abbatiis Monialium, sicut & Monachorum, penes eas residere, à quibus primæ incolæ exiissent. Certè cùm Gradefiense Monasterium ab Abbatissa de Tulebris emancipatum Huelguensi prope Burgos submisit collum; Sancta item Columba ad instar matris inter cæteras Huelgarum filias numeratur, quod suo loco veniet referendum.

Cæterùm, an reuerà Huelgis subfuerit, aut quo, vel quanto tempore, non constat, vt ex ibidem dicendis apparebit: quippe quæ illius in eo Monasterio notitia subest, abfuisse magis probat Congregationibus ibidem celebratis (nam Capitula ad Huelgas Monialium, vt Monachorum Cistercij, quod suo loco dicam, congregabantur:) abfuisse, inquam, probat magis, incertum qua occasione, quàm obediisse. Illud compertum à tempore excedente memoriam hominum subesse Monasterio Morerolæ, cuius Abbates Patres prædictæ Domus, ordinariam in ea exercent iurisdictionem, nulla maiori luce, notitiáve, quàm quæ ex ipso facto desumi potest. 7.

8. Mansit Cœnobium in oppido Sanctæ Columbæ per annos plurimos, vsque ad proximum sæculum, quo, siue loci importunitate adactæ, siue adimplendo præcepto sacri Concilij, quod ad maiora, & frequentiora oppida Monasteria Monialium transferri iubet; Beneuentani Comitis assensu Beneuentum translatum, atque loco donatum commodiori, Monialibus, redditibusque creuit, vt nulli alteri inferiùs conseruetur hoc nostro sæculo. Reliqua, si quæ occurrerint notanda, pro more nostro, suis temporibus, locísque reddemus.

9. Hoc ipso anno memorari primùm video Virginum Monasterium in Marcilla, Regni Nauarræ Oppido, quod Sanctia Regina Ferdinandi Castellæ Regis soror, Sancij Nauarræ coniux ædificauit: cuius rei monumentum hodiéque extat in Tabulario Ecclesiæ Pampilonensis, & nouissimè vulgauit Othenart, Author in Notitiis Vasconiæ, cuius hic tenor:

Ad honorem summi, & æterni Regis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Ego Sanctius non meis meritis, sed sola Dei omnipotentis miseratione Rex Nauarrorum facio hoc priuilegium vobis cunctis Sanctimonialibus, in Monasterio de Marzilla, sub Regula, & Ordine Beati Benedicti, Monachorum Cisterciensium, ibidem Deo famulantibus, præsentibus, & futuris in perpetuum, digna quidem laudis, & memoriæ Sanctia vxor mea Regina diuini amoris zelo accensa, in præfata Villa de Marzilla, consilio, & assensu meo Monasterium ædificauit, atque in eodem gregem ancillarum Dei, & Beatissimi Patris Benedicti normam constituit, ipsam quoque Villam nominatam cum omnibus territoriis, & pertinentiis suis, eremis, & populatis, & cum omnibus, quæ iurisdictionis Regiæ esse dignoscuntur pro peccatorum suorum remissione prædictis Sanctimonialibus dedit, ac concessit, vt per earum orationes, & beneficia, & Sanctorum omnium suffragia adipisci valeat Beatorum consortia. Ego itaque gratia Dei Sanctius Rex, cupiens eorum beneficiorum, & orationum fieri particeps, concedo, & confirmo omne donatiuum, quod Sanctia, vxor mea, recolenda memoriæ Regina vobis nominatis Sanctimonialibus dedit, &c. Vt autem hoc meum decretum, & priuilegium firmum, & ratum habeatur, & permaneat, propria manu hoc signum confirmationis impono. Facta charta apud Tutelam, mense Martij, sub Æra M.CC.XIX. regnante me Dei gratia Rege Sancio in Nauarra, &c.

10. Hactenus instrumentum Sanctij Regis, quo videas Monasterium antè constructum à nobili Regina, dotatúmque pro Virginibus Instituti Cisterciensis: sed quod hoc anno maritus confirmauit, permansit habitatum à Monialibus annos vt minus C.LXXIV. nam M. CCC. LV. cernitur priuilegium à Carolo concessum Abbatissæ, & sororibus, quas tamen constat post annos quinquaginta, nempe,

M.CCCC.V.

Digitized by Google

M.cccc.v. bellorum, pestísque ingruentibus malis, deserta Domo, ad Camberonam inde transmigrasse. Tunc Monachis in earum locum suffectis, Cœnobium Prioratus titulo gaudens, mox Oliuæ vnitum, deinde in Abbatiam Regiam nostris temporibus, perpetuímque, demum quadriennalem transiit sub recenti Aragonum, Cataloniæ, & Valentiæ Congregatione. Gaudet miraculosa Icone Beatissimæ Virginis, vulgò, *Santa Maria la Blanca*, quæ pro ingenti thesauro reputata, aliorum bonorum iacturam cumulatissimè valet compensare.

ANNVS CHRISTI M C LXXXII. CISTERCII LXXXV.

1. *Alexandri, & Lucij breuis collatio*, 2. *Praciſus ab Eccleſia Scotiæ Rex* 3. *ob Sanct. Andreanum Pontificem intruſum*: 4. *ſed reſtitutus interuentu Meilroſenſium, qui miſſi Romam*, 5. *abſolutionem à Lucio Papa impetrant*, 6. *à quo etiam remiſſi aly Legati (è quibus alter Siluanus Riualenſis)* 7. *componunt negotium*. 8. *Eorundem ad Pontificem epiſtola*, 9. *totius controuerſiæ ſtatum pandens*. 10. *Animaduerſa quædam notatu digna*.

CAPVT I.

1. LONGVM, & laborioſum Pontificatum Alexandri III. Lucius exceperat, breuioris temporis Pontifex futurus: ſed, ſi non bella externa paſſus fuiſſet, in domeſticis longè felicioris: quippe ſine æmulo, neque vlla diuiſione ſcindente tunicam Chriſti. Nam Alexander patientia, atque conſtantia Schiſmaticorum fluctus longè compreſſerat: nec ſibi tantùm reddiderat pacatam Eccleſiam; ſed ſucceſſoribus. Verùm, quæ minùs à Chriſtianis paſſus in ſe ipſo, ab infidelibus tolerare compulſus in locis ſacris noſtræ Redemptionis; vt non ſub ipſo penitùs amiſſis: at extremo diſcrimini expoſitis, nec multò pòſt occupandis à Saracenis. Sic neutrum ſine Cruce regnare tulit, qui ſibi vtrumque voluit aſſimilare: & alterum in propria dignitate; alterum in ſepulcro ſuo permiſit, illum à Pſeudochriſtianis infeſtari, hunc ab infidelibus. Niſi quòd tamen Alexander tandem prævaluit, Lucius ſuccubuit: haud dubiè quin vt fieret manifeſtum, legitimos, & veros ſucceſſores Petri Apoſtoli acerbiùs in ſuo capite torqueri, quàm in ſe ipſis. Sed nos de morte Lucij ſuo tempore: nunc, quæ ſub ipſo geſta, recenſeamus.

2. Annum centeſimum octuageſimum ſecundum ſupra milleſimum, qui fuit Ciſtercij octuageſimus quintus, auſpicatur Vvillelmus Scotiæ Rex, interuentu duorum Meilroſenſium, Ioſcelini olim, & Arnaldi tunc Abbatum, reſtitutus Eccleſiæ per Lucium III. à qua per Alexandrum amotus fuerat. Anathema in rebellem indictum ante triennium, occaſione electionis Metropolitani, (nimirum, Archiepiſcopi Sancti Andreæ, ex qua ſchiſma ſuborſum,) altero rectè, & canonicè electo, altero abs Rege intruſo per violentiam, nec cedente ad mandatum Summi Pontificis. Rem paucis narrat Rogerius in hæc verba [a]: *Eodem anno* (nempe, M.C.LXXX.) *Richardus, Epiſcopus Sancti Andreæ in Scotia, obiit, quo defuncto, ſtatim ſit ſchiſma de electione Pontificis. Canonici enim de Eccleſia Sancti Andreæ elegerunt ſibi in Epiſcopum Magiſtrum Ioannem, cognomento Scotum; & Vvillelmus Rex Scotorum elegit Hugonem Capellanum ſuum, & conſecrari fecit ab Epiſcopis Regni ſui, contra appellationem à prædicto Ioanne electo ad Dominum Papam factam.*

a in Annalib. Anglia.

3. *Vnde factum eſt, quòd Alexander Summus Pontifex miſit Alexium Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum in Scotiam, ad cognoſcendam controuerſiam, quæ erat inter Ioannem electum, & Hugonem conſecratum, & ad illam determinandam. Qui cùm in Scotiam veniſſet, & coram Clero, & populo Regni diu tractaſſet de electione Ioannis, & Hugonis, & de conſecratione ipſius Hugonis; & cognouiſſet, quòd prædictus Ioannes eſſet canonicè electus, & quod Hugo poſt appellationem ad Romanum Pontificem factam, in Epiſcopatum Sancti Andreæ, per Regem violenter eſſet intruſus; eum ſine dilatione de Epiſcopatu Sancti Andreæ depoſuit, & perpetuum ei ſilentium, authoritate, qua fungebatur, impoſuit; & electionem, qua de Ioanne facta fuit, confirmauit; & eum ab Epiſcopis Scotiæ, Rege non prohibente, nec contradicente, imò per conſilium Epiſcoporum Regni permittente, in Epiſcopum Sancti Andreæ conſecrari fecit: ſed Rex ſtatim poſt conſecrationem ſuam, prohibuit ei, ne ipſe in Regno ſuo moram faceret: Hugo verò non minùs gerebat ſe Epiſcopum, quam antèà.* Ita ſcribit Rogerius. Porrò hac occaſione factum fuerat, vt totus Archiepiſcopatus Sancti-Andreanus interdicto eccleſiaſtico mox, cùm Rex adhuc intruſum manuteneret, publicè denunciatus, & ipſe anathematis ſententiæ ſubiiceretur. Extant de his Epiſtolæ Alexandri, quas adducit Rogerius eodem anno: ſed quæ non alium effectum ſortitæ fuerint. Quippe Alexandro conſtante pro iuſtitia; Vvillelmo obdurato pro intruſo, & neque illo tyrannidi ceſſuro, in quam claues ſuſceperat, neque hoc de facili ab eo compeſcendo, cuius ſemel reuerentiam exuiſſet.

4. Lucio III. ſuffecto pro Alexandro, Vvillelmus, ſeu verè reſipiſcens, ſiue plùs gratiæ ex eo ſibi promittens, in quem nondum peccaſſet, Legatos mittit ad nouum Vicarium Chriſti, induſtrios, graues, fibique fideles, atque immunes ab omni ſuſpicione, Ioſcelinum, Epiſcopum Glaſcuenſem, quem tomo præcedenti, ex Abbate Meilroſiæ promotum diximus; atque eius in Meilroſia ſucceſſorem Arnaldum, quibus duo alij ſocij coniungerentur. Porrò de hac Legatia, & eius fructu, idem, qui ſuprà Rogerius hæc in Annalibus [b]: *Eodem anno* (nempe, M. C. LXXX.) *ad inſtantiam nunciorum Regis Scotiæ, videlicet, Ioſcelini Glaſcuenſis Epiſcopi, & Arnaldi, Abbatis de Meilros, &c. Lucius Papa III. abſoluit Vvillelmum Regem Scotiæ à ſententia excommunicationis, & Regnum ſuum ab interdicto. Romæ in Lateranenſi Palatio, coram Cardinalibus ſuis, ſcilicet, Petro de Pauia, Epiſcopo Tuſculanenſi, & Epiſcopo Prænſte, & Alberto Cancellario, & Hyacintho, &c. Poſtea autem tradidit litteras abſolutionis ſuæ prædictis nunciis Regis Scotiæ in hac forma:*

b ibid. ad hunc an.

Lucius

Lucius Episcopus, Seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Episcopis, Abbatibus, Clero, & populo per Scotiam constituto, salutem, & apostolicam benedictionem.

5. *Cùm Regibus, tanquàm præcellentibus, Apostolus statuerit deferendum, dignum est, & consonum rationi, vt eos, tanquàm filios charissimos, propensius honoremus, & in deuotione B. Petri, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, amuendo iustis illorum desideriis attendamus. Accepimus autem, quòd cùm charissimus in Christo filius noster Vuillelmus, illustris Rex Scotorum, electioni, & consecrationi Venerabilis Fratris nostri Ioannis Episcopi inexorabiliter obuiaret, obtentu litterarum sanctæ recordationis Alexandri Papæ predecessoris nostri, bonæ memoriæ Rogerius Eboracensis Archiepiscopus, & iam dictus Episcopus in eum, & Regnum, & quosdam de Regno sententiam excommunicationis promulgarunt. Cæterùm Venerabilis Frater noster Ioscelinus, Glascuensis Episcopus, & dilecti filii Arnaldus de Melros, & Osbertus Kalkeënsis Abbates, & Vualterus Prior Sanctæ Columbæ de Insula, propter hoc ad Sedem apostolicam accedentes, sua nobis assertione monstrarunt, quòd Archiepiscopus excommunicationis in Regem, & interdicti in Regnum, & Episcopus iam dictus in quosdam de Regno excommunicationis sententiam protulerunt; quam ex multiplici ratione retractandam fore, rationabiliter coram nobis, & Fratribus ostenderunt. Inde vtique fuit, quòd præfato Regi, tanquam charissimo in Christo filio deferentes, omnem sententiam iam dicti Episcopi, præfata causa in eum, vel suos, vel Regnum prolatam, de communi consilio Fratrum, authoritate apostolica relaxauimus; & statuimus illum, & suos excommunicatione, & Regnum interdicto, ex præscripta sententia non teneri. Quocirca Vniuersitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ei, tanquam Regi Catholico, & habenti communionem apostolicæ Sedis, participare minimè dubitetis; sed in omnibus honorem congruum impendatis. Quanto enim certiores sumus de sinceritate deuotionis illius erga Ecclesias, & personas ecclesiasticas Regni sui, tanto amplius eum volumus in omnibus, in quibus secundum Deum possimus, honorari. Datum Velitræ, decimo sexto Kalendas Aprilis.* Hactenus litteræ Lucij Papæ III.

6. Porrò, quod ait de Rogerio Eboracensi iam tunc defuncto, eo præcipuè respicere videtur, quòd Alexander Papa illi iniunxerat Legatiam in Scotiam, præcipiens ei, vt excommunicationis sententiam proferret in Regem, ac Regnum vniuersum interdiceret, quandiu non Ioannes rite, & rectè electus Sanct-Andreana Sede potiretur quietè, & securè: de quibus Legatia, præceptóque extant literæ eiusdem Alexandri ad Vuillelmum, quas adducit Baronius anno M.C.LXXX. quo expeditæ. Itaque latas in Regem, Regnúmque per Rogerium censuras, iussu Alexandri, reuocauit successor, Ioscelini, & Arnaldi interuentione. Cæterùm, ne absolutis Rege, & Regno, iustitia succumberet; ac verus Sanct-Andreanus Archiepiscopus exularet à Sede, incubatore permisso, idem Pontifex cum Legatis Regis Scotiæ, suos item ad eùm destinauit, cognituros de causa, atque inter Hugonem, & Ioannem veritate comperta iudicaturos. Electique duo viri singulares Rolandus Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, in Dolensem Episcopum electus, & venerandus doctrina, ac pietate Sanctus Siluanus, Rieuellensis Abbas, de quo suprà. Ne quicquam vel in hoc ageretur sine Cistercio. Narrat hanc Legatiam idem Rogerius fructuosam in Regem, Regnúmque obedire paratum; sed intruso nociuam tanquàm rebelli, quippe hominem vitæ desperatæ, vel medicinæ in perniciem præcipitabant. Verba Rogerij ipsissima hic subiungam [c]:

[c] *vbi suprà.*

7. *Eodem anno Rolandus electus Dolensis Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus venit in Angliam ex parte Papæ Lucij, ad pacem faciendam inter Regem Scotiæ, & Ioannem Episcopum Sancti Andreæ: & peruenit ad Regem Scotorum vnà cum Siluano Abbate Rieuallensi Collega suo; & diutissimè tractauerunt cum illo de pace facienda inter illum, & Ioannem Episcopum Sancti Andreæ, ad quorum instantiam conuenit in hunc modum inter Regem, & prædictum Episcopum; quòd Hugo abiuraret Episcopatum Sancti Andreæ, & Ioannes Episcopus eundem Episcopatum quietum clamaret à calumnia ipsius; & loco illius haberet Episcopatum de Dunkeldem, & omnes redditus, quos ipse ante electionem suam habebat, & Cancellariam Regis, & quadraginta marcatas redditus de Episcopatu Sancti Andreæ in vita sua. Hugo tamen, cùm requisitus esset à Domino suo Rege Scotiæ, quòd abiuraret Episcopatum Sancti Andreæ, respondit, se malle suscipere iudicium in Romana Curia, quam sic abiurare Episcopatum, ad quem ipse fuerat consecratus. Et statim litteras, quas Ioannes Episcopus contra eum à Romano Pontifice impetrauerat, arguit falsitatis, & appellauit ad Romanum Pontificem,* &c. Sic crimen crimine, & rebellem contumacem impudenti calumnia (quæ hominum plerumque conditio est) aut obtegebat Hugo, aut prolatabat. Tum verò vterque apostolicus Legatus Rolandus, & Siluanus, vt hæc omnia intimarent Summo Pontifici, scripserunt epistolam ab eodem Authore etiam vulgatam: quam & quia gesta ab ipsis apertiùs pandit, & quia à Siluano scripta, non abs re censui in præsenti trauscribendam. Sic autem habet [d]:

[d] *apud eundem Rog. v.*

8. *Reuerendo Patri, & Domino Lucio, Dei gratia Summo, & vniuersali Pontifici, Rolandus eadem gratia Dolensis electus, suæ Sanctitatis seruus, & alumnus apostolicæ Sedis, Subdiaconorum minimus, & Siluanus dictus Abbas Rieuallensis, debitæ subiectionis reuerentiam.*

Cùm literas, quas Hugo Episcopus redarguerat falsitatis, eidem Episcopo dedissemus, & eas, in quibus processus rei continetur; acceptáque à Domino Rege Scotorum licentia, recedere cum festinatione vellemus, Dominus Rex me Dolensem electum diligenter, & affectuosè rogauit, vt per Dominium Ioan. Episcopum transitum facerem, etsi ex parte sua Dunkeldensem Episcopatum cum redditibus, quos antèa in Episcopatu Sancti Andreæ habuerat, cum augmento quadraginta marcarum annuatim percipiendarum, Cancellariam quoque Regiam in signum dilectionis offerrem: adiecitque se ei, & suis omnia ablata redditurum, præter hoc solùm, quòd ad manus tuas deuenisse sciebat, eámque in plenitudinem suæ gratiæ recepturum, sicut antèa fuerat ei oblatum. Volebat tamen, quòd idem Ioannes Episcopus omnia instrumenta sua combureret, quæ super facto Sancti Andreæ fuerant à piæ recordationis Alexandro prædecessore nostro obtenta. Permittebat quoque, quòd Hugo Episcopus ad Glascuensem Episcopatum transferretur, si aliter Episcopus Ioannes consentire non vellet. Et si fieri non posset, tamen concederet, quod obtulerat: sed Episcopum Ioannem non ita diligeret, nec ei plenam gratiam redderet. Quæ omnia, cùm in præsentia Domini Hugonis Dunelmensis Episcopi obtulissem Domino Ioanni, benignè concessit; dicens tamen, quòd nunquam Hugonem Episcopum in Ecclesia Sancti Andreæ permitteret remanere. Volebátque, quòd instrumenta prædicta in aliquo loco reponerentur, ita quòd nunquam sibi contra voluntatem Regiam eis vti liceret.

Sic igitur ad Regis præsentiam, redeuntibus nobis 9. *Episcopo*

Digitized by Google

Episcopo Ioanne prope Rokelburg spectante, Dominus Rex proposuit nobis, quòd multum ei placeret, si Hugo Episcopus posset in Ecclesia Sancti Andreæ remanere; & rogabat me, vt Episcopum ad hoc inducere laborarem. Et cùm ego dicerem ei, quòd nunquam eum de cætero super hoc rogarem, quia non poteram in hac parte proficere, dixit: Bene credo, quòd ex quo Dominus Ioannes ad pacem, & dilectionem meam rediit, hoc consideratione meæ dilectionis, & ad precum mearũ instantiam sustinebit; & de eo libenter cum eo loquerer. Et rogauit me Rex, vt ei consulerem, quòd veniret loqui cum eo. Missis igitur Clericis Regis ad Episcopum Ioannem, respondit, quòd non veniret: quia à quibusdam Consiliariis Domini Regis audiisset, quòd Dominus Rex semper ad hoc omnibus modis niteretur, vt Hugo in Episcopatu Sancti Andreæ remaneret; & si venire vellet, illi non poterant ei securum præstare conductum. Cùmque illi in hac verba rediissent, Dominus Rex quendam Episcopum, Abbates, Comites, & Barones ad eundem Episcopum transmisit, rogans, vt loquuturus cum eo veniret ad eum; præcepitque eis, vt eidem Episcopo omnem securitatem præstarent: qui redeuntes dixerunt, quòd Dominus Ioannes, quia præsentiens, quòd Dominus Rex vellet Episcopum Hugonem in Ecclesia Sancti Andreæ remanere, respondit, se nunquam ad Regem venturum, nisi primò iurarent, quòd Dominus Rex omnia, quæ ei per me obtulerat, obseruaret; sed iurare nolebant: & sic Dominus Ioannes ad propria remeauit. Nos verò prædictis Episcopis Ioanni, & Hugoni statuimus terminum in Kalendas Octobris veniendi ad vos, & vestro parere iudicio. Valete. Hæc Legatus vterque, Rolandus, & Siluanus, ad Lucium Papam.

Porrò in his litteris, vt alia prætermittam, quæ 10.
non leuem doctrinam præseferrent, duo in Historia occurrunt notatu digna: alterum est, quòd in eisdem dicitur, oblatam fuisse Hugoni ab Vvillelmo Glascuensem Ecclesiam, si Sanct-Andreanæ præfici aut non posset, aut Ioannes, cum quo litigabat, non consentiret. Quod mihi probat satis manifestè, in eo casu non alium, quàm Ioscelinum Sanct-Andreanæ Sedi præficiendum. Aliàs, ipso viuente, nec promoto, Glascuensis Ecclesia non vacabat. Porrò superstitem adhuc per multum tempus, argumento sunt epistolæ complures Vrbani, Clementisque successorum Lucij, quas ad eum directas in hoc ipso negotio infrà videbimus. Alterum est pacificendis conditionibus inter Regem, & Ioannem abfuisse Siluanum, & solùm electum Dolensem interuenisse: non quòd minori, aut ageretur zelo, aut polleret prudentia, authoritatéve, vir doctus & sanctus, & quem exteri etiam, nedum incolæ terræ venerabantur: sed ne Rex ipse incertas promissiones, & fortè subdolas tanto fideiussore firmaret, vltrà quam vellet: quasi si semel Siluanus interuenisset, nullum illi arbitrium, neque vlia retrocedendi libertas relinqueretur. Atque id fortasse vnum in causa fuit, cur Ioannes diffidendum putaret eius promissis. Sed de his nunc satis: nam, quæ post hæc in eodem negotio sequuta sunt, atque per nostros tandem consequuta, Deo dante, reddemus suis temporibus. Ergo ad alia.

---

1. *Henrici Cardinalis Albanensis gesta in Gallia.* 2. *Iterata sub Lucio Legatia.* 3. *Differtus locus de Archiepiscopo Lugdunensi ab eo depositio,* 4. *aliòque Narbonensi:* 5. *& coniectatum in re obscura, & dubia,* 6. *cum fragmento epistolæ Stephani Torpacensis.* 7. *Doctores duo in Anglia præflorentes, Oddo de Zeritona* 8. *clarus scriptis,* 9. *atque Rogerius Monachus Fordensis, & Magni Balduini quondam discipulus.*

CAPVT II.

1. HENRICI Cardinalis Albanensis confundunt gesta, atque Historiam præcipitant repetitæ, & frequentes Legatiæ, & quæ illi iniuncta crebra negotia, adeò grauia, adeò multa, vt tot, ac tantis vix plures sufficisse, ac ne vix quidem vnus videri possit. In tabulis sepulcrorum Clarævallensium Legatus iterum in partibus Galliarum sub Lucio III. iterum perfecisse illustria commemoratur. *Legatus,* aiunt [a], *mittitur ad Prouincias transmontanas, & ad Hæreticos propulsandos, data ei Sedis apostolicæ potestate, vt euellat, & destruat, & dissipet, & ædificet, & plantet. Qui duos Archiepiscopos, Lugdunensem, scilicet, & Narbonensem (quia inutiles, & reprehensibiles esse videbantur) in spiritu vehementi velociter deposuit: Abbates nigros, & multarum Ecclesiarum Prælatos, quantùm potuit, emendauit: castrum nominatissimum Hæreticorum, quod* Nalis *nominatur, per miraculum cepit; Satrapas Hæreticorum tenuit, conuicit, conuertit, & errorem suum coram omnibus cognoscere fecit. Postea visitata sua Claraualle, & muneribus honorata, ad Romanam Curiam rediit, atque à Domino Papa Lucio, Alexandro iam defuncto, & à cæteris Cardinalibus honorificè est receptus.* Hactenus ibi: quæ vtinam distinctiùs, clariùsque antiqui Patres nobis tradidissent.

[a] apud Henriquez in Fasciculo.

2. Ego non dubito Henricum Cardinalem à Lucio III. designatum Legatum in partes Galliæ, idque sub hoc tempus, quod hæc ipsa tabella, & gesta in ea contenta plane commincunt. Maximè si Chaconio, & aliis fides, qui interfuisse eiusdem electioni indubitanter tradunt. Quando qui Romæ Lucium elegisset, non potuit rediens ex Gallia ab eo suscipi, nisi sub ipso, & ab ipso missus esset. Rursus non dubito egisse etiam Legatum sub Alexandro, aduersùs Albigenses, quod suprà à nobis dictum: sed antequàm in Episcopum Cardinalem promoueretur. Vtrùm autem iam factus Cardinalis, secundò ab Alexandro missus sit, quod tabella videtur indicare, dum ait, rediisse mortuo Alexandro, cùm expressum non videã ab Authoribus, neque affirmare audeo, nec planè nego. Certè de prima eius Legatia verificari nequit, quòd redierit Alexandro Papa mortuo, cùm ab eodem post reditum ex Gallia, Cardinalis creatus inueniatur. De vltima, superfluè diceretur, quando nec potuit à Lucio III. mitti, Alexandro viuente: quare defunctum reliquit, non inuenit. Vt mediam aliam sub eodem Alexandro coniectari possimus, à qua redierit post illius mortem, sed ante successoris designationem. Vtcumque fuerit, in tabella omnia confusa; & vt constet, sic censeo distinguenda, vt cuncta, quæ Hæreticos concernunt, ab Henrico conuictos, conuersósque, atque id genus alia, sub Alexandro;

Digitized by Google

dro; reliqua omnia sub Lucio perpetrauerit. Sed neque sic difficultate carent, quæ ibidem dicuntur: vnde & breuiter nobis aperienda, aut saltem coniectandum, quod peritiores valeant emendare.

3. Certè quod ait, *duos Archiepiscopos, Lugdunensem, nimirum, & Narbonensem (quia inutiles, & reprehensibiles esse videbantur) in spiritu vehementi velociter ab eo fuisse depositos*; subobscurum est, & vix earundem Ecclesiarum Historiis consonum. Quippe quod attinet ad Lugdunensem, constat à tempore, quo Henricus Cardinalis creatus est, vsque ad tempora Vrbani, qui Lucio in Pontificatu successit, vt in tempore dicam, duos tantùm Lugduni præsedisse, Guicardum, & Ioannem: quorum primum assumptum ex Pontigniaco, sanctitate florentem, doctrinaque etiam supra consuetum, & Authores agnoscunt, & nos in præcedentibus ostendimus. Ioannem verò sub Lucio non depositum, quin adhuc præfuisse per annos plures; nempe, vsque ad M.C.LXXXIX. vel circa, ipsa Series Pontificum declarat, quæ Raynaldum, Raynaudúmve, qui Ioanni successit, nequaquam ante eum annum suffectum prodit. Adde, quòd in Tabulis Archiepiscoporum Narbonensium, in quibus etiam Ioannes (velut inde promotus) memoratur, sub Lucio non depositus, sed potius Legatia functus in Gallia dicitur, (nempe, à discessu Henrici,) vt clarè constet, eum non deposuisse, quem adeò Pontifex statim exaltauerit: *Ioannes*, inquiunt [b], *Episcopus Pictauensis sexagesimusquintus numero: posteà Narbonensis Archiepiscopus, anno M.C.LXXXI. tandem Lugdunensis à Lucio III. Papa, & Legatus in Franciam missus.* Demum, quo anno Lugdunensem præfecturam Ioannes exuit, non depositus, sed voluntariè cedens, ac mundo valedicens, Clarævallis Cœnobium ingressus est, Monachum ibi acturus cum magna laude, vt suis locis à nobis dicendum erit.

[b] apud Ioannem Chenu.

4. Sed nec faciliùs inter Narbonenses inuenire licebit, quem Albanensis Henricus deposuerit. Cùm idem Ioannes præcedenti anno promotus ad eam Sedem, penè antequàm in illa sublimaretur, ad altiorem vocatus, depositionem nequaquam expectauerit. Sed, neque qui ei successit Bertrandus, seu Betherandus, quantumuis dignus qui deponeretur, vt infrà dicam, à Cardinali Henrico deponi potuit; cùm constet produxisse Præfecturam, vsque ad Arnaldum, qui anno M.C.C.XII. longè post defunctum Henricum, promotus legitur. Porrò Ioannem Narbonensi Ecclesiæ raptum per promotionem, statim atque in illam Sedem electus est, adeóque non potuisse ab ea deponi, habemus ex epistola Stephani Tornacensis ad eundem scripta congratulantis, quòd Narbonensi Prouinciæ, gentíque, priusquàm illuc aditet, subtractus esset: *Absit* (ait [c],) *Pater, a mansuetudine vestra, vt ad Gothorum barbariem, ad leuitatem Vasconum, ad crudeles & efferos mores Septimaniæ declineris; vbi supra fidem infidelitas; supra famam, fames; dolus, & dolor plusquam valeas æstimari.* Et paulò inferiùs: *Contremui, fateor, & expaui, cùm ad ea loca vos inuitari audirem, in quibus etsi contingeret vos præesse; facilè tamen esset non prodesse. Audito tamen quod Radamnusia Sidonij vos vocaret (sic Lugdunum appellat) gauisus sum gaudio magno*, &c. Non ergo potuit de Sede illa deponi, ex qua priusquàm sederet, promotus fuit.

[c] epist. 92.

5. Mihi in re dubia, & planè subobscura, coniecturis vtendum, quandiu desunt Authores, & instrumenta. Crediderim, Guicardum inter, Ioannémque, mediasse alium in Sede Lugdunensi: qui ab Henrico depositus, & quod indignus, & quod breuis temporis Pontifex, nequaquam inter alios commemoretur. Porrò in depositi locum subrogato Ioanne per Lucium III. forte ad Henrici Cardinalis requisitionem, in Narbonensi Sede alium intrusum, qui nō minùs meruerit remoueri. Neque hunc fuisse Bertrandum, seu Betherandum, cui Arnaldus successit, quippe quem eædem Narbonenses Tabulæ sublimatum affirmant anno M.C.LXXXXI. sed diuersum, atque ob easdem causas prætermissum; siue, quia eius, vt aliorum memoria excidit, quod negari non potest; maximè cùm à Ioanne, vsque ad Bertrandum decem anni intersint plùs, minúsve; quos nec depositus sub Lucio Papa III. qui obiit anno M.C.LXXXIV. implere potuit; nec Sedes tanto tempore vacasse credenda est, nulla præcipuè notitia apud Authores: verùm hæc coniectando à nobis dicta; vtinam alius emendet certiori fide.

6. Legatus in partibus Galliæ Narbonensis, seu Tolosanas mauis, (dubium, sub Alexandro, siue sub Lucio,) plures insignes viros secum traxit, quorum opera vsus, quæcunque occurrerent faciliùs expediret: inter hos primus, vel inter primos fuit Venerabilis Stephanus, tunc Sanctæ Genouefæ Abbas apud Parisios, mox Tornacensis Præsul, cuius extat insignis epistola ad Raymundum Priorem, in qua tum viam ipsam, tum viæ ducem, labores, & pericula lucu- [d] epist. 90. lenter enarrat, ita scribens [d]: *Leuiorem, & minùs formidabilem facit susceptum laborem timor periculi grauioris: & tamen vnde timere debeam, multa suspectum; cùm & peregrinatio sit longa, & periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex Catarellis, ex Vasconibus, ex Aragonibus, via suspecta magis sit lethalis, quam læsa. Sequar tamen Albanum Episcopum per montes, per valles, per vastas solitudines, per prædonum rabiem, & mortis imaginem; per incendium villarum, & ruinas domorum: vbi nihil tutum, nihil quietum, nihil quod non minetur salutí, & non insidietur vitæ.* Hæc Stephanus ad Priorem sui Conuentus, quibus non solùm Henrici Legatia, sequestérque; ipse, nimirum, qui epistolam scribebat; sed pericula etiam, & labores; tum authoritas viri, gratiaque, qua & optimum quenque sibi alliceret, allectum post se traheret, nullo negotio veniunt cognoscenda.

7. Circa idem tempus floruisse in Anglia lego duos insignes viros, Oddonem, & Rogerium, eruditum vtrumque, atque vtrunque per scripta manifestatum. Meminit vtriusque Ioannes Pitheus, ex quo, quæ tradit, breuiter hauriendа: *Oddo Zeritonensis*, ait [e], *vel Shirton, dictus Magister Oddo, Monachus Cisterciensis, Sacræ Theologiæ Doctor. Hic, postquàm in patriis Academiis absoluisset studiorum curricula, Parisios se contulit, vt externa domesticis coniungeret, mores Gallicos, & variarum rerum experientiam discere posset, & cum doctissimis viris, facto quotidiano congressu, suas scientias, adiunctis alienis augeret. Erat Orator disertus, Philosophus acutus, disputator subtilis, Concionator elegans. Adeò felici ingenio penetrauit omnia, vt omnium penè scientiarum gloria floreret; atque his nominibus, doctis quibusque viris, & Principibus carissimis esset charus, & quibusdam eorum ab intimis consiliis. Nam ad hoc munus propter multiplicem rerum scientiam, longam experientiam, singularem in rebus gerendis prudentiam, & solidum iudicium, erat aptissimus. Multa Prouerbia, Parabolas multas, tum sacras, tum profanas, quasi alter Salomon, scripsit.* [e] ætate 12.

8. *In primis, quæ Esopus Græcè exaravit, hic Latina fecit, & Commentariis illustrauit; Operique titulum præfixit:* Bestiarium, *vel,* Brutarium. *librum vnum, qui incipit:* Iuerunt ligna, vt vngarent super se Regem.

Opus sexaginta Parabolarum, librum vnum, qui incipit: Quoniam, vt dicit Gregorius, *&c.*

Aliud Opus Parabolarum librum vnum, qui incipit: Aperiam in parabolis os meum.

Homiliarum de tempore librum vnum, qui incipit: Cùm appropinquasset, *&c. Habetur manuscriptus Cantabrigiæ, in Collegio S. Petri.*

Homiliarum de Sanctis librum vnum, qui incipit: Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ.

Pœnitentiale librum vnum, qui incipit: Descendi in hortum meum, vt viderem, *&c.*

Summam, quæ dicitur haberi manuscripta Oxoniæ, in Collegio nouo.

Partium Opus librum vnum: Narrationum librum vnum. Et alia multa, quæ dicuntur adhuc inueniri in variis Angliæ Bibliothecis. Claruit anno Domini M.C.LXXXII. sub Angliæ Rege Henrico II. Hæc de Oddone illustria satis, & vix dicendis de aliis concessura.

9. Ast de Rogerio, discipulo Balduini, hæc, quæ sequuntur: *Rogerius, natione Anglus, Ordinis Cisterciensis Monachus in Cœnobio Fordano, ad Axi fluminis ripas, sub Abbate Balduino. Hunc strenuum pietatis, & doctrinæ cultorem prædicat Lelandus. (Saluum vel ex inimicis haurire licet.) Post quam enim in patria bonis literis feliciter operam dedisset, ad Belgas transfretauit, studiorum suorum cursum nunquam prætermittens: imò noctes, atque dies infatigabili labore libris incumbens, quotidie se ipso doctior fiebat. His temporibus per totam ferè Europam percrebuit fama Sanctæ Elisabethæ, Abbatissæ Sanctimonialium, quæ in Cœnobio Schonaugiensi Deo famulabatur: illa enim spiritu prophetico imbuta miras diuinitùs habuit reuelationes. De illa igitur sanctissima Abbatissa ad Dei, & Sanctorum gloriam agendum iudicauit Rogerius; & maximè conuenire existimauit, vt Religiosus de Religiosa fidele testimonium, & tunc videntibus præberet, & posteris credituris traderet. Itaque omnes huius Sanctæ Elisabethæ reuelationes, beneficio maximè Guillelmi Sauigniensis Abbatis, excepit, & in vnum Volumen collegit, & præfato Balduino, Abbati suo, totum Opus consecrans, in vulgus emisit, titulúmque indidit:* Reuelationes Sanctæ Elisabethæ. *libros duos. quorum initium est:* Omnes, qui lecturi sunt.

De undecim millibus Virginibus Coloniæ occisis librum vnum. Encomium Beatæ Mariæ Virginis, librum vnum. Et alia nonnulla. Claruit anno Redemptionis humanæ M.C.LXXXII. sceptrum Anglicani Regni tenente Henrico I.I. Hactenus ex damnato Authore, Pitseus, vt nullum dictis dubium subesse possit, quippe Catholicum nequaquam laudaturo, si, vel leuiter, carpere potuisset. 10.

---

1. *Alani quondam Altisiodorensis Præsulis mors; 2. testamentum, 3. & in eo multa sancita. 4. Correctus liber sepulcrorum Claræuallis, 5. ad quam funus perductum honorificè. 6. Alani opera, 7. & memoria doctrinæ, ac sanctitatis. 8. Guarmundus è Pontigniaco promotus Altisiodorum; sed morte præuentus: 9. dictum de Successore, de quo nonnihil dubij inter Authores.*

CAPVT III.

1. HIc item annus Antisiodorensi Ecclesiæ duos ex Cistercio assumptos Præsules abstulit: alterum, cùm iam diu renunciasset; alterum, antequàm consecraretur. Alanus Insulensis, quem suprà diximus ex Claræuallis Monacho Abbatem Ripatorij: inde Hugone defuncto, subrogatum Antisiodori, cùm annos tredecim ibidem peregisset, selectis insulis, reuersum ad Claramuallem: hoc tandem anno ad Superos conscendit, æterna gloria in Cœlis coronandus. Condidit ante mortem testamentum, quantùm coniicere licet in Ripatorio, (cui soli sua, & seipsum partiebatur, & corpus Claræualli legabat, animam Deo.) Scripsit, quæ per Abbatem eiusdem loci, cuius & proprio sigillo communiuit, quo inuiolabiliùs per Monachos vtriusque Domus obseruaretur. Potrò id vulgarum per Nicolaum Camuzatium in suis Miscellaneis, atque vulgantem pietatem Præsulis Sancti, totidem verbis censui transcribendum.

2. *Exemplar testamenti D. Alani Cœnobij Ripatorij primi Abbatis, quod de consilio, & voluntate Capituli nostri factum, & confirmatum est, vt nullatenus infirmetur, fidei commisimus litterarum, vt certam habeant inde rationem posteri, quod exaratum est in præsenti. Eapropter ego dictus Abbas de Ripatorio, ad præsentium, & posterorum notitiam scriptum relinquo, quod venerabilis Dominus Alanus, quondam Antisiodorensis Episcopus, ne quid de bonis, quæ habere videbatur, remaneret intestatum, sic suum per manum nostram disposuit testamentum. In primis de Grangia, quæ* Viadomange *dicitur, ordinatum, & statutum est, vt possessionum suarum termini ab ea nullatenus transferantur; sed eas, vt in præsenti possidet, perpetuò Grangia remaneat, perpetuò possidebit. Quòd si aliquando acciderit, vt infra nemus* Dolchia *suos poterit terminos dilatare, ita vt iuxta se quatuor carruncatas terræ habeat, tunc earum termini terrarum, quæ iuxta Hirsun de Germont continentur, ad voluntatem Abbatis, & Fratrum sanioris consilij, poterunt transportari. Dabitur etiam singulis annis per singulas Solemnitates, quibus Fratres conuenirent ad audiendum verbum Dei, & in Festiuitate Sancti Bernardi, & in anniuersario eiusdem Alani, de frumento eiusdem grangiæ, libra panis albi per singulos. Et, si vrgente temporis necessitate aliqua earundem solemnitatum transferatur, aut ferme dimittitur; huius tamen dispositio statuti nullatenus dimittetur.*

De vinea verò de Valicure, *dictum est, & conscriptum, quod tota vsui Conuentus deputabitur. Et ne procul terra eius Cellerarij grauarentur, quinque arpenta vinearum, quæ in monte de* Teneleris *continentur, quæ sibi emerat idem, eisdem assignauit, vt fructum, quem inde reciperent, ad eiusdem cultum vineæ resignarent. Dedit nobis præterea septem calices, & omnes libros suos, tam claustrales, quam ecclesiasticos, statuens, & præcipiendo disponens, vt de libris, & calicibus, nullus extra Ripatorium deferatur, aut quomodolibet asportetur. Hoc autem totum factum* 3.

est

est hac ratione, & consilio, vt si apud Claramuallem in sepulcro Patrum suorum fuerit tumulatus, totum, quod de libris dictum est, ratum permanebit, & stabile: sin autem, totum cassabitur, nec ratum, nec stabile permanebit. Quod verbum licet moleste haberemus, vtpote tanti Patris absentiam non amantes; tamen quoniam rei ei erat pro anima, & cordi sibi erat ab antiquo, Sancto Bernardo consepeliri, vt simul resurgeret; licèt inuiti sepulturam concessimus, vt regauit, & omnia hæc, vt dicta sunt, & scripta, ne processu temporum deperirent, sub anathematis prohibitionis interminatione: & sic nostri sigilli impressione, & sui annuli appositione iussimus roborari.

4. *Verumtamen, quoniam nihil maius debetur homini, quàm vt dilectionis affectus, qui viuenti est exhibitus, mortuo non negetur; præsenti scripto adiicientes annuimus, vt cùm ex hoc mundo transieris, Sacerdotes quinquaginta Missas, Clerici duo Psalteria, & Laici trecentum* Pater noster *exoluent. In anniuersario autem eius sic agetur: Missa pro eo dicetur in Conuentu singulis annis, diuinum Officium pro eo ea die celebrabunt Sacerdotes; Clerici quinquagintа Psalmos, & Laici centum* Pater noster *exoluent. Actum anno Incarnationis Verbi M.C.LXXXII.* Hactenus testamentum Beati Alani, ex cuius verbis corrigendus liber sepulcrorum Cœnobij Clarævallis, qui mortem viri ad annum anteponit; &, nisi fallor, coniectari licet, obiisse in Ripatorio, nulla aliàs pœna præscribenda Monachis, si non deferrent corpus ad Claramvallem, vt cum Bernardo parente sepeliretur. Arnoldus Vvionius pro suo more, tres errores inuoluit vix tribus verbis: *Præfuit*, inquit, *Antisiodori annis XVI. obiit quinto Idus Octobris, anno M.C.LXVII.* Sed, quorum duo facilè ex dictis, alter ex iam dicendis emendabuntur. Itaque ad Claramvallem perductum funus, dolentibus quidem filiis; sed comitantibus. Quippe ex eadem omninò pietate in parentem charissimum, & spoliari mœrebant: & nihilominùs, quod mœrebant, exequebantur.

5. Pergit, qui suprà Camuzatius de viri tumulo: *Corpus dicti Alani depositum in Ecclesia Clarævallensi, ipsiúsque elogium in tabella eius sepulcro imminenti, ita scriptum:*

Ad dexteram Godifredi, Lingonensis Episcopi, versùs Chorum Monachorum, iacet Dominus Alanus Episcopus, qui in quadam Ecclesia oppidi fameſi in Flandria, quod Insula nuncupatur, à puero educatus, sub Beato Bernardo in hac Claraualle Habitum Sanctæ Religionis suscepit. Postea primus Abbas factus est Monasterij, quod Ripatorium nominatur, cui per annos XII. præsidens, Domino cooperante, sategit, vt personis vtilibus, & possessionibus necessariis, videlicet, grangiis, siluis, agris, pratis, & pascuis idem Monasterium ditaretur. Anno verò nouissimo vitæ Beati Bernardi, ab Ecclesia Antisiodorensi, in Episcopum concorditer est electus. Hic multam hospitalitatem, omnibus Religiosis, domos suas frequentantibus, exhibuit, suóque Monasterio de Ripatorio, vnde Abbas fuerat, multa noscitur contulisse. Clarauallensi autem Cœnobio, quantam poterat diligentiam exhibebat, illud sæpè visitans, auxilia quanta poterat conferens opportuna. Peractis demum in Episcopatu XIII. annis, de licentia Sedis Apostolicæ, cessit Episcopatui, & ad suam rediit Claramvallem. Mansit autem in Claraualle in Domo Sancti Bernardi post decessum Domini Godefridi Lingonensis Episcopi, multùm exercitatus in negotiis Ordinis, paritérque ecclesiasticis, Domino Abbati Ponio, successoribúsque eius vsque ad Petrum Venerabilem Abbatem Clarauallis oriundum, non mediocriter necessarius fuit. Obiit pridie Idus Octobris, M.C.LXXXI. corrige tamen *M.C.LXXXII.* vt ex charta testamenti eius colligitur.

Sub finem vitæ, cùm Petrus iam præsideret in Claraualle, Bernardi vitam scriptam à diuersis, breuiandam pariter, corrigendámque suscepit; dicauitque eidem Sancto Abbati, tali Opusculo epistola præfixa, quæ simul cum ipsa Alani compilatione in antiquis exemplaribus circunfertur [b]: 6.

[b] *in Præfat. ad vitam S Benedicti.*

Venerabili Patri Pet. e Dei, providentia Clarauallis Abbati, Frater A. Altisiodorensis Ecclesiæ humilis quondam Sacerdos, æternam in Christo salutem.

Vitæ beatæ recordationis Bernardi Clarauallis Abbatis virtutibus, & miraculis tam admiranda, quàm imitanda, plures in scribendo extiterunt Authores: sumpta, similiter, materia, quæ se inquirentibus copiosa offerebat. Quod autem nos ex eadem narratione, nonnulla omittentes, & apponentes perpauca, breuiore perstrinximus schedula, non tam præsumptio, quàm, vt creditimus, ratio persuasit. Principio, quòd Scriptorum (tametsi vera sit) prolixitas, onerosa debet esse legentibus. Deinde, quòd Godefridus Venerabilis Lingonica Sedis Antistes, eiusdem Patris Bernardi secundum carnem propinquus, secundùm spiritum in conuersione socius, & in laboribus coadiutor, quædam in pagina, quam breuiandam suscepimus, minùs veritati consona denotabat: vtpote qui ab infantia cum Sancto illo nutritus, visa meliùs, quàm alij narrata didicerat. Morte verò idem venerabilis Sacerdos præuentus, quod inde cœperat, & optauerat, imperfectum reliquit. Sed & in serie ipsa descriptionis, multiplex sensuum recapitulatio est: dum plures eadem sæpè dixerunt, etsi aliquando dissimilibus verbis. Necnon etiã si quis diligenter aduerat, ibidem quædam aspera, inserta reperiuntur: verbi gratia, contra ecclesiastica, & secularis potestatis authenticas, sublimesque personas. Absit autem, vt quicquam asperum, vel amarum oliua illa suauitatem in domo Domini fructificans, erga quempiam reddat: cuius studij semper fuit, dum vixit in sæculo, omnes homines mansuetudinis suæ oleo demulcere. Sanè narrationis nostræ veritas non incertam apud nos obtinet firmitatem: cùm etiam plura ex his, quæ vel ex eius ore sacratissimo, vel fideli Religiosorum relatu comperta cognouimus, sicut & miraculorum multitudinem scienter prætereuntes, studio breuitatis duximus sequestranda. Si igitur puritatis vestræ examini nostra placuerit abbreuiatio (subtractis, vel appositis emendatis, quæ vestræ visa fuerint Sanctitati) cum Dei beneplacito, vestróque fauore (ni fallimur) sine offendiculo poterit transcribenda exponi. Sin autem nostræ humilitatis est, idem Opusculum penes nos potiùs occultare, quàm prodere: ne minimè profutura temerè velle pandere videamur. Hactenus Alani ad Petrum breuis epistola: sed quæ scribentis sanctam pietatem, humilitatémque, etiam post insulas, altè præseferat. Sequitur vita nouem, & triginta capitibus distincta: sed quæ maiori ex parte alios transcribat.

Hoc monumentum eruditi hominis extat: nam alia periêre iniuria temporum. Sanctitatem commendant Ioannes Abbas, & Missale Ordinis vetus in suis Catalogis, Chrysostomus Henriquez in Menologio, Octobris die decimoquarto: atque ex externis Miræus, Sanderúsque ille in Fastis Belgicis [c], necnon in Originibus Monasticis [d]; hic in Agiologio Flandriæ, littera A. Buzelinus, dum Flandriæ insulis natos illustres viros memorat, primùm omnium recenset B. Alanum [e]: *Quo sanè in genere præclarus fuit Alanus, qui cùm Insulæ vsuram lucis transfisset, primùm Cisterciensis Ordinis institutum cupidissimè arripuit,* 7.

[c] *eadem die.*

[d] *lib. 5. ep. 15.*

[e] *lib. 2. ep. 7.*

&c. Nec dubium est excelluisse virum doctrina vel inter paucos, ex multis illius sæculi.

8. Quo anno Alanus ex hac vita migrauit, post insulas depositas, migrasse legitur quartus Pontigniaci Abbas Guarmundus, ad eandem Ecclesiam postulatus: sed, antequàm in Sede collocaretur. Hic genere inter primos Franciæ clarus, pietate conspicuus, doctrinâque, Ecclesia Antisiodorensi vacante per mortem Guillelmi Tuciacensis, qui Alano successerat, cùm Pontigniaci octo annis præsedisset, in Episcopum Antisiodorensem electus, sed non pacificè, quippe quibusdam alium nominantibus, Romam ad Lucium Papam profectus est, resignaturus, si Pontifici placeret; aliter ab eo consecrandus. Sed litem omnem dissoluit tristis mors, quæ ipsum, sociósque, & collitigantes penè omnes absorbuit ipso in itinere. De his hæc pauca Vincentius Belluacensis in suo Speculo [f]: *Horum frater* (scilicet, Ægidij de Torneralis, qui procurabat negotia Regni, & Roberti fidelis, qui fuerat tutor Regis) *Guarmundus, Abbas Pontigniaci, eligitur in Episcopum Antisiodorensem; sed quadam persona Ecclesiæ contradicunt. Guarmundus autem, & socij utriusque partis penè omnes in Romano itinere moriuntur.* Ita Vincentius. Haud dissimilia Tritemius de Viris illustribus Ordinis Sancti Benedicti [g]; & ex eo, & aliis Index Claudianus Abbatum Pontigniacensium: *Guarmundus*, ait, *anno M.C. LXXXII. postulatus Antisiodori, ante consecrationem obiit, Romæ sepultus.* Atque hinc illustrandus venit Catalogus Antisiodorensium Episcoporum, qui Guillelmo defuncto anno M. C. LXXXI. immediatè Hugonem subrogat, assumptum ad sedem anno M. C. LXXXIII. nulla biennalis interregni reddita causa: quam tamen constat ex his, quæ suprà diximus, in Guarmundi electionem litigiosam, & mortem subsequutam referendam.

f lib. 29. c. 24.

g lib. 4. cap. 269.

9. Inter Authores non omninò constat, quis Pontigniaci exceperit Guarmundum, discordantibus tabulis, nec facile aliunde hauriendæ maiori luce. Cæterùm Petrum, quintum loci Abbatem, constanter prodit sepulcri eius inscriptio (testis in hac materia irrefragabilis, aut nullus alius talis,) quæ ita habet: *Hic iacet Dominus Petrus, Episcopus Atrebatensis, quintus Abbas huius Monasterij.* Igitur Petrus Guarmundo suffectus est; haud tamen diutiùs in sede permansurus, quippe quem non secùs atque quatuor eius antecessores insulæ pontificiæ præstolabantur, vt suo loco dicemus. Interim adnoto post electionem, ex eius quinque primis Abbatibus Cistercij, quatuor hoc anno Petros cognominatos, quod fortè aliàs non visum; insignes omnes; Cistercienſem, Pontigniacensem, Claræuallensem, & Morimundanum: licet hunc non actualem, sed qui cessisset, iterum rediturus, vt infrà dicemus: priores duos Episcopos futuros Atrebatenses, vt suis locis differam, quantumuis ex immediata successione, & nominis, atque professionis identitate, ab Authoribus etiam primæ notæ confundi soleant. E posterioribus sanctitate illustrem alterum Beatum Petrum Monoculum, de quo & multa narrata, & multò plura in sequentibus dicenda: alterum admiranda resurrectione, quam ex Cæsario dedimus, eò profectò insigniori, quò rariori, atque ex signis externis magis nota, quæ hominem vsque ad mortem non deseruere.

---

1. *Hugonis Bonaualli Abbatis sanctitas,* 2. *& sub eo florentes diuersi Monachi:* 3. *varia exempla,* 4. *atque obitus glorioſi.* 5. *Monachus alius, & mira de eo visio:* 6. *quid cum famulo eiusdem Monasterij:* 7. *quid de Conuerso.* 8. *Excellens Sanctus Prophetiæ dono,* 9. *atque miraculorum, quæ plura gessit.*

CAPVT IV.

1. SVB idem tempus, cùm multa gratia prædictus Beatus Hugo, de quo in vtroque Tomo præcedenti, Bonævalli præesset, prodesséque, multi ex discipulis eius Sancti Magistri suasionibus, & meritis, feruentes in vita, & in Ordinis disciplina, & rigore perseuerantes, consummati feliciter, cæterorum feruorem confirmabant. Glorioſos aliquorum ex eis transitus à Vincentio Belluacensi descriptos; neque alibi notandos, hic transcribam: ille autem orditur in hunc modum [a]: *Eo tempore* (nimirum, circa hunc annum) *multa sanctitatis gratia florebat Hugo Venerabilis Abbas Bonaualli*, &c. Et paulò inferiùs:

a lib. 29. cap. 33.

2. *Sub hoc Sancto Viro factus est quidam iuuenis Nouitius valde feruens in suis principiis, qui postea tentatus valde cogitauit ad sæculum redire, & hanc cogitationem confessus est Abbati, qui cœpit ei suadere, vt remaneret: sed nihil profecit. Tunc Abbas ait: Fili, miserere animæ tuæ placens Deo, ne perdas gloriam tibi paratam. Ego enim spondeo tibi, & fideiussorem sponsionis huius me ipsum statuo, quòd si tu remanseris, Sanctorum Angelorum æternus socius eris. Ad hæc verba confortatus ille in Domino perstitit: & optimè postea conuersatus est. Qui duobus annis, antequàm moreretur, grauissima infirmitate laborauit; ad quem confortandum missus est Sanctus Iob cum maxima claritate, qua totum Infirmitorium repletum est. Ego, inquit, sum Iob, quem Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis misit ad consolandum te: sicut ego in tali infirmitate patiens fui, sic & tu: & ideò mecum florebis in gloria mea, & eras eris mecum, & metes, quod seminasti: quod & factum est. Non multò post apparuit Abbati suo in gloria magna reddens ei gratias, quòd per eius admonitionem in Ordine perstiterat.* Ita grauis, & antiquus Author Vincentius, Philippus Seguinus [b], & eo citato Chrysostomus Henriquez [b], Hunc iuuenem Hilarium vocatum tradunt, atque hic vltimus Menologio inserit ad tertiamdecimum diem mensis Aprilis.

b *de Sanctis Cisterc. Apr.* 13.

3. Pergit Vincentius de duobus aliis scribere, altero reprobo, atque adeò retrocedente; sed altero confirmato consiliis Sancti, æternæ gloriæ præmiis, & Mariæ patrocinio fruituro. *Sub eodem*, ait [c], *Viro Sancto facti sunt Nouitij Clericus vnus, & miles vnus perfidus, & dolosus; qui in eodem anno duo castella tradiderat, & destruxerat. Huic autem militi dormienti videbatur in visu noctis, quòd in puteum caderet tam profundum, vt tres dies consumeret in cadendo, donec ad profundum perueniret. Quod cùm Abbati Sancto retulisset, ille interpretatus est puteum abyssi infernalis,*

c lib. 29. cap. 33.

infernalis, in quo casurus erat, si Ordinem relinqueret. Et ideò monebat illum, vt remaneret. At ille noluit, sed recessit: & cùm recessisset, tertia die ab inimicis suis interfectus est. Clericus autem similiter victus, confessus est Abbati tentationem suam, quem consolans Abbas premisit ei, quòd si remaneret, Regina Mundi pro anima eius veniret, & duceret eum in requiem suam; quod & factum est: nam pridie quàm moreretur, apparuit ei Domina nostra dicens, se venire propter eum, & quòd in crastina futurus esset in requie aterna: & ita contigit. Hactenus Vincentius Belluacensis in eo capite. Hunc item Clericum Menologio suo inseruit Henriquez Augusti vigesimaquinta; & Paulum appellatum, ex eodem Philippo Seguino tradit.

4. Cæterùm & duorum aliorum felices transitus, ab altero prædictos, in vtroque impletos, quorum alter Ioannes, teste Vincentio, alter Mauricius vocatur à recentioribus [d]; quia floreus sub Hugone Cœnobium summè commendant, præcedentibus duxi subiungendos: sic autem habent [e]: *In Domo Bonaevallis erat quidam Monachus fervens, qui cùm esset debilis corpore, semper tamen tenebat Conventum. Tandem incidit in paralysim, & diu languit in Infirmitorio, vbi erat etiam Magister Novitiorum, Ioannes nomine, infirmus vsque ad mortem: cui serviebat quidam Frater, nomine Benedictus. Ad quem Ioannes ait: Frater Benedicte, audis, qua ego audio? Cui ille: Nihil audio: quid audis tu? Ego, inquit, audio voces Angelorum psallentium, tanquam voces citharœdorum multorum, qui veniunt pro anima nostri paralytici; & ego eras eum sequar: sed festina pulsare tabulam, quia anima eius nimiùm festinat egredi. Tunc Frater Benedictus iuit considerare, qualiter ille paralyticus se haberet; & vidit eum iam grossè anhelantem. Cucurrit ergo pulsare tabulam: & antequàm Fratres omnes essent congregati, migravit ille paralyticus; in crastino verò Ioannes.* Hæc ille. Vtrunque item Menologio suo inseruit Henriquez, alterum Martij die decimaquinta; alterum verò Iunij die vigesimaquinta.

d Seguino & Henriquez Martij 15. & Iunij 24.

e vinc. lib. 29. c. 35.

5. Sed adhuc addit Vincentius de alio iuuene, cui nomen Simplicius, si credimus Chrysostomo [f], & Seguino [g]: nam Vincentius non nominat, cui idem Sanctus testimonium perhibuit, cùm non vidisset, mox etiam vidit, quod antèà asseuerauerat. *Quidam*, ait [h], *iuuenis Monachus in eadem Domo nuper decesserat, cuius mater posteà viso Abbate cœpit anxiè flere de filio suo: quam ille consolans, ait: Noli flere: certa esto, quòd filius tuus in magna gloria est: & scio, qualiter vixerit, & quàm sanctè. Quo audito, mater eius recepit consolationem. Non multò pòst, cùm idem Abbas oraret, apparuit ei Monachus ille in vultu clarissimo, & salutauit eum, quem Abbas recognoscens, ait: Quomodo est tibi, fili mi? Qui respondit: Benè, Domine, sicut vos videtis.* Meminit & huius Sancti Viri Chrysostomus Henriquez in Menologio, & prima Martij proponit commemorandum. Hos discipulos sanctos Beatus Hugo aut habuit, aut fecit: ea est vis doctrinæ, si opere, quàm verbo priùs appareat; nec quicquam anteà doceat, quàm exequatur.

f Martij 2.

g apud eundem ibidem.

h lib. 29. cap. 33.

6. Ast non Monachis solis proficiebant merita Sancti Viri, quin ad famulos etiam sæculares extendebantur [i]: *Quidam famulus Cellerarij Bonævallis infirmatus est vsque ad mortem, & confessus est peccata sua Monacho Confessori pauperum; & dixit illi quoddam peccatum, quod Monachus ille timuit recipere, & iniunxit illi infirmo, vt hoc confiteretur Abbati, quod ille concessit, si viueret. Abbas autem tunc præsens non erat, sed in via. Interim verò famulus ille mortuus est: Abbas autem cùm rediisset de via pòst Completorium, & sederet in lecto, volens se discalceare, vidit illum mortuum ascendentem gradus Dormitorij, qui veniens ante illum, cecidit ad pedes eius veniam petens, rogans humiliter, vt confessionem suam audiret, dicens, se missum ad eum propter hoc. Et confessus est tanta lacrymarum abundantia, quòd etiam Abbas motus est ad lacrymas, & ploraverunt ambo in tantum, vt manica cuculle Abbatis valdè humectaretur. Pòst absolutionem mortuus rogat humiliter Abbatem, vt oraret pro se: quia ipse in magnis tormentis erat. Et dum Abbas vellet tactu probare, vtrùm in corpore esset, an spiritu, mortuus evanuit. In crastino autem Abbas quæsiuit à Confessore pauperum, si mortuus ille tale crimen confessus fuisset, qui respondit: Etiam. Et quomodo illud nostis? Ab ore, inquit, eius audiui.* Ita Vincentius. Crediderim, morientem [k], ante aduentum Abbatis, iuuenem Confessario indulsisse, vt reuelaret, aliàs quantumuis interrogaretur, culpam sibi confessam non detecturo.

i lib. 29. c. 35.

7. Verùm enimverò inter hæc consolatoria, terribilia nonnulla, & spem cœlestis Patriæ cunctis inditam, ne aliquando declinaret in præsumptionem, propriæ miseriæ memoria temperabat. Nam audi, quod sequitur, ab eodem Authore scriptum [l]: *Quidam Conversus de alia Domo propter culpam suam missus fuit Bonamvallem, vbi infirmatus est vsque ad mortem. Abbas autem visitans eum, rogauit eum, vt securè confiteretur peccatum suum, de quo infamabatur: quod ille nunquam confiteri voluerat, nec etiam Abbati proprio. Ille autem negauit totum, & petiit sibi dari Corpus Domini. Abbas autem Hugo suadebat ei, vt non præsumeret Corpus Domini sumere, nisi benè confessus fuisset. At ille dicens, se benè esse confessum, institit, vt ei afferretur Corpus Domini. Quod cùm Presbyter attulisset, & in os eius posuisset, ille statim clamare cœpit: Quid faciam, miser? quid faciam? Tunc Presbyter abstulit ab eo Corpus Domini, quod super lingua tenebat: & mox ille expirauit.* Sic vnius perditio sub Sancto Viro, nec ex ouili proprio, sed ex alieno, cæteris in cautelam, Deo in gloriam; & dum cunctis exinde intentiùs prouidet, noua Hugoni materia meriti fuit.

k lib. 29. cap. 36.

8. Hactenus dictum nobis de Sanctis Viris, qui sub Hugone florebant in Bonavalle: nunc, quia de ipso Sancto semel cœpimus, nonnihil etiam addendum iudicaui ex eodem Vincentio, quo varia eius dona, tum prophetiæ, tum miraculorum, atque alia eiusmodi innotescant [l]. *In Annunciatione Beatæ Mariæ Virginis, cùm idem Abbas excitaret Fratres in Choro ad vigilias, vidit Diabolum in medio Chori adstantem, in forma horribili, ita vt ipse Abbas præ timore caderet. Qui leuatus à Fratribus signauit se, & rediit ad sedem suam. In crastino narrauit Abbas in Capitulo, quid vidisset, & dixit, aliquem de Fratribus esse in criminali peccato, propter quem Diabolus venerat. Quo audito, omnes timuerunt: sed qui reus erat, celauit conscientiam suam. In altero crastino iterum dixit Abbas, adhuc Diabolum esse inter illos: & tunc Fratres confessi sunt, & acceperunt singuli disciplinam precantes Dominum, vt rei conscientiam reuelaret Abbati: quod & factum est. Tunc Abbas reum traxit in partem, & dixit ei peccatum suum: quo audito, ille cecidit ad pedes eius, rogans veniam sibi dari, & pœnitentiam secundum voluntatem Abbatis sibi iniungi: quo facto Diabolus vltrà non comparuit.* Atque hoc quidem ex dono Prophetiæ.

l lib. 29. c. 34.

At ex potenti virtute miraculorum, audi, quod sequitur [m]: *In quadam Domo Bonæualliis* (sic enim procul dubio legendum, & non in quadam Villa) *Abbas quidam genere nobilis, sed moribus degener, dignis ex causis ab hoc Sancto Viro depositus est, & alius dignior in loco eius substitutus. Cumque post hoc factum Sanctus Hugo discederet, quidam garrulus familiaris depositi cœpit ei detrahere, & publicè dicere, quòd propter inuidiam magis, quam propter iustitiam eum deposuerat. Quo audito, Sanctus Hugo manibus extensis in Cœlum, rogauit Deum, vt manifestaret, se pura, & recta intentione hoc fecisse. Et mox ille garrulus insaniens cœpit discurrere per totam curtem Abbatiæ, & comedere flercora pecorum, quæ ibi erant. Quo viso, misertus eius Vir Sanctus, orauit pro eo, & sanatus est.* Sic Sancto Viro elogium adaptatum, quod soli sibi quondam Deus attribuit [n]: *Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo.* Verùm, quis non inficiatur, Deos dicere, quos amicos agnoscit, neque diuina illis elogia inuidet. Hæc acta, & vitam Hugonis concernentia cùm certis annis careant, in hoc capite censui colligenda, quasi præludia glorioſi illius obitus; qui quia annum sequentem illustrauit, in eo etiam à nobis dicendus erit.

[m] *in vod. lib. cap. 34.*

[n] Deut. 32.

---

1. *Cuiusdam Clerici dyscoli conuersio*, 2. *primùm respuentis vocationem*, 3. *mox consentientis*, 4. *& tandem suscipientis Cistercij habitum.* 5. *Fundationes quorundam Monasteriorum*, 6 *de quibus panca dicta.* 7. *Quid de Heresenrode*, 8. *& Azza veteri in Castella*, 9. *Monasterio Monialium*, 10. *sub Abbate Bugeti.* 11. *quod plures donationes illustrarunt*: 12. *haud tamen ideò diutiùs permansurum.* 13. *Dictum etiam de alio Monasterio ad ripam Ticini, cuius meminit Carolus Sigonius.*

CAPVT V.

1. IISDEM temporibus accidisse in Gallia lego stupendum miraculum, quod Clericum profanum, & sacrilegum, rebellem primùm gratiæ, sed mox compunctum, tandem ad Cistercienſem Familiam traxit, incerto adhuc Cœnobio; nam nec Cæsarius promit, qui rem scripsit. Verba eius ad litteram transcribam [a]: *Dominus Conradus quondam Episcopus Halberstadensis anno præterito retulit nobis Historiam satis mirabilem, quam contigisse dicebat ante paucos annos in Regno Francia. Erat ibi Sacerdos quidam, qui in ipsa nocte Natalis Domini transire debebat per breuem campum de vna villa ad aliam, vt ibidem secundum consuetudinem Matutinas diceret, Missasque celebraret. Opere Diaboli, vt creditur, iuxta villam soli sola mulier occurrit; & quia sine teste fuit, solus cum sola peccauit.*

[a] *lib. 2. Dial. cap. 5.*

2. *Perpetrata culpa tam nefariæ non cum traxit à maiori contemptu accusatrix conscientia; sed magis timens humanam verecundiam, quam diuinam vindictam, Ecclesiam intrauit, dictisque Matutinis, Missam de nocte in primo galli cantu, secundum morem solemniter inchoauit. Transubstantiatione facta, panis, videlicet, in Corpus, & vini in Sanguinem Christi, columba niuea, ipso Sacerdote aspiciente, super Altare descendit, totúmque ebibens, quod erat in calice, rostro suo Hostiam tulit, & auolauit. Videns ista Sacerdos satis, etsi non salubriter, est territus, & quid faceret non parum perplexus, Canonem propter populum circumstantem, quantùm ad verba, & signa compleuit; sed fructu Canonis caruit. Post Missam decantatis Laudibus, cùm Missam de mane diceret, eò quòd non haberet, qui vicem suam suppleret, eadem columba, hora qua prius, iterum venit, Sacramentum abstulit, & recessit. Non cessauit à præsumptione sua: sed tertiò accedens ad Altare celebraturus Missam de die, per eandem columbam, eo modo, quo prius, & secundò, ei Puer natus Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui subtraxit.* Hactenus repetitum sacrilegium, & repetita vltio satis benigna, quæ hominem impediret simul, & reuocaret. Pergit de conuersione tandem sequuta, & subsequuto euentu mirabiliori.

3. *Tandem in se miser reuersus, & de culpa, licèt indignus, Dei tamen gratia compunctus, venit ad quendam Abbatem Ordinis nostri, confessionem ei faciens tanti peccati, exposuit ei omnem ordinem rei cum multis lacrymis; videlicet, quàm indignè tertiò repulsus sit à diuinis Sacramentis. Abbas verò, sicut vir prudens, & discretus, contritum eum ex toto corde considerans, virtutem contritionis probare volens, dandam pœnitentiam suspendit; & vt opus iret celebrare Missam præcepit: ille verò quasi Deo, obediens Confessori suo, cum multo timore, & lacrymis ad Altare Missam celebraturus accessit. Quem pius Dominus, qui nihil horum odit, quæ fecit; sed dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, mirabiliter lætificauit. Ante horam sumptionis columba rediens, tres Hostias, quas singulatim tulerat, simul rostro deferens, corporali imposuit; & vnam Missarum liquorem de gutture suo calici immisit, ac recessit. Videns hæc Presbyter gaudio repletus est maximo, gratias agens Deo, qui facit mirabilia magna solus.*

4. *Reuersusque ad Abbatem, diuinam ei collationem recitauit, & vt ab eo in Monachum reciperetur, humiliter supplicauit. Cui respondit Abbas: Non te hoc tempore suscipiam: sed volo, vt more transeas, & pro peccato tuo tribus annis in Hospitali infirmantibus seruias: si tunc reuersus fueris, nullam à me repulsam patieris. Volebat enim, vt per laborem tantì itineris, & pericula maris, pœnam peccati deleret, & pauperes, infirmósque propter opera misericordiæ sibi intercessores faceret. Fecit ille, quod Abbas præcepit, & post tres annos reuertens, habitum Religionis in eius Domo suscepit.* Hactenus ex Cæsario Heisterbacensi. Verùm, quod ait, suspensam ab Abbate pœnitentiam Presbytero, quem aliàs remisisset ad Altare, non arbitror sic esse intelligendum, quasi sola contentus contritione iusserit celebrare non absolutum: sed quòd eidem iniungendam satisfactionem in se reseruans, à peccatis absoluerit contritum: & sic demum sacrificium offerre iusserit. Quòd si fortè absolutio etiam dilata, quod sonare videntur verba illa: *Volens probare virtutem contritionis*, non ex virtute, sed ex peculiari instinctu, & motione Spiritus Sancti factum, credendum est: cuius multa exempla; adeoque admirandum, non imitandum. Vtcunque fuerit, ingens fuit miraculum, neque a nobis silentio prætereundum.

Fundationes

5. Fundationes hoc anno tres tantùm lego: Portum Sanctæ Mariæ; de Bucam, seu Buitan; & tertiam Vallem Dei prope Leodium. Portus Sanctæ Mariæ itidem tres, quippe alia structa anno M.C.C.XXXII. alia M.C.C.XL. præcipua, vt credo, surrexit in Hibernia circa hunc annum. (Iacobus Vvaræus septennio anticipat.) Porrò de ea hæc scribit in suo Indice [b]: *Dembrotum, aliàs de Portu Sanctæ Mariæ circa hunc annum* (scilicet, M.C.LXXV.) *Herbens de Monte Mariſco, Mareſcallus Domini Regis* (*Henrici ſecundi*) *in Hibernia, & Seneſcallus* (*vt loquitur diploma eius*) *de tota terra Richardi Comitis Pembrochiæ dedit Ardſithein Eroſinoch*, &c. *Deo, & Sanctæ Mariæ, & Sancto Benedicto, & Monachis de Bildevvas* (*in Anglia*) *ad hanc Abbatiam conſtruendam. Heruæus ille paulò poſt in patriam reuerſus cucullum induit Cantuariæ. Inter aliquos, qui redditibus adauxerunt, in primis memorantur Richardus, cognomento Exvareo, Strongbovve Pembrochiæ Comes, & eius è filia nepos Vvalterus, Comes itidem Pembrochiæ. Cœnobium hoc Dumbrothienſe Pontifices Romani multis priuilegiis, & immunitatibus iuriſdictioni Epiſcopi Fernenſis derogantibus ornarunt, vt liquet ex huius loci regiſtro. Subiectum eſt demum Abbati Beatæ Mariæ de Dublin annua quadam penſione Abbati Bildevvaſenſi reſeruata.* Memoratur ab eodem Authore Abbas Dembrotianus inter alios, qui locum, & ſuffragium habent inter Proceres in Comitiis Parlamentariis Regni Hiberniæ.

[b] *fol. 70. an. 1175.*

6. De Bukam, vel Buitan, nihil compertum habeo, quod proferam: & ſanè nomina ipſa duriora, imperitia ſcribentium facilè inuerſa, etiam notiſſima in ignota tranſire ſolent. Lego tamen Bochienſe Cœnobium, ſeu Buchenſe, per hæc tempora natum, plùs, minúſve, ad Ichopæ fluminis oſtium in Diœceſi Miſnenſi versùs Poloniam, quod Fridericus II. Comes Brenæ, ex Marchionibus Miſniæ, & vxor eius Hedurigis, Ducissa Bohemiæ, ædificarunt, accitis Monachis, cum Abbate, ex Sichen Monaſterio, de linea Morimundi, de quò ſuperiùs. Vallis Dei ſequitur ſitum iuxta Leodium, tranſlata magis, quàm de nouo fundata Domus, ſi qua Tabulis fides, ex Sancta Agatha, cuius Cæſarius meminit, cui primus Carolus Abbas præfuiſſe dicitur; poſt quem Guido ſucceſſit, Conuentum ad Leodium tranſlaturus. Ergo ad hunc annum cœpit in Sancta Agatha: nec conſtat, in qua Diœceſi, ſub Carolo Abbate, de quo nos plura: tranſlationem ſuo tempore dicemus. Memoratur inter Eccleſias filias Clarævallis. Quare, ſi hoc anno cœpit, vt vulgo creditur, accepit Monachos miſſos à Sancto Petro, hoc eſt, probatos in omni Religione. Sed an diuerſa ab ea, quæ in Andina, aliorum iudicio diſcernendum.

7. His fundationibus duas alias ſuperaddo, Herkenrodem, & Aziam veterem; alteram in Belgio, in Hiſpania alteram; vtranque Virginum, atque vtranque Ciſtercium ſuſcepturam. De prima Aubertus Miræus hæc in Chronico [c]: *Herkenroda Virginum Cœnobium, primo lapide ab Haſſelero Leodicenſis Prouinciæ oppido, à Gerardo piiſſimo Comite Loſſenſi, anno M.C.LXXXII. in ſyluis ſtructum, & annuis cenſibus ditatum eſt. Obiitque dictus Comes eo ipſo anno IV. Non. Nouembris. Hoc in Monaſterio vixit Beata Eliſabetha Spalbecana, Monialis: cuius vita extat in Rubra valle.* Ita Miræus, ex quo Henriquez tranſcripſit in Menologio [d]. Porrò de hac glorioſa Chriſti ſponſa, ipſius ſpeciali priuilegio, inſignienda ſtigmatibus, atque aliis multis fauoribus ornanda, circa annum Redemptionis Mundi M.CCC. ipſo, quo floruit tempore dicemus.

[c] *ad hūc an.*

[d] *Octob. 19.*

Aziam veterem in veteri Caſtella, Maior Comitiſſa Gundiſalui Maranonij Comitis Coniux, dubium, an vidua ſtruxit, dotauitque ſub Abbatis Bugeti, (quod Monaſterium cum marito antè condiderat,) & ſucceſſorum illius viſitatione. Porrò in eodem filiam, vt puto, vnicam (nam ſubſcribentibus filiis, nulla fœmina) in eodem conſtituit Chriſto per vota ſolennia conſecrandam. Crediderim à Deo vocatam virginem obtinuiſſe à matre, quæ ad ſe ſpectaret, partem hæreditatis conſtruendo Cœnobio: nam & id etiam inſinuat inſtrumentum, hodiéque perſeuerans, quod ita habet [e]: 8.

[e] *in fundatione eiuſdem Cœnobij.*

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatæ Mariæ, & Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, in hoc Monaſterio pono filiam meam Agnetem, cum Sanctimonialibus, conſtituens eis in primis, vt Regula Beati Benedicti inuiolabiliter teneatur, & decretis Ciſtercienſis Capituli obediatur in perpetuum. Huic Monaſterio tota deuotione mentis, & alacritate ſpiritus offero liberè, & abſque vlla conditione hæreditates, & res meas in hac eadem charta ſubſcriptas. In primis, quicquid habeo in ipſa Azia veteri; quicquid habeo in valle de Faceb; quicquid habeo in Sancto Felice: in villa de Azia vigimitres alanzadas de vinea: quidquid habeo in torre de Galindo, in Zorita, & in Fontangas; quidquid ad me pertinet. Inſuper conſtituo, vt rumpatur, & excolatur in termino de Azia, terras quantum poterum arare ſexdecim iuga boum per annuam vicem. Do etiam præfato Monaſterio de redditibus meis de Azia, centum caphizes, (cayzes vulgo dicimus,) quinquaginta tritici, & quinquaginta communis annonæ, & centum menchales, vt habeant ea per ſingulos annos in perpetuum. In ſepulueda domos, & ſeruum meum in termino de Guadalfa, an hæreditatem de Camarina, quam mihi Dominus meus Aldefonſus dederat. Do etiam præfato Monaſterio omnes equas meas, & vaccas, & oues, quas hodie habeo. 9.

Dein ſtatuo, vt hoc Monaſterium ſubiiciatur ſemper, & ſpectet Monaſterio Beatæ Mariæ de Bugero, quod maritus meus, Comes Gundiſalus de Maranon, & ego fundauimus, & de hæreditatibus, & rebus noſtris pro poſſe noſtro complenimus. 10.

Huic ergo Monaſterium de Axia veteri obediat, & per manum Abbatis Bugeti ordinetur. Si quis autem de progenie mea (quod abſit) contra hoc factum meum ire tentauerit, & præfato Monaſterio, vel rebus ipſius Monaſterij aliquod damnum intulerit, ſit maledictus. Admoneatur tamen, & ſi ad arbitrium Abbatis Bugeti, vel Abbatis Sacramenia, damnum plenè reſtaurare, & Monaſterio dignè ſatisfacere voluerit, remittatur ei: quod ſi contumax fuerit, & iuſtam admonitionem neglexerit, prædicta Sanctimoniales Regem appellent, & facta appellatione poſt quadraginta dies Monaſterium ſuum, & ſua omnia libere, & abſque vlla contradictione in dominium Regis tranſferantur, & protectioni eius, iuxta morem Regalium Monaſteriorum, irreuocabiliter ſe committant. Si verò Monaſterium præfatum in prædicta Azia veteri, vel in alio loco, ad quem conſilio poſterorum meorum tranſferatur, nullo modo poteſt eſſe, ſtabilio, vt omnes hæreditates iſtæ ad hæredes meos libere reuertantur. Facta charta menſe Ianuarij, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo octuageſimo ſecundo. Æra M.CC.XX. Sequuntur ſubſcriptiones filiorum quinque, atque ipſius Agnetis: nam & eas in maiorem notitiam Domus, Familiæque, tranſcribendas putaui [e]:

Ego Fernandus Gonzaluez hanc chartam, quam mater mea fieri iuſſit, confirmo. 11.

Ego Petrus Gonzaluez hanc chartam, quam mater mea fieri iuſſit, confirmo.

Ego Albericus Gonzaluez hanc chartam, quam mater mea fieri iussit, confirmo.

Ego Nunius Gonzaluez hanc chartam, quam mater mea fieri iussit, confirmo.

Ego Domitius Gonzaluez hanc chartam, quam mater mea fieri iussit, confirmo.

Ego Agnes, filia prædicta Comitissa, hanc chartam, quam mater mea fieri iussit, confirmo, & in hac donatione testificor me esse paccatam à matre mea, & à fratribus meis, de omni hæreditate patris, & matris mea.

Testificantur igitur subscripti testes, qui viderunt, & audierunt prædictam Comitissam, & filios eius roborantem chartam istam in Concilio de Azia, ante portam Ecclesiæ Beatæ Mariæ. Ego Fortunatus Abbas Bugeti testis, Ego Antonius Prior Bugeti testis, &c.

12. Hactenus fundatio, & dotatio noui Cœnobij, cuius memoria post annos adhuc viginti sub Prioritissa Agnete, quæ vel fundatrix, vel filia fundatricis, seu verius vtrunque ex instrumentis hausta ad nos peruenit. Cæterùm diuisione possessionum, quarum aliquæ in nouæ Castellæ, aliquæ in Legionis Regno dispersæ erant; aut temporum iniuria effectum est, vt intra quinquaginta annos suppressum, iam inter grangias Bugeti memoraretur. Extat diploma Gregorij Papæ IX. Bugetenses confirmans possessiones, in quo hæc inter alia [b]: *Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum iustè, & canonicè possidet, aut in futurum con-*

Ex Privilegiis eiusdem Cœnobij.

cessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc duximus propriis exprimenda vocabulis, locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, grangiam de Ranosa, grangiam de Azia veteri, grangiam, quam habetis in valle salicis, cum omnibus pertinentiis earundem, &c. Datum Perusij decimo Kal. Iuly, indictione octaua, Incarnationis Dominicæ M.CC.XXXV. Pontificatus verò eiusdem Domini Gregorij anno nono. Vt palam sit, inchoatum hoc anno Monasterium, post tres & quinquaginta iam extinctum, siue aliò translatum; quod tamen nobis omninò est incompertum.

Hoc ipso anno à Carolo Sigonio notatum lego, consummatum Cœnobium Morimundi, Mediolanensis diœcesis, ad ripam Ticini, quod è proximo vico, non à Domo matrice, vt falsò aliqui putant, nomen accepit: constructum porrò ab his eisdem Monachis, quos Sanctus Pater Bernardus illuc direxerat. Verùm verba Sigonij præstat transcribere [h]: *Monachi Cistercienses, quadraginta iam ante annos in agrum Mediolanensem profecti, in Ticini ripa cum Cœnobio templum fundarunt, atque à proximi vici nomine Morimundum vocarunt.* Hoc illud Morimundi Cœnobium est sub Friderico II. deuastãdum, lacrymosis flagitiis, & sacrilegiis, quæ suo loco, & tẽpore reddemus. 13.

h *De regno Italiæ lib. 14.*

---

1. *Perantiquum Cœnobium Sancti Claudij ad ripas Auiæ.* 2. *Primi eius Fundatores*, 3. *& dotatores*, 4. *reseruatis quibusdam conditionibus:* 5. *decrementa illius*, 6. *& incrementa sub Abbate Pelagio*, 7. *quæ hodie permanent*, 8. *& Domum diuitem faciunt, & opulentam:* 9. *cætera ignota, neque quando Cistercij iura subierit, aut sub quo Patre Abbate, compertum adhuc.*

CAPVT VI.

1. PERANTIQVAM sub nigro habitu Domum Sancti Claudij in Gallecia, ad ripas Auiæ, in Chronologia penitùs omissam, & in Genesibus, neque alibi certiùs describendam (quippe ex cuius Archiuiis nihil constat, de anno, quo suscepit Cistercij leges) ne & nos omitteremus, hìc inseruimus: vtinam à quocunque, qui tempus nouit, in proprium annum, cum aliis reponendam. Pertinet ea ad Diœcesim Aurien sem, in qua inuenio notatam in libris Cameræ, immediatè post ipsam Cathedralem, modica centum florenorum taxa præfixa. Mirum est, cùm de exordiis eius constet, nesciri media, & primæ fundationis, penè ab ea parte Galleciæ recuperata, instrumenta manere; reformationis nec memoriam inueniri. Fundatores sub annum D.CCCC.XXVIII. ab Hispania amissa C C.XIV. Aluarus, & Sabita, vterque coniux, neque pro viris tantùm; verùm pro fœminis, vt duplex ex vtrisque Cœnobium surgeret, in quo primi omnium ipsi profiterentur, instrumento confecto, quod in antiquæ eloquentiæ probationem (quæ rara contigit) media inter bella, & hostes perseuerantis adhuc, hìc subiungam [a]:

a In Tabulario Sancti Claudij.

Ad te loquimur, quia & de te loquimur, Verbum Patris ante sæcula ex Patre prodiens, & in fine sæculorum natus de Matre, manifestatus in carne, iustificatus in spiritu, demonstratus ab Angelis, prædicatus in gentibus, creditus in mundo, assumptus in gloria, verus Deus, & verus homo, quod secundum diuinam tuam Maiestatem, non tu eguisti vt homo efficereris, à quo conditi sumus homines; sed nos eguimus, vt tu Deus caro fieres, & habitares in nobis, scientes, atque credentes, quod omnis spiritus confitetur te Iesum Christum in carne venisse ex Deo; & cùm esses impassibilis Deus, non es dedignatus homo nasci passibilis, verus Deus, & verus homo; vnum horum coruscans miraculis, aliud succumbens iniuriis. Deus per id, quòd omnia per te facta sunt; homo per id, quòd ab hominibus es passus. Deus per id, quòd videntes Magi adorauerunt; homo per id, quod pendentem Cruci affigunt. Deus, dum tibi angelica famulantur officia; homo, cum diabolica tenteris astutia. Hæc omnia, Domine, dum totus manes in tuis, totus in nostris, humana augens, diuina non minuens, causa sunt nostræ redemptionis, non tua defectio potestatis. Nec credimus transitoria verba Apostoli Petri dicentis [b]: Scientes, quòd non corruptibilibus argento, & auro redempti sumus, de vana nostra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso Sanguine, quasi agni incontaminati & immaculati Christi Iesu. *Et rursùs illa Ioannis Euangelistæ* [c]: Sanguis Iesu Christi Filij Dei mundat nos ab omni peccato. *Et iterum* [d]: Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

b epist. 1. c. 1.

c epist. 1. c. 1.

d epist. 1. c. 5.

2. *Adsumus ergo, Domine, nos serui tui, Aluarus, & Sabita, hæc omnia credentes, atque desiderio tui amoris anhelantes, necnon & metum æterni Iudicij pauentes, eligimus aliquod beneficium, de eo, quod tu ipse nobis tribuisti, in Domum tuam offerre, & nihil ex nostro, nisi peccatum, reperientes, quia & ex nihilo plasmati manemus,*

3.

ventus, de manu tua accepimus, te iuuante, vouere tibi festinamus. Ob hoc enim conuenit in animis nostris, vt pro animarum nostrarum redemptione in Domum Sanctorum Dominorum nostrorum Sancti Martini Episcopi, & Confessoris Christi, Sanctorum Sixti Episcopi, Laurentij Archidiaconi, & Hippolyti Ducis Martyrum, & Sancti Claudij, quorum Basilica sita est in territorio Castella, Villa Emeiberis, discurrente riuulo Auie, facimus textum Scripturæ firmitatis in ipsum Monasterium, quod construximus, pro sustentatione fratrum, seruorum, & ancillarum Christi ibi degentium ad normam Apostolorum regularis vitæ, concedimus ad ipsum locum, ipsum villare Emeiberi ab integro cum suis barriis, &c. Annumerant deinde multa, quæ donant immobilia, mobilia, & se mouentia: & tandem concludunt [e]:

ibid.

4. *Vna tamen ratione seruata hæc omnia valemus Monasterio conseruari, vt si aliquis ex consanguineis nostris à Deo præuentus fuerit, & ibi in vita sancta perseuerans viuat, non dicimus contumaciter, vel proterue, sed humiliter, concedam ei locum in ipso Monasterio habitandi, & si dignus est, vt curam omnium impendat, humiliter ei cuncti obediant, vt omnes ad vitam æternam festinare non renuant; sed in melius feliciter crescant. De cætero dicimus, si ex nostra consanguinitate defuerit, qui sanctam vitam exerceat, quicunque ex Fratribus aptior inuentus fuerit, Ordinem teneat iuxta præceptum sanctæ Regulæ, & sint sub imperio Abbatis, cui cæteri obediam, & de quacunque patria, vel regione ad ipsum locum Dominus addixerit, sine vlla differentia recipiantur, & ex receptis, probatisque ordinentur, qui iudicare, imperare, excommunicare, atque regulariter omnia temperare possint, & valeant, vt & ipsi in hoc transitorio sæculo subsidia habeant necessaria, & nos pro hoc exiguo munere perpetuum Regnum adipisci mereamur in æternum. Factum pactum testamenti sub die decimaseptima Kalend. Decembrij, Æra nongentesima sexagesimasexta.*

Ego Aluarus confessus hanc scripturam testamenti laudo, atque confirmo: & Ego Sabita confessa hanc scripturam testamenti manu mea confirmo.

5. Hoc initium Monasterij Sancti Martini, & Sanctorum Sixti, Laurentij, Claudiique, quod septem pòst, atque septuaginta, & centum annos sub nominibus Claudij, Martiniique, Sixto & Laurentio suppressis perseuerabat. Constat ex alio instrumento donationis à Sanctio, Petro, & Ferdinando Hermiguez fratribus, Henrico Abbati indultæ, quæ hodiéque in membrana conseruatur, barbaro stilo, & penitùs à priori longè degenere. Facta charta testamenti duodecimo Kalendas Iulij, Æra millesima centesima sexagesimatertia, iniuria temporum, an Monachorum luxu factum, quis audeat dicere? constat inter annos paucos pene desertam nobilem aliàs Domum, & nisi Abbas Pelagius restituisset, in solitudinem (Sanctorum Martyrum memoria obliterata) redactam fore. Verùm, qui locum Cistercio præelegerat, non solùm conseruauit per hunc Abbatem; sed ampliauit, & auxit, ac possessiones longè, & latè extendit: subiugatis ligone præruptis rupibus hactenus infructiferis, atque aptatis in vineas, vnde vina pretiosa, vulgò, *de Riba dauia*, prouenirent. Ea in breui non solùm Monasterium, sed totum illum tractum, & confluentes vndequaque colonos, instantis lenocinio lucri (quo nullum efficacius) locupletarunt. Extat, & legitur memoria huius Abbatis stilo rudi & barbaro, sed proprij nominis cura (non condemnanda, si ordinatur, vt debet) posteris commendata, cuius hæc tenor [f]:

f ibid.

In nomine Domini, Sanctæ & individuæ Trinitatis, & in honorem Sanctorum Claudij, & Lupercij, & Victorij, & Beati Martini Confessoris, & Sancti Saluatoris, & Sanctæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, in quorum honore fundatum est hoc Monasterium in territorio Castellæ, sub pena Aquilaria, & pena malis fecis fluuium Auie.

Ego Pelagius Gonzalez accepi Domum istam ni- 6.
mis desertam, & derelictam: & ordinatus sum in ea de Habitu Monachi, & missi in ea Ordinem Fratrum: & postea per iussionem Dei, & Sancti Benedicti factus sum Abbas Benedictus. Modò dicam opera mea, & acquisitionem, quam acquisiui, & quæ operatus sum in hoc loco. In primo feci Ecclesiam hanc, deinde sacraui eam cum Episcopo Domino Bernardo de Zamora, qui tenebat Legatum Ouetensis. Item, vocaui Aurienſem Episcopum, Dominum Martinum, & cantauit in ea Missam pro omnibus defunctis, qui ibi iacent, & pro parentibus meis, viuis, & mortuis. Postea venit Petrus Helie Sancti Iacobi, & dedi ei prandium, & missi orationem pro eisdem defunctis. Episcopus Aldephonsus Tudensis dixit ibidem Missam pro mortuis.

Rursus feci vnam Crucem, valentem centum, & 7.
vnum solidos, vnum calicem appretiatum solidis sexdecim, vnam Crucem deauratam. Feci etiam vestimenta, vnam casulam de sirgo, duas de lino, dalmaticas duas, stolas & manipulos. Hæc sunt nomina librorum: Antiphonale vnum valde bonum, Officionarium vnum bonum, Missalem vnum, Lectionarios quatuor, Sacramentorium vnum, desuper Altare vnum, collectaneum, Regulam vnam, Vitas Patrum vnum, Iudicum vnum, Matthæum vnum, Euangelium Beati Ambrosij, Ezechielem vnum, Epistolas Pauli, Pastorale vnum summè bonum, Psalterios multos, duo signa, vnum, quod feci, & aliud, quod comparaui pro solidis centum, & decem, maseros tres: feci casas quascunque ibi sunt, excepto Cellario: plantaui vineas, quæ ibi non erant, rupi montes multos, populaui hereditates, & ganaui alias in Leuosende illo Cæsare, vbi sedet Petrus Aldericus, quod ganaui de Domina Viserara. In Leiro cambiaui illo Cæsare cum meis parentibus, & populaui eum in Gallegos. Populaui in monte Hercino quatuor Cæsares, & calumniauit illos mihi Comes Rodericus pro hereditate de Partobia, & veni cum eo ad conquæstum de hominibus bonis, & exquisiuerunt, quod erat inde de Partobia vnum quadrum, quod seminatur, & est demarcatum in circuitu. Pergit deinde numerare plura, quæ acquisiuit, quæque hodie possidere Cœnobium cernitur: & tandem concludit [g]:

g ibid.

Omnia hæc do, & concedo ad ipsum Monaste- 8.
rium, & ad omnes, qui in vita sancta, & in seruitio Dei perseuerauerint, pro remedio animæ meæ, & de parentibus meis. Hæc omnia semper sint firma: & qui ea frangere voluerit, sit maledictus, & excommunicatus, & non videat, qua bona sunt in Ierusalem cælesti, & cum Iuda traditore Domini æternas sustineat pœnas, æternam damnationem, & à lepra sit percussus à planta pedis vsque ad verticem. Facta signis testamenti duodecimo Kalendas Aprilis, Æra millesima centesima sexagesimaterria. Ego sepè dictus Abbas Pelagius in hac scriptura manu mea roboraui.

Regnante Rege Fernando, filio Alphonsi Imperatoris, qui vallicatum terræ tenebat, Comes Rodericus Belosus in Sede Apostolica Beati Iacobi Archiepiscopatus, Martinus Auriensis Episcopus, Petrus Sequi-

Hæc

9. Hæc incrementa habuit Monasterium Sanctis Claudio, Martinóque dicatum, antequàm iura, & leges Cistercij sumeret, quas vnde, aut quando hauserit, ignotum aliis, qui nouerint, linquo describendum. Illud compertum, illustrem hodie Domum, inter primas Galleciæ connumerari, auctam, nimirum, Parochialibus Ecclesiis, castris, & oppidis subiectis Monasterio: hisque, ex soli pinguedine, diuitibus, & politioribus præ aliis illius Regni: sed quæ cùm nihil habuerint, aut habeant, quod non ab ipso acceperint, quasi non accepissent, gloriantur; sæpè & rebellant. Distat ab oppido, cui ex Ripa Auiæ nomen, vnius leucæ spatio, à Melone Cœnobio, de quo suprà, duabus leucis; quatuor ab Vrsaria: quo breui spatio, tria hæc Monasteria ingens sunt ornamentum illius tractus.

ANNVS CHRISTI M.C.LXXXIII. CISTERCII LXXXVI.

1. Abbas Cistercij priuilegium à Rege Vngariæ impetrat. 2. In Atrebatensem Episcopum eligitur, 3. dilata quannis ad annum consecratione. 4. Petro Bernardus suffectus apud Cistercium, 5. cui duo alij in breui subrogati, nec certis annis. 6. Nostrorum ab Episcopis vexatio, 7. cui Lucius Papa 8. Priuilegio suo occurrit: 9. idem Ioachimum Abbatem Curiacensem exponendi sacram Scripturam licentia donat, 10. comperto prophetiæ donoclarere.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur millesimus centesimus octuagesimustertius, Cistercij sextus supra octuagesimum, quo Vela, Rex Vngariæ, ad petitionem Venerabilis Viri Petri, Cisterciensis Abbatis, omnia, & singula priuilegia, & exemptiones, quibus nostri per Galliam fruebantur, in Vngaria indulsit, addita immunitate, bellorum tempore: cuius Indulti diploma se ita habet [a]:

a tom. 2. Priuileg.

Ego Vela, Dei gratia Vngariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Daniæq; Rex: Notum volo fieri præsentibus, & futuris, ad petitionem dilectissimi nostri Patris Abbatis Cistercij, omnibus Claustris Cistercienſis Ordinis, qua constructa, vel construenda sunt in Regno meo, me propria benignitate indulsisse, vt ea libertate in tota terra mea vtantur, quam in Francia obtinere noscuntur: indulsi etiam eisdem, vt vbi Regni mei turbatio impedierit, liceat eis, qui noti fuerint, in eisdem Claustris, & per eos, etiam ignotis Monachis, vel Conuersis cum seruientibus eorum liberè ingredi & egredi, cùm necessitas eorum exegerit. Et vt hoc ratum in perpetuum habeatur, sigilli nostri impressione munitum, præsentibus Petro Abbate Cistercij, Vbicello Abbate de Parisio, Guillelmo Priore Cistercij, Petro, & Seruio Monachis Cistercij, Saulo Cancellario meo, & Magistro Crispino. Anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXXIII.

Hactenus priuilegium Regis Vngariæ, in quo præter indultam nostris gratiam, quæ & belli, & pacis tempus complectebatur, reuerentia, quæ eisdem exhibetur, notanda venit. Quippe Rex Petrum Abbatem Cistercienſem dilectissimum sibi, neque amicum appellat; sed parentem: & inter testes prior ipse Petrus, imò & cæteri omnes, etiam simplices Monachi, postmodum Cancellarius subscribit, id est, summa potestas totius Regni.

2. Cæterùm idem Petrus hoc ipso anno ad Atrebatenſem Ecclesiam promotus est, Sancto Frumaldo in Sede successurus. De qua subrogatione hæc Ægidius de Roma Dunensis in suo Chronico [b]: *Obiit Sanctus Frumaldus, Episcopus Atrebatensis, cui successit Petrus, Abbas Cistercij.* Latiùs pauliſper Ioannes Buzelinus in Gallo-Flandria [c]: *Inter hæc*, ait, *Frumaldus, Atrebatium Episcopus, extremum diem clausit, morbo consumptus, decimotertio Kalendas Maij. Totius posteà Clerj Atrebatensis calculis in Pontificem electus est Petrus, haud minori virtute, quàm doctrina nobilis. Abbatiam Cistercienſis Ordinis regebat, cùm ad hoc fastigium euectus est.* Ferreolus Locrius annum anteponit, idque, vt testatur, ex tabulis Ecclesiæ Atrebatensis [d]: *Anno*, inquit, *M.C LXXXII. Petrus Cistercienſis Monasterij Abbas, religione, atque doctrina nobilis Atrebatensis Ecclesiæ, vno omnium calculo, Pontifex nominatur. Hunc Vuillelmus, Rhemorum Archiepiscopus, Veronæ, Oppido Italiæ, in Beati Martyris Zenonis Ecclesia, Concilio ibidem Lucij Papæ, & Friderici Imperatoris (cui Petrus intererat) vrgente, consecrauit.* Hactenus ille ex Tabulis Ecclesiæ Atrebatensis, quæ tamen, quod ad tempus attinet, conuincuntur ex Vngariæ Regis diplomate.

b ad hūc an.

c ad hūc an.

d in Chron. Belg.

Verùm, quòd ait consecratum Veronæ, in Concilio ibidem celebrato, sub Papa Lucio, argumento est, dilatam consecrationem, vsque ad annum sequentem, quo ea Synodus coacta comprobatur. Id, quod expressiùs tradit Buzelinus eodem loco: *Petrus*, inquit, *haud minori virtute, quam doctrina, ad hoc fastigium euectus est. At non priùs cum Guillelmus, Rhemorum Archiepiscopus, sacra imbuit vnctione, quàm vterque Veronense Concilium adiit, anno sequenti. Tunc enim, vrgentibus eius Concilij Patribus, solitis eum Guillelmus cæremoniis initiauit.* In Chronico metrico Abbatum Cistercienſium, laudes Viri, & promotio: sed nihil de tempore:

3.

Petrus doctrina pretiosum munus pluebat,
Hinc odiosa Venus: Præsul fuit Atrebatensis.

Index Claudianus vlteriùs notat annum, & locum consecrationis [e]: *Petrus*, ait, *consecratur Episcopus Atrebatensis Veronæ à Guillelmo Cardinali Blesensi anno M.C.LXXXIV.* Hæc de electione, & consecratione Sancti Pontificis, cuius Pontificatum, aliàs breuem, Authores producunt successoris errore, aut ignorantia Petri Pontigniacensis, qui ex ipsa immediata successione, & nominis, atque professionis identitate, idem cum primo creditus, vel ipsos Tabularum Atrebatensium fefellit continuatores. Sed de his plura in sequentibus dicemus.

e in Gallia Christ.

At Cistercienſes destituti tanto Pastore, ne non condignum illi substituerent, vocatis cunctis, qui assistere debebant, elegerunt Bernardum æquè doctum, nec inferiorem prudentia, & religione. Ita Robertus Claudius in suo Indice, cui etiam Chronicon metricè conscriptum adstipulatur sequenti disticho:

4.

Post

Post hunc Bernardus venit mansuetus, vt agnus,
Cunctis lux radians, cunctis exempla ministrans.

Bernardum excepêre breui Guillelmus, & Petrus, vterque secundus: nec constat, quibus annis, quæ fuit desidia, & torpor illius æui. Constat eorum trium præfecturam, nequaquam ad septennium pertigisse: quippe Guido eisdem subrogatus decimoquinto loco, Cardinalis à Clemente III. creatus est, anno M.C.XC. cùm iam antea Cistercio præsedisset. Claudianus Index de eis omninò nihil præter nomina, & dies obitus habet, provt notantur in Cistercij Martyrologio, nempe, Guillelmi IV. Kalendas Decembris: Petri sexto Kalendas Aprilis. Potuisset & Bernardo addere diem, qui primus anni ibidem designatur. In Chronico proprios habent distichos. Sed ex quibus præter morum suauitatem, & sanctimoniam vitæ, nihil ad Historiam conducens elici possit:

Suauiùs vnguentis, fama redolens, pretiosis
Domnus Guillelmus fuit ista Sede potitus.

Et de Petro secundo:

Morum pinguedo, gregis huius sollicitudo,
Post Petrus aduenit, Benedicto fine quieuit.

5. Hos tres Abbates simul colligaui, quia incerti temporis, & certum ab hoc anno gubernare cœpisse Cistercij clauum. Tum Sanctos omnes, & dignos iudicatos, qui cum Sanctis Stephano, Alberico, Gozeuino, Rainaldo, Fastradóque, atque aliis eiusdem notæ Viris (vltimi Cistercientium Abbatum, vique ad Bonifacium vigesimumsecundum) sepelirentur. Repetam inscriptionem sepulcri, qua parte tradituin, tomis præcedentibus, additis his, quos hactenus suppresseram.

BEATI, AC VENERABILES PATRES ABBATES MONASTERII, ET ORDINIS CISTERCIENSIS FVNDATORES, ET AMPLIFICATORES HIC SIMVL RECONDITI SVNT, VIDELICET, DOMNVS ALBERICVS II. STEPHANVS III. REYNALDVS IV. GOZEVINVS V. FASTRADVS VI. GILLIBERTVS VII. ALEXANDER IX. GVILLELMVS X. BERNARDVS XII. GVILLELMVS XIII. PETRVS XIV, &c. Hactenus Epitaphium, siue inscriptio continens quosdam alios, quos suis etiam temporibus reddemus: hand tamen ideo omittam singulis annis, quæ de singulis inuenero scripta à recentioribus.

6. Petrine adhuc Cistercium gubernantis ante consecrationem, an successoris Bernardi iam suffecti, in dubio est, constat alterius prouidentia factum, vt cùm Episcopi indecoram sibi ducerent exemptionem nostrorum; & quod Abbates non absolutè vt alij, sed, *saluo Ordine suo*, profiterentur; atque hanc ob causam eos sæpè vexarent, promulgatis censuris, queis vel iniustis nostri deterrerentur, Lucium Papam sub finem præsentis anni lata lege sanxisse, ne Ordinarij in personas, vel loca Ordinis, contra id, quod ab initio obseruatum erat, aliquam sententiam promulgarent, irritam, si ferretur, & prorsus nullam; néve Abbates, nisi, *saluo Ordine suo*, obedientiam promittere teneantur. Porrò eiusdem priuilegij tenor, quod Clemens V. post centum viginti annos ad litteram transcriptum confirmauit, hæc habet verba[1]:

[1] Tom. 1. Priuileg.

7. *Lucius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis Filiis Abbati Cisterciensi, & Vniuersis Coabbatibus eius, sub eodem Ordine Domino seruientibus, Salutem, & apostolicam benedictionem.*

Monastica fyuceritas disciplinæ, quam in puritate Ordinis, quem tenetis, æterni Conditoris prouidentia restaurauit, illam semper inuenit in apostolica Sede clementiam, qua & vobis in Domino accresceret propositum virtutis, & aliorum deuotio vestris prouocaretur exemplis, vt per cœlestium semitam mandatorum ad propositum feliciter brauium festinaret. Inter cætera verò, licèt Ordo vester ea se seruauerit Episcopis humilitate subiectum, vt saluis originalibus institutis, eorum semper vellet magisterio subiacere; illud tamen hactenus de fauore, & protectione apostolicæ Sedis obtinuit, vt nullus in Monasteria, vel Abbates Ordinis memorati quælibet ecclesiasticam sententiam promeret; vel personas in eodem Ordine constitutas excommunicationis, vel suspensionis, seu interdicti promulgatione grauaret.

8. *Quia verò refrigescente charitate multorum, vsque adeo malitia noscitur abundasse, vt nonnulli eorum, qui Ecclesiis Dei modernis temporibus sunt Prælati, transgrediantur terminos ab antiquioribus constitutos, & in vestrum specialiter Ordinem indebitam exercere non dubitent vltionem; præsentium litterarum inscriptione statuimus, & authoritate apostolica confirmamus, vt nulli omninò liceat in vos, vel Monasteria vestra, seu Fratres mihi constitutos contra id, quod ab origine Ordinis noscitur obseruatum, excommunicationis, vel suspensionis, seu interdicti sententiam promere. Quam, si deprompta fuerit, authoritate apostolica decernimus non tenere. Adiicientes quoque decernimus, vt Archiepiscopi, & Episcopi in recipiendis professionibus, quæ à benedictis, vel à benedicendis Abbatibus exhibentur, ea sint forma, & expressione contenti, qua ab origine Ordinis noscitur instituta, scilicet, vt Abbates, ipsi, saluo Ordine suo, profiteri debeant; & contra instituta Ordinis nullam professionem facere compellantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Veronensi XI. Kalendas Decembris, Pontificatus eiusdem Domini Papæ Lucij anno III.* Hactenus priuilegium nostris indultum.

9. Eiusdem Lucij Pontificis permissu, licèt ægrè obtento, nec nisi Prophetiæ dono obtento, probatóque, Ioachimo Calabro Abbati Curatiensi indultum est, vt sacram Beati Ioannis Apostoli, & Euangelistæ Apocalypsim interpretaretur; quod legibus Cistercij cautum; sed dispensatum hactenus, per speciem meditantis exequebatur. Narrat Iacobus Græcus in suæ Chronologiæ totidem verbis[6]: *Porrò Ioachim, vt seriùs desuper habita ad exponendum* (sacras Scripturas) *gratia proficeret, Lucium III.* (qui fuit creatus Pontifex à Christo nato anno milleſimo centesimo octuagesimoprimo, vigesimonono Augusti) *anno secundo Pontificatus eiusdem, humilibus gressibus vrbem Verulanam adiit. At Ioachim votis non de facili Pontifici acquiescenti, qualiter post triduum Ierosolymam à Saracenis captam esse, renunciandum erat, coram omnibus pronunciauit: id, quod rei euentu comprobante, à mirabundo Pontifice sacram elucidandi Scripturam facultate potitus, eidem multa vera, ac ventura prædixit, eandémque profectò authoritatem interpretandi, in præfatione Apocalypsis talibus verbis induxit. Non ergo de meo, quod non habeo, sed de Christi benignitate confidens, Apocalypsim, quam Beatus Ioannes in Pathmos insula relegatus descripsit, non meæ præsumptionis audacia, sed Romani authoritate Pontificis exponendam assumpsi.* Hactenus ex Iacobo Græco desumpta.

[6] fol. 154.

Verùm

10. Verùm, quod ait prædictam à Ioachimo Ierosolymam captam à Saracenis, cum Pontifice Lucio non satis compertum est: quippe ea clades non sub Lucio contigit; sed sub Vrbano; idque post quadriennium, vt suo loco dicemus. Quare non de inuasione Ierosolymitana, vt ait Iacobus; sed de Latinorum à Græcis pseudo-Christianis in partibus Orientis vastatione, quæ contigit hoc anno prædictum censeo, de qua inter alia hæc habet Robertus Montis [b]: *Cùm Latini occiderentur per crudelitatem Andronij, quidam Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, Ioannes nomine, quem Romanus Pontifex miserat Constantinopolim, ad petitionem Manuelis Imperatoris, qui erat vir religiosus, & votebat per prædicationem illius Cardinalis reuocare Ecclesiam Græcorum ad institutum, & subiectionem Romanæ Ecclesiæ. Hic, inquam, Ioannes, cùm Latini occiderentur, erat in hospitio suo, veneruntque ad eum quidam Religiosi viri, suadere ei, vt discederet, ne occideretur; quod cùm audiret, dixit: Absit hoc, ne fiat. Ego hic sto pro vnitate Ecclesiæ, & præcepto Alexandri Papæ Domini mei. Tunc irruentes in eum Græci perfidi, occiderunt eum, & ligantes canem cum eo, ita quod cauda canis esset in os eius, traxerunt per vicos ciuitatis; & factâ fouea ibi combusserunt eum, & postea viri Religiosi de fouea tulerunt corpus eius, & optimè sepelierunt illud, vbi fiunt crebrò miracula.* Plura qui volet, consulat Baronium, latè de his differentem circa hunc annum.

---

1. *Grassantibus in Bituricensi tractu Hæreticis,* 2. *Henricus de Soliaco, ex Loci Regij Abbate, Bituricensis Archiepiscopus creatur,* 3 *qui & de hostibus fidei vindictam sumit* 4. *Theobaldus, cùm multa Cluniaci fecisset,* 5. *atque Capitulum totius Congregationis ibidem celebrasset,* 6. *Cardinalis creatur à Lucio III.* 7. *Benno inter sepeliendos Martyres Christi à Barbaris opprimitur; sed per miraculum penè liberatur.* 8 *Qualiter Cistercienses nunquam dimiserit,* 9. *Monachos, an Canonicos.* 10. *Atque obiter discussa ratio temporis.*

CAPVT II.

1. PER idem tempus, turbantibus Prouinciam Bituricensem Catarellis Hæreticis, atque post mortem Præsulis Guarini, in Catholicos omnes, præcipue Religiosos debacchantibus, Henricus Soliacensis, siue Borbonius, ex vrbe Gallia electus est, ex Loci Regij Abbate (erant Democharis, Vvioniusque [b], qui hanc gloriam attribuunt Caroli loco) qui Biturigibus communi assensu præsidens, non solùm pietate, doctrinâque, sed armis, si oporteret, Blasphemorum perfidiam vindicaret. Quippe Henricus regio sanguine ortus, & validissimis propinquitatibus subnixus, authoritate ad populum, gratia ad Philippum adeò præcellebat, vt omnium animos, si necesse esset, facilè commoturus speraretur. Serpens malum, non aliis verbis melius, quam Antonini pandam, quæ ita habent: *Anno M.C.LXXXIII Catarelli Hæretici, remissis Regis vastando, prædas ducebant, homines captos secum inhumaniter trahebant, & cum vxoribus captorum etiam (proh dolor!) ipsis cernentibus, dormiebant, Ecclesias incendebant; Sacerdotes autem, & viros Religiosos captos secum ducebant; & in ipsis tormentis irrisorie dicentes: Cantores, cantate, cantate. confestim eis alapas dabant, & grossis virgis eos cædebant. Ex quibus quidam sic flagellati bonas animas Deo reddiderunt; alii longa carceris custodia semimortui, data pro redemptione pecunia, ad propria redierunt. Denique peccatis omnium exigentibus, iidem Catarelli Ecclesias spoliabant, & Corpus Domini de vasis aureis, & argenteis, in quibus pro infirmorum necessitate reseruabatur, extrahentes, & (proh nefas!) in terram viliter proiicientes, pedibus conculcabant. De corporalibus vero ornamentis eorum pepla capitibus suis componebant: calices sacros irreuerenter portabant, & malleis, & lapidibus vsco fregentes dissipabebant.* Hactenus Antoninus in sua Historia.

[a] *de sacrificio c. 4. tit. Ligno vitæ.*

[b] *par. 2. tit. 17. §. 17.*

2. His malis occursuri Clerus, & populus, opposuêre Henricum, Haimonis olim Archiepiscopi sui nepotem, quem clarum sanguine; sed pietate, & doctrina longè clariorem, intra propriam Prouinciam, Loco Regio (Abbatiæ Cisterciensi, quam Curia Dei protulerat) præfectum dudum, sermone simul, atque opere potentem, prudentem, prouidum, in multis iam negotiis experti fuerant: idem qui supra Vvionius, & Democharis, sicut Cœnobium mutant, ita electionis annum anteuertunt, &, *Anno*, inquiunt, *M.C.LXXXII Frater Henricus Soliacensis Monachus, & Abbas Caroli Loci, creatur Archiepiscopus Bituricensis.* Verùm Ioannes Chenu, Biturix Author, & qui speciali cura, & diligentia Bituricensis Ecclesiæ monumenta reuoluit, rem nobis totam pandit certiori fide [d]: *Anno*, ait, *M.C.LXXXIII. Henricus de Soliaco, alias de Bertonio, Haimonis quinquagesimi octaui Archiepiscopi Bituricensis nepos, Odonis de Sulli, Episcopi Parisiensis, & Gualonis de Sully (qui nomen dedit capellæ Dangillon, dan, pro domno appositio) frater, Archiepiscopus Bituricensis LXVII. eligitur. Sedit temporibus Romanorum Pontificum Lucij III. & Vrbani IV. (a quo & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus fuit,) & Innocentij III. Imperatorum Friderici primi, & Henrici VI. Regis verò Francorum Philippi II. cuius erat consanguineus,* &c. Hactenus ille, qui & Domum Loci Regij inferiùs notat, & quia propiùs monumenta omnia lustrauit, cæteris nobis venit præferendus. In additis ad Chaconianas Tabulas [d] dicitur consecratus Henricus à Lamberto Criuello, Archiepiscopo Mediolanensi, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, qui postea Summus Pontifex creatus, Vrbanus III. dictus, Henricum ipsum vocauit ad sacram purpuram. Consonat Claudius Robertus in sua Gallia: quin & eundem Pontificem adducit id ipsum affirmantem, diplomate expedito pridie Kal. Martij, 1180. Quo concedit Henrico Clericos sex, in ipsius obsequio, suorum beneficiorum fructus percepturos.

[d] *in Catalogo Archiep. Biturix.*

[d] *in Vrbano III.*

3. Ergo, quo anno Hæretici Catarelli sacrilegi in Ecclesiam, & Deum ipsum; in Catholicos atroces grassabantur, oppositus Henricus, velut pro muro; quasi qui solus furentem impietatem, atque effrænem licentiam frangere posset. Procurasse per verba credendus est, & per admonitionem Ecclesiæ more: at, cùm per illas omninò nihil proficeret, obduratis in malum rebellium cordibus, atque ipsa assuetudine peccandi versa in naturam, conuertus ad verbera, &

populum

populum Prouinciæ in vnum congregant, arguens, obsecrans, increpans, quòd tantum dedecus inulti sustinerent, quòd ignaui succumberent, dum fideles accendit aduersùs impios, impetu in eos facto, cunctos trucidat. Ad septem millia Hæreticorum cecidisse narrantur, id, quod idem qui suprà Florentinus Archiepiscopus nobis scriptum reliquit, eodem verbis [c]: *Anno Domini millesimo centesimo octuagesimo tertio*, &c. *in Prouincia Bituricensi septem millia Catarellorum Hæreticorum, & amplius interfecti sunt ab illius terræ incolis, in vnum contra inimicos Dei confœderatis.* Hæc tantùm ille: nec nominat Pontificem; sed ipso auspice, & duce vindictam sumptam, compressa statim ab ipsius ingressu tabes, atque vltio sequuta satis demonstrant. Hæc fuêre initia Henriciani Pontificatus, auspicata feliciter: nam cætera, quæ per annos XVII. quibus præfuit Bituricæ, tum assumptionem eius ad sacram purpuram, cum reliquis, quæ gessit, suis & loco, & tempore reddemus.

c vbi supra.

4. Hoc ipso anno, quo ad insulas Henricus, ad purpuram Theobaldus promotus est, ille, nimirum, quem ex Cistercij Monacho, & Abbate, per varios casus in Abbatem Cluniacensem promotum diximus; hic quadriennio, quo integro præsederat, (errant, qui vnum tantùm annum illi attribuunt,) multa, & præclara gesserat, ob quæ inter primos, illustrioréque Cluniaci parentes commemorarur. Nam priuilegia ab Alexandro Papa, à Rege Ludouico, Philippóque, tum à Burdegalensi Metropolita, nomine Vuillelmo, plura obtinuit, annis M.C.LXXX. M.C.LXXXI. & M.C. LXXXII. cum Comitibus Cabilonensi, atque Ambertensi, qui dudum Monasterium infestabant, pacificè transegit, anno M.C.LXXX. & cum Matisconensi biennio post: atque hos omnes, ex hostibus amicos, fratres, filios fecit, qui pro oppressionibus, quibus anteà grauare soliti exinde tum subsidiis, tum obsequiis vniuersam Cluniacensem Ecclesiam prosequerentur. Extant diplomata horum omnium Principum [f] charitatem vtrinque præseferentia: sed specialiter Ambertæ Vicecomitis in hunc modum loquentis de Theobaldo: *Iam dictus verò Abbas, & Monachi condonauerant mihi quinquaginta libras, quas debebam eis, & omnia mala, quæ eis feceram. Et confratrem me fecerunt, & participem omnium bonorum, quæ sunt in Ecclesia Cluniacensi, tam in capite, quam in membris*, &c. Sic vir discretus, quos per vim non poterat, per beneficia obstrictos ad omne obsequium sibi comparabat.

f In Biblioth. Cluniacen. in Theobaldo Abbate.

5. Legitur etiam intra idem quadriennium congregasse Conuentum suæ Familiæ, atque Abbatibus, Prioribúsque ex vniuerso Orbe: (nam Cluniacum per vniuersum Orbem diffundebatur) congregatis in vnum, multa statuisse pro maiori obseruantia Regulæ, & pro abusuum, si qui fortè irrepsissent, ad laudabiles antiquas consuetudines, iuxta præscriptum Patrum, restitutione. Atque hoc fuisse Concilium illud coniector, cui cùm præsens adesse non potuisset Petrus Abbas Cellensis, celebrem illam epistolam scripsit, vltimâ libri octaui sub hoc initio [g]: *In tanta Sanctorum Congregatione, & persona nostra, si adesset, vilis, & abiecta appareret, & vox exigua: timeo, ne & littera rusticana*, &c. Et tandem concludit: *Adsit vobis gratia Spiritus Sancti, qua cooperante constituatis, quod Deo sit acceptabile, Ecclesia Cluniacensi vtile, præsentibus salubre, posteris remediabile. Valete.* Ita Cellensis ad Sanctorum Cõgregationem sub Theobaldo Abbate, sub quo multa instituenda, quæ Cluniacensium mores, & opinionẽ eximiè promouerent, non dubitabat.

g Epist. 23.

6. Hunc ergo Virum fama per Orbem celebrem, Lucius Papa donauit purpura sacra; de cuius ad hunc annum creatione Robertus Abbas Montis, ista bre-

uissimè [h]: *Theobaldus Abbas Cluniacensis anno M.C.LXXXIII. factus est Episcopus Cardinalis Ostiensis, cui successit filius Comitis de Claromonte.* Scilicet, Cluniaci. Consonant Tabulæ Chaconij, & Panuini, & Chronicon vtrunque Cluniacense: nisi quòd alterum in tempore aberrat: quippe vno tantùm anno Cluniaci præfodisse Theobaldum tradit, quem pridie Kalendas Nouembris, anno M.C.LXXX. consummauerit. Sed contrarium conuincunt instrumenta, quæ anno M.C.LXXXIII. sub ipso Abbate facta, hodiéque extant, & circùmferuntur in ipsa Bibliotheca Cluniacensi, vt facilè constabit, si quis inspiciat. Præterquàm quòd, nequaquam obiisse ante annum M.C.LXXXVIII. quinquennio à sacra purpura susceptâ (cuius oppositum ædstruere videtur Chronicon illud) suo tempore apertè demonstrabimus. Cardinalis Baronius non hoc anno, sed sequenti creatum, scriptum habet, quasi qui in purpura quatuor tantùm annos, sed Cluniaci quinque consummauerit. Quod tamen, cùm non videam, vnde probet, aliàs contrarium Tabulis, adnotasse sufficiat, etsi non sequar. Reliqua Theobaldi suis locis, vsque ad annum, quo obiit, inseremus.

h in Appendice.

Sub idem tempus Benno venerabilis Zuverinensis Præsul (quem Zuverinum ex Mekelemburgo, primam Vvandaliæ Sedem transtulisse, fidei propagandæ zelo commemorauimus) dum corpora fidelium, quos Barbari irruptione facta trucidauissent, iustis solutis, sepultura donare satagit, multa ab eisdem passus, quominùs ipse etiam, dum sacrificat, efficeretur hostia, atque inter sacra Missarum solennia caderet victima Deo grata, pro miraculo ferè hostibus fuit. Quippe velut de Cœlo misso auxilio, à quo fugati territi propriam mortem redemêre vita Pontificis. Narrat hæc paucis, vt solet, Albertus Krantzius lib. 5. Vvandaliæ [i], totidem verbis: *Benno Venerabilis, Episcopus Magnopolensis, cùm audiret quam stragem perpessi essent sui, quinta die peruenit eò cum suis Clericis de Zuverin, tumulare casos. Et sacris indutus erexit eram in medio casorum, obtulitque pro eis Hostiam salutarem cum luctu, & tremore. Quo iam sacrificium peragente, perrexerunt Vvandali de insidiis, vt percuterent Pontificem, & qui cum eo erant. Sed celeriter quasi missus à Deo superuenit quidam Richardus de Soltuvueldeb cum expedita manu. Hic audito, quod Guacelinus obsessus esset Ilouu, egressus est in auxilium eius, & iter faciens superuenit in Magnopolim, cùm Pontifex, & sui iam in media morte tenerentur. Cuius aduentu territi Vvandali fugerunt; & saluatus Episcopus peregit opus pietatis, quod cœperat, & tumulauit ex interfectis ad septuaginta corpora; & reuersus est Zuverin.* Ita pietatem, & constantiam Præsulis Sancti Author, aliàs non pius, egregiè laudat,

7.

i cap. 4.

8. Verùm, quod ait, egressum Sanctum Virum cum suis Clericis, vt funeris officia exequeretur, non de sæcularibus, sed de Regularibus, Cisterciensibúsque (Canonicis, aut Monachis, nam Canonicos, etiam Cistercienses, olim in vsu fuisse, superiùs vidimus, & infrà etiam videbimus) intelligendum esse, argumento est id, quod idem Albertus alibi scribit, Brunuvardum, nimirum, qui Bennoni successit in Sede, ex Cistercio assumptum, quod ex Fratribus Bennonis Cistercienſibus, quos secum adduxisset, electus esset: *Successit*, ait [k], *Bennoni Brunuvardus ex Fratribus suis* (scilicet, Cisterciensibus) *Vir præcipuus, qui Ecclesiam moribus, & rebus plurimum ornauit. Cùm enim esset Benno, sive Bruno, (vtrumque enim legitur) Ordinis Cisterciensis, creditum est, illum vixisse cum aliquantis sui Ordinis Fratribus*, &c. Ergo vel Clericos Regulares vocat, Canonicos, seu Monachos, ad laicorum discrimen, quod satis frequens;

k lib. 7. Metropolis, c. 20.

Digitized by Google

vel Cistercienses ab eo setiùs adducti, quod minùs probo, cùm vel translatio Sedis ad Zuverinum non nisi in vltimis Pontificatus illius annis facta legatur. Certè qui viros coadiutores sibi elegerat, atque assumpserat in partem sollicitudinis, nunquam sine illis aggressus credendus est hæc pietatis opera, aut tanto merito defraudare voluisse Fratres charissimos.

9. Quòd si nimiùm curiosè quis inquirat, Monachine, an Canonici illi fuerint, inter quos Benno vixit: & rursus an Ecclesiam Zuverinensem, vt suam administrauerint, an solùm venerint ex Amelongesborne, vnde & ipse assumptus, domi sancto Pontifici adhæsuri, vt nihil certum definire facile sit in re antiqua, & obscura; sic coniectari licet fuisse Canonicos; tum, quòd illi præ aliis Fratres Episcopi consueuêre appellari, quod satis frequens; tum, quòd Brunuvinus, qui ex Fratribus eisdem assumptus dicitur, non ex Priore, Subpriorève, aut Monacho, neque præcisè ex socio Antecessoris; sed ex Decano Ecclesiæ Zuverinensis ab eodem Alberto promotus dicitur: *Bennoni autem*, inquit [l], *in sua Ecclesia successit Brunuardus, eiusdem Ecclesiæ Decanus, secundus in Zuverinensi, sed in vniuersum à prima sede quartus*, &c. vt facilè coniectari liceat fuisse Canonicos, quibus Decanus præsidere solitus erat. Nam, etsi iuxta Regulam Decani Monachis etiam præfici iubeantur: at non vnus; sed plures iuxta numerum Fratrum, quibus præsunt, neque Decani Ecclesiæ, sed suæ vnusquisque Decaniæ, siue talium, aut talium Monachorum nominabantur.

[l] lib. 6. Vvandaliæ, c. 36.

10. Demùm quod ad rationem temporis attinet, paucis est nobis Lector admonendus, eundem Krantium, in eo sibi contrarium Arnaldo Vvionio, Yepio, aliisque occasionem errandi præbuisse. Quippe Krantzius septimo Metropolis [m], cùm agit de Brunonis successore, tradit obiisse *anno vigesimoseptimo post mille & ducentos, cùm per annos quadraginta quatuor Zuverinensem Ecclesiam administrasset.* Vnde consequenter colligi videtur, successisse Brunoni anno M.C.LXXXIII. id est, hoc ipso, quem nunc describimus, in quo etiam Brunonis mortem notat Arnaldus Vvionius [n], retracto calculo. Ast in Vvandalia [o] de eodem Brunone agens, transitum eius differt annis duodecim: sic enim ait: *Incredibile est memorare, quantos pro Christo pertulerit labores, qua subierit vitæ pericula, quoties ludibrio habitus ad sacrificia Dæmonum extractus est a Barbaris. Ille tamen per Christum confortatus, cultum Dæmonum eliminauit, lucos succidit, bonum certamen certauit, fidem non falsam seruauit, sed mirificè in populo Barbaro amplificauit, & bono cursu consummatus, indubitanter ad coronam, & superna vocationis brauium peruenit. Erat autem annus post natum Christum, & datam Mundo salutem M.C.XCV.* Mihi in hac sui ipsius contradictione, si alium quempiam, quem sequerer, haberem neutro loco sequendus, dum alio duce careo, secundum præfero; & quia expressior, & quia specialior, sed à quocunque ex vero corrigendus.

[m] cap. 20.

[n] lib. 1. c. 46.

[o] lib. 6. c. 36.

---

1. Sancti Hugonis Bonævallensis Abbatis mors. 2. Historia de Festiuitate spineæ Coronæ, 3. reuocata in dubium, & impugnata. 4. Sepultura, & miracula post mortem. 5. Festum cum hymno proprio celebratum. 6. Dictum de tempore: 7. & sepulcro Sancti violato. 8. Vnde & martyrij aliqualem palmam promeruit.

CAPVT III.

1. IISDEM temporibus, vt ex Vincentio Belluacensi [a], Antonino [b], atque aliis potest colligi, Bonævallensibus, & mundo valedixit Beatus Hugo, eiusdem Domus Abbas, cùm multos filios in cœlos præmisisset, vt anno superiori locuti sumus; mutilum, & truncatum multis capitibus librum vitæ ipsius, & suprà doluimus, & nunc dolemus: quippe qui ex hoc proculdubiò multa amisimus, quæ forent hos Annales illustratura. Quæ in diuersis Authoribus sparsa inuenire potuimus, in hoc Capite venient colligenda; si tamen quæ de spineæ Coronæ Festiuitate, iam ab olim in Galliis instituta; sed in Cistercio, interuentu eius suscepta recentiores commemorant, quod nos falsum putamus, ptiùs pro modo nostro discussserimus.

[a] lib. ... [b] part. 2. tit. ...

2. Festum spineæ Coronæ in Gallia celebre à temporibus Caroli Magni Imperatoris, siue alterius ex eius successoribus, qui inter alias Dominicæ Passionis venerandas exuuias Coronæ frustum ab Oriente reportauit, Galli omnes Authores asseuerant [c], tempe, excitantibus fidelium deuotionem crebris miraculis; sed & miraculis ipsis crebrescentibus, crescentibúsque, quæ Dei plerunque in nos bonitas est, ex ipsa supplicantium deuotione. Hanc detinatam à Patribus ad filios hausisse Hugonem: ac diu, multúmque desideraſſe eam celebritatem in Cistercio admitti, singulis annis perpetuò recolendam. Potrò id cùm in generali Capitulo propositum, à multis religiosè, ac piè acceptum; ab aliis

[c] Helinandus, Vincentius, & alij.

nouitatis, & in Hugone singularitatis arguerentur, qui propriæ authoritati deferri vellet nouæ Festiuitatis, quam Patres non coluissent, institutionem; Venerabilem Patrem oblitum sui, quem sperni iuuaret; sed nihilominùs succensum Religione in sacrum illud diadema, quod Christi caput mensis coronate, ad orationis arma confugisse fortem in fide; vt quod minùs potuisset ab hominibus, impetraret à Deo, in cuius erant manu cunctorum corda. Res mira, & si firma nitatur authoritate, digna Annalibus, & perpetua memoria hominum. Produnt, orante in Ecclesia Sancto Patre contradictionis ducem percussum phrenesi, sequaces eius vehementi dolore capitis, quoadvsque vexatione intellectum dante auditui, illis præ aliis Festum acclamantibus, omnium communi consensu susciperetur. Ita Dionysius Parisiensis, quem refert [d] Brito in antiqua Historia, quam mihi hactenus nanciſci nequaquam licuit, ex his duobus Chrysostomus Henriquez in Fasciculo [e], rursúsque in Menologio [f], & communiter alij recentiores.

[d] lib. 6. c. 36.

[e] lib. 2. dist. 2. c. 7.

[f] Augusti 11.

Nobis piam & deuotam satis Historiam omninò præterire, loco piaculi; maximè adeò vulgatam, receptámque, vt non ex aliis signis Hugo notior, quàm ex spinea Corona, cum qua in manibus vulgò depingi solet. Verùm, cùm pietas veritati cedere debeat: nisi cùm nihil pium, si non verum, præcedentibus subiiciendum omninò censui: id, quod ex Actis Cistercij constare video. Festum spineæ Coronæ longè

3.

posterius; neque in Ordine admissum ante annum M.CC.XL. sexaginta ferè annis post Sancti obitum. Sed neque tunc intuitu illius, aut interuentu miraculi alicuius, verùm ad Regis Franciæ petitionem; nec in toto Cistercio, sed in Cœnobiis tantùm illius Regni. Extat diffinitio, vt vocant, illius anni ducentesimi quadragesimique supra millesimum, cuius hæc verba: *Festum spineæ Coronæ celebrandum ordinatur in Abbatiis Regni Franciæ ad requestam Regis.* Porrò, cùm idem Festum in eo Capitulo cum vna tantùm Missa celebrandum institueretur, in sequenti cum duabus celebrari iussum est; integro tamen labore Conuersorum, idque his verbis: *Festum Coronæ cum duabus Missis instituitur: sed Conuersi laborem.* Non ergo puto ad instantiam Sancti Hugonis institutum hoc Festum: neque ipse eget miraculis suppositis, quem tot, ac tanta vera nobilitarunt.

4. De morte Sancti hæc habet Petrus Venetus, siue de Natalibus, Pontifex Equilinus, in sua, quam de eo
g *lib. 4. c. 23.* texuit, Historia g: *Post multa vero Sanctitatis eius insignia, Sanctus Abbas Hugo in Monasterio Bonæuallis humanitatis debitum soluit, ibidem sepultus.* Hæc tantùm ille: & vitæ libro in hac parte defectuoso, non pluta alij, saltem quos ego viderim. Nisi quòd tamen
h *lib. 6. c....* Brito Lusitanus h, & eum sequutus Chrysostomus
i *lib. 2. dis. 2. c. 7.* Henriquez i, præcedentem de morte reuelationem, secessum à negotiis, ac demum mortem ipsam adeò tranquillam, vt nisi expulsus, respirationisque defectu, discerni non potuerit, vt accepta ab Antiquis assseuerant. Ex hausium forsan ex his vitæ capitibus, quæ Autographo desunt in Bonavalle. Cæsarius Heisterbacensis, qui quadraginta fermè annis post Sancti obitum Dialogos concinnabat, dum quædam eius Acta recenset, paululùm immutata ab his, quæ nos
k *lib. 5. c. 25.* præcedenti anno retulimus, miraculis post mortem clarum etiam tunc prodit k, imò ex tunc claruisse incepisse: *Abbas iste esse dicitur Sanctus Hugo Abbas Bonævallis, qui iam incepit claruisse miraculis.* Hinc infra breue tempus Sanctis adscriptus: nec solùm in propria Bonævallis Domo; sed per totum Ordinem celebratus Officio proprio, quod hodiéque in antiquis Breuiariis circumfertur. Incultum sanè, dignumque abradi, sicut de facto abrasum à recentioribus: si tamen aliud cultius substituissent; quod prætermissum hactenus, aut oscitantiæ, aut temporis cunctos incusat. Hymnum, quia vitæ illius seriem continet, placuit in mei Lectoris gratiam, & cæterorum exemplar hìc subiicere:

5. *Mysterium, eximie*
Deitatis signaculum,
Hugonem, dat Valentia,
Vitæ valentis speculum.
Sola fruens hac gratia
Profert Hugonem floseulum,
Castri noui militia,
Castri diuini primipilum.
Vates post ab infantia
Hugo petit Aunnculum:
Lugdunensis Ecclesia
Doctrina præstat pabulum.
Mysterium hoc nescit
Tanti fructus manipulum:
Ad se trahit Burgundia
Hugonem Christi famulum.
Verè plenus mundicia
Cistercienſi, titulum
In Domo Miratoria
Sumit Hugo vestibulum.
Pastores dant consilia,
Limceli Capitulum
Firma Fratrum concordia
Offert Hugoni baculum.
Sic magni Viri prouident
Bonævallis hunc calculum,
Sumentes sibi ex filia
Hugonis gubernaculum.
Rogemus, vt de patria
Gratum mittat tiuulum,
Quibus digna præsentia
Iuge monstrat miraculum.
Sit Trinitati gloria,
Vtriusque cumulus
Honoris & præconia
Demus per omne sæculum. Amen.

Hactenus Hymnus, ex cuius vltimo versu planè 6.
colligitur, vltra frequentia, continuataque miracula, quæ quotidie fiebant ad Sancti corpus, aliquod aliud iuge, atque perenne in corpore inuentum, quod ad eos vsque annos perseueraret: haud tamen nobis constat, quale fuerit. Annum mortis non longè ab hoc distasse, perspicuum est: sed neque ille certus. Sunt, qui biennio antè ponant l: sunt, & qui differant m. Nobis hæc media via placuit incedere, vt veritatem assequi impotentibus, saltem non multùm ab ea deuiaturis. Dies communiter putatur prima Aprilis, qua Sanctum Virum Authores omnes memorant, Franciscus Maurolicus, Constantinus Felici, Arnoldus Vvionius, Hugo Menardus, & alij in suis Martyrologiis: quamuis ob Paschatis sacratiorem Solennitatem frequentiùs occurrentis circa id tempus in prædictis Breuiariis, ad finem vsque mensis, nempe, ad vigesimam nonam, differatur. Sic Fitirienſis in Notis
n *lib. 6. c. 8.* ad Exordium n: sed coniectanti similior, quàm asserenti. Ast mihi in vtraque die consideranti Hugones alios adscriptos Martyrologio, prima, nimirum, Gratiano-Politanum, & vigesimanona Cluniacensem; cùm in nulla videam notatam ab antiquis piam Bonævallensis dormitionem, facilius multò credo recentiores, cuius natalem diem ignorarunt, coniunxisse cum aliis eiusdem nominis, quod vsu ab eis receptum, frequensque, atque inter regulas communes commemoratur.

l *Rotto,* m *& Henriquez vbi supra.*

In eisdem Fitirienſis Abbatis Notis o animaduer- 7
sum video, Sanctum post mortem pro status capacitate coronatum Martyrio, dilacerato in odium fidei corpore, & distractis, atque in conculcationem datis sacris exuuiis: *Sancti*, ait, *corpus in eodem Cœnobio Bonævallis requiescebat integrum, Patrum vsque ad ætatem, qua anno Christi millesimo, quingentesimo septuagesimo sexto, Hæretici inuadentes Monasterium, in sacrarum Reliquiarum contemptum, illud dilacerarunt, & dispersserunt. Cæterum fragmenta nonnulla adhuc seruantur in ipsius sarcophago, qui est in Sacello maximo templi ad dorsum Analogij, in quo Euangelia cantari consueuêre.* Sic Fitirienſis, cùm non pridem misisset ad Bonamvallem, virum industrium, atque indefessum planè, quarumcunque antiquitatum indagatorem, Bernardum Villalpandæum Nucalensem, lustrandis Cœnobiorum Galliæ antiquitatibus.

o *vbi supra.*

Quòd si bis Martyr Beatus Thomas dicitur, qui in 8.
vita, & post mortem passus sit, cùm Hæretici exarserunt in eius corpus; quasi cui minùs viuenti potuissent, mortuo saltem illuderent, & expertem doloris, vt non per vulnera, per contumelias, & probra molestarent: Hugoni in Cœlis proculdubiò illuxit noua lætitia, & gloria accidentalis: cùm artus, quorum vsus ministerio, diuino se seruitio mancipasset, post mortem saltem pro Christo laceros vidit: vt non immeritò dicere possimus, Confessionis insigne, quod præhabebat, aureola aliquali Martyrij superotnari.

1. Beatus Petrus Claraualles Ecclesias visitat. 2. Librum miraculorum Bernardi inuenit, 3. & Claramvallem ducit transcribendum, 4 interim confirmatum nouo miraculo. 5. Obseruatio Firmini Fiterensis. 6. Aduentus Stephani Tornacensis ad Claramvallem. 7. Illustres conuersiones in Hemmenrode. 8. Qualis, & quantus Carolus in saeculo. 9. Et quis modus illius vocationis. 10. De sociis eius, 11. déque Columba super eum visa, cùm Ordinem intraret. 12. Demum de ea, qua apud omnes pollebat, aestimatione.

CAPVT IV.

1. SVB idem tempus Beato Petro Monoculo visitante Cœnobia suæ ditionis, in Monasterio Vallis Regis, repertum lego librum miraculorum Beati Bernardi, quem à discipulis eius conscriptum diximus, & sextum vitæ ipsius vulgò appellari; illum, inquam, librum, in quo quæ pertraxit, & gessit per dies singulos, dum Crucem contra infideles prædicaret, Ebrardus, Gerardus, Gaufridus, Philippúsque, & Vvolkemarus Constantiensis, aut alter, omnium nomine scripserunt; ex quo nos multa tomo præcedenti. Portò, cùm eum prædictus Sanctus Abbas mutuò acceptum, transcribendum portaret ad Claramvallem, ne fides vacillaret apud Authores, nouo miraculo illustrandum Deus curauit, quo cuncta in eo contenta confirmarentur. Rem totam ab Herberto Abbate scriptam, qui præsens fuit, quamuis superiùs leniori manu traditam, quia hunc annum concernit, eisdem prorsus verbis reddendam censui. Sic autem habet Herberti testificatio [a]:

a Inter Opera Bernardi.

2. *Visitante nuper Sancto, & Venerabili Abbate Claraeallensi Cœnobia sua, quæ in Rhemensi Prouincia, flante Spiritu Dei, vernantissimè florent. Nos quoque cum illo profecti venimus die quadam, vna cum ipso, ad Monasterium Vallis Regis. Inueninus autem ibidem miraculorum Sancti Bernardi multitudinem copiosam, qua propter legentium tædium in codice vitæ eius inseri non potuerunt. Nam si prolixiùs scriberentur, plurima inde volumina conficerentur. Hunc ergo miraculorum librum, quem in Claraualle non haberi comperimus, acceptum mutuò nobiscum ferre curauimus, vt eum transcribi faceremus. Portabatur autem in mantica cum aliis septem libris, iam maioris, quàm minoris voluminis. Venientibus itaque nobis ad Monasterium Longipontis, contigit, vt eorundem librorum portitor equus cum cæteris ad aquam duceretur. Qui dum incaute, dimissis habenis, vadum excederet, lapsus in profundum stagni, fluctuando, & natando, fermè vnius horæ spatio huc, & illuc anxiè pernagabatur. Exclamantibus autem, qui aderant, quòd equus ille librorum, atque vestimentorum sarcinam habens, cum puero superposito mergeretur; accurritur vndique, vt ei succurratur. Interim autem quadrupes, & ipse puer sub aqua latebant, nisi quòd ora protensa modicè superiùs apparebant.*

3. *Quidam verò Iuuenis indumentis indutus, & natando diutiùs insequutus, perentes eripere voluit, sed fugiente caballo, minimè potuit. Tandem verò quæsita, & de longè adducta nauicula, miserante Domino, reducti, & liberati sunt simul adolescentulus, & caballus, non modò viuentes; verùm etiam salui, & alacres. Mantica verò continens ipsos libros, inuenta est aquis in modum vtris plena, atque distenta. Quæ dum positionem incuria Ministrorum clausa diutissimè permaneret, tandem ea reserata, inuenti sunt libri, a minimo vsque ad maximum, ita madefacti, atque deleti, ac si in profundo stagni diutiùs iacuissent. Verum, tamen solus ille miraculorum liber, cùm tamen cæteris aqua imbutis, atque submersis esset immixtus, ita repertus est incorruptus, & siccus, ita pulcher, ac floridus, vt minime tunc extractum de viuario crederes; sed potiùs assumptum de armario diceres. Nam, quemadmodum vsque hodie cernitur, ne vnam quidem in eo litterulam magna, vel modica aqua stilla deleuit, aut tetigit; cùm cæteri, (sicut dictum est) libri, ita fluctibus obliterati, & pellium more confecti viderentur, vt nullis deinceps visibus indicarentur apti. Vnde mirati, & magna iucunditate repleti, gratias egere multimodas diuinæ clementiæ, qua dilecti sui Bernardi merita veneranda voluit etiam nunc huiusmodi signo glorificare.*

4. *Nos quoque magnificè consolati, proprium damnum de submersione librorum, non modo leuissimè, verùm etiam leuissimè tulimus: quippe qua in eius restitutione, iucunda vere piscatione, sanum, & tale miraculum de immensitate aquarum, cum libris extulimus. Et quidem duplex nobis incubuit exultandi materia, tum pro ipsa miraculorum gloria commendata, de quorum certitudine præsenti miraculo certiores existimus: cùm pro ipsa pueri vita donata, cuius liberationem sanctissimi Confessoris huius precibus, & meritis attribuendam esse, non dubitamus.* Hactenus miraculum miraculorum Bernardi, vt ita dicam, quod immenso illi stupendorum operum pelago, nouam fidem & gratiam conciliauit.

Inuenio notatione dignum circa hunc librum, id, quod Igracius Firminus Fiterensis obseruatum reliquit [b], postquàm cum aliis quinque contulisset, & cum Ioanne Eremita, simulque cum Exordio, atque Cæsario, quibus ex parte argumentum haud dissimile, vltra parrata quasi caterratim, & in confuso, velut cum cunctis gustaturis panem, cui benedixit, (& erat panum ingens multitudo,) repromisit salutem; ex singularibus, atque specialioribus, centum & septuaginta supra mille miracula referri, quæ Sanctus fecerit. *Nam cæcos*, inquit, *à natiuitate inueni illuminatos CC.XXI. mutos loquentes, & surdos auditui redditos C.LXXX. claudos gressu donatos C.XXVI. mancos, & debiles viribus, & manibus C.LXXXIV. contractos libero suorum membrorum vsu C.XXV. amentes XI. demum tres mortuos luci, & vitæ redditos, & sexaginta sanatos ab aliis morbis.* Hactenus ille: quæ quia ex hoc libro præcipuè extracta sunt, & tanti viri (Ignaci, inquam, Firmini) indefessum, & nihil non tentantem, laborem arguunt, eius censui inuentioni subiungenda.

b ex notit ad lib. 2. ex Ord. c. 20.

5. Sub idem tempus, quantùm ex ordine epistolarum Stephani Tornacensis licet colligere, idem vir pius, dum adhuc Sanctæ Genouefæ Cœnobio præsideret, longa, & acuta febri diu vexatus, nec conualescens plenè, per Ripatorium diuertit ad Claramvallem, perfectam ibi, tum animi, tum corporis, vt sperabat, salutem recepturus; quod ipse scribit ad

6. Ptiorem

Priorem sui Cœnobij,toridem verbis [c]: *Post iter arreptum sexta feria febrilem tota nocte passus accessionem,summò manè Treuiris veni. Saluteto Domino Archiepiscopo ea die,Sabbatho,& die Dominica in Domo Ioannis nostri quieui. Interim per Dei gratiam accessio non accessit. Reliquiæ tamèn caloris,& sitis molestam me sperantem in proximo meliora, & viciniora saluti. Secunda feria manè Dominus Archiepiscopus Diuionem,ego Abbatiam Ripatoriam adij.Clarauallem vado, morulam aliquam ibi facturus; & per Dei misericordiam,& orationes Sanctorum plenam recepturus salutem.* Hæc ad Raymundum Priorem Sanctæ Genouefæ Parisiensis,Abbas Stephanus. [c] epist. 11.

7. Iisdem temporibus insignium conuersiones Virorum in Hemmenrode illustratum Cistercium,Caroli, & Vvalteri, quos plures alij in breui sunt sequuti. Claro in sæculo vterque genere natus, clarus militia vterque, gestisque, quandiu illam professi: votùm post abdicatam gloriam mundi, longè ambo virtutibus clariores. Vvalteri Cæsarius Heisterbacensis, qui virum assequutus est, Caroli vitam Villariense Chronicon prodit: ex quibus nos vtriusque acta narrabimus. Cæterùm priùs, quod attinet ad tempus,non posse longe abesse compertum est,quippe paulò antequàm Hermanus,Canonicus Bonensis, conuerteretur: quem tamen Hemmenrodem intrasse infra triennium, satis apertis indiciis, suo loco, Deo dante, demonstrabimus. Sed & totius Historiæ series, & circunstantiæ manifestabunt tempus, à quo nec latum vnguem discedemus.

8. Carolus ergo, claro sanguine ortus,ex Comitum Seinensium genere natus, & frater eius,qui tunc dominabatur, littoris primùm, armis deinde deditus, atque in vtriusque strenuus; sed militiam, quam altiùs imbibisset,maiori etiam cum laude profitebatur. In Chronico Abbatum Villariensium charus Principibus, Regibúsque dicitur. Tum à Philippo, Archiepiscopo Colonienſi, de quo inferiùs, cùm metum ab Imperatore concepisset, electus vnicè, per quem vita, & res eius custodirentur. Hinc nomen eius in Germania celebre; & nisi à Deo ad altiorem, sacratioremque militiam præuentus esset, haud dubiè inter primos illius æui Duces nominaretur. Sed maiora illum certamina manebant, maiores hostes: & quò ipse robustior, ferociorque, eò illustrior victoria comparanda. Ergo vt ad eam alacrior accingeretur, cùm minùs id sperabat, imò & fortassis, cùm minùs mereretur, gratia sua operante, Deus effecit: nam audi, quod in eadem Historia sequitur.

9. *Dum itaque cum Gerardo Vvasſardo milite,de quodam torneamento à Vvormatia Moguntiam descenderet,inciderunt in quoddam pratum amœnissimum, floribus cuiuslibet coloris,riuulis,& fontibus refertum;quod ita transierunt, quod neuter est alloquutus alium. In transitu itaque prati, compromiserunt inter se, quòd cogitationes suas alter alteri reuelaret.Et vnus ait: Cogitaui, & æternè considerani miras, & multimodas amœnitates loci huius: & in exitu præstensum est mihi, quòd vanum est, & ad modicum valens,quidquid viret in sæculo. Et alter respondit: Eadem fuit cogitatio mea. Et dicunt sibi inuicem: Pariam nobis hoc aliquid vtilitatis,& transeamus mare,vt pro fide Christi contra eius aduersarios dimicemus. Sed occurrunt nobis ibidem, quæ hic reliquimus, nobilitas, videlicet, equorum speciositas, fœminarum, ac instrumenta armorum, & vulnerabunt corda, & forte ledetur pudicitia. Quid ergo? Transeamus ad lupinas vestes de Hemmenrode,& quaramus inducias quinque annorum torneamenta visitandi. Iuerunt ergo solo contenti arripere, & vouerunt conditionaliter, se Monachos futuros in eodem Cœnobio.* scilicet, si quinquennio superuiuerent. Hæc prima vtriusque viri vocatio fuit. Sed nec secundam rèsponsio promerebatur,differenda quinquennio, eóque non insumendo bonis operibus,imò neque his promtis,sed torneamentis,ludísque prohibitis,à quibus neque per ecclesiasticas censuras in iure positas possent coërceri.

10. Votum vtriusque variæ amicorum sententiæ sequutæ sunt, quibusdam deuotionem irridentibus, quæ tales potuit inducias admisisse; quibusdam leuitatem improperantibus, quæ facilè vouisset, quod nunquam crederent ab eis rèddendum fore. At vicit vtrorunque iudicia Deus, & vulnere Gerardo inflicto non multò pòst, ex quo vnius manus partem amisit, vtriusque voti impletionem accelerauit: igitur *Modico tempore euoluto* (ait Chronicon Villariense) *nobilis Carolus,relictis parentibus, & diuitiis huius sæculi, vna cum sociis pluribus,in Claustro,quod Hemmenrode dicitur,arma assumpsit sacra militiæ. Et eius exemplo, atque hortatu nobiles,& Proceres, tam de sancta Colonienſi Ciuitate, quam etiam de remotioribus terris, scilicet, Vlricus Flasco. Gerardus Vvasſardus, Vvalterius de Birbach, & quamplures alij strenui in militia sæculari, neque minùs conuersatione spirituali.* Hactenus ibi. Pergit de Hermano Canonico Bonensi eosdem subsequuto non multò pòst, de quo nos in sequentibus dicemus.

11. Idem Villarij Chronicon affirmat, cùm Carolus in Nouitium benediceretur,apparuisse super eum columbam niueam eximiæ pulchritudinis (siue in specie columbæ Spiritum Sanctum) qui columbinam eius puritatem, & mentem Deo plenam significaret. Porrò hanc columbam Henrico conuerso visam,Viro sanctissimo eiusdem Monasterij,quem latiùs cum Hermano Priore, mox Heisterbach Abbate dicturi sumus. De huius Caroli patre viro potenti,& diuite, & qualiter struendæ nouæ fabricæ in Ecclesia Sanctorum Apostolorum, apud Coloniam,occasionem & lapides præbuerit, Cæsarius Heisterbacensis agit in suis Dialogis [d]. [d] lib. 8. c. 63.

12. Cæterùm,quantæ apud omnes Principes æstimationis fuerint ante, & post habitum susceptum militiæ sacræ, Carolus, & Vlricus,inde vel facilè licet coniectari,quod in eodem Chronico Villariensi legitur: *Cùm Fredericus Imperator Leodium descendisset, & multa copia nobilium ibidem ei occurrisset,aduenientibus ibi prafatis Carolo, & Vlrico Philippus Comes Flandriæ cum multitudine nobilium eis occurrit, ita quod Imperator,quasi segregatus ab omnibus, solus remansit. Sicut enim gratiam Imperatoris in sæculo habuerant, ita in Religione illos dilexit, & honorauit.* Hactenus ibi: & nos plura inferiùs.Nunc ad Vvalterum de Birbach cum eisdem conuersum transeamus.

1. Vualteri iuuentus, & deuotio. 2. Ingens miraculum, 3. atque eius comprobatio. 4. Crux Vualtero aurea de Cœlo missa: 5. professa seruitus, pensúmque solutum: 6. aqua ei in vinum diuinitùs mutata. 7. Tum ipse, & Capellanus eius Monachos induunt. 8. Crux Hemmenroden allata, nec ibi permanens. 9. Lusitana militiæ incrementa non contemnenda. 10. Sanct-Iulianea exempta ab Ordinariis: 11. & fundatio huius anni, quæ tantùm vnica.

CAPVT V.

1. alib. 7. 43 9.

IGITVR *Vualterus*, ait Cæsarius [a], *de Birbach villa oriundus extitit, vir dives ac potens, & nobilis valdè, consanguineus Henrici Ducis Louany. Qui cùm esset militiæ sæculari, adhuc ætate florens, deditus; & in ea strenuus satis, atque nominatus Dominam nostram Sanctam Dei Genitricem, sempérque Virginem Mariam ab ipsa pueritiæ cœpit inuocare, & ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiuniis, eleemosynis, & Missarum celebrationibus honorare: licèt enim corpore deditus esset, vt dictum est, torneamentis; corde tamen totus erat in obsequio Beatæ Virginis.* Hoc perfectionis Vualteri felix initium, à Virgine auspicatum; quæ tamen qualiter deuotum sibi militem, vel in ipsa, cui nunc insudabat, mundana gloria, miraculo insigni remunerauerit, pergit Author describere in hunc modum [b]:

b vbi sup.

2. *Tempore quodam, cùm præpararet ad quoddam torneamentum, milites habens in comitatu, venissetque ad Ecclesiam quandam, illos, vt Missam audire vellent, hortabatur: quod cùm recusarent, moram tantam sibi periculosam esse prætendentes; illis recedentibus, ipse mansit, Missam de Sancta Maria sibi cantari fecit, & obtulit: sicque socios insecutus est. Cui cùm aliqui de torneamento occurrerent, & hoc ex responsione illorum cognouisset, subiunxit: Estne adhuc inceptum? Dicentibus illis: Etiam, respondit: Quis fortiùs ibi agit? Dominus Vualterus, inquiunt, de Birbacho: ipse in ore omnium est, qui omnibus præfertur, & ab omnibus laudatur. Aliis verò occurrentibus, & similia dicentibus, stupens admirabatur, quidnam hoc portenderet. Actum est ineffabili pietate Beatæ Virginis, vt militem deuotum in obsequio suo tardantem, interim torneamento honoraret, eiusque absentiam mirabili quadam virtute suppleret.* Satis hactenus ostensus Virginis fauor: sed sui militis remunerattici, quandiu aliquid restabat, nihil satis.

3. *Expleto ludo, quidam ex militibus hospitium eius intrauerunt; &, vt secum militiùs agere dignaretur, deprecabantur: quibus cùm diceret: Quæ est causa petitionis vestræ? responderunt: Hodie cepistis nos, & rogamus, vt benè nos tractetis: Vualtero negante, ac dicente: Ego vos non cepi. responderunt: In rei veritate nos hodie dexteras vobis dedimus: nos signa vestra militaria ibi vidimus; nos vocem vestram ibi audiuimus. Et cognouit statim hoc actum fuisse gratia Beatæ Virginis, quam honorauerat in Missa.* Hactenus Cæsarius de gestis ab Angelo sub figura Vualteri in illo ludo: per quem piissima Virgo militem suum ad seria æternæ vitæ præparabat: & quæ non merebantur cœleste præmium, quippe extra gratiam facta, dum prohibitos ludos sectaretur, compensabat terrenis, quæ gratum animum altiùs penetrantia, etiam cœlestibus viam aperirent.

4. Adolescentem mundanæ gloriæ deditum, & veluti incalescentem ab ipso plausu, primus fauor disposuit; sed non retraxit. Addidit & secundum Virgo piissima, atque hominem ad altiora vocandum per sacra pignora, & multiplicia ostenta prætipuit mundo, & sibi tandem in seruum comparauit. Nam audi, quod sequitur [c]: *Cùm alio quodam tempore nundinas illas execrabiles quæreret, & inter multos stans Missam audiret, Sacerdos, vt in Canone Calicem leuauit, Crucem auream secùs eius pedes conspexit, cui annexa fuit chartula, hæc continens verba: Crucem hanc defer, ex parte mea (Mariæ, scilicet, Matris Christi) amico meo, Vualtero militi, prope Birbach. Quam cùm Sacerdos legisset, post completionem Missæ, pulpitum ascendit, & clamauit: Estne aliquis hic miles, qui vocetur Vualterus de Birbach? Respondentibus quibusdam: Ecce hic est. Sacerdos eum seorsum duxit, Crucem porrexit: & vbi illam inuenerit, vel quis miserit, intimauit.* Hoc iam pignus amoris sacræ Virginis: hæc velut arrha Vualtero permansura, atque æternum ab ipso veneranda. At quàm se gratum exhibuit tanto fauori, sequentia declarabunt, quæ ita habent [d]:

c ibid.

d ibid.

5. *Considerans Vualterus adhuc in sæculo positus tanta circa se Beatæ Dei Genitricis beneficia, in tantum in illius amore accensus est, vt in quadam pagore Ecclesia, in eius honore dedicata, consecto Sacerdote, sume collo suo iniecto, seruum gleba se illi super Altare offerret, soluens singulis annis censum de capite suo, qualem serui originarij soluere consueuerunt.* Ita Vualterus cum Maria velut certabat: & quò plùs accipiebat, eò se plùs redditurum profitebatur. Exinaniuit tandem semetipsum, si fas est ita loqui, formam serui accipiens: nec solùm quicquid habuit Mariæ dedit; sed quicquid potuit: superans ex hac parte acceptum, dato; quippe Maria sibi aliquid retinuit, ille nihil.

6. Cæterùm proferamus tertium miraculum à Virgine patratum, iam non in sui militis fauorem, sed sui serui [e]: *Solitus erat in Vigiliis omnium Solemnitatum Beatæ Virginis ieiunare in pane, & aqua; & sæpè etiam in sextis feriis ob reuerentiam Sabbathi. Die quadam seruus ieiunanti vas parumlum fictile cum aqua obtulit, quam in eius manibus diuina virtus in vinum optimum conuertit: qui cùm gustasset aquam vinum factam, seruum secretè vocauit, & arguit, dicens, sibi vinum pro aqua ministratum: quod cùm ille negasset, asserens se hausisse aquam de situla, vas recepit, & effudit, sicque aqua purissima impleuit, & vt securus esset, prægustauit, & obtulit: de quo dum gustasset, sicut prius, vinum inuenit; & mox seruo iratus sic ait: Vt quid mihi illudis, en secundo vinum pro aqua afferendo? Ad quod verbum stupens seruus, cum iuramentis maximis negauit. Tunc primùm intelligens ex multa misericordia Dei Genitricis hoc miraculum circa se gestum, eundem seruum adiuuauit, ne illud vnquam alicui homini, quoad viueret, manifestaret.* En tria in breui miracula ingentia, non tam ab ipso, quàm propter ipsum facta, antequàm perfectionem professeretur.

e vbi supr.

7. His fauoribus præuentum Sanctum Virum, quem seruum iam habebat, ad suam traxit familiam Virgo Beata. Erat ei inter alios Capellanus, Arnoldus nomine, de Sancto Seuerino, secretorum suorum omninò conscius, & coadiutor ad omnia virtutum opera; qui & aquam ei vinum factam ministrauerat.

tat. Hunc super status, & vitæ mutatione ab ipso consultum, non solùm promotorem, sed socium habuit. Itaque vterque in Hemmenrode Monachum induit, quod de ipso Vualtero, idem qui suprà Cæsarius his verbis narrat [f]: *Audiens supradictus Vualterus Ordinem Cisterciensem Beatæ Virgini dedicatum, omnia, quæ sunt huius mundi, diuitias, videlicet honores, & amicos, ob illius amorem reliquit, & in Claustro, quod alio nomine Hemmenrode dicitur, cuius fama tunc temporis, sicut & hodie, clarissima fuit, habitum regularem suscepit: in quo Cœnobio, quàm humiliter sit conuersatus, quàm feruens fuerit & obediens, & in obsequio Beatæ Virginis deuotus, gestes sunt omnes Monachi eiusdem Monasterij.* Hæc de Vualtero. Verùm de Arnoldo, & conuersionis socio, & in sæculo quondam Capellano; hæc, quæ sequuntur: *Seruus verò, tanti particeps miraculi, Frater est Arnoldus, qui cum eo venit ad Ordinem, Vir sanctus, & multùm ordinatus.* Portò hic Arnoldus quantæ fuerit religiositatis, quantæ virtutis, in sequentibus clariùs apparebit.

[f] *vbi suprà.*

8. Vualterus, cùm se Hemmenrode tradidit, nonnulla etiam in Domum contulisse credendus est. Sed inter alia pretiosissimam Crucem auream, Beatæ Virginis donum, quam suprà retuli; vtinam in eodem Claustro permansurum. At qualiter ad alium possessorem tandem transierit, audi eundem Authorem sic scribentem [g]: *Sacerdos Vualterum seorsum duxit, Crucem porrexit, & vbi eam inuenerit, & quis miserit, intimauit. Quam latus suscipiens in Hemmenrode conuersus, eam Abbati resignauit. Postea Comitissa Hollandiæ, missis honestis nunciis, eandem Crucem sibi dari petiuit, & tali modo obtinuit. Cùm Conuentus nunciis responderet: Non possumus eam dare, nisi sit voluntas Fratris Vualteri, sperantes, quòd non annueret, requisitus de hoc respondit: Ego nihil proprietatis habeo; penes Abbatem est. sicque dolentes illam miserunt. Cuius auorum tanti fulgoris est, vt omne aurum in eius pallescat comparatione: quam Comitissa inter reliquias suas reposuit, ea vti non audens.* Sic ingens illud donum amissum est, quod in hunc diem potuisset conseruari. Verùm in Vualtero miranda nimis tam omnium, quæ habebat, quàm propriæ voluntatis abrenunciatio, qua non solùm terrena, verùm cœlestia pro Christo reliquerit, & neque Matris pignus sibi transmissum reseruandum putauerit, cum quo ante Filij tribunal præsentaretur. Sed de Vualtero in sequentibus multa, Deo dante. Nunc ad alios euentus transeamus.

[g] *ibid.*

9. Florebant in Hispania Cistercienses militiæ, Calatraua, Pereyrum, Eboráque; atque hæc vltima ab Alfonso Lusitano, & Sancio filio eius, ac successore præmiis acceptis ad virtutem accendebatur. Extat donatio Gundisaluo Venegas Magistro, à Rege Sancio facta, viuente Patre, insignis arcis de Mafra nuncupatæ, quam milites possiderent simul, atque defenderent [h]: *Ego Sancius, Dei gratia Portugallie Rex, magnifici Domini Regis Alfonsi, & Regine Domne Mafalde filius, vna cum vxore mea Domna Dulcia, & filiis, ac filiabus facio chartam donationis, & perpetue firmitudinis vobis Magistro Domno Gonzaluo Venegas, & Fratribus vestris, tam presentibus, quàm futuris, de illo Castello nostro, quod vocatur Mafra,* &c. *Facta charta apud Ouedos prima die Maij, Æra M.CC.XXI.* Extant & aliæ Alfonsi donationes sub idem tempus, quas Brandaonius adducit cum tali clausula: *Considerans salutem animæ meæ, & vtilitatem Christianitatis, & defensionem Regni.* Quippe sacris militiis dilatatis securiùs Regnum, & Saracenis ab eo exterminatis, longiùs Christi Religio diffundebatur.

[h] *apud Brandaonium lib. 21. cap. 33.*

Hoc eodem anno Lucius Papa tertius ad instantiam Archiepiscoporum Compostellani simul, & Bracharensis, & Suffraganeorum vtriusque, Sant-Iulianeos milites ab omni Ordinariorum iurisdictione exemit, & Sedi apostolicæ immediatos esse voluit, litteris ad Gomezium Magistrum, & Fratres datis, in quibus inter alia ita scribit [i]: *Cùm locus vester in Saracenorum finibus constitutus, sicut ex litteris Episcoporum, & aliorum Religiosorum nobis innotuit, nulli Pontifici hactenus fuerit diœcesana lege subiectus, dignum est, & rationi conueniens, vt quantò recentiùs in eo est Religio, Domino fauente, plantata, tanto maiori libertate donetur: vt eò liberiùs, & libentiùs defensioni Christianitatis pro viribus, & aliis diuinis obsequiis insistere, quanto à Romana Ecclesia facilius in iustis petitionibus fueritis exauditi. Eapropter, dilecti in Domino Filij, Venerabilium Fratrum nostrorum P. Compostellani, & B. Bracharensis Archiepiscoporum, B. Lamicensis, P. Ciuitatensis, V. Salmanticensis, T. Vicensis, & A. Caurensis Episcoporum precibus inclinati, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & locum vestrum, in quo diuino mancipati estis obsequio, in ius, & proprietatem Beati Petri, & Ecclesiæ Romanæ recipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, vt prater Romanum Pontificem, nullus locum vestrum interdicto supponat, vel in Fratres in eo commorantes excommunicationis, vel suspensionis sententiam ferre præsumat,* &c. *Datum Romæ per manum Alberti, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, & Cancellarij, pridie Nonas Aprilis, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo octuagesimotertio, indictione prima, Pontificatus Domini nostri Lucij Papæ III. anno secundo.* Hactenus priuilegium Summi Pontificis.

[i] Priuileg. Alcant. fol. 6.

10.

Quod attinet ad Monasteriorum fundationes, vnicam tantùm hoc anno notatam lego, de Lenin, seu Lemin, in tractu Brandeburgensi, quam Monachi ex Sichen missi inhabitarunt. Ita habent Tabulæ Ecclesiarum Morimundensium: quanuis in aliquibus pro Brandeburgensi, Burdegalensis, Scriptorum vitio irrepserit. Memoratur Monasterium *de Lenin*, Cisterciensis Ordinis, Brandeburgensis Diœcesis, non leui Abbatis eius causa commissa, in litteris Gregorij Papæ IX. datis Viterbij, vndecimo Kalendas Ianuarij, Pontificatus ipsius anno nono. Nec quid aliud de eo, quod promam, habeo. Video & Lenin in Polonia genuisse filiam dictam de Paradiso, in Posnanensi Diœcesi, circa annum M. CC. XXXVI. de qua in sequenti tomo, cùm temporis venerit. Gaspar Longelinus in suis nouissimis Notitiis Abbatiarum Ordinis Cisterciensis, maiorem præfert notitiam istius Domus; quanuis anticipata ad triennium fundatione: *Leninum*, inquit [k], *prope vrbem Brandeburgum condidit Otho, primus Marchio, & Elector Brandeburgi, in eodem Cœnobio, anno M.C. LXXXVIII. sepultus, cum vxore Agnete, Ducissa Saxonia. Est hic locus ordinarium sepulcrum Marchionum Brandeburgensium, inter quos iacent Otho II. qui obiit anno M.CC.VI. Albertus II. Elector, qui obiit anno M.CC.XXI. Otho, cognomento Longus, qui obiit anno M.CC.XCVIII. Hermanus, cognomento Longus, qui obiit anno M.CCC.VIII. Ioannes V. cognomento Illustris Elector, qui obiit anno M.CCC.XII. Otho, cognomento Parvus, Marchio Brandenburgicus, & Princeps Stangardiæ, qui mortua vxore Heduuige, filia Rodulphi I. Imperatoris, in eodem Monasterio Monachus factus, obiit an. M.CCC.IV. Item, Albertus I. Dux vtriusque Saxoniæ, atque alij plures Imperij Germani Principes.* Hæc ille, quæ nos ipsius verbis ideò dedimus, ne quid de proprio mutare videremur.

11.

[k] lib. 3.

ANNVS CHRISTI M.C.LXXXIV. — CISTERCII LXXXVII.

1. Richardi Cantuariensis mortem anteiuit Oraculum, 2. quod latè perpensum. 3. Defuncti funus, & electio Balduini Vvigorniensis. 4. Veronense Concilium, & Petri Atrebatensis consecratio. 5. Hebertus Abbas Rhedonensi Ecclesiæ præest, 6. Bernardo Cistercij Abbati, Viro sancto succedit Guillelmus. 7. Amalrici Stiuanectensis Præsulis mors. 8. Aketi item Dunis, & successio Vualteri antecessoris.

CAPVT I.

1. SEXTESIMO octuagesimoquarto supra millesimum reparatæ per Christum salutis anno, qui fuit Cistercij octuagesimusseptimus, Richardus Cantuariensis Archipræsul sublatus est, præcedente Oraculo, quod mortem ei, aut instantem prædixit, aut aliàs differendam accelerauit. Desumptum ex Geruasio, Rogerióque Nicolaus Arsfeldius his verbis narrat; licèt tempus præfecturæ Richardi breuiet, quod facilè deprehendas ex ipsis Actis: sic autem habet [a]: *Richardus deinde, post secundum administrationis suæ annum fato functus est. Cui paulo ante obitum, noctu persona quædam se obtulit. Tu, inquit, bona Ecclesia tibi credita dissipasti, & profudisti: & ego te de terra eradicabo. eandémque comminationem repetiit. Crastino à Vrothania villa versùs Roffam profectus, quibusdam, qui intimi apud ipsum erant, dum iter faceret, visionem aperuit, & vix sermonem absoluerat, cùm immensum illum frigus occupauit, egréque ad Halingam villam peruenit; vbi doloris, & ægritudinis magnitudine oppressus obiit.* Ita Arsfeldius.

[a] *saeculo 12. c. 18.*

2. Mihi quidem rem altiùs perpendenti dubia vox, & quæ nisi per somnium audita fuit, lanuali potiùs similior, quàm cœlesti. Neque abnuo, Richardum in quibusdam reprehensibilem, quòd ex Blesensi suprà animaduerti: at in multis laudandum, quod etiam vidimus: neque notandum prodigalitatis, qui bona sua, & Ecclesiæ, non in Curiales, non in consanguineos; sed in pauperes solos distribuerit; certè de eo, ex eisdem, idem qui supra: *Magnum tamen sui pauperibus, quibus liberaliter perpetua eleemosyna prospexit, ad quem vsum appropriauit, vt appellant, Ecclesiæ Monakensem, Estriensem, Memphanensem, & Eynefordensem; & Monachis Cantuariensibus, quibus dona quædam, quæ annuatim Archiepiscopis, ex Cœnoby redditibus, dare solebant, remisit; desiderium reliquit.* Crediderim in pauperes profusum Ecclesiæ Præsulem, quanuis reuerà excederet, vt potuit; haud tamen ob id specialiter puniendum: aliis inde occasionem capessituris inferuiendi auaritiæ; quod maius malum, & eò periculosius, quò frequentius. Potuit homini conscientiæ scrupulosæ apparere in somnis, quod forsan in vigilia cogitauisset: potuit & Dæmon in Angelum lucis transfiguratus, quò alios deterreret ab eleemosynis, Richardum prodigalitatis insimulare. Verùm hæc tutiùs iudicio Dei relinquo.

3. Corpus defuncti, solenni deinde pompa Cantuariam delatum, idem qui suprà Author memoriæ prodit. Tum demum actum de eligendo successore, atque omnium calculis; haud tamen sine præuiis difficultatibus, electus Balduinus dictus Deuoniùs, qui tres ante annos ex Abbate Fordensi in Episcopum Vvigornensem promotus fuerat: *Electioni eius* (ait idem Arsfeldius [b]) *in Cantuariensem Archiepiscopum magna difficultates iniectæ sunt, quas posteà explicabimus: missique sunt, tam a Rege, quam à Monachis Legati ad Lucium Romanum Pontificem ad pallium impetrandum. Quo, atque etiam legatione per totam suam Prouinciam ornatus est. Quo insignitus per Cœnoby Cantuariensis Præfectum, solemni cæremonia in Archiepiscopatus sui Sede collocatus est.* Hæc ille, electionem, consecrationem, pallium, atque apostolicam viri Legatiam paucis complectens. Sic factum est, vt Ecclesia Cantuariensis, totius Angliæ Metropolis, trium Pontificum serie continuata imbiberet Cistercium; altiùs tamen in singulis hauriendum. Quippe Thomas in medio Pontificatu, Richardus ante insulas susceptus: at Balduinus in Cistercio natus, & enutritus, cùm priùs Monachum, Abbatémque egisset, vt iam ostendimus. Reliqua huius viri multa, & illustria, suis temporibus, locísque reddemus.

[b] *vbi suprà.*

4. Hoc ipso anno, electus præcedenti Petrus Cistercij Abbas, in Atrebatensem Pontificem, consecrationem tandem adeptus est in Concilio Veronensi, vt notabamus, de quo Concilio Rogerius hæc in Annalibus [c]: *Venientes itaque nuncij Regis ad Curiam Domini Papæ, inuenerunt eum in Italia apud Veronam: & dum ibi moram cum eo facerent, venit illuc Fridericus Romanorum Imperator ad loquendum cum Domino Papa; ad cuius instantiam prædictus Imperator dedit Duci Saxoniæ licentiam redeundi in patriam suam, & relaxauit ei omne sacramentum, quod ei fecerat de exilio exequendo, & Dominus Papa absolvit eum de sacramento illo, quod ipse Imperatori fecerat.* Ita Rogerius. Albertus Kranzius [d] congregatam Synodum ait, vt Germani Ecclesiastici, qui in schismate Imperatorem sequuti, ab Antipapis essent ordinati, tandem à vero Pontifice admissi, Ecclesiæ reconciliarentur. His, & aliis tractandis affuit Petrus, siue locum Abbatis Cistercienſis, siue Pontificis Atrebatensis electi occupaturus. Portò ibidem, vrgentibus Concilij Patribus, tandem ab Vvillelmo Archiepiscopo consecratus est, quod anteà detrectasset, vt ostendimus anno præcedenti.

[c] *ad hâc annum.*

[d] *lib. 6. Saxoniæ, c. 47.*

5. Eiusdem etiam anni mense Iulio Hebertus Claromontensis Abbas (quem Philippo electo Rhedonensi suffectum diximus) Vir eximiæ doctrinæ, & pietatis, cum Claromonti quinquennio præsedisset, vacante eadem Sede Rhedonensi per mortem Iacobi (qui ante triennium successerat Philippo) in Episcopum eiusdem Ecclesiæ trigesimumsecundum consecratur, vt tradit Augustinus Pacius in Chronologia. De eo Ioannes Chenu hæc pauca pro more [e]: *Hebertus Claremontensis Abbas Episcopus XXXII. mense Iulio consecratur anno M.C.LXXXIV. Præfuit Ecclesiæ Rhedonensi XIV. annis, & mensibus quinque.* Sanctitate insignem vsque ad miracula, quibus

[e] *In Catal. 8° Episcop. Rhedonens.*

Digi

quibus post mortem etiam claruisse dicitur, Hugo Menardus, aliique affirmant ex monumentis Ecclesiæ Rhedonensis: sed quæ Gallis fortassis notiora, sicut & gesta viri, vtinam sit, qui addat nostris Annalibus. Quæ pauca ad nos potuerunt peruenire, anno M.C.XC.VIII. quo ex hac vita decessit, referemus.

6. Hoc item anno ad Superos migrasse Beatum Bernardum, Cistercienſis Cœnobij Archimandritam, qui in locum Petri fuerat subrogatus, anno præterito; constare ex monumẽtis illius Domus, testatur Henriquez in Menologio [c], ab hoc Beato Viro Opus exorsus, quod ô vtinam æquali delectu, iudicióque librasset, ac labore perfecit, tunc demum inconcussam fidem promeriturus. Miraculis claruisse ibidem tradit, quod satis credibile, si ad quod obtinuit sepulcrum, attendamus, cum primis illis Cistercij sacris luminibus. Verùm, dum refert Cistercienses Annales Matriti cusos, hoc est, recentis, & Hispani Authoris Historiam, rem aliàs certam exponit legentium dubiis. Certè Bernardus vnus ex illis est viginti quatuor Abbatibus Cistercij, quos venerati vt Sanctos, Authores produnt [f]; atque hunc numerum, qui ei successit Guillelmus, etiam adimplet.

c Ianuarij 1.

f Fasciculus temporum, Renatus Chopinus, & alij.

7. Adiungam duos alios huic obitui, qui non minùs concernunt præsentem annum, Amalrici, & Aketi, illius ex Abbate Kalisiano Siluanectensis Episcopi; huius, dum Abbatiam Dunensem administraret: & de Amalrico quidem non me latet anteponi à Vincentio Belluacensi 8 annis fermè quatuordecim. Sed præfero instrumenta illius Ecclesiæ, ex quibus constat Henricum successorem non ante annum M. C. LXXXIV. fuisse assumptum. Philippus Seguinus, Henriquézque inter Sanctos recensent: hic prima die Martij, ille in Catalogo, vbi & vitam eius breuiauit totidem verbis: *Almaricus Caroli loci Abbas secundus, fidei pugil, & propugnator egregius extitit. Cum enim videret non esse tutum cum scorpionibus habitare spreto mundi schemate, anno ætatis suæ decimo octauo Caroli loci Cœnobio sese denouit, in quo illibatam mentis, & corporis castimoniam, assiduo orationum, ieiuniorum, atque vigiliarum exercitio retinens, insula pontificali dignus iudicatur. Factus igitur Siluanectensis Præsul, Ecclesiam sibi commissam verbo, & opere strenuè rexit*, &c. Ad hunc Amalricum, Siluanectensem Præsulem, Henrici antecessorem, extat epistola Stephani Tornacensis, non multò antè scripta, cùm ipse ex longa peregrinatione fortè ad Romanam Curiam circa sacrum Pentecostes Festum redditus esset: *Ad reditum vestrum*, ait [h], *Pater Sancte, in tripudiis exultant, & lætantur cum iubilo filij vestri, Fratres nostri, assumentes sibi coronam pro cinere, gaudium pro luctu, pallium gaudij pro spiritu mœroris. Duplicata consolatio nostra Paraclyti consolatoris in Festo; & generale gaudium aduentus Spiritus Sancti specialis lætitia vestri ad vestros aduentus specialiùs adimplenit*, &c.

g in Speculo historiali apud Ioannẽ Chenu.

h epist. 79.

De Aketo, atque eius successore hæc Ægidius de Roma, Dunensis & ipse [i]: *Anno M.C.LXXXIV. obiit Aketus quintus Abbas de Dunis, cui successit Vualterus, qui antea resignauerat.* Itaque ex Dunis, Dunstani primus Abbas, seu Capellæ Tosanæ. Inde cùm eam Domum construxisset, atque egregiè informasset, Vualtero cedente, Dunas translatus, cùm sex fermè annis ibidem præfuisset, hoc tandem legitur ad Superos migrasse vir litteratus, & Religione insignis, vt ait Meyerus [k]; & qui ita Vualtero dignè successerit, vt fortè nullus alius præter eundem, ei potuerit dignè subrogari. Corpus eius sepulturæ mandatum est iuxta Sanctum Idesbaldum, ait Hadrianus Butius in suo Chronico [l], quod acclamatæ illius sanctitatis manifestum indicium nobis pro reliqua vitæ Historia erit, quando nulla alia subest. Memorant tamen cum magna laude Virum Authores omnes Belgici, quin & Henriquez, cùm Dunas colustrasset, Menologio inseruit quarto Nouembris.

8.

i in Chronico.

k In Annal. Flandriæ.

l ad hunc annum.

---

1. *Laus Hemmenrode.* 2. *Gisilberti Abbatis viua fides, & Mengozi obedientia* 3. *vsque, imò & vltra mortem continuata.* 4. *Resurrectionis vera comprobatio*, 5. *& suscitati prophetia statim impleta.* 6. *Simile quid sub eodem Abbate factum*, 7. *nec sine fructu eorum, qui super erant.* 8. *Rara temporis*, 9. *& Hermanus ibidem Monachum induens.*

CAPVT II.

1. SVB idem tempus florebat Hemmenrode sub Abbate Gisilberto, Viro Sanctissimo, neque tot Sanctis recenti peste absumptis, aliquatenus videbatur diminui Sanctorum numerus: quippe verum frumentum electorum, dum mori videretur, sepulturæ mandatum fructificabat. Sed nec licebat illis deuiare, aut minùs sanctè viuere, quos tot miracula, tot cœlestes visiones, tot exempla non solùm continebant; sed incitabant ad perfectionis culmen, & ad altiora tendentes comitabantur. Referam in vnius Conuersi obitu obedientiam ad mortem miraculosam, gloriosam post mortem, Abbatis Sancti fidem supra mortalem, cui nihil impossibile, cui mors, cui vita ex æquo obsequerentur; ostensa defunctorum præmia viuis, & si declinent, supplicia prænunciata, quæ statim in oculis omnium experirentur. Referam autem Cæsarij Heisterbacensis, coæui Authoris verbis, qui vt non viderit; tamen ex his, qui præsentes fuerunt, videntúntque, testatur se hausisse totidem verbis [a]:

a lib. 12. dialog. c. 11.

2. *In prædicto Claustro Conuersus quidam fuit, nomine Mengozus, vir simplex, & Religiosus in coquina Conuentus seruiens. Accidit, vt die quadam cum iuuene quodam Monacho hebdomadario coquina lignum incideret: qui cùm minùs cautè pedem ad scindendum seruaret, Monachus eundem pedem diuisit. Deportatus in Infirmatorium, cùm nimis torqueretur, immutus est. Instante tempore eundi ad Capitulum generale, dixit ei bonæ memoriæ Dominus Gisilberrus Abbas: Frater Mengoze, non debes mori; sed expectabis me. Respondente illo: Si in me fuerit, faciam. Subiunxit Abbas: Ego præcipio tibi. Iuit ergo ad Capitulum, & moratus est diutius. Reuersò eo, & veniente ad portam pulsata est tabula, & campana. Interrogauit Abbas, cur pulsaretur: dicente Portario, quia Fratri Mengozo. Respondit Abbas: Ego deberem ei adhuc loqui. Festinánsque ad orationem, cùm venisset in Infirmatorium, ille expirauerat.* Hactenus obedientia vsque ad mortem: nunc vltra mortem, & alia, quæ promisimus, Cæsarij eiusdem verbis proferamus.

3. *Et cùm se inclinasset ad mortuum alta voce dicebat: Frater Mengoze. & non erat ibi vox, neque spiritus. Cúmque secundo idem nomen repetisset, respondit Prior: Nolite vos fatigare, expirauit enim. Tunc Abbas se ad*

Digitized by Google

ad illius murem magis inclinans, clamauit dicens: Ego tibi præceperam, ne mouereris, donec venirem. Ego tibi iterum præcipio, vt respondeas mihi. Ad quod verbum ille, quasi de graui somno excitatus, oculos aperuit, & ingemuit: Oh Pater, inquit, quid feci sti? Bene erim, vt quid me reuocasti? Vbi, inquit, erat? Respondit Conuersus: In Paradiso posita erat mihi sedes aurea secus pedes Domine nostræ; & cùm me reuocares, aduenit Dominus Isembardus Sacrista noster, grabénsque me de sede eadem dicebat: Non hic sedebis, reuertere ad Abbatem tuum. sicque reuersus sum: attamen promissum est mihi, quòd eadem sedes mihi foret reseruanda. Vidi eundem Isembardum in multa gloria, &c. Ita Cæsarius miraculum miraculo subiungens, minori maius. Erunt, qui vtrunque obedientiæ Conuersi tribuunt continuatæ post mortem cœlesti dono: erunt, qui fidei Abbatis, qui vel mortuo imperare non dubitauit: ego in vtranque censeo referenda, & in vtroque vtriusque virtutis commendationem manifestam agnosco; sed in altero etiam incitamentum, à quo etsi vellet, vix posset resilire.

4. Pergit Cæsarius de aliorum Sanctorum gloria ex eodem Cœnobio, quos viderat Mengozus, & publicabat, quin & de veræ ostentione resurrectionis ab eodem exhibita; & vocatis Nouitiis confirmandis in sua vocatione tanto miraculo. Demum de reditu eiusdem hominis Sancti impetrata licentia, nec nisi Abbatis obtenta benedictione. *Testatus*, ait, *est idem Mengozus, se Dominum Dauid ibidem vidisse, & alios multos, qui nuper fuerant defuncti. Dicebat etiam infra triginta dies aliquos de Purgatorio esse liberandos. Cùmque hæc, & his similia recitare cœpisset, Aduocati sunt Nouitij, viri in sæculo nominati, Gerardus, videlicet, Marcinannus, & Carolus postea Abbas, de cuius etiam manu comedit in signum veræ resuscitationis. Post hæc, cùm postulasset licentiam redeundi, respondit Abbas: Modò vadas in pace. & benedixit ei. Ad quod verbum mox oculos clausit, & expirauit. Hæc mihi recitata sunt a senioribus nostris, & a iam dicto Marcinanno, qui tanto miraculo interfuerat.* Ita Cæsarius. Atque hæc quidem reuelata cunctis in Hemmenrode, Gisilberti interuentu de præmiis defunctorum eiusdem Domus, per quæ superstites ad eorum virtutes imitandas, similis spe mercedis, incitarentur.

5. Cæterùm, qualiter Prophetiæ spiritu clarus, secreta & ipse cordium penetrauerit, & futura præuiderit; exitus tristis Nouitio cuidam prædictus, atque opere completus, manifestauit, sic disponente diuina prouidentia: vt si qui fortè præmiorum spem abiicerent, saltem metu pœnarum, atque imminentis sibi damnationis (qui multos magis mouet) coërcerentur. Narrat idem qui suprà, Heisterbacensis, non multò pòst scribens in hunc modum: *Cùm Gerardus, cognomento Vrsahart, ad pedes illius resideret, propheticò spiritu ad stabilitatem illum hortatus est, dicens: O Gerarde, vide, ne exeas Ordinem: quia multa millia Dæmonum ante portam expectant te. Quid postea de eodem Gerardo actum sit, nouimus omnes.* Hactenus Cæsarius in eo capite. Qui quid Gerardo euenerit, non explicat; sed nimiùm tristi fine decessisse, velut cunctis compertum, post quadraginta fermè annos supponit: nam scripsit Dialogos anno M.CC.XXI. vt suo loco dicemus. Quod mihi manifestum indicium est, horrendam fuisse mortem, quæ tot post annos fixa, nihilominùs manebat memoriæ hominum.

6. Sub eodem Abbate Gisilberto defunctum lego Conuersum alium, nomine Gosbertum, qui siue verè mortuus resurrexerit, seu in ecstasim raptus, ad se redierit, multa, & præclara audiuit, viditque: ex quibus tamen hæc duo tantùm retulit, primùm ad multos [b], *qui conuenerant ad eum sperantes, quod nouum aliquid essent audituri. Ad quos ille: Vos, Domini, numeratis annos conuersionis vestræ; alius quadraginta, alius triginta, alius decem. Ego vobis dico, quod beatus est Monachus ille, siue Conuersus, qui bene vno anno, vel mense, vel, quod minus est, vna hebdomada in Ordine conuersatus est. Quibus cùm amplius dicere nollet, recesserunt.* Hæc ad Conuersos: nam plures ex illis erant, qui ad eum conuenerant. At ad Nouitium, secretiùs inquirentem, fortè & maiori feruore deuotionis hæc quæ sequuntur: [b] *lib. 11. c. 12.*

7. *Ductus sum*, ait, *in locum amœnissimum, & nimis delicioſum, in quo diuersi generis arbores, ac multicolores flores aspexi: occurrerunt mihi & iuuenes speciosissimi, à quibus officiosissimè sum saluatus, & ante Dominam nostram Cœli Reginam cum multa alacritate deductus. Posita est mihi sedes secus pedes eius, in qua cùm sederem, cum multa cordis mei iucunditate, iussus sum redire ad corpus; de quo cùm plurimùm dolerem, consolati sunt me, dicentes: Ne tristeris: quia sedes hæc tibi reseruabitur; & post dies paucos redibis ad eam. Quos cùm iturus interrogassem de statu futuro nostræ Domus, responderunt: Bonus est status eius præsens sub Abbate hoc Gisilberto. Nec plùs ab eis obtinere potui.* Hactenus ex Cæsario de his Conuersis sub Gisilberto Abbate, quem vtrunque Menologio suo inseruit Chrysostomus Henriquez, alterum vigesimatertia die mensis Nouembris; alterum verò Decembris decimanona.

8. Cæterùm, quod ad rationem temporis attinet, ipsorum obitus huc forè referendos, multiplex nobis probat coniectura. Prima, quòd sub Abbate Gisilberto, qui nunc clauum tenebat in Hemmenrode. Secunda, quòd recenti adhuc clade pestis Hemmenrodensis, quam ad annum M.C.LXXIX. contigisse suo loco, ni fallor, commemorauimus. *Testatus est se Dominum Dauid vidisse, & multos alios, qui nuper in eadem Domo defuncti fuerant.* Et tertia tandem, quòd dicuntur contigisse, alterum Carolo existente in probatione, ad quam anno præcedenti admissum diximus; alterum, *cùm esset ibidem Nouitius Dominus Hermannus, qui nunc* (id est, anno M. CC. XXII. *est Abbas Loci Sanctæ Mariæ.* Constat autem Hermannum, qui post annos quatuor, Christi, nimirum, M.C.LXXXVIII. primus Heisterbacensis Abbas creatus est, vt nimiùm properè fuerit transmissus vir iam prouectus, habitum induisse circa hoc tempus: maximè cùm post emissam professionem, antequam mitteretur, Prioris in eodem Claustro officium administrauerit; quæ omnia constant ex eodem Cæsario diuersis locis.

9. Itaque sub hoc tempus in Hemmenrode Monachum etiam induit idem Hermannus, de quo, atque eius ingressu ista Cæsarius [c]: *Dominus Hermannus nunc Abbas Loci S. Mariæ, quanta sit vir religiositatis, quantæve grauitatis, benè nosti. Iste ante conuersionem Ecclesiæ Bonensis erat Canonicus, vir nobilis, & de alto sanguine natus. Factus verò Monachus in Hemmenrode, non multò post, cùm emitteretur Conuentus noster de eodem Claustro, primus eius Abbas efficitur.* Ita Cæsarius de viro longè sanctissimo, cuius eximias virtutes, actaque ex eodem Authore suis locis inferiùs referemus. [c] *lib. 5. c. 5.*

1. Ioannes Montis Mirabilis in Longoponte Monachum induit. 2. Lenis eius, & lubrica iuuentus. 3. Conuersio in seculo. 4. Xenodochium iuxta propriam aulam fundat; 5. pauperibus in eo ministraturus. 6. Exempla eximiæ humilitatis, 7. & charitatis. 8. Nec minùs ideò domi, pauperes lecto, 9. & mensa dignatur; 10. siue vltrò quæsitis, siue casu inuentis, 11. ingenti cum feruore ministrabat. 12. Demum quid de his ipsis, suis responderit.

CAPVT III.

1. SVB idem tempus, quantùm ex testificatione Venerabilis Gualteri, Cistercienſis Abbatis, qui Longumpontem regebat, circa hunc annum licet colligere, quamuis de tempore nonnulli alij [a] discordent; opibus, genere, & militia clarus Princeps Montis Mirabilis, relicta vxore, & filiis habitum monachalem induit in Longoponte, non ſine totius Galliæ, Flandriæque, imò totius Europæ admiratione. Lubricam eius in principio vitam, mox in ſæculo etiam reformatam, imò perfectam, demum in Ordine meritis præcipuum, illuſtrem virtutibus humilitate ſublimem, atque mortem viſionibus inſignem, miraculis glorioſam à Monacho Longipontis coæuo ſcriptam, atque multorum teſtimoniis auctam, prout extat Ciſtercij manuſcripta: vnde mihi tranſmiſſa vſque ad cucullam aſſumptam in hoc anno: reliqua vſque ad M. C C. [b] quo creditur ad Superos migraſſe, ſuis temporibus, locisque reddemus.

[a] *Benedictus Genonius in eius Vita.*

[b] *Colligitur ex lib. 3. 12.*

2. Igitur Ioannes claro ſanguine ortus, de prima totius Galliæ nobilitate, potentia, & opibus, genus aut anteibat, aut exæquabat. Vxor illi nec diſpar, nec ſterilis; Theobaldi, magni Campaniæ Comitis neptis (ſi credimus Vincentio) dominium amplum in Gallia, Flandriáque: ingenium non tam elatum, quàm gloriæ cupidum: vires corporis cupidinibus æquales; animi etiam ſupra corporeas extendebantur. *Mirabile* (inquit Author Vitæ ipſius [c]) *& arduum eſt dicere, qualiter aduerſarios Regni Francorum vir illuſtris glorioſè debellauerit; quales ex hoſtibus triumphos ſæpe retulerit.* Et item: *De huius Principis ſæculari militia, geſtorum magnitudine, & copia præliorum, multa vtiliter dicere poſſemus.* Conſtat, priuſquam ad Deum conuerteretur, vbi bella deficerent, deditum torneamentis, & certaminibus; quæ adeò ſplendidè, & large pertractabat, vt mille in vna die libras expendere pro ſubeunda morte, aut mortis periculo, (quid enim aliud expectandum abſhis ludis?) neque id tarò, nequaquam dubitaret. Quod cuidam Monacho ab ipſo ſuſcitanti dicitur in hæc verba reſpondiſſe [d]: *Mihi ſanè peccatori ita, vt dicitis, certum eſt contigiſſe. Ego enim vir prodigaliter degens, infinita ſubſtantia ſuperfluus extiti diſſipator.* Demum de eius ante conuerſionem vita, ſic in quodam compendio ſcriptum lego [e]: *Qui cùm fuiſſet inſolentiſſimus iuuenis, miles in armis ſtrenuus, natura ſpecioſus, progenie generoſus, fama glorioſus, omnibus immunditiis plenus fuit carnalibus, & ſpiritualibus.* Cæterùm, qua primùm occaſione his vanitatibus ſæculi implicatum, ad frugem melioris vitæ Deus conuerterit, idemmet Author vitæ ita deſcribit [f]:

[c] *in Prologo.*

[d] *lib. 1. p. 1.*

[e] *apud Henriq. in Menol. Septemb. 26.*

[f] *lib. 1. c. 2.*

3. *Ioannes itaque cùm hoſtibus ſubiugatis triumpharet ad propria reuerteret, in occurſum eius venire conſueuerat Canonicus quidam Regularis Religioſus plurimum, non cum adulatoria, ſiue fauorabili laude, ſicut filia Iephte patri ſuo de prælio reuertenti legitur occurriſſe: ſed potius exacerbans eum, & increpans ſic dicebat: Quid, quæſo, vobiſcum lucri, de torneamento reportaſtis? Et meritò inanem gloriam vestra comparans, O (aiebat) ſagacem mercatorum! qui tantis expenſis, laboribuſque, & periculis, nihil aliud quàm tantum comparatis! His, & huiuſcemodi monitis ſalutaribus à ſæculi vanitate Principem memoratum reuocare ſatagebat vir Religioſus: cùmque in bellicis actibus iuuentutis tempora peregiſſet, & adhuc quoque indiſſolubili amoris vinculo labenti ſæculo innodatus putaretur, Medici ſui ſpiritualis exhortationem humili quidem, & deuota aure ſuſcipiens, à priſtina ſua conuerſatione mirabili modo ſe paulatim cœpit retrahere; & ab altitudine ſæculari, in ſui ipſius contemptum deſcendens, per humilitatis gradus, de virtute in virtutem conſcendebat; quoadusque Deum Deorum in Sion contemplari mereretur.* Hunc Canonicum nomine Vualterum, & in Monaſterio Sancti Ioannis de Vineis clariſſe virtutibus in Compendio illo citato Author affirmat. Hactenus de prima eius conuerſione; quæ proculdubiò longè ante hunc annum euenisse credenda eſt, vt his, quæ geſſit, multa, miráque ante habitum ſuſceptum, ſuperſit locus.

4. Igitur bonus Princeps ad ſe reuerſus, qui peccata virtutibus redimeret, atque anteactæ vitæ profuſionem ſobrietate futuræ compenſaret; torneamentorum ſumptus in Xenodochium pauperibus alendis, curandiſque, atque animi inſtantiam & elationem, in abiectionem & deſpectum ſui, commutanda curauit, liberalis ex prodigo effectus, atque ſuperbiam debellans humilitate. Et quidem de conſtructo Xenodochio, dotatóque, hæc idem Author [g]: *Cùm igitur ſeruus Dei Ioannes, omni faſtu militiæ ſæcularis depoſito, ſoli Deo militare in animo decreuiſſet, in Monte Mirabili, Caſtro ſuo, Domum quandam de proprio fecit velociter fabricari, vt pauperes aduenæ, & peregrini in illa hoſpitarentur, & ægrotis ibidem miniſtraretur, redditibus aſſignatis, vnde poſſent pauperes ſuſtentari.* Ita in Actis.

[g] *lib. 1. c. 4.*

5. Cæterùm, quibus poſt Xenodochium conſtructum actibus charitatis, humilitatiſque, atque alitum virtutum, anteactæ vitæ crimina diluere, & leuitatem compenſare conatus ſit, idem qui ſuprà Author pergit ſcribere [h]: *Sciendum verò, quod in ſupradicta Domo ipſe Vir Dei pietatis, & miſericordiæ operibus inſiſtebat, ac ſi illam ſolùm hac de cauſa conſtruxiſſet: nam propriis manibus pauperibus infirmis miniſtrabat cibos, curabat vulnera, ſternebat lectos, medicinas adhibebat. Quotieſque in ea defunctorum corpora adeſſe contigiſſet, cùm ad ſepulturæ locum erant deferenda, ad hoc ipſe primus, & præcipuus adiutor exiſtebat: tempus quo id faciendum erat diligenter obſeruans; atque ad ea perenda ſe paratum Dei ſeruus exhibebat. Porrò ſi minoris ponderis, & quantitatis eſſent, vt illis deferendis ſine alterius adiutorio ſolus ipſe ſufficere potuiſſet, à nemine ſe permittens adiuuari, per ſe ipſum deuotiſſimè portabat. Sic ergo glorioſus Chriſti miles pro clypeo, quem olim in militia ſæculi geſtare conſueuerat, feliciter ordine commutato, in cyrotheca Chriſti, cadauerum baiulus fieri nequaquam erubeſcebat.*

[h] *lib. 3. c. 5.*

erubescebat. Et quasi alter Tobias in sepeliendis illis, diligentis cura solertiam impendebat. Necnon & languidos propriis humeris ad necessaria gerebat, & in omnibus affectu piissimo, eis sedulè ministrabat. Hæc generatim: sed specialiora deinde ita prosequitur [i]:

i lib.1.c.6.

6. In supradicta etiam Domo mulier quadam paupercula plurimùm infirmabatur: à mammilla enim ipsius cum fœtore nimio putredo continuè discurrebat. Quam vir Dei prospiciens miserabiliter affligi, compassus est eius angustiæ. Humiliánsque semetipsum, tam deformem plagam, quam cæteri non sine horrore poterant intueri, in locum putredinis defluentis, flexo genu deosculari cœpit, ita quod labia ipsius ex ipsa putredine inhonestè tabefacta cernerentur. Subdit de alia, quam primùm inhorruisset, sed postmodum correptus, correctúsque, motosiùs adhuc, & devotiùs deosculasset. Audiant, & paueant implicari deliciis sæculi, qui pauperes despiciunt, qui se subtractos putant miseris hominum.

7. Altera quoque mulier in eadem Domo iacebat, quæ morbo grauissimo laborabat: nam ex eius latere fœtor abominabilis, cunctísque intolerabilis sine intermissione destillabat. Qua de causa in secreto loco iacens, ab aliorum consortio fuerat segregata: tantus etenim erat lateris fœtor, vt conclusa appropiantibus molestiam nimiam generaret. Cúmque Dei famulus illius habitaculum introisset, & fœtorem tantum diutius ferre non valeret, continuò est egressus. Et, vt verbis eius loquar, sic dicebat: Abstulit mihi cor meum fœtor intolerabilis iste. Quem cùm audisset mulier quædam infirmorum, Domúsque procuratrix, qua pro sua religione familiaris valdè eidem habebatur, quasi improperando illi, quod dixerat, increpare cœpit, ita dicens: O qualis miles, quàm probus, quàm animosus, à fœtore isto in momento seperatus! Et adiecit: Peccata vestra, inquit, sunt, qua vobis fœtent. At ille paulisper subridens, Merito, inquit, arguis me: me etenim pusillanimem esse omninò negare non possum. Nec mora semetipsum redarguens, & increpans, indignánsque sibi ipsi, ad locum reuertitur, vnde paulò anteà fuerat egressus. Et acclinans caput suum penes latus egritudinis, spatiánsque, quod erat inter se, & latus cooperiens, ne, scilicet, fœtor egrediens per aërem spargeretur, sed in nares suas prorsus illum reciperet, ibidem diutissimè est commoratus. Ad quem accedens predicta mulier, qua anteà pusillanimem dicebat, è contra dirissimè ipsum cœpit arguere, eò quòd sibi ipsi tam crudelis extitisset, tanto fœtori tandiu nares suas applicando. Cui Vir sanctus respondit: Noueris, dilectissima mihi in Christo, me nunc in fœtore isto, tanquàm pigmentorum odoribus, suauiter delectari. Et iterum: Verum, inquit, dicebas: mea quippe peccata erant, qua fœtebant. Hactenus ibi: similibus subiunctis, quæ in præsenti non vacat recensere.

8. Patuit fuit vito Xenodochium construxisse, in quo Christi pauperibus, siue in pauperibus Christo deseruiret, si non & domum propriæ habitationis in Xenodochium etiam consecrasset: communi mensa, & lecto cum egenis, imò egenis concesso, cùm ipse è contra cubaret in nuda humo [k]: Igitur, pergunt Acta, sicut præmissimus, seruus Dei in omnibus suis deesse pauperes nunquam patiebatur. Et cum ipsis habitare multò magis, quam diuitum consortia diligebat. Eráque eius talis consuetudo, quòd cùm tota familia, & milites vniuersi seperati fuissent, pauperes ipse vocabat, quos etiam in proprium tollecans lectum, dormitionis requiem eis misericorditer exhibebat. Ipse verò nihilominùs in terra cubabat, & tali lecto contentus, tota nocte sic permanebat. Cùm autem quadam nocte in castro supradicto moraretur, & equitum, qui aderant, nimia multitudo cum non sineret, consueto more in proprio cubiculo pauperibus requiem tribuere, pauper quidam infantulus balbutiendo, prout poterat tamen, conquerens, vni de militibus sic ait: Mallemus certè, Domine, vos, & omnes socios vestros alibi commorari. Valdè enim nobis molesta est vestra præsentia. Cúmque miles ab ipso quareret, qua de causa, ex ipsorum præsentia molestiam paterentur; respondit puer: Nisi præsentes esseris, nocte ista in lecto Domini nostri Ioannis suauiter dormisemus, sicut heri, & nudius tertius facere solebamus. Millies rursum quærente, vbi ipse Dominus dormiret; puer dixit: In humo ante lectum singulis noctibus ipse dormire consueuit. Et reuerà cum etiam pauperes lectum eius minimè occupassent, omni eius restante familia, in pura humo dormiebat.

k lib.1.c.12.

9. Cæterùm quod ad conuiuia attinet, quibus egenos deesse non patiebatur, id præterea de eo scriptum lego [l]: Carnes, si apponebantur, nunquam edere; sed in scutella frangere consueuit distribuendas pauperibus, qui inter eum assidue comedebant. Sic simplicibus actibus Vir Sanctus has laudabili arte aptabat virtutes duplices, in se, & ad pauperes: illas, dum lecto se, & cibo priuabat; castigator acerbus sui corporis: has dum eadem, quæ sibi adimebat, Christi pauperibus largus erogabat. Atque hæc quidem domi à Viro Sancto, in secreto cubilis, & mensæ suæ. Sed foris etiam, aliis in exemplum, sibi in vindictam antiquæ vanitatis, & mollitiei in pauperum obsequiis frequens erat. Referam pauca ex pluribus exempla, vtinam imitanda meis Lectotibus [m]:

l in addit. fol.19.

m lib.1.c.12.

10. Quodam tempore Venerabilis Ioannes, nondum assumpto Religionis habitu, apud Castrum suum, cui nomen est Oisiacus, cum copiosa militum suorum multitudine morabatur. Cúmque ab ipso Castro, ipsorum equitum secum habens comitatum, ad Ailamont properaret, negotium ibidem tractaturus; occurrerunt ei in itinere iuxta villam, qua vocatur Sauci, leprosi numero viginiquinque; qui cùm eum adesse cognouissent, quasi sunt plurimum, & eleemosynæ ipsius beneficia postulare cœperunt. At ille continuò, equo, cui insidebat, desiliens, & susceptea à seruo subsequente pecunia, vniuersò comitatu retrò stante, quia propiùs accedere ob fœtorem leprosorum verebantur, igne diuini amoris exæstuans, fermentissimè in medio leprosorum se ingessit. Debine verò vnicuique ipsorum quinque solidorum dona distribuens, cum genuum flexione, & deuotissimo cordis affectu, manus deosculatus est singulorum.

11. Cùm autem ab eodem loco Vir Dei fuisset aliquantulum digressus, obuium habuit alium leprosum, qui ex illorum erat consortio, quibus paulo antè munerum suorum largitione fuerat suffragatus. Ipse enim ob corporis debilitatem, præcedentium vestigia sequi non prualens, ibidem serui Dei præstolabatur aduentum, sperans se aliquid accepturum ab eo. Perpendens itaque leprosus ipsum adesse, quem expectabat, obsecrare cœpit, vt eleemosynam suam largiendo, miseria eius subuenire dignaretur. Sanctus verò, auri, vel argenti penes se nihil habens, totam namque pecuniam suam egenis distribuerat, huiusmodi leproso fertur dedisse responsum: Te, inquit, rogo, vt tunicam tuam tu ipse mihi largiaris. Quo audito, non sine admiratione leprosus ausus non est Viro Dei renuere, quod petebat, sinum ei sine mora porrigens

porrigens indumentum, quo suscepto, tunicam propriam Vir Sanctus exuens, ne à quoquam deprehendi posset, ipsa leprosum induere festinauit. Debinc quoque eodem, quod priùs ab ipso susceperat, eum rursus indut vestimento; nihilominus id cautè faciens, videlicet, vt res gesta lateret, & incognita fieret vniuersis. Simile quid, aut maius Vincentius narrat in Speculo morali per hæc verba [n]: *Cùm Ioannes de Monte Mirabili, Dominus valdè pius & deuotus, videret pauperem valdè afflictum vlceribus, sanie, & sordibus, ait: Quare non vadis ad Domum Dei, vbi quiesceres? Respondit: Non possum ire. Et ego, ait, portabo te. Et assumpto eo super humeros portauit eum illuc. Cúmque haberet sordidos pedes, & tibias plenas sanie, lauit ei; & cùm ei doleret cor, ait: O cor miserum, & superbum! modò poteris crepare. Et hausta aquam lotura bibit cum duabus manibus.*

n parte 1. dist. 25.

12. His multa alia similia referuntur in eius Vita, quæ consultò omitto. Id tamen addam, velut pro coronide eximij eius feruoris in hac virtute: nam de cæteris dicam sequenti Capite: *Cùm die quadam accensus charitate, pauperum Domos deuotus circuiret, militum, qui de ipsius progenie erant, copiosus ei exercitus obuiauit: qui videntes eum despectius ambulantem, arguunt eum vniuersi dicentes: Domine, cùm situs totius nostra prosapia caput, & in omnibus nobis merito dignitatis obtinens principatum, facitis, quod non decet. Ex hac nanque contemptibili vestra conuersatione, nobis, qui de stirpe vestra sumus, dedecus ingens, & confusio non modica generatur. Quibus Vir sanctus respondisse fertur: Vtinam, ô cognati, per cuiuslibet dedecoris iter ad Dominum Iesum valeam peruenire.* Hactenus Viri Dei Ioannis charitas, & humilitas ab ipso initio primæ conuersionis: nunc reliquas virtutes, donáque, & fauores diuinitùs collatos, ante habitum susceptum prosequamur.

o lib. 1. c. 16.

---

1. *Cilicio ad carnem vsus per multum tempus,* 2. *(dictum qua occasione,)* 3. *flagellis crebris,* 4. *& continuis genuflexionibus.* 5. *Imago Virginis conuersa ad eum orantem;* 6. *propugnatum de Cœlo Castrum de Oyssiaco:* 7. *demum innocens homo condemnatus,* 8. *miraculosè à Viro Sancto ereptus.* 9. *Iudæos omnes de terris suis eliminat.* 10. *Iustitiæ Zelus,* 11. *& abstinentia à tributis etiam vltroneis.*

CAPVT IV.

1. CILICIO ad carnem in tunica interiori, femoralibúsque, & crebris verberibus carnem in primis domans, longæ deinde preces, genuflexionésque, & ex peccatorum suorum recordatione frequentes lacrymæ, Serui Dei spiritum ad cœlestia subleuabant. Vnde Anonymus Author in eius Vita [a]: *Tempore hyemali, multa frigoris importunitate detentus, camisia, & femoralibus cilicinis tantummodo sub cappa indutus, singulis noctibus ad Ecclesiam pergere consuenit. Ibique nocturnis intererat vigiliis, sine intermissione orationi intentus, terrámque cordis sui sanctissimo imbre rigabat, vt virtutum fructus vberrimos produceret. Cùm verò apud Montem Mirabilem moraretur, in maiorum Festiuitatum celebritatibus, ad confitendum Domino, nocte media consurgens, ad propinquam Domum Religionis, qua Boscus nominatur, ibat, quatenus sacris inseruiendo meditationibus, & sola rimando cœlestia Domino diem festum liberiùs agere posset, tumultu, scilicet, equitum suorum, & familiæ copiosa fugaciter denitato.*

a lib. 1. c. 21. & 22.

2. Potrò de initio assumptæ vestis cilicinæ, in additis ad vitam hæc scripta lego [b]:

b in additis §. 14.

Frater Odo, Sacerdos Monachus Longi-pontis, dixit, quòd cùm loqueretur cum venerabili Ioanne de quodam Sancto Abbate Cœnoby Sancti Benedicti Atrebatensis, & de vestibus, quibus vtebatur, dixit ei testis, qui loquitur, quod vtebatur camisia cilicina, & femoralibus, atque caligis cilicinis. Quo audito, dictus Ioannes rogauit testem, qui loquitur, vt ei similia vestimenta cilicina præpararet. Præparauit ei itaque tria paria, quibus vsus est dictus Ioannes vsque ad ingressum suum in Monasterium Longi-pontis. Verum est tamen, alibi haberi [c] femoralia reiecta à Viro Dei, quia cum equitare non permittebant.

c in additis §. 9.

3. Ad verbera, quominùs sibi parceret, aliena manu aliquando vti solebat [d]: *Dixit etiam iste testis, se multoties audisse Ioannem, ad instantiam ipsius, discipli-*

d ibid. §. 14.

nas dedisse, & multoties tædio affectum fuisse, pro eo quòd tot, & tantas disciplinas sibi dari iubebat. Hic idem Odo, illius in sæculo Capellanus, in Religione socius, atque vtrobique fidus coadiutor eorum, ad quæ aspirabat cœlestium operum, *Adiecit etiam, Dominum Ioannem habere callos turgentes in genibus, ex frequentia genuflexionum; & similiter callum, vel tumorem in fronte ex frequentia allidendi frontem suam in oratione ad terram: & hos callos, & tumores se multoties vidisse, & frontem pulueruleutam.*

4. Cæterùm, quod ad callos genuum attinet, adeò in vito induruisse compertum est, vt alter testis non minori fide dignus Thomas, Abbas Cœnobij de Cantiprato, iuratus dixerit [e]: *Quod si quis vellet acum infigere in genibus eius, acus potius contra duritiem genuum se flecteret, quàm posset introire.* Sic retroactam in deliciis vitam compensabat cruciatibus, & quantùm per mollitiem degenerasset, per tolerantiam gloriosè reparabat.

e ibid. §. 9.

5. Hæc feruoris illius velut initia (nam semina non dicam, in medio fructu) cœlestibus irrigata fauoribus, fœcundata miraculis, creuerunt in immensam virtutum segetem. Author Vitæ ipsius memoriæ prodit [f]: *Dum in territorio Cameracensi, cum ingenti militum suorum comitatu deambularet Dei seruus, contigit eum transire per quendam locum, vbi in ipso itinere Beatissimæ Virginis Imago posita habebatur. Sed vir Dei alibi intentus, planè non animaduertit, quid hoc esset? Cùm autem aliquanto spatio discessisset, secum cogitare cœpit, quid paulò antè vidisset. Et agnito, quòd coram gloriosa Mariæ Virginis Imagine præteriisset, nullam habens de ipsa memoriam, nullámque eidem exhibens reuerentiam, insalutatam reliquisset, plurimùm contristabatur. Statimque de equo, cui insidebat, in terram desiliit, & vt condigna satisfactione negligentia sua reatum dilueret, pedes reuertitur ad eandem. Cùm verò à latere Imaginis stetisset, corruit in terram, flectens genua in*

f lib. 1. c. 9.

ipso itinere, ibique cum magna compunctione, & anxio cordis affectu veniam precabatur. Et ecce, nutu diuino, facies Imaginis ad ipsum conuersa est: ac si Virgo gloriosa euidenti signo vellet ostendere, precibus se obsecrantis annuisse. Hoc quoque multi, qui praesentes aderant, manifestè cernere meruerunt. Ipse verò, ac si de tali miraculo nihil penitùs contigisset, erigens se ab orationis loco, post caeruam, eius reditum praestolantem, regredi festinauit. Hoc primum signum ad seruum Dei factum de Cœlo, vltrò currentem impulit, vel desidem, & torpentem excitaturum.

6. Cæterùm aliud adhuc fecit diuina manus, si non maius, patentius; neque solùm ad ipsum, sed per ipsum, quo virtus eius cunctis innotescens, cunctis non minùs imitanda proponeretur [g]: *Accidit*, ait, *quòd Comes Flandrensis terram nobilis viri exercitu non modico congregato, oppugnaret: & cùm federet cum omni populo suo ante Castrum de Oyssiaco; milites, qui erant in eodem Castro ad muniendum illud constituti à Domino suo, deficiebant pra timore; & eò maximè, quòd Dominus suus nullum omnino poterat eis succursum gentis facere. Quoniam exercitus Flandrensis vndique fuerat congregatus. Insuper tantus timor erat in tota terra illa, quòd nullus ausus erat mutire. Vir verò Deo dignus, fide armatus, cum paucis militibus, scilicet, cum tribus, & suo Capellano, venit ad Abbatem de Valcellis, qui eo tempore erat, & dixit ei: Domine Abbas, ego commendo vobis Castrum meum de Oyssiaco. Ad quod verbum stupefactus Abbas respondit: Domine, quid est, quod dicitis? Vos non potestis custodire, & ego quomodo custodiam? Etiam Dominum meum custodire non possum. Et ille: Volo, vt custodiatis illud mihi. Cuius fidem necdum intelligens Abbas, amplius admirabatur in verbis illis. Ad vltimum dixit ei vir radicatus in fide. Scio, quòd si volueritis, Castrum meum mihi per vos optimè custodietur; nec aliter poterit custodiri. Tandem Abbas fidem illius intelligens, in crastino fecit cantari à singulis Sacerdotibus Missam de Spiritu Sancto, & statim tanta pruina surrexit de terra, quòd homines Comitis sese videre non poterant: quare plurimum stupefacti fugam meditabantur. Sed retenti à Comite, quod volebant opere adimplere, non poterant; donec volente Deo propter fidem serui sui, tanta pluuia inundatio erupit, quòd in fugam conuersi, de sua salute desperarent, & clamarent, Helpe, Helpe, pra timore. Et sic per fidem fidelis serui sui Dominus populum totius terra illius ab oppugnatione Flandrensi liberauit. Hoc firmiter asserit dictus Engelbertus dicens, hoc, testimonio mille hominum posse probari.*

[g] in additis, §. 18.

7. Referam tertium signum ab ipso factum, non minùs patens; & quia singularius, fortè gloriosius [h]: *In exordio conuersionis nobilis viri Domini Ioannis de Monte Mirabili, homo quidam, Gunthervs nomine de Camerasco, casu accidente, neque id facere volens, vxorem propriam interfecit. Is secundum leges vrbis indicatus, & condemnatus fuit ad mortem. Quod cùm viro nobili innotuisset, statim surrexit, & acceptis duobus Capellanis suis venit ad locum, vbi innocens fuerat indicatus, & prosternens se ad pedes Scabinorum, humiliter, & deuotè petiit hominem innocentem liberari. Et cùm instaret petitioni, nec aliquo modo posset obtinere, quod petebat, pro eo, quòd sententia lata erat, hominis damnati, cuius corpus conseruare non poterat ad vitam, animam cœpit exhortationibus communire, & pronocans ad Confessionem. Sacerdos Curatus dicti Gunberi ibi erat, & confessionem illius recepit, & sic duxerunt ad mortem, nobili viro prosequente, & semper exhortante, vt animam damnati eriperet à morte aeterna. Ministri timentes, ne in latibulis insidias posuisset, vt quem precibus non poterat, vi liberaret, cum gladiis, & fustibus armati processerunt ad locum; vbi cùm esset vir nobilis, adhuc timentes mandauerunt eidem: Domine, vos estis Princeps, & Castellanus noster: nolite nobis molestus esse; nec enim decet vos. Quibus sic dicentibus, ille respondit: Si vobis vim inferre voluissem, non venissem solus cum Clericis meis. Sed ex quo corpus istius habere non possum, animam saltem saluare concupisco. Et ne interesset funeri, retrotraxit se cum Clericis.*

[h] ibidem §. 8.

Illi verò damnatum illum in fossam, quam fecerant, deponentes, & diligenter cooperientes, armati per desuper fossam equitantes, vt incens extinctus interiret, custodierunt eum per spatium trium dierum, & sic recesserunt. Post hac transitum faciens per locum illum Boissardus Exellous Clericus, inspiratione diuina discooperuit, quem defunctum Burgenses putauerant, & sanum inuenit. Liberatus verò Castellano suo gratias, quas poterat, reddens, dicebat se meritis ipsius fuisse liberatum. Iuraverunt Thomas, & frater eius Aingleberti, quondam Praepositus Oyssiaci, qui tunc erat familiarissimus Principi, adiiciens, quòd citò, postquàm damnatus, extractus fuerat de fossa, comedit cum Castellano. Et quod interrogauit eum, quomodo se haberet, cùm esset in fossa. Cui ille: Nullum sustinui dolorem, sed quasi in estasi positus nihil sentiebam, nec quando Clericus retraxit me de humo. Scio, quia humilitas Principis liberauit me. His, & similibus nouus Christi miles proficiens, ac crescens, vel adhuc tyro agebat ducem emeritum. 8.

Tum verò ex his virtutibus priuatis ad publicas transcendens, & Principem se esse recordatus, cauere scandala, iustitiam ad omnes incorruptè exequi, abstinere à muneribus, fouere pauperes, reuelare tributa; demum quæcunque ad commune bonum facerent, & studiosè, & ardenter sollicitabat. Iudæos primum arcendos à propriis finibus sanciuit edicto [i]: *Quibus ab omnibus oppidis vocatis, & in eius praesentia constitutis, cùm instaret tempus metendarum frugum, vnicuique ipsorum tria numismata, & falcem in manu prabuit; & sic eos exire compellens ab eorum detestanda conuersatione fines suos aeternaliter emundauit. Iussit praeterea sub praeconis voce circumquaque mitti, vt quicunque debitis vsurarum in Iudaeos teneremur obligati absoluti, & immunes omnimodis haberentur.* Hæc in sacrilegam, refractariámque nationem; in cæteros, vt pius, ita seuerus. 9.

[i] lib. 1. c. 3.

Cùm esset apud . . . . . cum suis militibus sedens ad mensam [k], *misit scutellam suam cuidam caco, qui cum aliis pauperibus comedebat. Nuncius verò, qui detulit scutellam caco dixit: Hanc scutellam mittit tibi Dominus meus. Cui ille: Gratias, quas possum, eidem refero: nam aliud bonum iam antea mihi fecit. Quod cùm audisset Princeps, interrogauit eum: Cui? Contrà caecum: Domine, dico, quòd aliud bonum mihi fecistis. Iam deficcatus fuissem in patibulo, si Iustitia vestra non eruisset mihi oculos in furto deprehensò. Nam eiusmodi causa iham apud Insulam; nec quieuissem à furto, donec suspensus fuissem. Modò facio poenitentiam meam. Hac cùm audiuisset vir nobilis, statim prosiliens, & deosculans, & amplexatus eum, veniam precabatur, & dedit eidem viginti solidos ad peragendum* 10.

[k] in additis, §. 12.

iter

iret Sancti Iacobi, ad quem ibat. Ferunt, cùm dudum Monachum professus, videret quendam imprudenter criminosum, prorupisse in hæc verba Iustitiæ zelo[l]: *Vtinam modò non essem in Religione: certè iuberem erui oculos eius, cuius vnam aliam sperarem correctionem.* Hæc de zelo Iustitiæ administrandæ.

[l] *ibid.* §. 25.

II. Cæterùm, quanta in tributis exigendis moderatione vsus (quæ virtus Principes post Iustitiam maximè decet) etiam vltronea, si minùs grata subditis, non solùm recusuerit; verùm accepta denuò restituerit: sequentia tandem cunctis manifestant, quæ ita habent[m]: *Cùm non haberet pecunias pro expensis, absque vlla exactione, accepit ab hominibus suis, sicut omnium terrarum est consuetudo, quandam summam pecuniæ. Quam cùm accepisset, murmurare ceperunt homines, qui ex sola gratia ei iam dictam pecuniam dederant, & dicebant: Quid est, quòd Dominus noster, qui est benignus, accipit à nobis tributa, ac si esset in expeditione, vel iret ad torneamenta? quod cùm Vir Dei innotuisset, fecit dictam pecuniam restituere per Angelbertum Præpositum suum, ne propter hoc homines sui contra ipsum amplius murmurarent.* Hæc Principit virtutes, Virum Principem supra alios priuatas commendabant. Cæterùm, qualiter ad Cistercium tandem vocatus sit, ingens illius lumen, decus, atque ornamentum, sequenti Capite paucis descriptum reperiet benevolus Lector.

[m] *ibid.* §. 30.

---

1. *Pro filia vnica Monasterium fundat, & cætera disponit.* 2. *De sacra militia deliberat;* 3. *sed ab ea retractus consilio servi.* 4. *Viros sanctos, & solitariam vitam sectantes primùm;* 5. *dein Theologos Parisienses* 6. *selectiores concordes audit,* 7. *atque omnes Cistercium consulentes.* 8. *Tum demum suis, & Mundo vale dicens,* 9. *Monachum induit in Cœnobio Longipontis:* 10. *comprobatur in dubio ratio temporis.*

CAPVT V.

I. IAM dudum cœperunt esse mundana cuncta Venerabili Principi, qui iam sola cœlestia suspirabat. Et primò quidem ab vxore separatus, mutuo consensu, quippe neque illa, sæculari pompæ dedita, abiectionem mariti; neque is eius fastum ferre poterant; mox filiæ, quam habebat primogenitam, Religionem persuasit, *promisitque,* (vt habetur in eius Actis[a]) *quòd si vellet esse Monialis, pro ipsa construeret Abbatiam, vbi cum aliis Monialibus Domino deserviret.* Qua, vt coniector, auscultante præcepta patris, adimpleuit promissa, constructa, ac dotata Cœnobium Domus Dei, de quo in eisdem Actis, paulò inferiùs[b]: *Soror Aales, Prioriſſa Domus Dei, quam ipse Ioannes in Castro suo, quod Mons Mirabilis dicitur, ædificauit, & de propriis redditibus dotauit,* &c. Demum Guillelmo filio, & successori Castrum de Oysiaco, cum adiacentibus terris, mox ipso, immatura morte rapto, Matthæi Iuniotis tutori (nam & tutorem illi designauit) regendum tradidit. Tum demum ipse, quid sibi esset agendum, reuoluens mente, militiam sacram aduersùs Galliæ Hæreticos, Bituricensem Prouinciam deuastantes, quod anno præcedenti dicebamus, præferendam putauit homini militi, & qui, quo iuuenis sæpiùs abusus erat in domesticos fidei, & Religionis; animi robur in hostes exerceret, non aliena talenta sibi vsurpans, quod multorum malorum initium est; sed in propria laborans seruus fidelis.

[a] *in additis,* §. 2.

[b] *ibid.* §. 21.

2. *Volens autem,* (ait Author Vitæ Sancti[c], cuius abhinc narrationem continuam dabo, concinnam, & congruam, ac continentem egregiam Cistercij laudem,) *volens,* inquam, *argenti plurimum secum ferre, vnde copiosius in ipso itinere inopiæ subueniret egenorum, in Cameracensem Prouinciam profectus est; vbi de nemoribus suis quandam partem septem millium librarum pretio, commutauit. Verùm nemorum emptoribus vxoris eius assensum petentibus, omnimodis illa renuens acquiescere venditioni dicta, ne fieret, impediuit. Interea quidam de seruis Viri Dei, cuius relatione nos ista didicimus, qui eidem in sancto proposito familiarius adhærebat, iit eum alloquitur verbis: Domine, inquit, si vobis rectum videtur, vt acquiescatis mihi, peregrinationis huius, quam disponitis facere, voluntatem relinquatis. In vestro etenim redeu animus vester non minùs quàm in præsenti die, Mundi occupationibus irretitus tenebitur. Cui Vir Sanctus respondit: Quid igitur vtilius nos agere iudicabis? aut cuiusmodi vitam tuo decernis arbitrio fore potiùs eligendam? Si vestræ, inquit, non displicet voluntati, petamus ambo eremi solitudinem, vt ab hominum conturbatione, & linguarum contradictione salubriter abscondamur. Me quoque comitem individuum, necnon & ministrum fidelem vobiscum habeatis. Ad quem Sanctus: Benedictus tu, charissime, & benedictus sermo eris tui, quia pretiosus. Vade ergo, & diligenter require, si quos Sanctos Eremitas valeas reperire, vbi congruum cognoueris locum, in quo secretiùs, commodiùsque habitare possimus. Debinc illorum responsionem, & quicquid inueneris, nobis festinanter renunciare stude. Hæc Sanctus Princeps.*

[c] *lib. 1. c....*

At ille continuò, assumptis secum vita necessariis, Leodicensem vsque Diœcesim deuenit, & audita fama solitarij cuiusdam, sanctitate celeberrimi, sine mora ad eum diuertit. Et præmissa salutatione, aduentus sui causam ei protinus manifestauit. A Domino, inquit, Montis Mirabilis, cui mentem suam semper gratia dignatus est Dominus inspirare, huc ad vos directus sum. Vestram igitur obsecro sanctitatem, vt eidem vitam solitariam ducere cupienti, sanum, & fidele præbeatis consilium; provt experientia longiore vitæ huius ordinem melius didicistis. Quo audito, vir ille discutere cœpit, dicens omnino incongruum fore, vt eremiticam appeteret conuersationem, quam proculdubiò ipsum in breui pœniteret elegisse. Et dicebat: Nouit Dominus Iesus, quantas ego, & consimiles mei Eremitæ, & quàm difficiles à malignis spiritibus patiamur frequenter molestias, & crebris eorum concussi iaculis nonnunquam graviter

grauiter vulnerentur. Illa quoque comminatoris sententia, qua dicitur Eccles.4. *: Væ soli, quia si ecciderit, non habet sublevantem. quam sit vera, in nobismetipsis experimento sapiùs edocemur. Vnde, si Dominus vester assensum mihi præbere voluerit, Ordinem Cistercij merito sanctitate cæteris præferendum, velociter introibit. Rectius enim iter, vtiúsve, qua perueniatur ad Cœlum, me fateor ignorare. Audeo insuper constanter dicere, quòd si Parisienses Theologos, & quoscunque industrios super hoc consulat viros, illos contrariis nequaquam fouere, sed in hac sententia omnes pariter conuenire, veraciter comprobabit.*

4. *His auditis, mercius, valedicens ab eo recessit. Volens tamen in suo negotio se reddi certiorem, seruos Dei quamplurimos, quorum in illis partibus habetur copia, est familiariter alloquutus: qui omnes à priori consilio minimè discreparunt. Postremò autem ad Dominum suum est reuersus, cui per ordinem, qua contigerant ei in via, retulit vniuersa, & adiecit hoc vnum superesse, quod etiam à Theologis Doctoribus responsa conquirere debuisset, quod cum audisset Sanctus ille, Dei feruentissimus amator, nihil amplius, quàm Domino famulari desideraus, sine mora Parisios iter arripuit; quem è vestigio, militum suorum, & familiæ nudia turba subsequuta est copiosa.*

5. *Cúmque Parisiensem Vrbem fuisset ingressus, peritorum Theologorum conuentu maximo in vnum congregato, primùm quidem ad eos salutationis verba præmisit, illi verò de aduentu tanti Principis gauisi plurimùm cum hilaritate eum honorificè susceperunt. Quos postquam familiari colloquio fuisset affatus, ait illis: Dignum est, ô Domini, vt nostra præsentia vobis ad vtilitatem cedat. Vobis igitur in communi expensa crastina diei triginta librarum donamus benedictionem. Quibus gratias agentibus, Nunc, inquit, superest, vt secreta cordis nostri Discretioni vestræ pandamus. Hoc primum fieri postulantes, vt à comitatu vestro eligantur decem, qui doctrina, & religione præcellere cæteris videantur. Et factum est ita. Quibus rursum ait: Ex vobis quoque, qui decem estis numero, tres nihilominùs separentur in vnum, vt dictum est, moribus, & scientia præminentes.*

6. *Hoc facto, tres illos Doctores famosissimos, ab aliis seorsum ducens, procidit illorum pedibus, humili supplicatione deprecans eos, & dicens: O Venerabiles Viri, homo sum contemptibilis, & valdè miserabilis: nam totius Iustitiæ hactenus expers extiti, & à malorum perpetratione nunquam cessaui. Veruntamen ad cœlestem patriam, à qua multorum commissione facinorum temerè deuiaui, per arctam pœnitentiæ viam, me nunc tandem paratum reuerti, vos instantius rogo, vt secundùm quam à Deo accepistis sapientiæ doctrinam, cuiuslibet conuersationis iter rectissimum edocere studeatis. Ad hoc illi paululum intra se cogitantes, vnanimiter, quasi ex vno ore, Dei seruo responsa dedêre dicentes: Nullum omninò tramitem, quo ad Paradisi regna dirigi quispiam queat, ac perduci, quam Ordinem Cistercij, vos possumus edocere meliorem: si tamen tanta vobis diuinæ gratiæ virtus collata sit, vt cum perseuerantia, illius asperitatem velitis, & valeatis pro Domino sustinere.*

7. *Gratias egit in responso tali, Deo, Venerabilis Ioannes: Et nunc, inquit, illi septem Doctores, qui paulò antèa aderant, introducantur, vt sciamus, vtrùm æqualia & ipsi sentiant, an diuersa? Qui cùm introducti fuissent, & super hoc requisiti, in nullo ad inuicem fuerunt contrarij, sed omnium vna sententia fuit, idem per omnia dicentium, quòd tres illi priores fuerant loquuti. Quibus intenta mente per Dei famulum auditis, ab illa die statuit se Ordinem Cistercij ingressurum.* Hactenus cuncta ex Authore vitæ Sancti, qui rem totidem verbis memoriæ prodit. Tot per ambages Cistercium Deus Ioanni, atque Ioannem Cistercio præparabat. At qua ratione conceptum semel propositum, tandem sit exequutus, idem, qui suprà Author his verbis tradit [e]: e lib.2.c.8.

8. *Ioannes igitur quadam die, conuocata populi multitudine, simulans se velle contra Albigenses proficisci, de diuinis alloqui cœpit eos, & vt in melius proficerent, exhortari: nonnullis autem illorum lugentibus, vale dixit eis, charitate pacifica deosculans vniuersos. Dehinc verò paucis secum assumptis comitibus apud Longumpontem Ordinis Cisterciensis Cœnobium peruexit, ibidem Domino seruiturus.* Ita Vir Sanctus, quod mente semel concepetat, opere exequutus, quosdam etiam ex suis secum traxit, non viæ tantùm, verùm & Monachatus futuros comites, nec nisi morte ab ipso diuidendos. Notat verò idem Author eodem loco: *Quòd in terra sui iuris, sub ipsius potestate, eiusdem Ordinis Cœnobia habebantur, sed parere maluit Domini iussioni, qua dictum est ad Abraham* f Genes.c.12. *: Exi de terra tua, & cognatione tua, & de domo patris tui. Insuper si inter suos moraretur, maiorem ab ipsis, quàm ab extraneis, sibi reuerentiam exhiberi verebatur.*

9. Peruenit ad Monasterium Longipontis ante Ascensionem Domini: hic nanque dies ab eo electus erat, quo nouæ cingulo militiæ initiaretur. Quippe ascensiones in corde suo disponens Christi ascendentis auxiliis promouendas. Præerat Monasterio Longipontis Vualterus Abbas, moribus, pietate, doctrináque quàm ætate prouectior, quem aliis præfici, vel in ipsa iuuenta dignum, tandem post annos plures in senectute, Pastorem, Cistercium, atque vniuersa Familia Cistercienſis, parentem sibi chatum præstolabantur. Hic primò in Ioanne fastidiens Principis nomen, & quæ plerunque monachalem quietem turbat, sæcularem potentiam, vix à cella diuelli, ægrè occurrere; nec nisi Regulæ legibus obstrictus excipere hospitio: at postquàm Viri grauitatem, modestiámque, atque in Principibus rariores ipsis virtutibus, virtutum species hausit, intentior animo venerari, suspicere: demum cùm sibi datum de Cœlo nouit, in lacrymas profusus, bonitatem diuinam, clementiámque, & prouidentiæ abyssum admirabatur. Verùm, quo tandem pacto illum susceperit, atque habitu induerit, eorundem Actorum verbis præstat scribere: *Cùm igitur die Dominica Ascensionis prostratus humiliter in Capitulo Longipontis in Monachum se recipi postulasset, Venerabilis Galtherus tunc temporis eiusdem loci (qui postmodum Cistercij laudabilis extitit gubernator) sicut est Ordinis consuetudo, cœpit ei prædicere grauitatem, quam in vigiliis, laboribus, cæterisque regularibus obseruantiis eum pati oporteret. Et ab ipso quærebat, quomodo, qui tantus extiterat in gloria sæculari, & tam delicatè fuerat ab infantia sua enutritus, vilitatem vestimentorum, & ciborum asperitatem sustinere valeret. Cui humilis Ioannes tale dedit responsum: Sciatis (inquit) me nunquam in sæculo gaudium tantum habuisse, quàm si scirem, me fore dignum*

dignum in Religione manducandi panem furfureum, qui canibus proiicitur ad vescendum. Cuius tam humili responsione audita, qui aderant, aedificati non modicè, ex affectu pietatis omnes ferè lacrymari caperunt. Quod autem non inaniter, sed ex nimio charitatis ardore id dixerit, subsequens eius conuersatio manifestè declarauit. Tanta etenim erat abstinentia, vt etiam in vilioribus cibis appetitum refrenaret, vel qua necessitati congruerent, edere recusabat. In pulmentis quoque suis aquam frigidam miscere consueuerat: ne aliquantulum delectationis in edendo percipere permisset. Hactenus ibi. Reliqua suis locis prosequemur.

10. Cæterùm quod ad rationem temporis attinet, animaduersum velim meum Lectorem, amanuensium ocitantium incuria, seu corrigentium imperitorum audacia effectum esse, vt certum in eo nihil, & vix quicquam probabile inueniamus. Quippe ab aliquibus[g] longè ante hunc annum, non solùm Viri conuersio, verùm & obitus; ab aliis vel conuersio longè posteriot: nam oppugnationem Castri de Oysiaco, quod vir beatus Vallicellensi Abbati commendauit, in annum referunt M. C. XC. VIII. quo Balduinus, octauus Flandriæ, & Annoniæ Comes legitur, irruptione facta in Gallos, eorum fines vastasse ferro, & igne. Longiùs alij, qui tutorem Matthæi filij post obitum Guillelmi, à patre datum Guidonem Dampetreum fuisse volunt, qui non iniit Flandriæ Principatum ante annum Christi millesimum ducentesimum octuagesimum, quod penitùs nec verum, nec vero simile. Mihi Vvalterus Cisterciensis Abbas sequendus fuit, quia testis coæuus, quia domesticus, quia virum sanctum ad habitum suscepit, cùm Longoponti præesset, vt notauimus. Demum, quia testis supra omnem exceptionem, & cui vel externa loquenti debeatur fides. Hic porrò in quadam testificatione, quam suo loco dabimus, obiisse tradit Virum Venerabilem anno salutis millesimo ducentesimo, cùm plures annos portasset Cistercij iugum.

[g] *Benedict. Genon in eius Vita.*

---

1. *Alfonsus Rex, reuerentia erga Martinum, Hortam cum Eleonora Regina visitat,* 2. *& Monasterij terminos describit,* 3. *ampliatque.* 4. *Vitali in Meyra succedit Nicolaus, qui cùm multa à vicinis pateretur,* 5. *Ferdinandum Legionis Regem adit.* 6. *Hic Cœnobio suscepto,* 7. *Tyrannis primùm, & aliis Gallecie incolis;* 8. *dein Episcopis totius Prouinciæ scribit.* 9. *Constructio Domus,* 10. *atque huius anni fundationes,* 11. *numero septem.* 12. *Et inter eas Pelisij notitia maior.*

CAPVT VI.

1. HOc ipso anno Hispaniæ duo Reges, Alfonsus, Ferdinandúsque, nepos, & auus, ille in Regno Castellæ, hic Legionis, insignia duo Cœnobia amplificarunt Hortam, & Meyram. Et Hortæ quidem à quinquennio surgentem fabricam sub Abbate Martino visitauit Alfonsus progressum operis propiùs inspecturus, vt cuius ædificij primum lapidem propria manu posuisset, incrementa lustraret propriis oculis; aut si indigerent, etiam promoueret. Adfuit Eleonora Regina cum pio Principe: adfuêre & Regni Episcopi, & Procetes quidam tracti ab Alphonso, alij vltronei, inuisuri Cœnobium fauore Regum, & sanctitatis opinione celebre, atque eius celebriorem Abbatem visituturi. Surgebat templum amplum, & Rege dignum, atque speciosum supra morem illius æui. Neque pœnituit Regem incepisse, quod tam felicibus incrementis continuabatur. Tum verò ne à dilecta sibi Domo immunis discederet, qui tot illi, ac tanta contulisset, terminos Monasterij præscribi fecit longè, & latè patentes, & priuilegio insertos, quod expediit, per proprios limites expresè designauit. Atque ecce exemplar chartæ, quod ita habet[a]:

2. *Ego Alfonsus Rex, &c. dono, & concedo Deo, & Monasterio Sanctæ Mariæ de Horta, & Domino Martino eiusdem Monasterij Abbati, & omnibus Monachis ibidem Deo seruientibus, tam præsentibus, quàm futuris, dictum locum de Horta, cum omnibus terminis, & pertinentiis suis, quos quidem terminos ego exterminaui, & hic in præsenti Charta feci scribi; videlicet, vt progreditur terminum, qui dicitur de la Moneca, & inde ad locum, qui dicitur de la Caueça del Corral de Gacala, & inde, vt progreditur ad locum, qui dicitur las Cuarillas de Val de la Madre, & inde, vt progreditur ad dictum locum Val de la Madre, & à la Caueça; & inde vt vadit iter, quò progreditur à dicto Monasterio ad locum, qui dicitur Lentisque. Et inde, vt progreditur ad locum, qui vulgariter appellatur Las Caueçuelas de Val de formillos. Et inde, vt progreditur à la Ruidera. Et inde, vt progreditur à la Aguçadera supra locum, qui dicitur Canada. Et inde, vt progreditur ad alium limitem, seu terminum, qui est in plano rupis, qui dicitur del Degollado. Et inde, vt progreditur ad locum, qui dicitur el Corralejo del Salobrar. Et inde, vt progreditur ad limitem, qui dicitur de la Vega del Salobrar, qui est supra locum del Longar. Et inde, vt progreditur ad rupes existentes ex altera parte riui de Salon, in confrontatione dicti limitis de la Vega circa Eremitam Sancti Vincentij. Et inde ad alium limitem, qui est in loco, qui dicitur Caueça de Val de la vonia. Et inde ad alium limitem, qui est in loco, qui dicitur Cabeçuelo prope pratum rotundum, ea parte Montuenga. Et inde ad alium limitem, qui est in loco vulgariter nuncupato, el çerrillo agudo, circa iter, quo progreditur de Montuenga ad turrim formosam. Et inde ad alium limitem, qui dicitur el Corral de Extremadero. Et inde ad limitem, qui dicitur las penuelas. Et deinde ad limitem, qui extat supra prates de los ojos. Et inde ad alium limitem, qui est, vbi dicitur Cerrogordo. Et inde, vt progreditur ad fontem, qui dicitur de la penela. Et inde vt progreditur ad areatn vulgariter appellatam, de los Monjes. Et inde, vt progreditur ad alium limitem, qui dicitur à la caneça de la vina de Alcardeuche. Et inde ad limitem Anagonia, qui est inter Alconche, & venit ad aream Monachorum: & inde progreditur ad planum, qui dicitur de las Teguas, qui est defensa de los Conejos. Et inde progreditur ad Rinaco de Llorzinse in*

[a] *Ex Archiuiis Horta.*

itinere, quo progreditur à dicto Monasterio de Horta ad Turrim formosam: inde vt progreditur ad caput, quod dicitur de Canadas luengas. Et inde vt progreditur ad locum vulgariter appellatum, el Recuento. Et inde vt progreditur à limite, qui est in itinere, quo progreditur de Montuenga ad locum de Montreal, quod vocatur, la carrasquilla. Et inde ad planum de las Labera. Et inde ad alium limitem, qui est in quadam valle vltra locum, qui dicitur, el Colladillo de la canada de los Monjes. Et inde al lauajo de maritaja. Et inde vt progreditur ad alium limitem, qui est in capite loci, vulgariter nuncupatum, la Canadiella. Et inde vt progreditur ad fresnum, qui est prope riuum de Salon. Et inde progreditur la Vega, & vadit ad Monecam. Hæc ibi Rex insigni pietate, postquàm cuncta lustrasset, quo Martino faueret, Hortæque, vt nullis sumptibus, sic nec vlli labori parciturus.

3. Subiungit instrumentum concursum Procerum, Episcopotumque, atque annum, & diem celebrem Hortæ, quem nulla possit obliuio obliterare. *Facta charta in Horta XVIII. Kal. Aprilis. Æra M. CC. XXII. Ego Alfonsus Rex regnans in Castella, & Toleto, præsens priuilegium, quod fieri mandaui, ore proprio laudo, & manu propria robore, & confirmo. Celebrimus, Toletana Sedis Archiepiscopus, Hispaniarum Primas, confirmat. Rodericus, Segontinus Episcopus, confirmat. Iulianus, Conchensis Episcopus, confirmat. Ioannes, Calagurritanus Episcopus, confirmat. Didacus, Oxomensis Episcopus, confirmat. Gundisalvus, Secobiensis Episcopus, confirmat. Petrus, Abulensis Episcopus, confirmat. Britius, Placentinus Episcopus, confirmat. Garsias, Burgensis Episcopus, confirmat. Aluarus Munii confirmat. Rodericus Didaci confirmat. Fernandus Garsia confirmat. Martinus Munoz confirmat. Numius Petri confirmat. Gomezio Petri confirmat. Garsias Roderici, Merinus Regis in Castella, confirmat. Signum Aldefonsi Regis Castella. Gundisalvus Roderici, Maiordomus Curiæ Regis, confirmat. Didacus Lupi de Faro, Alferiz Regis, confirmat. Dominicus, Domini Regis Notarius, Abbas Vallecoleti. Didacus Garzia, existente Cancellario, scribi fecit.* Hactenus instrumenti subscriptiones.

4. Dum hæc in Castella, & illius Cœnobio Hortæ, prospera satis; in Gallecia Venerabilis Vitalis, Abbas Meyræ, virtutum meritis Ferdinando Regi charus, post quadraginta, & eis ampliùs annos in Præfectura exactos laudabiliter, post Virginum Ferrariense Cœnobium instauratum, atque acquisitum instituto Cistercienſi sub Meyrensis Abbatis disciplina, post multos vtriusque sexus nobiles sæculares ad monasticum habitum susceptos: & post non paucas donationes obtentas vtique Domui, quas etiam omnes ab Alexandro Papa III. obtinuit confirmari suo diplomate, hoc tandem anno (aut fortè præcedenti) plenus dierum in Christo piè obdormiit, non sine magna opinione sanctitatis, quod omnes Meyrenses memoriæ habent testatum. Crediderim Rogerium Priorem antèà obiisse: neque enim succeſſisset alius, ipso viuente. Successit autem Nicolaus vir æquè sanctus, nec minùs Ferdinando Regi, & Curiæ illius Proceribus acceptus; qua certè gratia opus illi statim fuit.

5. Mortuo Vitali, quem omnes verebantur, vicini Reguli in Meyram surrexerunt. Agros Cœnobij, vel quòd ad eos pertinere debuissent hæredum iure, vel quòd Monachis confirmati non essent dono Regum, inuasêre sacrilegi, & possessiones illius deuastantes, ac neque hominibus parcentes, neque pecoribus, vix manum continuerunt à sacris vasibus. Auxit Tyrannorum audaciam Regis absentia, qui tunc Mauros infestans ad vrbem Caceres vsque se elongauerat. Illuc cum sequutus nouus Abbas vicinorum tyrannidem exponit, agros ab eis vastatos, abacta pecora, oppressos homines, grangias spoliatas, neque vllam superesse Monachis spem; quibus ea præcipua resistentia patienter ferre. Verùm Regulis inde insolescentibus, vltimum iam imminere exitium Virginis Domui. Expauère flagitium Curiæ Proceres; sed præ cunctis Rex ipse: & nisi filij causa detineret, acceleraſſet reditum, Matris iniurias religiosè, & seuerè vindicaturus.

6. Placuit Meyrense Cœnobium Regium fieri, ac denuò Nicolao, & Fratribus dari sub Regis nomine; addita honorifica causa donationis, sed protsus vera, *pro bono seruitio, quod ibidem Deo exhibent Fratres.* Indicta & grauis mulcta infestatoribus, contra quos vtroque gladio pugnatum est. Nam & Episcopis Auxiensi, Ouetensi, Lucensi, & Mindoniensi Rex scripsit tam sanctum locum (sic ipse Meyram nominat) eorundem commendans protectioni, quatenus per censuras ecclesiasticas inuasores compescerent, atque compellerent ad totius damni illati satisfactionem; & aliàs seuerè ipse comminatur se Virginis iniurias, & seruorum illius vindicaturum. Sed præstat ipsas litteras proferre, quibus vtrumque pleniùs innotescat. Porrò exemplar litterarum Ferdinandi ad omnes Regni incolas hoc est [b]:

7. *In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Catholicorum Regum est sancta loca & personas religiosas diligere, & venerari, & pro ipsarum meritis, amplis donare muneribus, & largis ampliare beneficiis, vt terrena tribuentes, cælestia possent promereri. Idcircò Ego Rex D. Ferdinandus, vnà cum filio meo Domino Rege Alfonso, per scriptum incautationis semper valiturum, omnibus per Regnum nostrum constitutis notum facio, quod quia Monasterium de Meyra ab iniquis ipsius terræ Principibus, & quibuslibet ibi commorantibus, dignoscitur infestari, & infelicem pati denastationem, iure hæreditario do, & concedo in cautum perpetuum nouiter statuum robore meo communitum ipsi Monasterio, & Domino Abbati Nicolao, & Monachis suis, & successoribus eorum omnes villas suas, quas modò habent, &c.* (& post multas numeratas possessiones) *do, & concedo istis locis diuisum cautum, vt ab hac die vestrum ganatum liberè pascat, & vestri homines, & hic, & alibi sint securi; & nullus audeat violenter intrare, neque inde de cætero aliquid auferre. Hanc autem incautationem facio ob remedium animæ meæ, & parentum meorum, & pro bono seruitio, quod Deo hi Monachi ingiter exhibent, cuius partem hoc dono desidero promereri. Si quis autem tam de meo, quàm de aliorum genere istud factum meum spontaneum infringere tentauerit, iram Dei omnipotentis, & nostram incurrat; & pro ausu temerario quantum inuaserit, quadruplum restituat, & regiæ parti mille marapitinos in pœnam persoluat: & hoc scriptum semper maneat firmum. Facta charta apud Caceres, XIV. Kalendas Februarij, Æra M. CC. XXII.* Hæc pro Cœnobio litteris patentibus ad omnes Regni incolas. Ast ad quatuor Episcopos vicinos eadem die scripsit sub hoc tenore [c]:

[b] *ex Tabulario Meyritano.*

8. *Ferdinandus Dei gratia Legionis Rex, dilectis, & fidelibus vasallis suis, & amicis, Ouetensi, Lucensi, Auriensi, & Mondoniensi Episcopis salutem, & cum reuerentia dilectionem.*

Discretionis vestræ notum esse necessarium ducimus, qualiter amore Dei, & nostrorum Procerum precibus, Monasterium de Meyra nostræ, incautatione inscriptæ, commisimus tuitioni, per terminos nouos, & veteres omnium suorum Iurium vniuersos; & cum omnibus suis bonis,

[c] *ex eodem Tabulario.*

bonis, quæ nunc, & in posterum habere dignoscuntur, ad quorum iuuamen nos decet, & si opus est, vestrum prædium postulare. Et rogamus nos pro eis in quantum possumus, vt si qui eorum vicini nostrum contemnentes, aduersus eos venire præsumpserint, & chartam donationis, & securitatis nostræ violare, propter nostrum contemptum, & malè factum istorum, eos districtè censura ecclesiastica coerceatis, nusquam sibi indulgentes (quod instanter petimus) nisi ipsi malefactores restituant tam sancto loco plenarie quidquid iniquo inuaserint spiritu. Datum apud Caceres XIV. Kalendas Februarij, Æra M. CC. XXII. Hactenus litteræ Regis ad Episcopos.

9. Sic Meyræ propugnatæ ab inuasoribus integra tandem, & illibata manserunt antiqua iura. Quin & pium ipsum Regem Ferdinandum, Domum, quam fecerat suam, ædificasse, nouo templo erecto à fundamentis, quod etiam nunc satis amplum perseuerat, imò & pulchrum, traditio est: cui fidem adstruit filij, & successoris post annos aliquot priuilegium expeditum, quo patrem suum constructorem Meyræ appellat: *Monasterium*, inquit [d], *Sanctæ Mariæ de Meyra olim factum a bonæ memoriæ Rege Domno Ferdinando Patre meo, &c.* Verum est tamen, eiusdem Ecclesiæ dedicationem tempore posteriorem, velut quæ contigit anno M. CC. LVIII. nonnihil nobis dubij posse ingerere. Id vnum absque controuersia certum est, Ferdinandum erga Meyrenses mirè affectum tot eos possessionibus auxisse, tot priuilegiis, & indultis condecorasse, vt non immeritò Fundator dici valeat, constructórque, etiamsi nihil ædificio ipsi contulerit. Sed de his satis.

[d] *ex eisdem Archiuiis.*

10. Septem hoc anno Ecclesias fundatas lego, de quibus pauca dicam, quia pauca noui. Eas Chronologia recensет sequenti ordine:

Anno M.CC.XXXIV. sexto Kalendas Iulij, fundata est Abbatia de Pelisio.

Eodem anno, Abbatia de Lege Dei.

Eodem anno, VII. Idus Septembris, Abbatia Vallis Benedictæ.

Eodem anno Abbatia de Albi Campo.

Eodem anno, IV. Kalendas Octobris, Abbatia de Sancto Gothardo.

Eodem anno, nonis Octobris, Abbatia de Dulerſbuch.

Eodem anno Abbatia Benedictionis Dei in Vasconia. Hactenus Chronologia. Porrò harum omnium Ecclesiarum notitia exigua; licèt aliqua breuiter nobis veniat perstringenda. Vt autem primam, quia paululùm notiorem, seorsim demus, reliquas in hoc Capite simul, & leui calamo attingamus.

11. De Lege Dei, aliàs de Leix, Abbatiam in Hybernia, Vallis Salutis protulit, aucturam lineam Ecclesiæ Claræuallis. Iacobus Vvareus [f] annum anticipat, & millesimo centesimo octuagesimotertio fundatam tradit: *Leix, aliàs de Lege Dei, in Comitatu Reginæ, fundatur an. 1183. aut fortè antè, vt alij ferunt, per Locherium Omorre.*

[f] *in Cœnobiis Hybernia.*

Vallem Benedictam, Cistercienſis Ordinis Domum, inuenio apud Authores in Lugdunensi Gallia, Diœcesique, tribus & triginta florenis taxatam in libris Cameræ; quæ & in Tabulis Ecclesiarum de linea Cistercij, inter filias Bonæ-vallis, Viennensis commemoratur: nec ausim dicere, an eadem, vel alia impleat in Chronologia præsentem annum. Claudius Robertus recentiorem multò facit in sua Gallia, de ea ita scribens: *Vallis Benedicta Ordinis Cistercienſis, Diœcesis Lugdunensis, prope oppidum S. Stephani, ad Furani fluuium, anno M.CC. XIII. fundatur à Guidone Comite Forensi.* Hæc tantùm ille. Albicampum de linea Claræ-Vallis Geripons genuit in Cassiensi Diœcesi, in Hybernia: sed quam non video notatam ab Vvaræo. Sunt, qui Albi Campum vocent, siue Auricampum, in agro Tipperariensi, & recentiorem adhuc Domum faciant fundatam à Donato Momomiæ Rege. Sanctum Gotardum in Hungaria Domum Tres fontes genuêre: nec produnt Diœcesim Claræuallenses Tabulæ; sed supplenda ex litteris Innocentij Papæ IV. datis Anagniæ, Nonis Iulij, atque item aliis, datis Laterani, Idibus Nouembris, vtrisque primo anno Pontificatus, in quibus Sancti Gotardi Abbatia Ordinis Cistercienſis, Diœcesis Iaurinensis, sub Archiepiscopatu Strigoniensi commemoratur. Dulersbuch penitùs ignota nobis Domus, quam Tabulæ Geneleos prorsus omittunt, & neque in Decretalibus Pontificum, neque in Authorum libris notatam lego. Benedictionem Dei in Vasconia Diœcesis Conuenarum quingentis florenis taxatam in libris Cameræ, Bonus Fons inter filias suas recensет augentem numerum Ecclesiarum Morimundensium. Memorat Domum, atque grauem causam ait, à se quondam Abbati eius commissam, Gregorius Papa IX. litteris datis ad Decanum Eduensem, Laterani, 3. Nonas Nouembris, Pontificatus ipsius anno XII.

12. Venio ad Pelisium, siue de Peleis, vt alij volunt, Domum in Hungaria sitam, Diœcesis Vesprimiensis, Aceyo genitam, vt habent Tabulæ Ecclesiarum Claræuallensium. Fundator Domus, ignotus adhuc nobis: dotator Andreas illustris Hungariæ Rex, qui cùm dedicationi eius interfuisset, ne vacuus aduenisse videri posset, centum marcarum argenti redditus annuos liberalis concessit; qui dotis nomine, in vsus Monachorum, atque diuini cultus distribuerentur. Extant litteræ Gregorij Papæ IX. post duos & quinquaginta annos datæ, ad Abbatem, & Monachos, quibus eam dotem illis confirmat; quæ ex Regestis excerptæ, hæc habent verba: [e]

[e] *Epist. 376.*

Abbati, & Conuentui Monasterij de Peleis in Hungaria, Cistercienſis Ordinis, Vesprimiensis Diœcesis.

Sacrosancta Romana Ecclesia, &c. Specialiter autem annuum redditum centum marcarum, quem dotis causa, claræ memoriæ Andreas, Rex Hungariæ, percipiendum in salibus suis de Telachi Monasterio vestro, tempore dedicationis ipsius, pia liberalitate concessit, sicut illum iustè, ac pacificè possidetis; & in confectis super hoc ipsius Regis litteris plenius dicitur contineri; authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. Datum Viterbij, 6. Iun Februarij. Pontificatus nostri anno nono. Abbati de Peleis, seu de Pelisio scribunt idem Gregor. Papa IX. quarto Kal. Aprilis, septimo Kal. Decembris, & sexto Idus Februarij, anno 14. Innoc. IV. quintodecimo Kal. Martij, & quartodecimo Kal. Nouembris, an. 10. & Vrbanus IV. quintodecimo Kal. Octobris, & duodecimo Kal. Septembris, anno tertio. Pelisij extare dicitur sepulcrum Gertrudis Hungariæ Reginæ, Andreæ II. cognomento Hierosolymitani vxoris atrociter peremptæ, cuius in Hungariæ Historiis frequens mentio. Atque hæc satis de his septem fundationibus, si quid occurrerit in tempore dicturis.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI M.C.LXXXV. CISTERCII LXXXVIII.

1. Legatis ab Oriente missis Summo Pontifici, 2. ipse Angliæ Regi oppressionem fidelium exprimit. 3. Petrum Clarævallensem ad se vocat. 4. A quo absolutus, & sacra Communione donatus, 5. impeditur, ne Cistercij habitum sumat. 6. Inde, muneribus Sanctum prosequutus, 7. viuere desinit, Vrbano illi suffecto. 8. Henrici Cardinalis Legatia, 9. & Sancti Galgani Confessoris canonizatio. 10. Demum Roberti Mataplana Abbatis obitus.

CAPVT I.

1. ANNVS intrat ab Orbe reparato centesimus octuagesimus quartus supra millesimum, à condito Cistercio octauus, & octuagesimus, quo Lucius Papa senio, ac morbis fractus, ac tædio rerum, maximè Orientalium, vocato sancto Abbate Clarævallis, Pontificatum deponere tentauit, priuatam vitam sub ipso peracturus. Rem hos Annales concernentem pluribus titulis, neque dignam omitti in Ecclesiasticis, altiùs repetito principio proferamus [a]. Venerant ex Oriente Legati, Vvillelmus, Heracliúsque, hic Patriarcha Hierosolymitanus; ille Tyri Archiepiscopus; Pontificem in primis, dein vtrumque, & Galliæ, & Angliæ Regem, vt Christianis oppressis subuenirent, auxiliatibus copiis, pecuniáque aduersùs Saladinum deprecaturi. Conclusos nostros, nec longè à deditione, quippe imparcs viribus; & si semel capiantur, aut se dedant, loca omnia sancta cum ipsis pessum ire. Extat epistola eiusdem Papæ Lucij ad Regem Angliæ Henricum, imminens Religioni sacræ periculum grauiter, & seuerè proponens in hæc verba [b]:

2. *Primùm nouerit Serenitas tua, iam crebris, & molestis super hac pulsata querelis, qualiter terra Ierosolymitana, speciális hæreditas Crucifixi, in qua nostræ saluti sunt pronunciata mysteria, & ipsius rei exhibitione completa; quam ille, qui cuncta condidit, in suam sortem peculiari priuilegio deputauit, perfida, & spurcissima gentis attrita, & conuallata pressuris, nisi & celeri remedio succurratur, prona sit ad ruinam, & inde (quod absit) sustineat irreparabilem Religio Christiana iacturam. Ille enim Saladinus sancti, & tremendi nominis immanissimus persequitor, ita spiritu furoris incanduit, & totius nequitiæ suæ vires ad internecionem populi fidelis exercet, vt nisi immanitatis eius vehemens impetus, quasi obiectis obicibus reprimatur, certam spem, fiduciámque suscipiat, quòd Iordanis influat in os eius; & terra aspersione vinifici Sanguinis consecrata, spurcissimæ superstitionis contagio polluatur: & quam gloriosi & nobiles prædecessores tui à dominio gentis incredulæ multis laboribus, & periculis exemerunt, rursus nefando tyranni nequissimi dominio subiugetur.* Sic Summus Pontifex, quod intimè dolebat, grauibus, sed affectuosis verbis significabat.

3. Ergo, cùm his angustiis premeretur, & aliàs longo senio, & morbis fractus, imparem se iudicaret Christiano Orbi; insignem sanctitate virum Petrum Clarævallis Abbatem ad se vocat, consulturus secretò hominem Dei, atque ad eius consilium, ni dissuadeat, positurus tiaram, & Monachum Cistercienscm induiturus. Narrat Vincentius Bellouacensis Præsul, ex alma Prædicatorum Familia, antiquus Author, in Speculo historiali, succinctè quidem, nec distinctè satis: sed verbis, quæ rei toti concilient fidem: *Papa*, ait [c], *Romanus audita eius* (id est, Petri Abbatis) *fama, vocauit eum, & peccata sua ei confessus est, & sacram Eucharistiam de manu eius suscepit; & etiam habitum Cisterciensis Ordinis suscepisset, si vir Dei permisisset: sed sumptus necessarios dedit ei ad faciendam illius Ordinis vnam Abbatiam.* Hæc tantùm ille, non nominans Pontificem, sed neque circumstantias alias memorans, aut certum aliquem euentui præfigens annum.

4. Meliùs ergo, & exactiùs Thomas Rodelius, in Vita Sancti Petri [d], quam Fiterensis ad litteram transcripsit, seu quicunque appendicem adiecit Exordio Magno [e]: *Propter eximiam sanctitatem, & conuersationem huius Sancti Viri* (scilicet, Beati Petri;) *& quia nemo poterat hæc signa facere, nisi esset Deus cum eo, quæ etiam sibi mutuò attestabantur, sicut cynnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedit, & quasi myrrha electa dedit suauitatem odoris, & odor eius adeò longè, latéque diffundebatur, vt non solùm super omnia montana Francia, sed etiam per vniuersas terrarum, regionúmque Prouincias diuulgarentur omnia verba hæc; & celebre erat nomen eius vbique; & plurimi eum, sicut Prophetam habebant, videbántque eum cum gaudio, vtpote amicum Dei, & familiarem ipsius. Denique Papa Romanus Lucius III. fama tam felici permotus, quanti eum penderet, satis ostendit, dum ad se, volens illum videre, vocauit. Mœstus, vt aiunt, peregrinationem illam suscepit, sed obediens Summo Pontifici, ire non distulit. Erat idem Papa ætate senex, senio grauis, ægritudine tactus, qua & post modicum defecit. Exhilaratus tamen aduentu ipsius, vestibus pretiosis ornatus, & sedens pro tribunali, Cardinalium circumstante corona, festiuus eum, & lætabundus excepit. Inde deducens eum in locum secretum, apostolica Maiestate deposita coram ipso, imò reuerè, coram Christo, qui in illo signis euidentibus apparebat, humilians se, omnia sua confessus est, ac de sanctissima manu ipsius, coram ipso, Missam celebrantis, Eucharistiam sanctam recepit.*

5. Hactenus ibi de vocatione, & aduentu Sancti Viti, déque tempore vtriusque, hoc est, non multò ante mortem ipsius Lucij, quem hoc anno obiisse sub finem eius dicam statim. Verùm de habitu à Pontifice assumendo, ni Sanctus restitisset, & Cœnobio constructo, vel instaurato, vix plura quàm Vincentius, nec clariora [f]: *Habitum quoque Cisterciensis Ordinis volebat assumere: sed vir Domini (nescio quo consilio, sed sanè sano) id fieri non permisit. Locum tamen, in quo Abbatiam sui Ordinis instauraret, imò potiùs restauraret (siquidem iam Abbatia fuerat, sed destructa tunc erat) sumptus necessarios Dominus Papa ad perficiendum donauit.* Hactenus ibi. Non constat, quod, aut quale Monasterium instaurandum tradiderit venerabilis Pontifex; neque an de facto fuerit instauratum; præpediente, vt potuit,

[a] *apud Baronium hoc an.*

[b] *apud Rapinium hoc an.*

[c] *lib. 29. cap. 32.*

[d] *cap. 22.*

[e] *lib. 7. c. 4.*

[f] *cap. 22.*

ipsius morte; demum nec quibus habitandum Monachis, si fortè donatio eius firma stetit, à Beato Petro traditum; & nisi fortè ratione antiquitatis cæteris antelatum, ex suprà memoratis aliquod sit, vix inter filias Claræuallis video, quæ credi possit cœpisse circa hunc annum.

6. Voluisset Pontifex detinere Virum Dei, quandiu sequi ab eodem prohibebatur: sed Clatamuallem quotidie suspirantem, tandem ad suos redire passus est, muneribus donatum, non secùs ac Bernardus ab Innocentio, quod idem qui suprà Author, primùm quidem recenset, sed mox perpendit: *Postea vero ait f, Serum Dei aliquandiu secum demoratum, cùm diutiùs Romæ remanere non vellet honoratum, quin etiam & muneratum Summus Pontifex redire permisit.* Hactenus narrans. Sed narratis statim subdit: *Iam nunc Romæa Ecclesia, sicut & olim magna laude celebrari digna est, quæ in Petro paupere, & in hac parte magno Petro non dispare, qui aurum, & argentum non habuit, tandem venerata est virtutem, rebus ipsa confessa verum esse, quod ethnicus ait Poëta:*

7. Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

In conspectu eius vacuus Petrus apparuit, grauisque gratiam inuenit, non emit. Et ille, cui Reges Tharsis, & Insulæ munera offerunt, munera Petro pauperi obtulit; vnde & Petrus supra petram sui Ordinis ædificaret Ecclesiam. Felix Petrus, qui cùm subiectus esset omni humanæ creaturæ propter Deum, triumphauit montes aureos, non suis viribus, sed per Deum. Ita Thomas Rodelius in Vita Sancti.

Discessum Petri mors Lucij sequuta est septimo Kalendas Decembris, dum adhuc Veronæ commoraretur, vbi & sepultus iacet, hoc epitaphio sepulcrali lapidi inciso:

Luca dedit lucem tibi, Luci Pontificatum
Ostia: Papatum Roma, Verona mori.
Imò Verona dedit verum tibi viuere; Roma,
Exilium: cœrae, Ostia: Luca, mori.

Non desunt, qui Pontificem Lucium, nostris adscribant, voluntate profectò reputata, ex quibus est Seguinus in Bibliotheca [h]. Sed mendicatis laudibus non eget Cistercij gloria, quæ tot, ac tantas proprias, & certas habet. Defuncto Lucio, mirò omnium consensu, inquit Baronius [i], creatum fuisse successorem Vrbanum III. dictum anteà Lambertum, quem Mediolanensem Ecclesiam moderantem, consecrasse Henricum de Soliaco, ante biennium, ni fallor, commemorauimus. Quin & id ipsum idemmet Vrbanus in litteris de sua electione scripsit, testificatur. Affuerunt electioni Vrbani tres, Henricus, nimirum, Albertus, & Theobaldus, ex Cistercio assumpti Cardinales, duo Episcopi Ostiensis, & Albanus: alter Sancti Laurentij in Lucina Presbyter, atque Cancellarius Romanæ Curiæ.

8. Cæterùm, quia de Albano facta mentio, hoc ipso anno, dum adhuc Lucius III. in viuis ageret, lite inter Bononiensia Monasteria, tam virorum, quàm Virginum, & Archiepiscopum Rauennatem exorta: ac diutiùs ventilata, idem Cardinalis Henricus vtrisque partibus Iudex designatus: *Cùm Diui Proculi Abbas* (ait Hieronymus Rubeus [k]) *Monasteriorum omnium Procurator, nihil pro Bononiensibus, quod satis vrgeret, apud Henricum Cardinalem Episcopum Albanensem, cui Pontifex causam demandauerat, cognoscendam attulisset.* Pro Archiepiscopo Rauennate sententiam tulit, lege sancita, vt Bononiensia omnia, tam Monachorum, quàm sacrarum Virginum Cœnobia, Diui Bartholomæi, ac Damiani tantùm exceptis, certam annuam pensionem procurationis nomine Archiepiscopis Rauennatibus persoluerent, quam Lucius III. firmauit suo diplomate: *Extant* (ait idem qui suprà Rubeus [l]) *litteræ Pontificiæ super hac re, tertio Nonas Ianuarij Veronæ editæ.*

9. Hoc ipso anno, quantùm licèt coniectari, priusquàm Lucius excederet, crebrescentibus ad sepulcrum Galgani signis [m], Legati ex Sena, & Chiusdino Vetonam missi, petiêre Virum adscribi Sanctorum numero. Nec difficilis ea petitio fuit audientibus præsentia; & quæ sub Alexandro contigissent ad memoriam reuocantibus. Relatus inter Sanctos Galganus est à Pontifice Lucio, adhibito consilio Cardinalium. Tum verò sacrum corpus extractum humo, collocandum decentiùs, nouis fertur miraculis claruisse, nouis virtutibus; quæ illis maximè temporibus frequentia perdurare dicuntur ad nostrum ævum [n]. Caput à corpore venerationis causa separatum, atque argento inclusum, cùm furto asportaretur semel, & iterum, asportantes immobiles effecit; atque ostio apetto, impotes egredi, quoadvsque proprio loco restituerentur. Inde aliis miraculis illustre Sena conseruat, vnà cum capite Sanctæ Catharinæ gentilis suæ; quorum se patrocinio piè deuouit. Reliqua in Lombardelo leget, qui volet, aut nos fortè reddemus suis temporibus.

10. Hunc vsque ad annum produxisse vitam cum Præfectura Sanctus Robertus creditur, primus Abbas Cœnobij de Mataplana in veteri Castella, cùm eam Domum rexisset per annos vndecim. Acta eius obscura; merita clara: & traditione accepta, quasi per manus, à Patribus ad filios veneratur, vt Sanctus, atque contra ingruentes tempestates, seu alia quæuis mala, inuocari consueuit, nec sine fructu. Sanè seu terra aresçat defectu imbrium, seu fruges grandinis ictibus subiaceant, seu locustarum turbini, confluentibus ad sepulcrum Sancti populis, pluuia, serenitas, fugáque conceditur; quod non rarò experiuntur hoc nostro sæculo. Antiqui nobis exposuêre colendum Sanctum, nempe, eo indicio assertæ sanctitatis, quod tunc adhuc vigebat. Erecto super corpus eius Altari, & translato ad templum, quod Beatrix, & Berengaria Reginæ, paucos post annos elapsos ædificarunt. Memoratum ab Hugone Menardo video in Monastico suo Martyrologio, in secunda appendice totidem verbis [o]: *Sanctus Robertus, primus Abbas Mateplatana in Castella veteri, Ordinis Cisterciensis, ibidem requieuit, miraculis fulsit mortem clarus.* Similia habet Henriquez in Fasciculo [p], & in Menologio, secunda die Decembris.

f vbi suprà.

g in historia Rauenna, lib. 6.

l vbi suprà.

m Lombardelli c. 5.

n idem c. 51.

o littera R.

p lib. 2. dist. 26. c. 6.

Digitized by Google

1. *Grandimontenſes à Conuerſis ſuis electi Domibus*, 2. *Sanctos Abbates Ciſtercij, & Clarævallis accipiunt Iudices.* 3. *A quibus primùm hoſpitio ſuſcepti*, 4. *mox in Conuerſos rebelles ſententiam obtinent.* 5. *Recuſati illi* 6. *cum duobus ſibi adiunctis* 7. *electis Monaſteria quædam decernunt.* 8. *Stephani Tornacenſis ad eos littera*, 9. *& Grandimontenſium cum gratiarum actione, deprecatoria.* 10. *Demum exitus cauſa remiſſionè.* 11. *Albinus Baltin, Abbas in Epiſcopum Fernenſem promotus.*

CAPVT II.

1. SÆVAM in Ordine Grandimontenſium tempeſtatem obortam per hæc tempora, nec ſatis conſtat ſub Lucio, an ſub Vrbano, ſedauit Ciſtercium per Abbates Ciſtercij, & Clarævallis, cantantes cum Propheta Rege Domino miſericordiam ſimul, iudiciúmque, quippe à Pontifice deſignati Iudices, Clericos à Conuentibus ſuis pulſos, & exules impudenti violentia Conuerſorum, quandiu non reſtituerunt, ſuſtentarunt. Rebellauerant Conuerſi in Sacerdotes, & viuenti Priori, nec cedenti, aut depoſito; alium ſubſtituerunt ex laicis, nomine Stephanum, qui in Clericos atrociùs deſæuiret. Narrat hæc paucis, ſed ſatis eleganter Tornacenſis Stephanus, litteris datis ad Cancellarium Romanæ Curiæ, quæ ita habent [a]: *Luctuoſum in Eccleſia Dei ſpectaculum fideli, ac flebili compaſſione proſequimur. Grandimontenſes Conuerſi miſerabilem cœtum Clericorum exulantium, barbis prolixis, tanquàm cornibus ventilantes, prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua; & ſimplicitatem columbæ ſerpentis aſtutia, non tam fraudulenter circumuenit, quam violenter abſorbet. Ex illo venerabili quondam Collegio miniſtri Altaris poſiti ſunt, quaſi in ſignum ad ſagittam, & qui eos vident, mouent capita ſua ſuper eos; mendicant, exulant vagi & profugi ſuper terram, ſaturantur opprobriis. Et ecce panem filiorum comedunt canes, & in tabernaculis Iuſtorum vulpes foueas habent, & volucres cœli nides. Superbiunt in eos laici, & in corruptela ſpem ponentes, aurum, in quo confidunt homines, ſub execrabili ſpiritu promittunt eis, quorum oculi muneribus excæcantur.* Hactenus de electione Clericorum: nam de ſubſtitutione Prioris dicam ſtatim.

[a] epiſt. 152.

2. Electis Clericis, atque iniuriam ſuam dolentibus apud Summum Pontificem, quinque Iudices dati, ex quibus primi Guillelmus, Petrúſque, Ciſtercij ille Abbas, hic Clarævallis. Hi ante omnia profugos, & exules exceperunt hoſpitio, nec ſolùm larga, ſed amica manu in omnibus neceſſaria miniſtrarunt. Mox contra intruſum Priorem, & ſequaces, lata ſententia, proprijs Domibus curarunt reſtituendos, & obtinuiſſet ſtatim Iuſtitiæ pars, ſi non, cui ſæpè ſuccumbere videmus, auri, & fauoris pondus præualuiſſet. Impetrarunt aſſociandos duos Coniudices, neque ſingulis cauſam delegari, ſed cunctis ſimul. Nempe, vt quocunque illorum impedito, cæteri alij in negotio ſuperſederent. Sic per ſpeciem Iuſtitiæ, Iuſtitia læſa, ſi non omninò extincta, quod ſatis frequens. Nam, quando ſeptem Iudices diuerſi, atque ex diuerſis partibus, propriis ſinguli negotiis occupati, imò & multi communibus, in vnum poſſent locum conuenire? Sed vicit omnia vtriuſque Abbatis zelus, & prouidentia: atque vt non quieta omninò, atque pacifica poſſeſſione donarent expulſos Clericos, manu tamen tenuerunt ſpoliatos, aſſignatis Cœnobijs, ex quibus litigarent aduerſùs laicos. Verùm hæc omnia ex epiſtolis diuerſis, atque earundem interiectis verbis, pro more noſtro, paucis proſequamur.

3. Igitur primum, quod ad hoſpitium attinet, dum nondum manu tenti, atque ad manutentionem tandem ſequutam extat epiſtola eorundem Clericorum ad Abbatem Ciſtercij, quæ gratiarum actionem his verbis continet [b]: *Etſi non condigna gratiarum actione, pia tamen, & humili ſollicitudine beneficia veſtra proſequimur; illum in vobis flexis genibus adorantes, de cuius plenitudine accepiſtis, vt & charitas veſtra non deficiat ſingulis, & ſufficiat vniuerſis. Calamum quaſſatum conterebant, aly lignum fumigans extinguebant. Et ecce à quatuor ventis inſufflante ſuperiùs Spiritu Dei, beneficijs, & orationibus veſtris oſſa noſtra arida reuiuiſcunt. In falſis Fratribus pericula paſſi, in conſilio dolos, præiudicium in cauſa, violentiam in fuga; electi, pulſati, afflicti contumelijs, ſaturati opprobriis, Sacerdote, & Leuita tranſeuntibus ſeminuos; à Sancto Ciſtercienſi Ordine veri Samaritani diſcipulo ſuſcepti ſumus; & non vſque in ſtabulum, ſed vſque in cubiculum genitricis ſuæ perducti, panem filiorum copioſè cum eis ſumpſimus, quibus mica cadentes de menſa Dominorum noſtrorum ſufficere debuiſſent. Collegiſtis exules, ſuſcepiſtis electos, iuuiſtis puſillanimes, refouiſtis flebiles: mendicis ſtipem, qua ſuſſiceret; imbecillis opem, qua proficeret; ſimplicibus conſilium, ſupplicibus auxilium impendiſtis. In his omnibus quid retribuere poſſumus Dominis noſtris, pro omnibus, qua retribuerunt nobis? Retribuat vobis Deus mercedem iuſti, qui nos, quamuis iniuſtos, in nomine iuſti recepiſtis.* Hactenus Clerici in gratiarum actione. Pergunt deinde ad alia, quæ mox ſubiungam.

[b] epiſt. 156. Stephani Tornacenſis.

4. Exulibus grato hoſpitio ſuſceptis, Guillelmus, & Petrus (neque enim conſtat de aliis Coniudicibus) quo res in priſtino ſtatu reſtituerent, *ante omnia* (inquit Stephanus Tornacenſis [c]) *ſubdiderant excommunicationi Stephanum quendam, quem Conuerſi irreuerenter, & contra ſacros Canones in locum Prioris, qui nec ceſſerat, nec deceſſerat, intruſerant. Omnes illos, qui ei, tanquàm Priori, obedirent, ſub eadem ſententia concludentes. Aſſignauerunt viginti cellas Clericis, in quibus, ſine inquietatione Conuerſorum, pacificè Deo ſeruirent, ex litteris Domini Papæ intelligentes, melius eſſe, vt in propriis Domibus viuerent, quàm in alienis mendicarent. Omnes etiam de Grandimontenſi Ordine, qui hoc eorum mandatum impedirent, excommunicationi ſimiliter ſubdiderunt. Conuerſi, & qui eis adhærent, nec timentes Deum, nec hominem reuerentes, vtrunque articulum excommunicationis incurrerunt.* Hæc ille ad Cancellarium Romanæ Curiæ.

[c] epiſt. 156.

5. Conuerſi extra communionem fidelium facti, adiere Pontificem, abſolutionem non ſolùm à cenſura, ſed à mandato, ſi poſſent, impetraturi, & recuſatis Iudicibus Ciſtercij, fortè quia commenſalibus, collitigantium hoſpitio

tio fuit eorum subdoli, & pecunioſi, nam penes eos ſubſtantia Monaſteriorum; ſupplicarunt Pontifici, vt aliis ea cauſa delegaretur. Nam, quid ſibi ſperandum ab illis foret, quos vel hoſpitij expenſis ſubleuandos, contrarios iam haberent; quippe in Clericis ſibi ipſis promiſſoros? Reſtituendos ſpoliatos ſuis Cœnobijs, quo iure, quáve iniuria; non quia mereantur; ſed ne Ciſtercienſium damno ſuſtentarentur. Nequaquam incorruptos cenſeri Iudices, qui lucrum captent ex alterius partis litigantis condemnatione. Tum æquas omni ex parte iudicij lances, pulſatas à domeſticis, turbatas ab amicis, facilè in eam partem declinaturas. Dentur Iudices alij non ſuſpecti, quos neque fauor in iuſtitia dubia præcipitet, neque à clara retardet: & vt damnandos ſe admittant à quibuſcunque, liceat ſententiam imputare meritis cauſæ.

6. Hæc & ſimilia, dum verbis ad Pontificem, ad miniſtros muneribus (quæ notior illis lingua) ſæpè inculcant, vt non potuerint qui inuerterent iudicium, Iudices tamen impetrarunt, qui retardarent. Prioribus duo alij additi ſunt, ſine quibus nihil foret peragendum. Hinc factum eſt, vt duo Venerabiles Abbates penè deſiſterent, quaſi quibus congregare omnes, ferè impoſſibile; aliter iudicare prohibitum eſſet. *Igitur* (ait idem qui ſuprà Author [d]) *delegati à Domino Papa Iudices, quantum licuit proceſſerunt; ſed ad notam ſacri Apoſtolatus mandatum, duobus ſibi Coniudicibus adiunctis, vt nequaquam niſi ſub ſeptenario numero negotium tractaretur, maluerunt humiliter ſubſiſtere, quam inutiliter laborare.* Hic ſtatus cauſæ penè deſperatæ, ſi non zelus iuſtitiæ ſanctorum hominum apertæ fraudi conſtantiam oppoſuiſſet.

d epiſt. 151.

7. Conuenerintne omnes ſeptem Iudices, an cauſæ tandem deciſio poſt varios caſus in duos tantùm Abbates relata fuerit, in dubio eſt. Certum eorum ſententia decretum fuiſſe, vt cauſa principali, quia grauiſſima, Summi Pontificis iudicio reſeruata, interim ex diffuſo per orbem Ordine, Clericis Fratribus viginti Cœnobia cederent; reliqua laici haberent, vt habebant; in quibus ſeparati locis, vt animis, vtrique & litigarent ſine iurgio, & cum humilitate, & obedientia apoſtolica mandata præſtolarentur. Extat epiſtola Stephani Tornacenſis ad vtrunque Abbatem, poſt hanc ſententiam latam, cùm adhuc ab ea Conuerſi recalcitrarent, (ea erat illorum contumacia) cuius hæc verba [e]:

e epiſt.

8. *Ciſtercienſi, & Claraualleſi Abbatibus, in ſpiritu conſilij animari, in ſpiritu fortitudinis armari.*

De infirmo peragitur exitu, qua bono à vobis incœpta ſunt initio. Vigilet, obſecro, prudentia veſtra, vt ſententiam, quam cum ſumma deliberatione tuliſtis, aſtuta barbaries, non inſidiando circumuolet, non latendo ſubripiat, non inficiando corrumpat. Prudentiores ſunt in generatione ſua filiis lucis, & in errore ſuo facilè habituri ſunt conſiliarios, & fautores, vel eos, qui corrumpuntur pecunia, vel qui adulationibus molliuntur. Nec dum executioni mandata eſt ſententia, nec dum tranſiuit in rem iudicatam; & dilationibus improbis dilatores ſuperbiant, deludantur Iudices, mendicent Clerici, Chriſti pauperes exulent; & adhuc in Domibus, quas eis aſſignaſtis, vulpes foueas habent, & volucres Cœli nidos. Ferueat in vobis iudiciarius Ordinis vigor, nec minas Principum timens, nec ſimulatas hypocriſis latebras admittens, nec prolixis, & politis ſub ſpecie Religionis faucibus deferens, vt & Iudex omnium remuneret conſcientiam veſtram, & fauor hominum commendet famam. Hæc Stephanus ad vtrunque ſanctum Abbatem.

Itaque his, & ſimilibus animati, armatíque conſilio, & fortitudine, vt Stephanus optabat, ſententiam tandem effectui mancipauerunt. Porrò Grandimontenſes Sacerdotes, & alij Clerici, ſuis iam tandem Cœnobiis reſtituti, litteras primùm de accepto hoſpitio gratulatorias, quas iam retulimus, ſed mox deprecatorias orationum, quamdiu cauſa pendebat apud Pontificem, ad Abbatem Ciſtercij proſequuntur totidem verbis [f]: *Sed quoniam negotium noſtrum, tanquàm inſtaret appenſum, mouetur adhuc, & fluctuat, & Summi Pontificis examen expectat, nos in ſola Dei miſericordia ſperantes, ſanctæ Paternitatis veſtræ genibus aduoluti ſupplicamus, rogamus, & obſecramus in Domino, vt quod in nobis cœpiſtis fideliter, & benignè, feliciter, ac beneficè compleatis. Orationibus veſtris, & conſiliis commendamus cauſam noſtram, timentes, ex his, quæ proceſſerunt, indignationem, & iram; immiſſiones per Angelos malos, Conuerſorum noſtrorum æſtuationem, potentiam, ſuperbiam, factiones, ſumptus, ambitum, & alia, quæ terrori pauperibus, & diuitibus ſunt erroris. Valete in Domino, Sanctiſſimi, ac Beatiſſimi Patres.* 9.

f epiſt. 156.

Hactenus Ciſtercienſes in hac Cauſa inuicem diuidentes Cœnobia viris, ſiue vt inter ſe mutuò ſeparati ceſſarent iurgiis, ſiue, quod malim, vt ab ipſa ſeparatione experimentum caperent, quàm non vtrique ſine aliis viuere poſſent. Nec fefellit induſtria Viros Dei, mutuam vtriſque indigentiam cognoſcentibus; & neque Martham indemnem ſine Maria, nec Mariam ſine Martha tranquillam fore. Vnde, Rege Francorum interueniente, non multò pòſt conuentum inter vtroſque. At conuentionem ipſam, pactáque, quia nec ſine Ciſtercio facta ſunt, in proprium locum dicenda reſeruamus. 10.

Hoc item anno in Hybernia, Fernenſi Sede vacante, per mortem Ioſephi de Ohethe, qui Epiſcopatum per triginta fermè annos adminiſtrauerat, cùm Ioannes Moretaniæ Comes, poſteà Rex Angliæ, Getardo Cambrenſi eundem obtuliſſet, & *Epiſcopatum Leglinenſem*, ait Vvareus [g], *tunc fortè etiam vacantem, huic Sedi ſe adiecturum promiſiſſet: eo recuſante, in Epiſcopum electus eſt Albinus, o Mulloy, Monachus primùm, deinde Abbas Baltinglaſſenſis* (vulgò, *de Baltinglas*, Ordinis Ciſtercienſis) *vt ex Vita M.S. eiuſdem Giraldi Cambrenſis, in Bibliotheca viri clariſſimi Roberti Cottoni, Equitis aurati, conſtat.* Hæc Vvareus. Qui etiam memorat Albini contentionem cum eodem Giraldo, in Synodo Dublinij coacta ad medium Quadrageſimæ, eò anno, quo Epiſcopatum alter recuſauit, alter accepit: non tamen indicat, de quo contentio fuerit. 11.

g sub tit. Epiſcop. Fernen.

1. Stephani Vpſalenſis Præſulis mors, 2. & Ioannis ſubrogatio. 3. Tum Petri Atrebatenſis ex Pontigniaco, 4. pro eo, qui ex Ciſtercio aſſumptus fuerat. 5. Itémque alius Petrus Morimundi. 6. Roberti in Cabilonenſem, 7. & Martini in Seguntinam Sedem electio, 8. ſubrogato Semeno. 9. Deza oppidum in veteri Caſtella olim vaſtatum: 10. ſed inſtauratum per fratrem eiuſdem Sancti, 11. & cum eo diuiſum; firmata abs Rege ipſa partitione. 12. Vlrici caſio, & obitus atque in Villario Gerardi ſubſtitutio.

CAPVT III.

1. HOc item anno egregios duos Præſules, ex Ciſtercio aſſumptos, obiiſſe lego; vtrumque Virum eximiæ ſanctitatis, doctrinæque, Stephanum, & Petrum; alterum Vpſalenſem Archiepiſcopum, ſiue verius Apoſtolum, cùm annos tres, & viginti primus omnium tenuiſſet eandem Sedem; alterum Petrum, quem ex Abbate Ciſtercij, & Patre totius Ordinis, diximus ad Atrebatenſem Eccleſiam tranſlatum ante triennium. Porrò vtrumque ſortitum ſucceſſorem ex eadem Familia, adeò vt qui ſemel Ciſtercium apprehendiſſent, dimittere aut nollent, aut ignorarent. De Stephano multa in ſuperioribus, quæ non vacat repetere. Tranſcribam tamen Ioannis Magni verba [a], quæ Vbionius adducit, prodentia mortem, & locum ſepulturæ [b]: *Stephanus*, ait, *Monachus Albaſtrenſis in Suecia, Archiepiſcopus primus Vpſalenſis creatus anno Domini M. C. L X I I. præfuit annis viginti tribus. Obiit anno M. C. L X X X V. bonis operibus plenus, & in Monaſterio ſuo ſepultus eſt.* Ergo hoc anno extremum diem clauſit Vir planè magnus, qui Vpſalam Metropolim Sueciæ ab idolorum fæce vindicatam, primus Chriſto, & Eccleſiæ ſtabiliuit, meritò inter illuſtres Ciſtercij Patres, imò & totius Eccleſiæ commemorandus. In Menologio recenſetur eius memoria, die tertia Martij, quanuis non conſtet, ipſam conſecratam illius obitu.

[a] *lib. 2. Pont. Vpſal.*
[b] *lib. 2. Hiſt. cap. 43.*

2. Doluit Canutus Rex Stephani mortem, quem Patrem, quem Magiſtrum, quem Conſiliarium, charum, ſapientem, fidum, longo, & vario vſu rerum expertus eſſet, & quem nec potuiſſet retinere, nec reuocare; voluit, quod potuit, in ſucceſſione exprimere: & Ioannem ſubrogandum ſollicitauit, ex eadem Familia, nec doctrina inferiorem, aut pietate: certè in hoc ſaltem Stephano maiorem, quòd palma illum martyrij præſtolabatur. De eius ſucceſſione, & qua apud Regem polluit, authoritate, hæc Frater Ioannes Olaus in ſua Hiſtoria [c]: *Huius Canuti Regis tempore tres ſucceſſiuè Archiepiſcopi in Metropoli Vpſalenſi præfuerunt, Stephanus, Ioannes, & Petrus, quorum optimis monitis piè, ac perſeueranter obediuit.* Plura eius geſta (heu!) nobis ignota. Martyrium, de quo aliquid ſcriptum, anno M. C. LXXXVIII. quo euenſſe legitur, reddemus. Hæc de Stephano, & eius ſucceſſore.

[c] *lib. 9. c. 37.*

3. De Petri obitu minùs clarè conſtat, quippe cuius vitam, Pontificatúmque Authores producunt vſque ad annum M.CC.III. quo Petrus alter ſucceſſor eius obiit. Cæterùm Petrum, qui ex Abbate Ciſtercij aſſumptus ante biennium, hoc ipſo anno ceſſiſſe, aut deceſſiſſe, quæ incidit in eum, ſucceſſoris electio manifeſtat. Porrò ea à Roberto Montis hoc anno ſcripta, Authore tunc viuente, & aliàs digno fide, paucis his verbis: *Petrus, ſextus Abbas Pontigniaci, eligitur Epiſcopus Atrebatenſis.* Norunt autem, qui modum ſcribendi Roberti norunt, ſicut & Sigeberti, quem continuauit, vnius anni errorem forſan facilè; plurium difficilè irrepere potuiſſe. Sanè Petrum Abbatem Pontigniacenſem; qui Guarmundo ſucceſſit, inde in Pontificem Atrebatenſium aſſumptum, ex eius ſepulcri inſcriptione ſuperiùs vidimus, cui teſtes alij maiores omni exceptione, Martyrologium, & Catalogus Abbatum Pontigniacenſium adſtipulantur. Nam in Catalogo ita ſcriptum video: *Petrus, quintus Abbas huius Monaſterij, poſteà Atrebatenſis Epiſcopus.* Quare abſque dubio dicendum nobis eſt, Petrum Petro ſuffectum Atrebati, idque circa hunc annum, vt tradit Robertus; & ex primo eius in Cameracenſem Vrbem ingreſſu, anno ſequenti rurſùs confirmabimus; qui tamen duo, vt notauimus ſuperiùs, ex ipſamet immediata ſucceſſione, ac nominis, & profeſſionis identitate ab Authoribus facilè confundi, & pro eodem potuerint vſurpari.

4. Priorem non deceſſiſſe, ſed ceſſiſſe adnotauit Henriquez in Menologio, atque inter fratres ſuos tandem obiiſſe, non ſine ingenti opinione ſanctitatis: verùm quod ad ceſſionem attinet, vacillat fides. Quippe nullo pro ea Authore adducto. Sed neque in Martyrologio Ciſtercienſi memoria obitus. Quæ tamen vix, aut ne vix quidem deceſſet, ſi in Ciſtercio priuatus deceſſiſſet; vtcunque fuerit, ſuffectus illi Petrus, cùm Pontigniaci triennium præſediſſet. Porrò, quæ eius in Sede Atrebatenſi per annos XVIII. quibus præfuit, memoria extat, ſuis locis à nobis tradenda erit. Certè quæ vulgò tribuuntur anteceſſori, ferè cuncta ipſius; nam ab hoc anno, & deinceps commemorantur. Pontigniaci ſucceſſit Abbas Ioannes, quibuſdam ſextus, aliis verò ſeptimus [d]; ſicut Petrus his quintus, illis ſextus, occaſione Guidonis, quem nonnulli ſecundum adſtruunt, cùm Pontigniaci nulla eius memoria ſubſit, & Petrus, tam in Martyrologio, quàm in ſepulcro quintus, non ſextus Abbas deſignatur. Ioannis, præter nomen nulla memoria, ſicut nec Mainardi, qui ei dicitur ibidem ſucceſſiſſe.

[d] *Claud. Robert.*

5. Sub idem tempus, aut certè paulò antè, (quia ſemel de Petris cœpimus, quos notabamus ſuprà, illuſtraſſe Ciſtercium circa hos annos,) qui dudum renunciauerat Petrus in Morimundo, poſt deceſſum Henrici, & Bartholomæi, quos ſucceſſores habuit, denuò ad regimen rerum vocatus eſt, communi totius Conuentus acclamatione. Hic ille Petrus, quem ſuprà, ſiue mortuum, aut mortuo ſimilem multa diximus paſſum à Dæmonibus, queis ſe iuuenis adhuc ſpopondiſſet. Indéque ad ſe reuerſum, conuerſúmque, Monachum Morimundi profeſſum eſſe. De eo Claudius Robertus hæc ſcribit ex Catalogo Abbatum Morimundenſium [e]: *Petrus, qui anteà ceſſerat, iterum eligitur, & inuitus regimen ſuſcepit, quod ſummâ cum laude exercuit annis XIV.* Cæterùm, quod idem Author ſtatim ſubdit, hunc eſſe illum notatum ab Vſpergenſi Abbate, dum ait: *Abbatem Morimundi, virum religioſum, quinquies Roma Capuam profectum à Feſto Sancti Michaelis ad Quadrageſimam, vt pacem*

[e] *in Gallia Chriſt.*

cem inter Innocentium III. & Othonem componeret. Cùm stare non posſit: quippe Petro nequaquam assequuto intestina dissidia, quæ inter Innocentium, & Othonem intercesserunt, ad Guidonem, qui, Betolo adhuc mediante, illi succesſit, necessariò censeo referendum.

6. Duos alios ad insulas assumptos hoc anno lego, Robertum, & Martinum; in Gallia illum, hunc in Hispania: & illum quidem Cabilonensis Sedes accepit, incertum, ex qua Domo. Hunc ex Hortensi Abbate, Seguntina. Priotis electionem notauit Index Episcoporum Cabilonensium [f]. *Robertus, inquit, huius nominis secundus, Episcopus Cabilonensis LXIII. electus anno salutis M.C.LXXXI.* Monachatus constabit post biennium, cùm eum in Capitulo Cistercij ad Innocentium cum aliis dediſſe litteras, super incorporatione militiæ Calatrauæ tradiderimus. Præfuisse vt minimum vltra duodennium inde constabit, & credendum produxisse vlteriùs Pontificatum. Quippe qui ei succesſisse dicitur Durandus, seu Duranus, floruit sub Honorio III. à quo illi scripta Decretalis epistola, quæ habetur in capite, *Heduensis Episcopus*, de Constitutionibus. Roberti nostri memoria conseruatur in Charta fundationis Anniuersarij Oddonis Burgundiæ Ducis, anno M. C. LXXXVII. Cum quo, & transegisse reperitur anno M.CC.IX. Et ante septennium pro Hospitali Bellæcrucis an. M. CC.II. Quæ quia leuiora, neque alibi notanda, hîc, ex Claudio Roberto, placuit colligere. Venio ad Martinum.

[f] *apud Ioan. Othon.*

7. Sub quo cùm Hortensis Ecclesia multùm floreret, vacasse legitur Saguntina Sedes, in cuius Diœcesi Monasterium situm est: & ecce suffragantibus cunctis, quibus interierat, ac Rege Alfonso in primis procurante, Martinus ab oculis filiorum inuitus rapitur, in Seguntinum Episcopum electus, atque eidem Ecclesiæ præfuturus. Rationem temporis simul, & electionis expressit Richardus versibus Leoninis, & insulsis pro more sæculi: sed qui rei veritatem omninò pandant:

Qui multis annis Abbatis honore potitus
Ordinis in primus humilis semper inuenitur.
Annis bis denis Horta, denisque diebus,
Mensibus atque tribus vno simul annumeratis,
Curis fraternis seruiuit vas bonitatis.
Sic vir perfectus, & in Ordinis arte probatus
Mox fuit electus ad honorem Pontificatus,
Qui Seguntinus Præsul fuit ipse fidelis, &c.

Ergo, qui anno Christi M.C.LXV. post mortem Blasij in Abbatem Hortensem electus fuerat, cùm viginti annis, & paucis adhuc mensibus rexisset Cœnobium, cuius vtraque bona fideli cura, ac felici profectu administrasset, cùm multò plura largitione Principum certantium de Martino benè mereri, & fortè non pauciora ex propriis bonis Monasterio acquisiisset, quàm inuenerat, cùm Dormitorium, Refectoriumque (insignia ædificia) pene perfecta, templum abs Rege inchoatum ante quinquennium, sub eius cura crescens, & breui perficiendum non dubitaret, cùm multos Hortæ Monachos relinqueret dignos sibi succedere, imò, vt ipse putabat, longè digniores, factæ de se electioni tandem consensit, dolentibus Monachis, sed cæterorum ingenti gratulatione.

8. Martino in Seguntinam Sedem promoto succesſit Exeminus, siue Semenus, vir religiosus æquè, prudénsque, & qui si non Martino succesſisset, dignus Hortensi Sede iudicaretur. Multa sub ipso incrementa Monasterij, quæ in tempore dicam. Nisi quòd tamen, vt id obiter notem, intra septennium nulla, hoc est, intra id tempus, quo Martinus probatur absuisse Seguntiæ præsidens: vt non immeritò ipsi attribuantur: quo discedente cessare visa sunt; in cuius reditu redisse comperiuntur. Nam redisse, abdicato Episcopatu, & multos adhuc annos vixisse Hortæ, priuatam inter suos vitam agentem, in tempore ostenda m. Charus nihilominùs Exeminus fuit Alfonsis Regibus Castellæ, & Aragonum tunc concurrentibus; à quibus etiam multa, & magna obtinuit, quæ suis à nobis locis dicenda erunt. Sed priusquàm ad alia transeamus, quæ Hortense Monasterium hoc ipso anno ex Martino susceperit, antequàm ad Seguntinam Sedem assumeretur, non contemnendum monumentum antiquitatis, hîc etiam censui fore subiiciendum.

9. Erat, & visitur hodie, manétque in veteri Castella, qua parte Aragonensibus confinis, haud ignobile oppidum, Deza locó nomen, genitricis Martini dominium proprium; quod ante annos septendecim, aut vltra (incertum, qua occasione) à Numantinis vicinis vastatum fuerat. Hoc instauratum Munionis Sanctij industria, sumptibúsque, (hic frater maior natu Martino fuit,) & denuò abs Rege obtentum creuerat in ditionem non contemnendam, quippe quæ longè, latéque diffusa Dezam, Ciguelam, Albalatémque, & alia oppida minora continebat. Potuisset Munio instauratam suis expensis, atque abs Rege donatam tenere: sed Martini instantia, precésque, seu forsan propria pietas compulit inter fratres diuidendam. Quatuor hi, duo viri, & duæ fœminæ: illi Munio, & Martinus; hæ Tarasia, Euáque: sed Eua, quia vltra sortem dotata fuisset, vtrò se abdicante, pro Tarasia filij succesſêre. Igitur in tres partes diuisam terram Martinus, Munio, & Tarasiæ hæredes sortiti sunt instrumento confecto, quod hodie extat, non secùs ac dominium ipsum diuisum, cuius pars Monasterio integra manet, ingens hæreditas, & quæ vel sola mediocri fundationi posset sufficere. Reliquæ duæ Metimnæ Cœli Ducibus (Hispaniæ, & Galliæ Regum claræ progeniei) accesſisse noscuntur, qui latum in ea Prouincia dominium tenent. Atque hæc omnia ex instrumentis constant, quæ hodie perseuerant, leguntúrque: sed præcipuè ex charta partitionis inter ipsos confecta, quæ ita habet [g]:

[g] *In Tabulario Horta.*

10. *Hæc est charta conuenientiæ, & partitionis de Deza, quæ facta est inter Dominum Martinum Abbatem de Horta, & Munionem Sanctij, fratrem eius, & nepotes eorum filios Domnæ Tarasiæ sororis ipsorum.*

Sciendum, quòd Deza, cùm esset in dominio de Domna Sancia, matre Domni Munionis, & Domni Martini Abbatis de Horta, fuit destructa à populo Soriano, & mansit despopulata XVII. annis, vel eo amplius. Denique autem dispensatione diuina, Dominus Munio Sancij multo labore, & sudore recuperauit Dezam ab Illustri Ildefonso, Rege Castellæ. Ex hinc propria voluntate Munio Sancij voluit Fratres suos ita esse participes de Deza, vt ipse erat; & vocauit eos in partitionem. Venerunt ergo ad partitionem Dominus Martinus Abbas de Horta, & filij Domnæ Tarasiæ, D. Gil Garzez & Petrus Garzez; Domna verò Eua, pro hoc, quod tenebat de patrimonio suo, venire noluit. Et hæc fuit diuisio, quam fecerunt: quod Domno Abbati Martino cecidit sors partis suæ de turre de Alualat en aiusso, &c. Pergit deinde terminos describere assignatæ Martino possessionis, & tandem concludit: *Et Munio Sancij, & D. Gil cum suis Fratribus* (filiis Tarasiæ) *exierunt ad totum alterum terminum de Deza, ita tamen, quòd herbæ, & ligna sint communia ipsis, & Domno Martino Abbati, tam in paribus*

illorum, quàm in parte Domini Abbatis, & de aqua habeant ipsi duas partes, & Dominus Abbas tertiam. Et infrà: *Tandem hæreditatem Monasterium ita liberam habeat, vt possit vendi, vel alienari, & pro vtilitate Monasterij in omnibus explicari. Et vt Ildefonsius Rex Castellæ, & Toleti, & eius generatio, vxórque eius Regina Aleonor habeant eam sub ea ditione, qua habent omnem aliam hæreditatem Hortensis Monasterij. Et hanc partem perpetualiter dedit Dominus Martinus Sanctæ Mariæ de Horta. Sic dedit omne patrimonium suum pro salute animæ suæ, & patris, & matris ipsius; & pro salute animæ fratris sui Munionis Sanctij, qui hanc hæreditatem recuperauit. Facta charta, Æra M.CC.XXIII.*

11. Hanc partitionem post decennium firmatam video Alfonsi Regis tabulis, ad instantiam Martini, cùm, abdicatis Seguntinæ Ecclesiæ infulis, priuatus iterum apud Hortam commoraretur, atque ecce exemplar confirmationis [b]:

[b] ex Tabulario vet.

Præsentibus, & futuris notum sit, ac manifestum, quod Ego Ildefonsius, Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, vnà cum vxore meâ Aleonor Regina, & cum filio nostro Ferdinando concedo, roboro pariter, & confirmo partitionem illam, quæ facta fuit inter Dominum Martinum, quondam Abbatem de Horta, postmodum Seguntinum Episcopum, & Munionem Sanctij fratrem, & eorum nepotes filios Dominæ Tarasiæ sororis ipsorum, super hæreditate de Deza, & aquis, & pascuis, & nemoribus, & omnibus aliis ad eam pertinentibus, sicut in ipsorum continentur chartis, ita quòd neque ab ipsis, neque ab ipsorum filiis, nec ab aliquo siorum successorum possit partitio illa immutari, nec irritari; sed rata, & stabiliter peremniter perseueret, &c. Facta charta apud Agredam, Æra M.CC.XXXIII.

Hoc item anno Venerabilis Vlricus Villarij Abbas, cùm eam domum strenuè administrasset, tandem Mariannæ tranquillitatis amator abrenunciauit Marthæ, & pedum pastoralem, inuitis licèt Monachis, deponens, Vallcellas rediit, reliquum vitæ ibidem peracturus. De eo Ioannes Vallcellensis Abbas in epistola ad Henricum Lotharingiæ Ducem, hæc habet [i]: *Habemus Monachum apud nos octuagesimum annum, & eò amplius agentem, quondam Villarij Abbatem, quotidie se pro Christo crucifigentem.* Henriquez virum Menologio suo inseruit Ianuarij die prima. Cedenti Vlrico sufficitur Gerardus: *In quo*, ait Chronicon Villariense [k], *præter cæteras virtutes, mira abstinentia vlucebat.* Grammatius item in sua Gallobrauantia [l]: *Gerardus homo mira abstinentia electus anno M.C. LXXXV.*

12.

[i] apud Henriquez in Menologio.

[k] apud eumdem in Fasciculo.

[l] ad hunc an.

---

1. *Iucunda Historia duorum Monachorum inuicem infestantium:* 2. *sed altero resipiscente, & condonante;* 3. *alter in falsam prorupit accusationem.* 4. *Accusati charitas, & oratio continua, feruénsque.* 5. *Virginis apparitio,* 6. *& consolatio;* 7. *comprobata accusantis pœnitentia,* 8. *& fragrantia cœlestis,* 9. *quæ & in lapidibus, quibus Virgo insedit, perseuerauit.* 10. *Animaduersum de antiquis purgationibus:* 11. *& narrata alia visio, quæ lacrymarum apud Deum efficaciam summè commendat.*

CAPVT IV.

1. SVB idem tempus (nam scribente Authore Exordij adhuc superstites, quibus accidisset, argumento est, quòd tacet eorum nomina) ingens miraculum à multis comprobatum. Conuentum quendam Cistercij lætificauit. Quod in exemplum virtutis Patientiæ ab eodem adductum, atque eleganti satis stylo depictum, neque aliis verbis expedit narrare, nec licet nobis silentio præterire [a]: *In Monasterio quodam Cistercienſis Ordinis*, ait, *contigit aliquando inter duos quosdam Fratres dissensionis, & odij semineria, causa simultatis cuiusdam, pullulare. Verumtamen vno eorum in malitia discordiæ perseuerante, alter per gratiam Dei citò resipiscens, quod malum in se pullulare recognouit, rastro compunctionis eradicare quantocyùs festinauit. Quamóque malenolus ille clancularijs, seu apertis infectationibus, irrisionibus, detractionibus Fratris animum ad amaritudinem perducere nitebatur; tantò ille in humilitate timoris Dei semetipsum submittens, liuoris, & impatientiæ stimulos, quos in corde ipsius Aduersarius exacuere tentabat, confitendo, flendo, & orando vigilanter retundebat. Verùm, quid non mortalia pectora cogis, liuoris, & inuidiæ execrabilis tabes? Quod enim patiens iste, & humilis frater conscientiæ suæ præstabat, dando locum iræ, percutientique se in vnam maxillam, secundùm euangelicum præceptum [b], præbendo alteram, hoc totum peruersus, & tumidus ille sinistra opinione interpretando superbiæ, contemptuique suo deputabat. Quamóque is offerens animos eius patientiæ suæ lenire tentabat; tantò ille malitiæ suæ furiis agitatus ad persequendum innocentem, misero liuore magis, ac magis accendebatur.*

[a] lib. 5. c. 15.

[b] Luc. 6.

Hinc factum est, vt versus in amaritudinem vitiò aliena, sancta profanare, ius præscribere, fas, nefásque confundere non vereretur, dummodo illius, quem sceleſtissimo persequebatur odio, tranquillitatem turbare, gratiam obnubilare, famámque fuscare potuisset. Cernens nanque inuictum robur mentis collectatoris sui, de cunctis sequitia sua adinuentionibus sublimiter triumphare, fornique patientiæ pede malitiæ suæ collum calcare, acriori sciens inuidia Abbatem suum lupus sæuissimus, quem mentitus adiit, innocentem illum, conficto mendacio, de detestando quodam crimine accusatorum, vt quem decus innocentiæ glorioſum reddebat; pessimi mendacij fermento corrupta fama, si fieri posset, humiliaret. Vbi ver Frater falsò accusatus in causam vocatus est, sciens scriptum esse, quia crudelis est, qui famam negligit, se huius criminis sibi conscium non esse ingenuè protestatus est, séque ad comprobandam innocentiam suam examen quodcunque placuisset, spontanea voluntate subituum. Quia tamen sensum cordis humani non solùm ad faciendum, sed etiam ad suspicandum de altero malum ab adolescentia pronum nouerat, verbum semel emissum, occasionem scandali de se infirmè dedisse grauiter doluit.

Ee

Et qui fecùrè dicere poterat cum Apostolo [c]: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. *malitiam diei vanis suspicionibus se exagitare patienter ferre nequibat. Cæterùm cautus sequi consilium Apostoli dicentis* [d]: Noli vinci à malo; sed vince in bono malum. *timens etiam, ne fortè continuus dolor impatientiæ stimulis nutritus, in odium aduersarij verteretur, totam vim grassantis in se doloris ad negotium iranstulit pietatis; assiduis orationibus, ingibúsque fletibus, tam pro se, quàm pro æmulo suo Domini misericordiam, Beatissimaque Dei Genitricis pietatem exorans, quatenus diuina gratia, & sè in charitate firmaret, & in æmulo suo magnitudinem malitiæ suæ comprimeret.*

[c] 2. Cor. 1.

[d] Rom. 12.

3. *Neque frustrà laborauit in gemitu suo, neque pupilla oculorum eius etiosè pietatis aquis fluebant; sed, qui consolatur humiles, tribulatorum susceptor Dominus exaudiuit vocem eius, impletúmque est in eo, quod sapientissimus Salomon ait* [e]: Cùm placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos eius conuertet ad pacem. *Cùm enim sacrificium cordis contriti, & spiritus humiliati, in simplicitate deuotionis suæ Domino aliquandiu obtulisset; nec tamen dolor, qui tam ob infamiæ notam, quam innocens incurrerat, quàm etiam pro perditione fratris, qui mendacij, & edÿ veneno infectus peribat, præcordia eius depascebatur cessaret; contigit, vt taliter affectus, quadam nocte, stans in Choro in ordine suo, vigiliarum solemniis interesset. Et ecce ad medelam calamitatis suæ, simul & fraterni periculi cœpit ebullire de intimis cordis eius medullis foris lacrymarum, verè* [f] *de fonte Domus Dauid patente in ablutionem peccatoris, & menstruatæ venarum suarum principia trahens. Quo scaturiente, fluebant ab oculis lacryma non super deducentem eas; sed super producentem eas: non vt confunderetur, & periret, qui fundenti eas confusionis, & perditionis foueam parauerat; sed vt resipiscens à laqueis Diaboli, à quo captiuus tenebatur ad ipsius voluntatem, æterna vita beatitudinem, & gloriam recuperaret.*

[e] Prou. 16.

[f] Zachar. 13.

4. *Inebriatus itaque syncerissimo vino charitatis, quod lætificat cor hominis, (cuius dignior portio, & eminentior laus est diligere inimicos, & orare pro persequentibus, & calumniantibus,) non se poterat in medio Fratrum continere, sed citò secretum petens, coram vno de Altaribus ad orationem prosternitur: quatenus bullientia ardentissimæ compunctionis aromata liberiùs euaporandi, cælósque sicut virgula fumi penetrandi opportunitatem caperet. Ibi omnium misericordiarum Domini, Beatissimæ quoque Dei Genitricis, & Virginis inexhausta pietatis viscera mente reuoluens, non tam verbis, quàm immensò rugitu cordis, largissimóque lacrymarum imbre, ipsam Matrem misericordiæ, quæ spes miserorum esse dignoscitur, vt suam, aduersariique sui causam susciperet dignaretur, suppliciter postulabat. Quoniam negotium, quantumcunque intricatum, pro quo summa pietatis Mater coram piissimo Iudice, Filio suo, allegationis officio fungi non recusaret, non nisi pietatis ordine terminari posse pia fiducia præsumebat. Nec fefellit simplicitatem fidei eius magnificus è vestigio subsequutus pietatis effectus. Ecce enim dum in multa contritione cordis sui frequentiùs iteraret:* Pie Domine, miserere. Pia Domina, Dei Genitrix Virgo Maria, succurre misero, omni prorsus auxilio, & consilio destituto. *Et adhuc pij murmuris verba corde, & ore volueret, adest illa specialis pauperum susceptrix, & peculiare miserorum refugium, Dei Genitrix Virgo Maria, verè Domina nostra, non qualemcunque, non mediocrem afferens consolationem desolato; sed planè talem, ac tantam, qualem, aut quantam Reginam Cæli, Dominam Mundi, Matrem misericordiæ, spem miserorum, ei, quem visitatione sua dignata est, decebat impendere.*

Iam Psalmi, quem tunc Chorus psallentium ad laudem Dei decantabat, vltimum versum Fratres psallebant, tunc respiciens Frater ille, oculis lacrymas stillantibus, vidit illam sublimem Dominam Angelorum, spem miserorum, quasi à dextro latere Altaris egredientem, ad se venire, vultu, & habitu, modo, quo Matrem misericordiæ decebat, reuerendam, immensi quoque luminis inbare coruscantem. Sequebatur verò eam iuuenis splendidissimus, cælesti & ipse gloria insigniter adornatus. Interim dum finito Psalmo, Fratres gloriam Sanctæ Trinitati dicerent, &, sicut moris est, ob reuerentiam summæ Maiestatis omnes pariter inclinarent, substitit Beata Virgo, sublissimúmque vertícem, cui non adæquabatur omnis creatura (excepta duntaxat illa, quæ de sacro virginali vtero ipsius, à verbo Dei, in vnitatem personæ assumpta est) illum, inquam, tam humilem, quàm excelsum vertícem reuerenter submisit. Et quousque Fratres Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. *perdicerent, tanquàm vera humilitatis Ancilla Dei, inclinata permansit. Post hoc erigens se, vultúmque ad Fratrem in angustia constitutum dirigens, mellifluis verbis consolata est eum, dicens: Homo Dei, cessent iam lacryma ab oculis tuis, & amaritudo doloris, quo cor tuum vehementer affligitur, recedat à te: quia est merces operi tuo; qui summa innocentiæ, altissimæq, charitatis Domini, ac Filÿ mei pro modulo tuo mutuatos affectus, aduersarij tui violentiam, non solùm æquanimiter toleraſti, verùm etiam salutis eius piam sollicitudinem gerens, in luctu, & lacrymis temetipsum pro eo in conspectu Domini humiliare non dubitaſti. Quapropter noueris, me ob syncerum fidei tuæ deuotionem, tam tibi gloriam, quam æmulo tuo veniam à Domino impetrasse.*

5.

Frater verò, qui ad tantam secretorum celsitudinem cælestium admissus fuerat, vt cunctis Ordinibus Angelorum Reuerendam Matrem Domini carneis oculis videret, nihil territus (neque enim turbari poterat, qui suauitatis, & securitatis Matrem videbat) fiducialiter dixit ad eam: Obsecro, Domina, qua es tu, quæ sic dignanter loqueris ad cor seruuli tui? vel quis est iuuenis iste, qui tecum est? Ego sum (ait) Maria Mater Dei: iuuenis verò iste est Ioannes Euangelista, cuius castis obsequiis benignissimus Filius meus in Cruce pro vestra pendens salute, me commisit. Et Frater ait: Si ergo tu es illa, per quam salus humano generi venit, quam reuerentur, & laudat vniuersitas creaturæ, cur, quæso, & tu tanquàm vna de cæteris ipsis etiam de Potestatibus angelicis, honorandum caput tuum inclinas? Piissima Domina respondit: Scire debes, quia quotiescunque Gloria sanctæ Trinitati *cum metu & reuerentia exhibetur in terris, toties omnes Virtutes Cælorum commouentur, & ad laudem sui Creatoris excitantur. His dictis, visio beata ab oculis videntis sublata est. Porrò tam mirifica nectarei odoris suauitas eadem hora apparitionis Beatæ Virginis, non solùm Fratris illius, qui mœrore, & anxietate tabescebat; verùm etiam cunctorum tunc in Choro deuotè psallentium, penetralia cordis adeò gratiosa inspiratione refecit, vt facilè daretur intelligi, non materialium aromatum fragrantiam illam, sed diuina planè fuisse virtutis. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius* [g]? *Verè inuestigabiles sunt viæ eius, & incomprehensibilia opera pietatis ipsius* [h].

6.

[g] Psalm. 105.

[h] ad Rom. 11.

Tunc ecce liuidus ille detractor, & accusator Fratris

7.

tris sui innocentis, qui, quantùm in se fuit, proximi vitam, pariter & honorem crudelis mendacij gladio extinxit, cùm inflè prorsus illa sententia terribili percellendus fuisset, qua Dominus dixit ad filios Israël: Si ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque adversùs vos incedam, & corripiam vos septem plagis propter scelera vestra [i]. *Et illud de Psalmo* [k]: *Dilexisti malitiam super benignitatem: propterea destruet te Deus in finem. cùm hoc (inquam) dignus fuisset audire; non tamen hoc audivit: sed interveniente potentia innocentiæ, fraterna quoque charitatis pro se piè gementis humillima intercessione, potiùs audivit evangelicum illum patremfamilias, prodigo filio viscera pietatis exhibentem, & dicentem* [l]: *Citò afferte stolam primam compunctionis: & induite illum, ne nudus incedat, & videant turpitudinem eius: & date annulum aureum confessionis in manu eius, vt totus aquis confessionis, quæ ducit in salutem, (quia in confessione omnia peccata lavantur,) signaculum innocentiæ recipiat: & date calceamenta fructuosæ pœnitentiæ in pedes eius, vt ambulans vias iustitiæ, de cætero non offendat ad lapides malitiæ pedes affectionum suarum. Quoniam verò vbi suavissimi odoris illius fragrantia, quæ de virgineo corpore intemeratæ, & immaculatæ Dei Genitricis erupit, inter cæteros, qui hac gratia digni habiti sunt, etiam liuore, & odio terrum peccatoris illius antrum terigit. Mox vehementer compunctus, & illo igne, quem Dominus Iesus misit in terram salubriter inflammatus, cœpit iam scelus suum veritatis lance trutinare, se reum, miseriumque, seque omnibus tormentis dignum reputare, Fratrisque sui, quem falsò crimine infamaverat, innocentiam consequenter beatificare. Denique redarguentes se conscientiæ stimulos ferre non valens, proposuit in animo suo se ab omnimoda Fratris infectatione cessaturum: continuata quoque facinoris fabula per Confessionem patefactâ, ad arbitrium Abbatis sui, se ei, quanta posset humilitate, satisfacturum.*

i Levit. 26.
k Psalm. 51.
l Lucæ 15.

8. *Manè autem facto, Fratribus non sine magna admiratione inter se quærentibus, quidnam tanti odoris suavitas, quam nocte psallentes senserant, portenderet; is, qui tanti mysterij conscius erat, Abbatem secretiùs adiit, quæ viderat, quæque audierat, simpliciter ei pavidus, ipsamque horam apparitionis Beatæ Dei Genitricis fuisse, qua psallentium naribus cælestis suavitatis fragrantia infusa est, asseverans. Abbate verò stupente, difficiliúsque fidem dictis adhibente (magnitudine quippe tam glorioſi miraculi, æstimationem personæ supergrediente) ecce in adstipulationem veritatis, malitiosus ille infamator innocentis fratris sui, pallens, ac tremens advenit, detestandi criminis sceleris, ac scenam livore invidiæ cogente, fictam potiùs à se, quàm veritate subnixam flens, & eiulans confitetur, seque multis modis, multoque tempore in persecutione Fratris illius exarsisse, cum magna cordis contritione deplorat. Porrò ille requisitus, vnde illi tam repentina compunctio, & peccati sui recognitio accidisset, respondit, se, licèt indignum, eadem gratia suavissimi odoris, qua & cæteros perfusum fuisse. Moxque vt dona cælestis vnctio cordis eius intima penetravit, in odium malitiæ, & amorem innocentiæ mirum in modum respiravisse. Abbas autem audita quibusdam spiritualibus senioribus refert, & super tantis mirabilibus divinæ pietatis, gratiæ Domino in commune referuntur.*

9. *At verò Frater ille, qui patientia sua inimicum hominem ad pacem converterat, & inimicum Diabolum sub pedibus suis contriverat, locum, in quo cælestia mysteria cognoverat, tota aviditate revisitans, cùm devotissimè adoraret illic, vbi sacras pedes Reginæ cælestis stetisse meminerat; ad confirmandam visionis veritatem, mellifluum suavitatis odorem, quem in ipsa visione senserat, lapides beatæ vestigia fragrantia sua representantes spirare latus deprehendit. Quod vbi Abbas, ipso celerius nuntiante comperit, assumptis secum quibusdam Religiosis Fratribus, designatum locum cum metu, & reverentia adiit, quodque verbis audierat, rebus comprobans, (suavitatem quippe mirifici odoris naribus hauriens,) communicato cum Fratribus suis consilio, eosdem lapides erui, atque in sacrario, loco competenti, in memoriam tanti miraculi reponi præcepit.* Hactenus Author Exordij Cisterciensis, eloquens semper; sed se ipso eloquentior in hoc miraculo: quare nihil addendum illius verbis, nihil omninò detrahendum fore putaui.

10. Verùm, quòd ait accusatum à Fratre Monachum, quo suam innocentiam comprobaret, subdidisse se examini, quodcunque placeret sponte subiturum, non de testium, instrumentorúmve, aut aliis similibus, quæ nulli vnquam licuit recusare; sed de vulgaribus illis purgationibus aquæ calidæ, & frigidæ, atque ferri candentis, cæterisque, quæ olim in vsu, & permanebant adhuc illis temporibus, intelligendum esse, Ignatius Fiterensis Abbas observat [m], probátque ex textu in capite, *Sententiam.* Ne Clerici, vel Monachi, in quo qui nuper à viuis decessisset Alexander III. Ecclesiasticis inhibet, *ne purgationibus aquæ ferventis, vel frigidæ, seu ferri candentis, ritum cuiuslibet benedictionis, siue consecrationis impendant.* Cæterùm purgationes ipsas non prohibet, sed prohibendas relinquit successoribus; quod Innocentius, Honoriúsque, vterque III. posteà præstitêre. Quare etiam Beata Hildegundis, sub Innocentio, cùm furti accusaretur, ferro candenti innocentiam suam ostendit: quod suo loco nos etiam referemus. Ego, vt oblatas has omnes purgationes à Monacho innocente facile credo; quippe fidente diuinæ bonitati, quæ nunquam condemnati innoxium passura foret: ita vt superstitiosas, non admissas à Religioso Abbate compertum habeo: qui miracula, quoties euenirent, reuereretur: verùm rarò petenda, & nunquam præsumenda non dubitaret.

m cum notis ad cap. 15. tom. 5.

11. Crediderim, & hoc idem tempus concernere ob eandem rationem Monachum illum, de quo dixerat libro præcedenti Author Exordij [n]: *Frater quidam in Monasterio Claravallis, dum pro peccatis suis, quibus Deum nimis offenderat, pauidus, & anxius tota die contristatus ingrederetur, fletibus, & lamentis finem imponere recusabat: sciens, nimirum, Confessionem oris, absque contritione cordis, ad promerendam veniam minus sufficientem coram Deo iudicari. Cúmque volumen timoris Domini, in quo scripta sum lamentationes, & væ, salubri amaritudine ventrem conscientiæ eius aliquando amaricasset; diuina tamen aspirante gratia membrana claritatis Dei, in qua scriptum est carmen, facta est in deuotione cordis eius super mel dulcis. Capit namque primitias quasdam laborum suorum prægustare, & experimento discere: quoniam sacrificium spiritus contriti, & cordis humiliati Deus non despicit. Nam, cùm in tanta amaritudine, quam prædiximus, continuè conuersaretur, nocte quadam vidit in visione Dominum Iesum Christum, tanquam sacerdotalibus indutum ornamentis, & Missam celebrantem. Quotiens verò, iuxta ritum sacrificij,*

n lib. 4. c. 2.

ad

ad populum se conuertebant, tollens in manibus suis calicem de Altari; cunctis, qui aderant, videndum offerebat. Porrò in ipso calice nihil aliud erat, nisi tantummodò lacryma, quibus Beata Maria Magdalena pedes eius in domo Simonis flendo, & pœnitendo rigauerat. Cùmque prædictus Frater secus pedes Domini positus ista videret, percontans est eum, dicens: Obsecro, Domine, vt quid ostendis nobis calicem istum cum lacrymis, quæ in eo sunt? Vt videant, (inquit,) & sciant vniuersi, quantùm mihi placet contritio cordis, & pœnitentia luctus; qui ad exemplum pœnitentium seruani tandiu lacrymas huius peccatricis ad pedes meos flentis, & pœnitentis. Sunt & aliæ huius Viri visiones, reuelationésque: sed quæ facilè ibidem videri possunt.

---

1. *Alfonsi Lusitani Regis obitus*, 2. *sepulcrum*, 3. *apparitiones*, *Antiphona de ipso*, *collectáque*, 5. *& priuata acclamatio sanctitatis*: 6. *Globus igneus super eius effigiem visus ante quinquennium*. 7. *Chronologia*, *& Capella Suecia Domus*. 8. *Initia Caprivvnicensis Monasterij*: 9. *de Campo Sanctæ Mariæ in Vvestphalia*. 10. *Hoya Gallecia Domus*, 11. *cui duæ aliæ vnita*, 12. *hoc anno iura*, *& leges Cistercij subit*, 13. *& sub dubio Blanderense Cœnobium Virginum*, 14. *obitérque de illius Fundatore.*

CAPVT V.

1. CONCERNIT etiam Annales Cistercienses Alfonsi Lusitani Regis mors, qui multa priuilegia viuens indulserat, Monasteria condiderat non pauca, ac duas sacras militias nostris subiecerat, ingentis laudis Princeps, & qui non minori apud Deum gratia, quàm apud homines gloria floruisse, quandiu vixit, credendus foret. Obiit Conimbricæ, cùm tres, & septuaginta annos regnasset; vixisset XCI. in Monasterio Alcobatiæ sepeliendus, si noua illius Ecclesia, ante decem & septem annos cœpta, constructa esset. In Monasterio Sanctæ Crucis sepultus est, tali Epitaphio affixo eius sepulcro:

Alter Alexander iacet hîc, aut Iulius alter:
Belliger inuictus, splendidus orbis honor.
Pacis, & armorum cauto moderamine doctus:
Alternare vices tempora tuta dedit.
Quid pietas Christi, vel quantùm debeat isti
Ad fidei cultum Regna subacta docent.
Post Regni fastus, fidei moderamine pastus,
In miseros inopes accumulauit opes.
Quòd Crucis hîc tutor fuerit, necnon Cruce tutus,
Ipsius clypeo Crux clypeata docet.
Viuax fama licèt tibi tempora longa reseruet,
Digna suis meritis dicere nemo potest.

Hactenus Epitaphium ab antiquis, illustri Regi positum, humili tamen sepulcro pro more sæculi.

2. Ast eius, atque Sanctij filij ossibus, decentiùs collocatis post multos annos sub Emmanuele, Lusitaniæ Rege piissimo, prosa oratione, aliud subrogatum, quod Brandaonius adducit in hæc verba [a]. a lib. 11. c. 38.

Alfonso Henrico, primo Portugallia Regi, Regio sanguine, religione, & armis clarissimo, qui Imperatore Alfonso Castella Rege, pro patria, ac viginti potentissimis Maurorum Regibus, cum maximis copiis, parua manu, sed fide, animoque ingenti, diuersis præliis, pro Christiani nominis augmento, iusta acie superatis, Vlisyponem, Santarenam, Eberam, aliáque quatuordecim munitissima oppida, & vniuersam ferè Lusitaniam ab infidelium manu recuperans, Christi peculio adiecit. Hoc & Alcobatia, pluráque alia Cœnobia extruxit, dicauitque, nec Regno sólum, posterísque insignia, Christum, qui ei apparuit, Crucifixum referentia; sed cunctis etiam maximum exemplum reliquit. Cuius virtus suis contenta factis, cætera exequi non patitur. De fide, de patria, de regno, de suis benemerentis pientissimi heredes hoc sepulcrum posuêre. Obiit anno M. C. LXXXV. Regni sui LXXIII. & ætatis XCI. sexta die Decembris.

3. Fertur Alphonsus, multis viris Sanctis in Alcobatia post obitum apparuisse in magna gloria. Quin & Conimbricæ Regularibus Canonicis Matutinas Deo Laudes decantantibus, dum Ioannes primus Zeutam expugnaret, velut alter Iacobus visus est Lusitanis præsentibus assistere, atque infideles acriùs debellare. His, & similibus aliis diuulgatis, effectum est, vt licèt Alfonsus nondum publico cultui sit expositus, quippe nondum adscriptus ab Ecclesia Sanctorum numero; tamen priuatim veneratur à Lusitanis, maximè Alcobacensibus, per quos Antiphona, Collectáque ordinata, eius ad Deum impetrandæ intercessioni, quas ab Antonio Brandaonio, Regio Archichronologo, in sua Historia vulgatas, quia minùs ea frequens præcipuè exteris, vtpote scripta sermone Lusitano, non pigebit ad litteram transcribere [b]: b ibid.

4. *Inuictissime Rex Alfonse, Propugnator fuerunt nostri Regni, defensor sanctissime, qui mox à puero in fide Beatæ Virginis Matris Dei Dominæ nostræ susceptus, cuius oraculo, & patrocinio tibiarum sanitatem recepisti, ac tibi in maturam ætatem peruenisti fidei armis, spei galea præmunitus, & zelo charitatis accensus, cum viginti Maurorum Regibus, & Imperatore Miramolino collatis signis; sed parua manu dimicasti, ac Christum Dominum nostrum Cruci affixum, sicut intempesta vidisti, & vniuersam Lusitaniam fidei iugo subdidisti, & Regni nomen sublimasti: quæsumus pro nobis apud Deum tuis precibus intercede, vt nos mente puros, Regnum nostrum florentissimum esse velit, & ab omni calamitate munire.*

Vers. *Ora pro nobis famulis tuis, inuictissime Rex Alfonse.*

Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Deus omnium bonorum largitor melliflue, apud quem summa hominum, Regnorúmque potestas est; quique beatissimum, vt piè credimus, Alfonsum Regem ad Lusitaniæ sceptrum euexisti, & in hoc mundo agentem summis beneficiis decorasti: concede, quæsumus, eiusdem, & Sanctorum omnium meritis, nostrum hoc Regnum, Reges, ac Principes tranquillitate, & optata pace semper gaudere; nosque supplices tuos virtutum omnium incrementis, sic eiusdem Regis Alfonsi vita instituta sectari, vt gloria quoque participes fieri mereamur. Per Dominum nostrum, &c.

5. Hæc ex Antonio Brandaonio excerpta, priuatam Monachorum deuotionem in pium Principem haud

obscurè ostendunt, commendántque. Quin in Anniuersariis, quæ tamen vsque hodie pro eo fiunt, in eodem Alcobatiæ Cœnobio, obtinuit vsus, vt non pullati ad Altare conscendant Sacerdotes, & ministri; sed in vestibus lætis, festiuísque, quasi de ipso, non pro ipso celebraturi. Quam consuetudinem hodiéque vigere, idemmet Brandaonius testificatur. Seruatur item in eodem Monasterio, Ioannis huius nominis vigesimisecundi, aut vigesimitertij epistola ad Abbatem Alcobacensem inquisiturum de signis, & virtutibus Alfonsi Regis primi, vt comprobata, & oblata Summo Pontifici in numero Sanctorum scriberetur. Hanc se vidisse Reuerendus Pater Anthonius Gasconius, quo in eruendis Lusitaniæ rebus, diligentissimo planè indagatore vsi sumus, testificatur. Quanuis an vltrà processum in ea causa, nequaquam eatenus potuerit inuenire.

6. Constat ante hoc quinquennium plùs, minúsve noua fabrica Alcobatiæ consummata, in cuius summitate Sancti Regis imago ponenda erat: nocte sequenti illius collocationem, quæ incidit in sextam diem Nouembris, anno M.DC.XXXII. globum igneum in aëre apparuisse, qui cùm ab Occidente surrexisset, volatu rapido, & prolixa radians cauda, supra caput imaginis consedit, non breui spatio ibidem permansurus. Viderunt, & testificati sunt Oppidani, Alcobatiæ numero plures, atque eorum sacramento adstrictorum authenticam testificationem, inde statim transmissam apud me habeo, interposita Ordinarij authoritate, quominùs possit de euentu dubitari. Hæc nobis satis de morte Regis inuicti, adeóque de Cistercio benemeriti, vt piaculum prorsus iudicarem, si non ipsum loquerentur nostri Annales.

7. Quod ad fundationes Monasteriorum attinet, quinque hoc anno notantur in Chronologia, quæ ita habet:

Anno M.C.LXXXV. tertio Kalendas Iulij, fundata est Abbatia de Capella.

Eodem anno, III. Idus Septembris, Abbatia de Coprivvnicem.

Eodem anno, Kalendis Nouembris, Abbatia de Campo Sanctæ Mariæ.

Eodem anno Abbatia Sanctæ Trinitatis de Ligno, in Calabria.

Eodem anno Abbatia de Oya in Hispania.

Capellam inuenio in linea Claræuallis, filiam Altæripæ, in Regno Sueciæ: certè in litteris Innocentij Papæ quarti, datis Lugduni, XV. Kalendas Martij, Pontificatus ipsius anno quarto, de quibus infrà, Diœcesis Constantiensis commemoratur. Non tamen video inter Sueciæ Episcopatus aliquem, qui vel leuiter conueniat cum Constantiensi. Quare existimo corrigendas tabulas, neque in Suecia natum, sed in Heluetia.

8. Notius Captivvnicense Monasterium, de quo hæc in Poloniæ historia collecta ex Bibliotheca Ioannis Pistorij[a]: *Anno Christi octuagesimoquinto supra millesimum centesimum Kazimirus, Dux Poloniæ, fundauit Monasterium Coprivvnicense, Cracouiensis Diœcesis, & in eo locauit Fratres Ordinis Cisterciensis ex Morimundo sumptos, cui oppidum Coprivvnicense, pro dote contulit, & libertates plures concessit. Ecclesiam quoque de quadro lapide in honorem Beatissimi Floriani Martyris, & Patroni, tanquàm noui hospitis, fabricauit. Post Ducem Cazimirum, Comes Nicolaus Boyarius plures villas dicto Cœnobio contulit, cæteríque nobiles de armis Bogaria, & Habdanck reliquas sortes, & prædia deuotè contulerunt.* Eadem habet Cromerus, aliíque. Qualiter autem ante annos centum, Coprivvnicensis Conuentus semel, & iterum, à Tartaris Martyrio coronatus, pro fide Christi gloriosè dimicauerit, suis à nobis locis dicendum erit.

[a] *lib. 6. circa finem.*

De Campo Sanctæ Mariæ, ita Miræus[b]: *Anno M.C.LXXXV. fundatus est Campus Beatæ Mariæ in Vvestphalia, vulgò Maria Velde.* In Tabulis Ecclesiarum Morimundensium Hersubituen filia nominatur, post Egenam in Hasia, totidem verbis: *Campus Sanctæ Mariæ in Vvestphalia Monasteriensis.* Hinc videat Lector diuersum Monasterium à Campo Sanctæ Mariæ Diœcesis Colonien sis, de quo multa Cæsarius in suis Dialogis, & nos ex ipso superiùs quædam tradidimus. Campum Sanctæ Mariæ Monasterien sem Albertus Krantzius memorat, simúlque Fundatorem illius pandit Hermanum Episcopum, insignem pietate virum, hæc scribens verba[c]: *Hic* (id est, Hermanus, Episcopus Monasteriensis 25. siue Mimigardevordensis, vt ipse vocat) *intra Ciuitatem suam instituit duas Ecclesias Collegiatas, augens rem diuinam Sanctorum Martini, & Ludgeri. Instituit etiam, & dotauit Monasterium Campi Sanctæ Mariæ, in quo & primum lapidem posuit, & magnam pecuniæ summam superimposuit.* Ita Albertus, de Ecclesia, & Fundatore. Sequitur Monasterium de Ligno, vulgò *de Ligni*, in Ducatu Calabriæ; Diœcesis Rossanensis, duobus milliaribus distans à Corillano. Cætera ignota, (quippe omissa in Genesibus Ecclesia, aut aliter vocata,) nisi quòd tamen à ligno Crucis Christi, quod in eo seruatur, sortitum nomen ab Italis accepi, quod verosimile. In aliquibus Exemplaribus Sanctæ Trinitatis de ligno, atque filia Ferrariæ esse notatur.

9.

[b] *in Chron. Cisters.*

[c] *lib. 2. Mirop. c. 17.*

Vltimo loco describendum venit Monasterium de Hoya, in Regno Galleciæ, ad Oceani littus procelloſum, æqua distantia inter Guardiam, & Bayonam, prospectans Mare. E regione desertas Insulas habet (vulgò, *las Islas de Bayona*) prædonum receptacula; sed, quas neque habitare totum sit, neque defendere expediens iudicetur. Cœnobium ipsum maris fluctus excipit, quibus pro muro obsistunt illius septa. Hæc bellicis tormentis coronata, & amicis tutamen, & inimicis incutiunt terrorem. Monasterium per antonomasiam vocatur à Geographis, qui suis tabulis Hispaniam descripsêre. Sed quod dum exteri eminùs conspiciunt, Cœnobiúmne, an arcem, iure dubitant. Inde aliquibus errandi occasio sumpta Templariorum olim fuisse sedem. Quippe anno M.C.XXXVII. quo Templarij vix orti saltem per illas remotas Galleciæ oras, iam Abbatem, & Monachos habebat[d], queis Imperator Alfonsus locum dederat.

10.

[d] *ex Archiuo eiusd. Monasterij.*

Idem adauxit dotem intra triennium, vnitis Hoyæ duobus Monasteriis, altero S. Mammetis de Laurezo, quod olim amplum; facta charta in Sancto Facundo, quintodecimo Kalendas Maij, Æra M.C.LXXVII. Altero Sanctorum Cosmæ, Damianíque, non longè ab Henrizana, id est, Bayona; facta charta apud Zamoram, quinto Idus Iulij, Æra M.C.LXXVIII. Et illud quidem nigrorum Monachorum, hoc Eremicolarum, vtrunque in Monasterium Hoyæ transiit cum ipso tandem Cistercium adquisturum. Extat donatio Episcopi, & Capituli Tudensis Ecclesiæ, in cuius diœcesi Hoya sita est, remittentium Abbati Petro, & Monachis, quicquid habebant de iure Pontificali in Ecclesia Sancti Mammetis de Laurezo: *Quam vos*, inquiunt, *modò capistis populare, & Monasterium facere*, &c. *Facta charta Æra M.C.LXXXIII. quartodecimo Kalendas May.* Ex qua videtur colligi, Laurezum priscum Cœnobium; sed iam desertum, cùm primum

11.

mùm Hoyæ vnirum Monachos accepisse, inde transmissos, per quos in pristinum statum reuocaretur.

12. Hæc initia, & progressus Hoyæ, vsque ad hunc annum, quo Monachi, nec constat, sub quo Abbate, quanuis Pelagium ex tempore coniector, æmulantes charismata meliora, iuxta Apostolum, ac Sancti Petri Abbatis Claræuallis fama allecti, admisêre Cistercium sub Claraualle, illius se subiicientes visitationi. Incoluerant domum Nigri Monachi annis XLVIII. sub quatuor Abbatibus, quantum colligi potest ex instrumentis, Petro, Pelagio, Gomezio, & Bartholomæo. Quintus in Ordine Pelagius alter fuit, cuius extat notitia ab Æra M.CC.XX. vsque ad M.CC.XXIV. intra quas præsens annus continetur, vnde & creditur Cistercium admisisse. Memoratur Monasterium in libris Cameræ, in Episcopatu Tudensi; nulla tamen in meo exemplari præfixa taxa. Illud etiam memoria dignum est, Bayonam Oppidum, portúmque maritimum ex nobilioribus totius Regni Galleciæ paruisse Abbati, à tempore vnionis Monasterij Sanctorum Cosmæ, & Damiani, cui non multò antè ab Imperatore donatum erat. Extat adhuc instrumentum donationis Pelagio Priori factæ Æra M.C.LXXV. Nunc iam oppidum ipsum, portúsque in regium ius transierunt, non sine aliqua Monasterio facta compensatione. Hæc pro nunc satis; reliqua infrà daturis, si quæ occurrerint.

13. His Monasteriis virorum, aliud Virginum addo, de quo tamen hæc tantùm apud Miræum [c]: *Anno M.C.LXXXV. Blanderense Monasterium Virginum apud Audomaropolim in Artesia, à Desiderio, Teruanensi Episcopo, excitatur.* Cæterùm, an hoc idem, quod Blandec, anno M.C.LVI. fundato à Desiderio Morinorum Episcopo, de quo ex Roberto Claudio superiùs diximus, aliorum iinquo iudicio discernendum. Ferreolus Locrius ad annum licèt differens, nedum anteuertens, idem omninò Cœnobium esse probat. Sic enim ait [f]: *Anno M.C.LXXXVI. Desiderius Episcopus Morinensis, Vuillelmo, Remorum Archistamine, Sancta Romana Ecclesia Cardinale, & Apostolica Sedis Legato annuente, Monasterium Sancta Columbæ in Blandec iuxta Audomaropolim exadificat: móxque aduocatis Cistercienfis Ordinis Virginibus incolendum tradit; quibus dotandis, ditandisque Dominus Balduinus de Fraye, Morinensis Ecclesiæ Canonicus, Personatum (vt vocant) contulit, quem in dicta Blandec possidebat.* Hactenus ille. Qui etiam addit, in eodem Cœnobio, *ab olim Beatæ Virginis Iconiculam, cui ab Lætitia cognomen, variis signis inclaruisse, & in hanc tempestatem perennasse.*

c in Chronic. Cist.

f In Chronic Religion. anno sequenti.

14. Ferrolo consonat in anno Ioannes Chenu, Bituricæ, in Episcopis Bolonienfibus, vbi & Desiderium Fundatorem, sanctitate conspicuum vsque ad miracula tradit totidem verbis: *Desiderius, Rogerij Iuniorís IV. Insulensium Castellani, filius, consecratur Episcopus anno M.C.LXIX. Abbatiam de Blandech Monialium Ordinis Cistercienfis prope Audomarum fundauit, anno M.C.LXXXVI. At senio confectus, cùm tanto oneri sufficere non posset, cessit Episcopatum anno M.C.XCI. & anno M.C.XCIV. sanctitate, rebúsque gestis, ac miraculis clarus obdormiuit in Domino.* Verùm de Desiderij sanctitate plura inferiùs. Vbi in Camberone sepultum ab Abbate Daniele, cui summè familiaris, prodidimus.

ANNVS CHRISTI M.C.LXXXVI. CISTERCII LXXXIX.

1. *Vrbanus pontifex Balduino pallium mittit, & Legationem Angliæ; 2. pro quibus ipse, epistola transmissa 3. humiles, & deuotas gratias egit. 4. Ecclesiam in honorem Beati Thomæ iubetur condere. 5. In Scotia recrudescunt lites super Archiepiscopatu Sancti-Andreano, 6. de quo Pontifex Vuillelmo Regi scribit; 7. Ioscelino, & duobus aliis Cistercienfibus causa commissa Sanctus Christianus Lismorensis Episcopus obiit.*

CAPVT I.

1. MVLTA hoc anno de nostris Cæsar Baronius, quæ non licet silentio præterire. Nobis præcipuè, quibus id semper præ oculis, ecclesiasticos Annales per plures annos sine Cistercio nequaquam posse scribi; sed & à nostris, si altiùs euoluantur, haud exiguam eos lucem accepturos. Igitur anno Christi Redemptoris milleſimo centesimo octuagesimo sexto, Cistercij verò nono, & octuagesimo, Vrbanus Papa, qui Lucio iam successerat, sui initia Pontificatus, pallio, atque Legatione totius Angliæ missis ad Balduinum Cantuariensem auspicatus est. Quæ cùm idem Balduinus suscepisset, Petri Blesensis erudito calamo vsus, tales ad eum constat dedisse litteras plenas obsequij: neque minùs de ipsius Vrbani Summo Pontificatu gratulatorias, quàm pro acceptis ab eo beneficiis, ipsa celeritate cumulatis, gratificantes. Earundem porrò exemplar litterarum, prout inter alias eiusdem Petri Blesensis circunferuntur, hoc est [a]:

a Baronius hoc anno.

2. *Sanctissimo Patri Vrbano, Dei gratia Summo Pontifici, Balduinus, Cantuariensis Ecclesiæ Minister, salutem, & debitum deuotionis obsequium.*

Domus Dei, quæ in lapide adiutorij super fundamentum Apostolorum & Prophetarum stabilita est, à Petro, & Successoribus eius, formam semper eruditionis, & statum incolumitatis accepit. Quod enim stipiti, rami; quod capiti, membra; quod radij, Soli; quod fonti, riuuli; hoc Apostolicæ Sedis eminentiæ debent Ecclesiæ, omnes, quas vbique terrarum Religio Christiana fundauit. Inde est, quòd beatæ recordationis Lucio III. Papa viam vniuersæ carnis ingresso (mortis enim tributarij omnes sumus, mortísque responsum habemus in nobis, & fœdus cum ea percussimus) erant, & lugebant filiæ apud nos sine sponso. Cúmque nunus exequiale defuncto, & pios affectus impenderem, electionis vestræ nuncius superuenit, qui nubilum publici mœroris auferens, corda omnium festiuiore lætitia serenauit. Communis enim fama est, quòd Dominus, qui iuxta verbum Amos [b], suscitat de filiis Prophetas; &

b Amos c. 3.

de iuuenibus Nazaræos, ipse in specula celsitudinis Apostolicæ talem hunc de filiis suis per gratiam suam collocare dignatus est, qui prodesse velit, & præesse sciat, qui prudentia, & moribus præeminens cathedram Sanctorum mentis implere sufficiat. In commune itaque desiderium cedit, verbóque celebri, & votiua gratiarum actione publicè recensetur, qualiter Dei sapientia suauiter vniuersa disponens, vos de gradu in gradum, de virtute in virtutem, de honore in honorem promouerit. Nec illud deesse permittit ad plenitudinem gaudiorum, quòd tanta fuit eligentium vos vnanimitas; nullúmque sustinuit rete Petri scissionis, aut ruptura dispendium; sed iuxta verbum Isaiæ [c], *quod Dominus exercituum decreuerat, quis poterit infirmare? nec uariat casualis euentus, quod consilij cœlestis altitudo disposuit.* c Isaiæ 14.

3. *Quia ergo ex hominibus assumpti estis à Domino in Pontificem; & pro hominibus constituti, in his, quæ sunt ad Deum; ipsi, qui vos elegit, cum multa gratiarum actione preces affectuosas offerimus, quatenus is, qui segregauit, & vocauit vos ad dandam scientiam salutis plebi eius, ipse in bonis dies vestros continuet, atque in faciem testamenti, vel Christi sui respiciat, Ecclesiam ab omni errore purgatam, sub vestra prouisione tranquillet. Ad hæc, non quantas volo, sed quantas valeo vobis gratiarum referens actiones, minorem me profiteor cunctis miserationibus vestris: nam meorum exigentiam meritorum multipliciter vestrorum beneficiorum magnitudine præuenistis. Non sufficio tanto gratiæ respondere ad meritum: ille pro me respondere dignetur, qui secundùm diuitias bonitatis suæ suorum insufficientiam supplet. Ego enim vir videns paupertatem meam præ munificentia, & magnificentia indulta mihi gratia vestra, me vobis totum debere profiteor, quicquid debere seruus Domino, Magistro discipulus, filius Patri potest. Precor igitur, vt imperfectum meum videant oculi vestri; & in ea plenitudine potestatis, quæ vobis cœlitùs data est, meam insufficientiam sustentare velitis. Iuuate me, Pater, orationibus vestris, vt quod possibilitas nostra non obtinet, in hac administratione, vestræ orationis, & eruditionis suffragio suppleatur. Vale.* Hactenus ad Vrbanum III. Balduinus, siue Petrus Blesensis ipsius nomine.

4. Portò Matthæus Paris Benedictinus, Monachus Albanensis, testis extitit hoc ipso anno crebrescentibus miraculis ad Beati Thomæ Martyris sepulcrum, atque ex miraculis, feruente deuotione, & Cantuariensem Ecclesiam, in qua iacebat, multo auro, argentóque, necnon & aliis donariis cumulante; Balduinum eundem Archiepiscopum ab eodem Vrbano Summo Pontifice, accepisse in mandatis nouæ alterius Ecclesiæ constructionem primo, & tunc vltimo Martyrum dicendæ, id est, Stephano, & Thomæ; alteri, vt cæterorum omnium Duci; alteri, vt complemento, siue coronidi; Gentilem hunc, & ferè cunctis notum coniungendum antiquo, exteróque, vt in vno, ignoratio venerationem; in alio loci, & temporis propinquitas, atque maior notitia, arctiorem charitatem conciliarent. Cæterùm fabrica, quantumuis sumptuosa, non potente exhaurire largitiones, & ne ministri, néve Christi pauperes fraudatos se dolerent suis portionibus: quando patriri ab Vrbano Papa iussas; & vna parte ædificio reseruata, secundam, tertiámque vtrisque relictas; quartam Archiepiscopo in pios vsus ab ipso distribuendam. Sed verba eius ex mote præstat describere, imò magis Vrbani, quæ ipse tradit [d]: *Eodem tempore Papa Vrbanus Balduino Archiepiscopo Cantuariensi scripsit in hac verba: Præsentium tibi authoritate* ad hūc an. d *mandamus, vt liceat tibi Ecclesiam in honorem Beatorum Martyrum Stephani, & Thomæ construere, & de idoneis eam ornare personis, quibus beneficia, quæ ad earum sustentationem constituerit, canonicè debeas assignare. Item, fraternitati tuæ mandamus, vt quarta parte oblationum, quæ ad Reliquias Beati Thomæ Martyris offeruntur, Monachorum vsibus concessa, quarta fabricis Ecclesiæ deputata, quarta pauperibus erogata, quartam portionem liceat tibi in alios vsus bonos, pro tua voluntatis arbitrio erogare.* Ista in Anglia.

At in Scotia recrudescentibus inter Ioannem Dunkeldensem, & Hugonem Sant-Andreanum, Pontifices, antiquis simultatibus, cùm Ioannes multa ab Hugone peteretur, multa abs Rege, quæ etiam ad familiares, & propinquos ipsius extendebantrù: vnde & ipsi appellassent nouum Pontificem, atque ad Curiam traxissent collitigantem. Iterum, causa delegata nostris Ioscelino, & Silnano, additis & duobus aliis Collegis (altero Cistercienſi) per quos quæcunque Vrbanus per se non posset, apostolica authoritate deciderentur. Extat epistola eiusdem Papæ Vrbani ad Vvillelmum Regem super hoc ipso, quam à Rogerio, Baronióque adductam, hîc transcribendam nequaquam dubitaui. 5.

6. *Vrbanus Episcopus, Seruus seruorum Dei, Vvillelmo Illustri Scotorum Regi salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Cùm ex iniuncto nobis à Deo administrationis officio, ad vniuersas Ecclesias proximas nobis, & longè positas, aciem nostra teneamur considerationis extendere; & si qua in eis, vel ministris earum irrationabiliter attentata nouerimus, ad factum congruum reuocare; non debent ex eo Secudi Principes commoueri, si quando ad correctionem eorum, quæ perperam facta fuerint, manus nostras duxerimus extendendas: cùm & ipsi secundùm sibi traditam potestatem auxilio nobis in his esse debeant, & cùm necesse fuerit, aliquorum pertinacia exigente, contumaciam nequitiæ fortiùs obuiare. Regia siquidem excellentia non ignorat, quàm grauis inter Venerabiles Fratres nostros, Ioannem Dunkeldensem, & Hugonem Sancti Andreæ Episcopos fuerit exorta dissensio. Et licèt magnos vtraque pars labores subierit & expensas, & tempore felicis memoriæ Lucij Papæ predecessoris nostri apud Sedem apostolicam diutius litigauerit; negotium tamen non potuit finem habere. Vnde, cùm iidem Episcopi nuper ad nostram præsentiam accessissent, & contendissent super hoc aliquandiu in auditorio nostro, de consilio Fratrum nostrorum prædicto Dunkeldensi Episcopo agendi licentiam super Episcopatum Sancti Andreæ tribuimus contra illum; & eidem Sancti Andreæ Episcopo ad propria reuertendi, ad nostram præsentiam sufficienter instructo, in constituto sibi termino rediturо. Ita quòd si tunc non venerint, Venerabilis Frater noster Ioscelinus, Glascuensis Episcopus, & dilecti Filij de Meilros, & de Newbotle, & de Dunfermelin Abbates, eum ex tunc ab officio episcopali suspendant: & si postmodum contumax fuerit, vinculo excommunicationis astringant; nec relaxent sententiam, donec nostro se conspectui representet. Nolumus enim, vt negotio ipso diutius in suspenso manente, præscripta Sancti Andreæ Ecclesia grane rerum suarum detrimentum incurrat; sed potiùs cognita veritate, per nos finem congruum, auxiliante Domino, sortiatur. 6.

7. *Præcipimus etiam præfatis Glascuensi, & Collegis suis, quòd dilectos filios nostros, Agiulfum Decanum de Lodoneio, & Odonem Senescallum, & Rogerium de Fedic, & alios Clericos, & amicos præfati Dunkeldensis Episcopi à qualibet molestia, nostra freti authorita-*

te

te defendant; & possessiones, vel alia bona eorum, seu redditus ipsius Episcopi non permittant à quoquam invadi. Si qui vero contra ipsorum prohibitionem super his venire præsumpserint, censura eos canonica, nulla appellatione obstante, compescat. Vt igitur, quæ mandamus, valeant sine difficultate qualibet adimpleri, monemus Regiam Excellentiam, & hortamur in Domino, atque in remissionem peccatorum iniungimus, quatenus pro amore Iustitiæ, & reverentia Beati Petri, & nostra in negotio illo iuxta mandati nostri tenorem procedi permittas, & prædictos Decanum, Senescallum, & Rogerium de Fedic, atque alios consanguineos, & amicos prædicti Dunkeldensis Episcopi, & Episcopatum, & alios redditus eius regia protectione defendas, & nec tu ipse in aliquo aggraues illos, nec sinas ab aliquo aggrauari: ita quòd causa ipsa valeat sine impedimento terminari, & regia magnificentia de Iustitia opere apud Deum præmium indeficiens, & nomen bonum apud homines consequatur. Noueritis autem, memoratis Episcopis in virtute obedientiæ nos iniunxisse, vt nec ab Ecclesiis, nec à Clericis sibi subditis accipiant aliquid expensarum intuitu, quas in prosequutione memorati negotij sunt facturi; sed de propriis solummodo redditibus sibi procurent necessaria prouidere. Nolumus enim, vt facto ipsorum Ecclesia, vel persona alia Regni tui debeant incurrere detrimentum. Regiam insuper Excellentiam volumus non latere, quòd supradictus Dunkeldensis ita honestè suum est negotium prosequutus, & honori regio detulit, quòd nihil omninò proposuit, quod in derogationem regij nominis valeat redundare; vel quo tua Serenitas aduersùs eum debeat commoueri. Vnde, si quid ab emulis eius fuerit in contrarium Celsitudini Tuæ suggestum, talium verbis aurem Regiam non apponas. Datum Veronæ, secundo Kalendas Augusti. Hæc ad Scotiæ Regem Vrbanus Pontifex. Ad Ioscelinum verò, & socios, hæc, quæ sequuntur:

8. *Vrbanus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Ioscelino, Glascuensi Episcopo, & dilectis filiis de Meilros, Neubotle, & de Dunfermelin Abbatibus, Salutem, & apostolicam benedictionem.*

Cùm ex iniuncto nobis à Deo administrationis officio, &c. nam penè eadem eis verba, quæ Regi, scribit, dum negotium proponit: sed mox ad ipsos: *Ne igitur præscriptum negotium diutiùs maneat in suspenso, & Ecclesia S. Andreæ per hoc rerum suarum detrimentum incurrat, Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, & in obedientiæ virtute præcipimus, quatenus ea, quæ vel per vos, vel per alios de ipsius negotij tenore scire poteritis, redigentes in scriptum, nobis sub sigillorum vestrorum munimine designare curetis: vt nos ex vestra insinuatione instructi, consilio Fratrum nostrorum adhibito, sicut procedendum fuerit, in negotio procedamus. Si quis verò in prædictum Decanum, Odonem, Senescallum Robertum de Fedic, vel alios Dunkeldensis amicos Episcopi, & possessiones, seu alia bona ipsorum, aut Episcopatus, vel aliorum redditus ipsius Episcopi ausu temerario manus iniecerint, per censuram eos canonicam, auctoritate nostra suffulti sine appellationis obstaculo compescatis. Prædictis autem Episcopis ex parte nostra vetetis, quod & nos fecimus viua voce, ne ab Ecclesiis, vel Clericis sibi subditis accipiant aliquid expensarum intuitu, quas in prosequutione memorati negotij sunt facturi; sed de propriis solummodo redditibus sibi necessaria subministrent. Nolumus enim, vt facto ipsorum Ecclesia, vel alia ipsius Regni persona debeant incurrere detrimentum. Præfato autem Episcopo S. Andreæ, auctoritate nostra districtius iniungatis, vt in termino, quem vtrique parti statuimus, sufficienter instructus, ad præsentiam nostram accedat. Quòd si non venerit, ex tunc eum ab episcopali officio, appellatione postposita suspendatis. Quod si nec sic acquieuerit, excommunicationis vinculo eum innodetis; nec sententiam relaxetis, donec nostro se duxerit conspectui præsentandum. Regiæ insuper Excellentiæ intimetis, quòd supradictus Dunkeldensis Episcopus ita honestè suum est negotium prosecutus, & honori regio detulit, quòd nihil omninò proposuit, quod in derogationem regij nominis valeat redundare, vel quo aduersùs eum debeat commoueri. Vnde ipsum instanti exhortatione curetis inducere, vt si ab emulis eius in contrarium fuerit suggestum, eorum verbis aurem regiam non apponat. Datum Veronæ, secundo Kalendas Augusti.* Hactenus Pontifex. Subdit verò Rogerius hæc ipsa scribens: *Ioscelinus, & Collega sui supradictis Episcopis apostolicas litteras notificauerunt. Ioannes profectus est obtemperans: Episcopus autem S. Andreæ terminum sibi datum transgressus, ire distulit, & prafati Iudices delegati suspenderunt eum ab episcopali officio: & deinde propter suam contumaciam excommunicauerunt secundum formam apostolici mandati.* Ita Rogerius.

In Annalibus præterea Hyberniæ lego, quod tomo præcedenti insinuaui, hoc ipso anno felici fato functum, ad Superos transisse Sanctum Christianum, Lesmoriensem Episcopum, atque Legatum Sedis apostolicæ, Sancti Malachiæ quondam discipulum, sub Beato Bernardo educatum cum aliis in Claraualle. Verba Guillermi (nam is Author Operis) sic habent: *Eodem anno* (Christi, nimirum, M.C.LXXXVI.) *Christianus, Lesmoriensis Episcopus, quondam Legatus Hybernia, æmulator virtutum, quas viderat, & audierat à Sancto Patre suo Bernardo, Summóque Pontifice Eugenio, Viro Venerabili, cum quo fuit in prætorio apud Claramuallem, qui & eum Legatum in Hybernia constituit, post peractam obedientiam, in Monasterio de Kyrie, eleison, feliciter migrauit ad Christum.* Hactenus ibi, vt palam inde fiat, de quo loquatur, è duobus Christianis à Claraualle missis à Sancto Patre, quorum Arnoldus Bonæuallis meminit, qui vitam ad hoc tempus prorogauerit; nimirum, non de Abbate Mellifontis, qui Malachiæ in Episcopatu successerit; quanuis hic etiam in Hybernia Legatum egerit; sed de secundo Paulo recentiori. Cæterùm, quid intelligendum veniat in illis verbis: *Post peractam obedientiam*, non satis calleo. Crediderim, aut diuturno labore fractum, senem emeritum obtinuisse missionem, iterum sub Abbate militaturum. Aut ipsum Legatiæ munus impletum, obedientiam vocatum ab Authore, quasi nihil aliud in votis Sancto Patri, etiam cùm imperaret, quàm obedire; neque vltrò se ingesserit, vt alij, Legationis officio; sed iussus, & per omnia pariturus. 9.

Hinc corrigendi veniunt Arnoldus Vvionius, Aubertus Miræus, & Hugo Menardus, qui hunc eundem Christianum, de quo loquimur, cum successore Sancti Malachiæ planè confundunt ex nominis, Legatiæque, & Pontificatus, ac Magisterij Bernardi similitudine. Quin Vvionius incertæ tantùm Sedis, vocat Episcopum creatum anno M.C.XL. quo neuter Monachus; defunctum anno M.C.XLVIII. quo alter subrogatus Malachiæ, alter nondum ad episcopale fastigium euectus fuerat. Sed hæc, & similia frequentia in hoc Authore. Maius quid video in Chrysostomo Henriquez, qui vtrumque distinguit in Menologio [c] & nihilominùs vtrumque Mellifontis Abbatem facit, vtrunque Episcopum Dunensem Nouembris tertio. Quin Martij decimo 10. [c] Nouembr.

decimooctauo alia prodit ; & (quod miretis) citato Roberto Montis ; quæ nulla possunt ratione cohærere. Confusionis occasionem, præter dictas, illam inuenio, quòd ex duobus Episcopis Christianis, Cistercienſi vtroque, vtroque Hyberno, alterius electionis dies lateat, alterius mortis. Et nec de hoc scimus, quando assumptus, neque de Malachiæ successore, quando obierit ; quocunque tempore, vtrũque sanctitate insignem conueniunt omnes. Nec quidquam aliud potui inuenire. Lego in Philippi Sequini M. S. Beatum Odanum Cistercienſem Monachum, incerti Monasterij, sed Sancti Malachiæ certum discipulum, virum doctum, & sanctum, & in rebus ecclesiasticis apprimè versatum, quem pro Christiano subrogarum tradit, neutrum designans. Verùm, dum Sedem Ardinacensem notat, cui neuter præfuit, de vtroque testimonium suspectum reddit, quandiu non clarior, aut certior notitia subest. Nam, quod in Menologio memoratur die vigesimasexta mensis Septembris, ex eodem Seguino haustum, in ipsum solum venit refundendum.

---

1. *Conuersio Liboniæ*, 2. *& primi eius Apostoli*, *Meinardus*, 3. *& Bertoldus in Luka Abbas.* 4. *Emendatus Baronius*, 5. *atque eadem Historia elucidatior verbis Alberti Krantzij.* 6. *Arnoldi Vvionij error*, 7. *& dictum de discipulis*, 8. *quos in Luka sanctissimos habuit Beatus Bertoldus.* 9. *Rodulphi in eodem Cœnobio conuersio, & mira visio.*

CAPVT II.

1. HOc eodem anno, vt verbis Baronij vtar, contigit fundari in Libonia primam Sedem episcopalem, populo ex gentilitia superstitione ad Christum conuerso, opera Sanctorum Meinardi Sigebergensis Canonici, & Bertoldi Abbatis Cistercienſis in Luka Monasterio, de quo suprà ; qui relicta Abbatia Meinardo se in socium Apostolatus, Liboniæ in Magistrum, aliis in exemplum, & tandem Deo in sacrificium obtulit. Post Meinardum in eadem Sede primus, sed mox à Barbaris martyrio coronandus. Quomodo autem hæc omnia se habuerint, quoque ordine euenerint, ex Arnoldo Abbate Lubecensi in Historia Slauorum accipiat lector.

2. *Opportunum arbitror*, inquit [a], *memoriæ fidelium commendare, nec silentio præterire deuotionem, & laborem multorum Religiosorum, qui apud Gentiles, qui Libones dicuntur, desudatum est ; qui ibi Domini semina spargentes, ipsum populum ab idololatria cessare laborauerunt. Vidimus sanè propter eorum instantiam, multos cooperatores existere, alios peregrinando, alios sua conferendo, vt seges Christi fructuosa consurgeret, & multa nocere Diaboli stratagemata suffocarentur. Fuit autem primus huius Institutionis Author Dominus Meinardus, Sigebergensis Canonicus, quem eloquium Domini inflammarit, vt eidem populo infideli pacem Domini nunciaret, & ipsum paulatim calore fidei scintillaret. Cúmque vir bonus per aliquot annos cum negotiatoribus illuc iret, & suis negotiis deuotus insisteret, sensit manum Domini non inualidam, & auditorum suorum deuotionem plurimam. Accedens igitur ad Bremensem Ecclesiam, quam tunc Dominus Hartuicus Archiepiscopus regebat, suam intentionem, suorúmque auditorum deuotionem ipsi Archiepiscopo, similiter & Capitulo maiori exposuit, vt nõ sine authoritate, vel consilio, cœpto labori insisteret. Qui sperantes ipsum plantando, & rigando, incrementum Domini percipere, ipsum ad prædicandum gentibus miserunt, simul etiam pontificali honore sublimantes, maiore authoritate roborauerunt. Ipse ergo humilis, & deuotus suis Auditoribus verbi spargens semina, arguendo, increpando, magis tamen obsecrando, duritiam gentilium fraugens, ipsorum corda non minis muneribus, quam exhortationibus paulatim, ad quod volebat, Deo annuente, perducebat.*

[a] lib. 7. c. 8.

3. *Anno igitur Verbi incarnati millesimo centesimo octogesimosexto fundata est Sedes episcopalis in Liboniа à Venerabili Viro Meinardo, intitulata patrocinio Beatæ Virginis Mariæ Dei Genitricis, in loco, qui Biga dicitur : & quia idem locus beneficio terra multis bonis exuberat, nunquam ibi defuerũt Christi cultores, & noua Ecclesia plantatores. Est enim eadem terra fertilis agris, abundans pascuis, irrigua fluuiis, satis etiam piscosa, & arboribus nemorosa. Dominus quoque Bertoldus Abbas in Lubeca* (corrige, *in Luka*) *relicta prælatione, & ipse verbi semina gentilibus spargere studens, huic labori non impiger se ingerebat. Vnde gratia Dei cooperante, non parum gentilibus quibusdam acceptus erat. Considerabant sanè in viro gratiam conuersationis, temperantiam sobrietatis, modestiam patientiæ, virtutémque abstinentiæ, instantiam prædicationis, iucunditatem affabilitatis.* Hactenus Lubecensis Abbas Arnoldus, de initio conuersionis Liboniæ, & de Meinardi, & Bertholdi Apostolatu.

4. Cæterùm Cardinalis Baronius, ex eodem Authore verba referens, vltima de Meinardo dicta putat, quod satis mirum, cùm proculdubiò ad Bertholdum referẽda, & per se ipsa probant, & ex sequentibus euidentiùs manifestetur : hic enim subdit : *Vnde post decessum Domini Meinardi, qui, vt dictum est, bonum certamen certauit, cursúmque felicem consummauit ; quia omnibus tam Clero, quam populo conuersatio eius* (scilicet, Domini Bertoldi) *innotuerat, ipsum vnanimi consensu locum defuncti sortiri exoptabant*, &c. Eximiè ergo commendandus Meinardus, siue Meinerus, qui tunc Dux verbi. At ille, cuius gratiam conuersationis, temperantiam sobrietatis, modestiam patientiæ, virtutem abstinentiæ, instantiam prædicationis, atque affabilitatis iucunditatem, Arnoldus specialiter commendat, Bertoldus est, vt tempore posterior, moribus, aut non impar, aut fortè prior, qui ideò illi ab hominibus suffectus, à Deo in palmam martyrij reseruabatur.

5. Referam & eandem historiam verbis Krantzij, vt in ore duorum verbum constet, quamuis haud dubiè ex Arnaldo pleraque sumit [b] ; *Operæpretium est*, inquit, *paucis inserere, hoc tempore factam Liuoniа ad Christi fidem cõuersione per gentem Saxonam, & eos, qui in eam Prouintiam, mercandi gratia è ciuitatibus Saxoniæ, atque Vvandaliæ nauigarunt. Fuit autem primus huius plantationis Author nouella Dominus Meinerus* (*alij dixêre Meinardum*) *Zegebergensis Canonicus, quem eloquium Domini inflammauit, vt eidem populo infideli pacem Domini nuntiaret, &*

[b] lib. 7. Saxoniæ cap. 8.

paulatim

paulatim calore fidei faceret scintillare. Cúmque Vir bonus per aliquot annos cum mercatoribus eò navigaret, & operi pietatis devotus insisteret, sensit manum Domini non abbreviatam, & auditorum devotionem plurimam. Accedens igitur Bremensem Ecclesiam, cui tunc praerat Hartwicus II. de negotio pietatis apud eundem, atque Capitulum eius verba fecit, ne in vanum laboraret, sed majorum authoritate res inchoata procederet. Impartitur Archiepiscopus volens viro zelo evangelizandi authoritatem, ipsúmque pontificali subjectum honore mittit in gentem Christo conciliandam. Ipse igitur Meynardus humilis, & devotus auditoribus suis verbi spargens semina, arguendo, increpando, magis tamen obsecrando, duritiam gentilium frangens, ipsorum corda non minùs muneribus, quàm exhortationibus, paulatim, ad quod volebat, Deo annuentes, perduxit.

6. *Annus erat sextus, & octuagesimus post centum atque mille, cùm in Livonia primùm Sedes episcopalis per Meynardum erigitur, intitulata patrocinio Beatæ Mariæ Virginis in loco, qui Riga dicitur. Et quia idem locus beneficio terræ, & aquarum, multis domi exuberat, nunquam ibi ex illo tempore defuerunt Christi cultores, & novella Ecclesia plantatores. Est enim terra fertilis, agris, & pascuis abundans, irrigua fluviis, & perinde satis piscosa, & arboribus nemorosa. Multi se in eam operam contulêre cum Meynardo, & deinde post illum: in quibus erat vir præcipuus Bertoldus Abbas de Eucka, Monasterium arbitror Cisterciensium, ubicunque sit. Nam alij Annales præferunt Abbatem fuisse Griseorum Monachorum, quod genus vestium habuêre Monachi Cistercij. Hic ergo cum laude memorandus in tantum ad Christi gloriam efferbuit amplificandam, ut relicto Fratrum suorum Monasterio, relicta, quam habuit sine turba, quiete, in peregrinationem se contulerit laboriosam, & periculo plenam.* Hactenus de Livoniæ conversione per Meinardum Episcopum, & Coapostolum eius Bertoldum, Albertus Krantzius, inculcans eadem, quæ Arnoldus Lubecensis; sed quædam explicatiùs etiam scribens. Ex quibus obiter corrigendi veniunt Petrus Cratepolius [b], & eum sequutus Arnoldus Vvionius [c] Sancti Bertoldi martyrium referentes in annum Christi M.C.LXXX. quo non solùm Meinardo nondum successerat; sed neque ipse Meinardus consecratus, nec Bertoldus assumptus in partem sibi iniunctæ sollicitudinis. Ergo hoc anno in Livoniam vterque venit prædicaturus fidem, & gentes barbaras ad Christum conversurus. Quo autem posteà Meinardo consummato, subrogatus Bertoldus episcopalem Rigæ Sedem primùm, mox Martyrij coronam acquisierit, vsque ad mortem pro fide pugnaturus, suis temporibus, locísque dicemus, si Deus dederit.

b *De Episcopis Germaniæ.*
c *lib. 1. lign. vit. c. 46.*

7. Interim adnoto, Venerabili Bertoldo regente Lucam, Cœnobium ipsum scaturiens Viris sanctis, illustre visionibus, revelationibúsque; haud obscurè in discipulis Magistrum, in Filiis Patrem Orbi commendasse: vt non immeritò conuertendis, infidelibus censeretur idoneus, qui vel formandis Religiosorum moribus ad omnem perfectionem, & sanctitatem, longa iam experientia probatus esset. Certè vix plura sub Bernardo de Claraualle; de Cisterciis sub Stephano, quàm sub Bertoldo de Luka commemorantur. Referam in præsenti pauca de pluribus, quæ scribit Cæsarius, eius temporis Author, neque ab ea Provincia longè distans, digna profectò, quæ hos Annales implerent, etiam nullo Magistro id exigente. Ordiar autem à Conuerso quodam, nomine Paulo, discipulo Bertoldi; *Qui* (inquit Cæsarius [d]) *deductus ad extrema, in ipsa agonia, sicut mihi retulit Monachus, qui vidit, & præsens fuit, videre capit. Cui cùm diceret vnus de circumstantibus: Paule, (hoc ei nomen erat,) cur modò rides? respondit: Cur non rideam? Ecce Domina nostra præsens est; & iam animam meam suscipiet.* Felix anima, quæ tantæ Virginis experta patrocinium, ducatúmque, & in egressu suscipi, & ab ea post egressum ad thalamum meruit cœlestem deportari. Subdit Cæsarius, in huius Viri transitu gloriosiùs verificatum illud Poëticum:

d *lib. 7. c. 35.*

Incipe, parue puer, risu cognoscere Matrem.

Ista de Paulo.

Sed augeat vlteriùs numerum, atque omnes simul commendet Bertoldi filios sub Mariæ patrocinio, velut in tuto constitutos feliciter, alter ille Ostiarius, de quo hæc idem Author [e] paulò superiùs: *Vocatur autem Domus eius Luka, & est sita in Saxonia. Est ibi Custos vir bonus, & Religiosus, qui cùm nocte quadam Oratorium intraret ante Matutinas, Dominam nostram, Sanctam Mariam, tanquàm Oratorij Patronam, super Altare, in multa gloria residere conspexit. De qua visione valdè lætificatus est, sperans ministerium suum illi placere.* Haud dubiè, quin & beatos esse Monachos, quos tantæ Virginis munitet patrocinium: nec quicquam Dæmones ausuros in eam Domum, cui Regina Angelorum præsideret. Pergit Cæsarius: *Alio tempore, cùm ostia Oratorij reseraret, ventúmque ad cancellos, vbi hospitibus stare moris est, Diabolum super feretrum in effigie hominis nigerrimi, iacere vidit. Qui cùm se signaret, neque ille fugeret, mox vt propius accessit, phantasma euanuit. Tunc ad confusionem Diaboli super ipsum feretrum se composuit, tandiu in eo iacens, donec septem Psalmos pœnitentiales decantasset.* Hos discipulos habuit Beatus Bertoldus, hos Christo, & Virgini filios generabat.

e *lib. 7. c. 17.*

8.

Sed adhuc tertio loco Rodulfum proferam Conuersum, planè Sanctum, & qui alios plures Fratres eiusdem Domus Christo in Cruce confixos videre meruit: *In Luka, Domo Ordinis nostri* (ait Cæsarius [f]) *cuius suprà meminimus, Conversus quidam est, sicut ab Adam, eiusdem Domus Monacho didici, vir bonus, & disciplinatus, Rodulfus nomine, cui diuinitùs multa revelantur. Hic, cùm nocte quadam, dictis Matutinis, ante lucem sub dio staret, & orationes aliquas diceret, Christum in aëre Cruci affixum pendere vidit, & circa eum quindecim homines, singulos in singulis crucibus. Ex quibus decem erant Monachi, & quinque Conversi, omnes ei benè noti, vtpote Congregationis suæ professi. Ita eâ erat illuminatus ex Christi præsentia, vt singulos plenè discerneret. Cúmque stupefactus staret, ob tam mirabilem visionem, Dominus de Cruce clamavit, ait: Nosti, Rodulfe, qui sint hi, quos circa me vides crucifixos? Respondente Conuerso: Noui, Domine, qui sint; sed quid sit, quod video, prorsus non intelligo. Subiunxit Dominus: Hi planè ex omni Congregatione mecum crucifixi sunt, meæ Passioni viam suam conformantes.* Et paulò infetiùs: *Sicut didici nuper à prædicto Monacho, omnes illi quindecim adhuc vivunt, excepto vno, qui iam dormivit in Domino.* Scribebat Cæsarius hæc ipsa verba circa annum Christi M.CC.XXII. hoc est, sex, & triginta ab eo, quem nunc describimus, quos facilè superfuisse potuerunt Bertholdi discipuli, aut si non omnes, certè ex eis plures, reliquis per discipulos edoctis, quos ipse docuit. Sic in vtroque probatus seruus Dei, & fidelis inuentus, nec Religiosis veram perfectionem, nec fidem barbaris persuadere omisit, quandiu vixit:

f *lib. 8. c. 58.*

9.

Et

Et qui Apostolum in conuersione Gentium acturus erat; inter Apostolos certè inter perfectos egerat Christum, in omni eos confirmans sanctitate, quæ Christum etiam,& Matrem eius purissimam præsentaret eisdem afflatis cœlesti lumine. Sed iam me vocat magnum illud lumen Sanctus Guillelmus, Bituricensis Præsul,hoc primùm loco nobis commemorandus.

---

2. Sancti Guillelmi, Archiepiscopi futuri Bituricensis,promotio in Abbatiam Kalisianam. 2. Quis ille, & qualis, ex Petro de Natalibus, 3. atque ex Tabulis Ecclesiæ Bituricensis. 4. Cur ex Grandimontensibus ad nostros transitum fecerit. 5. Dictum de auunculo eius, sub quo educatus: 6. & de pueri eximia sanctitate. 7. Prælata in transitu Abbatia Pontigniacensis, 8. & duplex Sancti promotio intra Cistercium.

CAPVT III.

1. HOc primùm anno memorandus venit egregius ille post Bernardum parentem, Cistercij Sol, magnus Guillelmus, quem paulò pòst Bituriges Pastorem,Aquitani Primatem, demum Galli insigne sui Regni ornamentum præstolabantur. Non quòd non anteà nostris nomen dederit;sed,quòd incerto tempore. Et solius Kalisianæ Abbatiæ notetur annus,isque credatur idem, quem nunc describimus. Quippe in antiquo quodam Manuscripto vetustæ Bibliothecæ Clarævallensis,Ignatio Firmino,Abbati Fiterensi olim transmisso, inde ad nos detiuato scriptum lego: *Beatus Guillelmus, Archiepiscopus Bituricensis, fuit septimus Abbas Karoli-loci, (sine Kalisij,) & cœpit in dicto Monasterio præsidere anno millesimo centesimo octuagesimosexto.* Consonant monumenta Kalisiana,quæ Seguinus adducit; quin & tempus Abbatiæ Karoli loci,quod tredecim ad vsque annos protensum dicitur. Ergo, quod ad rationem temporis attinet, hoc anno Sanctus ex Abbate Fontis Sancti Ioannis, ad Kalisium promotus, cùm nomen anteà dedisset in Pontigniaco. Sed iam eiusdem Acta, vitámque vsque ad hanc promotionem, quia hactenus omissa, describamus.

2. Sancti Guillelmi vitam qui scripsêre, aut exorsi ab infulia, atque eius electione in Archiepiscopum, quod fecit Author, quem Surius euulgauit: aut de anterioribus presè,succinctéque,atque infra dignitatem tanti Pontificis.Petrus Venetus,quæ alij de illo sparsim,breui collegit [a]: *Hic,*id est,Guillelmus,*a puericia in Parisiensi,& Suessionensi Ecclesiis Canonicatum obtinens,sæculo derelicto,ad Grandimontense Monasterium se contulit; ibique factus Monachus aliquanto tempore fuit. Deinde ad maiora procedens,ad Ordinem Cisterciensem in Pontigniacense Monasterium commutauit,vbi proficiens in virtutibus Prioratum suscepit. Postmodum Abbas Fontis Sancti Ioannis factus, successiuè ad Abbatiam Karolilocensis Cœnobij assumptus est; & vbique subditos in magna mansuetudine pertractauit, & virtutum exempla propagauit.* Hæc Petrus Equilinus,paucis complectens, quæ longiorem haud dubiè postularent narrationem.

[a] *lib. c. 63.*

3. Paulò distinctiùs, etsi non diffusiùs, ex monumentis Ecclesiæ Bituricensis,Ioannes Chenu,& ipse natione Biturix,in Chronologia Archiepiscoporum eiusdem Vrbis,vbi hæc habet: *Sanctus Guillelmus,ex Comitum Niuernensium Familia ortus,nobilis genere, sed nobilior virtute, vitæ sanctitate, & charitate erga pauperes mirificè præluxit.Adhuc iuuenis auunculo suo Suessionensi Archidiacono,a parentibus traditur,moribus,& litteris informandus. Canonicus Parisiensis, & Suessionensis fuit: at increscente ætate monasticam vitam professus est, & primò Religionis Grandimontensis, Ordinis Sancti Benedicti. Sed,cùm arctiorem Religionem, & Ordinem sequi desideraret, ad Cisterciensem in Pontigniaco Cœnobio se contulit.In quo statim Prior communi Fratrum suffragio electus est: fama verò Religionis eius magis, ac magis increscente, factus est Abbas Fontis Ioannis in Diœcesi Senonensi, ac demum Karoli loci*, &c. Hactenus ille.

4. Crediderim præuentum à Deo virum sanctissimum,atque Grandimontensibus ereptum,antequàm per intestinas discordias scissuram passi,fluctibus dissensionum agitarentur. Raptus est, ne vel nimio zelo excederet,vel timori succumberet;& conspiratibus in Clericos Conuersis, Clericus ipse,aut in audaces inuehi cogeretur, aut consentire. Cisterciò tamen datus ex causa duplici: altera,vt suos subituros eius iudicium, velut præcederet, æquus æstimator vtriusque partis,& neutri præiudicium illaturus: altera, vt Iudices,quos latere culpæ non possent, virtutes agnoscerent,& in vno Guillelmo intuerentur, qualis,& quantus Ordo Grandimontensis,qui tales viros daret,vel Cistercij splendorem,in medio cursu lucis obscuraturos.Hinc etiam factum diuina prouidentia, vt qui aliàs quoslibet gregarios,etiam Monachos, ad nostros transeuntes ægrè ferrent, Guillelmum quietè, pacificéque darent, nempe,mouente Deo hominum corda in eos fines,quos ipse præordinasset,nescirent ipsi. Cæterùm,quod ad claritudinem generis attinet, consonat Claudius Robertus in sua Gallia, vbi tradit: *Matildem, Comitissam Niuernensem, vocare Guillelmum auunculum suum instrumento confecto,quo donauit Ecclesiæ Bituricensi duodecim libras annui redditus ad incendendum cereum perpetuò ante ipsius Sancti Guillelmi corpus, anno 1223. mense Iulio.*

5. Auunculum Guillelmi, apud quem educatus à cunctis dicitur, Petrum cognomento Eremitam vocatum lego in moderno Authore [b], eúmque eximia floruisse sanctitate: fortè & cognominatum Eremitam à vitæ districtione, atque segregatione à sæcularibus. Velut qui in medio Vrbis eremum coleret, neque aliter à cunctis abstineret,quàm si habitaret in media solitudine. Hinc factum est,vt indoles nepotis,aliàs omnium virtutum ex se ferax, auunculi doctrina velut irrigua; sed multò magis exemplis fœcundata supra spem, supra ætatem fructificaret: atque ipsum etiam in eum nomen transfunderet, nec minùs puer Guillelmus Eremita,quasi ex tunc segregatus a mundo,nominaretur. Inde item forsan vocatio prima viri ad Ordinem Grandimontensem, in quo præ aliis Sancti Patris Benedicti Congregationibus (quia eremo adstrictiori) perfectiùs adimpleret mensuram tanti vocabuli. Certè Grandimontenses Eremitis, quàm Mon..chis magis assimilatos,ar-

[b] *Bernard. Brito in Vita S. Guillelmi.*

gumento

gumento sunt ipsi Conuersi in eos insolescentes, in Monachos nihil tale vnquam ausuri.

6. Ferunt in ipsa Guillelmi adolescentia, imò verò pueritia, cùm orationi deditus noctes pervigiles diebus continuaret, patruum de his per Ministros certiorem factum, obseruasse attentiùs. Nec solùm inuenisse vigilantem, orantémque; sed circunfusum luce de Cœlo missa. Quin & coronam in aëre pendentem vidisse ad caput eius, quæ primùm inuenis cingens tempora sacra, dein paulatim ad cœlum eleuata, tandem ab oculis eius subtraheretur. Sic qualis, quantúsque futurus puer ex cœlesti visione præsagiuit: quantus iam esset, cognouit non obscurè ex ipsius orationis profunditate, mentísque, ac cordis ad Deum eleuatione. Quippe ita totus absorptus inuentus est, vt neque ostium, cùm aperiretur, neque intrantem auunculum, aut stantem, exeuntémve sentiret; sed totus in Deum transformatus, nihil præter Deum nosset, nihil discerneret. Exiuit tamen lento quàm potuit gradu, ne suscitaret, aut euigilare faceret dilectum sibi, & Christo, donec ipse aut vellet, aut consentiret.

7. Grandimontensem Ordinem intrasse iam Sacerdotem traditio est, cùm sua omnia, antequàm intraret, distribuisset pauperibus, & nudus nudum Christum sequi disponeret. In eo Ordine insumpsit aliquot annos, in quantum poterat se supra se leuans, & multos post se trahens exemplis operum. Inde maiora adhuc concipiens animo, concupiuit Cistercium, obtinuitque, quam semel Sancti Patris vouisset Regulam, exactiùs, & perfectiùs obseruaturus. Porrò, quòd Pontigniacum elegerit, illud in primis in causa fuisse credimus; quòd iam olim admissi in ea Domo Grandimontenses Fratres; de quorum transitu Stephanus Tornacensis ad Priorem Pontigniacensem scripsit suprà à nobis adductam longam epistolam. Quin & deuotio Niuernensium Comitum, ex quibus ipse ortus, vel vltrò alias currenti addidit stimulos: nam Pontigniacum illustratum eorum titulis, imò & eorum ossibus, tomo primo ex Vincentio memorauimus.

8. De electione in Priorem Vitæ Sancti, & promotione in Abbatem Fontis Ioannis nihil aliud nobis constat. At de secunda alta promotione ad Kalisianam Ecclesiam, quam in hunc annum incidisse diximus, referam, etsi non vt planè certum; tamen vt singulare, id, quod Bernardus Btito in lucem dedit, nescio quod Manuscriptum pro se adducens, nequaquam factam in Abbatiam Karoliloci, neque ab eius Conuentu, sed in Capitulo Generali totius Ordinis ab omnibus Abbatibus, quòd antecessor eius ibi obierit. Quasi Abbatis in Capitulo vacantibus ad Capitulum prouidere spectaret de successore. Quod vt non negem fieri potuisse: at qua lege à nostris sancitum fuerit, nequaquam hactenus potui inuenire. Nam, neque in his, quæ per annos circunferuntur; neque in compilationibus habetur, quas ego viderim. Certè si in Capitulo electus, commendant electionem sanctiora suffragia, potioráque non solùm dignitate, sed etiam numero. Hæc satis nunc de Sanctissimo Abbate, hæc plura ante electionem in Archiepiscopum. Tanta tenuit incuria exteros omnes; tanta modestia proprios, & familiares. At electionem, & quæ eam secuta acta, miraculáque, & plura digna Annalibus, hoc ipso Tomo in tempore dicemus.

---

1. *Henrici sexti cum Constantia Sicula nuptiæ*; 2. *& impositum Ioachimo vaticinium*, 3. *quæ tunuis impedirì curatum, tandem impletum*: 4. *& Fridericus secundus mundo exortus*; 5. *quæ tamen omnia repugnantia esse probantur.* 6. *Ioachimus ipse externis occupatus, Commentaria interrumpit*, 7. *quæ continuare ab Vrbano Papa iubetur.* 8. *Quid Vincentius de aduentu eius ad Vrbem.* 9. *Demum de insigni Abbate Bellibeci.*

CAPVT IV.

1. HENRICVS Sextus, Imperatoris Friderici filius, Constantiam anum, Siciliæ Regibus natam (& si non impeditam per vota sacra, eiusdem Regni hæredem) hoc anno ducens, aliàs ex scriptis suis commemorandum Ioachimum Abbatem nobis velut anticipat; & factis nuptiis interesse facit, seu verè de Constantia vaticinantem, (quod series ipsa Historiæ non admittit,) seu recentiorum consensus id effecit, qui tale ei vaticinium imposuêre. Vulgatissimum, & celebrem euentum inter Authores concernentem Ioachimum præterite in Annalibus Cistercij nequaquam licuit, confirmandum, si verum, aut verosimile: sed, si deuiet, omninò refellendum, ne falsa veris intermixta faciant, vt ne patentibus fides haberi possit. Igitur celebratas hoc anno nuptias Henrici cum Constantia, Godifridus Biterbiensis[a] his verbis prodit: *Hoc eodem anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimosexto, indictione sexta, sexto Kalendas Februarij, Rex Henricus sextus cum Regina Constantia, filia Rogerij, Regis Siciliæ, nuptias gloriosas celebrauit. Mediolani, apud Sanctum Ambrosium, anno ætatis suæ vigesimoprimo: Regni autem sui decimoseptimo.* Hactenus ab Authore antiquo scripta de hoc coniugio teuerà infelici, infaustóque, vtpote ex quo Fridericus nasciturus, qui fax Italiæ haud dubiè futurus esset. Non tamen desunt, qui velint celebratum sub Cœlestino, adeoque vt minùs quatuor annis differant, cum quibus non est nobis immorandum. Nunc, quæ constanter addant recentiores, atque ipsorummet verbis proferamus.

[a] *apud Raynaldum hoc anno.*

2. Constantiæ nuptias, si celebrarentur, exitiales Italiæ ab Abbate Ioachimo prædictas meliorant ante annos quinquaginta, nempe, cùm ipsa recèns Mundo exorta, quæ iam quinquagenaria nupsisse dicitur. Inde, cùm pater præcauere Italiæ vellet, & aliàs filiam, eámque innocentem morti tradere acerbum iudicaret, Monasterio inclusit, nuptiis carnalibus subtrahendam per vota sacra: verùm cedente humana prouidentia voluntati diuinæ, post annos quinquaginta tandem effectum, vt nuberet Henrico ex Ecclesiæ Romanæ dispensatione, atque ex his nuptiis Fridericum Orbi exortum, vaticinium Ioachimi comprobasse. Sed nos Thomam Facelium[b], Authorem Siculum, hæc eadem scribentem, vt promissis stemus, proferamus: *Constantia nata, ait, clam (vt Regibus mos est) verum futurarum liberorum præoscendarum cupiditate incenderetur* (scilicet, Rogerius) *Ioachimum*

[b] *lib. 7. c. 5.*

chimum Abbatem fatidici nominis virum ex continenti Italia in Siciliam accersit. Productus inter pleraque ex Constantia filia, si nupsisset, funestam Italiæ facem exoriturum præsignivit. Quocirca, etsi non deessent, qui Regi Constantiam ex eneno perimendam consulerent, Tancredi tandem noti consilio, qui nefarium esse innocentem enori dicebat, in Sacro Salvatoris Panormi eam educari, ac virginitate votiva, veloque sacro amiciri statuit. Sed dum decretum fatidicum humano consilio impedire satagit, in illud incidit. Hæc de Ioachimi Abbatis vaticinio Thomas Facellius.

3. Verùm, qualiter illud impletum sit, virgine, post emissa sacra vota, & iam quinquagenaria, rapta de Monasterio, & tradita Henrico, ex quo, etsi annus, foret paritura, alibi prodit, quinquennio licèt postponens easdem nuptias, quippe quas memorat factas sub Cœlestino: *Interea*, ait [c], *Clemente III. defuncto, Cœlestinus III. in Romana Sede successit, qui & ipse agentibus à Tancredo Siciliam teneri ferens, tertio post coronationem die, Henricum Friderico Æneobarbo patre in Armenia defuncto, iam à Germanis in Regem Romanorum electum, ea lege Imperatorem confirmavit, vt suo sumptu à Tancredo Siciliam repeteret, & Romanæ Ecclesiæ censum solveret annuum. Quod, vt iuxta rationem facere posset, Constantiam Rogerij Regis filiam quinquagenariam, a Gualtero Archiepiscopo, suo iussu, ex Sacro Panormitano clam eductam, vxorem ei tradidit: cui hereditario iure Regnum id à parentibus relictum debebatur. Hoc fama per manus ducta vino ore omnes tradunt Siculi, ascitæque eorum Annales, quotquot extant, & Authores plurimi, quin & diplomata: ac decreta Cœlestini Papæ, quibus Constantiam votiva virginitate absolutam, ad legitimas cum Henrico nuptias admisit (quæ huc vsque, & in Archivio Romano, & decretis publicis leguntur) in id consentiunt.* Ita Facelius, cui fermè omnes recentiores adstipulantur, Baronio dempto.

c lib. 7. c. 6.

4. Porrò nuptias Constantiæ, quantumuis seras, nequaquam tamen evasisse steriles, edito ex eis Friderico secundo (reverà face Italiæ) conveniunt omnes. Nisi quòd tamen, qui anum nupsisse tradunt, ne suppositus magis, quàm verus partus quinquagenariæ Matronæ reputaretur, vlteriùs scribunt, enixam in medio populi, nempe, vt ipsius veritatis experimentum omnium oculis patens, dubitationem, quæ irrepere potuisset, de medio tolleret: *Cùm Constantia vxor pragnans esset* (ait idem qui suprà) *ne suspicio eam, vtpote annosam, vterum mentitam, partum sibi suppositum exoriretur, in medio Panormitanæ Ecclesiæ vestibulo, (si Panormitanis, & plerisque Scriptoribus credimus,) siue in Giezi Apuliæ Vrbe (vt cæteri propiùs vero tradunt) tabernaculum ei tendi iusserunt, vbi ventre custodito, nulla Matronarum exclusa, palam, & populo spectante, Fridericum secundum Cæsarem enixa est, mense Decembri, in Festo Sancti Stephani.* Sic vaticinium Ioachimi impletum ferunt, succedente in Imperio Constantiæ filio, Friderico secundo, à quo quot mala Italia passa sit, suo loco nos etiam memorabimus.

5. Hactenus ea, quæ vulgò circumfertur de Ioachimo, fabella, quem ego haberi vt verum Dei Vatem in multis comprobatum facilè toleto; dubium in aliis, seu fortè etiam deceptum non recuso: sed neque ideò sperno, quod infra prosequar; quippe passim, quod multi Viri Sancti, etiam ex primis. At impostoris præ cæteris obnoxium, siue vt deprimant virum, siue vt attollant, (nam subiacet vtrisque,) & ægrè fero, & ab vtrisque æquè vindicandum ex debito Historiæ mihi assumo. Constet vnicuique sua laus: constet, & si quæ fuerit culpa, siue defectus, neque à mendaciis crescant, aut obscurentur. Et quidem huius Historiæ falsitatem latè prosequerer, nisi multis convictam argumentis detexisset Baronius, quæ non est opus reperere in præsenti. Id vnum tamen addam pro instituto, quod ipse omisit, Ioachimum, quo anno Constantia nata dicitur, vix adhuc natum, nedum Prophetam celebrem, qui consulendus potuerit accersiri. Quippe quæ fertur nupsisse quinquagenaria sub Cœlestino ad summum, (qui anno M. C. XCVII. viuere desiit,) vt multùm nuptias eius differamus, nata inuenietur ab anno M. C. XLII. vsque ad M. C. XLVII. Quare, cùm constet, Ioachimum luci datum anno à partu Virgineo M. C. XLV. quod suprà vidimus, relinquitur, vt biennis ad summum fuerit, quando nata Constantia, in qua ætate, vt omittam Gabrielem Barrum, qui nondum baptizatum tradit in eius Vita; at neque Orbi notus ex vaticiniis, nec qui à Rogerio potuerit accersiri. Quòd si hoc anno celebratæ nuptiæ, vt Godefridus Viterbiensis scribit, nec dum natus Ioachimus, imò nec nasciturus infra nouennium, quando nata Constantia, minùs potuit de illa vaticinari. Ergo aliæ quærendæ Propheriæ, quæ Ioachimum commendent, nec poterunt difficilè inueniri. Sed de his suis locis.

6. Nunc, quæ concernere hoc tempus videntur intermissa studia, scriptáque, atque iterum resumpta iussu Pontificis, præcedentibus veniunt subiungenda. Vocatum ab Vrbano Veronam, sunt, qui affirment, cùm siue administrandæ Præfecturæ, ad quam denuò reuersus, (fortè ad filiorum preces, instantiámque;) siue cæteris actiuæ vitæ operibus, quibus æquè excelluit, supersedisse ferretur ab scribendo. Alij Pontificem ab eo vlterò quæsitum, quo duce non erraret à vero tramite. Vtcunque fuerit, Veronam venisse constat, & continuare iussum ab Vrbano, quæ Lucij III. auspiciis inchoasset. Id, quod vtriusque successor Clemens III. [c] memoriæ prodit, ad eundem Ioachimum ita scribens: *Cùm ergo, iubente, & exhortante beatæ memoriæ Lucio Papa III. prædecessore nostro, expositionem Apocalypsis, & opus concordiæ inchoasse; & postmodum de Papæ Vrbani authoritate Successoris ipsius composuisse dicaris*, &c. Ita, quod Lucij III. iussu cœperat, Vrbano præcipiente continuauit, tandem Clementis mandato, quod suo loco dicemus, consummaturus.

c apud Iacob. Gretum in Chronolog.

7. Verum est tamen, quod idem Clemens ait, hæc opera incepta Lucij iussu, non sic intelligendum esse, quasi ante eius mandatum nihil effecerit: quando ea opera eidem Lucio obtulit, priusquàm scribendi licentiam accepisset. Sed, quia, quæ anteà schedis velut solutis, & sine ordine proprio tantùm profectui, atque exercitationi meditabatur, ex tunc colligere, & in aliorum profectum euulganda polire cœpit: in vtroque obediens Cistercij legibus, dum scribere non audet, quod in publicum prodeat, & lucem videat Pontificum mandatis, dum scribit, non sibi tantùm, sed aliis profutura. Vtrùm autem sub hoc eodem Vrbano, an sub Clemente Abbatiæ resumptæ renunciauerit, meditationi impensiùs, atque expeditiùs vacaturus, in dubio est. Certum tamen, ab eo reiectam iterum sarcinam, neque iterum resumptam, antequàm Florense Monasterium, atque ab eo nominandam Congregationem

rem in Calabria institueret, quod suo loco veniet referendum.

8. Cæterùm de aduentu Abbatis Ioachimi ad Vrbanum Pontificem Veronæ commorantem, déque ipso Abbate Venerabili Vincentius Belluacensis[1] in Speculo historiali hæc habet verba, quæ non licet silentio præterire: *Eo tempore Abbas Ioachim de Calabriæ partibus venit ad Vrbanum Papam morantem apud Veronam, de quo, scilicet, Ioachim fertur, quòd eum priùs non multum ab homine Doctore didicisset, donum intelligentiæ diuinitùs accepit, adeò vt facundè, & discretè quaslibet Scripturarum difficultates, & obscuritates enodaret: dicebat itaque mysteria quadam Apocalypsis hactenus latuisse; sed nunc in spiritu Prophetia claresce re, sicut ex Opusculo, quod scripsit, legentibus liquet,* &c. Pergit de aliis eundem Abbatem Ioachimum concernentibus, quæ nos commodiùs trademus suis temporibus.

[1] lib. 29. c. 40.

Sub idem tempus florebat in Normannia Abbas Bellibeci (vnius ex filiabus Sauigniaci) de cuius nomine minùs nobis constat; cuius integritate, industriáque non semel vteretur Vrbanus Pontifex. Legitur ab eodem commendatus in quadam Decretali, quæ habetur in capite, *Gratum*, de officio, & potestate Iudicis delegati, totidem verbis: *Gratum gerimus, & acceptum, quòd negotiis tua Discretioni commissis debitam curam impendis, & in his, quæ ad dubitationem faciunt pro grauitate tui officij censuram Sedis apostolicæ postulas*, &c. Igitur eius, & Collegæ consultationi debemus, quòd habeamus expressum, quid delegatus post mortem delegantis; quid rursus ille, à quo appellatum est, si appellans coram eo persistat, facere possit. In communibus desunt aliqua verba: verùm in aliis, & in integris Authonij Augustini commemorantur. 9.

---

1. *Breui in Cistercio Abbatum successione*, 2. *in nostros nihil medium*: 3. *sed contra extrema Vrbanus* 4. *Priuilegium indulget*, 5. *quo indemnitati simul*, 6. *& quieti prouidet.* 7. *Actum de decimis.* 8. *Oysiaci dominium quale, & quantum.* 9. *Iniqua eius iura, & exactiones in Episcopos loci*, 10. *extirpata nostrorum interuentione.* 11. *Dictum de obedientia Ioannis Montis Mirabilis.*

CAPVT V.

1. VT Bernardum Guillelmus in Cistercio, sic breui Petrus Guillelmum excepit, sancto obitu vtrunque consummatum; illum prima die mensis Ianuarij; hunc quarto Kalendas Decembris, vt habent Tabulæ. Quare Guillelmus, aut non impleuit annum in Præfectura, aut ferè integrum biennium consummauit: quòd si ita contigit, ad eius tempus spectant, tum priuilegium ab Vrbano Papa[a] obtentum, tum Beati Petri Claræuallis Abbatis glorioſus transitus, de quibus nobis hoc anno dicendum venit. Quippe illud expeditum mense Martio; hic ad Cœlos conscendit mense Octobri. Vtrunque portò, & si quæ alia concurrunt, singula à nobis seorsim, distinctéque; sed solita breuitate expedienda erunt.

2. Parabant interim incrementa continua nostris, aut eximios cultores, aut graues æmulos; & (quæ plerunque conditio hominum est) in prospera fortuna, nihil medium, infensa omnia, aut propitia nimiùm experiebantur, quorum obsequiis non frequentabantur, patiebantur inuidiam, vt æquè ferè ab vtrisque molestarentur: ab his, dum per apertam æmulationem, & varias lites; ab illis, dum per nimiam frequentiam, imò &, quà poterant, cohabitationem inquietabantur. Erant, qui, vt magis illis adhærerent, Cœnobia iuxta domos construebant. Vnde propior accessus, & crebræ vltra consuetum visitationes. Erant è contra, qui ab aliis quæsitos, & veneratos nulla alia occasione fastiditent. Et nunc de decimis ablatis propriis dominis; nec cum ipsis compositis, vt Alexander tertius præcepisset; nunc de obedientia per speciem Religionis denegata Episcopis, morderent incautos, atque in eosdem alios prouocarent. Ergo Guillelmus occurrens vtrique malo, sed & alia inculcans, sine quia, & illa reuerà necessaria, sine his dissimulandis, quæ tunc vrgebant, tale ab Vrbano rescriptum impetrauit[a]:

[a] tomo 1. priuil.

3. *Vrbanus Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis Filiis, Abbati Cisterciensi, & vniuersis Coabbatibus eius sub eodem Ordine Deo seruientibus, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Cùm Ordo vester per infusionem diuinæ gratiæ longè, latéque fidelibus Christi sit odor vitæ in vitam, in his, quæ iustè requiritis, tantò facilius nostrum impartimur assensum, quantò plures vestro exemplo in Ecclesia Dei proficiunt ad salutem. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementiùs annuentes, & sollicitè prouidere volentes, ne ad id, quod vestram Religionem dedeceat, aliorum possitis malignitate compelli, felicis memoriæ Lucij Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, vobis authoritate præsentium indulgemus, vt si Archiepiscopi, vel Episcopi, in quorum Parochiis Domus vestræ fundatæ sunt, cum humilitate, & deuotione debita requisiti, Abbates substitutos benedicere, & cætera, quæ ad Officium episcopale pertinent exhibere forte renuerint, eisdem Abbatibus (si tamen Sacerdotes fuerint) liceat proprios Nouitios benedicere, & cætera, quæ ad officium suum pertinent, exercere; & ab alio Episcopo accipere, quæ à suo fuerint indebitè denegata.

Illud adiicientes, vt in recipiendis professionibus, quæ à benedictis, vel benedicendis Abbatibus exhibetur, ea sint Episcopi forma, & expressione contenti, quæ ab origine Ordinis nosciter instituta, scilicet, vt Abbates ipsi, saluo ordine suo, profiteri debeant, & contra Statuta Ordinis nullam professionem facere compellantur. Quòd si Sedes Diœcesani Episcopi fortè vacauerit, hæc omnia à vicinis Episcopis liberè suscipere, & absque contradictione possitis: sic tamen vt ex hoc in posterum propriis Episcopis nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non patestis habere, si aliquem Episcoporum per vos transire contigerit, ab illo interim Monachorum 4.

rum ordinationes, benedictionem vasorum, & vestium recipere valeatis.

5. *Paci quoque, & tranquillitati vestræ prouidere volentes, districtiùs prohibemus, ne quis vos ad sæcularia iudicia prouocet: sed, si quæ sibi putauerit aliquid in vos de iure competere, sub ecclesiastico Iudice experiendi habeat facultatem. Nullus etiam vos, vel Fratres vestros ad Concilia, Synodos, aut aliques forenses Conuentus ire, vel Iudicio sæculari de substantia vestra propria, vel possessionibus subiacere compellat; nec ad Domos vestras accedat causa Ordines celebrandi, chrisma faciendi, causas tractandi, aut aliquos publicos Conuentus conuocandi. Adicientes, vt nulli infra milliare vnum ab Abbatiis, vel Grangiis vestris edificia, vel mansiones nouas liceat facere. Quòd si præsumptum fuerit, per Episcopum Diœcesanum, vel eius Officiales excommunicationis sententia arceatur. In causis autem propriis, siue ciuilem, siue criminalem contineant quæstionem, liceat vobis, Fratrum vestrorum, quos ad hoc idoneos esse constiterit, testimoniis vti; ne ex defectu testium ius vestrum valeat deperire.*

6. *Authoritate quoque apostolica interdicimus, ne quis vicinos, vel mercenarios vestros, pro eo, quòd vos ad laborandum adiuuerint, in illis diebus, in quibus laboratis, & alij feriantur; vel aliqua occasione eorum, quæ ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo, quòd vobis aliqua beneficia, vel obsequia ex charitate præstiterint, interdicere, aut vinculo anathematis audeat irnodare. Quòd si quis in aliquem de Familia vestra, quandiu in familatu vestro fuerit, propter detentionem decimarum, vel aliud aliquid à Sede apostolica Ordini vestro concessum, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgauerit, liceat vobis eos absoluere, &, si necesse fuerit, ecclesiastica Sacramenta cum sepultura conferre. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Verona secundo Idus Martij.* Hactenus priuilegium Vrbani Papæ nostris indultum.

7. Quantam in nostros inuidiam concitauerit decimarum exemptio, quis non miretur? quæ nullis postea adhibitis limitibus, nullis moderationibus tanto tempore potuerit mitigari. Petrum Mauricium, Abbatem Cluniacensem, acriter primùm; mox ferè omnes Episcopos, & Clericos; deinde nostros etiam in nos mouit. Quippe Richardus, & ipse Cisterciensis, Cantuariæ Præsul, cùm eos hac de causa conueniret, quam suprà ad verbum dedimus, non tam epistolam scripsit, quàm inuectiuam. Aliorum offensiones, odiáque, ne ipsi quidem Pontifices Romani, quamuis tentauerint, valuerunt coërcere. Demum neque tentata compositio, & partibus iniuncta per Alexandrum obtinere potuerat, vt à molestiis nostri essent immunes. Sed vicit tamen cuncta longa patientia, & cùm in multis vltrò cessissemus, quæ in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. probata sunt, cessione, atque Concilio non obstantibus, exemptionem innouauit Honorius nouennio pòst, atque ad priorem formam cuncta restituit, nouo Indulto expedito, quod nos etiam in tempore adducemus.

8. Sub idem tempus quem anno præcedenti promotum diximus Attrebatensi Petro, cùm primùm Cameracum ingrederetur, per speciem iuris irrogata iniuria, sed breui resarcita, nec sine lucro, successores exemit iniusto oneri: tum patientiam viri, constantiámque, ac Ioannis quondam Domini de Oyciaco, tunc Longipontis Monachi pietatem insignem manifestauit; illius, dum mundanam potentiam humilis spernit, sed spernens superat; huius, dum facit successorem cedere iuri, quod sibi, & suis, aut competere credebat, aut arrogabat. Diximus Ioannem Regulum Oyciaci, illius, inquam, castri, quod ab exercitu Comitis Flandrensis olim obsessum Vallcellensibus commisit custodiendum. *Porrò Oyciacum* (ait Ferreolus Locrius [b]) *amplissimum est Artesiæ, non procul à Cameraco, municipium perantiquo castro (licèt nunc in ruinis fere sternatur) illustre; loci situ, gratióque, atque aëris amœnitate amabile; cuius Dynasta, trigimasepsem circiter turrium pagi subscribuntur.* Ita Ferreolus. Vt inde facilè liceat coniectari, qualis, ac quantus Ioannes Montis Mirabilis, dum in sæculo viueret, cuius Oyciacum velut accessorium, non principale dominium reputabatur. Sed ad rem redeo.

[b] *ad annum* 1157.

9. Erat Oyciaci Regulis adscripta Castellania vrbis Cameracensis, quod item in eodem Ioanne superiùs vidimus, atque ex ea, aut quæsitum, aut vsurpatum ius in Episcopos, vt quoties primùm vrbem ingrederentur, Castellanum donarent equo, & annulo. Semel forsan, & sponte factum ab aliquo, (qui mos est Principum,) in debitum traxerunt, quod vel per vim extorquerent à successoribus. Nec prævaluit exemplum recens Ioannis, (qui haud dubiè remisisset, aut omisisset,) quominùs, siue filius, seu filij tutor antiquiora sectatus, quia detetiora, & violenter exigeret, & Petrum præcedenti anno assumptum ex Pontigniaco, & Cameracum tunc primùm properantem, in media via spoliaret vtroque pignore. Narrat idem qui suprà Author totidem verbis [c]: *Hugo, Oysij, siue Oyciaci Regulus, atque arcis Cameracensis Præfectus, pernicioso quorumdam persuasus consilio, Petrum Atrebatensem Episcopum, Cameracensi in via obuium, annulo Pontificio, atque equo spoliat: causatus ex primo Pontificum in Cameracense oppidum ingressu, ea sibi iuris esse.* Hactenus de sacrilego ausu nouelli Principis. Nunc, quid Petrus, quid Ioannes in hoc casu, quid demum ipse Hugo, proferamus.

[c] *ad hunc ann.*

10. Spreuit facinus ingentis animi vir: atque ipsa graui, & patienti tolerantia, & monuit, & disposuit aggressorem ad pœnitentiam. Quippe in non resistentem leuior vis: & erubescit generosus animus in quenliber patientem desæuire. Sic tunc ab inuicem vterque discessère, & Hugo, & Petrus. Et dum ille pignoribus succubuit, quæ hic contempsit; alter spolia, sed sola reportauit; alter victoriam. An Hugo Ioannem iam iam facti pœnitens, consulturus adierit, an ab eo requisitus, & increpatus, tandem compunctus, satisfactionem, cessionémque obtulerit, in dubio est: interuenisse Ioannem inde coniector, quòd Vallcellense Cœnobium electum est, in quo vtrunque perficeret, quasi eorundem interuentu vellent exonerare dominium scelesto iure, quorum otationibus permanserat illæsum antiquis Dominis. Verùm satisfactionem, cessionémque ex eodem Authore proferamus [d]: *Qui tamen* (id est, Hugo) *posthodum facti sui pœnitens, restituit: atque in Vallcellensi Monasterio, adstantibus vtriusque Ordinis Proceribus non paucis, (inter quos absque dubio Ioannes) eiusmodi exactioni nuncium perpetuum misit.* Ex illa ergo die Sancta Attrebatensis Ecclesia[c]

[d] *vbi suprà.*

sia, & Petri reuerentia, constantiáque; & Ioannis affectuosa interuentione, mansit exempta & libera, ab illis exactionibus iniquis Castellanorum.

11. Interim Ioannes ipse Venerabilis, Deo iam per solennia vota sacratus, multis virtutibus clarebat in Longoponte; abstinentia præ aliis, & obedientia, de quibus mira leguntur in eius Vita. Proferam in exemplum mirum quid, ex quo cæteri eius actus cognosci possint[c]: *Nunciatum est Abbati de Ioanne, quod nimiis abstinentiis minùs discretè affligeret semetipsum, super quo Abbas eundem Sanctum Virum ad se vocatum plurimùm increpauit. Per idem tempus missus est ei ab Abbate piscis non modicus, atque ex parte ipsius iniunctum est, vt nihil ex eo relinquens totum manducaret. Ille verò vi coactus impery, ad manducandum piscem, quasi ad tormentum accedens, ne tamen Superioris sui præceptum transgrederetur, quidquid de pisce fuerat respuendum, nec esui congruum; insuper aristas duras, & maximas, non sine cruciatu magno comedere procurauit. Et sic multò plùs anxietatis pertulit, corporaliter aristarum aculeos consumendo, quàm vtilitatis habuerit, carnes piscis manducando. Nisi fortè è conuerso, dicendum sit, quòd suauis ei extitit aristarum acerbitas, quibus libenter vescebatur propter obedientiæ bonum, & carnes piscis amaræ, quas inuitus comedebat, dum noxia voluptatis in edendo periculum incurrere vereretur.* Hæc, & multa alia ibidem his similia, quæ longum esset in præsenti commemorare. Quapropter de illis agere supersedeo.

[c] lib.2.cap.3. ibid.cap.4.

---

1. Petri Clarævallensis ante obitum 2. Legatio ad Henricum Germaniæ Regem: 3. & reuelatio, in ipso Spirensis Vrbis templo maximo. 4. Dictum de tempore 5. Sanctus Ecclesias sibi subiectas visitans, in morbum incidit. 6. Fusniaci obit. 7. Claramuallem defertur, & sepelitur. 8. Quid in Exordio de eius sepultura. 9. Apparitio post mortem, 10. & celebris memoria sanctitatis 11. Thomæ Rodelij ad ipsum 12. laudatoria epistola. 13. Et electio Garnerij successoris.

CAPVT VI.

1. HVNC item annum, & Guillelmi Præfecturam, Angelis lætum, hominibus amaram, sed vtrisque illustrem, celebrémque reddidit Sancti Petri Clarævallensis pretiosa mors, cùm per sex annos plùs, minúsve clarissimam illam Vallem reddidisset clariorem suis virtutibus. Obiit autem quarto Kalendas Nouembris, vt habent Tabulæ, quarum hæc tantùm verba: *Octauus Clarevallis Abbas, Petrus Monoculus, ex Abbate Igniaci abbatizauit his annis sex, cuius Vita in Volumine Vitæ Beati Bernardi habetur. Obiit quarto Kalendas Nouembris.* Consonat, quod ad annum mortis attinet, Vincentius Bellvacensis in Speculo historiali, licèt nonnihil aberret in Vrbano, paucis multa complectens pro suo more[a]: *Anno*, ait, *millesimo centesimo octuagesimo sexto Vrbanus huius nominis tertius Papa fit: & Petrus, Abbas Clarevallis, obiit.* Hæc de tempore. Nunc obitum gloriosum, & sepulturam, si tamen priùs Legationem ad Henricum, qua hoc, vt existimo, anno, functus est, ex Heisterbacensi Cæsario describemus[b].

[a] alib.29.c.40.

[b] lib.2.c.22.

2. *Causa exitit, vt quidam ex Abbatibus Ordinis nostri pro negotio Ordinis ad Henricum Imperatorem, filium Friderici, mitterentur, inter quos præcipuus videbatur, tam sanctitate, quàm dignitate Dominus Petrus Monoculus, Abbas Clarevallis, cuius mentio habita est in distinctione sexta, cap. vndecimo. Et quia Dominus Cisterciensis in propria persona venire non potuit, Priorem pro se misit. Venientibus eis Spiram, cum in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis Mariæ, cuius structura stupenda magnitudinis est, orassent, cunctis ocyùs ab oratione surgentibus, & eiusdem Ecclesiæ ædificia circumlustrando considerantibus, iam dictus Petrus, (cuius cogitatus, & delectatio non fuit in ædificiis corruptibilibus, sed in structura Ierusalem cælestis) in oratione perseuerauit. Tandem omnibus egressis, cùm in porticu Ecclesiæ à Canonicis honorificè fuissent salutati, & cum instantia multa ad prandium inuitati, requisitum est à quodam Abbate, in cuius honorem Ecclesia esset consecrata. Respondentibus Clericis, in honorem Dominæ nostræ Sanctæ Mariæ, Abbas Clarevallensis inconsideratè subiunxit: Et ego sciebam.*

3. *Quod verbum Prior Cistercij considerans, tunc quidem tacuit: sed mox vt egressi sunt ciuitatem, eiusdem verbi recordatus, ait Abbati: Domine Abba, dicite mihi, vnde sciebatis, Spirense Monasterium in honorem Dominæ nostræ fuisse consecratum? Ille de verbo prolato dolens respondit: Visum est mihi benè dicere, vt tam mirifica structura Patrona foret Mater Dei, & Cælorum Regina. Prior benè cognoscens eius sanctitatem, & quia aliquid sibi in Ecclesia reuelatum fuisset, ex responsione coniiciens adiecit: Ego in hac via vicem gero Domini Abbatis Cisterciensis, in cuius authoritate vobis præcipio, vt non mihi dicatis nisi veritatem. Tunc ille obedientia arctatus, cum verecundia respondit: Quando prostratus coram Altari pro peccatis meis, & vitæ negligentiis, attentiùs orauì, ipsa Beata Virgo Maria mihi apparens, benedictionem, quam Ordo noster super redeuntes de via dicere consuenit, super me dedit in hac verba: Omnipotens sempiterne Deus, miserere huic famulo tuo, & quicquid ei in via subripuit visus, aut auditus mala rei, aut otiosi sermonis, totum ineffabili pietate propitiatus indulge. Per Christum Dominum nostrum.* Ista Cæsarius, quæ se relatione certa, atque omni fide digna cognouisse testatur. Vt in eadem vrbe, in qua Bernardus successor eius Petrus, à Beata Genitrice Dei, semperque Virgine Maria, vtriusque Aduocata, & Patrona visitaretur.

4. Nec defuêre, qui ex his Cæsarij dictis coniicerent, vixisse Petrũ vsque ad tempus Henrici Imperatoris, quem Patri Friderico non successisse ante annum M.C.XCI. compertum est. Verùm Henricum coronatum Germaniæ Regem, apud quem potuerint negotia pertractari, multò antequàm in Imperatorem, post mortem Friderici coronaretur, cùm æquè

æquè constet; non est, vnde diuturnior Petri Monoculi vita probari possit, maximè reclamantibus Tabulis Claræuallis, quibus fides præ aliis, atque Authoribus cunctis antiquioribus, certè ab Henrici in Cardinalem creatione, cui Petrus successit, mediat tempus, quo dicitur præfuisse. Sed & in Chronico Antisiodorensi, hoc ipso anno mors viri designatur. Vnde illud in Indice Claudiano: *Beatus Petrus anno M. C. LXXXI. ex Abbate Igniaci, qui in Chronico Antisiodorensi dicitur obiisse anno millesimo centesimo octuagesimosexto.* Iam mortem in conspectu Domini pretiosam Viri sanctissimi, Thomæ Rodelij verbis, qui cunctis affuit, fideliter transcriptis

c cap.27. referamus [c].

5. *Igitur*, ait, *Venerabilis Abbas Petrus, cùm aliquot annis Claræuallensibus præfuisset, egressus à Claraualle, sui Ordinis, secum quosdam habens Abbates, finitimas regiones perambulans, graniter infirmari, & viribus corporis cœpit repentè destitui. Cùmque ipsò silente, ægritudo periculum imminens loqueretur, accessit ad eum Gilibertus, (sic nominatur, qui semper erat sollicitus super eo: etenim ipsum tenerè diligebat,) dixitque ei: Domine, quantùm ex valetudine vestra perpendo, in proximo est, vt recedatis à nobis. Ad quod ille respondit: Hoc puto, & spero: nam in hoc anno multas preces effudi ad Dominum, vt me liberaret de corpore mortis huius. Intereà morbus augebatur; vix tamen, & cum labore vsque Fusiliacum venêre: ibi visum est Fratribus, quòd imagi deberet, & à superiori cœnaculo, vbi mansionem acceperat, in inferiorem Domum, quò fieri posset hoc competentius, Fratres eum deportare volebant. Ille verò, qui nullo vnquam labore, nullo dolore victus fuerat, nec foret ipsa morte vincendus, fatiscentes artus spiritui seruire coëgit. Surrexit, descendit, inunctus est, rediit, & tota die vsque ad vesperam sic permansit. Cùm iam Fratres Completorium decantassent, Gilbertus more fidelis amici, propiùs accedens, transitum ei adesse pauidit. Ruptóque regulari silentio, circumstantibus ait: Quid agimus, Fratres? Homo iste recedit à nobis. Audiens hæc vir Domini, eleuata manu innuit ei, non se nunc, sed in crastino migraturum. Fratres igitur interim siluerunt. At ille pernox in orationibus suum Domino transitum commendabat.*

6. *Tenebras rumpente diluculo, ad ipsum Fratres conueniunt, quibus ipse conatu, quo poterat, Dei dilectionem inculcabat. Et cùm ad eos loqui non posset; orare tamen Dominum non cessabat. Itaque sicut placidus, ac quietus steterat; ita placidè, ac quietè in ipsa oratione, in qua confitebatur Domino, emisit spiritum ad Dominum, qui dedit illum. Et ad quem pergeret spiritus ille, nisi ad Dei spiritum, cum quo ille inhærendo vnus fuerat spiritus, ad quem multa, & magna merita eum eleuabant, à quo nulla eum malitia separabat; in quo & Spiritus Sanctus similitudinem suam, imò seipsum reperit, & malus spiritus funestum nihil inuenit? A quo quàm longè fuerit omnis malitia, & in quo quanta fuerit innocentia testatus est, me audiente, Gilibertus superiùs, & sæpiùs nominatus, qui eius cum aliis ex Abbatibus confessionem audiuit, (& qui eius absque confessione, vt Deo ait Psalmista, sessionem, & resurrectionem nouerat,) testatus est, quòd pro omnibus offensis, quas in suo fine confessus fuerat, & quas in omni vita sua post inchoationem Monachatus contraxerat, (vt eius verbis vtar, Psalmus, Miserere mei, Deus, & Pater noster, cuius pœnitenti non deberet tinungi. Quòd si veteri prouerbio, pares paribus facilè congregantur, & similia similibus coaptantur, credo concludendum, & liquet, quod verum est, quòd Petrus hic pauper, & modicus, Cœlum diues ingreditur, & quorum est vitam imitatus, & mores, sanctis Angelis sociatur: sed iam spiritu dignè pro meritis collocato, corporis exequias prosequamur.*

7. *Quidam de Fratribus, vnum de dentibus eius proponebat extrahere, pro thesauro, scilicet, & Reliquiis illum seruare desiderans: & hoc se facilè facturum præsumebat, quòd os apertum defuncti habebat. Accedens ergo, vt pium furtum patraret, & os clausum, & sic obstructum reperit, vt propositum implere non posset. Notatum est ab aliquibus, & quasi pro miraculo habitum. Ego autem, vt præsumptiuè iudicem, hoc arbitror, quòd singularem humilitatem, quam viuus habebat, etiam defunctus seruabat. Totum est illius corpus, quod examine, non horruerem, sed gratiam possidebat, feretróque impositum; & licèt sepulturam Igniaci immortali sua humilitate voluisset; tamen vsque Clarauallem delatum est. Fratres autem, vt audiuimus, vbi Sanctus Bernardus primo positus fuerat, ibi propter gratiam meritorum, & quia Iusti erat monumentum, posuimus Petrum, nimirum, consonante quorundam testimonio, quibus iste visus est non minoris meriti, quàm ille: nam, quod pace dixerim, aliter sentiendum, ille quidem excelsus in verbo gloriæ, homo magni consilij, currus Israël, & auriga eius, Scriba doctus in Regno Cœlorum, proferens de thesauro suo noua, & vetera in Ordine Cisterciensi, in Ecclesia Christi multum fructum fecit in tempore suo. Ille, inquam, lucerna ardens, & lucens posita super candelabrum, vt lucret omnibus, qui in domo sunt, sicut lampas limpidissima lucis suæ radios, latéque diffudit. Iste autem, vt breuiter dicam, quasi carbo succensus; sed cinere suæ paupertatis opertus, minùs quidem splenduit, sed ardoris non minùs habuit.* Hactenus ex Rodelio transcripta fideli calamo. Nam, quæ Ignatius Firminus Piterniensis in Appendice ad Exordium magnum edidit, manca, & mutila: credo vitio exemplaris, vnde transcripsit.

8. Cæterùm in Exordio magno, quod vsque ad Petrum ipsius Author continuans, in eo absoluit; quippe viuente Gameno adhuc scriptum; hæc de Viri Dei morte, & sepultura [d]: *Consummauit igitur laudabiliter diebus vitæ suæ, debitum vniuersitatis exoluit. Et qui aliquando in lacrymis seminauerat, claudens oculos in morte carnis, in gaudio immortalitatis vitæ dulcissimos laborum suorum manipulos æternaliter metit. Venerabile corpus eius in cellula, in qua suprà diximus, Martyrem Christi Gerardum positum fuisse, in sarcophago super pauimentum exaltato, condigno honore reconditum est. Vbi cum Beato Collega suo in pace in id ipsum obdormiens, & requiescens, generalem Resurrectionis diem, & gloriam, quæ tunc Sanctis reddetur, feliciter præstolatur.* Sic vterque Sanctus Abbas meritis compar, confessione hic clarus, ille Martyrio, vetus Bernardi sepulcrum occupauit, vt meritis non minùs, quàm dignitate, veri Ipsius successores comprobarentur.

d lib.2.c.23.

9. *Post obitum exterioris hominis, & sepulturam corruptibilis corporis* (ait Thomas Rodelius [e]) *interiorem eius hominem, id est, animam hominis, abiisse quidem, sed non obiisse, licèt certa fides hoc habeat; tali tamen probatur argumento. Monachus quidam Prior cuiusdam cellulæ Sanctum Virum frequentare solebat: hic graui quadam tentatione pulsatus, & peccati vinculis irretitus, eius consilium, & auxilium postulabat. Vir Domini verbum impendens solatij, bonam spem suæ liberationis habere iubebat: sed cùm fama funeris ad illum venisset, velut obside suæ Redemptionis perdito, de sua liberatione penè desperans, defunctum quasi viuentem alloquebatur; & de solutione*

e cap.29.

tione sua pollicitationis compellebat. Et ecce dum ad iamum taliter diuina pietatis pulsaret, in somnis ei Sanctus Dei Petrus apparuit, & consolans eum, quòd ab omni tentatione sua saluatus esset, asseruit. Euigilans ille, & quasi somnium, quod viderat, & audierat reputans nihil, sponsionis exitum expectabat. Infra paucos dies persona quædam, cuius amore illicito ligabatur, & qua vinente se soluari posse non sperabat, nunciatur defuncta: atque ita Laqueus contritus est, & peccator liberatus. Ità Venerabilis Pater, vt quondam viuens, ita & post mortem salutis suæ compos, aliorum etiam salutem sollicitabat.

10. Petrum Monoculum inter Sanctos præcipuos sui sæculi memorant Vincentius Belluacensis, & Antoninus, Petrus Equilinus in Catalogo Sanctorum [f], Martyrolog. Monasticum, ac Menologium Familiæ Cisterciensis: nisi quòd ignorantia Tabularum Claræuallensium translitum Sancti 18. Maij celebrant, quem constat 29. Octobris contigisse. Sanè in Martyrologio Claræuallensi vltrà superiùs à nobis annotata, ex Catalogo Abbatum scriptum lego: *Quarto Kalendas Nouembris obiit Dimus Petrus octauus Abbas Clarauallis.* Ergo ex his corrigendi veniunt omnes, qui diem mutant. Extat epistola eiusdem Thomæ Rodelij, qui Vitam Sancti scripsit post eius obitum, ad eundem viuentem, nec multò antè electum in Claraualle, cùm fortè ante interiores virtutes cognitas, nimia exterior abiectio minorem debita conciliaret venerationem, quam Sancti Viri veram descriptionem operæ pretium duxi dictis adiungere: ea autem, prout scripta habetur, sub finem Vitæ Sancti, talis est:

11. *Ego sum Thomas, germanus Philippi, vnus, scilicet, de vobis Fratribus, quos diligere solebatis, cùm adhuc Igniacensi Ecclesiæ Beatitudo vestra præesset; & Fratres ipsius loci de vestra præsentia lætarentur, qui nunc absentiam vestram tanto grauius ferunt, quanto quid conferret præsentia, ipsius absentia experimento didicerunt. Sed, vt de magno Martino legitur, cuius, vt secundum conscientiam loquar, vos estis imitator imitatus, nobis estis ablatus, illis de Claraualle à Deo estis donatus; si tamen Claræuallenses in hac munere Dei gratiam recognoscunt, si non respiciunt in vanitates, & insanias falsas: si non secundum faciem, sed iustum iudicium iudicare nouerunt. Quid igitur de vobis iudicem, ipsi videant: ego constanter iudico, testimonium in hoc habens ab omnibus rectè iudicantibus, quòd quicunque vos non admiratur, & diligit, decipitur profectò, non parum errat, aut certè vestram virtutem, aut veram ipsius virtutis notitiam ignorat. Habuerunt illi de Claraualle in aliis partibus gloriosa charissimata: in vobis quippe, si dissimulare nolunt, habent, quod quantò rarius inuenitur, tanto charius approbatur. Vnde & Christiana virtutis exemplar, cuius perfecta effigies, & veritas substantialis non est in magnis, & mirabilibus huius mundi, nec in eis rebus, quæ sunt secundum sæculi iudicium gloriosa; sed in fide firma, in charitate ignea, in humilitate profunda, in rerum visibilium contemptu, & continentia, in inuisibilium experientia, & amore. Hæc nostra, & vera diuitia, has magnificè possidetis, harum conscientia alia, in quibus alij excedunt, quòd forsitan est facere, quàm habere, contemnitis.*

12. *Hæc Fratres vestri videant, & si volunt gloriari, in Domino glorientur. Habent præ cæteris hanc præexcellentem gloriam, quòd habent in Dei rebus hominem singularem. Sed hæc dicta sint hactenus, quæ quidem parua esse non dubito pro materiæ dignitate; sed profundissima, & singulari humilitati multa esse, multòque onerosa, non dubito. Cæterùm, vt ad Sanctam Paulam sic scribit Hieronymus:* Neque Christi præconia, etiamsi voluero, neque laudes vestras tacere possum. *iam nunc prostratus pedibus Sanctitatis vestræ, & ipsos amplectens, & summa cum deuotione deosculans, precor, mi Pater, & si de tanto Dei seruo ego tantus peccator audeam dicere, mi amice; vt Thomæ filij vestri, qui hæc vobis scripsit, & Philippi fratris mei memoriam habeatis, & pro hac maxima dilectione, quam erga vos habemus, vetributionem reddatis, vt pro nobis nominatim aliquando communem omnium, sed vestrum proprium Dominum exoretis: hæc desideria mihi sunt super aurum, & lapidem pretiosum multum. Nec mirum: sicut enim Deo nunquam sine spe misericordiæ supplicatur; ita constanter credo, quòd nunquam sine obtentu eius misericordiæ supplicatis, etsi non ad plenum in eis, qua exigitis, tamen ad aliquod commodum eorum, pro quibus rogatis; & omninò iustum est, vt vos supra cæteros exaudiat in vestris precibus, cùm supra cæteros vestri temporis, quos nouimus, eum in suis mandatis audiatis.* Hactenus ibi, nec aliunde sanctitatem viri, facilius iudicem, quàm quòd in faciem (licèt per epistolam) prudenti viro laudandus videretur sine periculo.

13. Defuncto Petro in Sede Claræuallis successit Garnerius ex Alba Ripa assumptus, & post nouennium Lingonas promouendus. In Catalogo Abbatum Claræuallensium de eo ista: *Nonus Clarauallis Abbas Garnerius, ex Abbate Albæ Ripæ abbatizauit hic annis nouem. Postea factus est Episcopus Lingonensis.* Verum est tamen, illius electionem in prædicto Catalogo anno sequenti factam commemorari. Et potuit fieri, vt quæ non mortuo Petro, statim facta, Cistercij Abbate intra mensem decedente, primariæ Domus electionem expectaret; indéque retardata per duos menses, intrantem annum M.C.LXXXVII. auspicaretur.

---

1. *Sanctæ Hildegundis Monachi initia.* 2. *Patria, & peregrinatio mentito sexu,* 3. *mox orba,* 4. *& spoliata à seruo:* 5. *quanta passa, quousque in patriam redux:* 6. *varia fortuna.* 7. *Ad Italiam profecta,* 8. *in itinere pro latrone capta,* 9. *ferri candentis purgatione liberatur; quæ olim frequens.* 10. *Dein suspensa à propinquis veri latronis,* 11. *sustentatur ab Angelo, & Veronam defertur.* 12. *Vnde Spiram reuersa Monachum induit.* 13. *Ratio temporis, & alia remissiuè.*

CAPVT VII.

1. VNC item annum patibulo subtracta per insigne miraculum, dein nata Cistercio in Sconaugia Hildegundis illustrat, memorabilis virago, sanctitate, & meritis præclara; sed clarior adhuc ipsis ex euentibus; in quibus nihil non singulare, nihil non rarum; & vt aliqua nequaquam imitanda, nihil non admirandum inuenitur. Habemus Vitæ eius duos Scriptores, coæuum vtrumque: Cæsarium

Heisterbacensem, qui scribebat anno M. C C. XXII. id est, sex, & triginta post hunc annis; nec de aliena Prouincia, sed de propria, & notissimo sibi Monasterio: & Anonymum alium eiusdem Domus, nimirum, Sconaugiæ; qui inde se conuictum testatur ad scribendum, *Quod nemo dignius, ac plenius vitam Beatæ Virginis stylo mandare potuisset, quàm is, qui eam non aliunde, sed ex ipsius ore Virginis didicisset, cum ea commorando, conuiuendo, consulendo, positus in Domo Nouitiorum, Nouitius & ipse nouiter Conuersus in loco, qui dicitur Schenaugia.* Portò hunc Authorem Manuscriptum à se inuentum eulgauit Raderus in suo Viridario. Vnde & alij nonnulli desumpsère: maiora, & singularia vterque narrat. Vbi discordant, vtrumque proferemus.

2. *In Ciuitate Nusia*, (ait Cæsarius [a], nam Rodertus Nouesium correctiùs nominat,) *quæ quinque milliaribus distat a Colonia Ciuitate magna, ciuis quidam habitauit filiam habens formosam, ac dilectam, nomine Hildegundem, quam, vxore defuncta, cùm adhuc esset in ætate tenera, orationis gratia secum Ierosolymam duxit. In reditu verò infirmatus pater, apud Tyrum diem clausit extremum. Moriens autem filiam, & omnia, quæ habuit, ministri sui fidei commendauit: sed fidem non seruans seruus domino, neque misericordiam exhibens defuncto, cùm esset impius & auarus, puella nocte in domo relicta, clam nauigauit, multis illam miseriis exponens. Quæ manè surgens, cùm intellexit tutorem infidum cum patris sui substantia nauigasse, vehementer doluit, & quid ageret, vel quo se verteret, penitùs ignorauit: non intelligens idioma terræ, fame cœpit tabescere; mendicando tamen scholas in eadem ciuitate anno vno frequentauit.* Ita Cæsarius, plurima omittens, quæ ex Authore Raderi supplenda erunt.

[a] lib. 1. c. 40.

3. Prodit parentes Hildegundi nobiles, matrem sterilem fuisse per plures annos. Post quos à Deo per lacrymas, & preces impetrato conceptu, vnico partu duas filias edidisse, quarum vnam Agnetem, alteram Hildegundem appellauit. Has post annos infantiæ, pueritiæque in Nouesiano Monasterio virginum educari curauit, vt quas à Deo per orationes impetrauisset, in ipsius obsequium destinaret, seu per vota sacrandas, siue nuptui tradendas; in quo earum arbitrium, quod optimi parentis munus, præstolabatur. Inter hæc patre Ierosolymam adire, ac crucem sumere prædeliberante, mater felici fine consummata, sanctè obdormit. Ipse tunc expeditior maturat iter, & quia Agnes Monasterium suspitauerat, velatam relinquens, sororem eius Hildegundem secum assumpsit, comitem viæ futuram, nec nisi morte ab ipso separandam. Sed Virginem tenellam, formosámque (nam Hildegundis pulchra, vel inter paucas) circunferre per Orbem, milites inter, & barbatas nationes, periculosum nimis; & vel mortem, si vellet custodire; vel, si contemnat infamiam allaturum; placuit mentiri sexum, mutato habitu, & consuratam virili more fœminam, sub nomine Iosephi, quocunque pergeret, parentem comitari.

4. Hîc primùm à Cæsario differt Author Anonymus: (nam in cæteris addit, non contradicit,) quippe Cæsarius insedditu, Author Raderi ante aditam Ierosolymam, & peragrata loca nostræ salutis, eundem Hildegundis patrem defunctum tradit. Quocunque tempore, conuenit vtrique, relictam Virginem commendatam seruo, à quo nequiter fuerit spoliata. Reliqua verbis ipsius Raderi prosequar, quæ ab Anonymo illo ipse mutuauit: nam & in eis à Cæsarij Historia nonnulla discrepant: *Iosephus*, ait [b], *cùm ducem itineris manè circunspiceret, frustráque requireret, infelix pupilla vtroque orbata parente à perfido verne prodita, ingenti percussa dolore, quo se verteret, non habebat; sed luminis orfanorum Patris prouidentia, præter omnem expectationem adest vir quidam, qui illam ratus esse adolescentulam, inter suos receptam, Ierosolymam reducit; ibique in Templariorum Æde collocat, vbi annum versata, sanctúmque locum sapiùs venerata, incidit in peregrinum quendam popularem, & propinquum, qui cùm Ierosolymis de suo cognato diligenter inquisiuisset, deductus ad Iosephum, de statu consanguinei cognoscit, filiámque, quæ se filiam illius, quem quæreret, affirmabat, in comitatum receptam, in patriam reduxit. Sed & is etiam, antequàm Coloniam attingeret, data puella Iosepho pecunia, per mortem extinguitur. Ita Virguncula inter vtranque fortunam iactata lætabatur, se patriam solum aspicere; dolebat tamen de propinqui, à quo tanta fide per terras, & maria esset reducta, fato.* Ita ex illo Authore Matthæus Raderus.

[b] in Viridar.

Cæsarius [c] ex his quædam prætermisit; quædam alia, sed leuiter, mutauit; his tamen verbis multa comprehendes, quæ à fuga serui, vsque ad reditum ad patriam, puellæ nostræ (Iosepho) contigerunt. *Mendicando cœpit in eadem ciuitate* (nempe, apud Tyrum) *scholas frequentare. Post hæc peregrinis de Alemania aduenientibus calamitatem suam exposuit, & ex sui misererentur, lacrymabiliter exorauit. E quibus vnus cæteris ditior, vir bonus, & nobilis consolans desolatam, assumensque in nauim suam derelictam, datis necessariis, ad patriam reduxit peregrinam.* Potuisset Hildegundis ad patriam redux, quem peregrinationis causa sexum celauerat, aperire gentilibus, & exuto Iosepho, fœminam agere; si non maioribus ærumnis destinata, clarioribus etiam gloriis reseruaretur. Verùm qualiter vtræque illi euenerint, & ærumnæ, & gloriæ, ex Cæsario primùm, qui magis succinctè, mox ex Authore Raderi, qui fusiùs, & distinctiùs narrat, prosequamur.

5. [c] vbi sup.

Eodem tempore, ait Cæsarius [d], *cùm orta fuisset controuersia in Ecclesia Trenirensi inter duos electos, Volmarum, scilicet, eiusdem Ecclesiæ Archidiaconum, & Rodolphum maiorem Præpositum, Dominus Papa Lucius priori fauebat; partem alterius Fredericus Imperator defensabat: & quia nullis erat tutum, apices ad Apostolicum, qui tunc temporis apud Veronam morabatur, deferre, propter insidias Imperatoris, Ecclesia Colonienſis, cùm vni partium faueret, & eò hoc litteras ad iam dictum Papam destinaret, baiulus earundem, vitæ suæ timens, præfatam puellam, propter tonsuram, & habitum adolescentem æstimans, prece simul, & pretio, eò quòd minor suspicionis nota foret in pedite, quàm in equite, clausas in baculo litteras, vt portaret, obtinuit.* Sic ille paucis. Quibus Author Raderi nonnulla addit, quæ illustrant magis, & augent quàm contradicunt.

6. [d] lib. 2. c. 40.

7. *Coloniam ingressa*, inquit [e], *refectis ex itinere viribus, diuino ductu ad cuiusdam Canonici amplas ædes deferitur, hospitióque peregrini adolescentis nomine susceptus, cùm post dies aliquot abire paratur, rogatur à Canonico manere, si hospitium non esset molestum: persuadetur. Erant Canonico controuersiæ cum Philippo, Archiepiscopo Colonienſi, propter sororem Amissitam Cœnobij cuiusdam, & neptem Archiepiscopi, quam præficere præ altera, conabatur Virginibus Præsul. Erat præterea de Trenirorum Pontificatu certamen, vtrùm Volmarus, an Rodolphus Archiepiscopatum teneret.*

[e] loco cit.

Ad

Ad Summum Pontificem ab Vvolmaro appellatum fuit. Canonicus Colonienſis ſimul ſuam controuerſiam apud Summum Pontificem expediturus, periculoſam Legationem, & occultam ſuſcipit. Nam Fredericus Imperator, qui cum paucis pro Rodulpho erat, omnia itinera obſederat, ne littera per nuncios Romam mitterentur, Canonicus Ioſephum, quamuis reluctantem, ob linguarum peritiam, itineris ſui comitem adiunxit: litteras ſcipione incluſas geſtat; primóque Mogunciam, mox in Auguſtanæ ditionis oppidum Luſinahuſium, quod inter Auguſtam, & Dilingam eſt, venit. Imperatoriam enim urbem Auguſtam Vindelicorum, vbi multi ex aula Imperatoris Palatini agebant, quod litteris mouueret, ſtudio declinarat. Hoc tamen, relictis Ioſepho litteris, & ſcipione, vti ſe pedes mox ſequeretur, expeditus equo tranſiit.

8. Hactenus Hildegundem (Ioſephum) vterque Author per varios caſus eò tandem deducit, vt litterarum baiulus pedeſter ex Germania, ad Italiam pertranſiret. Nunc quæ deinceps miranda ſequuta ſint, ex vtroque Authore (nam conueniunt) verbis tamen Cæſarij [f] referamus. *Quæ cùm iuxta Auguſtam deueniſſet, furem offendit: regata ab eo, vt ſocius eſſet eius itineris, nihil mali ſuſpicans, libens annuit: cùmque paululùm proceſſiſſent, & fur quaſi ſonum perſequentium audiret, onus cum furto penes puellam repoſuit: ipſe verò ad ſeceſſum ſe ire ſimulans, inter fruteta ſe abſcondit. Quid morer? Illa à perſequentibus comprehenditur cum ſacco, ad iudicium trahitur, & per ſententiam laqueo adiudicatur. Quæ cùm ob furti præſentiam, nullam ſibi prodeſſe cerneret allegationem, nullam excuſationem, Sacerdotem petiuit, & obtinuit, cui exceſſus ſuos confitens, ſatis ſimpliciter expoſuit vitæ ſuæ cauſam per ordinem, & furis nequitiam; &, vt Sacerdoti verborum fidem adſtrueret, arundinem litteras pontificales continentem oſtendit, & adiecit: Si fuerit fur queſitus, ecquis inuenietur. Mox ad conſilium Sacerdotis ramus retibus, & canibus ambitur, fur queſitus comprehenditur, ad iudicium vterque trahitur. Cùm miſer ille ad criminis confeſſionem cruciatibus compelleretur, vt, inuitè compellor confiteri quod non feci: iſte cum furto deprehenſus ſecundùm ius ciuile damnandus eſt: E contra, cùm puella diceret, ſibi onus dolosè fuiſſe commiſſum, & reſtituere vellet depoſitum, reſpondit ille: Onus illud meum eſſe nego. Vox vnius, teſtimonium eſt nullius. Ad hæc Virgo obmutuit. Tunc accedens Sacerdos pro ipſâ allegauit, & quòd eſſet innocens, doloque hominis circumuenta, ſatis affirmauit. Et ſi minùs, inquit, verbis meis creditur, examine ferri candentis, quis reus ſit, quis innocens, facilè comprobabitur. Quod cùm omnibus placuiſſet, manus furis exuſta eſt: puellæ verò manus illæſa apparuit. Tùnc fure celeriùs ſuſpenſo, Confeſſor, & liberator Virginis gaudens illam in domum ſuam recepit.* Ita Cæſarius, narrans primum miraculum, quo ancillam ſuam Deus voluit illuſtrare, quibus concordat per omnia Author Raderi.

[f] lib. 1. c. 40.

9. Cæterùm, quod attinet ad purgationem per ferrum candens, vulgari vſu receptam illis temporibus, quamuis iure prohibitam, præter tradita à nobis in ſuperioribus, video non ſolùm permiſſam intentantibus; ſed iniunctam nolentibus, etiam à Religioſis, & piis viris, quod multi, & graues Authores teſtificantur. Extat in iure Decretalis Honorij III. poſt paucos annos edita in capite, *Dilecti filij*, de purgatione vulgari, vbi recèns conuerſis Liuonienſibus, & iniuncta traditur, & iniungenda vlteriùs perhibetur: *Dilecti filij, nouiter in Liuonia baptizati, grauem ad nos querimoniam deſtinarunt, quòd Fratres Templariorum, & alij, qui temporalem in eis poteſtatem exercent, ſi quando de aliquo alio crimine infamantur, eos ferri candentis iudicium ſubire compellunt; quibus, ſi qua exinde ſequatur adoſtio, ciuilem pœnam inſligunt. Cùm igitur huiuſmodi iudicium ſit penitùs interdictum, vtpote in quo Deus tentari videtur, mandamus, quatenus dictos Fratres, & alios, vt ab huiuſmodi Conuerſorum grauamine omninò deſiſtant, per cenſuras eccleſiaſticas appellatione remota compellas.* Plura alia ex antiquis ad hoc facientia Expoſitores congerunt, quæ in præſenti non vacat recenſere.

Hildegunden ſubductam per miraculum damnationis periculo, nouum aliud, & maius ſequutum eſt maiori adhuc miraculo euadendum, quod Cæſarius [g] deſcribit totidem verbis. Vix patibulo latro ſuſpenſus fuit, *cùm ecce Diabolo inſtigante, cognatio eius* (ſcilicet, furis) *de tam turpi illius morte furens, innocuam, & Dei iudicio liberatam de Domo Sacerdotis extraxit; reóque depoſito, loco eius illam ſuſpendit. Sed mox Angelus Domini adfuit, qui & Virginem, ne laquei ſentiret anguſtias, ſuſtentauit, & mirifico vultus ſui odore refecit: & cùm nihil ſentiret doloris, imò maximis ſe putaret intereſſe deliciis, in ipſa nocte tam ſuauem audiuit melodiam, & ſymphoniam tam diuerſam, támque iocundam, vt nullus chorus, ſiue corporalis, ſiue inſtrumentalis tantæ dulcedini poſſet comparari. Sciſcitanti ea, quid hoc eſſet, reſpondit Angelus: Anima ſororis tuæ Agnetis cum hoc concentu angelico, in Cœlum defertur: & tu poſt biennium feliciter ſequeris. Sic beata illa per biduum pendente, paſtores in vicino paſcentes, miſericordia moti, condixerunt, vt corpus deponerent, atque ſepulturæ commendarent. Inciſo verò laqueo, non vt conſuetudo eſt cadauerum, cum pondere cecidit; ſed paulatim Angelo ſuſtinente, ad terram demiſit aſtrerit: quo viſo territi paſtores fugerunt: dixitque ei Angelus Domini: Ecce libera es: vade, quò libet. Reſpondit illa: Domine mi, Veronam ire propoſui. Statimque in momento tranſlata eſt Veronam. Et ait Angelus: Verona hinc diſtat tribus milliaribus: inter Auguſtam verò, & Veronam ſeptem dietæ numerantur.* Ita Cæſarius.

[g] lib. 1. c. 40.

10.

11. Anonymus, qui ex ore Virginis didicit, antecedentia eiſdem fere verbis, ſenſu protſus eodem; vltima paulò aliter deſcribit [h]: *Permouit interim Deus vicines opiliones, qui ibi paſcebant, vt ſuſpenſam à furca detraherent; detractam, dum ſoluere cogitant, luporum ſubita incurſione, qui in armenta graſſabantur, auerſi, iacentem, & ligatam relinquunt: ſed diuinitùs ſoluta ſurgit, & ab Angelo cuſtode in candidiſſimum equum impoſita, Veronam, quò herus eius iam peruenerat, deportatur. Accipitur à Canonico ingenti gaudio, à quo iam de eius aduentu deſperatum erat: miratur eius caſum, & diſcrimen miſeratur, ſaluatémque gratulatur, ac ſecum Romam adducit, confectiſque negotiis in Germaniam ad Nemetes redit, vbi Præſidem Iudicij, & controuerſiæ Epiſcopum quærebat. Sed, cùm Spiræ non eſſet, Canonicus Ioſepho poteſtatem fecit, aut Coloniam redeundi, aut Spiræ ſuum aduentum præſtolandi: ad Epiſcopum enim properabat.* Hæc Author ille, diſtinctiùs cuncta commemorans. Verùm, qualiter tandem diuina, vt creditur, præcedente reuelatione, Incluſæ cuidam facta, habitu monachali in Sconaugia à Theobaldo Abbate donata ſit, profeſſa Monachum, quæ virum hactenus ſimulans tot fuerat beneficia Dei experta, quod contigit hoc anno, idem qui ſuprà Cæſarius [i] his verbis prodit:

[h] apud Raderum.

11.

[i] vbi ſuprà.

12. *Proſperè verò apud Veronam negotio peracto, cùm rediens intraſſet Diœceſim Vvormatienſem, non ingrata diuinæ miſericordiæ, prece, & ope cuiuſdam Venerabilis*

mum, scilicet, Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? *Dæmones adeo in Choro multiplicati sunt, vt ex illorum concursu, & discursu, mox in eodem Psalmo Fratres fallerent, quos cùm Chorus oppositus conaretur corrigere, Dæmones transtiolauerunt, & se illis miscentes ita turbauerunt, vt prorsus nescirent, quid psallerent. Clamauit Chorus contra Chorum. Dominus Abbas Eustachius, & Prior Hermanus, qui hæc vidit, a stallis suis semoti, cùm satis ad hoc conarentur, non poterant illos ad viam psalmodiæ reducere, neque vocum dissonantias vnire. Tandem Psalmo illo modico, & valdè vitiato, cum labore pariter, atque confusione, qualicunque modo expleto, Diabolus totius confusionis caput cum suis satellitibus abscessit, & pars turbata psallentibus accessit, quem eadem hora prædictus Prior in forma draconis, hasta habentem longitudinem, euolare vidit: & hæc iuxta lampadem in choro ardentem, ne eius abscessus latere posset contemplantem. Reliqui Dæmones vmbrosa habebant corpora infantibus maiora, quorum facies ferro ex igne extracto erant simillima.* Hactenus ibi.

5. Porrò ex his ratio temporis colligitur, quod non potest ab hoc longè distare. Quippe Hermanus anno M.C.LXXXVIII. in Heisterbacense Cœnobium missus est, primus Abbas futurus illius Domus: idque non multò post assumptum Monachatum, vt idemmet Cæsarius testificatur [c]: *Dominus*, inquit, *Hermanus, nunc Abbas loci Sanctæ Mariæ, quanta sit vir Religiositatis, quantæq; grauitatis benè nosti.* Et post pauca: *Factus Monachus in Hemmenrode, non multò pòst cùm mitteretur Conuentus noster* (scilicet, Heisterbacensis) *de eodem Claustro, primus Abbas eius efficitur*, &c. Quare, si, antequam illuc mitteretur, Prioris munus exercuit in Hemmenrode; in quo tamen non diu moratus fuit; non potuit non exercuisse circa hunc annum. Cúmque vlteriùs ex dictis palam sit, cum Abbate Eustachio concurrisse, relinquitur, vt vtriusque Præfectura concernat idem tempus, atque adeò in hoc veniant memorandi.

[c] ibid. in princ.

6. Verùm, cui datum Dæmones conspicere, quo sibi, & aliis ab eis præcaueret, maiora adhuc indulta; & glorioſiora, Christus assistens etiam visibiliter, atque Spiritus Sancti Magisterium sub specie columbæ haud dubiè, quin doctura; & suggestura; quæcunque & sibi, & aliis congrua forent; prodit idem, qui suprà, Cæsarius [d] alio in loco: *Cùm in eodem Claustro, die quadam, Dominus Hermanus Missam celebraret, Henricus Conuersus de Hart, cuius suprà memini, in canone columbam mirę candoris, iuxta calicem vidit residentem. Vidit & ante sumptionem infantem pulcherrimum, qui ex manibus eius, vsque ad summitatem Crucis ascendere visus est: qui mox descendens sub specie panis a Sacerdote sumptus est.* Hactenus ibi. Quale putamus magisterium hominis, qui Spiritus in aure, Christus in corde? Et illum quidem, à quo disceret, habebat; hunc, qui in eo doceret, quæ didicisset. Similem, aut eandem columbam ab eo visam super caput Nouitij, cùm in Monachum benediceretur, testatur idem Author [e] alio in loco. Haud dubiè quin vt inde constare posset, eruditum doctrina, quæ ab Spiritu Sancto fluxisset, per os Hermani: neque alia ab eo edoctum, quàm quæ didicerat. Cæterùm, etiam opere potentem, non minùs, quàm sermone, doctrináque, alius probat euentus, quem ex eiusdem Hermani ore acceptum, idem Cæsarius narrat in hæc verba [f]: *Retulit mihi Abbas Hermanus, eo tempore, quo Prior fuerat in Hemmenrode, iuuenem quendam Monachum ibidem per carnis inuentiua grauiter fuisse tentatum: cui cùm idem iuuenis eandem tentationem, qua nimis vrgebatur, cum lacrymis confessus esset, consolatus est eum Prior, & ait: Quando stimulus carnis te impugnat, sic Diabolo dicere debes: Diabole, Confessor meus præcipit tibi, vt cessies me tentare. Posteà cùm tentaretur, & tentatio ea maximè inardesceret, simpliciter, & valdè confidenter voce satis clara, sicut fuerat edoctus, contra Dæmonem clamauit dicens: Diabole, Confessor meus præcipit tibi, vt cessies me tentare. Ad quam vocem Diabolus, id est, Spiritus fornicationis ille confusus est, & statim tentatio à iuuene cessauit.* Magnum est impetare ventis, & mari: carnis concupiscentiis quantò glorioſior? Quippe maior violentia, & periculum grauius ab eis imminet.

[d] lib. 9. c. 29.

[e] lib. 1. c. 76.

[f] lib. 8. c. 96.

Interea tamen timidior, quò potentior; & quò instructior, cautior idem Hermanus, atque vt omnia de misericordia diuina sperans, sic propriis meritis penitùs diffidens, Priotatus officio renunciare, & sibi soli viuere, velut qui regi, non regere venisset, delibetabat. Et mancipasset effectui, quod conceperat, si non cœlesti oraculo retentus, in semel suscepta cura perseueraſſet. Inuenio id ab eodem Authore proditum, atque eius verbis, quia concernit hoc idem tempus, præcedentibus etiam subiiciendum: *Cùm adhuc Prior esset in Hemmenrode*, (scilicet, Hermanus,) *& firmum haberet propositum resignare Priorat us officium, prædicta Matrona ab Abbate eius Domino Eustachio, quem hospitio receperat, vt sibi eum transmitteret, petiit, & obtinuit; quem ante imaginem Dei Genitricis ducens, ne officium suum resignaret, admonuit. Deo* (inquit) *non placet, si resignaueris. Cui cùm ille diceret: Vnde hoc nostis? Respondit illa: Nemo mihi hoc reuelauit, nisi Domina ista, digito imaginem ostendens. Multa siquidem eidem deuotæ fœminæ per sacram illam imaginem reuelantur, & plurima per illam beneficia consequitur.* 7.

Hactenus ex Cæsario Heisterbacensi, quæ de Hermano sparsim vsque ad hoc tempus permixta variis Venerabilis Henrici reuelationibus. Sed adhuc aliam eidem Henrico factam, atque eidem Hermano, cùm adhuc Prior esset, communicatam, adeóque hos annos etiam concernentem, vniuerso Cistercio glorioſam libet producere, quam sine aliarum Familiarum præiudicio, quæ tunc florebant, in confusionem nostri, qui hodie viuimus, nequaquam duxi silentio prætereundam: *Henricus idem, cùm grangiæ, quæ Hart dicitur, præesset, & die quadam in Maio segetes cortis, orationes suas ruminando, solitarius circuiret, hominem quendam sub arbore, pyro, scilicet, quæ illic in agro singulariter sita est, contra se stare conspexit: erat autem decentis staturæ, capillis canis, barba prolixa, tunicam habens talarem, & clausam; scapulare verò latum vltra genua longum; erátque vultus eius angelicus, quem cùm propiùs accedens salutasset, dicens: Benedicite, Frater, respondit ille: Dominus. & adiunxit: Quomodo placet tibi Ordo tuus, Frater? Conuerso respondente, Benè, iterum adiecit: Benè tibi placere debet: quia nulla vita tanta perfectionis est in Ecclesia Dei. Cuius aspectu, cùm multam Conuerso incuteret reuerentiam, volens Conuersus aliquam ei dare occasionem petendi aliquid, ait: Cur sic nudis incedítis pedibus? Respondente illo: Talis est consuetudo nostra. subiunxit: Peto, vt mihi liceat vobis dare calceos, & nobiscum hodiè prandeatis. Et recusante vtrumque dicente: Modicus cibus mihi sufficit, & sociis meis.* 8.

Cúmque aliquà secretiùs tractassent, is, qui viator videbatur, Conuerso alium diem ad eundem locum præfixit, à quo modicum discedens, in plano loco nus- 9.

quam

quam comparuit. Quo viso, Henricus expauit, festinánsque ad Claustrum Priori suo Hermano, nunc Abbati in loco Sanctæ Mariæ, quæ dicta sunt, vel gesta per Ordinem renouauit. Cui ille: Gaudeo, Frater: quia non omne verum est, quod verum apparet: mox vt eum videris ex remoto, signabis te, & cùm propinquaueris ei, iterum eo vidente signabis te; dicésque: Benedicite. Quod cùm fecisset, subrisit ille dicens: Iustè facis signando te: quia non omne verum est, quod verum apparet: neque hoc ipsum habes à te; sed Prior tuus te docuit. Ego, inquit, illum diligo, eò quòd Religiosus sit, & amator disciplinæ: & quia quotidie orat pro omni Ecclesia, & Ordine. Ita Cæsarius, qui & plures alias reuelationes narrat eidem Henrico factas sub idem tempus, quas in præsenti non vacat recensere.

10 Illud tamen silentio non præteream, eundem Angelum ei sæpiùs apparentem, cœpto cingulo, restituióque, ostendisse per signa cœlestem nuncium, qui tantam illi virtutem conferre potuit: nam audi, quod sequitur: *Sæpè illum testabatur, se vidisse* (scilicet, iuuenem) *in Choro circumeuntem in multa claritate. Cui, cùm ex parte Prioris Conuersus tunicam obtulisset, & cingulum; tunicam recusauit, cingulo susceptо. Et ego, inquit, illud dabo bono cuidam Monacho Eberbacensi, & magis ei proderit, quàm si ego uterer illo. Remisit ei cingulum lanteum, pretio quidem vilissimum; sed virtute pretiosum, per quod & sanitates factæ sunt; & plurimùm valet contra stimulum carnis.* His fauoribus, quos suos agnoscebat, piissimus Dominus per suos nuncios cœlestes consolabatur. Ast, qualiter Hermanus post biennium creatus Abbas, Heisterbacum fundauerit, felicem Domum multis Viris Sanctis, & Cæsario Scriptore, quæque hanc fundationem, tum visiones, tum etiam miracula, & præcesserint, & subsequuta fuerint, suis locis à nobis reddenda erunt. g lib. 8. c. 95.

---

1. Martino in Quintana Suarij Romerus suffectus, 2. Cœnobium transfert, Rege inconsulto, 3. ideóque retardante, qua viuenti Martino promisisset. 4. Pacatus postmodum, illa, & alia donat. 5. Priuilegio expedito, cuncta corroborans. 6. Murelum deinde in Obilam transfertur. 7. Chronologia, & dictum de Alberconi, seu Abertonio. 8. Manzanaria initia, 9. atque Vinæ.

CAPVT IX.

1. INTER hæc in Cœnobio Quintanæ Suarij, septimo lapide à Metropoli Castellæ, quam Brauum antiqui, recentiores Burgos appellant, mortuo Christophoro successerat Martinus, spectatæ sanctitatis vir, atque Alfonso Castellæ Regi eximiè charus. Incertum, qua occasione conceptum votum; sed conceptum tamen, & Castros de Fresneda, ac Semas de Villariajo, (nobilia oppida,) Sanctum item Michaelem, & Sanctum Andream de Villanoua Deo abs Rege promissa, & prædicto Cœnobio, idem Alphonsus Rex testificatur desuper instrumento confecto, quod mox subiungam. Crediderim bellatorem, & pium Principem in discrimine positum imploraſſe orationes serui Dei, atque ea omnia daturum se vouisse, si res succederet. Tum voti compotem mansisse debitorem: nec dilaturum soluere, si Sanctus Abbas diutiùs superuixisset. Verùm, Venerabili Vito ante votum expletum per mortem rapto, Romerum successorem obstitisse, quominùs impleretur; virtutibus, & Religionis zelo fortè non imparem, sed prudentia in extremis inferiorem: & qui dum regio priuatum fauorem præfert, parum abfuit, vt vtrunque æquè amiserit.

2. Hunc ergo Præfectura recèns potitum Proceres Regni, Gundisaluus Petri Comestabilis, (is gradus dignitatis illius Principis,) & Didacus Ximenij, cum vxoribus suis adiêre deuoti, acturi de Quintanæ translatione. Erat illis in montibus Ocitanis dominium amplum, & in domínio Monasterium quoddam vetus sub Sancti Martyris Cypriani aduocatione, Benedictinorum quondam domicilium, tunc vacuum Monachis, sæcularibus patebat, & parebat. Oblatum id ab eis Romero, & Fratribus, superaddita pingui dotatione, si se illuc transferrent, mutatis sedibus. Rem neque inhonestam esse, neque inutilem; quippe instaurationem desolati Cœnobij Deo acceptam, nec sibi incommodam illius acquisitionem. Quintanam retinendam cum suis iuribus, locum tantummodo Monachis mutandum, idque in melius. Ille, vt erat ingenio columbinò, facilè persuaderi potuit specie boni. Annuit petitioni tantorum Principum, & pactis priùs quibusdam conditionibus, Quintanæ Conuentus ad Sanctum Cyprianum translatus est. Quintana ipsa reducta ad Priorátum: firmior futura in eo mediocri statu, in quo in hunc vsque diem perseuerat.

3. Displicuit mutatio hæc Alfonso VIII. & priuatorum quorumuis patrocinium doluit prælatum fuisse regio nomini. Hinc à Romero aliquantulum auersus, quæ dudum Martino Abbati piè promiserat, successori non tam negauit, quàm non dedit. Nec quæ Deo vouerat, retinere sibi voluit; sed sui sui dispendio (liceat hoc modo loqui) cautior factus, villas, & semas arcere à desertoribus, ni sui ipsorum dissimiles euadant, hæc etiam ipsa statim deserturis. Præterea, quæ ab Imperatore donata possidebant repetere, indecorum, non confirmare decentius iudicauit. Atque ea mulcta congrua refractariis: nam neque poterant firma illis manere, si regia confirmatio defeciſet. Sic certa pro incertis relinquentes, vtrorumque dispendium subiêre: & nisi Deus in melius rem vertisset, forsan vtrisque sedibus dimissis, seu amissis, tandem ad Vallem bonam (vnde priùs exierant) redire coacti essent.

4. Erat Hispanis cum Mauris continuum bellum, neque vllum otium dabatur vtrisque partibus; repetentibus illis, quæ amiserant; his defendentibus ea, quæ possidebant. Mauris ergo deuictis ad Concam vrbem, & partim occisis, partim ptæda captis, reliquis conseruantibus vitam turpi fuga; spolia ipsa diuisa inter victores, & Comestabili, seu Didaco Gimenio adiudicata Saracena fuerat, animi, an corporis dotibus ornatior; quam Monasterio donatam à Patronis Eleonora Regina concupiuit, quocunque

sibi

sibi pretio comparandam. Hæc, tempestate oborta, ostendit portum, & naufragantibus præbuit refugium tutum. Vltrò à Monachis Reginæ oblata est, ac Sotiam, vbi tunc agebat Rex, delata, pretium captiuæ Alfonsi gratia fuit. Eleonoræ id indultum, aut magis sibi, nempe, voluntas prona in gentem nostram reconciliari ardebat, vel sine causa. Accessit & Martini Episcopi authoritas, olim Abbatis Hortæ, de quo suprà, qui tunc Sotiam à Rege accitus, venerat. Eo pro Monachis suis interpellante, nihil Alfonsus potuit denegare, nihil omittere. Confirmauit nutantia priuilegia, & promissiones suspensas tandem exhibuit, Cœnobiumque suscepit sub sua cura. Sed præstabit audire ipsum Alphonsum, hæc ipsa maioris ex parte referentem totidem verba [a]:

a ex Archiuis eiusdem Domus.

5. *Ego Alfonsus, Dei gratia Rex Castella, & Toleti, ad preces charissimæ vxoris nostræ Eleonoræ Reginæ, eò quòd quandam Saracenam sibi necessariam animo voluntario ei dedistis, confirmo vobis Domino Romero Abbati Sancti Cypriani, & omnibus successoribus vestris omnes donationes, quas auus meus Aldefonsus Imperator pia liberalitate omnibus prædecessoribus vestris de Quintana Xuarij, & de Sancto Vincentio, in eleemosynam contulit, sicut ex priuilegiis ipsius aui mei perspexi. Quintanam, videlicet, Xuarij cum omnibus terminis suis*, &c. (post confirmationem autem eorum omnium, quæ Imperator Alphonsus quondam illis dederat, dehis, quæ ipse promiserat, subiungit:) *Item, do Deo, & Beatæ Mariæ, & vobis Domino Romero, totum id, quod sub iure iurando promiseram, me Domino Martino Abbati prædecessori vestro daturum, videlicet, Castros de Frosneda cum omnibus pertinentiis suis: scilicet de Villarcayo, & Hornia, & de Cubillos, Sanctum etiam Michaëlem, & Sanctum Andream de Villanoua*, &c. *Facta charta apud Soriam Kalendis Februarij, Æra M.CC.XXIV. Et Ego Alphonsus regnans in Castella, & Toleto, hanc chartam, quam fieri iussi, manu propria roboro, & confirmo. Gundisalnus, Toletana Ecclesiæ Archiepiscopus, Hispania Primas, confirmat. Martinus, Burgensis Episcopus, confirmat. Aldericus, Palentinus Episcopus, confirmat. Gundisalnus, Segouia Episcopus, confirmat. Martinus, Segontinus Episcopus, confirmat*, &c. Hæc priuilegium, quod anno M.C.LXXXVI. triennio post translationem Monachorum expeditum, Æra testatur. Et superatis tot difficultatibus credi poterat, permansurum Cœnobium in eo loco: sed nutantibus nulla omninò flexa sedes, & minor in Sancto Cypriano mora fuit, anno M.C.XCVI. vnde migrarunt, quod suo tempore seruamus referendum.

6. Hoc ipso anno in Castella recentiori, Monasterium Murelli ante vndecim annos inchoatum Alphonsi Regis Fundatoris authoritate in Obilam translatum, vnde nomen accepit permansurum, atque ibi ædificari cœptum est regia magnificentia, si, vt cœpit, potuisset consummari. Extat noui ædificij simul, & translationis monumentum eiusdem Regis Alphonsi priuilegium sub hoc initio: *Rationi congruum est, & inter cætera Religionis opera potissimum, & regali maximè conuenit Maiestati Ecclesias, & Monasteria construere, & in eis Viros religiosos, & honestos ad obsequendum Deo instituere, & eis de bonis temporalibus prouidere, vt temporalibus subsidiis sufficienter adiuti, solius domini Redemptoris obsequiis valeant intendere, & vacare. Idcirco Ego Alphonsus Rex Castellæ, & Toleti facio chartam donationis Deo, & Beatæ Mariæ, & Monasterio, quod ad honorem ipsius per me fecerunt, & Vicarium suum sub Cisterciensi Regula Fratribus de nouo fundatum est in loco, qui dicitur Ouila, iuxta fluuium Tagum*, &c. *Facta charta apud Sanctum Stephanum Rinedory, Kalendis Septembris, Æra M.CC.XXIV.* Hoc priuilegium translationis, & ædificij Monasterij de Ouila, cui etiam Seguntinum Episcopum affuisse, eius inter alias subscriptio manifestat. Verùm, quæ plura, & maiora Sanctus Pontifex ante, & post renunciatum Episcopatum eidem Monasterio contulerit, suis à nobis locis dicenda erunt.

Chronologia tria habet Monasteria. Vndecimo Kalendas Augusti de Abercon; Kalendis Decembris de Manzanaria; & de Oliua in Guidanzo; siue, vt alia Exemplaria habent, in Gauzo, incerta die. Albercon pertinet ad lineam Claræuallis, filia Stratæ Floridæ, quam in Diœcesi Atlantensi Angliæ produxit. Quid si Abertonium, quod Rex Eduardus primus destruxit sequenti sæculo, subrogato pro eo Valle Regulæ, siue Valle regali, de quo, & infrà nobis, cùm tempus venerit. Fundatam Domum in Prouincia Cambriæ, ab illius regionis Principe, Tabulæ produnt. Porrò in ea olim nobilium Cambriæ Annales seruari, moris fuisse; quibus eorum Familiæ matrimonia, & obitus solebant adnotari. 7. 8.

Manzanariam, vulgò, *Mazeradam*, in Lusitania Vissensis Diœcesis, altero lapide ab vrbe episcopali, Monachi Nigri olim incoluère; cuius Abbatem Suerium Rex Alphonsus, dum superesset, multis donauit, & magnis possessionibus circa annum Christi M.C.LXII. non intuitu reformandæ Domus, & Cistercio subdendæ, vt quidam putant: *sed pro bono seruitio* (inquit ipse Rex) *quod feciistis Roderico Ximenez in agritudine sua, iussu, & mandato nostro*, &c. *Facta charta mense Iulio, Æra M.CC.* Extant & plures aliæ donationes Cœnobio factæ, quas anno Christi M.CC.XII. Pontificatus sui decimoquinto confirmauit Innocentius Papa III. consuetis verbis: *Quas idem Monasterium, antequam instituta Cistercy susciperet, possidebat.* Brito Cisterciensis [b] antiquius adhuc putat in ea Domo, quippe introductum anno M.C.LVII. sed nullo testimonio producto, vel instrumento, quo contrarium probetur: nobis Chronologia ex more sequenda venit. Prodit præterea, creuisse Monasterium in multa Oppida, queis Abbas iura daret; quin & pensiones, & tributa annua imponeret, instrumento producto sub Persone Abbate, circa annum Christi M.CC.IV. nempe, Æra M.CC.XLII. Tamen nonnunquam cœpisse multos Monachos ædificia ostendebant, quæ ad sæculum vsque nostrum perdurarunt: sed & Ecclesia, quæ hodie perseuerat. Suscepit Manzanaria Cistercium sub Alcobazia, Regia præ aliis Domo, & cui adeò pateret fine dedecore. 9.

a Brito lib. 5. cap. 4.

b vbi suprà.

Oliuam in Prusia, filiam Coluan lego Vratislauiensis Diœcesis, vt habet Genesis Ecclesiarum Claræuallensium. Certè in lineis non aliam notatam video. Porrò de hac ex Polonica Historia, è Bibliotheca Ioannis Pistorij Nidani collecta, & Basileæ vulgata (octo licèt annis fundationem anticipante) hæc pauca accipiat Lector [c]: *Samborius, Pomeraniæ Dux, Monasterium Ordinis Cisterciensis in Oliua, Ducali villa sua Vratislauiensis Diœcesis, anno Domini M.C.LXXVIII. quintodecimo Kalendas Aprilis, & ei pro dote Villas septem, Oliuam, Szalkowrieze, Stanowe, Itercowu, Glambowy, Grancowi, & Szinczinczę præstitit, assignauit, & decimam teloneorum, piscationum, prædiorum, atque pecorum.* Hæc Author ille. Iacet Oliua ad Ripas Vvissel fluuij, non procul à Gedano, (vulgò *Damisco*) insigni vrbe maritima,

c rer. 1. lib. 3.

tima, & (vt ait Ortelius [d]) celebri hodie emporio Mercatorum. Quas autem inuasiones à Barbaris perpessa sit; quot Sanctos Monachos Martyrio coronatos ad cœlestia transmiserit, suis, & loco, & tempore dicemus. Alij fundationem Oliuæ ad Subistaum Pomeraniæ Principem referunt, in ea Domo cum vxore Anna sepultum, Mieskeslai III. Poloniæ Principis filia. Inde sequuti Pomeraniæ Duces in eadem Domo sepulti per multos annos, quorum etiam nunc monumenta ibi cernuntur.

[d] in Geogr. tabulis 6.

ANNVS CHRISTI M.C.LXXXVII. CISTERCII XC.

1. *Christianorum in Oriente dolenda clades*, 2. *de quibus Conradus* 3. *ad Balduinum Cantuariensem scribit:* 4 *sed conuersa in salutem animarum.* 5. *Vrbani mors*, 6. *cùm Henricum Soliacensem Cardinalem antè creasset.* 7. *Ab Albanensi recusatus Pontificatus*, 8. (*quod & exteri produnt,*) 9. *cùm ab omnibus longè antè dignus reputaretur, quanuis nonnulli cum Henrico alio confundant.* 10. *Cistercij laus ex Summis Pontificibus, siue quos habuit, siue quos non habuit.*

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur ab Orbe reparato octuagesimusseptimus supra millesimum, centesimúmque, à condito Cistercio nonagesimus, quo in Oriente à Christianis infeliciter pugnatum cum Saladino, semel in die Apostolorum Philippi & Iacobi, & iterum infra octauas Apostolorum Petri, & Pauli, ac tandem in Vigilia Sanctorum Cosmæ, & Damiani Ierosolymæ amissæ, Christianis omnibus luctum, & confusionem, Vrbano Pontifici etiam mortem attulêre. Christianorum excidium latè Baronius ex diuersis epistolis: nos vnam tantùm Balduino scriptam, Cantuariensi Archiepiscopo, vt qui Occidentem in vindictam ciere posset; tum, quia nostro; tum, quia non solùm affectus lamentabiles; sed lamentabiliores adhuc causas commemorat, Christianorum desidiam, & nunquam non Latinis infensas Græcorum fraudes, commemorabimus. Ea autem à Conrado Principe, filio Marchionis de Monteferrato, qui cunctis interfuit, scripta, hæc habet verba [a]:

[a] apud Baronium

2. *Cantuariensi Archiepiscopo Balduino Conradus filius Marchionis de Monteferrato Salutem.*

Turbantur elementa, & Catholicæ Fidei derogatur, cùm Sedes Ierosolymitana apostolica Sedi subtrahitur. Periit enim Ierosolyma, & inertia Christianorum à Saracenis vilissimè pertractatur. Fœdant namque Dominicum Sepulcrum, destruunt Caluariæ locum, nutritatem Christi contemnunt, & Beatæ Virginis eradicant Sepulcrum. Sedes Constantinopolitana Romanæ Sedi nullam exhibet reuerentiam; Antiochena quidem laboræ dignoscitur in extremis. Hæc autem omnia, Christianorum confiat desidia contigisse. Lugenda est ciuitas Ierusalem, atque lugubriter lamentanda, quæ fuit cultoribus spoliata, qui Christo per horas diei, ac noctis constituti, Deo cantando, & orando famulabantur: nunc (proh dolor!) Mahomet excelsa voce laudatur, ritibus polluta Saracenicis. Vestra igitur Celsitudini preces cum lacrymis porrigo commixtas, quatenus calamitatem Terræ sanctæ misereri dignemini, vt confortetis Reges, commoneatis fideles, vt canibus expulsis à patrimonio Iesu Christi misericorditer succurrant, vincula soluant, profanata mundent, vt terra sanctis Christi pedibus calcata, de potestate Infidelium potenter liberetur.

3. *Accedit etiam ad cumulum iniquitatis, ad opprobrium, & desolationem Christianitatis, familiaritas, quæ viget inter Saladinum, & Imperatorem Constantinopolitanum, cui idem Saladinus tradidit omnes Ecclesias terræ Promissionis, vt in eisdem seruiatur secundùm ritum Græcorum. Insuper etiam & idem Saladinus misit idolum suum Constantinopolim Imperatoris assensu vt ibi publicè coleretur: sed per gratiam Dei captum est in Mari à Ianuensibus, & cum ipsa naui perductum est Tyrum. Nuper etiam exercitus constructus est copiosus ante vrbem Antiochiæ, & ductus Imperator promisit eorum galeas. Saladinus quoque dedit ei totam terram Promissionis, scilicet, vt impediat viam Christianorum, maximè autem Francorum, ad succurrendum Terræ sanctæ properantium. Neque est aliquis apud Constantinopolim, qui Crucem accipiat, quin statim capiatur, & incarceretur. Hoc autem nobis solatium est, quòd nuper frater Saladini, & filius ante Antiochiam capti sunt, & sub salua custodia deputati.* Hæc ad Balduinum Archiepiscopum Conradus. Quibus qualiter ipse commotus sit, & quæ, ac quanta præstiterit pro sacrorum locorum restauratione, quoúsque tandem pro Cruce Christi pugnans, in Oriente occubuit, suis à nobis locis dicendum erit.

Porrò ista quidem adeò tristia, flebiliáque humano iudicio, Angelis fausta, & læta apparuerunt, vt non immeritò infelix expeditio Ierosolymitana, quæ tum Prædicatore, tum fidei iussore parente Bernardo olim sub Eugenio tertio facta est, felicem etiam exitum sortita censeri possit; quod in hunc locum remisi confirmandum. Sanè hoc excidium, quantumuis lamentabile, in ingens animarum cessisse lucrum, Sanctæ Christinæ Virgini in Germania reuelatum à Deo, Thomas Cantipratanus memoriæ prodit in hæc verba scribens, quæ etiam adnotauit Cæsar Baronius [c]: 4. *Longè enim antè prædixit* (scilicet, Beata Christina) *Terram sanctam, & Ierosolymam in impiorum Saracenorum ditionem redactam iri. Quo autem die à Saladino Ægypti Sultano capta fuit Ierusalem, cum Sepulcro, & Cruce Christi, illa in Castro Leodiensi tum constituta, spiritu cognouit rem gestam. Cúmque multùm exultaret, ab iis, qui aderant, rogata, vt eius lætitiæ causam exponeret, Iure, inquit, exulto: nam & Christus Dominus cum Angelis suis exultans, occasionem præbuit, qua magna possit hominum copia salua fieri. Illis rursus scisitantibus, quænam est hæc occasio, respondit: Noueritis Terram sanctam hodie venisse in manus hominum impiorum: atque hac re magnam salutis oblatam occasionem.* Hæc in solatium imminentium cladium præostensa Christinæ, vt amissis terrenam Ierosolymam expugnanda cœlestis proponeretur.

[b] apud Sur. tom. 3. c. 20.

[c] ad hunc an.

Latuit Vrbanum ea reuelatio, seu reuerentia in loca nostræ salutis, quanuis ea doleret conculcari profanis 5.

fanis pedibus, nulli sese permisit consolationi. Vnde Rogerius [d]: *Cùm audisset*, (scilicet, idem Vrbanus,) *quod temporibus suis captus esset Rex Ierosolymitanus, & Crux Dominica, & Ciuitas sancta Ierusalem, doluit vehementer, & incidit in ægritudinem, & mortuus est decimotertio Kalendarum Nouembris, apud Ferrariam.* Ita Rogerius. Sane si vigesimasexta Septembris accepta clades, ante vigesimum diem mensis sequentis ad Italiam peruenit, haud dubiè potuit Sancti, & senis Præsulis instantem alias mortem præcipitare. Verùm Guillelmus Neubricensis, ne priorem quidem infra octauas Apostolorum acceptam, putat Vrbanum viuum inuenisse; sic enim ait [c]: *Rerum quippe infra octauas Apostolorum Petri, & Pauli infeliciter gestarum nuncij circa Festiuitatem Beati Lucæ Euangelistæ ad apostolicam Sedem venerunt Vrbano paulo antè ex hac luce subtracto, & maturè substituto Gregorio.* Potuit vel primæ cladis accepto nuncio præuenire sequentes, & consternatus animo, quas nondum nouerat, morte præsagire.

[d] in Annalibus.

[c] lib. 3 c. 20.

6. Vtcunque fuerit, morti iam propinquus Henricum de Soliaco, dudum, vt vidimus, Primatem Bituricensem, ex Cistercio assumptum, vocauit ad purpuram, & sacro Cardinalium Collegio sociandum voluit. Narrant id Tabulæ Ecclesiæ Bituricensis, dum ea, quibus sedit Henricus tempora, numerant. *Præfuit*, inquiunt [f], *annis XVII. scilicet, Bituricis, temporibus Romanorum Pontificum Lucij III. Vrbani III. (a quo Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus fuit) Gregorij VIII. Clementis III. Cœlestini III. & Innocentij III.* Onufrius Panuinus, & Alfonsus Chaconius electionem Henrici prorsus prætereunt; alter, dum nullum ab Vrbano donatum purpura; alter, dum multos numerant: neuter tamen, vt credo, satis ex fide. Ergo vterque supplendus in hac parte, ac Præsul Biturix ex Annalibus Bituricis, numero Cardinalium superaddendus.

[f] apud Ioan. Chenu.

7. Defuncto Vrbano, actum de successore, & Henricus Cardinalis Albanus, ex Claraualle assumptus, à saniori Cardinalium parte postulabatur; & reuerà successisset in Sede Petri, si non ipse viriliter obsistens, per occasionem prædicandæ Crucis aduersùs Saracenos, caput tiaræ, atque humeros subtraxisset graui sarcinæ. Habentur hæc in ipsius Vitæ compendio, in libro sepulcrorum Clarævallis [g]: *Tandem*, ait, *Domino Lucio post quatuor annos mortuo, & Vrbano ei in Papatu succedente, ipsóque infra duos annos velociter defuncto, senior pars Cardinalium voluit ipsum in Papam eligere. Ipse totis viribus renuens, signóque Crucis se muniens, affirmauit se nullum aliud officium assumere, nisi terræ Ierosolymorum succurrere, & Cruces vbique prædicare.* Hæc, qui ad compendium redegit acta Beati Viri. Cæterum fusiùs adhuc, distinctiúsque Chronicon Belgicum Ioannis Pistorij Nidani, totidem verbis [h]:

[g] ...

8. *Interea Curia Romana venerat de Verona Ferrariam, quæ est ciuitas ad introitum Venetiarum super Adriaticum Mare, & super littus maximi fluminis Padi: vbi in Festo Sancti Lucæ mortuus est Papa Vrbanus, auditis rumoribus de captione Ierusalem, tactus dolore cordis intrinsecus.* (Hæc Albericus) *Quo ibidem defuncto, senior pars Cardinalium voluit Henricum Albanensem, quondam Clarauallis Abbatem, in Papam eligere; qui timens & præcauens dissensionis periculum, prosiliit in medium dicens, se Crucis Christi seruum, ad prædicandum Crucem per gentes, & Regna paratum, non posse esse Papam.* Hactenus ibi. Crediderim audita fidelium clade, atque captione Dominici Sepulcri, Henricum sese Deo deuouisse ad prædicandam Crucem contra paganos, incitaturus Reges, Prouincias, populos, verus Bernardi filius, successorque; classicum canens pro instaurandis locis nostræ salutis.

[h] ...

Sunt, qui existiment, de hoc insigni Viro, & ea, quam pro se habuit ad summum præsulatum acclamatione, locutum fuisse Petrum Blesensem, dum ad Guillelmum Cardinalem scribēs, atque Octauianum Antipapam carpens, viros illi opponit tiara dignos [i]: *Semper*, ait, *rediit in memoriam iniquitas Patrum, & peccatum Octauiani non delebitur in æternum. Ipse enim erat, qui crudelius cæteris Clericos affligebat, persecutus homines inopes, & mendicos, & compunctos corde mortificare. O quam cæcus, & turbidus est inuidiæ oculus! Vbi, quæso, erant Cardinalium corda, quando filium superbiæ, & Idolum abominationis in Apostolatus apicem erigebant? Vt de vobis taceam, ne videar adulari, quomodo clausis oculis transierunt Dominum Bernardum Portuensem, Henricum Pisanum, Dominum Hyacinthum, Dominum Hemboldum Episcopum Hostiensem? Respuerunt homines pacis, & hominem dissensionis, & scandali erexerunt.* Hæc, inquam, putant de hoc Henrico dicta: sed immeritò. Certè de Cistercienſi, Clarævallensique, in quo fortè decepti: at non de assumpto ex Abbate Clarævallis in Cardinalem Episcopum Albanensem, natione Gallo, (vt suo loco diximus.) Sed de Presbytero Sanctorum Nerei, & Achillei Italo, atque Pisano, qui ab Eugenio ad Purpuram vocatus, anno M.C.L. nouennio pòst, inter Primos acclamabatur, qui Adriano IV. succedere potuissent. Quem etiam diximus Alexandri partes eximia animi constantia, nec minori labore corroborasse. Certè Albanensis tunc nondum promotus: Presbyter verò SS. Nerei, & Achillei, cùm decessit Vrbanus, id est, hoc anno, iam dudum ad Cœlos euolauerat.

[i] epist. 48.

9.

10. Cæterùm hac Henrici humilitate, seu veriùs dixerim animi constantia, atque contemptu supremæ dignitatis effectum est, vt intra breue duorum annorum spatium, semel, & iterum Cistercium supra tiaram (liceat ista fateri) inuentum fuerit; siue, cùm ad abdicandam, à Lucio III. per Beatum Petrum Clarævallis Abbatem prudenter impedit; siue, cùm in Henrico oblatam constanter spernit, vtroque præferente Cistercium Pontificatui; illo vt haberet, quod nondum acquisierat; hoc ne longiùs ab eo, quod iam professus erat, extraheretur. Qui nauem Petri regerent, dedisse commune aliis Familiis in aliquibus etiam familiare. Qui clauum vltrò oblatum recusauerint, qui timonem de manibus abiecerint, Cistercienſis fortasse sola dedit. Neque ex Henrico tantùm hanc laudem habet, cùm idem etiam fecerit Conradus, vt suo loco à nobis dicendum erit. Dedit tamen & alios, qui non respuerent, vt in Eugenio vidimus, & in Alberto pro Henrico subrogato; sed breuis heu! temporis Pontifice. Sequenti Capite iterum videbimus.

1. Henrico recusante Pontificatum, Albertus eligitur; 2. à quo ei Legatia generalis onus iniungitur. 3. & Cardinales admiranda stabiliunt eius exemplo. 4. Confirmatio Decretorum Vrbani Papæ. 5. Quinquennale ieiunium cunctis indictum. 6. Gregorij VIII. litteræ patentes 7. ad omnes fideles, 8. animantes ad bellum in Saracenos 9. pro restaurandis locis nostræ salutis, 10. multáque indulgentes præliaturis.

CAPVT II.

1. HENRICO recusante Pontificatum, placuit Cistercium saltem retineri, & subrogatus pro eo Albertus fuit, Cisterciensis & ipse, quem ab Alexandro III. in Presbyterum Cardinalem primùm titulo Sancti Laurentij in Lucina, inde in Romanæ Curiæ Cancellarium (quo ea ipsa, quæ à Cistercio accepisset, Cistercio redderet) in superioribus promotum memorauimus: ingentis absque dubio animi vir, neque minoris zeli, & qui res fidei haud dubiè promouisset, si tamen diutiùs Ecclesiæ seruatus esset. De eius electione ita Baronius [a]: *Mortuo Vrbano, sequenti die successit in Papatum Albertus Cardinalis Cancellarius Presbyter tituli Sancti Laurentij in Lucina, patria Beneuentanus, dictúsque Gregorius VIII. successor doloris, hæres calamitatis, qui paucis diebus, quibus sedit, nempe mensé vno, & diebus viginti septem, sua pietatis digna monumenta reliquit.* Habuit ergo Cistercium infra hoc biennium, quod nulli alteri forsan Familiæ contigit, qui Summi Pontificatus apicem, & electus admiserit, & consecratus deserere voluerit, vt Cistercio adhæreret; & eligendus omnino recusauerit. Atque id vnum, nec tunc, nec vnquam habuit, qui ambierit.

[a] ad hunc an.

2. Consecratus in communem Ecclesiæ Patrem, atque Christi Vicarium Gregorius VIII. ad id præcipuè omnem suam curam adhibuit, vt in restaurationem terræ Sanctæ concitaret fideles, atque omnes accensos iustitiæ zelo acriter commoueret, & potenter armaret in hostes fidei. Porrò, vt hoc ipsum feliciùs consequeretur, qui se seruitio Crucis deuouisset, atque eo titulo tiaram recusasset, Cardinalem Henricum Claræuallensem, vniuersæ præfecit expeditioni, vt classicum per Prouincias, per regna canens, & Crucem prædicans, nullum lapidem relinqueret immotum in toto Orbe, quo tantum posset negotium promouere. Habemus id ex compendio vitæ ipsius Cardinalis Henrici, ex quo & alia hausimus, suam in hæc verba prosequente narrationem [b]: *Consecrato igitur Domino Gregorio VIII. in Papam, Legationem plenissimam ab eo suscepit ad Imperatorem, Reges, & Principes, & vniuersos Christianos pro Crucibus faciendis, & pro aliis negotiis ecclesiasticis vniuersis.* Hactenus ibi. Verum est tamen, hanc ipsam Legationem Gregorij eiusdem Papæ morte sequuta intra hunc ipsum annum, (quippe non duos menses integros sedit,) interruptam ad tempus, quousque per Clementem confirmata sequenti anno, quo nobis plenius veniet referenda.

[b] ex lib. sepulcrorum Claraevallis.

3. Cæterùm sub initiis his Gregorij, eius, atque Henrici zelo, Cistercienſis vtriusque, effectum est, vt alij etiam Cardinales Romanæ Curiæ sese illi offerrent Coadiutores libenti animo, & multa alia admiranda, & laudanda facerent, stabiliréntve, quæ Rogerius inseruit suis Annalibus [c]: *Cardinales verò, ait, de assensu Domini Papæ* (scilicet, Gregorij VIII.) *inter se firmiter promiserunt, quòd abiectis omnibus diuitiis, & deliciis prædicarent Crucem Christi non solum verbo, sed opere, & exemplo; & eunles mendicando acciperent Crucem primi, & præcederent alios in terram Ierusalem. Statuerunt etiam de assensu Domini Papæ firmissimam treugam inter omnes Principes Christianitatis, vsque ad septennium, ita quòd quicunque guerram contra Christianum medio tempore mouerint, maledictioni Dei, & Domini Papæ, atque excommunicationi omnium Prælatorum vniuersalis Ecclesiæ subiacebunt. Firmiter etiam inter se promiserunt, quòd de cætero nulla munera recipiens ab aliquo, qui causam habeat in Curia; sed ea tantùm recipere poterunt, quæ fuerint pro eorum necessitate, & sustentatione donata, vel missa. Et non ascendent in equum, quandiu terra, in qua pedes Domini steterunt, fuerit sub pedibus inimici.* Hæc Cardinales admiranda, laudandáque, vt inquit Baronius [d], sub Pontifice Alberto, atque Henrici exemplo præeunte, vt nihil prorsus magnum intentatum sit, quod non ab eis acceptum, eisdem etiam veniat, & per vtrunque Cistercio referendum.

[c] ad hunc an.

[d] ad hūc ann.

4. Ordinatis, quæ Vrbem intra, atque sacrum Collegium Cardinalium ordinanda instabant, facile fuit ad alia pertransire; quod vt Gregorius feliciùs exequeretur, primùm quidem, quæ eius Antecessor Vrbanus sanxiuisset, promouendo negotio expeditionis confirmauit per litteras: mox quinquennali ieiunio, sub certis modo, & forma, Orbi iniuncto, litteras etiam ad omnes fideles dedit, per quas ad tantum opus accenderentur. Priores litteræ ad Prælatos Ecclesiarum datæ in Vigilia Sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ, id est, vigesima septima die mensis Octobris, provt à Rogerio, & ex ipso à Baronio transcribuntur, hæc habent verba:

Gregorius Episcopus, Seruus seruorum Dei, omnibus Prælatis Ecclesiarum, ad quos litteræ istæ peruenerint, Salutem, & apostolicam Benedictionem.

Quoniam ad Episcoporum maximè spectat officium afflictis, & laborantibus subuenire, vnúmque illorum, licèt deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit, prospicere tenemur, & volumus, ne quis ex fortuitis casibus per Romana visitationem Ecclesiæ, laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustraretur effectu. Inde siquidem fuit, quod nos multorum prospicere volentes expensis, & alleuare labores, de consueta Sedis apostolicæ misericordia duximus statuendum, vt litteræ prædecessoris nostri, Domini Vrbani, à tribus mensibus ante ipsius obitum destinatæ pro facienda iustitia, & litigiis dirimendis; quæ tamen manifestum alicuius præiudicium non contineant, aut calumniarum æquitatis, eundem habeant tempore nostræ administrationis effectum, quem habere, si adhuc viueret, debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite, quod

quod mandauit agendum, vt nemo ad nos pro excusatione huiusmodi accepta per illum iustitiam obtinendi fiducia, cogatur varius laborare. Datum Ferrariæ, sexto Kalendas Nouembris. Ita Gregorius prædecessoris sui acta confirmans.

5. Biduo post, scilicet, 29. eiusdem mensis, quo Christianis infensum Numen placaret, indixit quinquennale ieiunium, certis diebus seruandum verbis sequentibus:

Gregorius Episcopus, Seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus, ad quos littera ista peruenerint, Salutem, & apostolicam Benedictionem.

Nunquam melius superni Iudicis ira placatur, quàm cùm ex mandato ipsius carnalia in nobis desideria extinguuntur. Proinde, quia Ierosolymitanæ terræ discrimen, quod irruentibus Saracenis nuper euenit, ex peccato maximè habitatorum terræ, & totius populi Christiani accidisse non dubitamus, nos de Fratrum nostrorum communi consilio, multis Episcopis approbantibus statuimus, vt omnes vsque ad quinquennium, saltem per omnes sextas ferias in cibo quadragesimali ieiunent, & Missa, vbi cantanda fuerit, ad Nonam canetur, quod ab Aduentu Domini, vsque ad Natale Domini statuimus obseruandum: feria verò quarta, & Sabbatho omnes indifferenter, qui bene valent, à carnibus abstineant. Nos autem, & Fratres nostri in secunda quoque feria nobis, & Familiis nostris esum carnis interdicimus; nisi fortè aut infirmitas, aut magna Solemnitas, vel alia eadem causa visa fuerit impedire: sperantes, quòd sic nobis ignoscet Dominus, & relinquet post se benedictionem. Hoc igitur adeò statuimus obseruandum, vt quicumque transgressor exiteris, quasi prævaricator quadragesimalis ieiunij habeatur. Datum Ferrariæ, quarto Kalendas Nouembris.

6. Porrò, quò die cunctis ieiunium indixerit, velut iam robustiores ab isto opere, ad vindicanda loca nostræ salutis, & repellendos hostes cunctos compellat, largiorem hanc ad eos scribens epistolam, quam ab eisdem Authoribus adductam, quia propriam huius Operis, & zelum viri, nec minùs eloquentiam præseferentem, neque libuit, nec licuit prætorire: sic autem habet:

Gregorius Episcopus, Seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus, ad quos littera ista peruenerint, Salutem, & apostolicam Benedictionem.

Audita tremendi seueritate iudicij, quod super terram Ierusalem diuina manus exercuit, tanto stupuit nos, & Fratres nostri horrore confusi, tantisque affecti doloribus, vt non facilè nobis occurreret, quid agere, aut quid facere deberemus, nisi quod Psalmista deplorat, & dicit: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, coinquinauerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ, & escas volatilibus cœli, *&c. Ex occasione quippe dissensionis, quæ malitia hominum ex suggestione Diaboli, facta est nuper in terra, accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad partes illas, & occurrentibus eis Rege, & Episcopis, & Templariis, & Hospitalariis, Baronibus, ac militibus cum populo terræ, & Cruce Dominica, (per quam ex memoria, & fide Passionis Christi, qui pependit, & genus humanum redemit, certum solebat esse triumphus, & contra Paganorum incursus desiderata defensio,) facta compressione inter eos, & superata parte nostrorum, capta est Crux Dominica; trucidati Episcopi, captus Rex, & vniuersi ferè, aut occisi gladio, aut hostilibus manibus deprehensi, ita vt paucissimi per fugam dicantur elapsi: ipsi quoque Templarij, & Hospitalarij in eius oculis decollati. Superato autem exercitu, qualiter subsequenter inualerint, & rapuerint vniuersa, ita vt non nisi pauca loca remansisse dicantur, quæ in eorum non deuenerint potestatem, non credimus nostris litteris explicandum. Nos autem, licèt cum Propheta* c *dicere habeamus:* Quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo nocte, ac die interfectos populi mei? *non tamen adeò deiicere nos debemus, vt in diffidentiam decidamus, & credamus Deum ita populo suo iratum, vt quod communium facientes multitudine peccatorum, fieri permisit iratus, non citò per misericordiam pœnitentia placatus abluat, & post lacrymationem, & fletum exultationem inducat.* c Ierem. 9.

7. *Quisquis sanè tanta lugendi materia; si non corpore, saltem corde non luget, non tantum fidei Christianæ, (quæ cum omnibus dolentibus docet esse dolendum;) sed ipsius, & humanitatis nostræ oblitus, cùm ex ipsa periculi magnitudine, ac feritate barbarica Christianorum sanguinem sitiente, ac votum suum in hoc apponente virtutem, vt profanare sancta, & titulum Dei valeant auferre de terris, quod nos facimus, discretus vnusquisque valeat æstimare. Sanè cùm Prophetæ toto pristino studio laborauerint, postmodum Apostoli, & sequaces eorum, vt diuinus cultus esset in terra illa, & ad omnia climata Mundi ex ea dilataretur, imò, quod maximum, & ineffabile est, Deus, qui voluit incarnari, per quem facta sunt vniuersa, per ineffabilem sapientiam, & incomprehensibilem misericordiam suam, per infirmitatem carnis, esurire, sitire, Crucem, & mortem, & resurrectionem, nostram salutem ibi voluit operari, iuxta quod dicitur:* Qui operatus est salutem in medio terræ. *per se ipsum ad hoc dignatus est laborare, nec lingua dicere, nec sensus cogitare potest, quantum nobis, & vniuersis dolendum sit populo Christiano, quod id nunc perpessa est terra illa, quod sub veteri populo legitur pertulisse. Nos autem credere non debemus, quod ex iniustitia Iudicis ferientis; sed ex iniquitate potius populi delinquentis ista prouenerunt, cùm legamus; quòd quando populus conuertebatur ad Dominum, persequebatur vnus mille, & duo fugabant decem millia: imò ipso populo quiescente exercitum Sennacherib angelica manu consumptum. Sed & terra illa deuorauit habitatores suos, & nec diu habere quietum statum, nec transgressores legis diuinæ potuit retinere, doctrinam, & exemplum tribuens illis, qui ad cœlestem Ierusalem intenderent, quòd non possunt ad eam, nisi per exercitium boni operis, & per tentationes plurimas peruenire: potuerunt autem ista timeri iam pridem, quando Arrouasia, & alia terra in potestatem transiit Paganorum, & fuisset benè prouisum, si populus, qui remansit, ad pœnitentiam rediisset, & Deum, quem prauaricatione offenderat, conuersione placasset. Nec enim subitò venit ira eius; sed & vltionem differt, & tempus tribuit pœnitenti. Tandem verò, qui in misericordia iudicium non amittit, vindictam suam ad pœnam transgredientium, & cautelam saluandorum exercet.*

8. *Porrò nos, qui in tanta terræ illius contritione, non solùm peccatum habitatorum illius, sed & nostrum, & totius populi Christiani debemus attendere, ac vereri, ne quod reliquum est illius terræ, depereat, & in alias etiam potestas eorum defeniat Regiones: cùm ex omnibus partibus inter Reges, & Principes, ciuitates, & ciuitates dissensiones audiamus, & scandala; & lugere cum Propheta, & dicere valeamus: Non est veritas, non est scientia Dei in terra: mendacium, homicidium, & adulterium inundauerunt, & sanguis san-*

guinem tetigit. Vnde hoc vniuersis & cogitandum imminet, & agendum, vt peccata nostra castigatione voluntaria emendantes, per pœnitentiam, & opera pietatis conuertamur ad Dominum, & in nobis primò, quod malè gessimus, emendemus: deinde fortitudinem, & malitiam hostium attendamus; & quod illi contra Deum tentare non timent, nos pro Deo agere nullatenus hæsitemus. Cogitate itaque, filij, qualiter in hunc mundum veniſtis, & qualiter exituri eſtis, & qualiter transeant vniuersa, & pariter transeatis & vos, & pœnitendi, & benè agendi tempus, quantùm ſpectat ad vos cum gratiarum actione recipite: & date veſtra, date poſt vos ipſos, quia non eſtis ex vobis, nec quidquam à vobis habetis, qui nec culicem vnum poteſtis facere ſuper terram. Nec dicimus, dimittite; ſed, præmittite in cœleſte horreum, qua habetis; & deponite apud Deum, apud quem arugo ea non demolitur, aut tinea, nec fures effodiunt, & furantur, laborantes ad terra resuperationem illius, in qua pro ſalute noſtra, Veritas de terra orta eſt, & ſuſtinere pro nobis Crucis pœnitentiam non deſpexit: & nolite ad lucrum, & gloriam temporalem attendere; ſed voluntatem Dei, qui pro Fratribus animas ponendas eſſe docuit in ſe ipſo, & ei veſtras commendate diuitias, quas, ſiue volentes, ſiue nolentes, neſciitis eandem, quibus hæredibus ſitis reliqui-ri.

9. *Non eſt equidem nouum, quòd terra illa iudicio diuino percutitur; ſed nec inſolitum, vt flagellata & caſtigata miſericordiam conſequatur. Peterit Dominus quidem ſola cum voluntate ſeruare: ſed non habemus vi dicere, cur ita fecerit? voluit enim forſitan expedire, & in notitiam ducere aliorum, ſi quis ſit intelligens, aut requirens Deum; qui oblatum ſibi pœnitentiæ tempus hilariter amplectatur, & animam ponendo pro Fratribus conſumetur in breui, & complebit tempora multa. Attendite, qualiter Machabæi zelo diuinæ legis accenſi, pro fratribus liberandis extrema quæque pericula ſint experti; & non ſolùm ſubſtantias, ſed & perſonas pro fratrum ſalute ponendas;* 1. Mach 3. *& hortantes ſeipſos, atque dicentes*[1]: Accingimini, & eſtote filij potentes: quoniam melius eſt nobis mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & Sanctorum. *Et quidem illi ſub vna conſtituti lege fuerunt, vos per Incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti ad veritatis lucem adducti, & multis exemplis inſtructi Sanctorum, ſine trepidatione aliqua faciatis, & non timeatis dare terrena, & pauca, & breuiter duratura; quibus illa bona promiſſa ſunt, & repoſita, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, & de quibus dicit Apoſtolus* 8: Non 8 Rom. 8.
ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

10. *Eis autem, qui corde contrito, & humiliato laborem itineris huius aſſumpſerint, & in pœnitentia peccatorum, & fide recta deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam, & vitam pollicemur æternam. Siue autem ſuperuixerint, ſiue mortui fuerint, de omnibus peccatis ſuis, de quibus rectam confeſſionem fecerint, impoſitæ ſatisfactionis relaxationem, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate, & noſtra ſe nouerint habituros. Bona quoque ipſorum, ex quo Crucem acceperint cum ſuis Familiis ſub Sancta Romana Eccleſia, necnon Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum Eccleſiæ Dei protectione conſiſtant, & nullam de his, quæ in ſuſceptione Crucis quietè poſſederunt, donec de ipſorum reditu, vel obitu certiſſimè cognoſcetur, ſuſtineant quæſtionem; ſed bona eorum integra interim maneant, & quieta: ad dandas quoque vſuras, ſi tenentur aliqui, non cogantur. Nec eam in veſtibus pretioſis, aut cum canibus, ſiue auibus, aut aliis, quæ oſtentationi potiùs, & laſciuiæ, quàm neceſſariis vſibus videam deſeruire; ſed in modeſto apparatu, & habitu, in quo pœnitentiam potiùs agere, quàm inanem affectare gloriam videantur. Datum Ferrariæ, 4. Kal. Nouembris, Indictione ſexta.* Ita noſter Albertus, iam tunc Gregorius IX. vt prudens artifex iaciebat fundamenta, ſi vita ſuppetiſſet, haud dubiè in ingentem armorum molem, forſitan & victoriam ſurrectura.

---

1. *Defuncto Petro in Ciſtercio Guido ſuccedit, 2. breui, ſed ſatis illuſtri Præfectura. 3. Calatrauenſes ſcrupulis adacti, 4. Capitulum generale adeunt, 5. & ſe in veros Fratres, & Filios Ciſtercij tradunt, 6. ſub Abbatis Aterimundenſis correctione. 7. Ratio temporis veritatis teſtificata 8. & perpenſi Authores, qui fidem faciunt, 9. cum aliis circunſtantiis, 10. quæ in ipſo teſtimonio continentur.*

CAPVT III.

1. VT in Eccleſia, Vrbano tertio Gregorius, ſic in Ciſtercio Petro, Guido ſucceſſit; vix anteceſſoribus diuturnior in Præfectura, quamuis vitæ longæuæ, quippe in Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, poſt elapſum triennium, aſſumendus. Index Claudianus, &, quod mireris, Chronicon Metricum Cœnobij Ciſtercienſis, Guidonem hunc cum ſucceſſore confundunt, eiuſdem vtro nominis, atque ad eandem aſſumpto dignitatem, etſi non immediatè: quare ex vtroque Guidone vnum conflantes, illius Præfecturam producunt vſque ad quindennium. Sed reuerà diuerſos; neque hunc Priorem Ciſtercio præfuiſſe vltra annum Chriſti centeſimum nonageſimúmque ſupra milleſimum, ſuo tempore aperte demonſtrabimus. Electum primo vere deſinente, aut ſub initium æſtus, inde coniector, quòd conſtat, Petrum obiiſſe menſe Martio, cuius vigeſima ſexta die in Martyrologio Ciſtercij commemoratur: *Sexto Kalendas Aprilis* (ait) *obiit D. Petrus quartusdecimus Ciſtercij Abbas, & Dominus Guillelmus XLVII. qui obiit anno M.D.XL.*

2. Guidonis etſi brenem Præfecturam multa, & varia incrementa nobilitarunt, duo præcipuè in Hiſpania non contemnenda. Admiſſi ad obedientiam Calatrauenſes, ſeu veriùs dixerim Ciſtercio reſtituti, à quo tribus, & viginti annis defecerant; & inſtituta Monialium Monarchia ſub Monaſterio Sanctæ Mariæ Regalis prope Burgos (*Huelgas* incolæ dicunt) cum annuis Abbatiſſarum Capitulis, viſitationibúſque, & cæterorum, quæ illuſtrant Ciſtercium, æmulatione; atque hoc vltimum hoc item anno cœptum, ſed poſt biennium Guidoni ipſi firmatum ſuis locis veniet referendum; primum, quod contigiſſe hoc anno conſtat ſub initiis Guidonianæ Præfecturæ,

fecturæ, occultum hactenus, (neque enim occultatum consultò credam) ex fide instrumentorum authenticorum in hoc capite, & sequenti declarabimus.

2. Igitur in Hispania Calatrauenses, qui dudum sub parente Raymundo Cistercium professi, ab eius obitu, aut certè non multò pòst, exclusis Abbatibus, ab eius obedientia desciuissent, cùm se degeneres, & votorum suorum transgressores considerarent, nec satis sibi factum arbitrarentur titulo familiarium, quem impetrassent, ni veri Fratres, Filiique Cistercij reputati, & habiti, in vnum corpus illius magnæ Familiæ, cum aliis membris omninò coalescerent: inter se primùm, dein cum emeritæ militiæ sene, & Sancto Monacho Didaco Velasquio, Sancti Raymundi socio, quem hactenus inuitum retinuissent; mox cum Magistro Ordinis dolere, conqueri, se præuaricatores, ingratos, impios, imò & reuerà iniurios, qui pacta soluerint, qui beneficia spreuerint, qui parentes de domo propria expulerint, & Calatrauam donatam Abbati, & Monachis, iniustè detineant; meritò Deo, & hominibus inuisos, contemnendos ab omnibus, nisi ad pristinum statum restituantur. Cistercienses admisisse vt familiares, quos degeneres Fratres aspernarentur: id vinculum commune cum sæcularibus, veris Religiosis indecorum, filiis probrosum etiam inueniri: expediisse fortassis, cùm factum fuit, separari a Monachis, qui cuncta sibi vellent vindicare, & belli, & pacis munia iam omninò abdicatos, reuocandos in spirituale regimen, quod non æquè per alios administrare, non per se possint. Hæc, & similia, dum inuicem loquuntur, ac Regi Alfonso grauiter proponunt, communi omnium consilio decretum est, vt Nunius Perecius Quiñonius, Magister militum, qui Martino successerat, cum litteris eiusdem Alfonsi Regis, & Procerum Hispaniæ Capitulo Generali ab Vvidone in proximo Septembri celebrando, humilis, atque supplex præsentaretur: se ipsum, ac Militiam Calatrauæ oblaturus obsequio, & obedientiæ Generalis Capituli, & illius Abbatis, Domúsque, quam matrem acciperent. Atque, vt in verum membrum susciperentur, in quod caput influeret, & vnum corpus cum cæteris efficeret, quanta posset instantia postulaturus.

4. Itaque anno à Natiuitate Christi millesimo centesimo octuagesimoseptimo, à condito Cistercio nonagesimo, ab inceptione Domus Calatrauæ vigesimonono, ab expulsione Monachorum, Abbatisque, & primi Magistri Garciæ creatione, tertio, atque vigesimo, Nunius Perecius Quiñonius quartus Magister, Alfonsi Regis, & Magnatum Hispaniæ munitus litteris (adeò tunc, vt glorioſum sollicitabant, quod nunc contemnunt) relicta Hispania, in Burgundiam properauit, non per Legatos, vt falsò putat Rades [b]; sed per se ipsum: atque in medio Capituli consistens coram Guidone, ac cæteris Episcopis, & Abbatibus, qui ibidem conuenerant, veram suæ Domus, militiæque incorporationem in Cistercio petiuit, obtinuitque sub Morimundi Abbatis visitatione. Quippe delatum petitioni Regis, & grauitati Militiæ, vt vni ex quatuor primis Scalæ Dei, & Fiterio Fundatricibus, vt Principi earum lineæ subiiceretur. Narrant hæc omni exceptione maiores testes, numero, & grauitate præeminentes Vvidonis, Guidonisve successor, alter Vvido, atque præcipui Episcopi, & Abbates, qui interfuerunt Capitulo post duodecim annos celebrato plùs, minúsve, litteris ad Innocentium Papam datis, cùm Morimundus, ab aliis Ecclesiis Ordinis, maximè ab Scala Dei, quasi ad ipsam ius matris pertineret, infestaretur. Atque eorum exemplar litterarum, quod ita habet:

Reuerendissimo Domino, & Patri, Innocentio, Dei gratia Summo Pontifici, G. eadem gratia Lingonensis Episcopus, R. eadem Cabilonensis Episcopus, G. de Cistercio, N. de Firmitate, G. de Pontigniaco, & G. de Claraualle dicti Abbates, salutem, & tam deuotum, quam debitum subiectionis, & reuerentiæ famulatum. 5.

Sanctæ Paternitati vestræ rei gestæ seriem declaramus, de Fratribus Calatrauensis Militiæ, (qui nunc de Saluaterra dicuntur, postquam idem Castrum Calatraua occupatum est à Paganis,) quo ordine Morimundensis Domus Filij facti sint, ea ratione, & obnoxietate filiationis, qua Filia Domus Matri Domui subiicitur, respicit, & reuetur, quatenus si quis aliquid contra hoc moliri nititur, viso testimonio nostro, totum molimen eius authoritatis apostolicæ iudicio destruatur. Cùm Fratres Calatrauenses ab ipsa inchoatione sua, Cistercienses professi sint Ordinem, hoc se censeri nomine gratulantes, sub quo in omnibus ferè Christianitatis partibus nomen Dei à Fidelibus benedicitur, & laudatur; placuit Magistro, & Fratribus de Calatraua, vt idem Magister anno Domini M.C.LXXXVII. se Cisterciensi Capitulo præsentaret, ibique cum litteris Regis Castellæ, & precibus Magnatum de Hispania postulationem suam, & suorum faceret, quatenus eidem Ordini Cisterciy incorporarentur arctius, & inclitius unirentur.

Bonum visum est in oculis omnium petitio eorum, & quia de Religione manabat, admissa est. Præceptum est communi assensu, & deliberatione Capituli, vt essent filij Morimundi: vsque Abbas, & Domus eadem in eos ius illud filiationis haberet, quale in Morimundo nosci tur habere Cistercium: id est, authoritatem, visitationem annuam faciendi; Magistrum, qui loco Abbatis est, creandi, vel amouendi; culpas, quæ accidunt emendandi, vltionem de excessibus exigendi, & similia. Traditum est institutum, & vitæ norma præscripta; & de victu, & vestitu deinceps ab eis obseruanda traditio, ac de cæteris spiritualibus studiis, quæ in Ordine conseruantur, quæ ipsi gratanti voto, & animo susceperunt, sicut in rescripto charta, quæ inter illos, & Morimundenses facta fuit, quam hîc ideò, vt vobis in palam fiat, compegimus, & scripsimus, in promptu est inueri. Hactenus litteræ missæ ad Innocentium. 6.

In primis ergo, quod attinet ad tempus, quamuis in litteris ipsis non notatur, tamen ex eo, ad quem scriberentur, Summo Pontifice, & Abbate Cistercij, qui easdem cum cæteris scripsit, datas constat ab anno Christi millesimo centesimo nonagesimooctauo, quo Innocentius promotus, vsque ad millesimum ducentesimumsecundum, quo Guido, huius, qui nunc Cistercio præfidebat, immediatus successor, in Archiepiscopum Rhemensem promotus, Successorem Arnaldum sortitus est; neque alius præfuit Guido sub Innocentio, vt suis locis latiùs ostendemus. Quare, cùm constet litteras scriptas, Innocentio Ecclesiæ, & Guidone Cistercio præsidentibus, relinquitur, vt intra illos quatuor annos, ante quos Innocentius nondum assumptus, & post quos Guido subtractus, comprobentur. Sed & quod dicitur in eisdem litteris, datas quo tempore amissa Calatraua, à Saluaterra accipiebat nomen militia sacra, quamuis latiùs pateat; conuenit tamen annis prænotatis, quos & iactatum primitiuæ Sedis præcessisse triennio, & restitutionem constat esse loquutam; quæ omnia in tempore fusiùs declarabimus. Itaque testimonium latum post annos vndecim; sed ante quindecim, vt 7.

[b] in Chronic. Calatr. c. 13.

multùm siue anticipemus, seu differamus. Hæc de tempore.

8. De Authoribus etiam dicendum breuiter, G. Lingonensem eundem Gualterium esse, qui Beati Petri Monoculi successor, hoc tempore præfidebat in Claraualle: R. Robertum Cabilonensem Præsulem, ex Cistercio assumptum ab anno M. C. LXXXV. vt ibidem ostendimus, & habent Tabulæ Ecclesiæ Cabilonensis. Haud tamen mihi constat, ex qua Domo; neque ab aliquo Authore notatum video. G. de Cistercio, Guidonem esse liquet, qui nunc præerat, Guidonis successorem, primò in Rhemensem Archiepiscopum, exinde in Cardinalem promouendum: N. de Firmitate, Nicolaum sextum loci Abbatem, si credimus Catalogo nobis inde transmisso, in quo post Petrum, secundum loci Præsulem, assumptum in Ecclesiam Tarantasiensem, Guillelmus, & Bernardus, Brunóque, & sextus Nicolaus commemorantur. Sequuntur ordine G. de Pontigniaco, & G. de Claraualle, dicti Abbates. Quorum primum Gerardum fuisse coniector, octauum, siue, vt alij volunt, nonum, eiusdem loci, non multò pòst ab Innocentio III. donandum galero rubro. G. Guidonem secundum, qui Garnerio in Episcopum promoto, immediatè successit in Claraualle. De quibus singulis suis locis agendum erit. Itaque in his, qui testimonium perhibent, duo Episcopi, duo item futuri Cardinales, & eundem vnus promouendus in Archiepiscopum. Et ex his facilè liceat coniectari, quàm certa fide constent dicta, seu facta, queis tanti viri, neque ad quemlibet alium scribentes; sed ad Summum Pontificem, neque de re antiqua, & sibi ignota; sed, cui plures assuissent, quo, nimirum, neque fallere auderent, neque falli possent, subscripsêre.

9. Notandæ insuper omnes circumstantiæ, quas suprà retuli, atque ex his & augendi, & emendandi Rades, aliique, qui non per se Magistrum, nedum cum litteris Regis, Magnatúmque, sed per Legatos adisse Cistercium volunt, neque quid aliud à Capitulo impetrasse, quàm præcedentis sub Alexandro III. Regulæ datæ, & chartæ familiaritatis confirmationem. Verùm perpendat Lector verba illa: *Quatenus eidem Ordini Cisterciensi incorporarentur arctiùs, & inseparabiliùs vniretur.* scilicet, quàm anteà essent vniti. Et rursus illa: *Præceptum est communi assensu, & deliberatione Capituli, vt essent Filij Morimundi, vtque Abbas, & Domus eadem in eos ius illud filiationis haberet, quale in Morimundo nosciuntur habere Cistercium.* Mirum profectò, hanc incorporationem ab Authoribus hactenus omissam, aut velut nihil priori superaddentem commemoratam. Cùm tamen prima (quod ex ipsis verbis constat) nullum Cistercio ius in Calatrauam, & milites illius omninò dederit: hæc è conuerso nullum reseruauerit, sed pleno iure Morimundi Abbati subiecerit, non secùs ac Morimundus Cistercio subest. Sed fortè ideò silentio prætermissa, ne factum proderet, quod quidam infectum vellent. Certè id de aliis, quos facilè potuerunt latere litteræ, asserere non ausim. Verùm de Rades, qui Archiuia cuncta euoluit, vt non suspicer, vix possum persuaderi, cùm maximè alia per eum inuersa videam.

10. Demum animaduersione dignum est, hanc ipsam obedientiam Cistercio datam, ipsa sacra Militia floreente, vigentéque, non à Paganis oppressa, ac propria domo pulsa, vt putauit Cerueta Turrianus[1]. Quippe hæc incorporatio facta fuit anno millesimo centesimo octuagesimoseptimo, vt constat ex dictis, constabitque ex litteris vnionis in capite sequenti referendis: & tamen Calatraua integra fuit, atque à sacra Militia conseruata vsque ad annum millesimum centesimum nonagesimumquintum, quo cladem ad Oppidum Alarcos nostris illatam, multæ aliæ sequutæ. Calatrauenses etiam inuoluerunt, & exulare fecerunt à propriis sedibus. Sed iam eadem litterarum vnionis, & incorporationis, prout hoc anno leguntur expeditæ ab Vvidone Abbate, ex eadem epistola ad Innocentium missa transcribamus.

[1] *Sic vocatus pro sacro Consilio. §. 6.*

---

1. *Admissa Calatrauensium obedientia, 2. & expedita littera, 3. qua his normam viuendi, & antiquam præscriberent, 4. & noua quædam adderent; 5. atque ea omnia confirmata à Gregorio Summo Pontifice. 6. Perpensa quædam, 7. & initium priorum Monachorum hoc anno datum, 8. Quod satis probant instrumenta multa producta, 9. continuata ad hoc annum possessione: sed remissiùs.*

CAPVT IV.

1. FRATER *Vvido Cisterciensis humilis Minister, cum Episcopis & Abbatibus totius Capituli, Venerabili Fratri Nunio Magistro, & Vniuersitati Fratrum de Calatraua, Salutem, & fraternæ charitatis affectum.*

Laudabile propositum vestrum, quo à militia Mundi, ad Christi militiam conuersi, inimicos Fidei expugnare statuistis, plurimùm approbamus, omnipotenti Deo, qui quos vult, quomodo vult, ad se trahit, & alium sic, alium quidem sic ad suum obsequium conuertit, gratias agentes pro profectu vestro, & augmento, merito, & numero apud eum humiliter supplicamus. Quod autem humiliter postulastis, suscipi vos, videlicet, in communionem beneficiorum Ordinis nostri, non vt familiares; sed vt verè Fratres, gratanter annuimus. Quod consequenter viuendi formam prescribi vobis authoritate nostra exigitis, nos, cum mutuum consilio de victu, ac vestitu vestro pauca vobis capita exprimere non negligendum putauimus.

2. *Lineis itaque in femoralibus tantùm vti vobis licebit. Vestes moderatas, honestas, commodas ad consilium Domini Morimundensis, & Magistri vestri habebitis, & scapulare pro habitu Religionis. Vestiti, & cincti dormietis, & in Oratorio, & in Refectorio, & in Dormitorio, & in equina inge silentium tenebitis. Summo opere cauebitis, ne in qualicunque veste, aut superfluitatis argui, aut curiositatis possitis notari. Tribus verò in hebdomada diebus, id est, feria tertia, quinta, & Dominica, cum præcipuis diebus festis, carnibus vesci licebit. Vino tantùm semel, & tantùm generis, quantùm ad carnes pertinet, comedi etiam, & ad mensas vbique silentium tenebitis. Præterea petitioni vestræ condescendimus, vt, videlicet, nulli Ordinis nostri liceat quemcunque Fratrum vestrorum*

2. *recipere*

recipere, absque assensu vestro; sed & vos erga nostros eadem lege tenebimini. Cùm autem ad aliquam Abbatiam Ordinis nostri veneritis, quoniam consuetudines nostras minùs nouistis, non in Conuentu; sed in hospitiis honestè, & charitatiuè, quantóque familiarius fieri poterit, recipiemini. Capellanos in domo vestra professos, sicut vos, in bono Ordinis recipimus.

3. *Qui Fratrem suum percusserit, sex mensibus ad arma, & equum non accedat: tribus diebus in terra comedet. Qui Magistro suo inobediens fuerit, similiter patiatur. Qui in quacunque alia obedientia positus fuerit, non contradicat. Qui in fornicatione publicè fuerit deprehensus, anno vno in terra comedat, tribus diebus in septimana in pane, & aqua: feria sexta disciplinam accipiat. Ab exaltatione Sanctæ Crucis vsque in Pascha tribus diebus, omnes in hebdomada ieiunabunt, qui Domi sunt; qui autem inter Saracenos, sicut Magister ordinauerit, & sicut solent. De his omnibus præcipimus, vt obediatis Magistro vestro, & professionem faciatis, sicut Abbati. Qui plùs, aut minùs his, quæ hic continentur, quæsierit, de Domo expellatur. Vos autem facimus liberos ab omni exactione Abbatum.*

4. *Confessiones vestras Capellani, qui Missas vobis cantabunt, recipient, & ipsos vos eligetis. Magister etiam Capitulum quotidie teneat vobis, & duas Quadragesimas ieiunabitis. Si Abbatias ædificare poteritis, Dominus Morimundensis ordinet eas. Idem Abbas Morimundi prouideat, quomodo per se, vel per alium semel in anno visitentur. Duo Monachi de eodem Monasterio, postquàm constructum fuerit, quoties necesse fuerit, cum ipsis Fratribus morabuntur. Actum ab Incarnatione Domini, anno M.C.LXXXVII.* Hactenus litteræ Guidonis, & Capituli ad Magistrum, & Milites, quibus Episcopi, & Abbates prænominati plenam ad Innocentium fecêre fidem. Porrò in his noua quædam, alia vetera, vnde occasio enarrandi: sed & hæc ipsa diuerso modo tradita. Quippe hactenus, quas seruarent, si vellent aut iuberentur, scriptæ à nostris leges sacris Militibus, in quos nullam haberent iurisdictionem, non secùs ac Bernardus Pater olim Templi Militibus, in quibus nihil posset, præscripsit leges. Nunc occasione nostræ potestatis ex promissa obedientia, admissáque præscripsêre, quæ scripserant, & quæ dictauerant, seruanda præcepêre. Sic tandem factum, vt ex familiaribus in veros Fratres Ordinis; ex communicantibus priuilegiis Cistercienſium, in Cistercienses; demum ex proximis in subditos transirent. Verùm hæ litteræ incorporationis, & vnionis Ordinis Calatrauæ cum Cistercienſi, sub obedientia Abbatis Morimundi, adeò frequenter, & passim circumferuntur, vt nullibi statuta antiqua Calatrauensium reperiantur scripta, quin illa præcedant, veluti verum fundamentum eorum omnium, vt mirum sit domesticos latuisse, quod norunt externi. Certè in Bibliotheca Sant-Bartholomæana Salmanticensi Manuscriptis referta satis antiquis, cuius memini tomo præcedenti, duo diuersa visuntur Exemplaria ante ducentos annos, atque eius ævi exarata characteribus: sed in vtroque hæ litteræ præcedunt. Idem in Fiterienſi, aliisque, ex quibus eas Henriquez [a] euulgauit.

[a] *in Menologem.* 2.

5. Impetrata à Capitulo vnione, atque incorporatione suæ Militiæ, Magister Nunius, quò firmior permaneret, accepto Monacho ab Abbate Morimundi Venerabili Petro, de quo superiùs, Romanam Sedem adeundam sibi putauit, cuius authoritate confirmaretur. Porrò vterque, & Magister, & Monachus, intra bimestre Gregorij Papæ VIII. accepêre rescripta: alter pro incorporatione suæ militiæ, alter pro eiusdem ad Abbatem, & Morimundi Domum plena, & omnimoda præstanda subiectione: sic enim pergunt Episcopi, & Abbates: *His ergo, Pater Sanctissime, ita gestis, & à Capitulo taliter impetratis, idem Magister ad sanctam Sedem apostolicam, cum quodam Monacho, Nuncio Domus Morimundensis, accessit, & hæc sibi obtinuit apostolico priuilegio confirmari. Qui & Morimundensis Nuncius priuilegium sibi innouari impetrans à Prædecessore vestro piæ memoriæ Papa Gregorio VIII. super Abbatiis, grangiis, & possessionibus, & pertinentiis, quæ Domus eadem possidebat, Domum, & Ordinem, & Fratres de Calatraua, & omnia ad eos pertinentia, inter cætera priuilegiata Domui suæ, prædicti Magistri adiutorio reportauit.* Hactenus litteræ Episcoporum, & Abbatum ad Innocentium, quæ rei totius seriem planè narrant.

6. Cæterùm quod in eisdem litteris dicitur, *Abbatias, si quas Calatrauenses ædificarent a Domino Morimundensi fore ordinandas, indéque transmittendos duos Monachos, qui in illis residerent, quoties, & quandiu fuerit necessarium.* Ad illud certè puto respexisse, quod de facto euenit non multò pòst. Abbatia Sancti Petri prope Gumielem, interuentu Calatrauensium Cistercio addita: quam cùm Magistro subdi non deceret, vtpote laïco, Abbati Morimundi subdendam, & si quæ aliæ per ipsos fundarentur (quo animo flagrabant) stabilierunt: sic leges aliæ moderatæ, aut extensæ ex vsu militum: & quamuis pleno iure subderentur, sicut cæteræ Domus: sed non sine quibusdam limitationibus, vt liberi omninò essent ab exactionibus, quos belli impensæ, & sumptus satis grauarent. Vt Capellanos, in Altaris ministerium, non secùs ac Moniales haberent; ne Monachi, qua posset excusari, extra Claustra manerent, aut à Militibus ad bellum assumerentur. Vt Abbatias non sibi generarent, sed Morimundo. Ne Monachi Militibus subiecti, Clerici laïcis, Hierarchias ecclesiasticas, atque Ordinis decorem perturbarent.

7. Nec diuersa ratione factum credo, quamuis in litteris nequaquam exprimatur, vt duo Monachi statim mitterentur ad Calatrauam, quorum alter Prioris, alter Subprioris munus exercerent; cuius incapax esset Magister laïcus, spiritualem habituri iurisdictionem. Constat post annos vnum & triginta, adeò factum fuisse Calatrauensibus habere Priorem Monachum, vt Pereyrenses, cùm illis subiicerentur, id vnum sibi censuerint excipiendum [b]: *Quòd Magister, & Conuentus de Pereyro recipiant visitationem Magistri de Calatraua, secundùm Ordinem Cisterciensem, sed quòd nunquam recipiant Monachum pro Priore, nisi voluerint; sed cùm Priorem facere debuerint, recipiant eum de Domo sua, aut de Calatraua, aut de filiabus suis, dummodo Monachus non sit.* Constat præterea cùm Abbatia Sancti Petri prope Gumielem, septem intra annos, interuentu Calatrauensium, nostris accresceret, ab ipso initio incorporationis illius, Abbatem Sancti Petri, tanquàm Delegatum Abbatis Morimundi, instituisse Priores in Calatraua ex propria Domo missos, per quos in spiritualibus eadem sacra Militia gubernaretur. Id quod scribens ad Gregorium Papam IX. Rex Ferdinandus, cognomento Sanctus, post annos quadraginta testatus est, cùm ea potestas Abbati Sancti Petri ab Abbate Morimundi denegaretur [c]: *Abbas Sancti Petri de Gumiel tibi* (id est, Morimundensi Abbati) *subditus, sibi à te potestate concessa, vt ipse aliquos Monachos ibidem* (in Calatraua) *institueret, qui*

[b] *Radet c.17.*

[c] *ex Biblioth. Vaticana lib. 9. Regest. Greg. IX.*

qui eandem Militiam informarent Regularibus disciplinis à prædecessoribus tuis (Abbatibus Morimundi) *perpetuo datus fuerat visitator.* Perpetuò, inquam, id est, ab initio Abbatiæ Cistercio subditæ; quod annis vno, & quadraginta præcessisset, Christi, nimirum, M.C.XC.IV. cùm Ferdinandus M.C.C.XXXV. de potestate ablata conquereretur.

8. Illud mirandum, quòd cùm non Monachum, sed Gallum recusaret inclytus Rex, quippe ignarum linguæ, morúmque, & alienum à terræ consuetudinibus[d]: *Vnde inter eandem Militiam* (nam ipsissima verba eius apponam) *& Monachos ibidem institutos, cùm neque moribus, neque vita conueniant, tanta scandali materia exorta est, quod dicta Militia in temporalibus omninò dilabitur, & Regnum ipsum debito sibi obsequio defraudatur.* nihilominùs repulsam passus sit, atque in Generali Capitulo primùm, mox per Pontificem etiam declaratum, liberum esse Abbati Morimundi, quos vellet eligere, sine respectu gentis, aut nationis. Extat Decretum Generalis Capituli anno M.C.XXX.VI. atque eiusdem Decreti confirmatio Gregorij Papæ IX. data Viterbij, nonis Ianuarij, Pontificatus ipsius anno vndecimo, qui incidit in M.C.C.XXXVII. Demùm in alia Bulla Gregorij X. data Lugduni decimosexto Kalendas Februarij, Pontificatus ipsius anno tertio, habetur expresè, quòd *Abbas Monasterij de Morimundo in Domo Militiæ Calatrauæ Cisterciensis Ordinis, cum ea Priore vacare contigerat, ab antiquo Priorem instituit vnum Monachum idoneum dicti Ordinis*, &c. Quæ omnia, ac plura alia ad hoc facientia suis locis à nobis reddenda erunt.

[d] *ex Regest. Vatican.*

Id vnum tamen in præsenti addendum censeo, 9.
qui me non sperem tot annis suffecturum, hanc potestatem instituendi Priorem in Calatraua, integram, illibatámque mansisse Morimundensibus, continuata ab hoc anno possessione, vsque ad millesimum quingentesimum quinquagesimumsecundum, quo Nicolaus Auenius, qui vltimus ex Gallia transmissus obiit. Porrò, etsi ex tunc quoad ipsum interruptam, siue magis exercitium suspensum certis ex causis; tamen quod attinet ad priores Monachos non multò post resumptam possessionem, & continuatam vsque ad annum millesimum quingentesimum nonagesimumnonum, quo obiit Ludouicus Aluarez de Solis, cùm sacrum illum Conuentum, Militiámque annos tres, & triginta administrasset. Sed ne interrupta nostrorum possessione, possidet alius: quippe quem Abbas Morimundi non elegit, Pontifex nominauit, instituitque pro illa vice tantùm, & sine præiudicio iuris Morimundensis. Reliquum tempus exactum sine Priore, vt liqueat remanere adhuc in nostris, quod nulli alteri ius vsque accreuit. Verùm nos continuatam seriem Priorum, atque interregna, quo clariora hæc omnia fiant, sequenti capite in medium producamus.

---

1. *Primus sacri Conuentus Prior B. Didacus Velasquius.* 2. *Inde vsque ad Nicolaum Auenium sequuti plures.* 3. *Pro quo, abdicante munus Claudio Colino, Imperator, & Militia ipsa misère.* 4. *Tum interregnum quatuordecim annorum, pro discutiendo iure Morimundensium.* 5. *Philippi secundi ad Abbatem Cistercij littera, atque ad Reginam Galliæ.* 6. *Denegata petitio Regis Catholici.* 7. *Sed Pio V. dispensante* 8. *pro illa vice electus Prior Monachus Hispanus,* 9. *post cuius obitum interregnum aliud sequutum.* 10. *Patentes littera* 11. *Abbatis Morimundensis* 12. *ad Autorem,* 13. *ex quibus præsens status rerum apparet.*

CAPVT V.

1. REDITVR exercuisse primus Prioris munus insignis bello, & pace; carne & spiritu Didacus Velasquius, Sancti Raymundi, dum vixit, quondam socius, atque Calatrauensium post ipsum Pater, & indiuiduus comes, cui hactenus vni debuissent, quod nunquam Calatraua visa sine cuculla. Quippe, vt diximus, vel Abbatibus electis, & cedentibus Monachis, solus cum illis, de Capituli Generalis licentia, perseuerauerat. Ergo gnarum vtriusque Professionis, Monachatus, nimirum, Militiæque, nec minùs sanctitate florentem, quàm longo experimento, atque prudentia Petrus Morimundensis Abbas instituit, per quem in spiritualibus noui subditi, & filij gubernarentur. Hac velut arte instaurata Raymundi tempora, seu continuata mauis; & subrogatus discipulus Magistro; sed in hoc Opere totius consilij Author, quem cuncti Milites, & religiosè colerent, & speciali charitatis ardore complecterentur. Et præfuit quidem, ac profuit per annos aliquot, quoad vsque acquisito nouo Cœnobio Sancti Petri ad Gumielem, ipse iam senio, morbísque confectus, & cessit, & secessit, instantem mortem per quietem præstolaturus. Sed de his suo loco. Seriem aliorum, qui ipsum sequuti sunt; nunc Hispani, nunc Galli, illi instituti ab Abbate Sancti Petri, tanquàm Vicario Abbatis Morimundensis ab ipso transmissi, Ceruera Turrianus[a] texuit sequenti ordine.

[a] *In Apolog. pro sacro Cœnobio.*

Primus, inquit, *Calatraua Prior fuit D. Fr. Didacus Velasquius.* 2.
Secundus, D. Fr. Arnaldus.
Tertius, D. Fr. Raymundus.
Quartus, D. Fr. Dionysius.
Quintus, D. Fr. Ioannes primus dictus de Brea.
Sextus, D. Fr. Robertus de Valeis.
Septimus, D. Fr. Ioannes secundus.
Octauus, D. Fr. Theobaldus primus.
Nonus, D. Fr. Joannes tertius, dictus de Sanson is.
Decimus, D Fr. Martinus.
Vndecimus, D. Fr. Iuo.
Duodecimus, D. Fr. Theobaldus secundus.
Tertiusdecimus, D. Fr. Dominicus Morelli, primus.
Quartusdecimus, D. F. Dominic. Morelli, secundus.
Quintusdecimus, D. Fr. Claud. Brin, corrige, *Colin.*
Sextusdecimus, D. Fr. Nicolaus Auenius.

Hactenus Monachorum Priorum series, id est, omnium, qui sciuntur (neque enim vnquam nō Monachi extitêre) per Morimundi Abbates, & eorum Commissarios institutorum, prout ab hoc Authore, ex Calatrauæ monumentis commemorantur. Sed neque aliunde

aliunde aut maiorem horum lucem, ex aliorum scriptis nanciſci potui. Nam Rades Andradius, qui illuſtrare debuiſſet, nihil magis curauit, quàm obſcurare: adeò vt Magiſtris Dignitates omnes ſubiiciens, Commendatoreſque, qui ſingulorum tempora concernunt; ſolos Priores ſilentio præterierit; & qui Sacriſtas, & Conuentus memorat, Priores omittat, qui non ſolum Conuentui ipſi præeſſent, ſed (in ſpiritualibus ſaltem) Militiæ toti. Id vnum tamen addendum fore cenſui, quod Ceuera omiſit, ab inſtituto in Conuentu Calatrauæ Priore Monacho, nunquam vel leuiter reſiliiſſe ſacram Militiam (quanuis Gallum nonnunquam auerſaretur) vſque ad annum M.CCC.XCVII. quo Gundiſaluus Nuñius, tunc Magiſter, cùm Generale Militiæ ſactæ Capitulum, de mandato Abbatis Morimundi (quod ipſe profiterur) congregaſſet, D. Patre Ioanne (dubium ſecundo, an tertio) tunc Priore, inter alia ſtatuere tentauit [b]: *Vt ſi officium Prioris ſacri Conuentus vacare contingeret, Magiſter, & alij cum Clerici, tum laici, Priorem eligerent ex eiuſdem Conuentus Capellanis.* Verùm id aliàs irritum (niſi mauis vocare monſtruoſum: quippe factum in eum, à quo poteſtas faciendi dimanabat) intra decennium viſitata ſacra Militia ab ipſo Morimundi Abbate Ioanne, viſitur reuocatum, caſſatúmque diffinitione lata ſub hoc tenore [a]: *Item, inhærentes antiquis, & ſalubribus ſtatutis, à noſtris Patribus ſtabilitis, & vſque nunc laudabiliter obſeruatis, inhibemus dicto Magiſtro, cæteriſque dicti Conuentus, & Militiæ perſonis regularibus quibuſcunque, qui nunc ſunt, vel pro tempore fuerint, Commendatoribus, Militibus, vel Fratribus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, cuius abſolutionem, præterquam in articulo mortis, nobis, & ſucceſſoribus noſtris, aut eorum Commiſſariis, tenore præſentium reſeruamus: ne cùm Prioratus Sacri Conuentus vacare contigerit, de alio Priore ibidem inſtituendo vllatenus ſe intromittant: non obſtante ſtatuto, quod dicitur ſuper hoc, per bonæ memoriæ Fratrem Gundiſaluum Nunium, quondam Magiſtrum Calatrauæ; & alios Commendatores contra dicta antiqua ſtatuta, & in noſtri, ac dicti Monaſterij noſtri præiudicium non modicum, factum eſſe: quod ſtatutum tenore præſentium declaramus irritum, & inane: necnon & ad maiorem abundantiam, caſſamus, reuocamus, & annullamus. Sed pro alio Priore habendo mittant ſtatim ad Monaſterium Morimundi, ſicut hucvſque fuit laudabiliter obſeruatum.* Et in fine, poſt plura alia ſtatuta: *Datum in ciuitate Hiſpalenſi, ſub appenſione ſigilli noſtri, die vndecima menſis Iulij, anno M.CD.VII.* Idem inuenio iteratum poſt annos vndecim nouis legibus latis in noua alia Abbatis Morimundi viſitatione: *Datum in Villa de Almagro, per appenſionem ſigilli noſtri, die 26. menſis Iulij, anno M.CD.XVIII.* Nec replicatum in aliis ſubſequentibus, quaſi in re manifeſta, & inconcuſſa, vana omninò, & ſuperflua replicatione. Sed redeo ad ſeriem.

[b] *in diffinitionibus, vt vocant, ſub ipſo factis.*

[a] *ex libro diffinition. an. 1197.*

3. Claudio Colino penultimo Priore ex ſuprà nominatis ſponte cedente, vt ad ſuam Morimundum reuerteretur; atque impetratis à Carolo V. Imperatore, qui ſacram tunc Militiam adminiſtrabat, tum aſſenſu, tum litteris, per quas Edmundo Abbati commendabatur, (eas, qui volet, legat in Appendice [a]) in eius locum ſubrogatus legitur Petrus Nebalius, Morimundi item Monachus; qui tamen, ſiue linguam ſibi ignotam, atque mores Hiſpanos faſtiditet, ſiue ipſe è contra ab Hiſpanis faſtidiretur, priuſquàm conſcenderet Sedem prioralem, remiſſus eſt, & cum eo Religioſus Calatrauæ Frater Anthonius Cejudo, Valentiæ Prior, cum litteris eiuſdem Imperatoris, quibus & Petri reditum excuſat, & ius Abbatis ad inſtituendum Priorem Monachum, confitetur, & adſtruit; & eundem vt tunc alium mittat, petit, quem magis idoneum miniſterio tanto cognouerit: idque ad inſtantiam Capituli generalis totius ſacræ Militiæ, cui tanto tempore (& vix annos pertranſierat) ſine Priore eſſe, piaculum videbatur non tolerandum. Litteræ ipſe fideliter excerptæ, atque à Reuerendiſſimo Patre Claudio Brefaultio, Morimundi Abbate, ad me tranſmiſſæ, quia rei totius euentum, & fidem continent, hic conſequenter ſunt nobis tranſcribendæ.

[a] *Magiſtrorum Calatraua in Carolo V.*

Carolus, diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper auguſtus, atque Hiſpaniarum Rex: Venerabili, religioſo, deuoto, ſyncerè nobis dilecto Abbati Morimundenſi.

Venerabilis, religioſe, deuote, ſyncerè nobis dilecte. Aliàs cùm ex his noſtris Regnis diſcederet Frater Claudius Colinus, quondam Prior Conuentus, & Ordinis Calatrauæ, cuius adminiſtrationem perpetuam gerimus, apoſtolica auctoritate fulcitus, ſcripſimus ad vos, quamobrem non expediret illum vlteriùs regiminiſ Conuentus dicti Ordinis præeſſe: vtq; ad munus Prioris alium quempiam Religioſum Conuentus veſtri Morimundi idoneum, & apium muneri obeundo mitteretis. Non multò poſt venit ad nos Frater Petrus Nebalius, vna cum veſtris litteris, & mandatis, vt prædictum munus Prioris gereret. Qui, quanquam in his partibus aliquandiu eſt commoratus, iuſtis aliquot de cauſis ad id promouentibus, non viſum eſt bono, atque commodo præfati Ordinis conuenire. Quapropter copiam illi redeundi fecimus: neque id quidem animo præiudicium vobis inferendi in prouiſione Prioris, quod etiam ad vos tunc ſcripſimus. Nunc autem in Capitulo generali eiuſdem Ordinis Matriti noſtro iuſſu celebrato, ſupplicatum nobis per dictum Capitulum extitit, vt cùm iam diu Conuentus prædictus Priore careret, dictúſque Ordo, & militia ſit adeò inſignis, quippe qua plurimos milites nobiles, & generoſos contineat, proinde expedire bono, & commodo dicti Ordinis, vt Prior eidem præficiatur: quod quidem prouidere dignaremur, & ad effectum perducere. Nos autem, qui ſingularem affectum erga dictum Ordinem, & militiam gerimus, omninò cupimus eiuſdem rebus proſpicere, & adeſſe. Idcircò obnixè vos rogamus, veſtrámque hortamur ſyncerit atem, vt iure veſtro, quod ad prouiſionem Prioris habetis, vtentes, vnum quempiam religioſum prædicti veſtri Monaſterij mittatis in Priorem dicti Conuentus de Calatraua, ſeniorem, idoneum, & ſufficientem, litteris, & moribus conſpicuum, qualis conueniat dicto muneri Prioris adminiſtrando. Mittit verò in præſentiarum dictus Ordo, & Militia Fratrem Antonium Cejudo, Priorem Valentiæ, vt vos omnium actorum certiorem reddat, & prædicto Priori per vos mittendo comitatum exhibeat: cui in omnibus, quæ ex parte noſtra vobis, dixerit, integram fidem adhiberi volumus. Datum Matriti, &c. an. M.D.XXX.

YO EL REY.

Et inferius ſubſcriptum, IAQVES.

His litteris acceptis Edmundus Abbas Nicolaum Auenium deſignauit, & cum prædicto Antonio Cejudo miſit, qui comiter, reuerentérque ſuſceptus, tum ab Imperatore, tum à Militibus, atque vniuerſis Religioſis Conuentus ſacri laudabiliter exercuit Prioris munus, ab anno M.D.XXX. vſque ad M.D.LII. quo ex hac vita migrauit.

4. Defuncto Nicolao Auenio, vt dictum eſt circa annum Chriſti M.D.LII. interregnum quatuordecim annorum ſequutum eſt; nempe, Carolo V. adhuc regnante, & adminiſtrante Militiam Calatrauæ, mox Philippo

Philippo secundo ægrè ferentibus Hispanos milites subesse homini Gallo. Quam etiam curam Ferdinandi Regis, cognomento Sancti, sollicitasse animum, & supra diximus, & tomo sequenti latiùs prosequemur. Certe Carolum V. Imperatorem nihil non tentauisse, quo Monachum Hispanum, cúmque à se electum institueret, in comperto est, dum primùm ius Abbatis indubium vocat: inde, cùm manifestum cognouisset, Vicariam saltem illius potestatem sibi concedi per litteras, per nuncios procurauit. Verùm, cùm neutra via quicquam proficeret, & aliàs interim imperio se abdicaret, qui solus triumphus victoriis eius supererat: succedente Philippo, noua inquisitio, ex qua noua dilatio: & iure Morimundi rursùs discusso, rursus comperto, rursus precibus actum apud Abbatem; missúsque ad ipsum Eques Calatrauæ, D. Gueran de Spes, qui electionem Prioris sacri Conuentus impetraret Philippo, cui totus ipse ceetus Calatrauensium apostolica concessione, permissus esset. Id expediens Militiæ, Conuentúsque, & vniuerso Cistercio non indecorum, imò nec Morimundo, penes quem idem ius semper maneret, si Rex ipse non propria, aut ordinaria, sed delegata sibi ab Abbate iurisdictione nominaret Priorem; Monachum quidem illum, sed Hispanum, qui lingua, & moribus conueniret cum suis subditis. Porrò, quo hæc faciliùs consequeretur, Reginæ Galliæ, & Abbatis Cistercij precibus, quorum alteri Abbas Morimundi iure gentium, alteri debito propriæ professionis, obnoxius esset; vtrunque voluit habere intercessorem litteris ad Reginam datis vulgari, ad Cistercij Monarcham Latina lingua, quarum nos ipsum prototypum nacti (insignis viri, ac nobis amicissimi Magistri Ægidij Gonzalez de Auila, Catholicæ Maiestatis Archichronologi, insigni beneficio) Exemplaria hîc censuimus transcribenda. Itaque ad Abbatem Cistercij ita Latinè:

5. *Reuerendo Patri totius Ordinis Cistercienſis Generali deuoto, nobis dilecto.* Ita in fronte, sed intùs ista: *Philippus, Dei gratia Rex Hiſpaniarum, vtriuſque Sicilia, Ieruſalem, &c.*

Reuerende Deuote, nobis dilecte. Cùm Gueranum de Spes, nobilem Equitem Ordinis Calatraua, ad Abbatem Morimundi mittamus, acturum cum eo de remittenda ad nos Conuentus illius Ordinis Prioris nominatione, iudicantes ipſi Ordini maximè referre Priorem exterum hominem minimè creari: noluimus omittere, quin eidem in mandatis daremus, vt iiſdem de rebus cum Deuotione tua noſtro nomine agat, baſque ad eandem litteras referat, & rationes, quæ nos, tanquàm Adminiſtratorem perpetuum Ordinis Calatraua, in hanc ſententiam impulerint, pluribus verbis exponat. Itaque maiorem in modum Deuotionem tuam rogamus, vt eundem Gueranum in omnibus iis, quæ noſtro nomine aget, libenter audias, eámque, quam nobiſmetipſis, fidem habeas: & in hoc noſtro deſiderio, quo propter ipſius Ordinis commodum afficimur, omni ſtudio, cura, ac diligentia adiumento ſis. Quod huic rei maximè profuturum ſperamus, & Deo Opt. Max. veſtra Deuotio gratum officium adhibebit, nobiſque tam gratam rem faciet, vt nihil gratius euenire poſſit. Latiúſque ex Gueran intelliget Deuotio tua. Datum Madriti die XIV. Nouembris, M.D.LXV. Philippus. Et infrà, *Qui à ſecretis, G. Perezius.* Atque ista quidem ad Abbatem Cistercienſem. Ast ad Reginam, vernaculo sermone, quem hîc ibidem, ob dictantis maiestatem, censui conseruandum, hæc, quæ sequuntur:

6. *Alta Chariſſima muy alta, y muy poderoſa Reyna de Francia, mi muy chara, y muy amada Madre, y Hermana.*

Chariſſima, muy alta, y muy poderoſa Reyna de Francia, mi muy chara, y muy amada Madre, y Hermana. Yo he eſcrito al Abad de Morimundo con vn Caualliero de la Orden de Calatrana, que ſe dize Don Gueran de Spes, ſobre vn negocio, que toca al Conuento de Calatrana, de que informara à V. Mageſtad Don Frances de Alana, à el dicho D. Gueran. Y porque yo como Adminiſtrador perpetuo de la Orden, y que deuo procurar el bien della deſeo, que eſto ſe conceda per el dicho Abad, por ſer como es para mucho ſeruicio de Nueſtro Senor, y bien, y augmento de aquella Caſa, en lo eſpiritual, y temporal; y para que el dicho Abad venga mejor en ello, hara mucho al caſo, mandarſelo. V. Mageſtad, pues es coſa, que el puede bien hazer con conſeruar ſu authoridad. Y ſi fuere menester al Abad de Ciſter, que es Superior. Yo ruego muy afectuoſamente a V. Mageſtad de fe y creencia a los dichos Don Frances, y Don Gueran, ò al que ſobre ello le hablare, y mande eſcriuir al dicho Abad de Morimundo, de manera que venga bien en lo que por mi parte ſe le pide que haga: que ſera para mi ſingular placer, y lo reconocere de V. Mageſtad, y al Rey mi Hermano en lo que ſe offreciere. Nueſtro Senor guarde, y proſpere la Chriſtianiſſima perſona de V. Mageſtad, como deſea. De Madrid, a XIV. de Nouiembre, M. D. LXV. Buen hijo, y hermano de V. Mageſtad, Yo el Rey. Et infrà: *G. Perez.*

Quæ causæ mouerint Abbatem Morimundi, ne tanto Regi roganti morem gereret, haud satis hactenus potui inuestigare: quanuis coniector, non tam negauisse, quod Rex petebat, quàm addidisse peritis conditionem; vt Monachus electus, antequàm in Priorem susciperetur, Morimundum adiret, ibíque facta solenni professione, tunc demum titulo Prioris decoraretur. Constat, Philippum ab eo repulsam passum, adiisse Pontificem, ac vera illi facta narratione de vero iure Abbatum Morimundensium, à Pio V. impetrasse, vt pro ea saltem vice, sed sine præiudicio iuris Abbatum, Hispanus Monachus, Frater Ludouicus Aluarez de Solis, insignis vir doctrinæ, & pietatis, & qui Hispanæ obseruantiæ reformatorem generalem egisset semel, & iterum, ab eodem Philippo nominatus, in Priorem Calatrauæ præficeretur. Litteris datis ab eodem Pontifice, quas hîc reddendas promisi, atque ita habent [c]: [c ex Vatican. & ex Archiuis Calatr.]

7. *Pius Papa V. Chariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem, & apoſtolicam Benedictionem.*

Exponi nobis nuper fecit Maieſtas tua, quòd in Militia de Calatraua Ciſtercienſis Ordinis, perpetuus Adminiſtrator exiſtis: quódque ſiebat deputatio, & nominatio Prioris Conuentus de Calatraua prafati Ordinis, in quo Fratres eundem Ordinem expreſsè profeſsi continuò reſidere, & Milites eiuſdem Ordinis huiuſmodi profeſsionem emittere, & per aliquod tempus in eo reſidere ſolent, ſuccurrentéque obitu Prioris ipſius Conuentus Abbas Monaſterij de Morimundo, Ordinis pradicti, Lingonenſis Diœceſis, Monachum dicti Ordinis, nationis Gallicana nominare, & deputare, illúmque ad regimen, & adminiſtrationem dicti Conuentus de Calatraua tranſmittere conſueuit. Et de preſenti in dicto Conuentu nullus Prior Gallus exiſtit. Propterea Maieſtas tua, tanquàm Adminiſtrator, conſiderans nationem Hiſpaniam, & Gallicanam, linguas, ritus, mores, & genia multùm inter ſe diſcrepantia habere; Priorémque Gallum lingua, & morum Hiſpania ignarum eſſe; indéque ſpretum, & inobedientiam, Regulariſque obſeruantia detractionem, ac ſubterfugium inter ipſos Priorem, Fratres, Preſbyteros, & Milites, aliáque plurima inconuenientia reſultare, in diuini cultus diminutionem, & monaſtica diſciplina contemptum,

'temptum, Fratrémque, & militum huiuſmodi animarum periculum, ipſiúſque Conuentus damnum, & detrimentum non modicum. Quare eadem Maieſtas tua, conſideratis detrimentis, & inconuenientibus prædictis, illiſque obuiare ſummoperè cupiens, ſub noſtro, & Sedis apoſtolicæ beneplacito, dilectum filium Fratrem Ludouicum Aluarez de Solis, dictum Ordinem expreſſe profeſſum, nationis Hiſpanæ (Religioſum probatæ vitæ, moríúnque honeſtate probatum, & laudabili qualitate, & conditione conſpicuum) qui Conuentum prædictum bene, & laudabiliter regat, & gubernet, in Priorem Conuentus huiuſmodi nominauit: idcirco, quæ nobis humiliter ſupplicari curauit, quatenus nominationem præfatam confirmare, & approbare, aliáſque in præmiſſis opportune prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur.

8. Hic primus noſtra ætate Prior fuit, quem Abbas Morimundi non inſtituit; ſed & vltimus etiam. Quippe a morte eiuſdem Ludouici, cùm nec Reges Hiſpaniæ Gallos admittere, nec Mor mundi Abbates, quantumuis requiſiti, rogatíque, iure ſuo cedere vnquam acquieuerint: ſine Priore, quam ſub Gallo eſſe tutius viſum: vtinam in conſcientia, ſemélque admiſſis Adminiſtratoribus, qui vices Prioris gerant, ex Capellanis; iam neque Hiſpani Monachi admittuntur, aut priùs ſaltem cogantur litigare. Quod quis Hiſpanus audeat? aut ſi auderet, quis vellet in ſuum Principem? Sic Dignitas Prioris Calatrauæ per CCCC. XII. annos à noſtris poſſeſſa, ab his octo, & triginta, non tam amiſſa, quàm impedita, aut ſuſpenſa eſſe videtur. Quippe non vllis aliis adiudicata, neque hactenus ſacer ille Conuentus, Militúmque Priorem vllum habuit, qui non priùs cucullam, ac monaſticam vitam profeſſus eſſet.

9. Ergo ab anno M. D. XCIX. quo Ludouicus Aluarez deceſſit, ſecundum interregnum ſequutum eſt, quod ad hanc vſque diem perſeuerat. Quippe Philippo II. è viuis rapto non multò pòſt, dum alium ſubrogare, ſimili Pontificis indulto meditaretur, qui ei in Regno, atque adminiſtratione Magiſterij ſucceſſit, Philippus III. nulla, aut tenui notitia iuris monaſtici, eò tantùm reſpexit, vt res in eo ſtatu conſeruatet, quo a patre accepit; Monachis Gallis fruſtrà reclamantibus, quippe non admittendis, quia extetis; eóque lege regia iam incapacibus: tacentibus Hiſpanis, quibus nihil iuris, niſi ab Abbate Morimundi nominarentur. Verum eſt tamen, quòd ſub his vltimis annis, qui hodie præeſt Conuentui Morimundi Reuerendiſſimus Claudius Briffaultius, quod vnum illi licet, Priores nominat Monachos Hiſpanos, quanuis non præfuturos; & anno M. D. C. XXVII. Magiſtrum Fratrem Chryſoſtomum Henriquez, Hortenſis Monaſterij alumnum; dein ipſo immatura morte ſublato, ante hoc quadriennium, nobis immeritis, nec quid tale cogitantibus, ſuo ſigillo munitas litteras miſit, quas hûc ſubiungo, tum grati animi in eundem Abbatem indices, tum in maiorem præcedentium confirmationem.

10. *Frater Claudius Briffault, Abbas Morimundi, Ordinis Ciſtercienſis, in Diœceſi Lingonenſi, Sacræ Theologiæ Doctor, Chriſtianiſſimi Regis a Conſiliis, & eleemoſynis; Illuſtriſſimarum, ac Potentiſſimarum Militiarum, & Conuentuum de Calatraua, Alcantara, Montiſia, Auis, & Chriſti, Caput, ac Superior, &c. Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Fratri Angelo Manrique, Sacræ Theologiæ in Alma Salmanticenſi Academia Cathedratico Profeſſori, Congregationis Hiſpanicæ præfati noſtri Ordinis Ciſtercienſis, quondam eximiæ cum laude Reformatori Generali, &c. Salutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus.*

Non ſine graui mœrore accepimus, Venerabilem, 11.
& nobis in Chriſto perdilectum Filium, Dominum Chryſoſtomum Henriquez, quem propter inſignem ſuam pietatem, ac ſummam eruditionem, ante quattuor annos, inclytæ Domus Calatrauæ Priorem inſtituimus, ab aliquo retroactis menſibus ſupremum egiſſe diem: quo fit, vt ſalus animarum ibidem Altiſſimo famulantium, & ab eadem celeberrimo Conuentu dependentium periclitetur; nec deſiderata conſcientiæ quiete, & conſolatione frui, ac potiri valeant, Paſtore orbata, & deſtituta. Eapropter, cùm prædicta illa Domus Calatrauæ a primæua ſua origine, à quadringentis, ſcilicet, annis, & ſuprà, noſtri Morimundenſis Cœnobij, ſit adeò ſpecialis filia, vt nulli alteri ius competat, in eadem Priorem inſtituendi, dum vacat, præterquàm Abbati Morimundi pro tempore exiſtenti; Paſtoralis noſtræ debet eſſe ſollicitudinis, qui, nimirum, meritis licet noſtris imparibus, huiuſce dignitatis honore fruimur, tam graui incommodo, quam primùm congruum adhibere remedium.

De tuis itaque, mœrum candore, angelica ferè, 12.
ſi non verè, vita, ſumma eruditione, & in ſacris Litteris edocendis indefeſſo ſtudio, ac labore, multiplicibuſque aliis virtutibus, quibus apud omnes commendaris vndequaque debitè, & ad plenum informati, te Priorem ipſius Domus, ac Conuentus Calatrauenſis, auctoritate noſtra paterna inſtituimus, & creamus: dantes tibi omnimodam iuriſdictionem, & poteſtatem, illum in ſpiritualibus, & temporalibus, more maiorum regendi, & adminiſtrandi: perſonas omnes in eo degentes, & ad illum ſpectantes; nominatim verò Illuſtriſſimos, & Nobiliſſimos Dominos Commendatarios, ac Milites à quibuſuis caſibus in foro conſcientiæ abſoluendi, vel per idoneos, & capaces Confeſſarios per te ſubſtituendos, abſolui faciendi; eóſque in debito ſuæ Profeſſionis officio, per cenſuras, & pœnas Ordinis, ſi opus fuerit, continendi; Subpriorem, Cellerarium, cæteróſque Conuentus Officiales inſtituendi; & quando neceſſarium eſſe videris, deſtituendi, alióſque in eorum locum ſubrogandi; honores, honoraria, fructus, immunitates, & emolumenta quæcunque ad dictam Prioralem qualitatem ſpectantia, percipiendi, iiſque fruendi, & gaudendi; & generaliter omnia, & ſingula agendi, præſtandi, & exequendi, quæ Priores Ordinis noſtri, maximéque dicti Calatrauenſis Monaſterij agere, præſtare, & exequi poſſunt, ac debent.

Mandantes in virtute ſalutaris obedientiæ, 13.
omnibus Regularibus dicti Conuentus perſonis, aliiſq; ab eo dependentibus nobis ſubditis, vt te in verum, ac legitimum ſuum de Calatraua Priorem recipiant, agnoſcant, & reuereantur, debitámque tibi obedientiam præſtent, & exhibeant. Si qua porrò difficultas in præſentium executione oboriatur, quod Deus Optimus Maximus auertat, Sacram, ac Catholicam Regiam Maieſtatem, tanquàm ipſius Militiæ Adminiſtratorem, ac Summum Magiſtrum, eiúſque integerrimos Officiales, enixè deprecamur, vt te ad præmiſſa, præpotenti ſua manu, & protectione iuuare dignentur. Datum Morimundi ſub noſtro manuali ſigno, & maioris ſigilli noſtri appenſione, necnon Secretarij noſtri ſubſcriptione, die omnium Sanctorum ſolemnitate ſacra, quæ eſt prima menſis Nouembris, anni à partu Virgineo ſupra milleſimum ſexcenteſimi trigeſimitertij. Frater Claudius, Abbas Morimundi. De mandato Reuerendiſſimi Domini mei, Fr. Dnguey à Secretis.

13. Hæc occasione incorporationis Calatrauæ in Cistercij Familiam,hoc anno factæ,cum qua & Prioris Monachi institutionem, per Morimundi Abbatem efficiendam cœpisse credimus. Non,vt id munus aliquatenus ambiamus,qui sueti voluntariæ, atque domesticæ, obedientiam coactam, & iam extraneam horreamus magis,& sponte etiam abiicimus: sed vt veritas constet per instrumenta antiqua, modernáque,queis nullus resistat,quanuis & eadem ex dicendis inferiùs ad propria loca,manifestior adhuc apparebit.Nunc ad Gregorium,breuem heu! Pontificem, & ad reliqua vitæ,quæ supersunt,atque immaturam mortem lacrymandam Ecclesiæ,nedum nostris,&,si quæ alia occurrent,reuertamur.

---

1. *Tumultuantibus Romanis contra Pontifices*, 2. *Gregorius Ferrariæ Pisas proficiscitur*: 3. *in itinere Bononiam,& Parmam visitat.* 4. *Genuenses inde Pisas ad se vocatos Pisanis reconciliare studens*, *moritur.* 5. *Laudes eius*, 6. *sepulcrum,& dies obitus.* 7. *Vacatio Sedis*, *& Clemens subrogatus anno sequenti.* 8. *Cœptum sub ipso Vicecancellarij munus*: 9. *& dictum de breui eius pontificatu. Demum notata prætermissa eius memoria.*

CAPVT VI.

1. LVCTVABAT interim Populus Romanus rebellione continua,quæ à temporibus Innocentij II. cœpta,per annos quinquaginta prolatata,plùs,minúsve, vsque ad Clementem III. perdurauit: excutientibus Pontificum iugum Ordinibus, & subrogatis antiquis Senatoribus, qui Reipublicæ præessent,atque Patricio quodam velut Consule, penès quem resideret summa authoritas. Quare,vt notant Panuinus [a], & Genebrardus [b], *Innocentius II. & Cœlestinus II. animi dolore defecerunt: Lucius XXIX. penè est interfectus. Eugenius III. Alexander III. & Lucius III. vrbe pulsi: Vrbanus III. & Gregorius VIII. exules fuêre,donec nouissimè tanti dissidij vtraque parte pertæsi,Populus Romanus cum Pontifice populari suo Clemente III. pacem æquis conditionibus fecit*,&c. Atque hæc, vt id obiter notem,occasio fuit,cur Gregorius non Romæ, sed Ferrariæ creatus fuerit.

a *in notis ad Platin. sub Clem. III.*
b *in Chron. sub Greg. VIII.*

2. Itaque impeditus adire Romam,vnde velut ex totius Orbis capite,cunctis membris præsentior,negotia fidei commodiùs pertractaret; cùm nihil magis arderet illius animus,quàm loca sancta,& quæ Christus sacrasset sua præsentia, de Paganorum manibus eripere: quò id faciliùs,& promptiùs exequeretur,relicta Ferraria,ait illius temporis Scriptor,Guillelmus Neubricensis [c],Pisas contendit: *Pisanos, & Ianuenses iungi, & inueterata discordia dissidentes, Deo Authore,reconciliaturus,vel ferales illas inimicitias,protensioribus saltem inducis suspensurus,vt sublatis,vel ad tempus sepositis studiis partium,vterque populus, quorum & opes amplissimæ,& vires erant terra, marique ingentes,in Christiana expeditionis commuuiter accingerentur negotium.* Ita qui tunc viuebat Neubricensis, cui omnes alij Authores adstipulantur,nisi quòd tamen recentiores sequuti Platinam [d], nauales vires vtrisque Gentibus proprias, innatásque (Genuensibus,nimirum,& Pisanis) quæsitas à Gregorio,vt bello trãsmarino pernecessarias,magis quàm terrestres,quæ facilè aliunde possent obtineri, memoriæ produnt.

c *lib. 3. c. 21.*
d *in Greg. 8.*

3. In hoc itinere visitauit Gregorius Parmam,Bononiámque, vt affirmat Chaconius [e], quo breuiùs decessurus,eò celeriùs in plures diffundendus. Porrò, ne quod omitteret officium boni Pastoris,Bononiæ consecrasse Gisilam,siue Gisellam,Bononiensem Episcopum,qui dudum designatus,non tamen adhuc sacris admotus fuerat,Carolus mihi Sigonius Author est,in ea,quam de Bononiensibus Episcopis scripsit Historia, ex quo Andreas Victorelus [f] etiam excerpsit,vt teuerà infra spatium duorum mensium, quos nondum exegit,vix vlla illi dies vacua fuerit; atque plura præstiterit,quam alij intra duos annos exequi solent.Hæc in itinere: sed breue,& facile illud,longius aliud,atque eò difficilius, quò irremeabile, & cunctis necessariò peragendum præstolabatur. Nam audi,quod sequitur lugendum Christiano Orbi, atque æternùm lugendum,si non per Successores compensaretur: sed Cistercio amarius,quippe quòd nullus ex ipso subrogandus, quanuis pietate, & meritis inferior consolabatur; cùm tantum bonum non vnquam habuisse,quàm tam citò amisisse leuius foret.

e *in Greg. 8.*
f *In additis ad Chaconiũ.*

4. *Ingressus Pisas* (ait idem qui suprà Author 8) *primos Ianuensium euocauit, & secundum datam sibi cœlitùs sapientiam, cooperante Pontificali reuerentia, feroces hinc inde animos sedare curauit.Cúmque per religiosam illius operam opus pacis procederet, iámque arripiendi melioris propositi meditatione, inueterata illa ferocium populorum Languescerent simultates,febre correptus post dies pauciss imos apud Pisas valedixit huic Mundo,bonis Pastoribus,vt de tali viro credere fas est, sociandus in Cœlo.* Hæc Neubricensis de morte Viri Sancti,cùm magis necessarius Ecclesiæ, cùm Cistercio glorioſior censeri poterat.Cæterùm,cùm hic Author scriptum habeat amissæ Crucis Christi, Sepulcríque infelicem euentum,nequaquam ad Vrbanum peruenisse (quod vero etiam similius suprà diximus) sed ad Gregorium (infra diem subrogatum ab eius obitu) facilè sibi,& alijs persuadet, qui Virum planè Sanctum morbus absumpsit,non causis naturalibus, non senili ætati,non demum corporis ægræ valetudini;sed animi mœrori tribuendum fore,quem ex nuncio infelici concepisset: *Qui Venerabilis Pontifex*, ait [h], *tristi nuncio perculsus,ingemuit, & vi doloris anxius, tam enormem Christiani nominis iacturam inconsolabiliter deploranit.* Vt credi possit coronæ confessionis, quam vitæ meritis in cœlo comparasset,aureolam Martyrij superaddendam, deficienti pro Christo; atque eò glorioſiùs triumphanti, quò nullo tyranno in corpus desæuiente,sed sola charitate vrgente,animam posuit.

g *lib. 3. c. 21.*
h *lib. 3. c. 20.*

5. Cardinalis Baronius, dum eius mortem Annalibus suis tradit quàm dolendam Ecclesiæ, bonisque, sed quàm ipsi glorioſam, grauibus sanè verbis scriptum reliquit [i]: *At illud inexpectatè,& importune satis hoc anno accidit; equidem infaustum,& Dei Ecclesia permoleſtum; quòd ipse Gregorius Papa, nondum duobus expletis mensibus in Pontificatu, Pisis cùm esset,ex hac vita migrauit decimoseptimo Kalendas Ianuarij, qui tanquam sapientissimus Architectus magna molis*

i *ad hũc ann. num.*

molis construendæ iecerat fundamentum. Quod mors, licet improba, interceperit; illud planè, quàm exarmata, & imbecillis (vtpote carens stimulo, quo ipsa peccatum armat) nequiuit efficere, vt cum ipso extingueretur & gloria, ex virtute (morti cedere nescia) comparata, qua semper glorioſus vineret in terris, & Beatus cum Deo regnaret in Cœlis. Ita Baronius. Porrò hoc Gregorij Papæ elogium, ex tanto Viro, operæpretium visum hîc transcribere, quòd à Parente ecclesiasticæ Historiæ conscriptum, vulgatúmque, omnium aliorum Authorum, ex quibus ipse hausit, laudes contineat. Certè antiquiores Gregorium eximiè laudant. Quippe Guillelmus sapientia singulari, & vitæ syncerit. apud Chacon. in Greg. ibidem. itate conspicuum nominat [k]; Gerardus Frasques, seu Frasquetus Dominicanus [l], Virum apprimè litteratum, facundúmque, sed sanctitate vitæ, animíque integritate præclariorem. Chaconius [m] præclarissimum lumen totius Orbis: atque his similia tot alia reperiuntur inter Authores, vt integrum hoc Caput, si cuncta referrentur, implere possent.

m In Greg. VIII.

6. In die obitus, &, quod magis miteris, etiam in anno, Panuinus dissentit, qui Sanctum Virum obiisse putat, & tradit, vndecimo Kalendas Martij, anno millesimo centesimo octuagesimo octauo. Verùm id falsitatis planè conuincitur: quippe sedentem non duos integros menses, in quo omnes conueniunt, & iam mense Octobri potitum rerum, quod litteræ ab eo datæ, & superiùs adductæ manifestant, necesse fuit consummari intra hunc annum, nempe, eodem, quo datum Ecclesiæ Dei. Dubium, an subtrahendum maiori malo, quàm bono obtentum: quippe hoc cum morte eius facilè euanuit, sola vestigia doloris post se relinquens: illud superuenit semper duraturum, atque ægrè restaurandum per successores, quantumuis eos Sanctos, atque in cunctis industrios sortitus fuerit. Corpus in Cathedrali Ecclesia Pisana sepultum est, vbi hodiéque manet, siue ipso iubente, seu nullo ex nostris audente retractare causam tanti doloris, seu denique Pontificis amissi; neque exuuias meruimus, quibus acceptam per iacturam illius cladem, aut fallere possemus, aut temperare.

7. Mansit Ecclesia post obitum Gregorij viginti integros dies sine Pontifice, sine Nauclero nauis: demum ouile Christi sine Pastore. Fortè qui tanto Viro dignè succederet, qui vacuum eius ad plenum occuparet, non de facili potuit inueniri. Certè qui Vrbano paulò antè subrogarentur, Cardinalium Collegium duos inuenerat, Cistercienſem vtrunque, atque vtrunque infra diem, ab eius obitu: quem Cisterciensi Gregorio substituerant, per viginti quæsitus, & vix inuentus vsque ad annum sequentem distulerunt; & subrogatus Clemens III. est, natione Romanus, qui, vt Sedem Petri conscenderet securior, Antecessoris sui vestigiis hærens, nihil altiùs curauit, quàm indictam ab ipso expeditionem, Legationem iniunctam, & reliqua eius cœpta promouere, atque ad perfectionem perducere, vt suo loco pleniùs disseremus.

8. Tradit Chaconius Gregorium Papam creatum Summum Pontificem ex Sacræ Romanæ Curiæ Cancellario, quo munere ab Alexandro III. donatus fuerat; nihilominùs pro se nullum substituisse: *Nullus*, inquit [n], *Cardinalium in locum eius factus est Cancellarius, neque aliquis suffectus, qui pro Cancellario ad tempus esset: sed Moyses quidam Lateranensis Canonicus Regularis, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, ad id munus assumptus est: qui quod Cardinalis non esset, non Cancellarius, vt Cardinales consueuerant se appellare; sed Cancellarij vicem agens dictus est: cum tamen re ipsa eo Cancellarij munere fungeretur prouen-*

n In Greg. VIII.

túsque, & regalia omnia Cancellariis dari solita à Pontifice haberet. Fuitque hic primus, qui post longa tempora, cùm non esset Cardinalis, Cancellarij Romanæ Ecclesiæ functus est munere: ameà enim non nisi Cardinalibus officium illud demandari consuetum erat. Vnde Vicecancellarij origo manauit. Potrò autem adeò sacrum Clementi fuit, imitari Gregorium, & in nullo à vestigiis eius auerti, vt vel in hoc sequendum sibi proponeret; neque Moysem prædictum, quandiu vixit, nec Cancellarij titulo deuouerit; sed neque ab exercitio vnquam amouerit.

Adnotauit Gilbertus Genebrardus in Chronologia, Gregorium ab aliquibus omitti, nec in Catalogo successorum Petri inter Pontifices alios annumerari: quod breuitati Præsulatus eius attribuit; quippe qui dies tantùm septem, & quinquaginta Ecclesiam rexerit. Ego, qui omittat, hactenus non vidi: quin omnes Virum, quod modò dicebamus, egregia cum laude, nec minori cum luctu de immatura eius morte commemorare. Quòd si quis forsan prætermisit Pastorem sanctum, atque verè apostolicum; nunquam ob breuitatem Præfecturæ fecisse credam; qui videam alios, eósque breuioris temporis inconcussos hâberi; sed refugisse subire immensum pelagus diuinæ prouidentiæ, in quo humano iudicio nihil peruium, nihil angelico, nihil quod non exhauriat cuiuscunque creatæ mentis acumen. Ecce sine pœnitentia sunt dona Dei: & nihilominùs, quasi pœniteret, sæpè quæ dedit, aufert; vt non videatur dare, quibus vtamur; sed quibus defraudemur: largus, vt rapiat, si ita fari licet, atque eò tantùm ditans, vt nos spoliet. Quòd si hæc exercerent tantùm priuatos, facilior eius nexus solutio foret: nempe, donat, vt reddant, neque tam vt possideant, quàm vt redonent, in quo se nobis æquat, in quantum potest. At quòd Ecclesiam suam ita perstringit, & ne ea quidem, quæ ad gloriam eius faciunt, aut facere videntur, dona conseruat; quòd loca sacra, quæ ipse consecrauit, à perfidorum manibus erepta, Sanctum Pontificem, per quem semel amissa recuperanda, aut forent, aut sperabantur, fidelibus donauerit; illa intra paucos annos amittenda, hunc intra paucos dies decessurum, quòd his multa similia sæpè contingant, quòd possent gentes capita mouere, atque insultantes ipsi de nobis dicere: *Vbi est Deus eorum?* silentio magis venerandum est, neque à quoquam pio vnquam inuestigandum.

9.

Extat inter Lusitanos memoria celebris Gregorij Papæ VIII. sub proprio nomine Alberti Cardinalis (quippe nondum Pontificis) in litteris Alexandri III. ante octo annos datis, id est, Christi M. C. LXXIX. quæ regium titulum Alfonso Lusitano ob egregia facinora, atque victorias partas de Saracenis, simul & Pontificiam protectionem confirmauerunt. Acceptatis duabus auri marchis, quas soluerent annuatim ipse, atque successores (sic obtulit Alfonsus) Romanæ Sedi. Præferùt nanque Albertum Cardinalem, & Cancellarium Curiæ, cuius interuentione vulgatę fuerint: extare litteras, obseruarique in publica turri, (*Do Tombo*, Lusitani vulgò appellant,) in qua obseruari monumenta Regia ferunt. Baronius tradit [o], sed expeditas, publicatásque per Albertum, tunc Cancellarium Curię, qui postmodum in Gregorium VIII. assumptus est, notauit Stephanus Gatiuaius [p] Rerum Hispanarum Scriptor non ignobilis, ex quo sumpsisse videntur recentiores, qui Alfonsi Ciaconij Biacensis Vitas Pontificum, Cardinaliúmque, additis notis, nuper illustrarunt. Atque hoc monumentum Sancti Viri, quod proprio anno emisimus, ad calcem vitæ ipsius supplendum duximus. Hæc satis nobis de breuissimo Pontifice: nunc reliqua huius anni prosequamur.

10.

o ad an. 1179.

p par. 4. lib. 3. c. 3.

1. *Vualteri Birbachij mira deuotio, gratiáque: 2. cui Dæmones, 3. cui bruta etiam obediunt. 4. Tempestas orta, 5. & Arnoldo orante sedata. 6. Christiani Sacerdotis sancti 7. mira simplicitas; 8. & singulare meritum. 9. Conuersio eius, duorúmque filiorum in Cistercio. 10. Dictum de Henrico, 11. oraculo, & visione illi ostensa; 12. & de Genardo Conuerso in Hemmenrode.*

CAPVT VII.

1. CRESCEBAT interím meritis, & signis Vualterus Birbachius in Hemmenrode, & gratia Dei, quæ haud dubiè erat in illo, per multa opera externa fructificabat [a]: *Psalterium, Hymnos, cantica, & alias de Domina nostra orationes plurimas, in probatione didicerat, qua omnia studiosissimè frequentauit. Missa quotidiana Domina nostra semper interesse voluit: quicquid penè loquebatur, ædificatorium fuit.* Ita Cæsarius de deuotione Viti externa: nam internam quis audeat? aut si auderet, quis posset commendare? Verùm de signis, per quæ non solùm homines, verùm Dæmones etiam, brutáque, quin & venti, & mare eius prorsus imperio subiacerent, pergit scribere [b]:

a lib. 7. c. 39.

b ubi suprà.

2. *Quia non solùm verbis, & aspectu, imò etiam odore famæ eius multi ædificabantur, Magister hospitum creatus est. Tempore quodam ductus est ad Monasterium spe curationis quidam obsessus, & in hospitio receptus: erat enim rusticus dines satis, ac notus, qui cùm nullo remedio posset sanari, non Reliquiis Sanctorum, non orationibus Monachorum, sæpè dictus Vualterus authoritate officij frequenter eum visitans, & rhythmos, quos habebat de Domina nostra conscriptos super caput hominis legit, & sacras picturas ostendit, per quæ omnia Dæmonem, vt exiret, adiurauit. Die quadam, cùm psalterium super obsessi caput posuisset, obsidens clamauit, & furens in tantum hominem, a quo exire cogebatur, turbauit, & allisit, vt cadens in terram mortuus diceretur: post horam ad se reuersus surrexit, a Diabolo se liberatum clamitans. Conuersus verò, qui orationi huic interfuit, & Rusticum furentem seruauit, ista mihi recitauit. Vadens ille sanus in domum suam, post aliquantulum temporis rediit gratias agens Beatæ Virgini, eiúsque seruo suo curatori, hoc verbum, audiente Conuentu, adiiciens: Si nihil esset amplius Reliquiarum in Monasterio isto, præter hunc Sanctum Virum, cuius meritis curatus sum, toti loco sufficere deberet.* Hæc de Dæmonibus ex Cæsario excerpta: & plures alij paruêre eius imperio.

3. Verùm de brutis, audi, quæ sequuntur: *Non solùm Dæmones, sed & bruta animalia illius sanctitati obediebant. Erat Monasterio poledrus pulcherrimus, & tanti valoris, vt tam Episcopus Treuirensis, quàm Dux Lotharingiæ quadragima, vt puto, marcas argenti offerrent pro illo: species enim optimi dextrarij in eodem erat poledro. Timens Conuentus alterum offendere, si vni venderetur, per Dominum Vualterum, duobus adhibitis Conuersis, eundem equum Comiti Hollandiæ gratis transmisit. Venientibus eis in quendam saltum, poledrus equaritiam, id est gregem equarum de longè pascere conspexit, qui statim hinniens, atque lasciuiens, ex ducentium manibus se excussit, & cursu velocissimo ad equaritiam properauit: quam cùm Conuersi insequerentur, equaritia fugiente, magis poledrus ab eis elongabatur: quibus frustrato labore, reuersis, ait Vualterus: Procedamus: equus iste perditus est, nisi Sancta Maria illum nobis reducat. Vix ad duo milliaria processerant, & ecce poledrus velociter recurrens, qui nondum satis domitus fuerat, velut ouis mansueta ductorum suorum manibus colla subiecit.* c ibidem.

4. Hæc, & id genus alia mirabilia operabatur Deus per Vualterum: at neque ab illis expers Arnoldus fuit, eius in sæculo quondam Capellanus, in Monachatu socius, & meritis aut compar, aut subæqualis. Certè Vualterus tanti illum faciebat, vt nihil sibi timendum putaret, ipso orante. Euentum proferam communem vtrique Sancto, atque vtrique gloriosum; & qui ex Hermano Priore, ad quem delatus, conuincitur contigisse circa hunc annum [d]: *Quia notus erat nobilibus terræ, & ab eis, tum propter sanguinis nobilitatem, tum propter vitæ sanctitatem venerabatur, sed pro Monasterij necessitatibus, contra voluntatem suam, emittebatur. Tempore quodam descendens cum naue Domus, qua vinum portabat, cùm in Zelandiam venisset, orta tempestas maxima omnes terruit, & nauem inclinauit. Accessit periculum periculo: prædones ad eos remigantes, nauim depredari conati sunt. Et ecce iusto Dei iudicio, duo vasa vi venterum eiecta, nauiculam subuerterunt, ipsósque prædones in profundum demerserunt. Acta sunt hæc in vigilia Nicolai post mediam noctem. Singuli vitæ suæ timentes Deo supplicabant: ipse verò Vir Beatus de gurgustio nauis egrediens, ferro suo deorsum ducto, confessionem fecit, & intrauit: deinde imagine Sanctæ Dei Genitricis eburnea, quam semper penes se habebat, coram se posita, ante illam se prostrauit, & orauit, atque in illa oratione leuiter obdormiuit. Statímque visum est ei, quòd Dominum Arnoldum in Claustro Virum Sanctum, & probatæ vitæ, tempore psalmodiæ citharizare audiret; sicque ex ipsa dulcedine vocis expergefactus est: erat enim tempus Matutinarum.* d lib. 7. epist. 19.

5. *Intelligens protinus, quòd Vir iustus eadem hora pro ipsis oraret, lætus exiuit, omnésque consolans his verbis ait: Nolite timere: nullum nobis periculum nocere poterit: Dominum Arnoldum de Sancto Seuerino Monachum nostrum audiui citharizantem. Mox virtute diuina, & meritis Beatæ Virginis, quam imaginauerat, & iam dicti Arnoldi, tempestas sedata est. Hæc cùm relata fuissent Domino Hermanno Priori, nunc Abbati Loci Sanctæ Mariæ, statim Dominum Arnoldum, horum prorsus inscium vocauit, & quid in nauc Sancti Nicolai infra Matutinas cogitauerit, vel quid ibi egerit, interrogauit. Cui ille respondit: Credite mihi: ego citharizaui ibi. Quali modo, inquit? Et ille: Quando non possum habere deuotionem, sub cucullæ digitos, ad similitudinem citharizantis, moueo, & chordas cordis tango, sicque mentis torporem ad deuotionem excito. Et miratus est Prior nimis, audiens hæc. Quia vir litteratus est, puto exemplo Elisæi hoc eum facere, in quo ad vocem psalterij excitatus est Spiritus Prophetiæ.* Hactenus ex Cæsario Heisterbacensi, quæ Arnoldum concernunt, quan-

mis

nis nec Vvalterus fauoris expers. Nunc de Christiano viro simplicissimo, sed non minùs perfecto proloquamur.

6. Augebat numerum Sanctorum Hemmenrodensium Vir verè iustus, ex Sacerdote Monachus; sed qui, antequàm in Sacerdotem ordinaretur, carnis illecebris deditus fuisset, quippe duos filios ex illicito thoro susceperat Henricum, & Ioannem. Hic post primos lubricioris ætatis annos ad Ecclesiam confugiens, ex præterito casu cautior, humiliorque; eximia, qua pollebat, simplicitate, virtutes omnes altiùs radicabat. Vitam eus ad longam Cæsarius refert: (quippe quem Deus prouidit Hemmenrodensibus, ne tantis viris deesset dignus Scriptor:) nos quædam excerpemus omissis aliis. Verùm de tempore, ad hoc etiam pertinere, inde coniectot, quòd tradidit eum Henrico Conuerso Sancto, de quo egimus anno præcedenti, contemporaneum [c]. *In eodem Claustro*, inquit, *Monachus quidam fuit prædicto Conuerso Henrico contemporaneus, nomine, & opere Christianus. Istum multis modis Domina nostra consolari consuevit, secreta sua illi manifestans.* Hactenus ille, quod attinet ad tempus. Nunc de simplicitate Viri primùm, dein de merito ex eodem Authore prosequamur [i]:

c lib. 7. Dial. leg. c. 16.

i ibid.

7. *Ordinatus in Sacerdotem factus est Capellanus Comitis Lossensis, in Castro eius Missas celebrans. Filius verò Comitis, sciens illum virum esse simplicem, & timidum, vt eum terreret, vrsi pelle se circumdedit, & more bestiæ super pedes, manúsque incedens, ad sólum in Capella sedentem sic venit, rugitus contra illum emittens. Quo visu Christianus territus, & penè extra mentem factus, arrepto cultello, tam valide illum collo iuuenis infixit, vt rueret penè mortuus, qui cùm medicùm respirasset, timens vitæ Sacerdotis, ait: Fugite, Domine Christiane: quia filium Comitis occidistis. Mox ille territus fugit: & cùm venisset ad portam Castri dixit ostiario: Aperi, & fuge me fugere, quia filium Comitis occidi. Vides, quanta simplicitas? Statim, vt hæc innotuerunt, parentes, & familia, & parentes planxerunt valdè: ad petitionem innocentis Christianus reuocatur, culpa ignoscitur, contra spem vulneratus citiùs conualescit.* Ita Cæsarius de hominis admiranda simplicitate. Verùm, quanti apud Deum meriti fuerit, quæ idem narrat 8, sequentia declarabunt.

g ubi supra.

8. *Habebat præter prædictam Capellam, Ecclesiam legitimam, cuius Passer erat, ad quam quoties ire debuisset, fluuium quendam transire habebat, qui cùm minor esset, equo vectore illum transuadabat: cum verò inundasset, nauigio transibat. Quodam igitur tempore, cùm ad fluuium de more accessisset, maiorem, quam crediderat, reperit. Propter quod cùm se, & equum ei committere non auderet, & nauicula deesset, pauulúmque, quid faciendum esset, deliberaret; ecce apparens ei Beata Maria Magdalene, apprehendit eum de vestimento supra collum, & in vlteriorem ripam deposuit, ita vt erat in equo sedentem. Lætus itaque ad Ecclesiam peruenit, & diuina celebrare exorsus est, nullum habens adiutorem, nisi rusticum Ecclesiæ custodem: Beata verò Maria Magdalene, quæ mirabiliter illuc eum perduxit, Missæ eius interesse non refugit. Nam quotiens se vertebat, dicendo: Dominus vobiscum, vidit Matronam Reuerendissimam in Oratorio deambulantem, in qua nullum sciens esse mortalium, nisi prædictum custodem, eundem Missa finita conuenit, interrogans, si aliquid vidisset: ipse autem etiam se eam vidisse asserebat.*

9. Hactenus, quæ in sæculo Christianus. Nunc quali Cistercio nomen dederit, pergit Author scribens in hæc verba [h]: *Quia, teste Scriptura, dignum est, vt iustus iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur ad-*

h ibidem.

huc, considerans venerabilis Sacerdos Mundi pericula, Diaboli tentamenta, carnis incentiua, diuina gratia inspirante, Mundum deseruit, & Religionis habitum in Hemmenrode suscepit. Non satis constat, an ante ipsum filij, an verò post? Verùm Cistercium etiam professos esse, compertum est, alterum in Villario, Virum sanctum, de quo infrà dicemus: alterum, in eodem cum ipso Claustro. De his idem Cæsarius paulò inferiùs: *Duos siquidem filios ante conuersionem in iuuentute genuerat, non tamen legitimè, Henricum, videlicet, de Villario, Virum sanctum, de quo est dictum in quarta distinctione, capitulo tricesimoprimo, & Ioannem Monachum de Claustro, qui adhuc superest.*

10. Admirandam visionem Cæsarius narrat [i], quæ hærentem Christianum, nutantémque intra annum probationis confirmauit: quin multas etiam tum Dæmonum visiones, tum Angelorum, quibus & erudiri meruit, & consolari, quibus omnibus Hermannus, & Vvalterus eidem Sancto Viro familiares (sic ipse ait) indubitatam fidem adstruebant. Nobis sufficiat Henrico filio eius penè ob natalitium defectum desperanti, quasi illegitimi cœlum demererentur, cœleste oraculum, & visionem ostensam: quia non alibi certius hìc subiungere. Scribit autem eam idem Cæsarius, qui & Henricum Christiani filium nouit, & in Villario ipsius Monasterio Priorem egit. Sic autem habet [k]:

i lib. 5. c. 6.

k lib. 4. c. 31.

11. *Nomen Conuerso Henricus fuit, in Villario Professus; & Domini Christiani de Claustro Monachi filius. De hoc Christiano mira tibi dicam in distinctione septima, capite XVI. Ministrabat autem idem Henricus in Hospitali pauperibus, vir multæ humilitatis, patientiæ, & compassionis. Et quanto plùs Deum timuit, tanto plùs ab illo separari formidauit. Immiserat enim Diabolus quandam desperationem cordi eius, ita vt diceret: quia non es filius legitimi thori, non eris hæres cœlestis Regni. Quæ cogitatio in corde eius adeò creuerat, vt à Confessoribus, tam de Scripturis, quam de exemplis prolatam, nullam prorsus reciperet consolationem. Misertus eius Dominus, nocte quadam cùm tentatio esset validissima, in domum amplam, & longam illum transtulit, in somnis tamen; in qua vidit de vtroque sexu multitudinem magnam; & facta est ad eum vox: Henrice, vides hanc multitudinem? Omnes quidem de legitimo thoro sunt nati, sed omnes reprobi, præter te, sunt. Euigilans, statim latificatus est valdè, intelligens visionem propter se factam. Ab illa hora tentatio immissa cessauit, & ipse, quandiu vixit, Deo, qui non deseris sperantes in se, gratias egit.* Hæc de Henrico, quem Arnoldus de Rayse, Henriquézque [l]; alter Sanctorum Belgij Natalitiis, alter Menologio suo inseruêre. De Christiano parente plura infra.

l Iulij 13.

12. Circa idem tempus in eodem Hemmenrode Conuersum lego Geuardum, ex Canonico Sanctæ Mariæ ad gradus apud Coloniam, præcedente visione, quam idemmet Cæsarius his verbis narrat [m]: *In Ecclesia Sanctæ Mariæ ad gradus in Colonia erat quidam Canonicus, nomine Geuardus, ætate adhuc floridus, & Mundi vanitatibus satis deditus: in quadam solemnitate, cùm statio esset ad eandem Ecclesiam, secundum consuetudinem affuit, & Dominus Euerhardus, Sancti Iacobi Plebanus, vir iustus, atque religiosus, & propter suam sanctitatem omni ciuitati reuerendus, qui cùm venisset ante ostium Chori, & introspexisset, contemplatus est eundem Geuardum in tonsura, & habitu Monachi Cistercienses, inter Canonicos suos stantem, & miratus valdè, dicebat intra se: O factus es Geuardus Monachus! Et cùm intellexisset postea visionem fuisse, hoc de*

m lib. 1. c. 7.

Digitized by G

illo in corde suo indicauit, quod posteà rei euentus probauit. Et quia consilium diuinæ dispositionis mutari non potest, omnimodè in illo complerinecesse fuit, quod de eo Deus præostendit. Modico elapso tempore, idem iuuenis, non sinè multorum admiratione, valedicens sæculo, conuersus est in Claustro, factúsque Nouitius in eodem Cœnobio. Quod cùm cognouisset prædictus Sacerdos, Hemmenrode venit, & Gerardum visitauit, & quid de illo viderit, omnibus Nouitiis recitauit. Hæc mihi dicta sunt à nono Frederico Monacho, qui tunc præsens fuit, cùm Vir Sanctus ista peroranit. Hic ille Geuardus est, qui Hermano nunc Priori Hemmenrodensi, mox Valli Sancti Petri præfuturo, in eadem successit Abbatia, vt suo loco, & tempore dicemus.

---

1. *Margarita Ierosolymitana Cistercio destinata* 2. *correptio, & peregrinatio*, 3. *natiuitas, & reditus*: 4. *mortuis parentibus, pergit Ierosolymam*: 5. *obsidetur, & pugnat more virili*: 6. *dedita vrbe*, 7. *profanataque à Paganis*, 8. *Margarita cum aliis captiua, sed mox redempta*, 9. *denuò capitur grauiori mancipanda seruituti.* 10. *Chronologia, & de initio Abbatiæ.* 11. *Tum Vallis Sancti Lamberti*, 12. *& Reinfelde.*

CAPVT VIII.

1. DVM hæc in Hispania, & Gallia, Germaniáque, Saladino expugnante Ierosolymam, ac profanante loca nostræ salutis, quæ iam dudum Cistercio parabatur, Margarita Ierosolymitana, Thomæ Anglici soror, cuius suprà meminimus, inter alios Christianos capta primùm, mox leui pretio facilè redempta, iterum seruituti passa est, non ante quindecim menses redimenda. Eius vitam, & acta miranda satis vsque ad præsentem annum, ne si cuncta congeramus in vnum locum, Lectorem nimiùm grauent, prout ab ipsius Fratre, Thoma Anglico, Monacho Fontis frigidi, prosa, & versa oratione descripta sunt, in hoc Capite veniunt recensenda.

2. Igitur Margarita in ea parte Angliæ, quæ Deiros continet, haud procul ab Himbro flumine magno, Vlnone patre, & Siuilla matre genita, antequàm nasceretur, peregrina in vtero materno mare transiuit, non priùs lucem visura, quàm Ierosolymam; quò terrena natiuitas cœlestem, atque inchoatio vitæ temporalis, felix æternæ præsagium esse inciperet. Excepêre vagientem sacra loca, & primas ex infanti ore cadentes lacrymas nostræ salutis mysteria consecrarunt[a]:

[a] *ex lib. manuscripto Clarauallensi.*

Mox vt concipior, Anglorum gente relicta,
Ierusalem tendit Sanctus vterque Parens.
His onerosa comes materno defero alno
Post menses aliquot, Vrbi sacra finit iter.
Et dum vota pater pia soluit, nascor ibidem, &c.

Cecinit Thomas, frater, ipsius nomine, vt reuerà non facilè discernas, quæ ab ore vagientis cadebant lacrymæ, Christine, an propriæ Passioni datæ fuerint: nempe, erumpente per ipsas deuotione iam tunc teneræ mentis, an magis infantilis ætatis teneritudine? Et descendebant vagitus pro voce laudis à patribus ad filiam: atque haustum cum lacte pietatem, pueriles omnes affectus manifestabant.

3. Sugebat adhuc Margarita materna vbera, cùm parentibus in Angliam remeantibus, paruo asello impolita, inter crebros gattitus, vagitúsque, paternum iter aut grauabat, aut subleuabat, cùm ecce lupus cominùs aggressus, nisi Vlno resistteret, reliquam turbam imbellem interemisset.

Fortè die quadam, dum pascua læta subimus,
Nos lupus aggreditur, cadis amore ferox.
Quem pater vt vidit, ad me procedere celle,
Pro me sollicitus, vtque, dolúmque parat.
Tres simul imbelles, ego puerula, mater, asellus.
Qui me gestabat, cogimur ire metu.
Stat Pater intrepidus, & vellit ab arbore ramum,
Quem, tanquam ludens, post sua terga trahit.
Cùm lupus accedit, chyrsum mouet; ille recedit,
Nec quenquam ladit.

Hoc primum recens natæ Margaritæ instans vitæ periculum, quam multa, nec minora præstolabantur: sed quæ omnia æquè effet euasura, quousque tandem Cistercio consecraretur.

Superuixisse post reditum in Angliam diu parentes, argumento est Thomas, eorum filius, vndecim annis natus post Margaritam, quæ lactens cùm redierit, vt ipsa ait: 4.

Lactens, Anglorum transiebar ad patriam.

nondum biennium potuerat adimplesse. Vtcunque fuerit, parentibus defunctis, Margarita adulta reditum ad natale Christi solum, quod & ipsius erat, meditata, transcenso mari, in Orientem remeauit, & medios inter Paganorum cuneos penetrans, Sanctam Ciuitatem ingressa est, quo tempore à Saladino, & exercitu eius obsidebatur. Potrò quæ gesserit in eadem obsidione hoc ipso anno, & qualiter tandem capta, simul cum ipsa vrbe, sed mox facili pretio redempta sit, ipsius verbis præstat describamus:

Ad natale solum grandis iam fœta reuersa
Tunc cum Ierusalem capta dolore gemo.
Hic obsessa manens spatio ter quinque dierum,
Impleo pro posse sæua Virago virum.
Assimilata viro, galeam gero, mœnia gyro,
In ceruice lebes, cassidis instar habet.
Fœmina fingo virum, sophus prætendo sapphirum;
Plena metu disco dissimulare metum.

Hæc Viragini nostræ constantia inter gladios, & enses, missiliáque, quam nulla prorsus pericula exterruerunt.

Inter hæc, dum pugnantibus ministrat, nam neque hoc voluit merito fraudari, ictu lapidis cæsa, de muro tollitur, per medicamina saluti restituenda. Sed manfit tamen vulneris cicatrix, velut indigne virtutis plusquam fœmineæ, & vt non liceat dicere Martyrij, at cruciatus vltronei, atque sponsaei pro defensione Sepulcri Corporis Christi. 5.

Æstus erat, nec erat requies pugnantibus: ergo
In muro sessis pocula trado viris.
Cùm venit ecce mihi petra simillima molæ,
Cuius fragmento læsa cruore fluo.
Sed cito sanatur, cui mox medicina paratur,
Vidimus: at signum vulneris vsque manet.

Ita per decem dies, quibus à nostris aduersus Sarace-

nos pugnatum est, nullum munus omisit strenui militis, quod non fœmina bellis adimpleret.

6. Instabat Festum Sancti Michaëlis, nec iam Christiani obsessi diutiùs resistere, aut audebant, aut poterant: sed deditione decreta, luctus, & clamor, & solæ audebantur lamentationes:

Cùm que dies festus aderat sine carmine mœstus,
Michael alme, tibi, quid nisi terror ibi?
Nam mox post pactum miserandi fœderis actum,
Hosti subiectus fit sacer ille locus.

Sic Acta Virginis. Porrò quod illud pactum, aut quale fuerit, narrat Magister templi, qui tunc præerat, ad Henricum Anglorum Regem scribens, his planè verbis [b]: *Sciatis, quod Ierusalem cum arce Dauid reddita est Saladino, Syrij autem habent custodiam Sepulcri vsque ad quartum diem post Festum Sancti Michaelis: & ipse Saladinus in Domo Hospitalis permisit remanere decem de Fratribus Hospitalis ad custodiendum infirmos vsque in vnum annum.*

[b] apud Baronium hoc an.

7. Dedita vrbe, sacrilegus Imperator, multa in Crucem, multa in templum ausus, deditos etiam Christianos irritauit, vt in Paganos, qua possent, imò etiamsi non possint, debacchatentur. Nam, audi, quod sequitur in eadem epistola: *Capta autem Ierusalem, Saladinus Crucem de templo Domini deponi fecit, & eam per duos dies per Ciuitatem in ostentum fustigando portari fecit. Deinde fecit templum Domini aqua rosata intùs, & exteriùs, sursùm, & deorsùm lauari, & legem suam desuper illud per quatuor partes miro tumultu ac lamari.*

8. Hinc factum puto, vt deditis indignè ferentibus, ludibrio haberi Mysteria nostræ salutis, cùm rebellarent, aut vltum ire vellent; aliqui eorum, nec pauci, capti sint, non eam morte mulctandi (quia fortè plures) quàm pretio, si quod haberent, redimendi. Constat Viraginem nostram inter captiuos, atque pretio redemptos: sic enim pergit Thomas in eius Vita:

Capta, Bisantheos aliquot, quia soluo, relaxor,
Et fit Redemtori iuncta caterua mihi.

Itaque Margarita pro Cruce Christi percussa primùm ingentis lapidis ictu, mox mancipata carceri, & captiua; demum spoliata, inde recessit, vt non immeritò aureolam Martyrij aliqualem habere credenda sit, quæ ideò tantùm his malis superuixit, vt plura pateretur: nec desiit mori, nisi vt ante mortem, nouis in Deum obsequia, nouos merita, nouos item cruciatus, atque ex his nouos triumphos reportaret.

9. Egressa ergo Sanctam Ciuitatem non sine lacrymis, cùm per Lachis tutum sibi iter putaret, duro seruitio mancipata est: quod ipsam Thomas narrantem ita inducit:

Tendimus inde Lachis, illic loca tuta petentes,
Quò cunctos mecum vincula dira domant.
Capta iugo tristi, traditor pro nomine Christi,
Qui sibi mancipium me facit esse pium.
Nullis tormentis cedit constantia mentis:
Victrix semper erit inuiolata fides.
Cogor ad indigna: lapides lego, congero ligna:
Iussum si venio, verbere cæsa luo.
Verbera dira, minas, æstus simul, atque pruinas
Tristis sustinuo, compede vincta fleo.
Vt dolent artus, cogit labor, & ribus arctus:
Feruida longa dies; rara, breuisque quies.

Hic fuit processus vitæ Margaritæ vsque ad præsentem annum. Nunc ipsam in his malis relinquentes, quæ ad eum pertinent, alia prosequamur.

10. Supersunt solæ illius fundationes, quæ paruæ numero, sed coronandæ insigni, Regiáque Huelguensis Monasterij Sanctimonialium, in veteri Castella prope Burgos, qua fortè nullam aliam illustriorem in populo Christiano Orbis agnouit: eáque in sequens Caput reseruata, reseranda seorsim, reliquas breuiter in fine huius expediam. In Chronologia tres Ecclesiæ tantùm recensentur virorum hoc anno natæ. Inis, Vallis Sancti Lamberti, & Rienfelde, siue de Refelde. Duabus primis certa dies præfigitur; alteri septima ante Kalendas Iulij: alteri vndecima ante Kalendas Augusti: tertia incerta adhuc die commemoratur. Et Inis quidem Abbatia est in Hibernia, Furnesij filia in Comitatu Dunensi: quam alio nomine *Inis-curoy* vocari Iacobus Vvaræus in Indice Ecclesiarum Hiberniæ testificatur. Eam ad paucos dies antepositam, atque eius Fundatorem, seu translatorem (nam sic loquitur ipse) paucis pro suo more verbis describens, in titulo sic: *Inis, aliàs Inis-curoy, in Comitatu Dunensi.* Deinde in ipsa illius descriptione: *Kalendis Iulij anno M.C.LXXXVII. vt in Annalibus vulgatis videre est, fundata est Abbatia de Inis, quibus consentiunt Annales manuscripti Monasterij B. Mariæ de Dublin. Monasterium hoc fundauit, seu potius de Carrig, hùc transtulit Ioannes de Carrig, Comes Vtoniæ. In Archiuiis Regijs Cella appellatur Cœnobij Furnesiensis.* Hæc tantùm ille. In geneſi Ecclesiarum Claræuallensium Diœcesis Lesmoriensis esse dicitur. Iongelinus [c], qui nouissimè notitias Abbatiarum Cistercij in lucem dedit, duo Monasteria describit eiusdem nominis, alterum in Diœcesi Lismoriensi, in Dunensi aliud, à Iacobo Vvaræo vtrumque notatum, cui tamen ex quibusdam M. S. multa opponit. Nobis ignaris locorum, rerúmque, insinuasse sufficiat, quæ alij apud ipsum curiosiùs conferre possunt.

[c] lib. 8.

11. Vallem Sancti Lamberti Leodiensis memorant libri Cameræ apostolicæ nonaginta florenorum taxa præfixa, sed sub hoc titulo: *Maria Vallis Sancti Lamberti, Ordinis Cistercienſis.* Id, quod in aliis etiam notatum habeo, præcedere, nimirum, Virginis nomen, etiam cùm aliis Sanctis adtitulentur. Robertus Claudius eiusdem Domus meminit, & Fundatoris ipsius: sed eam facit aliquantò recentiorem. *Vallis*, ait, *Sancti Lamberti, Ordinis Cistercienſis, Diœcesis Leodiensis fundata anno M.CC.I. ab Hugone Episcopo.* In tabulis Ecclesiarum Claræuallensium, ad cuius lineam spectat, filia Signiaci esse memoratur. Roberto consonat Aubertus Miræus, qui etiam rem distinctiùs, etsi vix pluribus [d]: *Hugo Petraponte, Episcopus Leodiensis, anno Christi M.C.C. consecratus vallem Sancti Lamberti, anno II. sui Pontificatus, fundauit. Primus Abbas fuit Gerardus Monachus anteà Signiacensis. Ita me legere memini in Chronico manuscripto Sancti Iacobi Leodiensis apud Florentinum Canonicum S. Petri Placentius in Historia Episcoporum Leodiensium, dicit, Hugonem adiutum fuisse a Comite Claromontano.* Catalogum Abbatum Vallis Sanct-Lamberti cum notulis quibusdam vulgatum video in Notitiis Abbatiarum Cistercij, quas nuper Iongelinus.

[d] in sua Gallia.

[d] in Chronic. Cist.

12. Vltima omnium Abbatia de Refert (*Renbelde* alij, *Reinfelde* alij appellant) cuius meminit Albertus Stadensis, atque hoc anno eorpram tradit in suo Chronico: *Eodem*, inquit, *anno*, id est, M.C.LXXXVII. *inchoatum est Cistercienſis Ordinis Monasterium in Renbelde.* Tabulæ Monasterij Motimundensis: nam eius lineam implet, de Refert vocat, aliàs de Trinitate, & Bellomonti, Motimundi filiæ tribuit, innominata Prouincia, Diœcesique; quæ tamen ex Alberto Krantzio suppleri possunt. Is enim libro septimo Metropolis, ita de ipsa, & eius Fundato-

lib.7.c.47: re[c]: *Lubecensi Ecclesia, post Bartoldum præficitur Ioannes, eiusdem Ecclesiæ primùm Decanus, qui mox post suam consecrationem dedicauit Ecclesiam Monasterij Reinfelde Ordinis Cisterciensium, quod extruere cœpit Adolphus III. priusquàm Holsatia pelleretur: primùm à Leone, inde à Rege Danorum. Sed filius eius IV. Adolphus tum præfuit, cùm Ecclesia eius consecraretur.* Hæc Krantzius: verum est tamen, haberi post triennium in Chronologia similis Domus nominis *de Renebelde*, nec ausim dicere eandem, an diuersam: vel, si diuersa, cui ista conueniant? Video & Sanctam Trinitatem de Rephec notatam ad hunc annum; sed in Græcia, aut Cypro; nulla alia notitia clariori.

---

1. Monasterium Sanctæ Mariæ Regalis prope Burgos. 2. Eius imperium in spiritualibus, 3. temporalibúsque. 4. Prima Abbatissa, & Moniales ex Tulebris. 5. Donatio loci, 6. dotatióque opulenta, 7. in prædiis, villis, 8. castris, & salinis. 9. Priuilegia, & indulta supra consuetum: 10. & tandem subscriptiones Regis, & Principum. 11. Constantia infans ad habitum admissa. 12. Demum breuis descriptio totius loci. 13. Et quid de eo Rodericus Toletanus, & Lucas Tudensis scriptum habeant.

CAPVT IX.

1. HVnc tandem annum claudat insigne opus Sanctæ Mariæ Regalis prope Burgos, vrbem Metropolim totius Castellæ veteris, quod Rex Alfonsus Cistercienſibus virginibus, atque propriis filiabus, ac Regum successorum ipsius ædificauit: *Huelgas de Burgos*, vulgò Hispani vocant, perillustre Cœnobium: structura, & dote nulli inferius; maiestate, & imperio, siue ecclesiastico, siue temporali supra omnia, quæ hactenus agnouit Hispanus Orbis. Præest duodecim aliis Monasteriis Sancti-Monialium, queis Abbatissa Huelguensis leges præscribit; & quæ ante Sacrum Concilium per se ipsam; post illud per Commissarios transmissos visitat, &, quod mireris, per censuras etiam coërcet; siue ipsa illis hanc tribuat potestatem, siue Capitulum ad illius nominationem: quin & vocatis eorum Abbatissis, Capitulum & ipsa congregabat. Cistercij Abbatis æmula, quandiu Monialibus permissum egredi claustra. Habet & neptem, vnius ex filiis filiam, cui, etsi non immediatè, mediatè præsidet: quippe ad quam semper liceat appellare, quæcunque iniustè acta retractaturam. Sed neque his Domibus maternitatis iure, multis ante Holguense Cœnobium natis: sed priuilegio, & dignitate præest, nata imperio Abbatiæ: & in aliis æmula pro sexu, in hoc etiam Cistercium prætergressura.

2. At non fœminis tantùm dominabatur; sed etiam viris, tum Regularibus Conuersis Hospitalariis, iisque nobilibus, quos pleno iure subditos gubernat; tum sæcularibus Presbyteris, & Clericis, quos Capellanos vocant, in quos, imò in Plebanum ipsius oppidi vltra fœminam dominans, noscitur exercere iurisdictionem. Subsunt & electioni eius vtrique, annuis omnes redditibus ditandi: Presbyteri ad ducentos aureos, & supra: Conuersi, quos Calatrauæ stemma insignit, vsque ad quingentos, atque hos duplicatos, qui præest cæteris. Vix Rex Catholicus veteran militi nobili exoptanti missionem, aut promerenti, maius quid, quod det, habet, quàm si impetret vnam ex his Commendis: nam sic eas appellant ab Abbatissa. Neque tacendum, quòd cùm Monialibus consecrandis per vota sacra Abbas semper assistat, coram quo voueant, Hospitalarij Abbatissæ profitentur sine interuentu Abbatis, aut alterius Prælati; nec ideò minùs adstricti iudicantur votis solennibus.

3. Hactenus spiritualis gladius Præfectæ Virginum, contra, vel supra omnem Ecclesiæ morem. At temporalem quis audeat numerare? Oppidis, castris, villis iura dat: & quamuis multa ex Pontificis indulto, proximo sæculo Reges alienauerint, multa tamen Monasterio adhuc supersunt. Vix infra Regem Princeps in Castella, cui tot subsint vasalli; cui plures, nullus. Additæ & præsentationes beneficiorum, & præbendæ diariæ, maioréque: & fœminarum hospitibus seruientium, in Hospitali Regio Conuentus integer: addita & quæstuosa alia Officia ad Abbatiæ arbitrium conferenda. Denique abiit in prouerbium inter Hispanos, quod salua reuerentia dictum Vicarij Christi, si Summus Pontifex vxorem ducturus foret, ex Ecclesiasticis non aliam, quàm Huelguensem Abbatissam, summæ inter fœminas omnes authoritatis, illi nupturam. Atque hæc carptim de Domus amplitudine, quæ suis locis distinctiùs prosequemur.

4. Itaque hanc fœminini imperij Sedem (Regiæ in Castella ostentum Maiestatis) cùm à multis retrò annis incepisset Alfonsus Rex, hoc tandem consummatam, perfectámque Cistercienſibus tradidit Monialibus. Vocatæ illæ ex Monasterio de Tulebras, aliàs de Charitate, quod dudum seminarium aliorum fuerat, atque inter omnes fœmina illustris, cui Micol nomen, (*Misol*, alia scribunt Instrumenta,) in Abbatissam loci præfecta est, cui cætera deberent obtemperare. Hanc comitata Sanctia Aragonia, claro ex sanguine Regum Aragonensium, ætate iuuenis, virtutibus matura, de qua iterum sermo: reliquas obliuio, & tempus obliterarunt. Conuenerint tunc Cistercienſes Abbates aliqui, in dubio est; & credendum nequaquam defuisse. Certum, Martinum Episcopum Segontinum ex Horta assumptum, Burgos inter alios à Rege vocatum fuisse, cuius arbitrio cuncta disponerentur. Porrò Monialibus Burgis constitutis, firmantibus Episcopis, Proceribúsque, hanc Rex piissimus fecit donationem[a]:

[a] *ex Archiuio Huelguensibus.*

5. *In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis. Inter cætera Monasteria, quæ ad honorem Dei, & obsequium ædificantur, magnum meritum obtinet apud Deum Monasterium, Deo dicatis fœminis constructum. Idcirco Ego Alfonsus, Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, & vxor mea Alienor Regina, cum consensu filiarum nostrarum Berengariæ, & Vrracæ, cupiens remissionem peccatorum in terris, & postmodum in Cœlis locum obtinere cum Sanctis, construimus ad honorem Dei, & Sanctæ eius Genitricis, Virginis Mariæ, Monasterium in la vega de Burgis, quod vocatur Sancta Maria Regalis, in quo Cisterciensis Ordo perpetuo obseruetur. Quod, videlicet, Monasterium damus, & concedimus*

vobis, Misol, eiusdem Monasterij instanti Abbatissa, & omnibus sororibus vestris, præsentibus, & futuris, secundum Cisterciensem Ordinem degentibus perpetuò possidendum.

6. Damus etiam memorato Monasterio, & Abbatissæ, & Conuentui eidem præsenti, & futuro, omnes infrascriptas hereditates, villas, prædia, & possessiones, cultas, & incultas, reddituus, & agriculturas, & butbecas, cum omnibus directuris, & pertinentiis suis, iure hereditario habendas in perpetuum, & irrenocabiliter possidendas: videlicet, omnem hereditatem agricultura, quam habeo Ego Rex Aldefonsus in Burgis, & totam la planam de Burgis, & omnes reddituus eius, & maielum meum, & molendinum de Butteca, & alia, si qua potuerint fieri in directo de maiolo; & balnea, quæ sunt in Burgis: & statuo, & iubeo, quod nemini liceat alia, præter dicta balnea, facere in Burgis: & si ab aliquo Rege ibi facta fuerint, pertineant ad Monasterium.

7. Dono insuper prænominato Monasterio, Defessam de Arguijo, & queddam pelagus in Monjo, quod procedit a ponte, vsque in præsam antiquam, vbi accenia, molendina, & alia qualibet ædificia ad opus Monasterij liberè construantur, & Defessam nemoris de Estepar, & hereditatem, quam habeo in Bembre, & in Pampliega. Et mando, quòd germani, quam mihi solent facere incolæ earundem villarum, Monasterio faciant. Barrium de Bembre, & totam hereditatem, & collacios, quos habeo in Estepar, & hereditatem, quam Onensis Abbas habuit in Sancto Felice, & hereditatem meam de Quintaniella, & hereditatem de Essar, quæ fuit Garsiæ Ordonis; & hereditatem de Quintaniella, quæ est in Castrogeriz, & hereditatem de Monasterio de Rodiella, & hereditatem meam de Virviesca, & Fontoria de Pinari, & castrum Ordiales.

8. Præterea dono quendam puteum de salinis de Attetia, prædicto Monasterio, vt ex puteo illo singulis diebus vna carga salis emergat, & tribuatur Monasterio: quòd nisi puteus ad tribuendum vnaquaque die vnam cargam salis sufficienter abundauerit, fiat de cæteris puteis, & salinis Attetiæ ad cargam prædicto modo assignatam, integrum supplementum. Et statuo, quòd quicunque infra clausuras Monasteri, quæ facta sunt, vel de cætero fient, muro, vel vallo violenter ingredi, aut aliquid inde per vim præsumpserit extrahere, sex mille solidos pectet. Transfero itaque omnes prædictas hereditates, & fiscalia, quæ de illis prius ad me pertinebant, in ius, & possessionem supradicti Monasterij.

9. Et statuo, quòd præscriptæ hereditates, & omnes aliæ, quæ ab aliis quibuslibet, modò, & in posterum, vsque in finem præfixato Monasterio collatæ fuerint, illa etiam, quæ ab Abbatissa, & Conuentu eiusdem emeritæ, solius Monasterij, & Conuentus potestati, dominio, & iurisdictioni subiaceant, & earum tributa, pecta, & iura Monasterio, non alteri impendantur, & ab omni alio iugo, grauamine, & exactione immunes; & nihilominus ab omni merini, & sayonis ingressu sint exemptæ, & perenniter absolutæ permaneant. Statuo insuper, quòd de omnibus rebus, quas vendiderint, & emerint, aut detulerint ad opus Monasterij, & Domus suæ, & grangiarum suarum, portatiuum in Regno meo non soluant, & proprij ganati eiusdem Monasterij, & Domus, & grangiarum suarum libera habeant pascua in omnibus nemoribus, & locis, in quibus ganati Regis debent pascere; & nullum soluant montaticum: & habeant tale forum, & cotum Cabanæ Monasterij, & Domus, & grangiarum suarum in omnibus nemoribus, & locis, in quibus iustum est scindi ad opus Regis.

Omnes igitur suprascriptæ donationes, & institutiones ratæ, & stabiles omni tempore inuiolabiliter perseuerent. Si quis verò hanc chartam ex nostro, vel ex alieno genere infringere in aliquo, vel diminuere præsumpserit, iram Dei omnipotentis plenariè incurrat, & cum Iuda, Domini proditore, suppliciis Infernalibus deputetur, & insuper regiæ parti mille libras auri in toto pectet, & dammum, quod sæpe memorato inuleris Monasterio, duplicatum restituat. Facta Chartæ in Burgis, Æra millesima, centesima, vigesimaquinta, Kalendis Iuny. Et Ego Rex Alfonsus regnans in Castella, & Toleto hanc chartam, quam fieri mandani, manu propria roboro & confirmo. 10.

Gundisalnus, Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, & Hispaniarum Primas, confirmat. Marinus, Burgensis Episcopus, confirmat. Ardericus, Palentinus Episcopus, confirmat. Rodericus, Calaguritanus Episcopus, confirmat. Ioannes, Conchensis Episcopus, confir. Martinus, Segontinus Episcopus, conf. Gundisalnus, Segouiensis Episcopus, conf. Gomes, Abulensis Episcopus, conf. Comes Petrus conf. Comes Fernandus conf. Didacus Ximenez conf. Petrus Fernandi conf. Comitus Garsiæ conf. Ordonius Garsiæ conf. Petrus Roderici de Castro conf. Aluarus Roderici de Maxilla conf. Petrus Roderici de Guzman conf. Gundisalnus Lopellini conf. Lope diaz Merinus Regis in Castella conf. Rodericus Guterrez, Maiordomus Curiæ Regis, conf. Didacus Lupi de Faro, Alferes Regis, conf. Sigillum Regis Aldefonsi Castellæ. Magister Mica Regis Notarius Guterrij Roderici existente Cancellario scripsit.

Hoc primum priuilegium fundationis, & dotationis perillustris Cœnobij, & toto Orbe Christiano famosissimi, quod Abbatissæ Misoli, Micolive, & sororibus eius Alfonsus dedit, Cistercij leges ibidem professuris. Portò statim ad Habitum admissæ nobilium filiæ, quarum agmen Constantia infans duxit, Alfonsi eiusdem proles, & Eleonoræ, quam post Misolem electam in Abbatissam, instrumenta produnt, & nos etiam in tempore dicemus. Habuit Constantia infans quatuor sorores ex eisdem parentibus: *Berengariam primam* (ait Lucas Tudensis [b]) *Alfonsus Pater Alfonso Legionensi; secundam Blancam, Ludouico Francia; tertiam Vrracam, Alfonso Portugallia; & tandem quartam Eleonoram ex Matre dictam, Iacobo Aragonensi Regibus dedit.* Quatuor ergo sorores Reginas vidit, & nulli inuidit, Regi Regum & ipsa desponsata sanctiori thalamo. Tum verò Rex, qui nihil in Cistercio, sine Cistercio putauit posse consistere: & aliàs per Cistercium moliebatur firmare ostentum illud suæ potentiæ, ad Capitulum Generale (sequentis anni, vt puto) litteras dedit, quibus & Monasterium Cistercio obtulit, Cistercij Abbati æternùm pariturum; & Monasteria Monialium vtriusque Regni, & Castellæ, nimirum, & Legionis in noui Monasterij filias dari, supplex non minùs, quàm potens petiuit, obtinuitque; Congregationem sub ipso confectura. Verùm qualiter hæc ipsa eius petitio, quantáque authoritate, quanuis difficilis, effectum tandem post biennium sortita fuerit, quo anno euenit, ex more referemus. 11.

[b] ad Æram 1226.

Iacet Cœnobium ad ripas Arlanzonis, non longè ab ipsa vrbe, in loco plano, & consito salicibus, quas latè rigant deducti ex fluuio riuuli. Templum supra consuetum illius æui pulchrum, & ingens, tribus distinctum nauibus, à quibus ne Monialium Chori immunes. Claustra, officinæque æqualia templo, potentiam præferunt, artem non excludunt. Præcipua Clausti ianua sine foribus, lapide, & calce occlusa; 12.

cluſa ; nec niſi Regibus ſolis aperienda. Intra muros externos multa habitatio (*compas* vulgò vocamus) Capellanis, Miniſtris,& Officialibus : extrà plebs,& Plebanus,& Xenodochium , & ſi quæ alia illuſtrant nobile oppidulum, ad vrbis regiæ , & metropolitæ iamas , nec Præſulem agnoſcens , nec Prætorem. E regione Hoſpitale , vt vocant , Regium ; muratum item oppidum , in quo Conuerſi,ſeu Commendatores , (ſic enim appellantur,) & fœminarum voto ſolutarum Conuentus haud contemnendus,peregrinantibus ad Iacobæa limina , miniſtraturi vtrique , ſeu fœminis,ſeu viris,pro ſuo ſexu. Sed de his latiùs in ſequentibus,cùm opportunitas feret, agemus.

13. Rodericus Ximenius, Toletanus Præſul , Hiſpaniæ Primas,atque Alfonſo,vel primus , vel inter primos,ſine quo nihil magnum,& qui ea ſcripſit , quibus interfuit , Cœnobium ad inſtantiam Aleonoræ Reginæ fundatum tradit , cuius verba hîc cenſui transcribenda [c] : *Sed,vt Altiſſimo complaceret,prope Burgos ad inſtantiam Sereniſſimæ vxoris ſuæ Aleonor Regina Monaſterium Domnarum Ciſtercienſis Ordinis edificauit,& nobiliſſimis fabricis exaltauit,& multis redditibus , & poſſeſſionibus variis ſic dotauit , vt Virgines ſanctæ,Deo dicatæ,quæ ibi die,ac nocte laudabiliter Deo pſallunt , nec inopiam ſentiant , nec defectum : ſed ſtructuris,Clauſtro,Eccleſia,& cæteris ædificiis regaliter conſummatis , experta ſollicitudinis in contemplatione , & laudibus iugiter delectentur.* Sic Rodericus. Qui nihilominùs in eo memoria lapſus , quòd ait,Regem in obſequium Dei pro vindicanda clade ad Alarcos ſuſcepta , condidiſſe Cœnobium : quod tamen conſtat eam cladem anteceſſiſſe per annos octo. Quippe fundatum hoc,quem nunc deſcribimus : cùm tamen Alarcica clades non euenerit ante annum milleſimum centeſimum nonageſimumquintum , vt ſuo loco,ex ipſo etiam probabimus. Lucas Tudenſis,& ipſe coæuus Author,Cœnobium iuxtà,ædificatum abs Rege Palatium ſcribit ad inſtar Salomonis : vt pietatem Maieſtati coniungeret,& Maieſtatem pietate cumularet. *Alter*,ait [d], *noſtris temporibus Salomon idem Rex iuxta prædictam Domum*,Huelguenſem , ſcilicet , *ædificauit Palatium Regis*,&c.Porrò huic Monaſterio,Palatióque,Hoſpitali adiuncto,quod poſt xxv.annos conſtruxit,putat debere Burgos Regium nomen , quo decoratur præ allis Caſtellæ vrbibus,vt ſuo loco dicemus,Deo volente.

[c] *lib.7.c.33.*

[d] ....

ANNVS CHRISTI M.C.LXXXVIII. CISTERCII XCI.

1. Gregorio Clemens III. ſubrogatus Henricum Albanenſem Vicarium creat , 2. ſub quo multa prouiſa. 3. Inde in Galliam ab eodem Papa miſſus,4. multa reformat. 5. Ad Germaniam tranſiit, 6. à quodam Conuerſo corripitur. 7. Potenter prædicat. 8 Bernardum imitatur , aut fortè ſuperat. 9.Imperatorem Fridericum Cruce ſignat,10. atque acriter incendit in Saladinum. 11.Pariſiis noſtri à decimis exempti. 12. Concilium Angliæ , præſidente Balduino , 13. qui & Cruce ſignatus pro ſacrorum locorum reſtauratione.

CAPVT I.

1. CISTERCII anno nonageſimoprimo , qui fuit ſalutis noſtræ reparatæ centeſimus octuageſimuſoctauus ſupra milleſimum , cùm Gregorius ſub finem præcedentis , propera nimiùm morte ſublatus eſſet,poſt viginti dierum vacationem Paulinus Cardinalis,Epiſcopus Prænestinus,electus eſt octauo Idus Ianuarij , qui in locum defuncti Clemens III. appellatus ſubrogaretur. Hic à Gregorij veſtigiis initia ſumens , *ſtatim*,ait Rogerius in Annalibus [a] , *indictam à prædeceſſore ſuo expeditionem ad Terram ſanctam promouere , & ad perfectum ducere laborauit , & Indulgentiam confirmauit ſtatuens , quod quicunque ea de cauſa ſacram Crucem ſuſceperit,de omnibus peccatis,de quibus pœnitens confeſſus fuerit,authoritate Dei,& Sanctorum Apoſtolorum Petri,& Pauli eſſet liber,& abſolutus.* Ita Rogerius. Cæterùm,vt expeditionem promoueret , illud in primis duxit ſtatuendum,vt qui ſe dudum Pontificatui ſubtraxerat,quo Crucem prædicaret,Crucis,& expeditionis negotio præficeretur. Itaque Henricum Epiſcopum Cardinalem Albanum , Ducem Verbi à Gregorio deſtinatum,quandiu in Curia maneret,pro ſe Vicarium;extra Legatum de latere inſtituit,per Regna , per nationes Eccleſiæ ſubditas prædicaturum Crucem,atque ipſa,pro ipſa armaturum Chriſtianos populos aduersùs Saracenos,qui ſacrum lignum,qui Sanctam Ciuitatem,qui templum Domini,qui ipſum Chriſti Sepulcrum profanaſſent.

[a] *ad hunc an.*

2. Conſtitutum Vicarium à Clemente oſtendit inſcriptio epiſtolæ Gaufredi Clarævallenſis , ad eum hoc anno ſcriptæ , quam ſtatim dabo [b] : *Amantiſſimo Domino,& Patri Henrico , Dei gratia Albanenſi Epiſcopo , & Domini Papa Vicario,Frater Gaufredus de Claranalle* , &c. Porrò eidem exiſtenti adhuc in Cutia ſcriptam , vel inde conſtat , quòd negotium rogatur conſultare cum Cardinalibus. Ergo ſub hoc Henrici Vicariatu prouiſum eſt [c] , *vt ab vniverſali Eccleſia fieret ſine intermiſſione oratio ad Dominum pro pace,& liberatione terræ Ieruſalem,& Chriſtianorum captiuorum , qui in vinculis Saracenorum detinebantur.* Deinde , ne vocali orationi deeſſent opera, aut animal pennatum ſine manibus,iuxta exemplar à Domino monſtratum,inueniretur ; prouiſum item, vt potentiſſimi Galliæ,& Angliæ Reges , depoſitis, quibus offenſi inuicem erant,priſtinis ſimultatibus, conuenirent in vnum , & junctis viribus in Orientem properare affectuosè diſponerent,Crucem,templum,& Dominicum Sepulcrum,ſi Deus annuat,de manibus impiorum liberaturi. Et acceptaſſe Chriſtus viſus eſt vtriuſque obſequium , ſigno Crucis in aëre oſtenſo ſuper vtriuſque caput , dum Crucem ſuſciperent in die Sanctæ Agnetis , Galliæ , & Angliæ Epiſcopis coràm adſtantibus,Proceribúſque,vt idemmet Rogerius teſtificatur [d].

[b] *de 1.6.c.*

[c] *apud Roger. vbi ſupr.*

Hæc,& ſimilia Piſis exiſtens , nam Piſis adhuc Curia morabatur : at,vbi Europa peragranda viro, & cominùs negotia ipſa tractanda,conſtituto Lega-

[d] *ex Addit. ad*

to,

to, maiora adhuc reſtabant, & maiori labore peragenda. Erant, qui inuiderent paci inter Reges ſanctæ, turbaréntque, inter quos primus Ricardus, Pictauiæ Comes. Hunc primò ſalutaribus conſiliis, ac prece humili; dein cùm per obſequia nihil proficeret, ad eccleſiaſtica fulmina conuerſus, percuſſit anathemate, quod idemmet Rogerius memoriæ prodit [e]: *Hoc eodem anno*, inquit, *cùm ad diſponendam expeditionem in Terram ſanctam pax facta eſſet inter Regem Francorum, & Anglorum, miſſus eſt Henricus Cardinalis, Epiſcopus Legatus, a Clemente Papa in Gallias, qui excommunicationis ſententia Ricardum Comitem perculit, cuius occaſione, qua fuerat ſancita inter Reges pax, turbata eſt.* Et laborandum multùm, & diu fuit, quo pax ſemel turbata reſtauraretur: vincentibus paſſionibus priuatis cœleſtia ſigna; nec tam impreſſa Cruce mentibus Regum, quàm cordibus radicata odia antiqua; quibus fœcundis vix impar quicunque malus. De his diſſidiis, & Ricardi Comitis in Henricum parentem rebellione, Guillelmus Neubricenſis multa ſcribit [f], quæ facile apud ipſum videri poſſunt.

4. Fiterienſis in ſuis ad Exordium magnum notis Author exiſtit [g], Henricum fungentem hac Legatia, cùm Galliam peragraret, egregium illud conſtantiæ, zelique præſeruliſſe ſpecimen, quod ſuprà memorauimus, duobus Archiepiſcopis depoſitis, Lugdunenſi, nimirum, & Narbonenſi, *quòd inutiles, & reprehenſibiles viderentur.* Quod ſi verum eſſet, haud dubiè Ioannem Lugdunenſem comprehendiſſet, ab anno milleſimo centeſimo octuageſimoprimo præſidentem; & hoc, aut ſequenti poſt infulas depoſitas, Monachum induentem in Claraualle, vt mox oſtendam: quod forſan illi coniectandi occaſio fuit, imò cùm idem, quo anno in Lugdunenſem, eodem & in Narbonenſem Eccleſiam vocatus fuerit, quod ſuprà diximus, & infrà etiam videbimus; nec aliàs conſtet de Narbonenſi alio depoſito: coniectatur vlteriùs non duos ab Henrico, ſed vnum tantùm deiectum de Sede: qui quòd vtrique Eccleſiæ præſediſſet, ex vtraque etiam cognominaretur. Hæc ille pluribus. Cæterùm, ego neutrum ſtare poſſe cum ſepulcrorum tabulis; neutrum cum his, quæ alij Authores tradunt, quia mihi perſuaſi, aliter ſuprà cenſui dicendum fore. Sanè Tabulæ depoſitos ſub Lucio, non ſub Clemente memorant; eóſque duos, vtrunque reprehenſibilem, vtrunque inutilem; non vnum, qui duplici Sede potitus eſſet; ſed neque quæ de Ioanne Authores tradunt, patiuntur hanc notam: quippe laudati ſupra multos illius æui, & commendati ex doctrina, & pietate, vel ab ipſis ſupremis Eccleſiæ Patribus, quod ſuis locis latè dicturi ſumus.

5. Henricus deinde ad Germaniam perrecturus, vt Fridericum cieret, & Principes Germanos, atque Theutonicos aduersùs hoſtes Chriſti concitaret, quoſdam Ciſtercij Abbates ſecum aſſumpſerit, quos verbo, & opere ſciebat potentiores, ſubdelegandos ad ea, quæ opus eſſent, & vbi ipſe non poſſet, prædicaturos. Extat apud Cæſarium Heiſterbacenſem memoria huius itineris, ex occaſione zeli vnius Conuerſi, & modeſtiæ Henrici, quam non pigeat ad litteram tranſcribere: eſt autem talis [h]: *Sancta recordationis Dominus Henricus, Albanenſis Epiſcopus, & Cardinalis, anno 1188. miſſus a Clemente Papa temporibus Friderici Imperatoris prædicare Crucem in Alemania contra Saracenos, quoſdam ſibi terra noſtra Monachos Ordinis Ciſtercienſis aſſumpſit.*

6. *Die quadam, cùm ſimul equitarent, & ipſe diceret in generali: Quis veſtrum dicit nobis aliquid boni? Reſpondit vnus: Ille, (demonſtrato quodam Conuerſo Monacho laïco,) cuius nomen excidit. Et præceptum eſt ei ſtatim à Cardinali, vt verbum proponeret exhortationis. Ille primùm ſe excuſans, dicens, laicum non debere litteratis aliquid loqui, tandem ſic exorſus eſt: Quando mortui fuerimus, & deducti ad Paradiſum, occurret nobis Sanctus Pater noſter Benedictus: viſis nobis Monachis cucullatis, cum gaudio introducet: viſo verò Henrico Epiſcopo, & Cardinali, mirabitur inſulatum eum, & dicet: Quis enim es tu? Et ille: Pater, ego ſum Monachus Ciſtercienſis. Reſpondebit Sanctus: Nequaquam: Monachus non eſt corniculatus. Tunc Henrico ſatis pro ſe allegante, tandem huiuſmodi data ſententia, dicet oſtiariis Sanctus Benedictus: Ponite eum ſupinum, & ſtomachum eius ſcindentes aperite: ſi inueneritis olera incondita, fabam, piſa, lentem, pultes, cibóſque regulares, cum Monachis intromittatur: ſin autem, ſcilicet, piſces groſſos, & cibos ſæculares, atque delicatos, foris maneat. Deinde conuerſus ad Cardinalem ſubiecit: Quid illa bona dicturus es, pauper Henrice? Ad quod verbum Cardinalis ſubridens, ſermonem commendauit.* Ita Cæſarius.

7. Cæterùm notatione dignum eſt, in hac qualicunque Cardinalis Henrici per illum Conuerſum facta reprehenſione, non carnes, alióſve cibos prohibitos, Sancto Viro obiectos, ſed piſces groſſos: quippe, ne ad eam Dignitatem aſſumptus, & iam grandæuus, carnibus veſcebatur, quas ſancta Regula Monachis prohibuit: ſed pro delicto habebatur illis temporibus, ſi Cardinalis, ſi Epiſcopus, ſi Legatus de latere, cùm eſſet Monachus, non oleribus, fabis, atque id genus pulmentis groſſioribus, non ſecùs atque in Clauſtro degentes, ſuſtentaretur. Henricum ſe audiuiſſe concionantem teſtatur Cæſarius, præcedentibus ſubdens ſequentia verba [i]: *Ego eundem Venerabilem Epiſcopum, & Monachum in Eccleſia Sancti Petri Colonia, adhuc puer audini Crucem prædicantem, & plurimos ibidem vidi ſignantem; erátque iuſtus, & ſanctus; manus ſuas ab omni munere excutiens; & tam verbo, quàm exemplo multos ædificans.*

8. Nihil minùs à Bernardo, feciſſe Cardinalem Henricum, (ſi aceruum illum miraculorum demas,) compertum eſt, quippe qui totam Germaniam, & Theutoniam, Galliam, Italiam, Angliam; vtiùs dixerim, qui totum Occidentem in Orientem armauit breui periodo: qui Fridericum Eccleſiæ reſtitutum Cruce ſignauit, atque arma in Saladinum fecit capeſſere, vt Bernardus Conradum. Niſi quòd tamen Bernardo bonum Principem, atque Eccleſiæ obedientem perſuadere in promptu: Henrico dyſcolum, atque hactenus rebellem acquiſiuiſſe, quòd difficilius, & glorioſius fuit. Adde, nihil mirum, Bernardum per tot miracula homines perſuaſiſſe: Henrici verba fuiſſe pro miraculis, haud minùs diuinæ virtutis indicium eſt. Quanuis neque ei miracula defuiſſe, auſim aſſerere; maximè cùm Stephanum Tornacenſem audiam excuſantem Abbatem de Sarnajo, ſeu de vallibus Sarnay ab hac ipſa, vt coniector, prædicatione: ex eo, quòd miraculorum dono careret, quaſi nullus in ea inuentus ſit, qui non per ſigna verba confirmauerit [k]. *Opus*, inquit, *iſtud Prophetarum eſt, ſiue Apoſtolorum, quibus per gratiam miraculorum ſibi collatam, hoſtes fugare, vincere, proſternere, & incredulos ad fidem conuertere conceſſum eſt, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Ita Stephanus ad Abbatem Ciſtercij, pro Abbate de Sarnajo, cùm ire ad prædicandam Crucem in Saracenos, dono miraculorum carens, compelleretur. Niſi fortè de miſſione

[e] ibid.
[f] lib. 3, c. 24.
[g] lib. 2. c. 31.
[h] lib. 4. c. 79.
[i] ibid.
[k] epiſt. 184.

ne alia aduersùs Albigenses sermo sit, de qua latè in sequentibus dicemus.

9. Henrico prædicante per Germaniam, commotos Principes, & accinctos militiæ sacræ, etiam vltra consuetum, Guillelmus Neubricensis, eius temporis Author, scriptum reliquit [k]: *Tantus enim repente ad suscipiendum pro Christo peregrinationem periculosam in magnis Ducibus, & ferocissimis Germaniæ populis, fidei, & deuotionis feruor incanduit, vt dicere fas esset: Digitus Dei est hic. Itaque ferè cuncta Christiani nominis Prouincia, ad maturandum iter propositum, immensis apparatibus, studiisque feruebant.* Ita ingens numerus militum coactus, qui ad Palæstinam, & Syriam transfretarunt intra biennium. Cæterùm, vt in ipsa expeditione, sic in vexillo Crucis suscipiendo, agmen duxisse Fridericum Imperatorem, qui Ecclesiæ primùm, & Clementi reconciliatus, mox de manu Legati suscepta Cruce, vniuersum belli pondus in se susceperit, litteris datis ad Saladinum, atque vnius anni termino præfixo ad restituendam terram occupatam, alias discrimina belli subiturum, Idem qui supra Rogerius memoriæ prodit in Annalibus Angliæ, ita scribens [l]: *Eodem anno Fridericus, Romanorum Imperator, accepta Cruce de manu Henrici Albanensis Episcopi Cardinalis, sicut prudentem, & circumspectum decebat, satis prouidè sibi, & itineri suo necessaria prouidebat. In primis enim reconciliauit se Deo, & Sanctæ Ecclesiæ, & Clementi Romano Pontifici, & postea in hac forma scripsit Saladino:*

k lib. 3. cap. 23.

l ad hunc an.

10. *Fridericus, Romanorum Imperator semper Augustus, & hostium Imperij magnificus triumphator, Saladino Præsidi Saracenorum, quondam illustri exemplo Pharaonis, fugere Israelem.*

Deuotionis tuæ litteras multis retrò temporibus ad nos destinatas super arduis negotiis, tibi quidem, si fides verbis subfuisset, profuturis, (proh Maiestatis nostræ decus magnificentiam) suscepimus, & epistolarum nostrarum alloquiis magnificentiæ tuæ consulere dignum duximus. Nunc verò, quia Terram sanctam profanasti, cui æterni Regis imperamus imperio, in tanti sceleris præsumptuosam, & plectibilem, ac ausibilem audaciam debita animaduersione decernere, Imperialis officiis sollicitudo nos admonet. Quamobrem, nisi occupatam Iudæam, Samariam, & Palæstinorum ante omnia restituas; adiuncta satisfactione, sacris Constitutionibus pro tam nefariis excessibus taxata, ne minimè legitimum videamur quærere bellum, à capitè Kalendarum Nouembrium, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo octogesimooctauo, reuoluto anni spatio terminum tibi præfiginimus, ad experiendam belli fortunam in campo Taneos in virtute viuificæ Crucis, & in nomine veri Ioseph, &c. Nam plura alia subiungit in epistola, quæ facilè in Baronio simul cum responsione Saladini videri possunt.

11. Hactenus gesta ab Henrico Cardinali, in munere suscepto, circa hunc annum. Cruce signati Imperator, Reges, Principes, atque animis accensi cuncti fideles ad capessenda loca nostræ salutis. Nunc, quæ alia ad hæc ipsa sequuta sint, in diuersis Prouinciis, quia neque ea sine nostris, aperiamus. In Gallia, & Anglia, occasione bellorum sumpta, quod Regibus in vsu, exactiones indictæ, à quibus, aut nullum prorsus hominum genus, quod in Anglia factum, aut soli Cistercienses, & Carthusienses, quod in Gallia sancitum, essent immunes. Id fortasse omnifariam in hoc bello sæpiùs tentato, & nunquam proueniente; quod semper ex spoliis Ecclesiarum (si ita fari licet) peragendum, quasi aliunde non posset, susciperetur. Neque abnuo hæc subsidia necessaria, nec recusanda bonis, si modestè tractentur, & cum ea, quæ decet, moderatione. Verùm, seu Principes auaritia plerúque peccent, seu ministri frequentiùs, atque alteri, aut vtrique modum excedant, quæ prosperum euentum sortita fuerint, vix vnquam hactenus imposita leguntur Ecclesiis onera. Præuidit, & prædixit Petrus Blesensis hoc ipso tempore, atque ipsa occasione, quam nunc describimus, cùm ad Episcopum Aurelianensem scribens, atque ab Ecclesiis orationes, non pecunias petendas docens, in hæc verba protumpit satis notanda [m]: *Nunquam pauperum, nunquam Ecclesiarum spolia prosperum habuerunt (habebunt*, alia exemplaria legunt) *euentus auspicium.* Verùm hæc aliis fusiùs prosequantur. Certè in Gallia præter Carthusienses, & Cistercienses, nullus ab exactione immunis fuit: id quod Vincentius Belluacensis Præsul memoriæ commendauit totidem verbis [n]: *Anno itaque Domini 1188. ipso Rege Philippo, in quo Sancta Cruce signata est innumerabilis militum, ac peditum multitudo. Ob hanc enim instantem necessitatem cum assensu Episcoporum, & Baronum terræ suæ constituit Rex, & Prælati, & Clerici Conuentualium Ecclesiarum, & milites etiam Cruce signati, qui de debitis suis reddendis, tam Iudæis, quàm Christianis à creditoribus biennio respectum haberent, & omnes Crucem non habentes, quicunque essent ad minus illo anno, de omnibus mobilibus, ac redditibus suis decimas darent, exceptis illis, qui erant Cisterciensis Ordinis, & Carthusiensis.* Hæc in Gallia.

m epist. 112.

n Sæculo 12. cap. 18.

12. In Anglia, nullum à pensitatione decimali, neque etiam Cistercienses, exemptum lego; seu maiori cupidine flagrabat Henricus Rex; seu maiori modestia Balduinus, qui præsedit Concilio, in quo indicta. Quippe non alios efficaciùs persuasurus ad subeundum onus, quàm si suorum humeris imponi, atque ab eis acceptari contemplarentur. Accenderat & animum illius, quam supra dedimus, ad eum scripta epistola de clade Christianorum in Oriente: [o] id, quod Nicolaus Arsfeldius ex Matthæo Paris, & aliis, memoriæ prodit. Sic enim ait [p]: *Reges interim Angliæ, & Franciæ, eiusdem profectionis sacram tesseram, & insignia palam in Normania susceperè. Acciuitque posteà Henricus frequentem Procerum omnium Ordinum conuentum Gauitoniam, non procul à Northamptonia, quos Balduinus graui, & facunda oratione, vel ad illud iter susciendum, vel ad pecuniæ opem liberaliter tribuendam, mirificè sua concione animauit. Cui satis impigrè ad hanc Prouinciam currenti, calcar tamen magis addidit, accepta Conradi filij Marchionis Montisferratensis ad eum missa epistola, in qua sacræ Terræ calamitates apud eum deplorauit.* Sic nihil penitùs in re tam graui, & toto Orbe Christiano factum sine Cistercio.

o vbi supra

13. Id tamen adhuc dictis addendum censeo, eundem Balduinum Cruce signatum, inter eximios sacræ militiæ Athletas, ab omnibus Authoribus commemorari, quod idemmet Arsfeldius memoriæ prodit [o]: *Multi*, inquit, *Proceres, & Episcopi, tam Angliæ, quàm Normanniæ, Aquitaniæ, & Andeganiæ, ex summa Regis voluntate sacræ militiæ nomen dabant; eiúsque insignia Crucem gerebant. Inter Episcopos fuêre Balduinus, & Hugo Dunelmensis*, &c. Hæc Nicolaus. Nos Balduini in Syriam profectionem, eiusdémque in ipsa felicem exitum anno M. C. XC. quo euenit, dicemus. Nunc de prædicatione eius per Cambriam, & qualiter per eam Prouinciam latè discurrens, multos Cruce insignierit, in Orientem cum ipso perrecturos, ex synchrono Authore, atque prædicationis socio proferamus.

Digitized by Google

1. *Balduinus prædicaturus Crucem, Cambriam ingreditur.* 2. *Principes, & potentes Cruce signat.* 3. *Brechaniam intrat.* 4. *Digressio de quorundam Abbatum fragilitate,* 5. *qua detecta à Dæmone.* 6. *Cunani Marganensis charitas, miracula.* 7. *Atque ex inde miracula Balduini,* 8. *virtute locis, in quibus prædicauit, communicata.* 9. *Cistercienſium Abbatum prædicatio.* 10. *Pastoralis Balduini sollicitudo:* 11. *& tandem reditus, & tempus diffinitum.*

CAPVT II.

1. SOLVTO Concilio, & quibusdam ex Abbatibus Cistercij secum assumptis, quos infrà memorabimus, ne quid sine Cistercio peragereturr, Balduinus Præsul, & ipse Cistercienſis, Cambriam ingreditur, Crucem in ea Prouincia prædicaturus. Porrò, quàm strenuè munus id peregerit, quot oppida, & regiones peragrauerit, quanta cum reuerentia, quanto cum fructu ab omnibus susceptus, per vim prædicationis, per miracula, ad eam expeditionem subeundam, Principes, populum, Clerúmque commouerit, ex Authore, qui socius fuit itineris, & prædicationis Collega, Archidiacono Meneuensi, Nicolaus Arsfeldius inseruit suæ Historiæ: a *sæculo* 12. nos, quæ maiora, & potiora esse videntur, ex eodem *cap.* 47. fideliter reddemus: sic autem habet a:

2. *Ingressus est*, ait, *Balduinus primùm eam regionem, quæ iacet ad Austrum per Herfordiam, & quæ sita est inter Vagam fluuium, & Sabrinam: vbi illi occurrit Resus, Grifini filius, totius eius Prouinciæ Princeps, ad Castrum Rademiram. Vbi post concionem à Balduino habitam, & per Interpretem redditam, primus, qui sacra huius expeditionis tessera insignitus est, fuit Author noster, & Petrus deinde Meneuensis Episcopus, cum Æwea, vno ex Proceribus illius regionis. Et Resus etiam ad eam iam se profectionem rebus omnibus necessariis instruxerat, & eam omninò suscepisset, nisi Guendolena vxor, quarto illi cognationis gradu coniuncta (cuiusmodi passim ibi nuptiæ ex deprauata consuetudine insolescunt) eum ab eo proposito auertisset.* Hæc prima semina Balduinæ prædicationis haud sine fructu: sed, quæ adhuc fructuosiora, & miraculosiora præstolabantur.

3. *Profectus deinde* (pergit idem Author) *Balduinus ad Huiam, & Brechaniam, & Castrum Aberochen, vbi riuus Ochèni in Oscam deuoluitur. Cuius Castri, Authoris nostri temporibus, Guillelmus de Brusa Dominus erat, qui & Sacellanum quendam Hugonem habuit, qui in Sacello Diui Nicolai sacra faciebat. Hic ter variis in noctibus per somnium, iussus est Domino suo, qui prædium quoddam Ecclesiæ Diui Nicolai ad pauperum vsus datum detinuerat, dicere: Hoc aufert fiscus, quod non capit Christus: dabis impio militi, quod dare non vis Sacerdoti. Quæ ille priùs verba, neque legerat, neque audierat, quàm auditione ista, ex qua valdè consternatus erat, eáque Authori nostro patefacta, & quàm ea verba sententiam haberent, & huiusmodi apud Augustinum verba reperiri intellexit.* Et paucis interiectis, quæ regionis, quàm itineris, & prædicationis magis notitiam continent, *diuertit deinde Balduinus ad Bergenium, inde dictum, quod Gouenni fluuius illic in Oscam delabitur. Vbi concione habita, multi sacram militiam professi, Cruce se insigniuerunt.*

4. Hîc nobis diuertendum ab itinere, atque eius occasione, detegenda fragilitas duorum Abbatum vtriusque Cistercienſis: cuius id vnicum nobis solatium erit, quòd quo Authore casum, quanuis dissimilem, resipiscentiam item vtriusque nouimus neque aliter in scandalum peccando, quàm pœnitendo in exemplum, imò hoc vltimum ad imitationem, primum illud ad aliorum cautelam adduci debet. Hi sunt Enochus Stratæ Marcelli, & Conanus Albæ Domus vterque Abbas, quorum hic sola cogitatione, ille etiam opere, vterque conspurcatus, opera Dæmonis vterque detectus est; quanuis, qui occultè tantùm consensisset, non permissus est prodi coram aliis; sed sibi tantùm ad aurem reuelari, fortè vt inde oriretur pœnitentia, medio rubore, vnde peccatum media suggestione ortum habuisset. Neque hi euentus concernunt præsentem annum, quippe longè anteriores: sed cùm de certo tempore non constet, qua occasione scribuntur ab Authore, quem sequitur Arsfeldius, eadem etiam à nobis narrandi erunt. Pergit autem Balduinianum iter totidem verbis.

5. *Adiit deinde* (scilicet, Balduinus) *castrum Osea, & celebrem illum olim Legionum Vrbem, quæ Caerleon Britannicè dicitur. Non procul ab ea vrbe fuit Authoris nostri tempore, Merlerius quidam, qui Dæmonum opera futura prædicebat. Puellam enim quandam iam diu amauerat, in quam nocte illa Dominica, qua Pascha antecedit, quæ Palmarum dicitur, ille, vt putabat, incidens, sese cum illa commiscuit: sed mox nihil aliud vidit, nisi speciem quandam adeò hispidam, & hirsutam, tam tetram, tamque immaniter deformem, vt mente statim alienari cœperit. Semper qui posteà frequentes, & familiares habuit immundos Spiritus, à quibus res futuras, fide rerum plerunque nihil corrupta, præsertim de his, quæ non ita diu posteà contingebant, vt rerum euentus docuit, intelligebat. Si quid falsò, ipso præsente, diceretur, statim declarabat, id esse vanum: imò si liber allatus esset, qui vanum aliquod complecteretur, conspecto libro, locum illum vitiosum, & corruptum, porrecto ad illum digito, licèt esset omninò illiteratus, indicabat. Ita, cum Enochus Cœnobij de Strat Marchil Abbas, rapta sacra Virgine aufugisset, eodem die, licèt absens, multis id factum narrauit. Ita cùm Conanus de Alba Domo Abbas, turpes de muliere, quam aspexit, cogitationes suscepisset, eas illi in aurem mox indicauit: vterque verò posteà resipuit.* Pro his Abbatibus iam in vtraque Domo alios suffectos, cuius altero Balduinus vsus sit in hac prædicatione, ex inferiùs dicendis apparebit. Sed ad rem redeo.

6. *Accessit deinde Balduinus ad Cardisium, sacraque ibi expeditionis negotium promouit.* Et post pauca, qui ex occasione, Cistercij culpas deteuerat, ex eadem item merita diuulgat Beati Conani, Marganensis Abbatis, cuius superiùs fecimus mentionem: sic enim ait: *Non ita procul Gardiso est insula Barri, à Barroco pio quodam viro, cuius & Reliquiæ ibi conseruantur, hoc nomen mutuata, à quo etiam & multi illarum partium nobiliores viri nomen sumpsere.*

traxere. Venitur deinde est ad Landauensem pontificiam Sedem, qua Landaph dicitur, quasi Ecclesia super Taph sita, quæ & Ecclesia Sancti Teiliani, eiusdem Sedis aliquando Episcopi appellatur, vbi Balduinus ab Episcopo eius loci hospitio exceptus est. Hinc itum est ad Cistercienſis Ordinis Margarense Cœnobium, pra aliis omnibus Cambria Cœnobiis, docto, & prudenti Viro, Conano Præside, ob summam in peregrinos, & pauperes fouendos propensionem, nobilitatum. Quam Deus insigni sæpè munere, & beneficio, instar illius Helisiani, frumento repentè diuinitùs aucto, (quod Author noster, vt rem certam, & expeditam refert,) & alias in summa annona charitate, messe eorum ad vnum mensem solito præcociùs maturescente, magno omnium stupore remuneratus est, grauemque in Cœnobij aduersarios vindictam exercuit. Inter quos fuit quidam iuuenis, qui horreum eorum frumento refertum immenderat; qui mox mente, rationeque omni humana excidit, vinculisque, ne vel in se, vel alios sæuiret, coërcitus, ea dirumpens ad Monasterium profugit miserè eiulando, se Monachorum igne totum deflagrare. Atque in his eiulationibus paulò pòst expirauit.

7. Hactenus prædicatio Balduini sine miraculis eius, quæ sciamus, ex inde iam quasi ex consortio Sancti Abbatis accepisset virtutem, multis miraculis cœpit illustrari: nam audi, quod sequitur; *Transmittens posteà Auenna, & Neth fluuios, non sine magno periculo, & metu, Monasterio de Neth à dextra relicto, Leuber deinde, & Vuadres fluuios ad Castrum Keduueli, & deinde per fluuium Tervienſem ad oppidum Kaërmelin, ortu Merlini, (quem Cambri quasi vatem suscipiunt) à quo Kaermelin appellatur, quod est Oppidum Merlini, nobilitatum, & inde ad Cœnobium Cistercienſe, quod Alba Domus dicitur: & mox ad Hauerfordiam peruenit. Quò loci, & Author noster, qui se Menerueniſem Archidiaconum fuisse profitetur, concionatus est. Qui refert anum quandam triennio antè oculorum visu spoliatam, cùm paululum terræ, quam Balduinus hic concionando calcauerat, ori, oculisque post pias preces admouisset, visum recuperasse.* Hoc primum signum, quod alia sunt sequuta.

8. *Ab Hauerfordia itum est ad Meneuiam locum, vt totius Cambria ecclesiastica auctoritatis prærogatiua facilè Principem, ita maximè sterilem, & infœcundum, vbi Petrus eiusdem Sedis Episcopus, qui toto priùs itinere se comitem dedit, Balduinum honoratè excepit. Vbi Author noster eiusdem Ecclesia Archidiaconus, concione ad populum habita ad sacram expeditionem illum animauit. Abiit inde Balduinus ad Regionem Chemesiam, & Cœnobium D. Dogmaëlis, & oppidum Aberteim, id est, situm ad lapsum Teimi, fluminis egregiis salmonibus referti. In eo oppido Resus Princeps Archiepiscopum hospitio splendidè, pro more patriæ excepit: vbi non procul à Ponte, tam Archiepiscopus, quàm Author noster sacri itineris negotium suis concionibus promouerunt. Inter cæteros quidem fuit quidam iuuenis, qui se huic itineri deuouit, quem solum mater annis confecta superstitem habuit. A quo se destituam adeò non indoluit, aut questa est, vt eundem Cruce insignitum redeuntem videns, gratias Deo officiosè egerit, quod filio se tali dignatus erat, qui ipsius, pietatisque obsequium bonis, & vitæ anteponeret. Sed, vide, quanta animorum, affectuúmque sit disparitas. Fuit enim alia in eodem Oppido Matrona, qua maritum satis benè ad iter affectum, iámque ad Balduinum ire paratum, summa vi palam retinuerit, qua per somnium eiusmodi vocem sibi insonantem audiuit: Tu eum mihi, qui mihi, meisque negotiis obsequeretur, præripuisti; at enim & tibi rursus, id quod omnium habes antiquissimum, maximéque charum intercipietur. Quam auditionem viro mox valdè animo consternata retulit, eadémque nocte, cùm rursus obdormisset, filium infantem iuxta cubantem imprudens oppressit, factáque mox est talis animorum conuersio, vt maritus iter illud iam omnino obire voluerit, & vxor frigidam quoque suffunderet Crucem suis ipsa manibus, humeris illius affigens. Eò verò loci, quò Balduinus concionatus est, Sacellum populus struxit, ibique multos posteà à morbis grauibus conualuisse, proditum est.* Et paulò infrà:

Prosequitur deinde Balduinus iter per pontem Stephani, vbi concionantibus, tam Balduino, quàm Authore nostro, & Ioanne Albæ Domus, atque Sessillo de Straflor, Cistercienſis Ordinis Cœnobiorum Abbatibus, plurimi huic itineri nomen dederunt. Peruenitum posteà est ad dictum Cœnobium de Straflor, & Landeui Breui, id est, Ecclesiam Sancti Dauid de Breui, & Lhanpadern Vaur, id est, Ecclesiam Paterni magni. Et paucis de regione ipsa mercedis: *Ad fluuium post hæc Deui (qui Northvalliam, & Suthvalliam, vt appellant, secernit, & distinguit) peruentum est. Quò cùm Meneuenſis, & Princeps Resus, Balduinum à Castro Abertenum, per Cereticam regionem officiosè deduxissent, retrò redière. Ingressus est igitur Balduinus Northvalliam per Prouinciam Merioneth, qua prima se ex ea parte Venodocia offert, & Bangorienſem Diœcesim. Prima nocte apud Towyni, proxima apud Lanmer, id est, Ecclesia Maria in Prouincia Arduci diuersatus est. Et primò quidem Griffinus proximo die alter Conani Principis filius Mereducius Balduino occurrit. Qui cùm videret quendam ex suis Cruce insigniendum, tenui, & vili quodam pallio tectum, ipse se suo exuit, eique illud generosè donauit.* Sic Balduinus, quibus prædicabat, virtutum omnium semina infundebat.

9.

Bangoriam deinde per Conarum, id est, Castrum Aruon (dicitur autem ea Aruon Prouincia, quòd sit contra Mon, id est, Moniam Insulam sita) Balduinus accessit, vbi Guitanus eiusdem Sedis Episcopus, se hoc iter Ierosolymarium suscepturum solenni ritu professus est. Traiecit deinde in Moniam Insulam modico interuallo inde distantem. Hic Rotherycus Princeps Oenei filius Balduino occurrit, ex cuius familia iuuenes quidam (cùm alij passim nomina darent) nulla Balduini, aut aliorum suasione animum inducere voluerunt, vt hoc iter susciperent. At post triduum, cùm latrones quosdam prosequendo, partim ab illis cæsi, partim graniter vulnerati essent, Crucem, quam rogati recusarant, iam vltrò postulant. Cambria, vt dixi, iuris ecclesiastici, in matrimoniis contrahendis, parum hoc sæculo obseruans fuit. Inter alios Rotherycus, vt se magis contra fratrum filios, ad quos hereditas respiciebat, muniret, Resi filiam tertio gradu coniunctam sibi vxorem accinit. Neque illa apud eum Balduini admonitio, vt eam reiiceret, locum habere potuit. Nec ille, multò pòst, possessionibus suis omnibus exutus est. Quod & aliis Oenei filiis, quos ex consobrina genuerat, (propter quod matrimonium anathemate à Dino Thoma Cantuariensi, percussus est,) similiter accidit, vt semper verum ferè sit, spuria vitulamina non agere altas radices. Datúmque est à Balduino mandatum Bangoriensi Episcopo (in cuius Ecclesia humatum erat Oenei corpus) vt inde ablatum in fluctus marinos abiiceret. Sic Balduinus, quæ expeditionis erant, ita curabat, vt nihilominùs alia, quæ pastoralis officij erant, nunquam deponeret. 10.

Perrexit deinde Balduinus per Duganum, Cistercienſis Ordinis Cœnobium, ad Ruthlandia Castrum, & Lanelwicnſem 11.

Lanelnienſem Eccleſiam. Tranſmiſit deinde Deam fluuium, qui Ceſtriæ adiacet, quique à Septentrione Vvalliam ab Anglia, vt Vaga ab Auſtro ſecernit, & terminat, Poiſianque (qua ex tribus Cambriæ præcipuis regionibus vna eſt) apud Oſvvaldeſtriam ingreſſus eſt, vbi Griffinus illius tunc Princeps, admonente Balduino, mulierem, quam ex conſobrina vxorem ſibi aſciuerat, repudiauit. Hoc loco, cùm iuuenis quidam moneretur, vt ſe huic militiæ ſacraret; Minimè verò, inquit ille, niſi Domini mei (intelligebat de Oeneo nuper cæſo) necem priùs vindicauero; moxque dum ira efferueſcens haſtam, quam tenebat manu, concuteret, illa in fruſta repentè diſſiluit. Quod ſpectaculum tanto terrore iuuenis animum concuſſit, vt mox ſacræ expeditionis teſſeram ſuſciperet. Poſt hæc Salopiam Balduinus petit, vbi Oeneus, qui ſolus ex Cambria Principibus, cum ſuis Balduino non occurrit, anathemate confixus eſt. Proficiſcitur inde per difficilem, angustam, & præruptam viam, quæ & mala platea appellatur, versus Guenloche, ab eo loco per Cœnobium Brunfeldiæ, & arcem Ludlavve, Leoniſque Monaſterium, Herfodiam petens, vt eo loco, vbi inenute Quadrageſimæ inchoauit, iter etiam, tranſacto iam Paſchate, terminaret. Hactenus Balduinæ peregrinationis, prædicationiſque fida deſcriptio, à ſocio vtriuſque ſcripta, quatenus ea concernit noſtros Annales: nam aliena omittimus. Porrò de tempore, quod ſemper nobis præ oculis, ſub eius finem libelli ſcriptum lego: *Iter verò iſtud Balduini in annum Domini milleſimum centeſimum octuageſimumoctauum incidit.* Nunc ad alios euentus tranſeamus.

---

1. *Iordanus de Cecano Cardinalis ex Abbate Foſſæ nouæ. 2. Legatus ad Gallias, 3. & Theobaldus Oſtienſis fato functus. 4. Diſputata in Gallia noua quæſtio de aquæ in Sanguinem Chriſti conuerſione: 5. ad Godefridum Bernardi olim Notarium adducta primùm. 6. Mox per ipſum ad Henricum Cardinalem, 7. longa epiſtola, 8. & quæ rationum, 9. atque authoritatum apices claudat. 10. Animaduerſum in Baronium leuiter, in recentiores grauius: 11. & remiſſa deciſio quæſtionis ad Innocentium III. in capite,* Cùm Marthæ. *præcedenti Clarauallenſium conſultatione.*

CAPVT III.

1. HOc ipſo anno, quarto Idus Martij, ad apicem Cardinalitiæ Dignitatis, ex Abbate Foſſæ nouæ, promotum lego Venerabilem Virum, Iordanum de Cecano, de quo iſta Chaconius in ſuis Tabulis [a]: *Frater Iordanus de Cecano, Campanus, Monachus, & Abbas Monaſterij Foſſæ nouæ, aliàs Fori Appij, Ordinis Ciſtercienſis, Diaconus Cardinalis. Poſtea Presbyter Sanctæ Prudentianæ titulo Paſtoris.* Ita Chaconius, qui promotionem ad Presbyteratum titulo ſanctæ Pudentianæ, menſe ſequenti factam quarto Nonas Aprilis ſtatim prodit [b]: *Anno*, inquit, *M.C.LXXXVIII. Pontificatus ſui primo, quarto Nonas Aprilis, Roma Clemens III. Papa creauit Cardinales, qui fuêre N. N. N. N. Frater Iordanus de Cecano, Henricus ex Diacono Presbyter Cardinalis Sanctæ Pudentianæ, titulo Paſtoris.* Onufrius primam creationem Iordani reticet: ſecundam anteriorem adhuc facit, quippe ab Vrbano III. quod ſæpiùs repetit. Iordani meminit Author Exordij [c] magni, nec ſine laude: *Vir illuſtriſſimus, Romanus genere, & honeſtæ conuerſationis Monachus, Dominus Iordanus de Foſſa noua, qua eſt vna de Domibus Clarauallis*, &c.

a *ſub Clem. III.*

b *ibid.*

c *lib. 5. c. 3.*

2. A quocunque Pontifice creatum, conſtat hoc anno Legatum in Galliam, Germaniamque a Pontifice miſſum: incertum, an Henrici Albani Collegam, an ad alia negotia; ſiue, vt Legati Ordinarij munus obiret. Legationem Chaconius tangit magis, quàm narrat [d]. *Hic*, inquit, *ſcilicet, Iordanus, ab eodem Clemente III. eodem anno menſe Iunio apoſtolicæ Sedis Legatus in Gallias, & Germaniam miſſus, anno ſequenti rediit.* Hæc tantùm ille: meminit etiam huius Legatiæ Stephanus Tornacenſis epiſtola ad Abbatem de Altovillari, qua Ioannem quendam à ſe Abbatem inſtitutum, eidem petit Legato commendari [e]: *Et quoniam*, ait, *iuuentutem eius nouitas honoris, & oneris ſibi impoſiti ſollicitat, ac premit; recurrit ipſe vobiſcum ad prudentiam veſtram, vt eum, & Eccleſiam ſibi commiſſam Domino Iordano Legato, chariſſimo, vt indutrimus, & familiari veſtro, tanquàm viſcera veſtra, commendetis.* Hactenus Stephanus. Nec quid aliud ab aliis notatum video: niſi quòd tamen (nam neque vitia, vbi publica, tacebo, qui virtutes propalem, Ciſtercij Chronologum agens, non laudatorem) apud quoſdam non benè audiit, quaſi communi auaritiæ peſte labotans, pluſquàm deceret Principem Eccleſiæ, nedum Ciſtercij Monachum: primum omninò, qui ex Ciſtercio aſſumptus captaret munera, quæ omnes alij ſummoperè abhorruiſſent. Audi Cæſarium de eo ita loquentem [f]: *Ante annos paucos Roma quidam Cardinalis defunctus eſt, nomine Iordanus, de Ordine quidem Ciſtercienſi aſſumptus fuerat, ſed vita Ordini in eo minimè concordabat: erat enim auarus valdè, ſicut à quodam Abbate audiui.* Ita Cæſarius: nam neque ab alio Iordanum notatum legi, & aliàs fuit illuſtris animi Vir, & qui multa, præclaráque peregit, quæ ſuis locis venient recenſenda.

d *in Greg. VIII. & Clem. III.*

e *epiſt. 182.*

f *lib. 12. c. 2.*

3. Quo autem anno Iordanus de Cecano in Presbyterum Cardinalem promotus eſt, viuere deſiit Theobaldus Gallus, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, quem olim ex Monacho, & Abbate Ciſtercienſi, in Abbatem Flauiacenſem, atque Cluniacenſem; indéque ante quinquennium ad apicem Cardinalatus promotum diximus. De eius morte, ſepulturáque iſta Chaconius [g]: *Theobaldus autem (quinquennio poſt ſuam creationem) pridie Nonas Nouembris, anno 1188. moriens, in media Baſilica Sancti Pauli Apoſtoli, via Oſtienſi, ſepultus eſt.* Hæc ille, pluribus inſtrumentis clarè conuincens, hominem produxiſſe vitam vſque ad hunc annum. Vnde obiter corrigendum venit Chronicon Cluniacenſe Franciſci de Riuo, in quo II. Nonas Nouembris, anno M.C.LXXX. (quo nondum Cardinalis) obiiſſe traditur. Certè Theobaldus Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis ſubſcriptus legitur in litteris Clementis Papæ III. Romæ apud Sanctum Petrum, quod fieri non potuit ante hunc annum.

g *in ipſo*

Iiſdem temporibus, incertum, qua occaſione, in Gal-

lis disputari cœpta est celebris illa quæstio, hoc nostro sæculo denuò renouata, de conuersione aquæ, quæ calici ante consecrationem infundi solet: an, scilicet, immediatè transeat in Christi Sanguinem, non secus atque vinum, etiamsi in eum liquorem non sit conuersa; an maneat mixta speciebus vini substantia aquæ post verba prolata, non vnquam in aliam transitura. Et quidem mirabili dispositione rerum, siue cœlestium orbium gyratione, solet contingere, vt eædem quæstiones excitatæ animos hominum valeant commouere. Videmus duas sæculo illo controuersias, sed mox sopitas; alteram de conceptione Beatæ Virginis præseruatæ à peccato; alteram de conuersione substantiæ aquæ, post quadringentos annos nostra ætate iterum renouatas recruduisse; adeo vt prima non Theologos tantùm, sed omnem populum; secunda doctos quoque penè diuiserit, scriptis libellis, & vulgatis hinc, indèque, qui vtrique parti contra aliam adstipulentur. De prima, in qua Bernardus multus fuit, satis, superque à nobis pro modo Historiæ, dictum in superioribus: de secunda, natu & ipsa per nostros cœpit, aliqua etiam in præsenti dicenda erunt.

1. Viuebat adhuc Venerabilis Gaufridus, Bernardi Patris, dum vixit, à secretis; post mortem, mirabilium eius Scriptor, & in Clarævallensi Præfectura successor: sed cui ante aliquot annos renunciauerat: & siue propria doctrina, ingenióque, de quibus; vel ab ipsa adolescentia, cùm Petrum Abailardum audiret, prædicabatur; seu feliciori Bernardi magisterio, quod altiùs imbibisset, inter primos Doctores habebatur senex emeritus. Addebat etiam vito authoritatem Cardinalis Henricus, non alterius consilio frequentiùs vtens, non alium sibi associans, quæcunque ardua negotia peracturo. Itaque ad hunc perlata controuersia, tanquàm ad Iudicem. Verùm, cùm post depromptum animi sensum, adhuc partes persistere videret, nec victam cedere, cùm & se falli posse non dubitaret, eumdem sibi charissimum Henricum, à quo nuper discesserat, & per Henricum Sedem apostolicam, in re grauissima censuit consulendam. Ergo, qui ab eo antèà consultus fuerat de his, quæ in causa Gilberti Portetani à Bernardo Parente, Gaufrido ipso præsente, gesta fuissent, tali epistola Henricum interpellauit [h]:

[h] apud Baron.

6. *Amantissimo Domino, & Patri H. Dei gratia Albanensi Episcopo, & Domini Papæ Vicario, Frater Gaufredus de Claraualle, minimus, id quod est.*

Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum super verbo etiam altero, cùm vobis opportunum fuerit, vestrum desiderans obtinere responsum. Ad partes enim Galliæ, sicut nostis, hoc anno cum vestra benedictione reuersus, nouam, & mihi hactenus inauditam ventilari inter aliquos reperi quæstionem, de substantia aquæ, quæ vino mixta in calice similiter offertur: & an, & ipsa similiter cum eodem vino in Sanguinem Domini conuertatur. Nec mediocris est inter modernos Theologos super eadem quæstione dissensio, negantibus aliis, aliis affirmantibus, totius liquoris mixti, sicut panis, qui ex simila, & aqua similiter conficitur, vnam fieri transubstantiationem. Et affirmantium quædam assertio est, nullatenus esse credendum, quòd in calice Dominici puerum fuerit vinum, præsertim cùm in regione illa sic habeatur in vsu commixtio aquæ, [i] Proverb. 9. *vt de Sapientia quoque legatur: quia [i] miscuit etiam: nec nisi mixtum in illis maximè regionibus facile soleat propinari. Aiunt etiam, quòd dum substantia aquæ, quæ ad conficiendum panem miscetur simile, post consecrationem aqua non maneat, incongruum fore videtur, vt mixta vino similiter in consecratione non mutaretur. Postremò, cum elementa quatuor, ignis, aëris, aqua, & terra supernus Artifex sic coniunxerit, vt non tam elementa simplicia, quod ex eis elementa sint, qua videntur, si ab illa mutatione excipere cœperit alius ignem, alius aërem, alius terram, sicut ipsi aquam excipiunt, non mediocris inde confusio consequetur.*

7. *Igitur circa hoc, & huiusmodi affirmantium conuersionem totius mixti liquoris, qui in calice continetur, in Sanguinem Domini, ratiocinatio studiosa versatur. Authoritates etiam quasdam protulêre, quas præsentis Scripturæ consummationi duximus reseruandas. Nam, qui eis super hoc aduersantur, ex nullis antiquorum, siue etiam modernorum scriptis tam euidentia testimonia protulêre sua assertionis. Cæterùm innituntur potissimùm vni verbo, quòd principales Sancti in duabus speciebus panis, & vini consecrationem perfici perhibentes, nullam in verbo illo alicuius diuersæ speciei, nullam aquæ fecerint mentionem. Ad quod respondetur eis, quòd non consueuêre homines mixturam vini, & aquæ, nec si quantitas aquæ præualeat, aquam nuncupare, sed vinum. Præterea calicem Dominus legitur accepisse, non vinum, quamuis continens Euangelista posuerit pro contento. Sacerdos quoque, cùm Missam celebrat, quid dicere soleat attendendum: Similiter, postquàm cœnatum est, accipiens, & hunc sacrosanctum calicem, (in quo, videlicet, continetur vinum mixtum aqua,) benedixit, & dedit Discipulis suis, dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes: hic est Sanguis meus, &c.*

8. *Dicunt aliqui, qui sub Magistro Petro Lombardo, dum adviueret, studuêre, quòd nunquam eos docuerit aquæ mutationem: sed, quod eam negauerit, neminem audio profitentem. Nam & in libro Sententiarum eius, super eodem Sacramento authoritates plurima continentur, quarum aliquas, aiunt illi pro parte sua: sed nec soluta, nec saltem proposita in eius Codice, eadem quæstio reperitur. Opponunt iidem authoritates, in quibus nihil legitur de mutatione aquæ in Sanguinem, & huic verbo potissimùm innituntur: quoniam per Apostolos, ad significandam plebem, vniendam Christo, misceri iussa est aqua vino. Et respondetur eis, quòd Authores, qui non astruunt commutationem: non tamen negant, & proferunt testimonia de Scripturis, in quibus & iidem ipsi, siue alibi reticent, siue etiam alibi vini mixti mutationem euidentiùs asseuerant. Cyprianus Martyr* [k]: Calix Domini non est aqua solùm, vel vinum solùm, nisi vtrumque misceatur; sicut nec Corpus Domini potest esse farina sola, vel aqua sola, nisi vtrumque fuerit adunatum, & panis vnius compage solidatum. *Idem Cyprianus* [l]: Si quis de antecessoribus nostris, vel ignorantes, vel simpliciter non hoc seruauit, quod Dominus noster facere exemplo, & magisterio docuit, potest simplicitati eius, indulgentia Domini venia concedi; non potest verò nobis ignosci, qui nunc à Domino instructi sumus, vt calicem Domini cum vino mixtum, secundùm quod Dominus obtulit, offeramus. *Hieronymus in Marcum* [m]: Format Sanguinem suum in calice, vino, & aqua mixtis, vt alio purgemur à vitiis, & à culpis alio redimamur, & peccatis.

[k] epist. 63.

[l] ibid.

[m] cap. 14.

9. *Ambrosius in libro de Sacramentis* [n]: Sermone Christi hoc conficitur Sacramentum: quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit Corpus Christi, & vinum cum aqua in calice mixtum fit San-

[n] lib. 4. c. 4. & 5.

gui-

guis consecratione Verbi cœlestis. *Augustinus de Baptismo:* Vnde & aqua mittitur in calicem, & fit Sanguis consecratione Verbi cœlestis. *Paschasius* [o]: Aqua consecratur, non quòd aqua permaneat, sed vertitur in Sanguinem. *Hildebertus Cenomanensis* [p]: Aqua in Sanguinem vertitur, vt populus, qui per aquam figuratur, in melius se mutatum intelligat. *Algerus*: Sed licèt in mensa Domini tria constituantur munera, sunt tamen duo: per quam sacrificatur, est aqua mixta priùs vino; sed quando sacratur, non nisi Sanguis erit, quo anima intùs alatur. *Caterùm pars aduersa authoritates priores vtcunque permittit, dicens: Vinum, quòd aqua mixtum est, sed non propterea aquam mutari. Testimonium verò Paschasij, quod euidens est, eadem pars contemnit, licèt magnum ipsius Beatus Papa Gregorius in libro Dialogorum* [q] *perhibeat testimonium sanctitati. Sicut Hildebertum aiunt versificatorem fuisse, non ecclesiasticorum dogmatum assertorem. De Algero dictum: Nescimus hominem. Ipsius tamen nullum adhuc comperi librum, & Sancti, vel cuiuscunque Doctoris authoritatem similiter sufragari. Ac proinde placeat vestra dignationi, cum Dominis nostris Fratribus vestris super hoc verbo, cum opportunum tempus affuerit, diligenti collatione tractare, vt auctoritas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ definiat, quid super hoc credi debeat, vel doceri.*

o Bibliotheca tom. 6.

p lib. de Corpore, & Sang. Dom. in Bibliotb. tom. 5.

q lib. 4. c. 40.

10. Hactenus consultatio Viri grauissimi, quam Cardinalis Baronius, cùm transcripsisset, ista breuiter censuit subiungenda [r]: *Quid autem rescripseris ad petitam consultationem Cardinalis Episcopus Albanensis, non inuenimus; sed aliud rescribere non potuisse, certum est, quàm quod credidit, & custodiuit semper Sancta Romana Ecclesia, nimirum, aquam simul, & vinum transubstantiari in Sanguinem Christi.* Ita Baronius, quibus verbis adeò suam mentem, menti Gaufridi per omnia conformem aperit, vt totius Ecclesiæ perpetuum sensum affirmet, quem contrà nulli liceat opinari; in quo vt non negem, aliquantùm excessisse, Virum aliàs totius doctrinæ fontem, verè inter Patres Ecclesiæ numerandum; multis quippe, & grauissimis Doctoribus contrarium affirmantibus, (quam opinionem acriter tuentur, qui se Thomistas vocant nostris temporibus:) at mitor, & admiror recentes Theologos, qui sententiam, quam ab Ecclesia semper creditam perpetuò custoditam appellauit Baronius, alicuius censuræ nota audent inurere, audaces homines, & quæ ex aliorum pharetra deprompta faciliores damnare, quàm retundere.

r ad hic an.

11. Verum est sanè, vt Cardinalis Baronius ait, ignotam Hentici responsionem. Cæterùm, illud nobis compertum est, quòd debuisset subnecti præcedentibus; perseuerante dubio, post decennium plus, minúsve, delatum ad Pontificem Innocentium III. qui tunc Ecclesiæ, & Orbi præsidebat, consultante alio Claræuallis Monacho, Ioanne, nimirum, Bellemensi, Archiepiscopo quondam Lugdunensi, de quo suprà, & latiùs multò capite sequenti, ad quem celebris illa Decretalis in capite, *Cum Marthæ*, de celebratione Missarum. Porrò eius materiam opinabilem, neque in alteram diffiniendam, ita relinqui Theologorum disputationibus, vt nihilominùs pars affirmatiua à Pontifice amplectatur vt probabilior. De quo nequaquam potest dubitare, qui initium, & statum controuersiæ, ab hac Gaufredi epistola desumptum, quod luce clarius patet, plenius norit. Quippe ex eodem Cœnobio Claræuallis vtraque consultatio, & qui secundam ad Innocentium detulit, eodem ipso anno Monachum induit, quo Gaufridus priorem Hentico miserat, peractutus, quod iste non expleuerat. Sed de his latiùs dicemus sub Innocentio: nunc ad Ioannem de Lugdunensi Sede, & infulis ad cucullam conuersum accedamus.

---

1. *Ioannis, Archiepiscopi Lugdunensis genus, 2. probitas, fortuna in capessendis dignitatibus: 3. quæ gessit in Præfectura Lugdunensi: 4. contemptus omnium, & Monachatus in Claranalle. 5. Alterius Ioannis, Archiepiscopi Vpsalensis, 6. doctrina, & Zelus. 7. Demum palma Martyrij in propriis ædibus. 8. De Ioachimo Abbate variæ sententiæ. 9. Clementis Bulla, 10. & secessus ipsius in Petram altam, origóque dissidiorum cum Cistercensibus.*

CAPVT IV.

1. PATRIA illi Pontium, genus illustre, ingenium æquè, ac genium cæteris præuolans, fauentibus astris, vt de eo populi, Ecclesiæque certarent; & beatam se reputaret, quæ possideret. Referam verba Tabularum Lugdunensium, in quibus Archiepiscopus LXXIX. à Iacobo Seuertio commemoratur [a]: *Ioannes primus* (scilicet, eius nominis) *quibusdam, de bellis manibus, sed malè, rectiùs Ioannes Bellisinensis, seu Bellemensis, erat enim filius Guillelmi Tulnat, Domini Bellemensis, Alanconij, & Pontiuensis, seu Ponthui Comitis; & B. Comitissæ Varenensis, seu de Varenna, Guillelmi vxoris secunda, qui cum ea diuortium fecit, quia cognatam fuisse vxoris defuncta proponeret; qua de re est caput.* Porrò, *extra de diuortiis, Alexandri III. scriptum ad Ambianensem Episcopum.* Hæc de genere, patria, atque parentibus. De dignitatibus diminutæ procedunt Tabulæ, quippe quæ solum Episcopatum Pictauiensem illi appingunt. Verùm electum etiam ad Narbonensem vtriusque Ecclesiæ, & Narbonensis, nimirum, & Pictauiensis Acta testantur, virum nec sine egregia laude commemorantes [b]: *Ioannes III.* (Pictauienses Tabulæ aiunt) *homo doctus, & integræ vitæ, primò Episcopus Pictauiensis, postea Narbonensis Archiepiscopus electus anno 1181. Tandem Archiepiscopus Lugdunensis à Lucio III. Papa creatur, & eiusdem in Francia Legatus.* Concordant Tabulæ Ecclesiæ Narbonensis.

a apud Ioan. Chenu, & Robert. Claudium.

b apud Ioan. Chenu.

2. Extat Epistola Stephani Tornacensis ad eundem Ioannem, cùm ex Narbona, Lugdunum vocatus esset gratulatoria, quam ad eius Historiam, & Dignitates non parum facientem, quippe ex qua constat post Narbonensem electionem, præuentum Lugduni, priusquàm in illa Sede collocaretur (ex quo Tabulæ omnes concordantur) non pigebit ad litteram transcribere. Sic autem habet [c]:

c epist. 22.

Ioanni Episcopo Pictauiensi.

Iucundum mihi theatrum proponis recordatio vestra, cuius

cuius & refociar spectaculo, & afficiar blandimento. Concertant in idem caput diuersarum Prouinciarum pontificales infulæ, & dum Pictauiensi Cathedræ Sacerdotem suum Narbonensis conatur eripere, religioso silentij præambulo Narbonensem electum prima Sedes Galliarum sibi vendicat Lugdunensis. Admirabilis, & amabilis Ecclesiarum ludus iste, vbi superior inferiorem spoliat, & æmulatione sancta, voluntate pares apparent, quæ sunt impares dignitate. Absit, Pater, à mansuetudine vestra, vt ad Gothorum barbariem, ad leuitatem Vuasconum, ad crudeles, & efferos mores Septimaniæ declineris, vbi supra fidem infidelitas; supra famam fames, dolus, & dolor plusquàm valeat æstimari. Vidi nuper in transitu, cùm Dominus Rex Tholosam me mitteret, frequentem, & feruentem in illa terra terribilem mortis imaginem, feminutos Ecclesiarum muros, ambusta sacrorum ædificiorum loca, fundamenta effossa, & vbi fuerant habitacula hominum, inculta domicilia bestiarum. Contremui, fateor, & expani, cùm ad ea loca vos inuitari audirem, in quibus, etsi contingeret vos præesse, facilè esset non prodesse. Audito tamen, quod Rhodanusia Sidony vos vocaret, gauisus sum gaudio magno, & Primatem nostrum in gloria videre desidero, quem priùs affectione patrem, liberalitate benevolum, simul & beneficum sum expertus. Nepoti vestro Archidiacono bona indolis adolescenti, sicut mihi mandastis, paratus sum, & consilio, & auxilio prouidere. Hæc Stephanus, ad Ioannem recèns promotum.

3. Itaque Ioannes claritate sanguinis, doctrinæ meritis, & vitæ integritate, talis, ac tantus erat, vt de eo certarent Ecclesiæ Galliæ. Cæterùm Præfecturæ Lugdunensis memoriam reliquisse lego non contemnendam. Primùm, dicato templo Martyri Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, in domo, quam Lugduni inhabitauit (sic Lugdunenses volunt) dum in Gallia exularet extra Cistercium. Deinde, obtento à Rege Galliæ indulto pro se, & pro successoribus, quo cis Episcopatus Eduensis Regalia omnia, quoties, & quandiu vacaret, concedebantur. Tertiò, cùm tunc emergerent Hæretici, Pauperes de Lugduno nuncupati, prolata in eo sententia satis seuera, quam Lucius III. primò, mox Bonifacius VIII. & Ioannes XXII. confirmauêre. Demum, adepta omnium priuilegiorum suæ Ecclesiæ, & Sedis, à Friderico primo confirmatione, expedita in Villa Sancti Cenonis, an. M.C.LXXXIV. in qua Imperator eximiè laudat hominem, *Principem sibi clarissimum appellans, Gallicarum Primatem, Virum Illustrissimum, prudentem, industrium, morum honestate præditum, & Religione conspicuum.* Quæ omnia Iacobus Seuertius in Chronologia Archiepiscoporum Lugdunensium in ipso, & successore, Additionibúsque velut sparsit. Fallitur tamen in eo, quòd scribit, Ioannem hoc anno mortuum; motus, vt ait, quòd in priuilegio Regis Galliæ, quod modò memorabam, sequenti M.C.LXXXIX. iam non Pontifex dicitur: nempe, ait Rex, se illud concessisse *Ioanni, tunc Archiepiscopo Lugdunensi.* Verùm hæc verba Monachatum magis insinuant: quippe, si Rex de Præsule defuncto loqueretur, piæ, aut bonæ memoriæ, nuncuparet. Cùm autem ait, tunc fuisse Archiepiscopum, aliquid aliud esse, cùm Rex loquitur, congruentius videtur indicare. Atque hoc priuilegium mihi fax est, præter Authores citatos, citandosque, ad temporis rationem stabiliendam.

4. Inter hæc ergo Legatus, & Archiepiscopus, Galliarum Primas, & cunctis eximiè charus, seu gloria Mundi veluti satiatus, suspiravit cœlestem, quod verius credo; atque vltrò se cunctis abdicasse: seu prosperitas eum, quod fieri potuisse nequaquam abnego, & lubrica occasionum in præceps egerint: seu tandem innocens, verùm impetitus linguis maledicis, cedere satius duxit, quàm litigare: hoc tandem anno, insulis depositis, atque Primatia Galliæ Lugdunensis, humilem Monachum induit in Claraualle, sub Venerabilis Garnerij disciplina. Certè in Tabulis Ecclesiæ Lugdunensis, non depositus, sed vltrò ipse se abdicans, Marthæ sollicitudinem, in Mariæ quietem mutasse perhibetur: quò respexisse videtur Innocentius III. in dicto capite, *Cùm Martha.* vt suo loco videbimus. Rogerius Hovvedenius, eius temporis Author, hæc tantum scribit [d]: *Renunciasse Archiepiscopatui, & Monachum factum in Abbatia Clarævallensi, ad mortem vsque cum maxima pietate, & deuotione perseuerasse.* Consonat Cardinalis Zabarela in commentario dicti Capitis, *Cùm Martha* [e]. Ægidius de Bti in Historia Comitum Alanconij, & alij, quos Lector consulat. Hæc satis nunc de Ioanne Lugdunensi vsque ad assumptum ab eo Cistercij habitum: nam & plura de ipso hoc ipso torno, cùm dubia super tribus, isque grauissimis, consultum ab eo Innocentium produxerimus.

[d] *in Annal. par. 2.*

[e] *lib. 2. c. 17.*

5. Inter hæc alius Ioannes Archiepiscopus ex Cistercio assumptus, qui post Stephanum Vpsalensi Sede præfuerat, coronatus Martyrio, conscendit Superos, ingens sui desiderium relinquens populis, quos doctrina, & exemplo æquè pascebat. Sed præ omnibus Canuto Danorum Regi, qui audito eo multa faciebat, & in omnibus libentissimè auscultabat. De eo Olaus Magnus hæc habet verba [f]: *Tempore huius Canuti tres successiuè Archiepiscopi in Metropoli Vpsalensi præfuerunt, Stephanus, Ioannes, & Petrus: quorum optimis monitis ita piè, ac perseueranter obedinit, vt paternam pietatem in omnibus operibus suis æquare, vel imitari videretur. Siquidem à Ioanne Archiepiscopo non parca salutaris doctrina monita accipiens, vigilantissimum Christianæ Religionis obseruatorem sese exhibuit; nihilque omisit, quod ad subiectorum populorum salutem, ac pacem, æternámque felicitatem necessarium videbatur. Diuini cultus augmento ita insudauit, vt non solo nomine; sed vita, moribus, legibus Rex Christianus diceretur. Pœnitentiam quoque, qua sibi ob necem Caroli Regis ab hac Pontifice imperata erat, reuerenter excepit, piéque, ac efficaciter expleuit. Nouis enim Christianus Rex, diuina obsequia non viribus propitianda esse. Proinde offensa Religioni satisfacturus, duo præclara Monasteria, Saba, videlicet, (quod vulgariter Iulitha dicitur,) & Varnhem prídem à Rege Carolo inchoata perfecit, & prædiis sui patrimonij liberaliter dotauit.*

[f] *lib. 9. c. 37.*

6. *Nec ista in augmentum diuini honoris feciße contentus, diuini cultus ministros honoribus, prouentibus, priuilegiis cumulatissimè prouexit, sacerdotia instituit, ædes sacras reparauit, aut de nouo erexit. Felix Rex talem sortitus Pontificem, cui obediendo diuinam clementiam, & diuturnam, pacem mereretur: sed felicius Regnum, & felicissimus populus, cui contigit à tam glorioso, & pio, ac sapiente Rege gubernari. Verùm hic Pontificatus, quamuis numero annorum angustus extitit; tamen ingens eius gloria memoriam fertur eſt laudabilem, & sempiternam. Quarto enim anno à principio sui Pontificatus ab Estonibus, qui Piraticam, vsque ad interiora Suecia exercebant, in propriis ædibus Almerstech, circa principium mensis Iulij, anno à nato Christo M.C.LXXXVIII. trucidatus occubuit. Cuius successor Petrus auxilio huius Canuti suffultus, totum Suetici Regni populum ad ciuiles mores, & Christianam pietatem toto corde amplexandam induxit.* Hactenus

ctenus ibi de gestis Sancti Pontificis, déque tempore ipsius coronationis.

7. Verùm de eadem indigna Viri cæde, capite ante-
f lib. 9. c. 16. cedenti etiam tradiderat, f loquens de Stocholiuiæ, Regiæ Suecorum Vrbis, hac occasione cœptæ, fundatione: *Prius enim Estones, Mosci vitæ, Russi, Tauestibi, per eas fauces continuè ingrediebantur, & clandestinis incursionibus Suecones, nullam hostilitatem suspicantes aderti prædabantur: factáque ingenti hominum strage, liberè, & impunè, atque maximis spoliis onusti, in suas terras euaserunt: quo incursu Ioannem secundum Archiepiscopum Vpsalensem in sua propria mansione Almersthech occiderunt, & nonnullos alios clarissima stirpis, & memoriæ Proceres. Sed hac Stocholiuia structa, omnes, & singuli diuturnam pacem assequuti fuerunt; hostes vero sempiternam formidinem, qui viso eam insuperabili præsidio, contra quoslibet inimicos, in reliquum tempus erecto, a diripienda Suecia abstinuerunt.* Hactenus ibi. Ioannis, vt Martyris Christi, meminêre Menologiũ Cistercij g, & Abraham Bzouius,
g Iulij 2. qui hoc eodem anno Sanctum commemorat. Sed ex Suecia ad Italiam, & ex Ioanne ad Ioachimum transeamus.

8. Interea de Abbate Ioachimo variæ sententiæ: & quidam eum Sanctum, Doctorem, Vatem de cœlo missum: alij illusorem, aut qui mitiùs illusum, & scripta eius inania prædicantes, animos Cistercienſium; sed & ipsius conscientiam exagitabant: huius, ne, vt poterat, fortè deciperetur; illorum, ne deciperet; aut dum scrutator nimius inuenitur mysteriorum cœlestium, à supereminenti gloria, quod Scriptura prædicit h, opprimeretur. Subesse illi in caulibus
h Prouer. 25. Curatij, redemptas Christi Sanguine oues, agnósque, queis pascendis incumberet; illis sapientiam, si quam de cœlo habebat, vtiliùs adaptandam, quàm si in diuinationibus superfluis fortè, & fictitiis per ætates, euentúsque futuros, quæ ad ipsum non spectarent, diffunderetur. Posse esse diuinitùs collata, quæ præfert dona; sed & posse non esse. Porrò, si in dubio, occultentur, nullam iacturam; si falsa, aut ficta in medium proferantur, sæcularibus cunctis in scandalum, domesticis in confusionem, opprobriúmque, ipsi in æternam damnationem vertenda fore. Res ad Clementem III. delata est, atque æqua lance vtrinque ab eo perpensa, baculum pastoralem abdicare permissus Ioachimus; ac sibi soli vacans, iussus scribere, siue scripta polire, & emendare apostolicæ Sedi præsentanda; cuius iudicio, aut proditent, aut celarentur. Extant eiusdem Pontificis Litteræ expeditæ hoc anno, quas euulgatas à Iacobo Græco, nostri muneris erit hìc transcribere: sic autem habent i:
cll. 16.

9. *Clemens Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilecto Filio Ioachimo, Abbati de Curatio, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Rationis ordo suadet, & debitum exigit charitatis, vt in cunctis actibus nostris ad id plurimùm intendamus, qualiter secundùm veritatis euangelicæ testimonium, opera nostra luceant coram hominibus: vt ex eis proficiendi materiam capiant, & exemplum. Cùm ergo iubente, & exhortante te bonæ memoriæ Lucio Papa, prædecessore nostro, expositionem Apocalypsis, & Opus Concordiæ inchoasse, & postmodum de Papæ Vrbani authoritate successoris ipsius composuisse dicaris; charitatem tuam monemus, & hortamur in Domino, per apostolica scripta mandantes, quatenus laboribus tuis in hac parte optatum, & debitum finem imponens, gratia Dei prosequente, ad vtilitatem proximorum opus illud complere, & diligenter studeas emendare: vt venientes ad nos, quàm citiùs se opportunitas dederit, discussioni apostolicæ Sedis, & iudicio te præsentes: si enim velis in abscondito retinere, diligenti cura prospicias, qua possis Summi Patrisfamilias offensam, de talento scientiæ tibi commisso satisfactione placare. Data Laterani, octauo Idus Iunij, Pontificatus nostri anno primo. Hactenus Litteræ Clementis ad Abbatem Ioachimum hoc anno datæ.

10. At de renunciatione Abbatiæ statim secuta, & Curatiensium de amisso patre dolore, ac frustrata pro eius receptione sollicitudine, idem Iacobus Græcus, neque enim alium habemus antiquiorem; ista subiungit k: *Porrò Venerabilis Abbas ad votum retinenus consulentis, ac præcipientis imperium, inceptum opus, grates Deo reddidit, liberiori se cursu posse cætera prosequi, ex concessione præsciens. Reuersus ergo in Curatium, renunciatione peracta, fistimus inde recessit. Curatienses verò Monachi recessum huiusmodi, & incolatum cominemis se in loco, cui Petra alta est nomen, valdè ægrè ferentes, cùm de eiusdem regressu desperarent, vel quia tanti Patris nequibant carere præsentia, vel quia munera Dominicæ dispensationis ignorabant: si quomodo ad redeundum compellere possent, de seniorum consilio, ad Pontificis auctoritatem cucurrerunt. At Romani Pontificis authoritas expetita, fratrum consilio perpendens vniuersa, Ioachim, & ab onere Curatij absoluit, & alibi confidendi potestatem admisit. Vnde non extera tantùm, quam intima libertate potitus, totus pergebat in Deum, vt vnus efficeretur spiritus cum eo. Et quia cogitatio eius erat apud Altissimum, de ventre eius flumina ingiter fluere cœperunt. Hinc factum est, vt petram mansionis prioris, petram olei nominaret, & hoc non immeritò: vnctionem etenim Domini in se non parum profecisse cognouit.* Hæc ex Iacobo Græco ad verbum transtuli, mendis tantùm correctis, queis nimiùm scatet, ne non comperta aliunde veritate, aliter quicquam darem, quàm accepissem. De Petra alta id solùm dicere audeo, neque in Chronologia inueniri, neque in generibus.
k ibid.

11. Hinc, vt opinor, originem cœperunt longa Ioachimi dissidia cum Cistercienſibus, vltra mortem producta, ipso instituente nouam Congregationem à Cistercio diuisam, atque Florensem à primo eius Cœnobio cognominatam; & nostris in eum acriter inuectis, quasi in malè scribentem de Trinitate: atque accusantibus in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. recèns defuncti libros, quòd ipse viuens videtur propheтasse. Sed de his latè in sequentibus agemus. Interim noto, Venerabilem Virum, Lucam Monachum Casemarij, dein Abbatem Sambucinæ, adhæsisse Ioachimo, quo ipse scriba frequenter vteretur. Quod cùm non fuerit post inceptum Cœnobium Floris, neque enim Lucas de Cistercio exiit, quoadvsque in Archiepiscopum Cusentinum, qua dignitate polluit, assumeretur; coniector planè fuisse circa hoc tempus, adeóque sat probabile apparere, secessisse cum ipso in Petram altam de licentia Capituli, fortè & mandato Clementis Summi Pontificis.

1. *Ioscelinus, Arnulfusque Meilrosensis vterque in causa Episcopatus Santandreani* 2. *Litteras à Clemente Papa suscipiunt;* 3. *mittores primùm,* 4. *mox alias seueriores,* 5. *quibus anathema in Regem, si resistat,* 6. *& interdictum in Regnum iubentur indicere,* 7 *atque item Ecclesiam Santandreanam, & Capitulum eius visitare.* 8. *Quem tandem lis hac exitum habuerit.* 9. *Dictum de Arnulfo, Hugone, atque Vuillelmo:* 10. *& reuelata Cistercienſi Monacho, quæ Henrico Anglorum Regi mala instabant.*

CAPVT V.

1 Hoc idem annus prolixæ satis liti super Episcopatu Santandræano finem imposuit, interuentu nostrorum; vt per eosdem, per quos promota fuerat, tandem iam diffinita terminaretur. De his Rogerius Oubedenius in suis Annalibus Angliæ, ita scribita a: *Hoc anno* (scilicet, M. C. LXXXVIII.) *Ioannes Dunkeldensis Episcopus, post Purificationem Beatæ Virginis Mariæ redijt de Curia Domini Papæ (quo diximus perrexisse præscripto tempore) Hugone Episcopo Sancti Andreæ depósito (scilicet,* quod noluisset cõparere, quod anno LXXXVI. tradidimus:) *& attulit secum litteras Domini Papæ ad Ioscelinum Glascuensem, & Matthæum Alberdonensem Episcopos, & ad Ernaldum, siue Arnulfum Abbatem Meilrosensem, in hac forma.* Hæc Rogerius. Litteras porrò Clementis ad prædictos, super depositione Hugonis, & restitutione Ioannis, ita prosequitur:

a ad hunc annum.

2. *Clemens Episcopus, Seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Ioscelino Glascuensi, & Matthæo Alberdonensi Episcopis, & dilectis filiis Ernaldo Abbati de Meilrosia, &c. Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Ne in dubitationis recidaus scrupulum, quæ geruntur; dignum est litterarum memoriæ commendari, & ad illorum notitiam, quorum interesse videtur, celebri, ac veridica insinuatione perferri. Meminimus autem, quod bonæ memoriæ Vrbanus Papa prædecessor noster Hugoni, quondam dicto Episcopo Sancti Andreæ, pro controuersia, quæ inter eum, & Venerabilem Fratrem Ioannem Episcopum vertebatur, sub excommunicationis interpositione mandauit, vt ad certum diem responsurus in iure, aspectui se apostolico præsentaret. Verum, quia conscius alienum suorum, & euentum iudicij reformidãs, venire cõtumaciter recusauit: Nos, & pro hoc, & pro aliis multis, quæ crebrescente fama, Ecclesia Dei scandalum pepererunt, ipsum ab Episcopatu S. Andreæ, de consilio, & assensu Fratrum, perpetuò iudicauimus apostolicæ Sedis auctoritate remotum, & ab vsu episcopalis officij, eò vsque suspensum, donec apostolica Sedes duxerit de ipso aliter statuendum; absoluentes à fidelitate subiectos, quæ ei tenebantur astricti. Sane quia vacantes Ecclesias diutius regimine pastorali carere, Sanctorum Canonum inhibent Sanctiones, Discretioni vestræ per apostolica Scripta mandamus, quatenus dilectos filios nostros, Capitulum S. Andreæ, ex parte nostra diligentius moneatis, vt sibi talem eligant Episcopum, & Pastorem, qui dignè possit episcopalis officij dignitate potiri. Specialiter autem eos, quantùm vobis possibile fuerit, inducere laboretis, vt memoratum Episcopum Ioannem, virum bonæ opinionis, & pro sui honestate nobis & Fratribus nostris acceptum, ad regimen, & prælationem illius Ecclesiæ, sine cuiusquam scrupulo difficultatis assumant. Quod si omnes his exequendis nequiueritis interesse, duo vestrùm ea nihilominùs exequantur. Datum Pisæ XVIII. Kalend. Februar. Indictione VI. Hactenus Clemens ad Abbatem, & Episcopos.

3. In eandem ferè formam scripsit Vuillelmo, Regi Scotiæ, Henrico Angliæ, atque vniuerso Clero Episcopatus S. Andreæ, quas omnes epistolas adducit idẽ Rogerius eodem loco. Verùm, quia Reges mitioribus remediis plerunque insolescere, nec facilè, cùm semel à recto deuiant, reduci possunt, nisi ductioni habenæ coërceantur; inolitam duritiem Guillelmi præcauens Summus Ecclesiæ Pastor, alias, eadem die, litteras dedit ad eosdem Legatos, addens, & ex Cistercio Neubothlensem Abbatem, insignem Virum, & quosdam alios, quibus, si resiliret à mandatis, per censuras compescere, interdictum in Regno fulminare aduersùs Regem, aduersùs Comiliarios, fautoresque anathema indicere: demum Santandræanam Ecclesiam, & Capitulum visitare, reformare, & tam in capite Ecclesiæ, quàm in membris, quæcunque corrigenda essent, corrigere, apostolica authoritate committeretur. Extant, leguntur que apud eundem Auctorem litteræ Pontificiæ ad Episcopos, & Abbates scriptæ, quæ ita habent b:

b *vbi suprà.* 4.

Clemens Episcopus, Seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Ioscelino Glascuensi, Matthæo Aberdonensi, & Richardo Moraviensi, Episcopis, & dilectis filiis Ernulfo de Meilros, & Hugoni de Neubothle, &c. Abbatibus, Salutem & apostolicam Benedictionem.

Ad ea, quæ respiciunt honestatem, & salutem pariunt animarum, quamuis absque monitis intendere debeatis, & diligẽtem operam, iuxta vestri officij debitum, tribuere vos credamus; vestram tamen diligentiam ad maiorem in his sollicitudinem exhibendam litteris apostolicis duximus exhortandam, vt eisdem operibus laude dignis tanto feruentiùs insistatis, quanto vobis salubrius erit in ipsis ad exhortationem apostolicam exactiorem diligentiam adhibere.

Constat vtique, quosdam Ecclesiarum Prælatos, cum his, qui scandalizati fuerint, debere pati, iuxta normam apostolicam, vtilitatem, & cum infirmantibus infirmari. Quantas verò persecutiones his temporibus sustinuerit Ecclesia S. Andreæ, quantas calamitates incurrerit, & pressuras; quàm etiam grauiter hactenus fuerit pertonbata sub ira indignationis regiæ celsitudinis, & quassata; insuper Venerabilis Frater noster, Ioannes Episcopus S. Andreæ, quot, & quanta pericula sustinuerit, & labores pro seruanda libertate Ecclesiæ sibi commissæ, & ei à nobis, & duobus nostris prædecessoribus confirmatæ. Cum ea omnia vobis sint manifesta, illa vestris auribus inculcare superuacuum videtur. Nunc igitur quamplurimùm expedire dignoscitur, vt de salute Regia, & statu præscripta Ecclesiæ reformando, atque pace ibi Episcopo conferenda, sollicitudinem geramus congruentem; & circunspectionem vestram ad ea omnia curanda, & promouenda à nobis roborandam esse putemus. 5.

Discretioni vestræ per apostolica Scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus post susceptionem litterarum nostrarum, conuenientes in vnum, sicut decet viros prouidos, & discretos charissimi in Christo filij nostri Vuillelmi Illustris Regis Scotiæ præsentiam adeatis, & 6.

eum

cum moneatis diligentiùs, & instantiùs inducatis, vt Episcopo memorato rancorem indignationis suæ remittat, & in hoc Romanam Ecclesiam, quæ Serenitati Regiæ iam longo tempore detulit, non contemnat; sed eius, & vestris monitis, prout Regiæ gloriæ conuenit, & saluti, sine dilatione salubriter pareat, & humiliter acquiescat; ac ipsum Episcopum præscriptum Diœcesim S. Andreæ in pace permittat habere, cùm ex debito Regiæ Dignitatis Ecclesias teneatur cum Pastoribus suis non dispergere, sed fouere; non contemnere, sed amare; non persequi, sed tueri. Quòd si monitis apostolicis in propria salutis periculum (quod absit) duxerit resistendum, in Regnum suæ Celsitudinis, & personam suam, & omnes fautores Regios nuncietis, interdicti sententiam infra viginti dies, sine appellationis obstaculo, authoritate apostolica à vobis promulgandam.

7. *Illos insuper, qui Hugoni obedientes extiterint, & ei fomentum in sua obstinatione dederint (postquam eum Sedes apostolica à Diœcesi S. Andreæ removit perpetuò, & excommunicationis sententiam in ipsum promulgauit) simili sententia percellatis, & publice nuncietis excommunicationi subesse tandiu faciatis, & ab aliis arctiùs euitari, donec ad mandatum Ecclesiæ reuertatur, absolutionis beneficium ab eodem Episcopo petituri: ad hæc Altaribus, & calicibus, in quibus iam dictus Hugo in excommunicatione positus celebrauit, purificationem, & sanctificationem, iuxta consuetudinem Ecclesiæ, conferatis. Ad Ecclesiam quoque S. Andreæ pariter accedatis, & Fratribus conuocatis in vnum, intretis Capitulum, & de ordine, & statu Ecclesiæ diligentiùs inquiratis; &, si quid in eadem Ecclesia per supradictum Hugonem immutatum inueneritis, vel statutum, authoritate nostra in statum debitum reducatis; & si quid in ipsa fuerit corrigendum, efficaciter studeatis id in melius reformare. Si verò (quod absit) aliquos ex Canonicis ad recipiendum humiliter; & deuote Pastorem suum prædictum, duros inueneritis, & rebelles, eos instantiùs moneatis, vt illi reuerentiam, & obedientiam Patri debitam exhibeant, & à maligno, atque damnabili proposito suo desistant. Quòd si contumaces extiterint, eos ab officio pariter, & beneficio suspendatis, & excommunicationis vinculo innodetis, quo ipsos faciatis manere ligatos donec monitis, & mandatis ecclesiasticis acquiescant. Quòd si omnes his exequendis interesse nequiueritis, reliqui ea nihilominùs exequantur. Datum Pisæ 17. Kalend. Februarij, Indictione 6.*

8. Hactenus litteræ seueriores Clementis Papæ, quas necessarias fuisse inde coniector, quòd nec post illas Ioannes Santandræana Sede potitus est; sed in sua permansit Dunkeldensi; non, quia ipse voluerit; sed, ne Regis cieret indignationem; quam primis ex mandatis incandescentem, non parum fuit vel ex parte cohibere. Euentum, idem Rogerius memoriæ prodit, hæc subdens verba: *Hit auditis, prefatus Rex Scotorum, tandem suorum consilio, & prece victus, supradictum Ioannem Episcopum in gratiam suam recepit, & concessit ipsum pacificè possidere Episcopatum Dunkeldensem, & omnes redditus, quos ipse ante consecrationem suam habuit: ea conditione, quòd ipse Ioannes quietum clamaret à calumnia sua Episcopatum S. Andreæ; qui licèt supradictis litteris Domini Papæ esset præmunitus; tamen in omnibus obediuit voluntati Regis, & quietum clamauit Episcopatum S. Andreæ, à calumnia sua in Dei, & Regis misericordia, sciens, quòd melior est buccella panis cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Hugo verò quondam dictus Episcopus S. Andreæ, degradatus, & anathematizatus Romam venit, qui data cautione standi iudicio Ecclesiæ, à Domino Papa clementer absolutus est. Sed paucis superuixit diebus; nam mense Augusti tanta extitit aeris corruptio Romæ, & in finibus eius, quòd multi Cardinales, & diuiores Vrbis, cum innumera plebis multitudine interierint; & ipse Hugo cum tota ferè familia sua; & Henricus Dolensis electus, cum familia sua, ibidem obierint. Rex autem Scotiæ dedit Episcopatum S. Andreæ Rogerio, filio Roberti Comitis Leicestriæ, Cancellario suo, præsente Ioanne Dunkeldense Episcopo, & non contradicente. Quo facto, omnia in pace quieuerunt.* Hactenus ille. Hic manfit exitus litigiosam æmulationem vtriusque Præsulis; alterius, meritis personæ, & causa confisi; altertius Regio fauore, & quæ non parum prodesse in rebus solet, propria audacia nitentis, atque versutia: quæ vt non prævaluerit, inualuit; atque æmulum, ne obtineret, impediuit.

Verùm, quod attinet ad Arnulfum Melrosensem, 9.
Virum insignem, & doctum, perspicuum est, & qui plurimùm non tolùm in Scotia apud Regem, & populum; sed in Ecclesia polleret authoritate. Thomas Demsterus scripsisse librum epistolarum ad Clementem Papam III. memoriæ prodit, dum ipsum inter Scriptores illustres Scotiæ numerat: *Scripsit* (inquit) *epistolarum ad Clementem tertium librum vnum.* Ex e lib. 3.
quo facilè licet coniectari, aut multa alia ab eo illi inuncta, quorum rationes librum implere possent; aut virum doctum, quod tunc multis in vsu epistolari stylo librum scripsisse, graui haud dubiè argumento, quem Pontifici summo dedicauerit. Hugonem etiam idem Author memorat, quin & discipuli eius Vuillelmi, & sub ipso Prioris, qui mox in Cupri Abbatem prouectus fuerit: *d Vuillelmus de Berne, Prior de Neubothle, & postea Abbas Cupri, vir insigni pietate, nec minori litteratura, religiosi vosi diligens obseruator. Scripsit de Vita Sancti Ioannis Scoti, nati in villa Podoen, prope Leyan, in Anglia; deinde S. Andreæ, Episcopi electi, lib. 1. Vixit ad annum M.C.LXXXVIII. Elegantem porrò illum vocat Scoti Chronicon lib. 6. cap. 40. Alia edidit, sed non extant; neque apices ad me venêre.* Hactenus occasione Hugonis, de Vuillelmo: nunc ad alia huius anni procedamus. d idem lib. 1.

Hoc ipso anno reuelatum à Deo lego cuidam Monacho Sancto Cisterciensi (dubium cuius Cœnobij) defectionem filiorum, mortémque imminentem Henrico, Regi Anglorum, per quem admonitus, vt non posset euadere (quis enim diuina decreta frustrare poterit?) saltem catholicè, & constanter præmuniretur. Narrat Rogerius nobilis Scriptor, in Annalibus Angliæ, totidem verbis *e eodem anno*, nempe e ad hunc an-
M. C. LXXXVIII. *quidam Monachus Cisterciensis, Vir Religiosus, & timens Deum, videt visionem huiusce-modi super Henricum Regem Anglia. Apparuit siquidem illi vir quidam magnitudinis mirę, decorus facie, vestibus albis indutus; & ait illi: Vade, & lege hæc de Rege: Leuauit signum meum super eum. Venter vxoris suæ immutescet contra eum: in tormento tormentum patiatur: & inter velatos velabitur.* Hactenus ille. Nec dubium, quin cui visio facta est, capessierit iussa, & quæ vidit Henrico patefecerit. Verùm quàm certa propheta ipsa euaserit, qualitérque Henricus ipse Rex destitutus à filiis, atque ab eis impugnatus, etiam à minimo, quem vnicè amabat, ex concepto dolore mortem obierit, anno sequenti, quo euenisse constat, more nostro dicendum reseruamus. f f cap. 2. n. 5.

1. *Hildegundis Ioſephi mira religio:* 2. *puritas inter viros vix vlli obnoxia tentationi:* 3. *quas alias graues paſſa.* 4. *In febrem incidit.* 5. *Natura vis,& confeſsio facta Priori,* 6. *vnà cum futurorum prædictione.* 7. *Detectus ſexus,* 8. *noménque inquiſitum,& ſepulcro impoſitum.* 9. *Demum Corporis ſanctis veneratio.* 10. *Addita Hiſtoriæ ex Bernardo Brito quædam:* 11. *& de antiqua memoria miraculorum.* 12. *Tum de ſcriptis in laudem Ioannis Baptiſtæ.*

CAPVT VI.

1. IAm felix tranſitus Hildegundis, ſacræ Virginis, ſub nomine Ioſephi latentis in Sconaugia, hoc nobis venit anno referendus; quippe biennio, quamuis nondum integro, exacto in Religione, quam anno M. C. LXXXVI. circa finem ipſius ingreſſa fuiſſet. Ergo [a] *Ioſeph monachali ſuſcepto habitu* (alt Author, qui eius Vitam ſcripſit) *omnia generoſi tyronis Chriſti officia magno, & virili animo explebat, curabat, ſtudebat, laborabat: & quia litteris leuiter tantum imbuta erat, tradita fuit vni ex Religioſis doctiori, qui Vitam ipſius poſteà aliorum regulam conſcripſit.* Itaque hic idem Author, quem deſcribimus, litteris erudiendam ſuſcepit virginem, quo maior illi fides tribuenda ſit in his, quæ de ea narrat: quippe oculato teſti, vel quæ non vidit non aliunde haurienti, quàm ab ipſa Hildegundi eius diſcipula. Cæſarius manum miſiſſe ad fortia [b] narrat, atque vt ſummum miraculum perpendit, quòd fœmina inter viros conuerſata, virum non ſolùm neſciuit; ſed nec aſpexerit leuiter, quantùm ex actibus eius exterioribus, quantùm ex confeſſione potuit colligi.

a apud Raderum.

b lib. 1. cap. 40.

2. Pergit eius Magiſter apud Raderum: *Biennium ita propè totum exegit, omnibúſque ſingularia puderis, & modeſtiæ, virtutúmque omnium documenta ſuo exemplo dedit. Nec vllum virginitatis periculum vnquam adiit, quòd Deus eam ex parte oppugnari fortè non permiſerit, cùm ſe, theſaurumque ſuum totum Deo conſecraſſet.* Sic Author ille. Verùm Cæſarius addit in ſuis Dialogis: cùm ab Apollonio fuiſſet inquiſitus, an aliquas tentationes ex hominũ cõſortio perpeſſa fuerit: *De eius tentationibus nihil audiui, ſed quòd aliis fuerit cauſa tentationis, ſatis intellexi.* Adducitque cuiuſdam Fratris dictum, cùm iam Ioſephus morti appropinquaret, quod mox ſubiungam. Atque hæc quidem de illis tentationibus, queis fœmina inter viros obnoxia naturæ debito. Verùm de aliis, in quibus fortè, quòd minùs graues eſſent, minùs præueniebatur, audi, quod ſequitur [d]:

c ibid.

d apud Raderum.

3. *Ab alia parte tamen* (Monachi eius Magiſtri verba ſumo) *circa finem ſecundi anni, vſque adeo graues hoſtis Tartarei inſultus eſt paſſa, vt omninò de deſerendo Cœnobio, & abiicienda religioſa veſte deceneret. Et iam tertiò ad portam deſcenderat, vbi Monachum exueret, & erumperet, cùm ſubitò (diuinitus opinor) magno inteſtinorum dolore afflicta, magnam etiam vim ſanguinis profudit: quare adeò fracta eſt, vt ad lectulum relata, in dies magis, ac magis deficeret.* Hactenus ibi, vt non difficile Hildegundis experiretur, nihil ſibi arrogandum, nihil fidendum. Quippe, quæ Chriſto duce, & adiutore, magna, & ardua, imò & ſoli naturæ impoſſibilia, nulla difficultate ſuperaret: ſibi relicta cedere leuiſſimis, & niſi repentino illo dolore præueniretur, etiam ſuccumbere, minùs dubitauerit.

4. Agebatur initium Quadrageſimæ, cùm Hildegundis ſanguinis profluuio, ſed multò magis intentatæ fugæ dolore in ſe ipſa tabeſcens, *accerſito Magiſtro ſuo, ſtatum vitæ vltimum expoſuit, atque de peccatis omnibus per confeſſionem expiandis, graniter admonetur. Paratamſe reſpondit eſſe ad omnia.* Crediderim tunc virginem tractaſſe de votis factis, quæ hactenus aliqua vrgenti occaſione dilata eſſent. Neque enim poſt emiſſa deliberaſſet egredi, quæ leuiſſima tantùm peccata, cùm morti approximaret, confeſſa fuit, vt ſtatim ſubiungam. Neque verò ſemel experta fragilitatem, differret remedium, ad quod de Cœlo ſubitò illo accidenti compelleretur. Pergit Cæſarius ad deſcribendam mortem factæ virginis, ſimul & vim naturæ, & ſexus in ſexum, ob quam non iſthæc in exemplum tradere licet.

5. *Cùm appropinquaret tempus reſolutionis eius, cœpit infirmari: & cùm præ nimia debilitate ad lectum ſuum portaretur, Monachus quidam eam inuenit, iuxta ſe ſtantibus clara voce dicebat: Homo iſte, vel fœmina eſt, vel Diabolus: nunquam illum reſpicere potui ſine tentatione. Et ſatis probatur ex hoc loco, quòd fortis ſit vis naturæ. Vocatúſque Priorem, cùm ei peccata quædam lenia confiteretur, & ille interrogaret, ſi vnquam aliquam cognouiſſet mulierem, reſpondit illa: Nunquam, Domine, reus fui alicuius mulieris, ſiue viri; hoc adiiciens propter ſexum. Deinde recitauit ei per ordinem, eo modo, quo prædictum eſt, vniuerſa, quæ circa ſe acta ſunt, tacito ſexu.* Ita Cæſarius, cui conſonat per omnia Author Raderi. Cæterùm, qualiter Priore negante fidem his, quæ a Ioſepho audiebat, ipſe diem, & horam, & circunſtantias imminentis iam mortis prophetauit, atque ipſam prophetiæ impletionem veritatis aſſertæ teſtem induxerit: ſolus Cæſarius ſubiungit totidem verbis:

6. *Priore ſtupente, ac dicente: Frater, quæ loqueris, fidem excedere videntur; & quo argumento probare potero illa eſſe vera? Reſpondit puella: Hodie biennium effluxit, ex quo Angelus Domini pendenti mihi, diem reſolutionis meæ prædixit. Scio, cui credidi, fidem ſeruaui, curſum conſummaui: de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Si ea feria, qua prædixi, ante obitum meum, non depoſuero officium lingua, in ſpatio vnius Miſſæ legendæ, non mihi credatis. Et adiecit: Cùm defuncta fuero, apparebit in me, vnde ſtupeatis, & diuinæ virtuti gratias meritò referatis. His dictis, quarta feria hebdomadæ Paſchalis, 12. Kalend. Maij, anno Dominicæ milleſimo, centeſimo, octogeſimooctauo, Sole tendente ad occaſum, ſancta illa Anima de corpore virgineo egreſſa migrauit ad Dominum.* Hic felix tranſitus Virginis ſanctiſſimæ, hic finis vitæ admirabilis per omnia, atque in ipſa laudabilis, quippe ab Spiritu Sancto in cunctis acta; ſed admirabilis, laudabiliſque, non imitabilis.

7. Nunc, quæ obitum ſanctum ſequuta ſint, qualitérque abluendum corpus, nudatum reuelauerit ſexum, cunctis ſtupentibus, ex eodem Authore referamus: *Percuſſa tabula, cùm tam Abbas, quam cæteri Fratres ad eius exequias conuoluſſent, & corpore exportato ad lauandum, detectum fuiſſet, ſexus fœmineus apparuit. Tunc omnibus in ſtuporem verſis, miraculi nouitate, nunciatum eſt Sacerdoti commendationes legenti: qui cognito ſexu textum mutauit, & pro Monacho Monacham, & pro Fratre Sororem nominauit. Poſteà cùm breuia pro ea ſcribenda eſſent, & nomen eius ignorarent, ſub tali forma ſcripta ſunt. 12. Kalendas Maij, obiit ancilla Chriſti in Sconaugia.* Ita Cæſarius. Author Raderi ex faſcia pectorali, qua vberum tumorem coërcebat,

coërcebat, detectum sexum: tum quatuor senes ab Abbate missos, prodit, qui veritatem hauirent, simul & proderent. Et tandem subiungit: *Referunt, certò esse fœminam. Concurritur vndique, ploratur, Deoque simul gratias aguntur, qui tales gemmulas, ac thesaurum Religiosis Sconaugiæ, quasi custodiendum credere voluerit, quem ipsi tamen ante Virginis mortem, apud se latere nescijssent. Cum omnium stupore, gaudioque confuso lacrymis, honesto tumulo commendatur.*

8. Fœmineum nomen cùm ipsa non prodidisset, ne sexum proderet, diu in Sconaugia mansit incognitum. Author Raderi ex Nouesiano Cœnobio Virginum, cui Agnes soror eius nomen dederat. Cæsarius ex Colonia vrbe exceptum prodit; sic enim ait: *Elapsis aliquot diebus, cùm Fratres nomen illius Beatæ scire desiderarent, miserunt in viciniam Colonie, vnde se oriundam dixerat: & cum studiosè circumquaque de eius cognatione inuestigarent, manu diuino inuenta est quædam anus, quæ se eius cognatam fuisse diceret, asserens eam Hildegundem vocatam.* Tunc verò cognito sacræ Virginis nomine, tale epitaphium sepulcro eius incisum, idem Author vulgauit, versibus haud incomptis, pro more sæculi:

Omnis homo miretur; homo, quid fecerit iste:
Hac, cuius fossa cineres inclusit, & ossa:
Mas viuens paret, moriens sed fœmina claret:
Vita fefellit, morsque refellit rem simulatam.
Hildegum dicta, vita est in codice scripta:
Maij bissenis est hec defuncta Kalendis.

9. Pergit Cæsarius de eodem sepulcro Virginis: *Cùm autem ante hos annos conscraretur nouum Oratorium in Sconaugia ex diuersis Prouinciis ad dedicationem populi confluentes, & præclaras Beatæ Hildegundis virtutes audientes, tumulum eius frequentauerint; matronæ maximè, sanctis eius orationibus se commendantes, Deúmque super tantis mirabilibus glorificantes. Et nos, Fratres, cum illis gratias referamus Saluatori nostro, qui hæc fieri voluit nostris temporibus in Ordine nostro, ad gloriam suam, & ædificationem nostram, qui viuit, & regnat cum Patre, & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.* Hæc Hildegundis, Iosephi dictæ Historia, Monachi in Sconaugia, quam suis inserendam Martyrologiis, ipsa, qua obiit die, Ioannes Molanus, Arnoldus Vvionius, Hugo, Menardus, aliique putarunt.

10. Præter Authores hactenus citatos, qui Beatæ Virginis Vitam scripserunt, Bernardus Brito [e] producit tertium alium, Hermeum nomine, à quo iam nubilis, sponsóque tradenda, fugisse dicitur, si posset, integram se Deo conseruatura. Tum designatum sponsum sacræ Virgini, quæsiuisse per Orbem sponsam profugam; sed nunquam inueniendam, etiam inuentam. Quippe Hildegundis, cùm fugisset veste virili, sub qua faciliùs quærentes fallere posset, sub eadem in Sconaugiæ Monasterio ad Habitum monachalem suscepta est, celerem in eo mortem, seu veram magis vitam præstolatura. Sponsus porrò, cùm diu, & multùm quæsitam per alia loca, nequaquam iam speraret, inuentam iri, seu tædio vitæ in sæculo agendæ sine Hildegunde, quam ardenter amaret, siue æterna suspirans, quæ non his lusibus fortunæ subiacerent; idem fertur, adiisse Monasterium, in quo non minùs in Nouitium susceptus, & ab Hildegundi agnitus; sed nequaquam agnoscens Virginem sacram, dudum cum illa conuersatus est, ac si cum alio Nouitio conuersaretur. Sic non solùm fugientem non inuenit; sed neque inuentam, quoadusque post mortem detecto sexu, collatisque, quæ ab ipsa antè audiisset, tum primùm se inuenisse cognouit, cùm iam amiserat. Hæc, vt certò affirmare temerarium, sic omittere incuriosum nimis foret. Certè, qui Vitam huius beatæ Virginis sub humanis figuris stylo Comico iterum præsentandam exhibuit oculis hominum, hanc partem Historiæ aptissimam theatro, nequaquam sibi censeret omittendam, si aut inuenisset, aut veram reputasset, repugnantem aliàs antiquæ Historiæ, quæ nomen Virginis mansisse ignotum, tradit, per multum tempus.

11. In aliquibus Sanctorum Cistercienſium antiquorum Catalogis, & ante professionem obiisse, (dilatam fortè ob morbum, in quem statim incidit,) & miraculis claruisse post mortem fertur, verbis, quæ idem Bernardus Brito promit, atque ex ipso Henriquez, & nos etiam habemus in Manuscripto [f]: *Hildegundis in Sconaugia, quæ sub habitu virili se Fratrem Iosephum nominans, Nouitium impollutum Deo reddidit spiritum; & multis claret miraculis.* Ioannes Trithemius in Chronico Hirsangiensi Virginem sanctam memorat, sed citato Cæsario, nec aliunde mutuatus, quæ sibi tradit. [f] *in Menologio.*

12. Philippus Seguinus claruisse etiam stylo, versa oratione, atque ingeniosa carmina edidisse, præcipuè in laudem Præcursoris Christi, cui præ cæteris Sanctis adhærebat, testis existit. *Ingenio*, ait, *subtilis* (scilicet, Hildegundis) *Ioannis Baptistæ laudibus declamandis prorsus addicta, quadam haud spernenda lectionis Opuscula metro conscripsit, vtpote de eius annunciatione, natiuitate, & parentum exultatione. Denique carmine etiam prosequuta est quicquid legerat de illius sanctitate.* Hactenus ille. Nec plura nos de Hildegunde. Nunc, quia Germaniam semel ingressi sumus, de Hemmenrode, & quod hoc anno ex eo processisse constat, Heisterbach Monasterio, pauca dicamus.

---

1. *Heisterbacensis Monasterij initia:* 2. *Fundator Philippus, Archiepiscopus Coloniæ.* 3. *Præcedens visio,* 4. *& illius interpretatio,* 5. *ad minima, & singularia etiam descendens.* 6. *Quid in itinere.* 7. *Quid demum in loco Fratribus.* 8. *Illustrant Domum duo frusta Ligni Dominici:* 9. *dens Præcursoris:* 10. *Thebæorum Martyrum,* 11. *& Vrsulæ, Sociarúmque exuuiæ sacræ.* 12. *Quædam aliæ notitiæ eiusdem Domus* 13. *Chronologia:* 14. *& de Trasouares Cœnobio Virginum.* 15. *Martinus Seguntinus, Legatus Regis,* 16. *Abbatiæ Huelguensi imperium in alias impetrat.*

CAPVT VII.

1. LAVDANT annum fundationes Monasteriorum, inter quas Heisterbacum prima Domus in Chronologia hoc anno prætermissa; sed à Venerabili Cæsario illius Monacho tam exactè descripta, vt non possit non aliis anteponi. Et quidem, quod ad rationem temporis attinet, capite primo primæ

mæ distinctionis, cùm Claustri, siue Hemmentodensis Domus initia, vnde Heisterbacum prodiit, anno M.C.XXXIV. commemorasset, subdit de propria Domo Heisterbacensi: *Deinde anno millesimo centesimo octogesimooctauo, sextodecimo Kal. Aprilis, Conuentus noster exiuit de Claustro cum Abbate suo Hermano, & vndecimo Kal. eiusdem mensis, venit super montem Stromberg. Postea quarto anno descendit in vallem, qua nunc dicitur Vallis Sancti Petri.* Ita Cæsarius de prima fundatione, & translatione Cœnobij Heisterbacensis. Itaque Hermanus Hemmentrodensis Prior, quem suprà memorauì, in Abbatem electus noui Cœnobij, hoc ipso anno Martij 16. de Claustro cum Conuentu suo discedens, in die Sanctissimi Patris Benedicti, peruenit ad locum, vbi nouа Abbatia erat fundata.

1. Fundator Domus Coloniensis Archipræsul, Philippus nomine, eximiæ laudis Vir, & qui relictis insulis, vt affirmat Cæsarius, absque dubio ad Cisterciensem confugisset, [a] *Si non a quibusdam Abbatibus eiusdem Ordinis dissuasus esset, scientibus vitam eius esse sanctissimam, & personis saecularibus (sicuti omnibus) valde necessariam.* Idem ipse Cæsarius Author est, cùm à quibusdam Prouincialibus à condendo Cœnobio retraheretur, reddidisse responsum, viro dignum; sed & obuter Cistercio glorioſum [b]: *Vtinam*, inquit, *esset in qualibet Villa Diœcesis meæ Conuentus Iustorum, qui & Deum ingiter laudarent, & tam pro me, quàm pro mihi commissis orarent! puto, quia tunc melior multò esset status Ecclesiæ meæ, quam modo sit, nulli nocerent, cùm multis prodessent, aliena non rapiunt, cùm sua omnibus impertiantur.* Locum, cui primum Monachi insederunt, Augustinianos priores incoluisse Longelinus affirmat [c], producto Cælestini, Papæ II. diplomate, expedito ante annos XLV. quo *dilectis filiis Vualtero, Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Stromberg Præposito, eiusque Fratribus, tam præsentibus, quam futuris regulariter in perpetuum substituendis*, indulget, *vt Ordo canonicus secundum Sancti Augustini Regulam perpetuis ibi temporibus inuiolabiliter obseruetur*, &c. Subdit nihilominùs, an dicti Regulares, vsque ad nostrorum Monachorum aduentum illic perstiterint, & venientibus cesserint; an loci penuria, sine vllo alio accidenti antè discesserint, non se inuenisse, quanuis hoc vltimum probabilius sibi appareat.

3. Fundationem admiranda visio præcessit Hermano Abbati facta, cùm adhuc Monachum in Hemmentrode ageret, in qua futura omnia illi ostensa [d]: *Diu antequam Conuentus noster de Claustro emissus fuisset, Dominus Hermanus, nunc Abbas loci Sanctæ Mariæ, tunc simplex Monachus in Claustro, nocte quadam per visum, ante gradum Presbyterij sibi stare videbatur, & datus est ei in manus Crucifixus, vt fieri solet in emissione alicuius Conuentus: stabant & circa eum viri candidati. Vidit etiam in choro fluuium limpidissimum, qui per vtrunque chorum fluebat, & in eo nauim, quam conscendens, cùm tam rapidissimus esset cursus eius, vt nauis in vnam columnarum impegisset, nisi per remonem, eius industria fuisset auersa; non stetit, donec veniret ad locum quendam Infirmitorio nostro proximum. Venerunt & cum eo supradicti viri candidati: tunc ossa arida humana cum capitibus ex omni parte, mirabili quadam virtute à deforis vltra murum cadebant; erant enim, vt Ezechielis visionis recordor, nimis valde. Stante Conuentu inter montem Stromberg, & iam dictum locum, Saluator, qui inter eos stare visus est, vnum ex Monachis durè satis retraxit, alium molestius amouens, seorsum stauit. Ecce talis fuit visio.* Ita Cæsarius.

Portrò visionis interpretationem ex euentu deductam, idemmet Author exponit eodem capite: *Deus*, inquit, *illi præostendit, qua futura erant de loco nostro, tunc quidem obscura, modo plana valdè. Dominus Philippus, Colonienſis Archiepiscopus, sciens Ordinem vigere in Hemmentrode, & de illo limpidissimo fluento aridi tatem sua Diœcesis irrigare desiderans, de eadem Domo Conuentum sibi dari petiuit, & obtinuit: electi sunt ex Monachis duodecim, & praditus Hermanus in Abbatem eis ordinatus est, qui ante gradum Presbyterij, vt longè ante præuiderat, Crucem suscipiens, cum eis per nauigium venit in montem Stromberg, in quo tribus annis commorati, descenderunt in vallem, qua nunc dicitur, Vallis Sancti Petri, illic muro, de quo suprà dictum est, se claudentes, ossa illa arida desiguant homines saeculares spiritualis gratiæ immunes, qui in valle conuersi sunt ad vitam religiosam.* 4.

Fluuius, qui per Oratorium cum impetu fluebat, significat Domus eius religionem, qua clara est per puritatem traditionum, & impetuosa per feruorem obseruationum. Quod nauim à columna auertit, sine causa non fuit! nam, cùm Conuentus super præfatum venisset montem, & multa necessaria deessent, quidam veniscentes ædificiorum, & aliorum multorum, qua dimiserant, murmurantes vellent redire, Dominus Hermanus Abbas, cùm semel, ac secundò de perseuerantia eos monuisset, nec proficeret; quasi temone nauem à columna submouens, ait: Cessate, state: nullus nostrum reuertetur: ego autem temonem abieci. Is autem, quem durè retraxit Christus, cum aliis quidem scriptus fuerat, & nominatus. Sed subsequentis importuna petitione submotus, ipse est Ioannes Sacerdos, quem Dominus modestè exirahens, seorsum stare fecit: cum Conuentu emissus, cum Conuentu non stetit, quia per licentiam extortam remissus est. Hæc est visionis interpretatio, secundum quod ab ipso didici Abbate Hermano. 5.

Hæc, & similia præcesserunt fundationem noui Cœnobij: fortè vt Hermanus præuentus tali visione fortunis resisteret, aliàs retrò cesturis. At neque in ipsa via defuerunt signa, quæ struendæ Domus gloriam prænunciarent. *Nauigantibus ei in Rheno, sicut adhuc omnes, qui ex eis viuunt, testes sunt, videre sunt supra se in Cælo circulum lucidum, & septem in eo Soles.* Portrò hanc item visionem Cæsarius pandit. *Per circulum*, inquit, *eundem, intelligo aternitatem Sancti Spiritus: per septem Soles, septem eius dona, quibus bono exemplo eiusdem Congregationis Prouincia erat illuminanda.* Ita Cæsarius eiusdem Domus Monachus. Atque hoc initium surgentis Monasterij sub Sanctissimo Abbate non multò pòst ad Claustrum reuocando. 6.

Cæterùm, quot, ac quantas tribulationes iuxta Hermani visionem, insurgentes sub his initiis, per eius fidem Deus, constantiámque in prospera verterit, explicans apostolicæ nauis tempestatem, dormiente Christo, quam mox tranquillitas magna sequuta est, idemmet Author sic alibi narrat [e]: *Cùm Conuentus noster vocatus a Domino Philippo Colonienſi Archiepiscopo ascendisset in montem Stromberg, quasi in naticulam cum Domino, tantus motus excitatus est in Prouincia, non solum à militibus, & rusticis; sed etiam ab ipso Comite, vt necessitate compulsi Fratres eidem permitterent, quod nulla bona ipsius Aduocatia pertinentia, contra eius voluntatem compararent. Et cùm, huiusmodi fluctibus inter se collidentibus, naticula periculosè quateretur, verbis animodum duris Abbatem suum Dominum Hermanum, qui adhuc superest, supius excitantes dixerunt: Salua nos, perimus. Sine, vt reuertamur: quia in hoc loco minimè subsistere poterimus: tanta* 7.

[e] *homilia 4. Dominicali.*

Digitized

tanta nos premunt aduersitates, tanta paupertates, vt fides in nobis nutet. Ipse autem dormiebat. Quid? iam dictus Abbas: importunas Fratrum querimonias, & de reditu sitasiones dissimulando. Et sicut ipse mihi retulit, cùm iam de perseuerantia desperassent; & quotidie illum de reditu molestarent; ipse cum quadam authoritate surgens, pusillanimitatem eorum compescuit, dicens: Quid timidi estis, modicæ fidei? Cessate, cessate: quia nullus vestrum redibit. Confidite, quia Dominus orationibus vestris excitatus, citiùs quàm putatis, imperabit ventis, & mari, & fiet tranquillitas magna. Quod post annos paucos impletum est, non sine admiratione multorum. Ita Cæsarius in Dominicalibus.

8. Heisterbacum, seu Vallem Sancti Petri, inter alia illustrant sacræ Sanctorum exuuiæ pretiosissimæ: dens molaris Sancti Ioannis Baptistæ: duo corpora ex sociabus Sanctæ Vrsulæ: integrum corpus, alteriúsque dimidium Martyrum Thebæorum; & duo frusta de Ligno Crucis Dominicæ; quas omnes, vel per reuelationes comprobatas, vel per miracula, quia de tempore certo mihi non constat, in præsenti censui referendas. Et quidem primùm de frustis Ligni Dominici, id tantùm ab eodem Authore notatum video [c]: alterum ex Apulia illuc transmissum, quòd nigri erat coloris: alterum de Ecclesia Sanctæ Sophiæ apud Constantinopolim sublatum, quod est subrubrum, Henrici de Hulme dono obtentum esse. Eiusdem porrò Henrici de Hulme dono obtentus est dens S. Ioannis Baptistæ, de quo hæc idem Author in alio loco [f].

[c] lib.4.c.30.

[f] lib.8.c.54.

9. *Est apud nos dens molaris, & magnus eiusdem Præcursoris, tria habens cornua, qui quàm ad nos deuenerit, & quid per illum apud nos operatus sit Dominus, tibi recitabo. Cùm vastata fuisset ciuitas Constantinopolitana à Cruce signatis, & diuersi diuersa diripuissent, Henricus miles de Huelme inter reliquias pretiosissimas, etiam iam dictum dentem Sancti Ioannis tulit de Ecclesia Sancta Sophia: quem reparians in tantum dilexit, vt in castro suo Oratorium ædificaret: ibi eum volens condere in Altari, quod germana eius, Magistra in insula Sancti Nicolai, propter affectum, quem habuit, & habet erga Domum nostram, dissuasit; sed tunc persuadere non potuit: qui post breue tempus, à Vuernero de Bonlant captus, spe orationum nostrarum, iussit eum nobis transmitti. Interim cuidam Sororum prædicti Cœnobij in somnis ostensum est, quod quam citò dens veniret ad locum nostrum, tam citò Henricus esset liberandus: quod ita factum intelleximus. Prior noster, per quem transmissus est, in flumine Rheni, illius beneficio maximum euasit periculum. Henricus Comes Seynensis, habens militem honestum, sed mente captum, cum eo ad nos venit, sperans illum, tum virtute reliquiarum, tum beneficio orationum nostrarum, posse sanari; qui dente sacratissimo signatus, & tactus, tam cœlestem virtutis eius sensit effectum, vt vix ad iactum baculi de Monasterio progrediens, se sanatum gratularetur.* Ita Cæsarius in libris Dialogorum, quæ eadem in homiliis fusiùs reperit [g], vbi & se etiam pro eodem dente missum prodit.

[g] de infant. Saluat. 14.

10. Cæterùm de Martyribus Thebæis, quorum ibidem Reliquiæ venerantur, hæc habet alibi [h]: *Quando renouata est Ecclesia Bonnensis, quorundam Martyrum corpora ex sacra legione Thebæorum illic reperta sunt: ex quibus cùm vnum corpus integrum, & præterea pars alterius Martyris nobis data fuisset, cuidam adolescenti talis de eis visio ostensa est. Videbatur sibi in somnis stare iuxta scrinium earundem Reliquiarum; cui, cùm quidam diceret: Nosti, quid in isto scrinio contineatur? & Monachus responderet: Etiam: corpus Martyris nostri, ille subintrauit: Falleris: nam vir vnus, & dimidius in eo iacent. Quod vsque ad illud tempus omnes nos latuit. Tanta autem virtutis sunt eadem sacra ossa, vt aqua superfusa variis infirmitatibus sit medela: maximè tamen sanat tumores, ac inflationes.*

[h] lib.8.c.65.

Demum de duarum Virginum corporibus hæc habet [i]: *Sunt apud nos de eodem sacro Collegio duæ sacræ Virgines, etiam per reuelationes inuentæ. Domina Euphemia Abbatissa, quæ ante annos paucos defuncta est, cùm adhuc puella esset in scholis, duæ ei Virgines in somnis apparuerunt, quæ sub extrema parte Dormitorij, quod cellario continuum erat, se indignè iacere conquestæ sunt. Illa, sicut puella, visum, vt visum reputans, tacuit: postea cùm esset adulta, secundò ei, loco eodem, sub forma & habitu speciosissimarum Virginum cingulo tenus apparuerunt: quasi dicerent: Exire de loco isto non possumus, nisi per te. Tunc memor primæ visionis, eam, quæ potior videbatur, interrogauit dicens: Quod est nomen tuum? Respondit illa: Anastasia. Ab illo tempore Eufemia importuna importunè Conuentui cœpit suggerere, quatenus cellarium vsque ad finem Dormitorij extenderet, dicens sine ambiguitate, duas ibi Virgines esse reperiendas: pollicebatur etiam, quòd tres solidos communibus expensis superadderet. Acquieuit tandem Conuentus: & sicut mihi retulit Rembodo Conuersus noster, cui idem opus fuerat commissum, cùm terra tota fuisset ejecta, in præsentia prædictæ Sanctimonialis, sub fundamento muri, sacra illa duo corpora sunt reperta: quæ illa, priusquàm Abbatissa fieret, nobis transmisit, & celebrata est de eis eodem die Missa solemniter in Conuentu.* Hactenus de Reliquiis. Claruit præterea Heisterbacum, seu Vallis Sancti Petri viris sanctissimis, quos suis locis, in tempore reddemus.

[i] lib.8.c.86.

11.

12. Memorabatur Heisterbacum sub recentiori Vallis Sancti Petri nomenclatura in litteris Gregorij Papæ IX. ad Conradum Legatum, Cardinalem Episcopum Portuensem, datis Laterani Nonis Maij, Pontificatus ipsius anno VIII. Itémque in aliis eiusdem Summi Pontificis ad Præpositum Colonien sem, Laterani item datis, Idibus Februarij, Pontificatus ipsius anno vndecimo; & in his vltimis non Vallis Sancti Petri, sed Sancti Petri de Valle cognominatur. Est & aliud Cœnobium eiusdem nominis, Ordinis Carthusiani, cuius in epistolis Ioannis Sarisberiensis frequens mentio; & ad cuius Priorem Engelbertum epistolæ 161. 162. & 163. scriptæ leguntur.

13. Sequuntur fundationes Cœnobiorum, quæ Chronologia hoc anno constructa prodit, sequenti ordine:

Anno M.C.LXXXVIII. tertio Idus Nouembris, fundata est Abbatia Vallis crescentis.

Eodem anno, quarto Kalendas Decembris, Abbatia de Campania Cenomanensis.

Eodem anno Abbatia de Aulisbure.

Eodem anno Abbatia de Pometriuia, seu Carcasola.

Eodem anno Abbatia Vallis Sanctæ. Sic Chronologia, de quibus singulis aliquid dicendum. Vallem crescentem in Diœcesi Diensi protulit Bonavallis Viennensis, vltimam inter filias, vt habent Tabulæ Cistercien sium Ecclesiarum. Memoratur in litteris Innocentij Papæ III. Abbati eius, cum Episcopis quibusdam, causa commissa, super inquisitione

firiene virtutum, miraculorúmque Venerabilis Stephani, Episcopi Dienſis, vt Canoni Sanctorum adſcriberetur. Datis Laterani, 17. Kalendas Ianuarij, Pontificatus ipſius anno ſeptimo. Campaniam Cenomanenſem, filiam Sauigniaci, in Tabulis Eccleſiarum Claræuallenſium notatam lego. Sed eam tradidimus anno M. C. 21. cum Chronologia, vt niſi alia noua, & diuerſa ſit, quam tamen ignoramus; non vltra nobis veniat repetenda. Sic Pontem Tribiæ ſuperius adnotauimus. Nec auſim dicere, cui magis anno congruat. De Aulisburg omninò nihil habeo: at Vallem ſanctam in Gallia Narbonenſi Aptenſis Diœceſis, in linea Morimundi, filiam Syluæ Canæ notatam lego. Aliis non Syluæ Canæ filia, ſed Syluanenſiæ: neque in Aptenſi, ſed in Valentina Diœceſi ſita, atque ante octo annos orta notatur.

14. His quinque virorum fundationibus addenda ſexta in Hiſpania ſacratum Virginum, cui Traſovares (ſumptum ex loco) nomen: Fundator Alphonſus Aragonenſium Rex: prima Abbatiſſa Toda Ramirezia, ex prima illius Regni nobilitate. Viſitatio, atque ius paternitatis penes Archimandritam Verolæ fuit. Hæc ſumma fundationis Reginæ Domus, ſimul cum inſtrumento fundationis, quod ita habet:

Ego Alfonſus, Dei gratia Rex Aragonie, Comes Barchinonenſis, & Marchio Prouincie, dono, laudo, & concedo per me, & per meos Domino Deo, & Eccleſie B. Marie, & Beato Ordini Ciſtercienſi, & vobis Domine Tote Ramirez, & Sanctimonialibus vobiſcum ibi venientibus, ſiue poſtea futuris, in ſalutem anime mee, omniúmque Predeceſſorum meorum, villam illam, que nuncupatur, Tras obares, ad edificandum ibi Religionis Monaſterium, & conſtruendum, cum omnibus iuribus, & pertinentiis, &c. ad meliorem veſtrum intellectum, & cum omnibus illis que ibi inſtè, & rationabiliter acquirere poteritis. . . . . Preterea recipio ſub ſpeciali protectione, & defenſione, atque ſecura cuſtodia mea vos, cum omnibus honoribus, & poſſeſſionibus, & rebus veſtris mobilibus, & immobilibus, vbicunque in terra noſtra conſiſtam. Qui contra fecerit, iram noſtram incurret, & damno reſtituto, & emendato integrè, mille marabetinos pectabit, & etiam non confidat de ſuo corpore. Mando igitur fortiter, & ſtrictè omnibus meriniis, & Baiulis, vt omnes res veſtras, vt proprium meas, manu teneant, & defendant. Datum apud Oſcam menſe Nouembri, Æra M. CC. XXVI. Hactenus inſtrumentum fundationis. Extat & aliud donationis eiuſdem Regis eidem Totæ Ramirez iam Abbatiſſæ poſt triennium expeditum, quo duos Saracenos ipſius ſeruos, Mahazot Almothaal, & Hali Almothaal fratres, Cœnobio donat; *cum omnibus ſarudzatibus, atque poſſeſſionibus ſuis, tam mobilibus, quam immobilibus, vt de inceps a poteſtate Regis exempti, eſſicerentur propry homines eiuſdem Abbatiſſe, atque Monialium,* &c. *Datum apud Cæſarauguſtam, menſe Iunio, Æra M.CC.XXIX.* Hoc Monaſterium Hieronymus Blanca cum Monaſterio de bona via confundit perperam: fortè occaſione vnionis poſt multos annos ex vtroque factæ; ſed reuera ex vtroque: atque omninò diuerſa intra conſtabit [k].

[k] anno M. CC. XII. c. vltimo.

15. Hoc item anno Alphonſus, Caſtellæ Rex, quæ pro ſuo Huelgenſi Monaſterio mente conceperat, cùm primum potuit, effectui mancipauit, miſſo ad Ciſtercij generalem Synodum Epiſcopo Sigontiæ, Beato Martino, cum litteris Abbatiſſarum, & Abbatum vtriuſque Regni, & Caſtellæ, & Legionis; illarum, quæ conſenſum adoptioni ſponte præbebant: (quid non facile reddat regius fauor?) horum, qui integrum ius maternitatis ſuptæ alia Monaſteria Huelgis peterent, & noua quædam alia ſuperadderent: quæ quò maiora, & hactenus non viſa, maiorem eis conciliarent authoritatem. Ergo Martinus, Legatia inſigni functus, & ſiue ad eam obeundam tantùm miſſus, ſiue ipſe alias Ciſtercium ex more adiens, atque obiter Legati munus adimplens, & ad Synodi Patres potenter orans, fœmineo imperio ad Huelgas initum dedit. Quippe eo audito, tum Guido Abbas, tum cæteri Abbates, & Capitulum, tam in Regis obſequium, vt fatentur, quàm in tanti Legati reuerentiam, quod bis inculcant, quantumuis magna, quantumuis difficilia, poſtulata indulſerunt libenti animo: litteris expeditis apud Ciſtercium, quas ex Archiuiis eiuſdem Monaſterij, ab eruditiſſimo, clariſſimóque Vito, nec minùs iuris, quàm totius antiquitatis peritiſſimo, Domino Ægidio Ramirez de Arellano, Regio olim Conſiliario in Supremo Caſtellæ, & in ſecretiori, ſacratiorique Senatu, quem vocant Cameræ, fideliter excerptas, hodie in inſigni M. S. Bibliotheca Comitis Moræ, vnius ex maioribus Domus Reginæ Catholicæ, nec minùs erudit, quam clari ſanguine, inter multa alia monumenta antiquitatis, publico Hiſpaniæ bono ſeruari video. Porrò, quæ hæc priora indulta fuerint, ex litteris conſtabit, quæ ita habent:

16. *Frater Guido, Ciſtercij dictus Abbas, & totius Abbatum Conuentus Capituli Generalis, Venerabilibus Abbatiſſis Legionis, & Caſtellæ, accenſis lampadibus bonorum operum, Agnum ſequi, quocunque ierit.*

De feruore animi, & deuotione cordis manare credenda eſt laudabili petitio, quam per chariſſimum Dominum, & Patrem noſtrum Martinum, Dei ordinatione Epiſcopum Segontinum nobis feciſtis, & per interuentionem Regalium litterarum noſtris affectibus imprimi curaſtis, rogantes, & poſtulantes, vt vobis de permiſſione noſtra liceat ad Monaſterium Sanctæ Mariæ Regalis ſemel in anno, tanquam ad Matrem Eccleſiam pariter conuenire: & ad extirpationem vitiorum, & profectum virtutum annuum ibidem Capitulum celebrare. Veſtrum igitur beneplacitum, in cauſa precipue tam commendabili, noſtrum faciemes; tum propter gratiam Domini Regis Caſtellæ, tum propter reuerentiam chariſſimi Patris noſtri Epiſcopi Segontini, necnon & Conhbarum noſtrorum Hiſpanorum, qui vobiſcum, & pro vobis hoc ipſum requirunt; deuotæ petitioni veſtræ benigne duximus annuendum: volentes, ſicut Dominus Rex Caſtellæ, & vos requiritis, vt ad Monaſterium Sanctæ Mariæ Regalis prope Burgos, vos, qua ſecundùm noſtri Ordinis inſtituta viuitis, & tam in Regno Regis Ferrandi, quam in Regno Regis Caſtellæ conſiſtitis, certo die ſemel in anno, tanquàm ad matrem Eccleſiam pariter conuenientes, & annuum ibidem Capitulum celebrantes, de his, que ad ſalutem pertinent animarum mutuo conferentes, & vos ſemper acrius, & follicitius diuinis obſequiis mancipantes, de virtute in virtutem proficere, atque ad culmen maioris perfectionis, Deo dante, valeatis peruenire. Actum apud Ciſtercium in Capitulo hoc anno M.C.LXXXVIII.

Hactenus litteræ patentes ad Abbatiſſas, cum quibus alias clauſas ad Regem dedit; atque Martino normam, ritúſque, ad quos Capitula forent celebranda. Hæc ad hunc annum. Verùm celebrationem primi Capituli, quo cuenit, ſequenti propalabimus.

1. Iordanus successorem sortitus, ad Italiam redit; 2. & compromissis vtriusque Regis causis, 3. templum ædificat. 4. Henricus post discessum Imperatoris, 5. Leodium venit, 6. atque Atrebati in Christo sanctè obdormiuit. 7. Perpensa quædam de eius felici transitu. 8. Dictum de Petro, 9. & de Henrici sepultura. 10. Demum de ingenti opinione sanctitatis.

CAPVT I.

1. INTRABAT annus à virgineo partu milleſimus centeſimus octuageſimusnonus, Ciſtercij nonageſimusſecundus, & Cardinales Henricus, Iordanúſque apoſtolicæ Sedis Legati, in Germania, & Gallia; ille arma, & bellum aduersùm Turcas; hic inter Reges Francorum, Anglorúmque pacem vrgebat, ex qua concordes in bellum prodire poſſent. Sed Iordanus, dum ſe minùs proficere experimento longo comperiſſet, ſucceſſorem aut petiit, aut accepit Ioannem Anagninum, Romanæ item Eccleſiæ Cardinalem, qui rem, quà poſſet, curaret peragendam. *Venit ergo*, ait Rogerius in Annalibus [a], *Ioannes Anagninus, Cardinalis, ad prædictos Reges ex parte Domini Papæ, & illos nunc blandis, nunc asperis, ad pacem faciendam exhortatus est.* Ita Rogerius. Neque inutilis prorsus aduentus viri: quippe impetrato Regum compromiſſo, qui ſe, ipſius, & quatuor Archiepiſcoporum arbitrio ſubderent, coram iudicio per omnia parituri.

[a] ad hunc an. part. 2.

2. Verùm, ne Cardinale Ciſtercienſi vacuo diſcedente, ſucceſſor eius, optatæ pacis manipulos, ſine Ciſtercio reportaturus ſperaretur, ex quatuor deſignatis Archiepiſcopis, Ciſtercienſes duo, Bituricenſis, Henricus de Soliaco, & Balduinus Cantuarienſis electi ſunt, pro Galliæ ille, hic pro Angliæ Rege, inter vtrunque pro æquitate, & iuſtitia compoſituri. Nam audi, quod ſequitur [b]: *Ad cuius*, id eſt, Cardinalis Ioannis, *inſtantiam præfati Reges, diuina inſpirante gratia, cautionem dederunt ſtandi iudicio illius, & Rhemenſis, & Bituricenſis, & Rothomagenſis, & Cantuarienſis Archiepiſcoporum: & ſtatuerunt ſibi diem colloquij iuxta Feritatem Bernardi (ita locus nominatur) in Octauis Pentecoſtes. Et prædictus Cardinalis, & prædicti quatuor Archiepiſcopi ſtatim protulerunt ſententiam excommunicationis in omnes, tam Clericos, quam laicos, per quos ſtaret, quominus pax fieret inter prædictos Reges, exceptis perſonis eorundem Regum tantummodo.* Hactenus ibi de compromiſſa pace; quæ tamen (quæ conditio Regum eſt) adhuc poſt compromiſſum, nequaquam ſtabiliri potuit, niſi per bellum.

[b] vbi ſupra.

3. Iordanus interim ad Italiam rediens, piè fortaſſis magis, quàm prudenter, ingens Cecani templum curauit ſtruere, quod Virgini intemeratæ dedicauit. Meminit huius ædificij Chaconius ſub Clemente III. paucis his verbis: *Anno ſequenti rediit* (ſcilicet, ex quo legatione accepta profectus fuerat,) *& Cecani Eccleſiam Sanctæ Mariæ apud fluuium condidit, & dedicauit.* Hac fortaſſe occaſione effectum eſt, vt cùm alias ciuilis potiùs, quàm auarus, xeniis tantùm manus aperuiſſet, reiectis muneribus; nihilominùs de captatione munerum, vt notauit Cæſarius, malè audiret. Nempe, hominibus difficilè perſuaſis, potuiſſe aliunde ſumptus prouenire ad opus tantæ fabricæ; aut, qui ante iniunctam ſibi Legatiam nihil tale præſumeret, poſt peractam auſurum intentare, niſi onuſtum ſpoliis, quæ à prouincialibus per nefas extorſiſſet.

4. Feliciùs multò Henricus in Germania, qui totam ferè transmiſit in Orientem, Cruce ab ipſo ſignatam, Crucis Chriſti inimicos oppugnaturam. Rem ab antiquis Roberto Abbate Montis, Arnoldo Lubecenſi, Nicetáque fuſiùs narratam Cardinalis Baronius paucis præſtringit [c]: *Inter hæc autem Fridericus Imperator, qui anno ſuperiori ab Henrico Cardinali Albanenſi Sedis apoſtolicæ Legato Crucem acceperat, hoc anno profectionem inſtituit. Cuius exercitus pars altera terreſtri via, altera verò benè munita claſſe nauium quinquaginta quinque è portu Orientem versùs ſoluit. Porrò Imperatoris itinerarium conſcripſit Arnoldus Abbas, qui & numerum militum, habito delectu, fuiſſe centum quinquaginta millium armatorum affirmat. Cæterùm propter ingruentes afflictiones, & Græcorum Imperatoris inconſtantiam, non niſi anno ſequenti in Thraciam peruenit exercitus. Quanam paſſus ſit, eiuſdem Imperatoris Græcorum opera, ab eodem petas Authore. Nobis hæc ſatis ad inſtitutum. Res etiam ſingulas, qui aderat, proſequutus eſt ſtylo Nicetas, tum Præfectus Imperatoris Græcorum in rebus adminiſtrandis bellicis, quem tu conſulas pro arbitrio.* Ita Baronius de Friderici Imperatoris, & vtriuſque exercitus eius profectione. In Epitome Vitæ Beati Viri, (Henricum dico Cardinalem Albanenſem,) præter Imperatorem, octo & ſexaginta magni Principes, ab eo Cruce ſignati connumerantur, abſque infinita inferiorum multitudine. At multò cæteris numeroſior Albertus Krantzius [d], qui computata tradit in exercitu ſexcenta pugnatorum millia, dum Henricus Albanenſis Epiſcopus Clementis Papæ in Germania Legatum ageret.

[c] ad hūc an.

[d] lib. 7. Sax. c. 1. p. 1.

5. Suum Imperatore iter aggreſſo, cùm nihil agendum prorſus ſupereſſet in illis partibus, Henricus Romam ſedire deliberabat; haud tamen vacuum à labore iter, haud alienum à fructu, peracturus. *Rediens Leodium* (pergunt ipſius Acta [e]) *cum ad prædicationem ſuam pluſquam ſexaginta ſex Clerici prebendas ſuas pro timore ſimoniæ in manu eius reſignaſſent, ipſe eis ſine ſimonia, & aliter, & alias reſtituit. Dum autem ad partes Flandriæ pro pace reformanda inter Comitem Flandriæ, & Eccleſiam Atrebatenſem; quantus grauiter inſtimus properaret, pacem inter eos non ſine multorum admiratione reformauit.* Hic fructus viæ.

[e] in lib. Sepulchror. Clarauall. c. 11.

At terminus illius, simul & vitæ, longè felicior, longè fructuosior, quippe ex quo præmium illi æternum fuit. De eius obitu, sic in eadem, quam reddo, Vitæ Epitome: *Ingrauescente tamen infirmitate, quam simpliciter minima peccata confessus fuerit, quam deuotè Viaticum, & vltimæ Vnctionis Sacramentum susceperit, longum est enarrare. Tandem imminente hora, vt transiret de hoc Mundo ad Deum, ante Altare Beati Andreæ in Atrebato, sicut ipse præceperat, est delatus; ibique inter verba deuotæ orationis, in Domino, vt piè creditur, felicitèr obdormiuit.* Hic exitus manebat Illustrem Virum, inter maiora Ecclesiæ luminaria meritò memorandum, vt qui non sibi Ecclesiam datam vnquam, aut putauit, aut voluit; sed se Ecclesiæ.

7. Multa fecerunt felicem illius obitum; quòd extra Curiam; quòd in Domo Petri Atrebatensis Episcopi ex Cistercio assumpti, adeóque inter suos; quòd in ipsa Ecclesia; quòd demum ante euentum expeditionis, ad quam Orbem armauerat, cùm ille minùs faustus futurus esset: quippe in Curia præpeditus variis negotiis, quæ cuncta ferè ad eum referebantur, minùs aut sibi, aut Deo vacare posset. Sed & in Domo Petri Atrebatensis, velut intra Cistercium: nam nec quam semel Cistercij normam assumpserat, vnquam dimisit: & moribus, ac vita Monachum adhuc; sollicitudine, & cura pastorali communem omnium Patrem semper agebat. Tum obiisse ante Altare Sancti Andreæ præ cunctis aliis Crucis amatoris, in spe simul, & gaudio viro sanctissimo, qui Summi Pontificatus apicem fugiens, dudum se in seruum Crucis consecrauisset. Demum, quòd eos, quos Cruce ipse signasset, victos, & profugos videre non superuixit, inter primas illius felicitates habenda est, in qua Bernardum parentem superauit. Vterque sanè verbi minister inclytus, vterque Imperatorem, Reges, Principes, vterque Orbem armauit in infideles: vtriusque expeditionis infelix exitus, vt de prima iam diximus, & de secunda inferiùs demonstrabimus. Sed Henricus malignantium linguis exemptus, & dolori subtractus; tunc primùm infelicem exitum vidit, cùm pati non potuit; cùm nec detrahere mortuo quis audebat, nec si detraheret, vel leuiter inquietabat, non satis facere aliis, vt Bernardus non ab aliis indiguit consolari.

8. Fatalis fuit hic annus Petro Pontifici, dissidio Principis, Henrici Albani morte; & quod Authores Belgæ etiam commemorant (nam id obiter dicam) Atrebatensis vrbis conflagratione. Ferreolus Locrius [f], *Atrebatum*, inquit, *simul cum Beati Vedasti Monasterio, grande, infuosumque incendium perpetitur, in quo Ioannis Abbatis reluxit solertia, qui mox, quasi imminentis obitus sui præscius, templum Vedastinum egregio opere instauravit.* Hæc obiter, quia Petrum concernentia: nec enim dicam vrbem Henrici pyram, siue vt facem accensam, ad ipsius exequias conflagrasse. Nunc ad illius funus reuertamur.

[f] Ad hunc an.

9. *Ab Atrebato* (pergunt ipsius Acta [g]) *corpus eius, sicut præceperat, ad Claramvallem translatum est; & hic inter Beatum Bernardum, & Beatum Malachiam tertio Idus Ianuarij, ab Episcopo Lingonensi, omnibus ritè paratis, honorificè est sepultum, circa annum Domini millesimum centesimum octuagesimumnonum.* sic enim corrigo vltimum numerum, qui charactere inuerso per errorem sextus pro nono irrepsit in Manuscripto. Hinc etiam corrigendus Henriquez in Menologio, qui virum memorat XIV. die Iulij; cùm constet decessisse Ianuarij XI. Hæc requies corpori, quam semper optauisset vsque ad extremum diem peregrinanda inter Patres sanctissimos, cum quibus tandem surrecturum non dubitabat: animæ, vt creditur, statim ab ipso exitu, glorioso adhuc Cœlum sedes fuit.

g vbi supra.

10. Verùm, quod attinet ad opinionem sanctitatis, quam Henricus reliquit, inde vel maximè potest manifestari, quòd corpus viri Sanctos inter Malachiam, & Bernardum sepultum sit, postquàm in toto Orbe venerabantur, & Canoni Sanctorum adscripti erant. Neque id casu; sed maturo consilio factum, in Conuentu totius Orbis grauissimo; vocato Diœcesano, præsentéque, & collocante exuuias corporis sancti, atque assistentibus grauissimis Prælatis, Gamerio, & Ioanne: quorum hic Lugdunensem Sedem reliquerat; illum Clarævallis Abbatem tunc agentem Lingensis Ecclesia præstolabatur. Crediderim claruisse per miracula, quæ antiqui omisêre; quanuis dum Crucem prædicaret, multa; in conuersione Hæreticorum, aliqua perpetrasse, non obscuris indiciis ostenderimus. Certè in Epitome Vitæ id solùm legitur: *Quod Castrum munitissimum Hæreticorum, per miraculum ceperit, eorum Satrapas tenuerit, conuicerit, conuerterit, & errorem suum coram omnibus cognoscere fecerit.* Ignacius Firminus Henricum Cardinalem inter Scriptores Cistercij etiam commemorat, productis Opusculis, quæ si manerent, haud dubiè inter Opera aliorum Ecclesiæ Patrum, cum magna vtilitate legentium circunferrentur.

---

1. *Balduinus Cantuarienſis, pro dignitate ſuæ Sedis amplianda,* 2. *Cœnobium conſtruit,* 3. *ab impeditus cedit, deſiſtitve.* 4. *Offenſus euentus.* 5. *Mors Henrici,* 6. *& coronatio Richardi per Balduinum.* 7. *Errata illius,* 8. *& vnica huius conſtantia in reſiſtendo.* 9. *Neque ideò Rex Balduino, aut noſtris infenſus.*

CAPVT II.

1. INTER hæc Balduinus Cantuarienſis, cùm Monachos Ecclesiæ suæ videret nimiùm se immiscentes Pontificalibus, & iura Primatiæ, atque Metropolis velut communia sibi cum Archiepiscopo, vitæ communis titulo vsurpare, Rege, & Episcopis cunctis instigantibus, quam D. Thomæ Ecclesiam dedicandam in mandatis acceperat, in eum finem struere tentauit, vt Monachis exclusis ab his actionibus, cuncta Pontificalia, Synodósque, atque id genus alia sola exciperet, Regulatibus tradita Canonicis, queis nouas leges, & iura ipse præscriberet. Sed Monachos arcere palam à suis iuribus, seu veris, seu

seu prætensis periculosum, litesque, ac iurgia haud dubiè concitaturum. Per industriam, & attentè gendum censuit, quod mente conceperat; atque ad maiorem Ecclesiæ Cantuariensis, & Monachorum referendum authoritatem. Et certè si res exitum habuisset, ingens archiepiscopalis Dignitatis, iurisque, ac libertatis illius futurum incrementum, nequaquam poterat in dubium revocari. Cæterùm, cùm latere hęc non potuerint, discordias magis, & lites, cáque sine fructu, & Balduino, & eius successori Humberto comparaturi. Meminit structuræ nouæ Ecclesiæ, atque intentatæ Monachorum exclusionis, & frustrati euentus Nicolaus Arsfeldius, verbis sequentibus [a]:

a *saculo* 12. *cap.* 20. 2.

Impetrauerat Balduinus à Romano Pontifice, vt illius authoritate templum sibi cum Collegio, in quo Canonicos, quos vocant Regulares, poneret, fabricare liceret. Quæ quidem Ecclesia, omnium perturbationum maximum fuit seminarium. Et callidè quidem Balduinus apud Pontificem propositum suum regebat, simulans se ad Ecclesiæ Cantuariensis ornamentum, & amplificationem, D. Thomæ Cantuariensi Martyri, templum illud structurum. Sed aliud ille, vt & Monachi interpretabantur, & satis alioqui patescebat, in intimoso pectoris recessu cogitabat. Apud Hakingtoniam enim, quæ à Cantuaria vix tribus stadiis discernitur, fabricam illam ex Regis, & Episcoporum summa voluntate moliebatur. Vbi, vt dicebatur, & Rex ipse, & suffragantes omnes Episcopi prębendis; sed suo quisque sumptu, ornarentur. Ibi Episcoporum sacras initiationes, & consecrationes, sacri Chrismatis consecrationem, & Synodos expediturus, omnemque eandem aliam Metropolitanæ Ecclesiæ dignitatem, Monachis à rerum omnium veteri deliberatione, & actione seclusis, derivaturus credebatur. Ad hanc igitur ædificationem, pontificia, regiáque authoritate, & magno suffragantium omnium consensu instigatus, totus incubuit. Longum esset recensere, quantum negotij hæc ædificatio Balduino, & Monachis peperit. Hæc Nicolaus Arsfeldius de fabrica inchoata per Balduinum: quam tamen ad instantiam Monachorum à Clemente Pontifice impeditam, statim subdit.

3. b *vbi suprà.*

Pergit deinde de infracto viri animo, qui nihilominùs incepto adhuc institerit [b]: *Sed, cùm videret* (scilicet, Balduinus) *se non posse propositum suum apud Hakingtoniam perficere, locum, non ædificandi animum, mutauit. Comparato itaque prædio quodam ab Episcopo, & Monachis Roffensibus, in villa, quæ Lambeia dicitur, ad Occidentem Londonij; ibi nouam Ecclesiam, & Collegium struere melius est. Iussitque Canonicos suos Hakingtonienses ædes suas demoliri, materiámque transferre Lambeiam. Sed illa ædificatio cœpta tantum est: nam abitio illius in Syriam, quo paulò post profectus est, impedimento fuit, quominus eam absolueret.* De Balduini in Syriam profectione anno sequenti. At quem tes tandem exitum habuerit, ne Lector meus in suspenso maneat, ex eodem Authore addendum censui [c]:

c *ibid.* 4.

Hubertus autem eius successor diu animo hærebat, an Balduinianam structuram absolueret: sed tamen tandem, cùm Rex, & Episcopi toti ab eo starent, Monachis frustrà reclamantibus, & appellantibus, absoluit. Mira interim, grauísque Monachis molestia exhibita sunt. Sed non multiori successu absoluit, quam olim Balduinus Hakingtoniensem structuram. Causa enim perpensè, atque exquisitè per Innocentium Summum Pontificem cognita, omnis illa structura Lambeiana, illius authoritate euersa est, Canonicique inde emigrabant. Hæc Balduini gesta pro dignitate, quamuis fructu frustrata, nequaquam duxi silentio prætereunda; tum, ne qua viri, quæ possem, facta omitterem; tum vt apparuit, nullis affectionibus, nullis commodis propriis detentum fuisse, quominùs sibi commissæ Prælationi incessanter prospiceret, spernens sumptus, nec labores reformans: & cùm nihil magis adhæreret cordi, quàm Monachatus, neque Monachis parcens, cùm res exegit. Verùm, ne hoc in obsequium Regis factum, iudicet Lector, audiat, quæ hoc item anno ab eo gesta, vel in Richardum ab ipso coronatum (orientem tunc Solem) commemorantur: obitúsque prophetiam impletam videat, præcedenti anno, & Henrico patre factam per Cisterciensem illum Sanctum Monachum, quam ipso euentu euidenter subsequuto, in hunc locum remisimus probandam.

5.

Pace inter Gallos, & Anglos desperata (neque enim compromissis stare libuit, quæ sola lex in Regibus) Philippus, & Henricus, quæ in communem Christianorum hostem arma parauerant, in se ipsos vertentes, implacabili odio decertabant. Sed ab Henrico infelici morte pugnatum desciscentibus filiis, atque ad æmulum Regem transeuntibus: (vt in quo patet olim peccauisset in Ecclesiam, & Thomam, dyscolus filius visibiliter à Deo castigatus, veriorem pœnitentiam facti conciperet, ac cæteris in ostentum proponeretur.) Certè ab Henrico non solùm Richardus (qui ob detentam Adelam, & si aliqua fides Polydoro [d], etiam stupratam, conquerebatur:) *Sed Ioannes etiam, filiorum omnium minimus* (ait Guillelmus Neubricensis [e]:) *quem tenerrimè diligebat, rebellauit, ne Fratribus dissimilis, aut minùs fortè frater agnosci posset.* Hæc de priori parte prophetiæ, nempe, de illa: *Veniet vxoris suæ immunesset contra eum.* & de secunda, id est, de æterno velo mortis sequuto, audi, quod in eodem Authore sequitur: *Tot malis Rex Anglorum anxius, & maximè ex iuuenis filij defectione, animo saucius, (quem dudum speciali amplectebatur affectu, eiúsque immoderatius promotioni intenderet, seniorem filium irritasse videbatur,) vexatione dente intellectum, manum Domini contra se attendit extentam, eóque authore ad castigationem malorum, quæ fecerat, tantam rerum mutationem repente circa se factam. Denique ex multa mœstitudine febrem accersiuit, quæ inualescente, post dies aliquot apud Chinonem vitam finiuit.* Hactenus ille. Portò hanc mortem contigisse Rogerius ait in ipsa Octaua Apostolorum Petri, & Pauli. Ferunt [f], dum corpus deferretur ad sepulturam, occurrenti Richardo subortas lacrymas: sed, quod mireris, ad aduentum eius è cadauere sanguinem fluxisse erumpentem è naribus, quod circumstantibus stuporem prorsus inculserit. Hactenus de impleta prophetia. Venio ad Balduinum.

d *lib.* 14. e *lib.* 3. *c.* 24. f *Arisfeldius saculo* 12. *c.* 5.

6. g *saculo* 12. *c.* 18. h *lib.* 4. *c.* 1.

Mortuo Henrico Rege (ait Nicolaus Arsfeldius [g],) *Balduinus Richardo diadema imposuit.* Sed qualiter, vbi, & quando id ipsum fecerit, Guillelmus Neubricensis his verbis narrat [h]: *Statuto die vnctionis regiæ, conuenit Londonias penè vniuersa Regni nobilitas, de partibus quoque transmarinis copiosa virorum spectabilium multitudo. Richardus igitur primus, & solus Regum à sæculo ita nominatus, Londoniis est consecratus à Balduino Cantuariensi Archiepiscopo, tertio nouus Septembris, qui dies ex prisca gentili superstitione, malus, vel Ægyptiacus dicitur, tanquam quidam Iudaici euentus præsagio.* Ita Richardum Regem Balduinus, per vnctionem, coronationémque, sibi quodammodo in filium regenerauit; à quo nihil prorsus, si vellet, condescendere, aut non sperare posset, aut non consequi. At quam non

huius Mundi vtilitatibus, affectionibúsve intentus adesset, facilè percipietur ex subiungendis.

7. Diuiserat vacantes tunc Ecclesias Richardus Rex, atque Gaufridum fratrem suum minorem, quem Lincolnionsem abiecisse olim gradidimus, tunc ad Eboracensem sublimauerat. *Praterea* (pergit Guil-
i lib.4 c.3. lelmus Neubricensis[i]) *circa Ioannem fratrem suum vterinum Rex proprium egregiè declarauit affectum. Nam, praeter paterna in Hybernia acquisitionis plenitudinem, & Comitatum in Normannia Moritanensem, de quibus, scilicet, paternam donationem ratam habuit; in Regno Anglorum tanta illi adiecit, vt quasi Tetrarcha videretur. Denique Cornubiam, Derneshiram, Notinghamiram, & Lancastrum, cum adiacente Prouincia, atque alia plurima de regio dominio contulit: & nihilominùs illi Gloecestrensis Comitis filiam, propriam, scilicet, in quarto gradu consobrinam cum integritate iuris paterni, quod esse amplissimum nescitur, minùs quidem legitima, & plùs iusto fraterna prouisione despondit.* Hæc Richardus, in ipso initio Regni cum suis fratribus. At Balduinus, quid in his effecerit; & qua constantia animi, & Re-
k saeculo 12. cap. 18. gi, & fratribus eius, in his, quæ non licebant, contraierit; ex Nicolao Arnfeldio accipiat Lector[k]:

8. *Gaufredum mox Regis fratrem, quem Eboracensem Archiepiscopum Rex designarat, venit, ne in Cantuariensis Ecclesia praeiudicium, ab alio quouis, quàm à se, vel in Sacerdotem, vel in Archiepiscopum initiaretur. Infestum verò sibi reddidit Ioannem Regis fratrem, cui Rex, praeter alias amplissimas possessiones, Gloecestrensem Comitatum (vt ei, vnà cum nuptiis filiae Roberti Comitis defuncti, accederet) donauit. Intercessit nuptiis Balduinus clamitans, tertiò consanguinitatis gradu coniunctam non licere sibi vxorem asciscere. Sed, cùm Ioannes à nuptiis nollet se cohibere, interdicto ecclesiastico terras illius omnes obnoxias reddidit.* Sic sic & Regi, & Regis simul fratri, amicóque, imò & Regni consorti resistebat, qui solam Dei gratiam reputabat. Sed neque humanam, vt timeri poterat, amisit, dum quærit diuinam: socius futurus transmarinæ expeditionis, vt anno sequenti latiùs demonstrabimus.

Sic neque in Cistercienses iratus Rex, quin Regni 9.
sui initia ab ipsis magis censuit auspicanda: quasi nihil sibi infaustum posset accidere, si eos ad Deum haberet intercessores. Matthæus Paris Author mihi
l folio mihi 207. est[l], quo primùm anno rerum potiri cœpit, Vvidoni, atque cæteris Abbatibus in generali Conuentu congregatis, sui amoris insigne transmisisse centum marchas argenti communibus negotiis consignandas, siue ea pietate promereri homines sanctos voluit; seu non exemptis à pensitatione decimarum restituere partem, quam noluisse ab eis fuisse extortam. Hactenus quæ in Anglia Cistercienses, Balduinus præcipuè: nunc quæ in Sicilia, Calabriáque Ioachimus, atque alibi alij, prosequamur.

---

1. *Ioachimus Italiæ, sed præcipuè Siciliæ clades praedicit, 2. atque orationes Fratribus iniungit, 3. nimiùm in his verídicus. 4. Quid de Ierosolymitana expeditione. 5. Animaduersi Chronologiæ eius errores. 6. Sanctus Bertoldus in Liuonia electus Episcopus. 7. Martinus in Hispania interpellans Papam pro Clero, 8. rescriptum impetrat, 9. quod mox corpori iuris est insertum 10. Mors Sanctæ Matris: & dictum obiter de Patris sepultura.*

CAPVT III.

1. INTER hæc Ioachimus, quondam Curatij Abbas, dum correctioni librorum suorum vacat, ex præcepto Clementis, non ideò minùs prophetiæ dono illustris, vocatis Fratribus melioris testimonij, neque enim cunctis voluit, ne aut turbare Rempublicam, aut sibi quærere gloriam viderentur, fertur venturam Siciliæ calamitatem prædixisse apertè, imò & totius Italiæ exitium imminens, ex morte Regis Siculi (Guillelmus, cognomento Bonus, Insulæ præerat) in media, & summa pace subsequendum. De his Iacobus Græcus (nam quæ dispersa in aliis ipse collegit) hæc habet
a fol. 14. verba[a]:

2. *Tempore Boni Guillelmi, omnia eius pacata vigerent, admirabilis Ioachim ea, qua fuerat praeuentus gratia, nascendi futura, instantis praescius calamitatis, occulta nudauit; cùm boni testimonij, sanctaque conuersationis Fratribus seorsum vocatis, Bonatio, scilicet, & Peregrino, ac Iacobo, eiusdem germano, vt in ore duorum, vel trium veritas ipsa pateret, in hac verba prodixit: In proxima est tribulatio; nec vltrà differetur, quòd, iuxta Prophetarum oracula, super filios hominum dira furoris sui adducturus est Dominus: qui mihi licèt talia nascendi gratiam contulerit; fugiendi tamen à facie arcus, & illorum delibatione remedium non praemonstrauit. Rogo te ergo, qua ad pacem sunt, si fortè conuertatur Dominus, & eruat nos à malis, quæ iam parantur in nobis.* Hactenus prophetia Abbatis Ioachimi, vtinam minùs certa: sed veram fuisse euentus comprobauit.

Obiit Guillelmus Bonus sine liberis, & deuoluto 3.
ad patrimonium Ecclesiæ regno, iure feudi; sed nihilominùs electo ab incolis Tancredo Rogerij notho; demum Henrico Romanorum Rege, cotonam vendicante, cui dudum nupserat, vxoris Constantiæ nomine, cùm suum quisque ius in armis poneret, etiam Pontifex ipse; nec nisi ferro litigandum censerent diadema regni: adeò res omnes Italiæ turbatæ sunt, vt nihil nisi mortes, incendia, carceres, atque vltimum excidium comminarentur. Accessit & Richardus, Anglorum Rex, Ioannæ viduæ Guillelmi relictæ frater, qui vt regnum non peteret; at dotalium bonorum sororis nomine, talia, ac tanta petebat, quæ vix nisi regno ipso redimi possent. Mirum est, qualia, ac quanta de his malis, quæ etiam ad Clementis successorem, imò & ad filium Tancredi perdurarunt, Authores narrent, quæ non facilè ad summam reduci possunt. Consulantur de eis, si placet, Siculi, ex quibus etiam Baronius multa decerpsit.

Cæterùm aliam ego prophetiam Ioachimi Abba- 4.
tis lego circa hunc annum; in qua tamen à Baronio reprehensum, quasi contrarium vaticinatus fuerit, satis admiror; nimirum, de infelici successu expeditionis, quæ in toto Orbe Christiano aduersùs Saladinum pro Ierosolymorum restauratione disponebatur. Certè Carolus Sigonius, qui non nisi ex antiquis, probatísque, quæcunque scripsit, hausit, consultum

cum

eum à Friderico memorat, priusquam à portu solueret; sed nihilominùs tristia respondisse, & necdum adhuc aduenisse tempus sanctissima illa loca recuperandi: *Neque enim aliud*, inquit [b], *Ioachimi Abbatis in Calabria, apud Monasterium Floris, eximia vaticinij laude floremis audiui, qui ab eo de euentu expeditionis Ierosolymitanæ consultus, nondum tempus venisse, quo Ierosolyma à Christianis recuperarentur, respondit.* Ita Ioachimus, saltem sub hoc tempus, in omnibus Propheta, in omnibus verus Vates inueniebatur. Nam de colloquio cum Richardo Anglo, in Sicilia, de quo plùs nimio eundem Baronius carpit; sequenti anno, quo euenit, dicemus. Atque inde fortassis aucta nostrorum odia, quòd quam Henricus Cardinalis, Cistercij decus, quam alij Abbates, quos ipse ad hoc elegerat, per Orbem prædicarent expeditionem infelicem, & fructu caritatum Ioachimus prædiceret, quasi non præditus dono Prophetiæ, sed spiritu contradictionis actus proloqueretur.

b lib. 1. 5.

5. Cæterùm, quòd hæc ipsa prædicentem, seu auersantem, iam Florensem Abbatem Sigonius tradit, in quo & Iacobus Græcus illi consentit, mihi satis difficile apparet. Quippe qui in Abbatia Curatiensi à Clemente missionem impetrasset, cuttente Iunio anni præcedentis, nempe, millesimi centesimi octuagesimioctaui, aut nihil prorsus in Petra moratus est: vnde nec potuit ob multa ibi diuinitùs accepta, eam Domum appellare Petram Olei, vt idemmet Iacobus Græcus tradit; aut hoc saltem anno in ea perseuerans, nondum inceperat Monasterium Floris, atque ex eo detriuandam Congregationem. Certè Iacobus Græcus in Chronologia non semel labitur, quod Franciscus Biuarius adnotauit [c]. Sed corrigere nobis, quàm notare longè facilius, & lectori, vt spero, commodius erit.

c In append. ad Flauium Dextrum.

6. Sub idem tempus in Liuonia noui Apostoli, non sine ingenti labore dilatabant cum fiducia verbum Dei; sed pari fructu cum exultatione metentes, quæ seminauerant, credentium Christo manipulos reportabant. Præcipuè Bertoldus, qui, vt supradictum est [d], *Gratia Dei cooperante, etiam Gentilibus ipsis acceptus erat.* Interim, Deo vocante, ducem Verbi, Meinardum Episcopum, de successore tractatum, & Bertoldus suffragijs omnium substituitur, de qua subrogatione Lubecensis Arnoldus ita scribit [e]: *Post decessum Domini Meinardi, qui, vt præmissum est, bonum certamen certauit, cursumque felicem consummauit: quia omnibus, tam Clero, quam populo, conuersatio Domini Bertoldi innotuerat, ipsum vnanimi consensu locum defuncti sortiri exoptabant. Qui veniens Bremam Episcopus consecratur: cui etiam ad supplementum laboris reditus annales in eadem Ecclesia ad viginti marchas deputantur.* Hæc de electione, & consecratione Viri sanctissimi. At qualiter se gessit in eo munere, qualitérque perseuerans vsque ad mortem, post multos homines ad fidem Christi conuersos, beatam tandem animam per passionem, martyrio coronatam, Cœlis inuexerit; corpore interim per miraculum insigne ab omni corruptione præseruato; ipso, quo euenit, anno dicturi sumus.

d ex Arnold. Lubecen. lib. 7. c. 9.

e ibid.

7. Inter hæc, ne vllum genus hominum à Cistercio immune, néve vlla Prouincia ab eius se officijs expertem dicere: cùm in Hispania in Clericos grassati, sacrilegas nonnulli sæculares manus imponerent; nec tantum facinus vindictæ subiaceret, quantumuis publicum; quippe negantibus cunctis, qui vidissent, nec sæcularibus quicquam in sæculares similem redituros vicem testificantibus; Sanctus Martinus, Seguntinus Episcopus, ex Horta assumptus, quo tanto malo obuiaret, Clementem III. censuit consulendum. Porrò, cùm super hac, & aliis rebus Pontificem eundem consuluisset, celebrem illam epistolam accepit, in qua propter reuerentiam Clericatus, decernit Pontifex, imò & consuetudinis Romanæ Ecclesiæ esse declarat, eorum in his iuramento standum fore. Huius ergo Decretalis prototypon in Archiuiis Ecclesiæ Seguntinæ in membrana descriptum dudum perlegi: quod postea ad litteram per insignem errorem transcriptum reperi in Appendice ad Concilium Generale Lateranense sub Alexandro III. [f] quæ cum ipso Concilio circunfertur. Porrò epistolam, quia Cistercienſi Præsuli scriptam, & præter hoc plura alia continentem, placet describere:

f tom. 3. Concil. part. 2.

8. *Clemens III. Seguntino Episcopo.*

Peruenit ad nos, quòd in Episcopatu tuo sæpè contingat, quòd à laico enormis, & intolerabilis iniuria Clerico, multis adstantibus, & videntibus inferatur, vt plebe præsente in Ecclesia, eam diabolica fraudis instinctu accidit horribiliter humano perfundi sanguine, & ob hoc iniuriantes in causam tracti negant se tantum facinus commisisse. Et cùm læsus illatam sibi iniuriam, eorum testimonio, qui præsentes extiterunt, & viderunt, probare desideret, ipsimet, licèt veritatem cognouerint, contemnunt veritati testimonium perhibere. Sicque fit, quòd ecclesiastica iustitia deperit, & Ordo clericalis vilescat. Accidit etiam, quòd cùm plures frequenter in Clericos temerè violentas manus inticiant, ad Sedem apostolicam plurimis nequeam obstaculis laborare. Et quia super his tua nos Fraternitas duxit consulendos, tuæ consultationi taliter respondemus. Quòd si, qui de rebus ecclesiasticis nolunt testimonium perhibere, si aliàs veritas nequiuerit elici, ad id suis per ecclesiasticam censuram compellendi. Si verò Clerici passi iniuriam, veritatem fortè aliquorum testimonio nequiuerint comprobare, licèt iuxta rigorem Canonum vnius testimonio non sit standum; tamen iuxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ propter reuerentiam clericalis Ordinis, ipsorum iuramento fidem volumus adhiberi. Illos autem, qui valetudine præpediti, pro absolutionis beneficio ad Sedem apostolicam nequeunt laborare, recepto ab eis, sicut moris est, iuramento, poteris absoluere; ita quòd sanitati pristinæ restituti apostolico se conspectui repræsentent. Senni verò fœminæ, & pueris, ac senibus super hoc satis te credimus posse liberè dispensare. Ecclesias insuper, qua sanguinis, vel seminis sunt effusione pollutæ, ciuitatis Clericis conuocatis, cum processione, & aqua benedicta adspersione, prout in Ordinario habetur adscriptum, poteris emundare. De his etiam, qui Clericis non enormem, sed modicam, vel leuem iniuriam irrogauerint, tuæ Fraternitatis arbitrio duximus relinquendum.

9. Hactenus Decretalis Clementis III. ad Seguntinum Episcopum, Martinum, falsò Alexandro adscripta, ex qua, & Originali Seguntiæ habito facilè corrigendus venit titulus textus in capite, *Peruenit.* el segundo, de testibus cogendis, vel non. Vbi pro Seguntino, Segouiensis, per errorem irrepsit, facili transitu inter incuriosos, siue ignaros. At non inserta tota Decretalis in corpus iuris, neque illa pars, qua Clericis iuratis, si alij testes desint, credendum iubet. Sed illa tantùm, qua testes sæculares per censuras cogendos fore determinat, si aliter veritas nequeat comprobari.

10. Hoc eodem anno idem Sanctus Pontifex amisit, seu præmisit in Cœlum Matrem, Dominam Sanctam, quæ plena iam dierum, & virtutum, post longa-

gam; & immaculatam viduitatem, ex hac vita migrauit: sepulta Hortæ, retrò Altare maius extra Ecclesiam. Vbi & diu iacuit, quousque ad Sacellum maximum translata, commune cum inclytis Ducibus Angustobrigensibus, hoc est, Metymnæ Cœli, sepulcrum occupat, Regibus solis Castellæ alias permissum. An ex eadem descendant prædicti Duces, in dubio nobis. Certè partim cum Martino filio hæreditas ad Dezam oppidum, & commune sepulcrum nonnullam dubitandi ansam præbere potest. Occubuerat multos antè annos coniux Michaël Saracenorum manibus, quos plures ipse in bello profligasset: & quorum plurimos morti antè dedisset, sepultum in antiquissimo Cœnobio Sancti Dominici Silensis pro auorum sarcophago, quod filij & vxor in Hortam commutarunt.

---

1. Sancta Maria Regalis prope Burgos, Guidoni tradita: 2. electa in caput Cœnobiorum vtriusque Regni. 3. Congregatum Capitulum, 4. & qui illi affuerunt vtriusque sexus. 5. Duarum Abbatissarum impedimentum: 6. tandem sublatum. 7. Acta Capituli, 8. & relatio precedentium. 9. De Capitulo annuo celebrando: 10. de præstanda obedientia, 11. & de mutuis ad instar Cistercij visitationibus: notata quædam, & alia remissiuè.

CAPVT IV.

1. INTER hæc Rex Alfonsus in Castella sui (id est, Huelguensis) incrementa Cœnobij, quasi non alia plura construxisset, sollicitabat. Sed sibi illud dilectius, quia posterius: quia nobilium Virginum, quibus omne obsequium debetur, etiam à Regibus, quia sibi electum in sepulturam; tandem, quia in sexu fragiliori rarior potentia: atque eò glorioſius opus disponebat, quò singularius: certè ex quo Burgense Cœnobium inceptum est, totum sibi Alfonsum vindicauit. Vnde & Huelgas illi inditum nomen, quod Latinè lætitias, & gaudia sonat, quasi quo tempore à bellis supersedebat, non alia oblectamenta ipsum tenerent; nullis aliis deliciis perfrueretur. Ergo Vvidoni Abbati Cistercienſi, quod anteà proposuisset, donata Domo, cuius per omnia subesset correctioni; cùm anno, vt dixi, præterito impetrasset in Generali Synodo eiusdem Domus superioritatem in cæteras Legionis, & Castellæ, quia latè extendebatur vtrumque Regnum, etiam antiquiores; quæ is adoptatis in filias nouo exemplo exinde præsideret: & quarum Abbatissas congregaret, more Cistercij per annos singulos Capitulum ibidem celebraturas; acturasque iuxta præscriptum chartæ charitatis [a], *de salute animarum, de obseruatione sanctæ Regulæ, & Ordinis, de bono pacis, fraternitatisque; & si quid emendandum, minuendumve, aut habendum inuenirent, ordinaturas.* Primum Capitulum curauit hoc anno fieri coram tribus Episcopis, & Abbatibus septem, quà maior adderetur factis authoritas.

a cap. 14.

2. Porrò Episcopi Burgensis, & Palentinus, quia viciniores; sed super omnes Martinus Seguntinus, quamuis longiùs distaret, vt qui rem impetrasset, & modum, quo exequenda esset, hausisset ab ipso fonte; Abbates ex vtroque Regno sex, Sagramænienſis, Vallisbonenſis, Fiterienſis, Sandoualenſis, Bonævallenſis, & Bugerenſis. Additus septimus ex Gallia illuc transmissus, Guillelmus Scalæ Dei, qui post Episcopos Conuentui præsideret, Capituli, & Abbatis Cisterciensis nomine. Totidem Abbatissas conuenisse compertum habeo, ex ipsis instrumentis, quæ mox producam: nec erant plures in vtroque Regno, si duas demas; sanctæ Columbæ, nimirum, & de Tulebras, quæ citatæ parere contempserunt: altera, incertum adhuc, qua occasione; altera, quòd indignum reputaret, si mater filiæ, contra morem Ordinis, contra leges naturæ subiceretur. Quæ assuêre, ex propria cuiuscunque, an ex suorum Cœnobiorum antiquitate, in instrumento desuper confecto notatas lego; de Petrales, de Turrecremata, de Sancto Andrea de Arroyo, de Carrizo, de Gradefes, de Cannas, & de Fonte calenti. Porrò his omnibus simul congregatis in nouo Monasterio, & Sancti Spiritus Missa decantata, vigesimaseptima die mensis Aprilis, cunctis sedentibus, audientibúsque, priusquàm ad alia tractanda procederetur, recitatæ sunt litteræ Vvidonis, & Capituli Generalis Cistercij, cuius tui extat adhuc instrumentum in Tabulario eiusdem Monasterij, quod ita habet:

3. *In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Quia labilitati humanæ subiectam constat esse memoriam, approbata consuetudinis est, ea, quæ perpetuitatem desiderant, scripturæ stabilitati firmiter commendare. Notum itaque sit eam præsentibus, quàm posteris; quòd nobis, scilicet, Arderico Palentino, Martino Burgensi, Martino Seguntino, Episcopis in Capitulo Sanctæ Mariæ Regalis iuxta Burgensem ciuitatem sita, constitutis, quod Monasterium Illustris Rex Castellæ Aldefonsus, & vxor eius Regina Alienor de nouo construxerant, Congregationem Sanctimonialium iuxta formam Cisterciensis Ordinis ibidem pia deuotione instituentes, præsentibus etiam Abbatibus eiusdem Religionis; videlicet, Guillelmo de Scala Dei, Raymundo de Sacramania, & Nunio de Vallebona, & Petrò de Fiterio, & Sancio de Bonavalle, & Ioanne de Sandonal, & Fegrino Priore de Buxedo, ostensæ sunt litteræ, & diligenter in communi audientia recitatæ Venerabilis Fratris nostri Guidonis, Cisterciensis Abbatis, & Generalis Capituli eiusdem Ordinis, quibus continebatur:*

4. *Quòd omnes Abbatissæ iam dicti Ordinis, tam in Regno Castellæ, quàm in Regno Legionis constitutæ, semel in anno certo die pariter in præfato Monasterio Capitulum celebrarent, & ad illam Ecclesiam, tanquàm ad Matrem conuenirent. Et cùm Abbatissæ prememoratæ Religionis ibidem præsentes haberentur, scilicet, Maria de Peralis, & Maria de Turrecremata, & Mencia de Sancto Andrea, & Maria de Carrizo, & Maria de Gradeficiis, & Tota de Canas, & Vrraca de Fonte calenti, quòd eis in his omnibus expediret, nos duxerunt consulendas. Nos verò communicato consilio supradictorum Abbatum, consuluimus eis, & illis, quæ nostræ subiacebant iurisdictioni mandauimus, vt tam maiora suorum maiorum deliberationi, & statutis honestate plenis humiliter parerent, & deuotè; & quod tanta authoritate fuerat prouisum, studerent adimplere. Quod omnes prememoratæ Abbatissæ sè humiliter subiuras,*

ſtarat, & firmiter obſeruaturas vnanimiter in continenti promiſerunt. Hactenus teſtimonium Epiſcoporum de prima illius Capituli actione.

5. Cæterùm, cùm duæ priores Abbatiſſæ, nimirùm de Perales, Gradefésque, in præſtanda obedientia Sanctæ Mariæ Regali, atque eius Abbatiſſæ Miſoli hærerent dubiæ; quippe quæ Monaſterio de Tulebras, atque eius Abbatiſſæ a prima vtriuſque Cœnobij fundatione, iure filiationis conſtrictæ eſſent; communi item conſilio deliberarunt id, quod iidem Epiſcopi ſubiungunt: *Quod duæ Abbatiſſæ*, ſcilicet, Maria de Perales, & Maria de Gradefes, *Abbatiſſam de Tulebris* (de quo Monaſterio ſuas Eccleſias profitebantur progreſſas, & eidem eſſe filias) *conſulere voluerunt, vnum ex duobus intra breue tempus præſtu effectum*, ſcilicet, *vt iam dicta Abbatiſſa de Tulebris eas ab omni obedientiæ debito, conſiderata Generalis Capituli Ciſtercienſis ordinatione incunctanter abſolueret; vel eam ad Monaſterium Sanctæ Mariæ Regalis, ſimiliter ſine mora, ſecum adduceret. Sed, ſi neutrum iſtorum efficere præualerent, nihilominus iuxta tenorem litterarum Guidonis Ciſtercienſis Abbatis, & Generalis eiuſdem Ordinis Capituli, quod ſerie earundem litterarum erat comprehenſum, ſponte adimplerent. Facta charta apud Burgos, quinto Kalendas Maij, Æra M.CC.XXVII.*

6. Solutum tunc, prorogatúmve Capitulum in dubio eſt: conſtat vtrunque Mariam Abbatiſſam vtriuſque Monaſterij aduiſſe Matrem Abbatiſſam de Tulebras, atque ab ea miſſionem impetraſſe: (nam quis Regi petenti contrairet?) Tum verò hoc ipſo, ſeu forte ſequenti anno; neque enim tempus inſtrumento ſubeſt, iterum congregatas eaſdem ſeptem, quin & cum eis Abbatiſſam Sanctæ Columbæ; & Abbatibus tribus præſidentibus, ordinaſſe complura, quæ tunc naſcentem promouerent Congregationem. Hinc Capitulum annuum celebrandum in die Sancti Martini, quo iam, nimirum, à generali reduces, præſidere Abbates, & ſi quid forſan in eo ordinatum eſſet, ſtabilire; Abbatiſſæ Regalis Monaſterij obedientia firmata, atque eius viſitatio ſuſcipienda; ſed & ipſa viciſſim viſitanda per quatuor Abbatiſſas primas, more Ciſtercij: & ſi quæ alia vtilia viſa ſunt, communi, & maturo conſilio deliberarunt. Verùm hæc omnia in eiſdem Actis contenta, altiùs licèt principio repetito, ne truncа Domus (illuſtre monumentum antiquitatis, in re neque frequenti, neque vulgari,) vt ab ipſis Abbatiſſis notata ſunt, hùc neceſſariò duxi tranſcribenda. Sic autem habent:

7. *Pateat omnibus, quòd nos Abbatiſſa Regnorum Caſtellæ, & Legionis, ego, videlicet, Maria Abbatiſſa Monaſterij de Perales, & ego Maria Abbatiſſa Monaſterij de Gradefes, & ego Toda Abbatiſſa Monaſterij de Canas, & ego Maria Abbatiſſa Monaſterij de Tiarecremata, & ego Vrraca Abbatiſſa Monaſterij de Fontalmeſij, & ego Mentia Abbatiſſa Monaſterij Sancti Andreæ de Arreio, & ego Maria Abbatiſſa Monaſterij de Carrizo ad Monaſterium Sanctæ Mariæ Regalis prope Burgos, tanquàm ad Matrem ſpiritualem, Æra M.CC.XXVII. quinto Kalendas Maij, ad annuum celebrandum Capitulum ex præcepto Domini Guidonis Ciſtercienſis Abbatis, & Generalis eiuſdem Ordinis Capituli conuenimus, præſentibus Religioſis perſonis, Epiſcopis, ſcilicet, Palentino, Burgenſi, & Seguntino, Abbatibus quoque Ciſtercienſis Ordinis, & Habitus, Guillelmo Scalæ Dei, Raymundo de Sacramania, & Nunio de Vallebona, & Petro de Fitero, & Sancio de Bonavalle, & Ioanne de Sandonali, & Fegrino Priore de Bugedo.*

8. *Nobis igitur paratis ad explenda, quæ Capitulo conuenerunt, obſtitit quidam, quòd, videlicet, Abbatiſſa de Perales, & Abbatiſſa de Gradefes propoſuerunt, ſi non poſſe in aliquo obligare Sanctæ Mariæ Regalis Monaſterio, & Abbatiſſa, donec ab eo debito, quo tenebantur Abbatiſſa Monaſterij de Tulebras, eò quòd Domus earum filia eius eſſent in Domino, & ab ea ſuæ inſtitutionis primordia, & Conuentum Monachalem accepiſſent, abſoluta ab eadem Abbatiſſa redderentur, & exempta. Præfatæ ergo duæ Abbatiſſæ adierunt Abbatiſſam de Tulebris matrem ſuam, & ab ea potuerunt ſanè, & ſalubriter impetrare, quòd vel ipſamet ad Capitulum Sanctæ Mariæ Regalis, prope Burgos, pariter cum præſcriptis Abbatiſſis annuatim pro voluntate, & poſſe ſuo, tanquàm ad matrem accederet. Et ſi id fortè non liceret, eas ab omni illo debito & nexu, quo ei tenebantur, penitùs emanciparet: eis autem prætaxato modo iam liberis, oportuit nos prænominatas Abbatiſſas, & vnam, quæ tunc abſens fuerat, videlicet, Iulianam Abbatiſſam Monaſterij Sanctæ Columbæ, ad Capitulum recurrere ad Monaſterium Sanctæ Mariæ Regalis prope Burgos.*

Conuenimus igitur ibidem, præſentibus Abbatibus 9.
noſtri Ordinis, Abbate Nunio Vallisbona, & Martino Abbate Sancti Andreæ, & Martino Abbate Sancti Cypriani de Monte de Oca ad Capitulum; & in ea debita ſubiectione, & reuerentia, qua Abbates Ciſtercienſes Ordinis Cœnobiorum, Ciſtercienſi Abbati tenentur alligati; & nos quoque prænominatæ Abbatiſſæ pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris, Monaſterio Sanctæ Mariæ Regalis, prope Burgos, & eiuſdem Monaſterij Abbatiſſa Miſol, & ſuis ſucceſſoribus, & Conuentui nos adſtrinximus, & eritmus perpetuæ ſtabilitatis annexæ.

Inſtituimus præter hæc de communi tam inſtantis 10.
Abbatiſſæ, eiuſdem Monaſterij Miſol, quàm omnium noſtrùm conſenſu vnanimiter, quòd ad idem Monaſterium certo, & immutabili die feſto Sancti Confeſſoris Martini ſingulis annis omnes nos, & noſtræ ſucceſſores vſque in finem conueniamus ad Capitulum, & cantata Prima, mox conſequenter ingrediamur Monaſterium, & ingreſſo Capitulo eam reuerentiam, ſubiectionem, & debitum exhibeamus Abbatiſſæ eiuſdem Monaſterij; & omnia peragamus omnibus complementis, quæ Abbates Ciſtercienſis Ordinis Abbati Ciſtercienſi, & Generali Conuentui ſolent de conſuetudine exhibere.

Ordinauimus etiam, quòd vnaquæque noſtrùm co- 11.
mitata ſex famulis cuiuſlibet ſexus, & quinque equitaturis tantùm, accedat, & ipſa ſeptimaria computetur. Statuimus etiam pro zelo, & ſyncero affectu, præter Generale Capitulum, quòd quatuor ex nobis Abbatiſſa de Perales, Abbatiſſa de Gradefes, & Abbatiſſa de Canas, & Abbatiſſa de Sancto Andrea, præſentes, & futuræ, quæ illarum locum habebunt, & regimen, ſemel in anno ad viſitandum Monaſterium Sanctæ Mariæ Regalis, prope Burgos, excluſa omni occaſione, accedant, die, qua inter ſe ſtatuerint, illo eodem modo, & ordine viſitaturæ ſæpè dictum Monaſterium, & Abbatiſſam, & Conuentum, quo ab Abbatibus Monaſteriorum de Firmitate, & de Pontiniaco, & de Claraualle, & Morimundo annualiter Monaſterium Ciſtercienſe, & Abbas, & Conuentus viſitantur; & ſi contigerit, Abbatiſſam de Tulebris præfornato modo Monaſterio Sanctæ Mariæ Regalis ſubiacere, ipſa prima, & præcipua ſit de quatuor ſæpedicti Monaſterij Sanctæ Mariæ Regalis, & Abbatiſſæ, & Conuentus viſitatrix. Hactenus Acta ſecundi illius Capituli.

Sancti Cypriani, & Sancti Andreæ Abbates hi 12.
ſunt, de Riuo ſicco, & Palatiolis, quorum primus

mum Cœnobium, vt dictum est, ex Quintana Suarij translatum ad Montes de Oca, nondum ad ripas Hiberi transmeauerat: secundum à Sancto Andrea de Vallebenigna, vbi primùm fundatum nominabatur. Porrò de exemptione Abbatissarum de Perales, & de Gradefes, imò & de Cañas, extat & aliud instrumentum post decennium confectum coram Reuerendissimo Cistercij, quod suo loco addendum à nobis erit. Hoc fuit initium insignis Congregationis Sanctimonialium, quæ primùm sub Abbate Cistercij orta, mox sub eius Victoriis, demum inter Hispanos, Gallosque obortis dissidiis, hodiéque perseuerat, velut acephala. Nisi quòd tamen ex commissione Sedis apostolicæ per Episcopos solet visitari. Sed de his latè in sequentibus dicemus.

---

1. Margarita à seruitute liberata, 2. Mariæ Virginis ope, 3. multa in deserto patitur, 4. multa in vrbe. 5. Accusata de furto, 6. ad Mariæ inuocationem rursus dimittitur: 7. & alia quædam de ipsa remissiuè. 8. Vualteri Dunensis Abbatis mors, 9. virtutes, & præcipuè misericordia. 10. Heliæ successio: 11. atque sub ipso, Marchionis, Austriæ aduentus ad Monasterium.

CAPVT V.

1. INTER hæc Margarita Ierosolymitana, duro mancipata seruitio, gemebat sub verbere, & mortem, vltimum laborum præstolabatur. Cùm ecce quindecim in dira seruitute peractis mensibus, inopinata, nedum insperata libertatè potitur, interuenta eiusdam ciuis Tyrij, cui natus filius diu desideratus lætitiam simul, pietatémque infudit, redimendis captiuis Christianis, qui in Lachis morabantur, quocunque pretio. Itaque in die Purificationis B. Virginis exempta vinculis, quatuor & viginti mancipia, inter quæ Margarita numerabatur, optata libertate potita sunt, quocunque vellent, aut possent, abitura. Extant de his in Vita eiusdem Virginis sequentes versus:

Mœroris tanti finem faciens Hypapanti,
Qua concessa quies, est veneranda dies.
Si quæris scire, quis nos tunc fecit abire?
Nos redimit Tyrius, vir bonus, atque pius:
Cui puer optatus, eodem tempore natus,
Lætitiæ summæ maxima causa fuit.
Actis ter quinis hic mensibus est mihi finis
Luctus, iam dicta Virginis alma dies.

2. Cæterùm notatione dignum est, quod eadem Historia antè præmiserat, cùm omnes pene de vita desperarent, nedum de libertate, Cleticum Sanctum, vnum ex his, qui captiui detinebantur, præcepisse fidenter, vt Virginis Mariæ se commendarent, quæ nec vnquam memor sine fructu, nec sui memorum immemor existat. Tum verò cunctis Mariam inuocantibus, libertatem sequutam, in ipso sacro Purificationis ipsius die, quo & adesset remedium, neque posset de remedio dubitari. Ergo Maria duce, & adiutrice, exempti vinculis; sed nouis semper periculis obnoxij, quippe inter hostes positi, diuidi primùm, ne suspecti haberentur ex multitudine: dein, ne singuli publicè incedere, sed per abdita vallium, syluarúmve, atque ab oppidis procul deliberarunt. Cæteris, quid acciderit, non constat: Margaritam ab aliis separatam, solus & vilis saccus pro indumento, pro cibo corporis torta panis vnica; animæ, liber Psalmorum comitabantur. Sed hæc, & alia, quæ passa est in eremo, ipsam magis loquentem audiamus:

3. *Inde recedo citò: pagos, & publica vito:*
Dúmque capi timeo, sola latenter eo.
Captiua testis saccus pro tegmine vestis
Est mihi, cui desum, hinc color, inde calor.
Hic breuis, atque lenis, vix naturalia celat:
Et tamen est oneri, cui decor omnis abest.
Vnicus iste comes est per deserta vagantí
Cum libro saccus, res mea tota fuit.
Panis me torta sustentat quinque diebus,
Post quos radices sumo, docente fame.
Nil mihi de rebus humanis quinque diebus
Contigit solamen: vt queo, dego tamen.
Anxia sola vagor, eremus patet vndique lata,
Insuper, & bis sex præterunda vada.
Quid faciam? mortis sine metu discrimina mortis
Incurram? panis spes mihi nulla manet.
Ne redeam, mala me terrent experta: manere
Hinc vereor, ne sim præda voranda feris.
Audax esse metu compellor; transeo primùm:
Ordine quo primum, transeo cuncta vada.

His, & similibus preluris & tunsionibus expoliebat pretiosam Margaritam, qui Cistercio inserendam præparabat.

4. Mira sunt, quæ post hæc illi euenerunt, si non miracula. Sub diu dormiens, & nonnunquam operta niuibus, neque alsit, nec tiguit, cui solus ille saccus pro veste fuit. Vnde & ipsa exclamare solita erat:

Vnde calor niuibus?

Ferocem Parthum in sylua quadam inuentum, rapacissimum primùm; sed mox diuina manu interueniente, humilem & mansuetum experta est. Quippe qui librum, quod vnum prædæ parebat, per vim subtractum, cùm primùm tetigit, reddere compulsus, etiam pedibus eius se prouoluit:

Haud procul adspicio syluam, syluaque sub ora
Stat Parthus, Psalmos vi rapit ille meos.
Tristis discedo: sed, cùm iam longiùs essem,
Me vocat: & pedibus voluitur ille meis.
Pœnitet & facti valdè, reddítque libellum:
Sed tam deuotus Barbarus vnde mihi?

5. Hinc post varios casus, & pericula ad Antiochi portum, mox ad vrbem perducta, noua vtrobique discrimina subire coacta est, nullibi inuentura quietem ante Cistercium. In portu quidem, cùm abluendis nauium vestibus, vnde sustentaretur, operam daret, submersa vndis, ægrétque extracta, nec nisi amissis, quæ ibi comparasset, decentioribus sacco tegumentis, in vrbe verò obsidioni rursùs exposita, quippe vt ipsa ait:

Dum moror hic, gentilis adest exercitus ingens,
Qui me Ierosolymis ceperat: ecce dolor.

Sed vix huic periculo exempta, fugatis hostibus, cùm in aliud incidit, eò fortassè horribilius, quò singulariùs, & causa (quod molestius erat) prorsus degenere,

nere,nempe,ex cultello quodam casu inuento, notata furti,& coram Præside Barbato accusata, subitura supplicium, si non Mariam iterum inuocatam,rursus etiam habuisset liberatricem. Thomas Anglicus frater,dum ista narrat, inter ruborem imputati sibi flagitij,atque timorem,imminenti vindictæ politam,talia verba dicentem sororem profert:

6. *Quàm miserãda,proh,mihi mãserat,vndique pressa*
Pœnarum stimulis,quas metus ipse parat.
Tot mala sustineo,quot mox formido subire:
Sic vixisse diu,mortis imago foret.
Et quid agam? volo,nec valeo diuertere quoquam:
Extat vbique cliens,janua nulla patet.
Omnia me terrent,vultus,& verba loquentium,
Cum mihi sit nota Parthica lingua minus.
Expers consilij timor interiora dolore
Dum replet,in labiis Sancta Maria sonat.
Virginis ad nomen,Dominus stupet ille,benignus,
Et pius efficitur Ethnicus absque fide.
Conueniensque suos,super hoc, ait, ecce Mariam
Clamitat,hinc que meum me iubet ire locum.
Displicet hoc aliis: verum qua cura? quid inde?
Egredior, grates,Virgo Maria,tibi.
Capta Lachis per te sum libera: constat apertè
Hic quoque,sicut ibi,Dux sit honórque tibi.

7. Sic Margarita nobis in dies periculis expositа nouos protectricis suæ fauores experiebatur,vt iam non ipsi exitium minitarentur,sed fauores prætenderent: & quæ aliis pauendi, timendique; ipsi sperandi occasio: quippe non vt ab eis pateretur: sed,vt cognosceret,à quibus eruebatur,permittebantur. Sed nos nunc eam Antiochiæ relinquamus,quoadvsque cum exercitu gentili retuersa in Angliam, atque inde Galliam,dum fratrem quærit peragrans,tandem eius consiliis Monialem induat,ibidem vacatura Deo,& vitæ actiuæ laboribus transcensis,soli contemplationi consecranda.

8. Hoc ipso anno Venerabilis Vualterus, qui bis in Abbatem Dunarum electus fuerat,semel, nimirum, post Beatum Idesbaldum, circa annum M. C. LXVII. & iterum post Haketum circa annum M. C.LXXXIV. hoc tandem anno piissimè obdormiuit,vt habet Ægidius Dumensis in suo Chronico [a]. *Anno M.C.LXXXIX. obiit Dominus Vualterus, Abbas Dumensis.* Hinc corrigendus venit Chrysostomus Henriquez in Menologio, qui vtrumque tempus Abbatiæ eius confundens, dum eum cessisse in veritate prodit, duos miscet errores, haud dissimulandos; alterum ignorari, quo anno obiit,quamuis constet, quo cessit; alterum successisse Heliam cedenti: in cuius ipse fauorem renunciauerit. Verùm cedenti Haketum successisse, perspicuum est. Porrò,cùm ipse Hakero mox successerit,non ante mortem vltrà renunciaturus, eodem anno obiisse constat,quo Abbatiæ vacauit,& quo eidem Helias suffectus legitur. Verum est tamen,eundem in Fasciculo, ex Adriano Buzio vtriusque præfecturæ tempus distinguere, atque asserere vtrique resignasse. Sed præfero testimonium Ægidij longè antiquius: nec credam facilè,qui semel resignauit, vitum constantem,iterum acceptasse resignaturum.

a *Augusti 8.*

9. Memoratur inter alias eius virtutes, misericordia, de qua hæc habet Henriquez,sumpta,vt testatur, ex antiquis Manuscriptis [b]: *Inter cætera verò hoc memorabile fertur, quòd in die Sancti Martini, ad eius imitationem, habens in via pauperem obuium ferè nudum,propriam exuens tunicam eidem concesserit, & ferè nudus ad Monasterium reuersus fuerit. De ipso etiam in antiquo libro Manuscripto eiusdem Cœnobij, hæc verba notatu digna leguntur: Charitate præ nimia agebatur bonus Abbas, ita vt si licuisset, totam etiam substantiam libenter pauperibus contulisset.* Hactenus ille, qui virum inter Illustres Cistercij memorat ad vigesimamoctauam diem mensis Augusti.

b *vbi suprà.*

10. Vualtero Helias suffectus est, vir antecessoribus suis per omnia dignus,de quo hæc habet Manuscriptum Dumense Chronicon [c]: *Sextus Abbas de Dunis Dominus Helias, quondam Prior Domus ab omnibus electus: vir prudens,magni nominis,ac sincera Religionis cœpit præsidere circiter anno Domini M.C. LXXXIX. ac laudabiliter quatuordecim gubernaculatenuit.* Consonat Ægidius [d] de Roma,loco suprà.Cæterùm,quæ sub eius initium Præfecturæ Dunis contigerint,satis admiranda:si tamen certa: neque enim ab Authoribus Domus Austriæ,aut ab aliis antiquis notata lego; quia digna Annalibus,& aliàs ad inferiùs dicenda multùm conducunt,prout narrantur ab Adriano Buzio,operæpretium duxi hìc transcribere:

c *apud Henriq in Fasciculo.*

d *lib. 1.dist. 5.cap.9.*

11. *Huius tempore* (Heliæ,videlicet,) *Astulphus Dux Austriæ ad Monasterium de Dunis declinauit, & illic incognitus seruitio coci se subdidit: & gratum seruitium promptè exhibens,se cunctis amabilem præstitit: quare à Domino Helia Abbate è coquina susceptus est propter innatam eiusdem Ducis vrbanitatem in cubile suum,vt obsequium eius experiretur. Interea Parentes hunc vbilibet locorum quærentes, & nutu Dei ad Abbatiam diuertentes ingressi, cum iuxta Abbatem, quem quærebant, agnoscerent, flexis genibus, iuuenem ipsum Ducem Austriæ salutabant. Ignarus Abbas, & stupefactus,qui non valeat eum retinere,tanto se Principi commendans,quod minus egerat circa eum,petiit humiliter sibi indulgeri.* Hæc Adrianus Buzius. Astulphum hunc eundem cum Leopoldo fuisse vult Henriquez,vt inde ad alia,quæ idem Buzius narrat,transitum faciat. Quicunque fuerit,si idem ipse fuit,qui Regem Angliæ Richardum,reducem ab Oriente captiuum tenuit; sub initiis Helianæ Præfecturæ Dunis aduenisse, necesse est, suis, nimirum,restitutus ante biennium,quo ea captio contigit,vt suo tempore fusiùs differemus.

---

1. *Sanctarum Colonienſium Virginum corpora*, 2. *ad Veterem Montem miraculosè adducta*, 3. *tranſlationem præcedente alio miraculo, reuelationéque*, 4. *Monachos ſupra modum lætificarunt.* 5. *Turbata tamen lætitia, atque deuotio, Dæmonis illuſione*, 6. *qua Goſuini Abbatis fide detecta*, 7. *nouo alio miraculo: quod in eis tandem vtranque cumulauit.* 8. *Collocatio ſacratum exuuiarum:* 9. *& ratio temporis,ex Abbate ipſo deducta.*

CAPVT VI.

1. SELERIS ſatis, iucundáque Hiſtoriola, quam Tomo I. ex ignorantia temporis fundationi ſubiecì Veteris Montis, maiori nunc,clariori notitia,exactiùs nobis venit repetenda. Quippe circa hoc tempus plus,minúſve,illuſtre Monaſterium in Diœceſi Coloniæ nobilitauit; & Monachos

chos suauitate multa perfusos, in gratiarum actionem, & Dei laudes, per merita multarum Sanctarum Virginum, ex Vrsulæ sociabus, mirè accendit: quæ partim in Tabella vetusta eiusdem Domus, quæ hodiéque seruatur; partim à graui, coæuóque Authore Cæsario Heisterbacensi memoriæ prodita, hoc nobis Capite venit referenda.

2. Adducta illuc, ad Veterem Montem dico, dubium, an hominum, an Angelorum manibus; certe si hominum, prorsus ignotorum, corpora sacra Virginum: sed ita adducta, vt nisi duplici miraculo prodente veritatem euentus, & constante vtrique reuelatione, pignora sacra ignota adhuc manerent, nedum ingloria. Cæsarius supra mille corpora ait [a], confluxisse ibidem: *Retulit mihi Monachus quidam de Veteri Monte, in quo amplius, quàm mille dicuntur esse corpora,* (nempe, Sanctarum Virginum,) *quòd multas falsus inter se esse patiantur reliquias.* Hæc ille. Quasi viam parans Historiæ. Cæterùm, quod ad numerum attinet, per exaggerationem dictum, credendum est, vt nullum certum determinate vellet, sed multitudinem, quæ Domum eam in hospitium sibi elegerint; neque ignotæ inter Monachos manere, sed familiares, præcedente ad hoc ipsum reuelatione Conuerso Sancto facta eiusdem Domus, quæ miraculo, inuentionéque firmata, omnem prorsus excluserit dubitationem. Porrò hæc reuelatio, inuentióque, ac miraculum medium inter vtranque, dicitur conseruare Tabella satis antiqua [b], quæ in Choro Conuersorum appensa, ante Sanctæ Crucis altare, hæc habet verba:

[a] lib. 8. c. 88.

[b] apud Longelium lib. 2.

3. *Accidit tempore quodam, quòd Conuersus quidam, vir religiosus, qui tunc fuit Cellerarius Curiæ in Mainrode, in Festo SS. undecim millium Virginum, intempesta nocte surgens, & properans ire ad Monasterium Veteris Montis: & dum iret, vidit, & audiuit Processionem magnam, & pulcherrimam præcedentem eum, quam sequebatur latus, & gaudens, vsque dum clausis ianuis, Monasterium intrassent: ipse vero penitus ignorabat, quid esset, vel quo modo intrasset; & sic in Monasterio obdormiuit. Postea venit custos pulsando primum signum in Monasterio solito more ad vigilias nocturnas, & inuenit hunc Fratrem solum in Oratorio, & admirans valde, inter signa interrogauit eum, si ibidem pernoctasset, vel quo modo clauso Monasterio, intùs venisset. Conuersus stupefactus, vlteriùs procedens, nihil respondit. Postea finitis Horis nocturnis, custos huius rei non oblitiosus, aduocans sibi Monachos, & Fratres, interrogauerunt præditum Fratrem, quomodo intrasset: qui dixit: Fratres mei, scitote, quia non meis meritis, sed per gratiam Dei, & per merita SS. Virginum, cum processione gloriosa intrani. Et singula, quia acciderant, humiliter enarrauit. Ergo laus, & gloria sint Deo, B. Virgini Mariæ, & Sanctis Virginibus in sæcula sæculorum. Amen.* Hactenus Tabella. Nunc reliqua ex traditione, vt puto, eiusdem Domus, vt Longelinus narrat [c]; reliqua verò ex Cæsario prosequamur.

[c] vbi supra.

4. Sequenti die sacræ ipsæ exuuiæ sanctorum corporum in Capitulo Monachorum inuentæ dicuntur, compositæ decenter, deuotéque: & quantò minùs vnde, seu quà venissent, compertum Monachis; eò magis inflammasse cunctorum corda. Quæsitos se ex Colonia sactis Virginibus, atque electos præ aliis, non quia mererentur; sed vt mereantur. Terrena dona merita anteire, si benè collocentur; cœlestia subsequi; atque ea in primis sibi conuenire, non quia Sanctos inueniant, sed vt faciant. Eò plus in his gratiæ, quò minùs meriti; atque eò animos exigere gratiores. Quippe nec soli peccatores etant, nec soli mortibidi, quos quæreret sacrandos; & se præ aliis electos, ingentis beneficij loco habendum fore. Cui nisi æternùm suis se hospitibus, & per eas Deo, velut nobis vinculis obligent, quando non condemnentur, velut ingrati? Simplicem se Sanctorum Angelorum habuisse hactenus; iam duplicem custodiam habituros: atque hanc secundam Angelorum simul, & hominum, *quia semper Angelis cognata virginitas* [d]. Vt quæ priores, multarum minùs possent exempla virtutum; posteriores, vel in fragili sexu, eóque audentius imitanda ministrarent.

[d] ....

5. Hæc, & similia dum Fratres secum conferrent inuidit Dæmon; neque ferre valuit, aut cultum Virginum, aut colentium feruorem, aut Dei gloriam. Ergo vt turbaret, in fide Monachorum, hæc omnia bona; & veritatem corporum sanctorum reuocaret in dubium; os equinum miscuisse sacris ossibus, comprobauit euentus; indéque fecit fœtorem tantum erumpere, vt vix, qui aderant, possent tolerare. Mutatæ protinus, quorundam in teporem, quorundam in dubium, mentes, affectúsque: & erant, qui se non omninò permissos decipi; sed præuentos miraculo, atque sacrilegæ veneration subtractos, gratularentur. Respexisse ad eorum innocentiam, qui corda nouit; nec voluisse, quæ semel irreplissent falsæ Reliquiæ, à seruis suis ignaris vlteriùs coli. Sæpè Angelum Satanæ transfigurare se in Angelum lucis; quod etiam tunc contigisset Conuerso illi, cui facta reuelatio, non dubitabant: vt nec credebant per Angelos adducta, quin per Dæmones potiùs, quæ tantus fœtor ossa comitaretur. At multò magis, cui se dudum vouissent, fidelem Dominum, nec passum esse tentari seruos suos vltrà quàm possent, aut in his, quæ non possent superari. Prodidisse consultiùs nequitiam communis hostis, ne vlteriùs deciperet. Quare vt hactenus grates pro sactis ossibus (immenso haud dubiè dono, si vera essent,) ita deinde pro detectis fraudibus, atque errore præuenti, forte & maiores à cunctis agendas fore.

Ita multorum animi fluctuabant, titubabat deuotio: cùm alij è contra, Conuersum virum sanctum, simplicem, iustum, & cuius soli attestationi simplici, nedum tanto miraculo firmatæ, debaret credi. Potuisse Dæmonem illusisse illi: sed nunquid non & ipsis posset illudere? Conuersi illusi nullum fructum esse, quem sibi reportaret; succensis Monachis in amorem Dei, cui referebant donum, & excusatis à superstitione, ex errore probabili, qui miraculo manifesto cunctis subiteretur. Ast huius fraudis, impeditam deuotionem, feruorem remissum, atque ipsas exuuias sactas abiectas, satis sibi appetendam mercedem fore. Qui citò credunt, leues esse corde: quantò leuiores, qui à fide citò resiliunt? Petant à Deo, rogent, instent, orent, vt veritatem detegat; tunc demum certi alterutrum factuti. Assensit his Venerabilis Pater Gosuinus, sextus ordine Abbatum, qui ea tempestate Cœnobio præerat; & soli Deo relinquens detegendum totum negotium, quippe cui cuncta patere manifestè, cuncta etiam obedire non dubitabat; in eius nomine, virtutéque præcepit, vt quicquid esset fœtoris illius causa, statim se se proderet; vt inde tandem detecta veritate, aut cultus debitus pignoribus, si sacris; aut si non sacris, grates, pro fraudibus detectis, exhiberentur. Porrò, quid statim miraculi euenerit, quo verum vero magis consonaret; & quod priùs in Conuerso euenerat, alio in omnium præsentia confirmaretur, narrat Cæsarius eiusdem Author temporis; nec nos aliis vtemur, quàm eius verbis [e]:

[e] lib. 8. c. 89.

6.

7. *Tempore quodam, cùm plurima illuc* (id est, ad Veterem)

tarem Montem) *allata fuissent corpora, Monachi laverunt illa; cumque ea posuissent super sedes Capituli, panno munda substratis, vt siccarentur, fœtor intolerabilis, quasi ex eis exhalans, omnium nares infecit. Timens Dominus Gosuinus Abbas fœtorem eundem, ex aliqua Diaboli ludibrio fuisse creatum, vt per eum detestationem Fratrum erga Reliquias Martyrum extingueret; assumptis secum Sacerdotibus, vestes sacras induit, cum quibus circa altium Capituli stans, sic ait: Adiuro te, immunde Spiritus, per eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem, vt si aliquid tui operis est in hoc fœtore, manifestetur, & annihiletur; desque honorem Deo, & Sanctis his. Mira res! Vix verba compleuerat, & ecce os grande equinum, cunctis videntibus, de medio Reliquiarum exiliens, extra Capitulum, quasi turbine impulsum, proiectum est, cum quo & omnis fœtor extractus est, aduenitque suauissimus. Tunc omnes Deo gratias egerunt, qui & Diabolum in suo opere confudit, & Sanctos suos glorificauit.* Hactenus Cæsarius: vt nouo hoc, patentique miraculo veritas confirmata altiùs infigeretur cordibus omnium.

8. Mansêre exinde in eximia veneratione sacræ exuuiæ Virginum; & distributæ per altaria Domus, primùm in Templo veteri, & humili, mox in superbo, & nouo, quod anno M.CC.LV. inchoatum, non ante M.CCC.LXXIX. perfectum est, pretiosa gleba repleuerunt lapideas aras; in quibus venerantur, & ex quibus continua Dei auxilia, ac perpetuam custodiam Monachis impetrant. Quanuis inde etiam ad nos vsque dispersa, Hispaniam illustrauerint; atque interuentu Beati Christi Martyris Engelberti, Archiepiscopi Colonienſis, ingens earum thesaurus translatus sit ad Monasterium Sancti Petri prope Gumielem, cùm Abbas huius Domus, pro grauibus negotiis Regni Castellæ, à Ferdinando, cognomento Sancto, ad Imperatorem missus peragraret Germaniam, vt Tomo quarto latiùs referemus. Hæc de Historia sacrarum Reliquiarum Veteris Montis, quantùm ex antiqua Tabella, Cæsarióque, & traditione Domus licet colligere.

Verùm, quod ad rationem temporis attinet, circa hoc accidisse, inde coniector, quòd totum hoc sub Gosuino Abbate factum, ipsúmque fuisse, qui Dæmonem adiurauit, compescuitque, Cæsarius narrat. Porrò Gosuinus sextus Abbas Montis, nanque Bernoni ex Morimundo misso, Landelinus, huic Hermannus successit, & illi Rixo: post quem Bodo creatus, qui Gosuino locum suum reliquit, anno M.C.LXXXX. quem vsque ad annum M.CC.II. tenuisse dicitur. Quare vt non ausim dicere, quo anno miracula euenerint; at non longè ab isto, compertum est; quippe in Gosuini Præfectura medio, adeóque à nullo distante, etiam extremo. Quicunque fuerit, glorioſus noſtris fuit, præcipuè Montenſibus; & qui multiplicatis signis de Cœlo, Virgines exaltauit, confudit Dæmones, confirmauit Monachos, lætificauit Angelos, & Dei super omnia potentiam manifestauit. 9.

---

1. *Varij obitus Fratrum in Hemmenrode.* 2. *Præuentus Rudingerus*, 3. *& à Gerungo*, 4. *& alio Conuerso fugati Dæmones.* 5. *Quid Thomas passus.* 6. *Et qualiter seductus.* 7. *Conuersio militis satis singularis.* 8. *Chronologia*, 9. *& distincta quædam Cœnobia.* 10. *Dictum de Rosea valle, Hybernia Domo*, 11. *de Paradiso, & aliis subobscurè.*

CAPVT VII.

1. INTERIM in Cœnobio Hemmentrodenſi non solùm Sancti & iusti; verùm & dyscoli, si qui inueniebantur, cæterorum constantiam confirmabant. Nam, quid non sperandum Viris perfectis, vbi nec poterant segnes desperare? Quid integri timerent, quanuis timerent, vbi vel fragiles, imò & fractos dudum aliorum orationes consolidabant? Audi Cæsarium loquentem de Rudingero, qui obiit hoc anno, hoc est, decimo à morte Sancti Dauidis, postquàm nec semel non solùm cecidisset: verùm quod omnium malorum radix est, à sacra professione retrocessisset vilis Apostata.

2. *Fuit* (inquit [a],) *in eodem Claustro Monachus quidam, Rudingerus nomine, secundum nomen suum satis* a lib. 11. c. 14. *rudis in conuersatione: in Ordine siquidem minùs ordinatè vixerat, &, quod deterius erat, sæpius apostatando, tempus pœnitentiæ sibi concessa inutiliter consumpserat. Circa finem vitæ suæ reuersus, & receptus, hydropisis morbo percussus est: qui cum die quadam ante lectum suum sederet, & orationes aliquas diceret, Beatus Dauid ante annos decem defunctus, in effigie nota ingrediens, cum duobus æque defunctis, ait: Frater Rudingere, quid agis? aut quomodo habes? Respondit ille: Sicut homo pauper, & infirmus: corpus per tumorem distenditur: & quod me plùs angit, multorum criminum mole conscientia grauatur. Quem Sanctus consolans dixit: Diu quidem male vixisti: sed hodie scias, te moriturum. Ego Dominam nostram, Sanctam Dei Genitricem, & reliquos Sanctos pro te rogaui, & duros eos inueni: & nisi exauditus fuero, totum cœlestem exercitum pro te mouebo. Sicque disparuit. Quod cùm ille Domino Hermanno Abbati, quandoque Sanctorum Apostolorum Decano, & tunc in Claustro Priori recitasset, respondit ille: Bene Domine Rudingere, vos estis vir prouecta ætatis, & infirmus, & citò moriemini: nolite dicere nisi veritatem. Benè nouerat vitam eius, Respondit infirmus: Si nõ fuero mortuus hodie, hora nona diei, falsa sunt, quæ dixi. Quid plura? Hora prædicta Monachus moritur, & de visione Prior certificatur.* Hactenus ibi.

3. Præcesserant hanc mortem duæ aliæ non multo tempore, cùm adhuc illic Hermannus Priorem ageret, quas hîc non minùs censui subiungendas [b]: *Mortuus est in eadem Domo quidam Conuersus, nomine Gerungus: iste ante conuersionem, quorundam Episcoporum Treuerensium, successiuè tamen, fuerat dispensator, & durus pauperum exactor: tandem quorundam admonitione persuasus, Hemmenrode venit, vbi in habitu seculari tempore aliquanto de proprio vixit. Tactus graui infirmitate magis timore gehennæ, quam amore patriæ, Habitum induens, in Infirmatorium Conuersorum deportatus est. Qui cùm ad extrema deuenisset, & in lecto suo solus iaceret, aspiciente quodam Conuerso, nomine Ludone, vultures adulantes in pertica lecti eius resedêrunt, cum quibus homines tetri, magni, atque deformes intrantes, eum-* b lib. 11. c. 15.

dem circunſtiterunt. Iam dictus Ludo de viſione primùm admirans, & poſt paululum, quòd Dæmones eſſent, qui morientium animas quaſi eſcam præſtolentur, recogitans, alta voce clamauit: Quid ſtatis ibi vos, Domini? Egredimini. Qui cùm minimè obedirent, ſecundò clamauit: Ego vobis præcipio in nomine Domini, vt exeatis. Ad quod verbum mox viri egredientes, & vultures auolantes, nuſquam comparuerunt. Iacebat autem idem Ludo infirmus in lecto oppoſitò, vir ſenex, & religioſus, corpore virgo. Viſio hæc, ſicut & ſubſequentes, relata eſt mihi à Domino Hermanno Abbate, tunc ibidem Priore. Quantùm verò agonizantibus Fratrum præſentium oratio proſit, eadem viſione declarabitur.

4. *Circa idem tempus alius quidam Conuerſus illic moriebatur, homo quidem ponderoſus, & tardus, & ideò cæteris deſpectus: qui cùm poſitus fuiſſet ſuper mattam, finiſque eius adeſſet, duo cerui adulantes inopinatè gyrauerunt circa illum: tandem in trabe, quæ capiti eius imminebat, reſidentes: quos vt vidit Frater Henricus, cuius ſæpe in ſuperioribus mentio facta eſt, Demones ibi eſſe ſuſpicans, quidnam facturi eſſent, expectauit. Interim pulſata eſt tabula, & accurrit Conuentus: cumque Crux interferretur, columba niuea illam præcedens, oſtium Infirmarij prior intrauit, & ſuper iam dictam trabem volitans inter eoſdem cornua media reſedit: cùmque cum illis decertaret, hinc inde alis eos verberans, tandem adepta victoria, & de Domo eliminatis, ipſa in loco eorundem tandiu erat reſidens, donec Conuerſus expiraſſet, & donec lotus, & feretro impoſitus, eodem loco reſtitutus fuiſſet: quem cùm ab Oratorium Fratres deportarent, columba eadem auolans, Crucem præcedebat: ſicque nuſquam comparuit.* Hi ſanè exitus Hemmenrodenſes Monachos, vel dyſcolos, aut ſegnes præſtolabantur.

5. Sub idem tempus contigiſſe puto Monacho cuidam Thomæ eiuſdem Domus, vt à Dæmone abſtractus, & illectus, atque ad immane præcipitium ductus carnis, & apoſtaſiæ, nihilominus ſibi reſtitueretur [c]: *Stabat aliquando Conuentus in horto, plantarium caulium terræ infigens: ſtabat & Monachus vnus cum cæteris, Thomas nomine, cui talis cœpit cogitatio ſuboriri: Si modò eſſes in domo patris tui, ancilla tua non dignaretur tam vilissimum opus facere. Exiuit ergo de medio Fratrum cum indignatione, illuc eum ducente Spiritu ſuperbiæ, vbi facilius eum poſſet impugnare. Cùm ergo in ſilua ſolus eſſet, tentator adfuit: & qui priùs ſola cogitatione pulſauerat, nunc aperta impugnatione, & viſibiliter aggreditur. In ſpecie namque mulieris apparens, cœpit alloqui eum. At ille digitum ſuperponens ori ſuo, ſignificauit non licere loqui ſibi. Sed mendaciorum omnium caput, & pater illicò per mulierem illam fantaſticam, quam effigiauerat, ad deceptionem reſpondit: Quid hoc ſit, inquit neſcio: ego venio de Conuentu, & Prior dedit mihi licentiam, vt loquar tecum.*

6. *Credidit ille, & loquutus eſt. Tunc illa aſſeruit parentes ipſius miſiſſe pro eo, & oportere eum Treuerim ire ſecum ad emendum equum, & ſic tranſire in terram ſuam. Præcedendo igitur miſeram miſerum ducebat, ipſa quidem fruteta rum omnium condenſa ſine impedimento tranſiens; ille verò cum magna difficultate ſequebatur. Tandem aſperitate itineris, & laboris turbatus, In nomine, inquit, Patris quomodo ſic imus? Quo dicto, maligna illa mulier citius euaniuit. Et cum cœli eſſet ſerenitas magna, eadem hora circa eum facta eſt tempeſtas, & pluuia, ipſumque madefactum exterius, interius confuſum remiſit ad Conuentum. Confeſſus poſteà eſt, quòd quandiu cum muliere illa deambulabat, maximam carnis titillationem habuerat.* Hæc, & ſimilia, quæ paſſim contingebant, dum feruentes allìciunt, tepidos terrent, omnes in propoſito ſancto conſolidabant: neque erat, qui auderet degenerare, & vix qui poſſet.

7. Hinc multæ in Hemmenrode conuerſiones nobilium diuitum: neque vllum pene genus hominum erat, ex quo non plures Sanctuarium illud aditent, & veluti ciuitatem refugij quærerent, ex quæ ſibi ſalutem prouenturam, non dubitarent. Referam vnius militis aduentum circa hoc tempus, quia ſingulare [d]: *Miles quidam Vualevuanus conuerti deſiderans, cum deſtrario, & armis ſuis Hemmenrodt venit, armatus Clauſtrum intrauit, & ſicut mihi retulerunt ſeniores noſtri, qui tunc præſentes erant, portario ducente per medium Chorum vadens, Conuentus inſpiciente, & nouam formam conuerſionis mirante, ſuper altare Beatæ Virginis ſe obtulit, armiſque depoſitis, in eadem Domo Religionis habitum ſuſcepit. Viſum eſt ei congruum, ibi militiam deponere ſæcularem, vbi aſſumere proponebat militiam ſpiritualem. Adhuc vixit vir bonus, & religioſus, priùs inter Monachos Nouitius, poſteà ob humilitatem factus eſt Conuerſus.* Ita Cæſarius. Atque hæc pro nunc ſatis de Hemmenrode, præcipuè plura in ſequentibus dicturis. d lib.1.c.37.

8. Quod attinet ad fundationes Monaſteriorum, octo lego notatas in Chronologia; ſed quarum aliquas ſuperiùs recenſuimus, aliæ prorſus incognitæ: aliæ hìc nobis veniunt deſcribendæ. Earum ſyllabum tranſcribam pro more noſtro.

Anno M.C.LXXXIX. quintodecimo Kalendas Iulij fundata eſt Abbatia Vallis Sanctæ Mariæ.

Eodem anno, decimoprimo Kalendas Auguſti, Abbatia de Karlion.

Eodem anno, decimoprimo Kalendas Nouembris, Abbatia de Roſia valle.

Eodem anno, quinto Kalendas Nouembris, Abbatia de Benhuſin.

Eodem anno, decimoſexto Kalendas Aprilis, Abbatia Vallis Sancti Petri.

Eodem anno, Abbatia de Sala in Tuſcia.

Eodem anno, Abbatia de Paradiſo.

Eodem anno, Abbatia de Albacia. Hactenus ibi.

9. De Valle Sancti Petri, ſiue Heiſterbach ſatis, ſuperque præcedenti anno dictum, quò verè cœpit: ſed nec tranſlatio domus, deſcenſióve de monte ad vallem, in hunc annum, vt conſtat, referri poteſt. Sic & Sanctæ Mariæ Valles tres in ſuperioribus à nobis diſtinctæ manent: neque ex Geneſibus quartam deprehendas. Niſi quòd tamen in Syllabo Eccleſiarum, quarum lineæ ignorantur, apud Henriquez, legitur inter alias quædam ſub tali titulo: *Vallis Sanctæ Mariæ Scatteluni, Meſenſis Diœceſis.* Lego & in tabulis Eccleſiarum Clarævallenſium *Vallem Sanctæ Mariæ de Conkeſtone, filiam Cumbemariæ.* Sed quæ in Geneſiſibus ad me ex Gallia tranſmiſſis, non inueniuntur ſaltem ſub his notis.

10. Roſcam vallem, aliàs Monaſterium, aliàs de Roſglas: nam Trinomia Domus in Hibernia Iacobus Vvaræus his verbis memorat [e]: *Roſglas, aliàs de Roſea Valle, vulgo Monaſterium* (Monaſterium ad ripam Barroi fluuij in Comitatu Kaldariæ) *Ciſtercienſibus eſt poſitum M.C.LXXXVIII. ſecundum Annales Monaſterij Beatæ Mariæ Dublinienſis M.C.LXXXIX. nomen habet à Sancto Euvino è cuius ſcriptis multa ſe hauſiſſe fatetur Joſcelinus de Furnes, qua Operi ſuo, de Vita Sancti Patricij inſeruit: ædes ibi ſpecioſas extruxit honoratiſſimus vir Adamus Vicecomes de Elis, Hybernia Cancellarius.* Pertinet e in Catalogo Monaſt. Hyberniæ.

tinet Domus ad lineam Clarævallis, filia Vallis salutis, vt habent Tabulæ Ecclesiarum Clarævallensium. De Sancto Evvino dicere non ausim, an eius Domus Monachus, an ibidem sepultus, aut qua occasione Cœnobio nomen dederit.

11. Paradisos duos inter Ecclesias Cistercij, Authores memorant, alterum in Gallia, in Polonia alterum: sed hunc tempore longè posteriorem. Quippe sub annum M.CC.XXXIV. vel M.CC.XXXVI. quo anno designatur in Chronologia: igitur prior illa hoc anno surrexisse credenda est, de qua hæc solùm in Roberto Claudio lego[f]: *Paradisus Ordinis Cistercienſis, Diœceſis Ambianenſis.* Salam in Tuscia Miræus[g] hoc anno notat, poniturque inter filias Stafardæ de linea Firmitatis: de aliis nihil certi, quod dicam, habeo. Inueni tamen post hæc adhuc scripta in Gaspare Iongelino Bebenhausen notitiam non vulgarem, quamuis ex ipsa varietate dubiam, quæ Rudolphum Palatinum Comitem Tubingensem, consentientibus vxore, & liberis, & confirmantibus glorioſiſſimo Imperatore Friderico, eiusque filio Rege Henrico, Monasterium Bebenhausen construxisse, atque Ordini Præmonstratensi deputasse: in quo tamen mox Cistercienses Monachi Henrici VI. Imperatoris authoritate introducti fuerint, idque ad annum M.C.LXXXI. Et tandem cõcludit: *Anno Domini M.C.LXXXVII. Monaſterium Bebenhauſen præclarè dotatum fuit à Friderico Sueuiæ Duce, Imperatoris Barbaroſæ filio, tradita ampliſſima Sylua Schaimbuch. Conuẽtus Fratrum, ex Schonaugia, permiſſu Regis Henrici, eò ingreſſus eſt, anno Domini M.C.LXXXIX. ſub I. Abbate Diepoldo. Rodulphus Fundator obiit anno M.CC.XV.* Prosequitur seriem Abbatum Bebenhausensium, & Principum Cœnobij benefactorum, aliorumque in eo conditorum, cum aliis quibusdam, quæ ad clariorem notitiam Domus facere possunt.

f *in Catalog. Monaſt. Galliæ.*

g *in Chron. Cyſterc.*

ANNVS CHRISTI M.C.XC. CISTERCII XCIII.

1. Balduinus abdicata Legatia, 2. atque ordinata Eccleſia Cantuarienſi, in Syriam traiicit. 3. Tunc Garnerio Clarauallis Abbate prædicante, 4. & multis à Philippo benè diſpoſitis, 5. uterque Rex Trinacriam proficiſcitur: 6. vbi multi tumultus. 7. mors Friderici, 8. & vtriuſque Regis curæ. 9. Richardus per Tancredum, Ioachimum vocat, illius expeditionis euentum indagaturus.

CAPVT I.

1. ANNO ſalutis milleſimo centeſimo nonageſimóque, qui fuit Cistercij tertius, & nonagesimus, Balduinus Deuonius, Archiepiscopus, qui tot alios ad militiam sacram signauerat, Cruce & ipse signatus, vt ostendimus, sactæ ante omnes militiæ accinctus est, primus omnium in Syriam perrecturus. Verùm, cùm Sacerdotium Cantuariense, & Legatia apostolica ab ipso penderent, quorum alterum absens nullo pacto, alterum non sine periculo Ecclesiæ suæ Iutium administraret; quo vtrique damno exactiùs prouideret, Legatiam quidem liberè remisit, Richardo Rege admonito, vt eam, cui voluisset, impetraret: & impetrauit statim Vvillelmo, Elienſi Episcopo, quem etiam sibi veluti Vicarium, atque Regni custodem, & administratorem deputauisset. Ita ex vtriusque gladij coniunctione maior vtrique authoritas, atque cuncta felicius expedienda iudicabantur.

2. Exinde autem Cantuariæ Ecclesiæ prouidens, cui arctiùs adhærebat, simúlque causæ Christi, quam non aliunde, quàm ab eo auspicandam censuit[a]: *Synodum*, ait Nicolaus Arsfeldius, *Vveſt-monaſterij coëgit, Fratrum ſuorum, & Coëpiſcoporum precibus, ſuam profectionem commendans; & anathema illis denuncians, qui ipſo abſente, Eccleſiæ Cantuarienſi iniuriam, aut damnum irrogarent. Et interpoſita appellatione, ſe, & Eccleſiam ſuam aduersùs omnes huiuſmodi iniurias, ſe abſente erituras, munions, Cantuariámque profectus, ad ſacroſanctum Altare baculum, & peram ſumit, paulóque poſt traiecit.* Ita Arsfeldius de Balduini profectione, quem paulò inferiùs quingentos suis stipendiis duxisse milites, omnes penè cum ipso morituros pro Cruce Christi, testatum reliquit.

a *ſæculo 12. c. 18.*

3. Tunc verò Reges Richardus, Philippúsque animati exemplo Præsulis Sancti, atque Garnerij Abbatis Clarævallis (seu proprius zelus ad hoc ipsum induxerit, seu mandatum Clementis, qui Virum sanctum Henrico substituerit) prædicatione fideli tandem versùs Siciliam è portu soluunt, cùm primùm inde in Syriam traiecturi: meminit prædicationis Garnerij Richardus Rex ad eundemmet scribens ex Otiente, cùm noua sibi, & suis auxilia peteret, nisi mittantur ab incepto retrò cessuris. Sic enim ait[b]: *Vos igitur, ſicut nos, & aliam populum Dei, ad ſeruiendum Deo, ad reſtituendam hereditatem ſuam ſibi, ante itineris acceptionem animaſtis; ita & nunc plurimus inſtat articulus, vt populum Dei ad hoc idem faciendum fortiùs excitetis.* Sed hanc epistolam, quo anno scripta est, id est, sequenti, integram, Deo dante, daturi sumus.

b Baron. hoc anno.

4. Gallus Guidonem Cistercienſem Abbatem ante nauigationem deuotus vocat: se, & causam Ecclesiæ, Christique orationibus eius, totiúsque Cistercij commendaturus. Et indicti in Capitulo sequenti septem Psalmi pœnitentiales omnes totius Ordinis Ecclesias, singulis sextis feriis, recitandi, cum aliis orationibus, quæ etiam cessantibus Psalmis perseuerarunt. Tunc primùm illi recitari cœpti sunt: dein interrupti; sed repetiti ex aliis occasionibus à multo tempore continui perseuerant. Extat, & legitur Capituli decretum anni M.C.XCII. in quo pactis induciis, cum Saracenis, & iam vtroque Rege ad propria reduce, iidem Psalmi omitti præcipiuntur, quod in tempore etiam daturi sumus. Post hæc, ne vllum omitteret obsequium, quo Deum sibi posset deuincire, Grandimontensibus ex præterita scissura nondum conformibus, quo in vera charitate glutinarentur, quantùm ex regia authoritate potuit, prouisum voluit, idque per manum Henrici de Soliaco, Bituricensis Præsulis, vt qui per Cistercienses

cienſes Abbates pacem cœperant,in eadem per Epiſcopos Ciſtercienſes conſummarentur. Igitur pactæ vtrinque conditiones,quas vtrique ſeruarent:atque in ipſo Capitulo Grandimontenſi, aſſiſtente Henrico, iuratæ vtrinque, vt charitati ex pacto,Iuſtitiæ debitum; Iuſtitiæ ex iuramento Religionis;atque his omnibus ex præſentia tanti Pontificis,maior ſolennitas, in dedecus tranſgreſſorum ſuperueniret. Agit de his Stephanus Tornacenſis ad Cæleſtinum ſcribens hoc, aut ſequenti anno,dum adhuc Rex in expeditione demoraretur: atque en eius verba ex

epiſt. 161.

5. *Dominus Rex Francorum, qui ſe ipſum hodie Deo ſacrificium obtulit,conuocatis Baronibus ſuis, & eccleſiaſticis perſonis,prudentibus,& religioſis partes ad concordiam,& pacem commouit,& commonuit. Compromiſſum eſt vtrinque ſub atteſtatione veritatis, quæ inter Religioſos iuramenti vires obtinet, quia formam pacis, quæ coram Celſitudine Regia conceſſa fuiſſet,& conſcripta,obſeruarent,qui aderant,& ab eis,qui aberant, inſtanter obſeruari facerent,& conſtanter,conceſſa eſt, & conſcripta, ſigillóque regio conſignata, ipſo clementiſſimo Rege fideiuſſorem ſe ſe conſtituente. Quòd ſi aliqui deinceps pacti tam ſolenniter celebratæ contradicere vellent, eis contrarius eſſet, nec eos in terra ſua reciperet. Qui verò pacem obſeruarent, eos ſub protectione ſua colligeret,& in terra ſua regio patrocinio communiret. Recitata ſunt hæc in Capitulo Grandimontenſi, & à Priore,qui qualitercunque loco illi hodie præſidet,in manu Bituricenſis Archiepiſcopi,in verba veritatis ſub periculo animæ ſuæ firmata, & ab omnibus tam laicis, quàm Clericis ſub atteſtatione conſilij firmantibus hoc promiſſum.* Hactenus Stephanus de factis à Philippo per Henricum Bituricenſem,in hoc negotio. His ergo,& aliis in Gallia benè diſpoſitis,ipſe Priot in Siciliam tempeſtate abactus,inuitúſque,non multò pòſt Richardus ſponte applicuit, compoſiturus negotia Sororis Ioannæ; an fatali in alterum vtrique æmulatione,quæ res tandem Chriſtianas in illa expeditione peſſum dedit.

6. Præerat tunc Siciliæ, velut precariò Tancredus Rogerij nothus, cuius ſuperiùs fecimus mentionem: neque aliam ſibi quietem ſperabat,quàm ex Syriaco bello comparandam. Quippe occupatis Principibus Chriſtianis aduerſùs Turcas,carebat hoſte;ſi deſiſterent, ferè omnes experturus.Hinc facilem ſe præbuit vtrique Regi: ſed non impunè: adeò conſilia hominum fallacia,& plerunque,quæ inquirimus vtilia,experimur aduerſa:quippe inter Anglos,Siculóſque,ciues,& milites obortis tumultibus (caſu,an ex ipſorum Regum conſilio,dubium) Meſana vrbs ab hoſpitibus Anglis paſſa eſt, quæ vix ab inimicis paſſura foret. Neque euaſiſſet iram Richardi Regis,ſi non Tancredus,dotis Ioannæ nomine (relicta ea Guillelmi, de qua ſuprà) multa pecunia à ciuibus extorta,poſt longam ſtragem,pacem coëmiſſet. Ea res primùm Richardo Regi proſpera,ingentis poſteà damni occaſio fuit,Francigenis,ex violato hoſpitio iratis;& Henrico, Romano Imperatore occaſionem captaturo ex præda Sicula,qualiſcunque quærendæ compenſationis.Quod ſuo loco nos plenius referemus.

7. Inter hæc autem currente menſe Iunio, eiuſdem die decima,Fridericus Imperator,qui anno præcedenti cum exercitu immenſo tranſfretauerat,poſt multos exantlatos labores,multa pericula;poſt adeptas victorias non contemnendas,& Soldanum Iconij profligatum;cùm Saladinum iam,iamque victurus ſperaretur, dum partes inferioris Armeniæ peragrat, in Salepti flumine,cùm aquis ſe ablueret, ſiue,vt alij malunt, cùm pertranſiret,rapido curſu vndarum abſorptus eſt, ingenti luctu totius Chriſtiani Orbis:ſed multò cum maiori admiratione diuinæ prouidentiæ imperſcrutabilis,quæ Principem in Eccleſiam Dei rebellem, atque ipſam diuidentem,ſcindentémque,ac bonos omnes atrociùs perſequentem,diu ſeruauerit,atque multis periculis eripuerit,patentem iam, & præliantem prælia Domini, ac vendicantem loca noſtræ ſalutis vndis permiſerit,cum ipſo tot ſpes noſtræ abſorpturis.Itinerarium Friderici Imperatoris in familiari epiſtola deſcriptum ab Anonymo ipſius commilitone adducit Baronius,quod facilè apud ipſum videri poteſt.Dies obitus Friderici cunctis acerbus, præcipuè noſtris,quos erga eximia pietate ſemper affectus.Verùm Runenſibus,quod Monaſterium antè ipſe fundauerat apud Græcium Styriæ Metropolim, longè acerbiſſimus:carituris deinde Patre,& Patrono,à quo veluti propria eius plantatio, charitate filiali, atque imperatoria munificentia diligebantur.

Perculit triſtis nuncius vtrunque Regem in Sicilia hyemantem,(ſeu animorum,ſeu aëris tempeſtas eos detinuit,) dum idem ſibi quiſque poſſe contingere in Friderico experti,an in Oriente præmaturum occaſum quæreret,an reditum ſperare ad propria poſſent, addubitarent.Neutrius tamen animum deiecit Imperatoris mors: quin delectabat Friderici victorias proſequi; ſed ſine Friderico; eò maiori vniuſcuiuſque gloria, quò minùs inter alios,præcipuè potentiores, diuidenda. Hactenus omnia proſpera ex virtute,nec niſi ex caſu aduerſa Chriſti fidelibus. Debellatas conterminas nationes,territos inimicos, confractóſque; nec Saladinum morte Imperatoris victorem euaſiſſe, ſed tantùm non victum: & ſibi magis vincendum reſeruari.Non multum eſſe, ſi Eccleſiæ quondam ſciſſor, diuiſórque, iuſto Dei iudicio ſublatus ſit totius Eccleſiæ gloriæ; quam ex ſacrorum locorum reſtauratione,vel Cœlis prouenturam non dubitarent:Gallos, & Anglos filios obedientiæ, qui ſchiſmati nequaquam conſenſiſſent, condecere victoriam ex hoſtibus Eccleſiæ reportandam.Hæc,& ſimilia acuebant vtriuſque animum, atque ad pericula maris,terræque,& belli ſubeunda ſollicitabant. 8.

Non tamen ideò ambigua futurorum, omninò quietos,aut contingentia permittebant eſſe ſecuros. Celebrabatur Ioachimus per totum Orbem quondam Curatij Abbas,tunc Clementis Pontificis permiſſu,imò mandato,ſacris myſteriis vacans in Petra Alta; nec ſolùm ſanctitate, ſapientiáque; ſed dono prophetiæ etiam inſignis reſponſa dabat populis, quæ velut oracula cœleſtia, maximè per Italiam venerabantur. Hunc per Tancredum accerſiri Richardus iubet, rogaturus de multis; ſed illius præcipuè expeditionis,dubium,quid poſſet,euentum perſcrutaturus.Ea plerunque libido cunctos homines;ſed præ cæteris Reges ſolet inuadere: & qui præterita (fortè quia permiſſa) indagare contemnunt, ex quibus certiùs ventura diſcere poſſent; anhelant oraculis; quaſi vel vera poſſent impedire, vel præcautione indigerent aduerſùs falſa. Certè quæ triſtia reſpondiſſe Friderico Venerabilis Abbas,nunc maximè comprobata euentu diuulgabantur, compulêre Richardum, vt indagaret, an ea morte Prioris conſulentis impleta eſſent,an imminerent adhuc proceſſura: atque ipſi etiam exitium, & cæteris in Syriam perrecturis minitarentur?Cæterùm,aduentum Ioachimi, reſponſáque,& quæ cum Rege habuit longa colloquia,quia ex eis,ab aliquibus ſuſpectus,ab aliis etiam conuictus vanitatis impoſtor,& illuſor ſacri nimiùm cenſura notari ſolet;maiori indagine,atque altiùs diſcutienda ſequenti Capite ſeorſim proferamus. 9.

1. *Ioachimi cum Richardo Rege congressus:* 2. *& occasione loci Apocalypsis,* 3. *mutuum colloquium:* 4. *dubitationes, & obiectiones Patrum:* 5. *inculcata responsa:* 6. *atque Abbas Perseny increpans hominem.* 7. *Baronij acre iudicium de his responsis:* 8. *in quibus tamen involutè Ioachimus loqui* 9. *potuit, & decipi, salua sanctitate:* 10. *de qua nihil certum nobis, sicut nec de impostura constare potest.*

CAPVT II.

1. FVIT accersitus à Rege Vir Venerabilis, nec recusauit quæsitis respondere; pro data sibi cœlitùs sapientia, an pro innata audacia, iudicent alij. Certè qui illam vanitatis arguunt, non aliis se responsis magis tuentur, quàm his, quæ falsa euentus comprobauerit. Nobis colloquium ipsum, quod adhuc extat à Rogerio descriptum, qui tunc viuebat, & res Richardi accuratiùs indagabat, recensere in promptu: ea præcipuè parte, qua magis carpitur; inde multorum antiquas, & recentes accusationes: demùm excusationes; sed in dubio, nec tam pro ipso sententiam proferemus, quàm non damnabimus. Ergo congressum Richardi, Ioachimique Rogerius Ovuedenius narrat totidem verbis[a]: *Hoc anno* (scilicet, M. C. XC. *Richardus Rex Anglia, audiens per communem famam, & multorum relationem, quòd quidam vir Religiosus erat in Calabria, dictus Ioachim, Abbas de Curatio, de Ordine Cisterciensi, habens spiritum propheticum, & quæ ventura populo prædicabat, misit pro eo, & libenter audiebat verba Prophetiæ illius, & sapientiam, & doctrinam: eruditus enim vir erat in diuinis Scripturis, & interpretabatur visiones Ioannis Euangelistæ, quas ipse Ioannes narrat in Apocalypsi, quam ipse manu sua scripsit. In quibus audiendis Rex Anglia, & sui plurimùm delectabantur. Erat autem hæc visio B. Ioannis Euangelistæ.* Reges septem sunt: quinque ceciderunt, & vnus est, & septimus nondum venit. Ita Rogerius colloquium introducens.

[a] 2. par. ad hunc an.

2. Pergit deinde ad mulieris visionem Sole amictæ, stellas pro corona, atque Lunam sub pedibus habentis, cuius Ioachimus interpretationem nequaquam dissonam, aut à communi sensu alienam Regi protulerit. Cæterùm redeuntem ad septem Reges in hæc verba subiungit prorupisse[b]: *Quinque Reges sunt, quinque ceciderunt, & vnus est, & vnus nondum venit: quod idem Abbas Ioachim sic exposuit. Reges septem sunt, scilicet, Herodes, Nero, Constantius, Mahomet, Melsemutus, Saladinus, Antichristus: ex his, quinque ceciderunt; scilicet, Herodes, Nero, Constantius, Mahomet, Melsemutus; & vnus est, scilicet, Saladinus, qui in præsenti opprimit Ecclesiam Dei, & eam cum Sepulcro Domini, & sancta Ciuitate Ierusalem, & cum terra, in qua steterunt pedes Domini, occupatam detinet; sed ipse in proximo perdet illam. Tum interrogauit Rex Anglia: Quando erit hoc? Cui Ioachim respondit: Quando septem anni elapsi erunt à die captionis Ierusalem. Tunc ait Rex Anglia: Ergo, quare venimus huc tam citò? Cui Ioachim respondit: Aduentus tuus valdè necessarius est: quia Dominus dabit tibi victoriam de inimicis tuis, & exaltabit nomen tuum super omnes Principes terræ.*

[b] vbi supra.

3. *Sequitur: Vnus illorum nondum venit, scilicet, Antichristus. De isto Antichristo dicit idem Ioachim, quòd iam natus est in Ciuitate Romana, & in Sede apostolica sublimabitur; & de isto Antichristo dicit Apostolus:* Extollitur, & aduersatur super omne, quod dicitur Deus. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. *Et conuersus ad eum Rex, ait: Putabam, quòd Antichristus nasceretur in Antiochia, siue in Babylonia, de progenie Dan, & regnaret in templo Domini, quod est in Ierusalem, & in terra illa ambularet, in qua Christus ambulauit; & regnaret in ea per tres annos, & dimidium anni; & disputaret contra Heliam, & Enoch, & eos interficeret, & postea moreretur; & post mortem illius daret Deus sexaginta dies pœnitendi, in quibus pœnitentiam possent agere illi, qui à via veritatis errauerint, & seducti fuerint per prædicationem Antichristi, & Pseudoprophetarum eius.*

4. Sequuntur interpretationes cornuum, & diadematum, in quibus nil absurdum, dissonúmve, post quæ tandem concludit ipse Rogerius, quæ Ioachimo obiecta totidem verbis: *Et licet prædictus Abbas de Curatio hanc sententiam de aduentu Antichristi proferret, tamen Vualterus Rothomagensis Archiepiscopus, & Archiepiscopus de Appamia, & Girardus Auxiensis Archiepiscopus, & Ioannes Eboracensis, & Bernardus Bayocensis, Episcopi, & alij Viri ecclesiastici in diuinis Scripturis benè eruditi nitebantur probare in contrarium. Et quamuis multa argumenta verisimilia hinc & inde proferrent; tamen adhuc sub Iudice lis est: nam antiqui in Scripturis suis mentionem facientes de Antichristo, in hunc modum scripserunt.* Hactenus dialogus Richardi cum Ioachimo à Rogerio descriptus; nisi quòd tamen ex eo solùm excerpsimus, quæ facere videbantur ad prophetiam, quippe ob quæ magis Ioachimus consulebatur, & ob quæ carpitur.

5. Hæc satis nobis fotent pro instituto, si non & Romæ similia prædixisset vir in hoc facilis, & qui, si quam à Deo gratiam habebat, prodere, quàm celare paratior esset. Addam tamen, vt omnia comprehendam, quæ suspecta in ipso, idque Ioannes Picardus, Vir eruditus, & de ecclesiastica Historia optimè meritus, ex Anonymo Authore (coæuo item) refert in notis ad epistolam Bernardi, id est, similem aliam prophetiam de Antichristo instante; tum quæ ea occasione insignis planè Doctor illius ævi, Cisterciensis & ipse, Adamus, Abbas Perseniæ (de quo in sequentibus multus nobis sermo) ab eo extorserit. Vt hinc inde propositis, quæ vrgent, grauissimorum recentiorum primùm, mox nostrum etiam sensum proferamus. Anonymi, quæ Picardus transcribit, hæc sunt verba[c]. *Hac*, inquit, *tempestate exitit quidam Abbas non longè ab vrbe Roma, Ordinis Cisterciensis, sed Cisterciensibus minimè subiectus, qui quandam expositionem super septem visiones Apocalypsis edidit, accepta diuinitùs, vt aiunt, sapientia, cùm ferè esset illiteratus, &c.*

[c] In notis ad epist. 96.

Dicit autem, quòd anno M.C.XCIX. incipiet sexta visio, & sexta sigilli aperitio. Sub qua visione probat authoritate Apocalypsis, quòd complebitur omnis Antichristi persecutio, & eiusdem mors, & perditio: sed ante eius persecutionem dicit Euangelium Christi vbique prædicandum, & Ecclesiam fidelium per omnes gentes dilatandam. Hactenus de Antichristi aduentu nimiùm instante, secundùm prophetiam Ioachimi.

6. At quid responderit Abbati de Persenia, idem Author subiungit, ita scribens [d]: *Hic Roma interrogatus à Viro venerabili, & in Dei verbo facundissimo, & æquè Religioso Abbate Persenia, quonam ausu talia prædicaret, an ex prophetia, an ex coniectura, seu reuelatione; respondit, se neque prophetiam, neque coniecturam, neque reuelationem de his habere. Sed Deus, inquit, qui dedit olim Prophetis spiritum prophetiæ, mihi dedit spiritum intelligentiæ, vt in Dei spiritu omnia mysteria sacræ Scripturæ clarissimè intelligam, sicut Sancti Prophetæ olim intellexerunt, qui eam olim in Dei spiritu ediderint. Requisitus autem ab eodem Abbate, quid sentiret de Antichristo respondit: Ipsum iam esse adolescentem.* Hactenus Author ille de Ioachimo, quem Manuscriptum in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis transcripsit Picardus: nec vaticinium reprobans; sed exponens, & approbans, vt idemmet Picardus testificatur. Nunc, quod res ipsa videtur postulare de Ioachimi spiritu, & veritate, seu doni prophetiæ, siue, vt ipse malebat, intelligentiæ, nam nullibi commodiùs, pauca dicamus.

[d] ibidem.

7. Eminentissimus Cardinalis Cæsar Baronius occasione colloquij prænotati Ioachimi cum Richardo, quod licèt ex Rogerio non transcribat, summatim refert, hac Ioachimum Abbatem, nec sine magno reuerâ fundamento, nota inurit [e]: *Porrò mutuum tunc habitum inter eos colloquium idem Rogerius recitat: ex quo planè tam suis ipsius vanis responsis, quàm inanibus prophetiis, inuentus est non Dei Propheta, sed Pseudoprophetæ esse. Nam prædixit pleraque ventura, quæ reuerâ euenerunt euentu. Quod quidem signum Deus dedit populo suo ad cognoscendum Prophetam verum à falso. Nam ait: Quòd si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est loquutus? Hoc habebis signum, quod in nomine meo Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est loquutus; sed per tumorem animi sui Propheta confixit. At accipe, quæ vana sum coram Rege homo vaniloquus est commentus mendacia. Atque primùm illud, cùm interpretatus Apocalypsim, vnum ex septem capitibus bestiæ æstimat in visu Ioannis, significatum fuisse Saladinum, qui nuper cæperat Ierosolymam, quam post septem annos ab eo tempore, quo ab ipso capta est, per Christianos fore, eo deuicto, recuperandam, falsè prædixit. Nam longè diuersè rem accidisse declarauit euentus. Secundò verò, cùm eidem Regi prædixit ea peregrinatione, Deum exaltaturum nomen eius super omnes Reges terræ: sed planè secùs accidit: nam in reditu captus ab amulo Principe Imperatore, ab eo diu est detentus in vinculis, nec solutus, nisi ingenti auri summa redemptus à suis. Tertiò insuper in eodem cum Rege sermone dixit, Antichristum iam natum esse in ciuitate Romana, eundémque in Sedem apostolicam prouehendum: quæ omnia Episcopi, qui aderant, dum ista homo inanis fabularetur, redarguerunt falsitatis.* Hactenus Baronius: cui & Bellarminus, & Alfonsus de Castro adstipulantur.

[e] ad hunc an.

8. Et sanè Ioachimum in his deceptum, nisi aliquid occultius in verbis lateat, negari non potest: cùm omnia penitùs, quæ futura tunc prædixit, in contrarium euenerint: verùm non ideò mendacem, & vaniloquum, siue Pseudoprophetam appellandum (quod salua tantorum Doctorum pace dixerim) haud satis credo posse dubitari. Quippe in Prophetis plerunque verba ambigua, & sensus abstrusi, qui non priùs percipiantur, quàm res contingat. Pulchrè Irenæus [f], *Prophetias, antequàm compleantur, esse ænigmata.* Quid si vt hebdomadæ in Daniele Propheta, non dierum, sed annorum, sic anni in Ioachimo? Quid si gloria Richardi in eo bello, non ad mundanam, temporalémque, sed ad cœlestem sit magis referenda? Quid, si Antichristi nomine quem alium, non verum Antichristum; & in Vrbe Roma aliquod vitium regnaturum prædixerit; non hominem, Christo, & Ecclesiæ bellum illaturum? Potuit plenè intellecta per ambages: potuit non plenè intelligere, quæ vidit; adeóque minùs propriè significare: nec tamen ideò minùs à Deo essent, quæ forsan ipse minùs aperiret, vel minùs caperet.

[f] lib. aduer. hæreses.

9. Tum, si dicamus, deceptum in his omnibus, anne statim deceptor iudicandus? Nam nec Bernardus, qui de simili sub Eugenio III. expeditione prospera prædixit; neque Robertus, qui Antichristum in ianuis ante non multos annos prædicauit, deceptor fuit. Sanctum Franciscum prædixisse Lusitanis eorum Regnum, Castellano nunquam vniendum, Authores produnt [g]: & tamen illud vnitum diu videmus, quicquid euentui quæritur euasiones. Neque ideò reiiciendus Franciscus, neque Pseudoprophetæ nominandus. Tradit Gregorius [h], *Aliquando Sanctos Prophetas, dum consuluntur, ex frequenti vsu prophetandi, quædam ex proprio spiritu proferre.* atque id probat exemplo Nathan Prophetæ, qui quòd templum Dauidi præcepisset ex parte Dei struendum, nocte sequenti retractare iussus est, mandante Domino, vt filio reseruaret. Potuit Ioachimus, ex vsu prophetandi minùs discernens, ex proprio spiritu, Richardo ista prædicere; nec tamen ideò deceptor, seu vaniloquus; sed vt homo deceptus iudicandus. Certè, qui reuelationes Sanctarum legit, sæpè inter se contrarias facilè videat; multa credita ab illis, vt reuelata; quæ tamen constat ex Deo nequaquam fuisse. Ioachimum Varem veridicum in multis suprà vidimus, & infrà etiam videbimus. Quòd si aliquando apparuit minùs verax, non ideò reliqua venient condemnanda.

[g] Annales Minor. ad. 1.

[h] homil. 1. in 1. Ezech.

10. Haud tamen ideò Prophetiæ dono illustrem, aut Sanctos inter habendum ausim asserere: quippe qui vt potuit decipi in aliquibus, potuit in aliis casu prophetare: & duo mihi virum suspectum reddunt: sed suspectum tantum: alterum, singularitas vitæ, doctrinæque, cui ferè nihil vnquam commune placuit: alterum, qua de se loquebatur, nimia securitas (nam iactantiam, non dicam, aut præsumptionem) qua sibi spiritum intelligentiæ datum, quo in Dei spiritu omnia mysteria sacræ Scripturæ clarissimè intelligeret, sicut Sancti Prophetæ olim intellexissent, qui eam ediderunt, asseuerabat. Hæc, inquam, mihi Ioachimi causam dubiam omninò reddunt; & solius Dei iudicio, siue ipsius Vicarij reseruandam. Inde, qui aliorum sententias iniquè fero; nec meam promo. Domino suo ceciderit, aut steterit, nobis referre, aut coniectari licet, non diffinire. Sed de Ioachimo, adhuc in hoc anno iterum nobis sermo. Nunc ad alios euentus transeamus.

1. *Guido ex Cistercio promotus in Cardinalem*, 2. *Guidonem alium habet successorem.* 3. *Quid vni ex eis cum Monialiquadam contigerit.* 4. *Balduini in Syriam aduentus:* 5. *parta victoria:* 6. *deinde mors secuta.* 7. *Ratio temporis*, 8. *& scripta Viri docti* 9. *Bartholomæo Oxoniensi mutuò dicata:* 10. *& syllabus aliorum ipsius Operum.*

CAPVT III.

1. HOc ipso anno Venerabilis Guido, Cistercij Abbas, quòd sacram Calatrauæ militiam, à nostris profugam, ante triennium Cistercio restituerat, qui Virginum Castellæ, Legionisque sub Huelguensi Abbatissâ Congregationem (toties Capituli Generalis æmulam) fere sine exemplo stabilierat, (vtrunque ad petitionem Regis Alphonsi) à Clemente III. Sacræ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis creatur mense Septembri in Presbyterum statim promouendus, nempe; mense Decembri eiusdem anni. De prima creatione ita Chaconius [a]: *Guido de Papa* (corrige, *de Pare*) *Romanus, de Regione trans Tyberim, Diaconus Cardinalis, postea Presbyter Sanctæ Mariæ trans Tyberim, titulo Callisti, demùm Episcopus Cardinalis Prænestinus ab Innocentio III. creatus, fuit primùm Legatus in Lombardiam; deinde Veritis apostolicæ Sedis Legatus anno 2. Innocentij III. cum Octauiano, Episcopo Ostiensi, & Hugone Sancti Eustachij Diacono, Cardinalibus, Mareuolium ab Innocentio III. excommunicatum, & resipiscentem anathemate absoluit. Obiit XI. Kal. Septembris, 1241. Gregorio IX. Pontifice Maximo.* Hactenus ille de prima creatione, in qua includit secundam: multa tamen confundens, multa omittens, atque annum mortis viri nimiùm differens; vt ex dicendis clariùs apparebit. Hæc mense Septembri: verùm, quam promotionem inuolutè ibidem adnotauerat, non multò pòst distinctiùs, dum ita ait: *Guido de Pare, Romanus, ex Diacono Presbyter Cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tyberim creatus à Clemente III. Romæ, mense Decembri, anno M.C.XC. Pontificatus ipsius anno tertio.* Hic ille Guido Cardinalis est, Cistercij quondam Abbas, postmodum in Germania Legatus, de quo Cæsarius non semel in suis Dialogis [b].

a *in Clem. III.*

b *lib. 6. c. 1 & lib. 9. c. 51.*

2. In Cisterciо successit alius Guido æquè sanctus, ac doctus, atque æquè in Ecclesia sublimandus; quippe futurus Archiepiscopus Rhemensis, &, vt quidam scribunt, etiam Cardinalis. Hinc factum est, vt aliqui Authores vtrunque confundant, & non duos Guidones successiuè inter Abbates nominent; alterum ab anno M.C.LXXXVII. vsque ad præsentem; alterum à præsenti ad ducentesimum: sed vnum, qui vtrunque tempus clauserit: in quo errore Robertum Claudium video in sua Gallia. Cæterùm, duos Guidones, vnum pòst alium satis clarè conuincit huius promotio, subiunctis instrumentis, quæ Guidonem Abbatem Cistercij longè pòst produnt; altero anni M.C.XCV. pacti cum Carthusianis, quod ipsemet Robertus Claudius refert: pluribus M.C.XCIX. quo item anno in Hispaniam aduenisse, atque ad instantiam Alphonsi Fundatoris Holguense Monasterium visitasse, firmasseque, quæ antecessor eius inceperat; literis ipsis productis comprobabimus. In Chronico metrico vterque Guido describitur: verùm non successiuè, nec certo ordine: prioris Distichon:

Guido sequens altos penetrabat acumine cœlos,
Collegio Fratrum sociauit Pileus istum.

Posterioris autem:

Guido subit, cuius vita fulgebat vt ensis:
Archimandrita factus fuit, inde Rhemensis.

Haud tamen prodit, vnde promotus fuerit.

3. Non satis constat, vter ex his fuerit (quamuis de altero nequeat dubitari; quippe tempore Authoris Exordij Magni) qui cùm Ordinem ex coniuncto officio visitans, in quandam Sanctimonialem incidisset, cui multa Deus consueuisset reuelare, *inter dulcia æternæ vitæ colloquia cœpit Abbas attentiùs rogare, quatenus eadem Dei famula diuinitùs sibi reuelari deposceret, quid in Ordine Cisterciensi puritati vere Religionis magis contrarium per negligentiam irrepsisset? Illa verò pòst acceptas inducias, fusásque ad Dominum preces, ita respondit: Sciatis, Domine Pater, tria esse in Ordine nostro, quæ specialiter oculos Summæ Maiestatis offendunt, scilicet, multiplicatio agrorum, & superfluitas ædificiorum, atque lasciuia vocum.* Ita Author Exordij asserens, contigisse suis temporibus. Cæterùm, quæ adhibita cautio contra hæc mala, nequaquam video ab eo memoriæ proditum. Ab eodem Authore notatum lego [d], cùm quidam Monachus Responsorij cuiusdam versum, nimia vocis lasciuia decantasset, Dæmonem apparuisse, cunctis videntibus, qui plausum fecerit, cantúmque laudauerit. Quippe cui nihil gratius, iucundiúsve, quàm si has, à quibus sibi timet, acies Chori, & cantus, inordinatas videat, eóque facilè ab ipso profligandas. Hæc occasione Guidonianæ promotionis, & successionis. Nunc Balduinum in Syriam nauigantem, ibidémque occumbentem prosequamur.

c *lib. 9. c. 20.*

d *ibid.*

4. Igitur ille, qui dudum Anglia soluerat, cùm ad Siciliam cum Rege non diuertisset, quod ex colloquio Ricardi cum Ioachimo, cui ipse non interfuit, plànè colligitur, *Tyrum eo tempore* (ait Nicolaus Arsfeldius [e]) *cum Humberto Sarisberiensi appulit, quo Ptolemaidem nostri diu accerimè, sed frustrà, magnáque exercitus nostri internecione obsederant. Iunxitque se cum suis, exercitui, qui magna per aduentum aliorum vndique Procerum, accessione auctus erat. In quo strenuam priùs operam posuerat Radulphus Archidiaconus Gloecestriæ. Et Christianis, inter alios, magno vsui fuit Guillelmus quidam Sacerdos Anglus, qui Sacellum quoddam cum Cœmeterio in honorem D. Thomæ Cantuariensis, suis sumptibus struxerat. Ad quod, cùm multi pòstea confluerent, societas quædam conflata est piorum, quibus Guillelmus præfuit, qui Christianorum corporibus humandis, quos aut gladius hostilis, aut mors alia de causa humanitùs perculit, se totos deuouebant.*

e *sæculo 12. cap. 18.*

5. *Dum nostri magnis animis, & viribus obsidionem vrgerent, Saladinus à tergo eos ingenti exercitu premit; nec tamen vnquam palam congredi ausus. Nostri verò omni ingenio eum ad pugnam elicere conati sunt. Cúmque iam aciem instructam in eum conuertissent, in qua Hubertus fuit Sarisberiensis Balduino cum Theobaldo Blesensium Comite ad castra defendenda (cum insigni suo vexillo, cui D. Thomas Cantuariensis Martyr inscriptus erat) relicto, qui & ægroti Patriarchæ vices obibat, & solenni, sacráque benedictione,*

egredienti exercitui omnia fausta precatus est. Ecce,& Saladinus repente ad montana fugit, & eodem simul tempore erumpentes ex vrbe Saracenos Balduinus magna cede repressit. Quingentos ille suis stipendiis milites aluisse traditur. Hactenus Balduini Deuonij gesta, in bello æquè,atque in ipsa pace illustria; quod vnicum restabat viro Heroï, qui prædicando, scribendo,(nam multa Opera scripsit, de quibus infrà,) præsidendo, insigne in cunctis specimen virtutis, & singularis excellentiæ præstetulisset. Sequuta exinde mors Sancti Pontificis, hostibus læta,nostris luctuosa,pretiosa Angelis,de qua hæc pauca idem Author pro suo more [f]:

f vbi suprà. 6. *Ame vertentem annum animam edidit, cùm exercitum Saguntina pene fames conficeret. Quicquid habuit pecunia, id totum ad vsus sacra Militia distribui per Hubertum Satisberiensem, voluit. Cuius ille voluntati suprema personalè satisfecit. Post obitum Balduini, diem eadem obsidio traheretur, multi alij ex Anglis sanctissimi sunt, inter quos fuit Radulphus ille Archidiaconus, & Robertus Comes Leicestria.* Hæc Nicolaus Arsfeldius de morte viri, cuius meritis tribuit sequenti capite, quòd eundem Hubertum Satisberiensem successorem habuerit in Archiepiscopatu Cantuariensi [g]: *Quem*, inquit, *si supremis Tabulis transfundere in aliquem Balduino licuisset, in eum sanè virum pre cæteris transfudisset.*

g sæculo 12. c. 19.

7. Scio Pitsæum, hanc Balduini mortem triennio postponere, quippe de eo loquentem in hæc verba [h]: *Tyrij in Syria diem suum obiit, & ibidem sepulturam accepit, anno communis salutis M.C.XCIII. Regnante in Anglia, & militante in Syria Richardo primo.* Sed præfero Guillelmum Neubricensem, eius sæculi Authorem, qui Richardo adhuc in Sicilia commorante, Cantuariæ Sedem vacuam memoriæ prodit [i]: *Regi*, ait, *in Sicilia commoranti, quæ in Anglia fiebant, fideli multorum innotuêre relatu. Qui mox Galterium Rothomagensem Archiepiscopum, qui cum ipso hyemabat, direxit in Angliam cum Regij authoritate rescripti*, &c. Et post pauca: *Cùmque memoratus Archiepiscopus Cantuariam ire disponeret, vacantem ordinaturus Ecclesiam, prius à Rege acceperat*, &c. Credendum ergo ante Regem profectum (nam, neque si cum Rege, nulla ipsius memoria in Regis Actis,) aduenisse in Syriam, obiisséque, quandiu Richardus in Sicilia demorabatur. Tum cognita à Rege morte illius Vvalterum misisse, qui vacanti Ecclesiæ prouideret.

h de Scriptoribus Anglia.

i lib. 4. c. 15.

8. Balduinum Menologio suo inseruit Chrysostomus Henriquez Octobris 16. nec est, qui sine laude eius meminerit: claruit non minùs scriptis, quàm virtutibus, ex quibus aliqua educatori suo Bartholomæo Oxoniensi dedicauit: à quo & vice versa alia accepit. Meminit vtrorumque Arsfeldius totidem verbis [k]: *Non fuit verò Balduinus aridus, jejunus, & sterilis educateri suo debitor. Et licèt nemo paria facere possit, vt ille quidem ait, cum parentibus, quin semper in ære illorum futurus sit, nec ferè cum tali, præsertim qualis Bartholomæus fuit educatore: magnum tamen illi, vt cætera omittam, fructum, velut perbonus ager, cultori suo reposuisse videtur, cum doctissimis libris à se conscriptis, illique dicatis, æternitati nomen illius consecrauit. Inter alias verò illius lucubrationes, sunt illæ: De Corpore, & Sanguine Domini: De Sacramentis Ecclesiæ: De orthodoxis dogmatibus: De sectis Hæreticorum. Quanquam nec Bartholomæus ἀτύμφωνος fuit, cùm & ille libros, quos exarauerat, pretiosissimo commercio illi rursus inscriberet.*

h cap. 19.

9. Cæterùm de Operibus vtriusque, tam inuicem dictis, quàm aliis pluribus, exactiùs multò Pitsæus pro instituto; qui de Bartholomæo, & mutua vtriusque amicitia (educationem reticet) hæc primùm: [l] *Cum Balduino tunc Abbate Fordensi, postea Archiepiscopo Cantuariensi, viro tam sanctissimo, tum doctissimo, magna illi intercessit necessitudo. Vnde vti testis est noster Ioannes Lelandus, alter alterum, (quod inter amicos fieri assolet,) munus scriptis, imò & libris, inuicem dedicatis celebrauit; & vterque vtriusque famam, exhibitis vltrò, citróque titulis officiosis, omni posteritati commendauit. Generauit inter eos hanc amicitiam par morum integritas, similitudo ingeniorum, æqualis bonarum litterarum amor, & quòd contemporanei, simúlque conterranei fuerunt. Nam vtrunque in ipsa ciuitate Oxoniensi natum eadem ferè tempore ferunt. Frequenter itaque ad se scribenti Balduino vicem rependit, eique multa rescripsit, & Opera sua litteraria pleraque dedicauit.* Hæc de Bartholomæo Oxoniensi ad annum M. C. LXXXIV. De Balduino deinde ad annum M. C. XCIII. post pleraque superiùs à nobis dicta, Catalogum Scriptorum recenset, quæ ita habet [m]:

l in Bartholomæo.

m in Balduino. 10. *Scripsit adhuc Abbas ad Bartholomæum, Episcopum Oxoniensem:*

De Corpore, & Sanguine Domini, librum vnum, Maguum,& profundum nouí, vtique. *Manuscriptum Oxonia in Collegio Lincolniensi. Et existimo, idem Opus esse, quod habetur Manuscriptum Cantabrigia,in Collegio Sancti Benedicti, sub his titulis:*

De Sacramento Altaris, vel de inæstimabili Sacramento veteris,& noui Testamenti Manuscript. etiam Louanij in Collegio Societatis Iesu.

De Sacramentis Ecclesiæ,librum vnum: Reuerenda nomina Magistri.

De commendatione fidei, librum vnum: Omnia fœdera societatis humanæ.

De Orthodoxis dogmatibus,librum vnum: Doctrina sanctorum Conciliorum.

De sectis Hæreticorum,libros duos: Mysterium fidei Christianæ.

De vnitate charitatis,librum vnum: Institutio vitæ communis.

De amore, librum vnum: Fortis est,vt mors, dilectio.

De Sacerdotio Ioannis Hircani,librum vnum: Genus magni Herodis.

De eruditione Giraldi,librum vnum: Opus tuum, Archidiacone,quod.

Sermonum triginarium librum vnum: Candidiores niue,nitidiores.

Super historiis Regum,libros quatuor.

Contra Henricum Vvintoniensem,librum vnum.

De commendatione Virginitatis,librum vnum.

De Angeli nuncio,librum vnum.

De Cruce,librum vnum.

De Mythologia,librum vnum.

Carmen deuotionis,librum vnum.

Epistolarum,librum vnum.Et alia multa.

Hactenus Scripta, quæ sola Balduinum insignem Virum,vel si cuncta alia defecissent,facilè nobis probant.

1. *Gerardus Nouæ vallis Abbas, ad Claramuallem redit, iuxta Sancti Bernardi promissionem:* 2. *ibidem piè, & feliciter obdormit.* 3. *Animaduersus Menologij error, & de Sancti in Suecia veneratione.* 4. *Enarrandi Magistri quondam templi obitus,* 5. *& Roberti nepotis D. Bernardi.* 6. *Quales filios in Domo Dei reliquit.* 7. *Dictum de Beato Francone successore,* 8. *& de Bernardo eiusdem Domus Monacho.* 9. *Hugonis Flauigniacensis in Sanctum Augustinum deuotio,* 10. *& felix mors.* 11. *Item, de Abbate vnius ex filiabus Sauigniaci,* 12. *cui corda patebant suorum subditorum.*

CAPVT IV.

1. EO hoc ferè tempus Gerardus Nouæ vallis in Suecia iam dudum Abbas, quem adhuc iuuenem, atque ire recusantem, ne sepultura cum Bernardo Parente defraudaretur, idem Sanctus Patriarcha illuc transmiserat, promittens tandem sepeliendum in Claraualle, longo iam senio, morbisque confractus, ad Claramuallem ducitur, ibidem moriturus, & sepeliendus. De eo hæc habet Author Exordij Magni [a]: *Cùm autem iam senuisset, & vsque ad decrepitam etatem peruenisset, quadragesimum in Prelatione complens annum, variis quoque infirmitatibus corpus eius quateretur, cœperunt eum Fratres eius rogare, quatenus, sicut communiter multo tempore cum eis vixerat, ita etiam sepultura locum apud ipsos sortiri dignaretur. Quibus vir Domini respondit: Ne, quæso, ita loquamini, filij mei: oportet enim, vt in Claraualle moriar, vt secundum sponsionem Dei dilecti Patris mei, cum Sanctis, qui ibi quiescunt, in pace in idipsum dormiam, & requiescam. Consentientibus autem illis, & dicentibus: Quomodo te, Pater, illuc reducere poterimus, cum propter veterana sine cessatis incommoda, tot, & tantis infirmitatibus quassatus, & debilitatus sis, vt vix ad proximos terminos Danorum spiritum te peruenire posse putemus? Cum multa fiducia respondit: Verbum Dei validum, & fortè, viuum, & efficax, quod pœnas Reuerendissimi viri auribus meis infusum penetralibus cordis mei, arrham bonæ spei huius, qua feror, indidit, prosperos in hoc itinere successus præstabit.*

a lib. 4. c. 18.

2. *Itaque gestatorio inter duos equos composito, in eo collocatur: & non sine grandi miraculo a finibus Orbis, per tanta terrarum spatia, per tot maris, & fluminum pericula, Claramuallem pertenit; ibique in Infirmitorio aliquandiu recubans, in bona confessione spiritum exhalauit.* Hæc de pretiosa morte Viri Dei, iuxta Patris Bernardi promissionem. At, quæ de sepultura sequuntur, comperta minùs: quippe iuxta tumbulam cuiusdam Benedicti, sibi olim familiaris, cuius non alibi mentionem factam video. Verba Exordij hæc sunt [b]: *Accepit vero locum desideratæ sepulturæ, iuxta beatæ memoriæ Domini Benedicti noui tumbulam, qui eum familiariter in vita sua dilexerat.* Hæc ibi. Vbi tamen irrepsisse mendum puto; & pro *Nouitio, nouum*; dein pro *nouo, nouum* substitutum, oscitantia scribentium, siue incuria.

b vbi supra.

3. Henriquez hæc verba reddens in Menologio, hunc Benedictum inter Claræuallis Sanctos enumerat, Iulij 21. nulla maiori alumde notitia hausta. Cæterùm verba non ex Exordio refert, sed ex collationibus Patrum Cisterciensium in Bibliotheca loci Sancti Bernardi, nec quasi de Gerardo dicta; sed de Gaufredo, quod itidem adscribendum errori censeo. Certè de hoc Nouitio Benedicto, ne in libro sepulcrorum Claræuallis memoria extat. Vnde, aut eundem librum diminutum, aut hunc locum vitiatum licerat coniicere: sed neuter facilè emendandus, siue supplendus. De Gerardo, & quam reliquit in Suecia sanctitatis percelebri opinione, pergit Author Exordij hæc pauca scribens [c]: *Cuius decessum, cùm Rex Suecia comperisset, cum gemitu protestatus est, Regnum, & terram suam dignam non fuisse, vt in ea tanti Viri sacra ossa requiescere debuissent.* Hunc etiam Virum Henriquez Sanctis annumerat, de octaua Nouembris, ab Exordio desumptum: sed nulla facta mentione de sepultura.

c ibidem.

4. Ad eadem tempora peruenisse credo duos alios senes longè venerabiles, Robertum, Enarrandúmque, ex Claraualle vtrumque, atque alterum ex Bernardi primis discipulis. Et quidem de Enarrando, quondam Magistro templi, id solùm constat, decessisse grandæuum, nec meritis, quàm annis minùs proiectum: vnde & illustribus sanctitate viris Cistercij iungunt, quotquot de ipsis agunt, & ex eis Henriquez [d] in Menologio sub nomine Ebrardi, seu Euerhardi, quo & à multis aliis appellatur. Maiorem eius notitiam vt Lector habeat, ex Inuentario Reliquiarum Claræuallis, hæc libet addere: *Vndecimo loco, ait, est vas quoddam ex tribus marchis, & dimidia argenti, in quo collocata est Crux Dominica, quam attulit Dominus Ebrardus de Barris, quondam Magister templi, postea Monachus Claraualis, Auunculus Domini Adam Morinensis Episcopi, postea Monachi Claraualis: in hoc vase positus fuit dens Sancti Bernardi Abbatis Claræuallis, qui delatus est Parisios.* Hæc de Enarrando, siue Ebrardum vocare mauis.

d Nou. 15. c. ...

5. At de Roberto nepote Sancti Patris, quem olim à Cluniacensibus abductum per epistolam ipse reuocasset, ad hunc annum, & vltra progressum esse, conuincit calculus, quem ex Ioanne Eremita, qui Virum assequutus est, supra notauimus: quippe annis septem, & septuaginta in Ordine expletis, in Præfectura sex, & quinquaginta. Cæterùm sanctitatis, in qua migrauit, & quam filiis reliquit, velut hæreditario possidendam, extat insigne, & fidele testimonium in additis ad Exordium magnum, sequuta post ipsius transitum pestis, quæ quot dies duauit, tot Monachos lætantes Cœlo inuexit, non sine præuia suæ felicitatis securitate. Hanc sub Abbate Francone, qui Roberto successit, contingentem, (quæ & ipsum inter alios de medio tulit,) quia annus ipsius certus mihi non constat, in exitu Roberti, quo Patris gloriam in filijs nobis ostendat, non incongruè censui describendam: sic autem habet [f]:

f lib. 3. c. 16.

6. *In Abbatia Domus Dei, quæ est vnde de filiabus Claræuallis, facta est mortalitas magna: ita vt infra 30. dies non minoris numeri Fratres de medio tollerentur: & vna die interdum quatuor, aut quinque sepelirentur. Tanta verò alacritate, & desiderio ad mortem, imo ad portum mortis, & vitæ iuuantem, ferebantur, vt & morientes viuentibus condolerent, & morientibus viuentes*

uientes inuiderem. Hæc filiorum Roberti post eius obitum in aduersitate patientia, in passione constantia, demum in morte alacritas; quæ veros filios, & hæredes Dei, ac Christi cohæredes testificatur.

7. Cæterùm inter omnes, vt dignitate, sic meritis præcellens Abbas Franco, tempore medius, gloria longè primus, multis post mortem miraculis patratis, antecessorem etiam superauit: nam audi, quod sequitur; *Hos inter subtractus est Venerabilis, & sancta memoria Franco, Abbas eiusdem loci, qui in die sancto Paschæ Christo Domino felicem animam reddidit. Ad cuius etiam tumulum de vicinis partibus, populi caterwatim vndique confluunt propter sanitates, & beneficia multa, quæ se ibidem à Domino consequi sentiunt.* Hunc successorem habuit Robertus Abbas, quem priùs haud dubiè discipulum habuisset.

8. Ex reliquis præ cunctis memoratur Bernardus iuuenis, qui quartum eiusdem sacræ Solennitatis diem, id est, vltimum, coronandus in Cœlis, coronauit; de quo hæc idem Author. *Quarta autem post die, defunctus est ibi Monachus, ætate quidem iuuenis, sed Religionis maturitate prouectus; de quo etiam asserunt, quòd florem virginitatis, vsque ad mortem, Domino largiente, seruauerit. Hic verò spe mirabili confortatus, ita cupiebat dissolui, & cum Christo esse, vt nihil pinere videretur, nisi adhuc à morte differri, & in corpore remanere, multúmque doleret, si aliquis ei sanitatem promitteret, vel optaret. In ipsa verò die migrationis suæ apparuit ei Beatus Bernardus cum supradicto Abbate Francone, qui dixit ad eum: Frater Bernarde, (sic enim iuuenis vocabatur,) ecce adduco tibi Sanctum Patrem nostrum Bernardum, vt te in manibus illius reddam. Beatus verò Pater clementi dextera suscipiens eum, ait illi: Hodie mecum eris in Paradiso. & his dictis euanuerunt. Tunc Monachus ille, qui viderat, & audierat, Fratribus indicauit, atque subiunxit: Si vsque in crastinum vixero, non sum vera loquutus: quòd si hodie migrauero, fidem faciet dictis ipsa migratio. Defunctus itaque est Frater in ipsa die, vt perficerentur in eo omnia, quæ dicta fuerant illi à Sancto Patre.* Hactenus ibi.

9. Ad idem tempus pertinere puto, plùs, minúsve, felicem obitum Hugonis Flauigniacensis, Fontaneti Prioris, de quo superiùs, magna in magnum Doctorem Augustinum deuotione feruentis; sed non minori ab ipso præuenti gloria, in ipso die sacræ eius Solennitatis. Is, cùm ardenter, & diu desiderasset, vt in sacro sancti Patris Festo, ex hac vita migrare sibi contingeret, ab illo, in ipso transitu muniendus; ac sub tanto Patrono, post agonem, Dei iudicium fidentiùs subiturus: nequaquam à desiderio suo fraudatus, illa ipsa die feliciter obdormiit, Augustino adstante, atque Angelorum exercitum ducente, à quibus Hugo deducendus ad Cœlum foret. Id qualiter, & te ipsa euenerit, & cuidam spirituali viro, eiusdem Domus Monacho, ostensum sit, ex eisdem additis ad Exordium magnum, totidem verbis fideliter reddamus.

10. *Verumtamen*, ait [f], *diuina clementia, quæ pia Sanctorum vota, & aspirando præuenit, & adiuuando prosequitur, hunc famulum suum desiderij compotem fecit; quia in ipsa Beati Augustini Festiuitate, sicut præoptauerat, tam feliciter, quàm fideliter è mundo migrauit. Facta est autem in ipsa nocte huiusmodi reuelatio cuidam ipsius Monasterij Monacho Religioso: vidit enim processionem candidatorum de Cœlo venientium Ecclesiam intrare, & circa corpus, quod ibidem more sólito seruabatur, assistere. Porrò vnus ex illis, statura procerus, vultu, & veste gloriosus, atque perfulgidus, accessit ad Monachum illum, & cœpit cum eo loqui. Ille verò percontabatur, quis esset, & cuius rei gratia aduenissent? Cui Sanctus ita respondit: Isti, quos vides, Angeli Dei sunt, & alij Sancti: ego verò Augustinus, Episcopus Hipponensis: nostri verò aduentus est causa, vt animam huius Fratris deducamus ad sydera nobiscum. Expleta autem reuelatione, lætatus est videns, & glorificauit Dominum, ipsúmque Præsulem benedictum, intelligens, nimirum, & sciens quia verè gloriosus apparet in conspectu Dei ille Sacerdos magnus, ille Doctor Ecclesiæ, Doctor illustris, & excelsus in verbo gloriæ, Augustinus, qui deuotum sibi famulum in die Festiuitatis eius assumptum, sicut in vita fouere non desiit; ita in morte succurrere, & secum ad gloriam perducere, non tardauit.* Hæc de Hugone, & felici illius obitu.

[f] cap. 24. & 25.

11. Demum ad idem tempus, quia semel cœpimus, referendum existimo Abbatem illum de filiis Sauigniaci, de quo eadem addita hæc habent [h]: *Quidam Venerabilis Abbas de filiis Sauiguiaci, homo sanctus, & valdè spiritualis fuit, quem Dominus, sanguam seruum fidelem, sæpiùs visitabat, & de arcanis suis multa reuelabat. Qui dum aliquando in Parasceue Crucem Domini deuotè adoraret, deuotionis suæ lacrymas etiam in aperto cohibere non valebat. Quod videns inuenis quidam carnali animo cœpit interpretari lacrymas illas hypocritales, & nihil puritatis habentes. Mox autem, suadente Diabolo, incidit ei desiderium vehemens proiecto habitu monachali, sæcularem resumere, Crucem sibi assuere, & iter Ierosolymitanum assumere. Hæc ea cogitante, reuelatum est Abbati diuinitus, quid mali iactasset in corde Fratris ille zizaniorum seminator antiquus. Vidit enim aduersarium coram eo stantem, habitu alicuius Ierosolymitani, palma, pera, & baculo insignitum, atque silanina coopertum, qui cum eodem inuene disputabat, alacritéque illi insistens, vsque ad os digitum importabat. Peracto itaque diuino officio, sollicitus fuit Abbas eundem Fratrem secretiùs conuenire, præcipiens in virtute sancta obedientiæ, vt diceret, quid in illa hora sanctissima ante Crucem Domini fascinato corde proposuisset. Sentiens autem Frater ille, à viro spirituali se deprehensum, verecundè cuncta fatetur, & se deinceps emendaturum humiliter pollicetur. Tum verò, & ipse Abbas eidem Fratri, quæ viderat, intimauit, eúmque de cætero circa cogitationes suas cautum, & timidum fecit.*

h lib. 8. c. 9.

12. *Altera vice idem venerabilis Vir vidit iterum manifestè Dæmonem in Choro lustrantem, atque in poculo vitreo quasi tenuem rubicundum Monachis per singulos offerentem. Quod dum singuli vespurarent, suus tantummodo recepit, & bibit: & continò phantasticus illusor euanuit: commotúsque Frater ab Abbate, & in virtute obedientiæ coactus, quid in illa tali hora turpitudinis animo pertractasset, confessus est, & non negauit, à spiritu fornicationis vehementer se tunc fuisse tentatum, ita vt apostatare, & propria voluptati satisfacere iam, iámque omninò disponeret. Tunc indicante Abbate, quæ sibi fuerant reuelata, Frater ille compunctus, à malo, quod intenderat, fortiter resiliit, acceptáque pœnitentia statuit corde suo firmiter iam non amplius cedere tentatori.* Hæc ex additis ad Exordium magnum, quia Annalibus digna, atque hoc tempus omninò concernentia, licèt incerto anno, præcedentibus censui subiungenda. Ex quibus omnibus Menologium augeri potest; neque excludendi à priuata veneratione tot sancti Viri, ad quam tot alij admittuntur, eiusdem, aut fortassè minoris notæ.

1. *Germania Scriptore Cæsario felix.* 2. *Petri de Confluentia Hemmenrodensis sancta initia:* 3. *exercitia præcipuè in oratione:* 4. *consolationes, & reuelationes variæ:* 5. *ardens admodum desiderium videndi Christum:* 6. *& stimulus carnis sedatus eius amplexu.* 7. *Comparatus Petrus Bernardo, & D. Thomæ;* 8. *& de modo visionis, & effectu.* 9. *Mors Arnaldi ad montem Stromberg missi ex Hemmenrode.*

CAPVT V.

1. QVO tempore hæc in Gallia tam gloriosa, haud inferiora in Germania referebantur. Fortè & in aliis Prouinciis, Regnisque, si Scriptores habuissent, per quos posteris possent innotescere: sed, qui antiquarum rerum Annales teximus, non, quæ euenerunt, sed, quæ scripta inuenimus, edere cogimur: multò absque dubio, pluribus omissis, quia non scriptis. Habuêre Germani Cæsarium, qui multa collegit: habuêre Franci Authorem Exordij magni; & quicunque fuit ille, qui eidem Exordio quædam addidit. Reliquis non scribenda defuisse puto; sed Scriptores. Vnde, de quibus pauciora dixerimus, non pauciora fecisse credendi sunt; sed pauciora memoriæ commendasse. Inter Germanos feliciores præ aliis Hemmenrodenses, quia notiores Cæsario, vtpote Heisterbacensi, hoc est, domestico. Quippe Heisterbac ex Hemmenrode nata, vnde primos Abbates, Monachosque; & frequentabat Sanctæ Matris limina edocenda ibidem, à qua è conuerso reformanda, si quid deforme, etiam per singulos annos visitabatur.

2. Ergo post Vvalterum, atque Carolum susceptit Habitum in Hemmenrode Petrus, dictus de Confluentia, quia ibi ortus, strenuus iuuenis, & quem Deus ad magna, & specialissima suæ gratiæ dona destinauisset. Huius vitam Cæsarius, qui virum assequutus est, cùm multa etiam ab aliis inquisisset, perstringit magis, quàm narrat, ita scribens [a]: *Fuerat in prædicto Claustro, quod alio nomine Hemmenrode dicitur, iuuenis quidam bonæ indolis, & laudabilis admodum conuersationis, Petrus nomine, de Confluentia oriundus, cui crebrissimas Dominus Deus fecit consolationes. Quædam ex his, quæ dictorum sum de illo, superiùs tibi retexui, quæ idcirco replicare dignum duxi, quia postea eadem plenius, & verius a quodam eius Confratre familiarissimo cognoui.* Hactenus de subiecto narrationis, & narrandorum, pro humano captu, certitudine.

a lib. 8. c. 13.

3. Mox exercitia Viri spiritualia, & quas in eis difficultates passus in tyrocinio, ad affluentiam cœlestium deliciarum tandem peruenerit, non vultis intercidi, ita commemorat: *Sanè huic inuenti studium erat semel in die, ad minus reuoluere, & recitare sibi sanctissima, & dulcissima Passionis Christi improperia, gratiarum spiritualium efficacissima incitamenta: in quo studio tantam per dimidium circiter annum difficultatem passus est, vt quasi non sibi valerem huiusmodi meditationes arbitrari debuisse: tandem cùm perstitisset pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultates indefessus effregisset; secreta illa Christi volenter intrauit, ac deinceps sine difficultate, & quasi ad mensam, paratis quotidie epistolis, meditationibus illis suauissimis, cum magna iucunditate vsus est.* Ita ex meditatione Passionis Dominicæ, velut per lanceæ, clauorúmque formmina, introibat in potentias Domini, & cœlestia omnia arcana perfruebatur.

4. At, quales interim, quantas, & quàm frequentes accipiebat à Deo consolationes! *Audiuit aliquoties,* ait Cæsarius [b], *voces psallentium in sublimi. Quadam etiam vice cùm ministraturus Domino Carolo, Abbati quondam Vilariensi, confessionem dixisset, & absolutionem de more deuotius acciperet; audiuit vocem de Cælo dicentem sibi: Dimissa sunt omnia peccata tua.* Sed & has etiam diuinæ largitatis velut primitias, miracula externa comitabantur: *Cùm Sacrista Missam celebraturo ipse adstaret, & lampas* (dudum) *extincta fuisset, lumen alunde afferre volens; sed angustia temporis præoccupatus non valens, flatu lampadem reaccendit.* b vbi suprà.

5. His velut Paradisi deliciis fruebatur post luctum, beatus iuuenis, cùm ecce, ne magnitudine reuelationum extolleretur, vt olim Paulus, & ipse permissus est stimulo carnis suæ, qui eum die, ac nocte colaphizaret. At non tentandus vltra id, quod posset; sed resturus supra naturæ totius vires, accepturus cum tentatione prouentum: imò & quietem ab ipsa, & desiderij alterius, quo flagrabat, felicem, & gloriosam adimpletionem: *Habebat in desiderio,* (pergit Cæsarius,) *& tam humiliter, quàm vehementer optabat reuelari sibi diuinitùs aliqua imagine vultum Saluatoris, vt cùm meditari debuisset, ad eundem vultum, quasi conspectum, & bene cognitum, facilius intuitum mentis imaginarie dirigere posset; & Dominus, qui hoc ei inspirauit desiderium, non fraudauit eum a desiderio suo.* Hactenus ille. Verùm quàm gloriosè, quàm salubriter, quàm supra eius votum, hoc illi desiderium Deus impleuerit, ad omnium, qui tentantur, consolationem, si tamen tentationibus præualeant, ita prosequitur:

6. *Laborabat mirabili, ac multiplici luxuriosi carnis molestia; Diabolo interim, sed Domino profectum ei de tentationibus prouidente. Vnde, cùm quodam tempore in angulo Chori Conuersorum diutiùs, & deuotius orationi incubuisset, diuinum implorans auxilium, ne sineretur labi in peccatum, post horam surrexit, & recessit: siquidem in memoriam ei venit, quod aliud quid agere haberet ex præcepto. Ascendens ergo per stalla, transitum habuit per ante Altare infirmorum, & conuersorum: quò cùm perueniisset, veniam celeriter accepturus coram Altari, & abscessurus, sub lampade se humiliauit. Et ecce ibi Dominus Iesus stans ante eum, vel potius quasi pendens in Cruce, piissima brachia sua abstrahens a Cruce, seruum suum amplexatus est, & tanquam præcordialem sibi, in signum mutuæ familiaritatis eum ad pectus suum attrahendo strictè, tentationésque illius validissimas stringendo compescuit.* Itaque vita, & eadem Christi apparitione, modo mirabili, & Christi speciem, ad quam conuerteretur in oratione, quod vnicè optabat, videre meruit, & ab vrgentibus diutius tentationibus, etiam in posterum prorsus liberari.

7. Hic mihi liber iuuenem gloriosum duobus magnis Patribus Ecclesiæ, vtcunque conferre, Bernardo,

Digitized by Google

do, & Thomæ: quorum priorem amplexatus de Cruce Christus legitur; à secundo tentationes omnes fugasse perstringens cingulo: vtrunque Petrus fauorem expertus, in vtroque videtur præcelluisse: quippe diuisa Beatum vtrùmque faciunt, quæ in ipsum coëunt: & in Bernardo amplexus nullus effectus, saltem exteriùs prodiens, quem sciamus, in Petro eximius: Thomam cingulo cinxit castitatis; sed Petro ex propriis brachiis cingulum fecit, quo non præstantius vllum, in terra valeat, aut in Cœlo reperiri. Itaque Thomæ concessus minor fauor, quominùs immediatè ab ipso Christo: in Bernardo vt æqualis minùs permanens, quippe non hæc vestigia post se relinquens.

8. Cæterùm qualis ipsa visio Christi, & quos alios effectus sortita fuerit, idem qui suprà Cæsarius pergit scribere: *Sanè cùm terra procumberet* (scilicet, Petrus post amplexus, ad pedes Christi procidens) *optimè sui compos erat, sed felici illa visione, ita à sensu suo abstractus, & ita dulciter affectus est, vt non plenè scire potuerit, vtrùm corporeis oculis, an solo spiritu reuelationem illam recepisset. Attamen, cùm multas tam antè, quàm postea, consolationes acceperit; hoc tamen fatetur, quod ista supergressa est vniuersas: tantam siquidem acceperat gratiam lacrymarum à Domino, vt infra Matutinas vix aliqua hora oculi eius siccarentur. Huius rei testis sum ego, qui iuxta illum ad psalmodiam stabam aliquanto tempore.* Hactenus, quæ Vir sanctus in Hemmenrode: nam qualiter in Liuoniam pòst profectus, prædicaturus, in ea Prouincia fidem, &, si daretur, Martyrio coronandus, suo tempore, locóque dicemus.

Sub idem tempus, nam adhuc in monte Stromberg demorabantur, Arnoldus, Vvalteri quondam Capellanus, mox Monachatus socius, qui & arcanorum illius particeps erat, cum cæteris transmissus ex Hemmenrode, feliciter in Domino obdormiuit. De eius meritis quædam nos superiùs: de obitu Cæsarius, licèt obiter, & occasione aquæ terriò in vinum conuersæ, Sancto Vvalteto, cuius idem Arnoldus minister fuerat: *Seriùs verò* (ait) *tanti particeps miraculi frater fuit Arnoldus, qui cum eo venit ad Ordinem, Vir sanctus, & mitium ordinatus; & in monte Stromberg sepultus.* Habetur eius nomen in Menologio ad vigesimum-quintum diem mensis Augusti. Nec potuit non obiisse circa hoc tempus, qui incta aduentum Fratrum ad montem illum, & translationem ad Vallem Sancti Petri, migrasse dicitur. 9.

---

1. *Ioachimus in deserta Silæ secedit.* 2. *Florem fundat*, 3. *atque id Cœnobium à Cistercio exemptum, impetrat.* 4. *A ministris Regis Tancredi patitur*; 5. *sed à Rege benevolè suscipitur*: 6. *incrementa Domus*, 7. *& Florensis Congregationis initia.* 8. *Primum Cœnobium*, 9. *& quis loci donator, promotórque*: *interposita authoritas, & plura alia deinde subsequuta*: *demum de Sanctis Congregationis illius.*

CAPVT VI.

1. INTER hæc (nam neque annus certus constat) Ioachimus Abbas, seu perfectioris vitæ, seu quæ plerunque per speciem, perfectionis inquietant animos; nouarum rerum cupidus, & Petram altam, quam tamen Petram olei ab vnctione vocasset, peræsus dudum, maioris adhuc secessus in solitudine, & remotiores eremos, seu veriùs diuisionem, neque enim fugam à Cistercio dicam, meditabatur. Esse sibi quietem in præcordiis, quam semper optauerit, nec semel iam suspectum Cistercienses, quierò inter ipsos posse conuersari, cedendum multis præcipuè Religionis. Et qui non posset illis, quia superioribus, non spiritui ipsi, quo agebatur; quia longè potentiori; sibi saltem, cui posset, imperandum. In Domo Dei diuersas vocationes, mansiones diuersas: secutas omnes, nisi permisceantur: aliter præcipitium allatutas: subeant alij communia iura Cistercij, haud dubiè salutaria votis communibus: sibi cum paucis vocatis ad singularia, alias speciales leges seruandas fore. Alias, inquam; sed tantùm pro aliquibus, cum mensura, & modo; quippe qui non desertor instituti, quod semel suscepisset; sed legum dispensator prudens veliet haberi. Itaque his agitatus cogitationibus Rainerio; & si fortè cum ipso Lucas fuit, apud Petram relictis, ipse duobus sociis comitatus, Conuerso, & laico, si credimus Iacobo Silaneo [a], *superatis Silæ iugis, inter Alpes frigidissimas peragrantes, ad Lesa fluuij partes deuenerunt, vbi inæqualitate loci illius, ac asperitate demissa, ad interiora deserti Venerabilis Pater duorum*, scilicet, Conuersi, & laici, *comitatum ductyrus ascendit.* [a] Sellicus 2. 3.

Placuit ergo (Deo disponente) *in Albanetho, vbi propriè de Flore est nomen, vestigia premere: locus siquidem Floris amne duplici, à Meridie, scilicet, Albula; à Septemtrione verò Netho abluitur, qui velut Ior, & Dan, à radicibus Libani manantes, Iordanem, ita Albanethum efficiunt. In Flore porrò duobus remanentibus, si quomodo, more pastorum, inquam, magalia, ac casiunculam, tugurioque struere daretur, Pater Ioachim ad Rainerium adhuc in Petra manentem rediit: ex mutuo denique aspectus exhibitione lætantes, vbi primò in Flore constructum habitaculum sensêre, se illuc conferre procurarunt.* Ita Iacobus, qui non multò pòst addit, transiisse breui tugurium in Abbatiam dictam de Flore, atque Ioanni Baptistæ dedicatam; (id primum à Cistercio discessûs indicium fuit,) ad quam pergit: *Non parui confluxerunt, qui tanti, ac talis Floris ingi fructificationi vtenti, aluearia diuini obsequij mirum in modum compleuerunt. Quibus cùm esset cor vnum, & in Domino anima vna in charitate non ficta, imitatione perenni penes omnes digni diuulgabantur.* 2.

Hoc initium Florensis Monasterij, teste Iacobo Græco: quod an statim à Cistercio defluxerit, Ioachimo procurante, atque Guidone, non solùm consentiente, sed adiuuante, quippe qui eorum suspectæ multis ouis; nec sibi omninò notæ vitæ abiceret, in dubio est; certum, non multò pòst fuisse exemptum. Namque decennio ab eius fundatione, anno, nimirum, millesimo ducentesimóque, cùm aliud simile propè fabricandi à Censio titulo Sancti Laurentij in Lucina Presbytero Cardinali, & Sedis apostolicæ Legato, idem Ioachimus Abbas licentiam peteret, 3.

quod

quod nulli alteri, quàm Romano Pontifici deberet
b fol.39. subiacere. Legatus illi respondit in hæc verba [b]: *Ipsum fundum ordinandum in Monasterium secundum statuta Ordinis tui, in eius, & proprietatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratanter suscepimus: secundum quod in eius proprietatem Monasterium Floris constat esse susceptum. Dantes tibi vice Summi Pontificis, cuius fungimur legatione, liberam potestatem ædificandi in prædicto loco Abbatiam ad honorem Dei, secundum statuta Ordinis tui, & eam formam, seu libertatem, quam tibi, & successoribus tuis, & Domui tuæ de Flore à Romano Pontifice constat esse concessam.* Hæc Cardinalis anno suprà dicto, mense Martio, tertiæ indictionis, Pontificatus Domini Innocentij Papæ III. anno tertio. Itaque intra hoc decennium exemptum fuit Monasterium de Flore, quamuis non constet indultu cuius Pontificis.

4. Non defuit his initiis sæua tempestas, quæ optimarum quæque cœpta insequi solet. *Præsides* c *namque Tancredi noui Regis, in regijs montibus Sila, Ioachim cum Christi Domini stipatum caterua considisse, non surdis auribus retinerent, velut fiscalium occupatores, inquiri mandarunt. Vnde ministri ad sanguinem ferè sæuientes, cuncta turbatione replebant; sic vt homines stipati solitudine, occlusi nemoribus, allecti cælesti culmine, sæcularium immemores, sæcularia iterum non spectata inniti sentire cogerent.* Malitiam Dæmonis, an diuinam vindictam quis definiat? & fortè vtrique vtranque suspicabantur Cistercienses, nimirum, Florensésque, hi velut sperantes futura bona, quibus ille inuideret ex noua fundatione pullulatura; illi, vt qui defectionem à Cistercio reputarent flagitium, quod non Deus inultum pateretur, vel in hac vita. Quodcunque fuerit, breui pertransiuit: nam pergit vltrà idem qui suprà Author [d]:

d fol.26. 5. *Venerabilis Abbas Ioachim, ne infirmiti animi labe notaretur, in mansuetudine pura, & humili corporis exinanitione, coram Rege astitit, diuinæ prorsus clementiæ inuixus; quod retributionis arrha remunerandus festinus rediret; & sicut erat circunspectione prouidus, affabilitate amabilis, venerabilis facie, cum similibus non solùm efferi; sed conuersari solitus; nulla propriæ reputationis fiducia allectus, nec aliquatenus Regis authoritate deiectus, in hæc verba Regem salutauit: Iubet Regis clementia, tantique maiestas, vtrosque, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in vnum, Domini coniurata militia, in ea parte Sila, quam elegi, seruorum instar fatigaremur. Regis magnificentiam decet non tantùm visibiles Christi hostes stipato milite; verùm etiam Principes, ac rectores tenebrarum harum in cœlestibus, inuisibiles militias, gratiis munita, ac vndique benè prospecta Religiosorũ caterua debellare. Huiusmodi verbis Regis animum alligauit, qui licèt cupiditatis, leuitatisque nota fœdaretur, virum tam rectum, ac benesonantem, sibi non copulare nequiuit.* Hactenus ille, qui sequendus nobis, quandiu alium non habemus, correctis tantùm, qui in Chronologia occurrunt, multis erroribus.

6. Creuit deinceps Florense Monasterium, Regum Siciliæ, Ducúmque Calabriæ, atque Imperatorum munificentia; ex quibus nos Henrici VI. donum Ioachimo concessum intra quinquennium, dicemus in tempore. Porrò aliorum tanta in idem Cœnobium largitas fuit, vt Fridericus II. suo diplomate, dato in castris, decimooctaua die mensis Augusti, indictione decima, quæ incidit in annum M.CC.XXX. dicere non
e fol.40. cunctetur, suorum fuisse parentum fundationem [e]. *Accedit insuper rationi, quòd parentes nostri diua recordationis Augusti Monasterium Floris pia, & liberali deuotione fundarunt: & paternum opus singularis prærogatiua gratiæ teneamur prosequi, cum augmento.* Quin & Florense Cœnobium Regum capellam, atque eius Abbates capellanos, ex aliis Ioannæ, Ierusalem, & Siciliæ Reginæ litteris constat, quæ sic incipiunt [f]: f fol.43. *Pro parte Venerabilis, & Religiosi Viri Fratris Petri Abbatis Monasterij Sancti Ioannis de Flore de dicto Ducatu Calabriæ, capellani familiaris, & fidelis nostri dilecti, ac Conuentus eiusdem Monasterij nostrorum deuotorum, & fidelium fuit nobis nouiter, non sine querela murmure reuerenter expositum.* Hæc de Cœnobio Floris satis, supérque nobis pro instituto. Plura qui volet, Iacobum Græcum consulat, qui multus est in eius descriptione.

7. Cæterùm de Congregatione Florensi, quæ ab eius initio extra Cistercium, quamuis ab ipso orta, atque demum ad ipsam reditura, cùm redierit, plura, & sigillatim: nunc breuiter sufficiat tetigisse. Peculiares illi nonnullas Constitutiones, quamuis oblitteratas ætate longa, & Commendarum (quæ confundunt omnia) peste, nunc magis constet diuersas, quàm quæ fuerint. Iacobus Græcus pauca ex eis refert: de reliquis hæc habet in sua illa Ioachimi Chronologia [g]: *Quamplurimos manuscriptos in membranis veterrimis codices pro Florensis Ordinis statutis indagandis non parum perlustrare respui: extant porrò permulti ex tantorum numero pro cooperiendis fœmineis colis, puerorúmque libellis, dissipatorum, in Cœnobio Floris: qui vndique deturpati, & deficientes in parte superfuerunt; quorum inspectione, in aliquibus suprà dictorum allegatione præposita Ordinem Florensem sua peculiaria habuisse dignoscitur.* In his porrò, quas refert, parum mouenti. Quòd Abraham, Isaac, & Iacob Patriarchæ inuocentur in Litaniis; quòd canonicæ Horæ nunc diuisim, nunc simul, seu pro Abbatis arbitrio recitentur; atque id genus alia, quæ ad diuisionem, distinctionémve magis, quàm ad profectum spiritualem, aut nouum vitæ genus videntur facere. Cætera conseruarunt ex nostris legibus. g fol.46.

8. Primum Cœnobium Florensi subiiciendum, atque eius penitùs legibus vsurum, struxit Ioachimus circa annum M.CC. authoritate Centij Cardinalis, & Legati apostolici, atque Vnfridi Culini (nam is Dominus loci) donatione: litterarum fragmentum suprà attulimus. Verùm, vt constet Congregationis initium, & qualiter, quod vni Monasterio concessum fuerat, pertransiuit ad alia, præstabit integras Lectori meo transcribere [h]: h fol.39.

Centius, Dei gratia Sancti Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis, Sedis apostolicæ Legatus, dilecto in Christo Fratri, Ioachim, Abbati de Flore, eiúsque successoribus in perpetuum.

Pia considerationis vota, quæ de cordibus inspirata prodire nosciuntur, eò sunt à Sancta Romana Ecclesia libentiùs admittenda, quò omnes, qui pro salute animarum suarum boni aliquid proponunt, ne aliquod in perficiendo patiatur obstaculum, ad eam, velut ad singulare præsidium, habere refugium didicerunt.

9. *Inde est, dilecte in Christo Frater, quòd cùm in Regno Siciliæ, ex mandato Summi Pontificis legatione fungeremur, & eúntes in Siciliam haberemus transitum per Calabriam, veniens ad præsentiam nostram dilectus filius Vnfredus Culinus, obtulit in manibus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ quendam fundum in loco, qui dicitur Albanetum, (de vicino autem fonte fluminis generali nomine, Caput gratis,) petens, vt in eodem loco deberet de licentia nostra ædificari Monasterium à te, vel à successoribus tuis, secundum statuta Ordinis tui, quod nulli, nisi Romano Pontifici debeat subiacere: & quantùm spectas*

Digitized by Google

ad ſtatuta Ordinis tui tantummodo tibi, & ſucceſſoribus tuis. Nos autem attendentes ad offerentis deuotionem, & preces illuſtris viri Simonis de Manſtra Regij Calabriæ Magiſtri Iuſtitiarij, cui cupiens eiuſdem pij operis particeps effici, coadiutorem, & cooperatorem ſe eſſe ſpopondit. Ipſum fundum ordinandum in Monaſterium ſecundùm ſtatuta Ordinis tui, in eius, & proprietatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ gratanter ſuſcepimus, ſecundùm quod in eius proprietatem Monaſterium Floris conſtat eſſe ſuſceptum. Damus tibi vice Summi Pontificis, cuius fungimur legatione, liberam poteſtatem ædificandi in præfato loco Abbatiam ad honorem Dei, ſecundùm ſtatuta Ordinis tui, & eam formam, ſeu libertatem, quam tibi, & ſucceſſoribus tuis, & Domui tuæ de Flore à Romano Pontifice conſtat eſſe conceſſam. Ita tamen, vt ſi competentius tibi viſum fuerit in vicino loco tuo, quod dicitur Caput album, caput ipſius Monaſterij, propter aquarum, quæ ibi eſt, abundantiam, liceat tibi, & Succeſſoribus tuis in vno duorum præfatorum locorum ſub eadem libertate fundare, ſicut dictum eſt, ipſum Monaſterium; & conſtituere ibi Fratres, & Abbatem ſecundùm ſtatuta Ordinis tui, omnium hominum contradictione, & contrarietate remota. Inſtituus autem ibi Abbas ab aliquo Catholico, quem maluerit, Epiſcopo munus benedictionis accipiat, qui munus apoſtolica authoritate, quod poſtulatur, impendat. Vt autem hæc noſtra conceſſio firma in perpetuum tibi, tuiſque ſucceſſoribus illibata permaneat, plenius priuilegium inde tibi fieri præcepimus, noſtro ſigillo, & authoritate roboratum. Anno Dominicæ Incarnationis M.CC. menſe Martij, tertia indictionis; Pontificatus autem Domini Innocentij III. Papæ, anno tertio.

Cœnobium hoc non longè à Flore poſitum, plura alia ſequuta, præcipuè per Calabriam, Siciliámque: imò, ſi credimus Iacobo Silanæo [i], per omnes ferè Europæ regiones. Verum eſt tamen ab ipſo, cùm quæſiſſet, vndecim tantùm inuenta, quæ Flori ſubeſſent; nec credendum ſupprimendum inſtitutum, quod pluta numero, aut grauitate illuſtria profiterentur. Inter Florenſia Monaſteria numerantur, de Calabro Mariæ; de fonte Laureato; de Bagnaria Sanctæ Mariæ, & Martyrum; Sancti Ioannis de Vlaniis; de ſuccurſu Sanctæ Mariæ de la Noua; & quædam alia. Quæ qualiter poſt ducentos plùs minùs annos Ioachimi legibus penitùs abolitis, Ciſtercienſes admiſerint ad earum præſcriptum gubernanda, ſi quis Annales forſan proſequetur, dicturus erit. 10.

[i] *ſupra* 41.

In his Eccleſiis, ſed maximè in Flore, ſanctitate, & doctrina floruiſſe plures ex Ioachimi diſcipulis, idem Author teſtatur, quamuis quem ipſe ſolùm penè enumerat Lucas eius Scriba, qui pòſt in Archiepiſcopum Cuſentinum promotus fuit, Ciſtercienſis omninò Monachus, quippe primùm Caſemarij, dein Abbas Sambucinæ, atque inde electus ad Sedem Cuſentinam, vt infrà dicam. Habuerunt tamen Florenſes Ioannem quendam, genere nobilem, opibus potentem: ſed virtutibus longè clariorem. Hic in Floris Cœnobio Nouitius primùm, dein per vota ſolennia Deo ſacratus [k]: *Annos triginta nouem iuxta Sanctæ Benedicti Regulam, & Ordinis Florenſis morem, in Dei beneplacito, & Fratrum clara ædificatione cucurrit, & in Cœnobio Florenſi, Domino, cui indefeſſè ſeruierat, ſpiritum reddere promeruit. Fratres verò Ioannem hunc velut ſanctum reputauerunt: nam deuotus venit, parus vixit, fortiter dimicauit, & in ſancta pace quieuit.* Hæc occaſione Florenſis Monaſterij. Iam reliqua huius anni proſequamur. 11.

[k] *ſub.* 12.

---

1. *Vdardus Brechinenſi, 2. Adolphus Oſnaburgenſi Eccleſiis præficiuntur. 3. Huius eximia ſanctitas. 4. In Salem Lucardus electus Abbas: ſubrogati alij in Olius, & Populeto. 5. Reſtaurata Abbatia de Sigilleriis, 6. & Ouilenſis per Martinum Seguntinum. 7. pace donata. 8. Chronologia, & dictum de Glenlus. 9. Locus Dei in Pontiuo, 10. ac Bonus Portus, & de Colle Victoria, Hibernia Domo. 11. Noſtrorum nota: & cautela illi adhibita.*

CAPVT VII.

1. PRÆTER Guidonem à Clemente III. donatum purpura, atque in ea promotum breui ſpatio, duos hoc anno ſanctitate inſignes viros, ad Sedes pontificias aſſumptos lego, Adolfum, & Vdardum; Oſnaburgenſi illum, hunc Brechinenſi in Hibernia Præfectum; vtrunque cum laude, atque Authorum, à quibus memorantur, acclamatione. Et quidem de Vdardo ita Demmſterus [a]: *Vdardus, Monachus Ciſtercienſis, poſteà Epiſcopus Brechinenſis, totam Scotiam, comitante Euſtachio Abberbroti Abbate, & paucis Clericis, pedes inſigni deuotionis exemplo perinſtrauit, verbum Domini ſeminaturus.* Ita Demmſterus de electo, & electione. Potrò de tempore referendam eſſe ad hunc annum Hector Boëtius tradit [b], vixiſſéque vſque ad annum M.C.C. XIV. Quo rurſus nobis, de eo, & ſcriptis, quibus floruit (nam doctrinam coniunxit ſanctitati) ſermo redibit. Eius meminit Arnoldus Vvionius in ligno vitæ [c], & cæteri poſt ipſum recentiores.

[a] *Hiſt. eccleſ. lib. 19.*

[b] *lib. 13.*

[c] *lib. 1. c. 46.*

2. Adolphus ſequitur, quem Arnoldus item Ciſtercienſem agnoſcit [d], necnon & Aubertus Miræus in ſuo Chronico [e], quamuis neutro prodente Monaſterium. Meminit eius cum ingenti laude Albertus Krantzius, qui & Epiſcopum vigeſimumoctauum, & Gerardi in ea Sede ſucceſſorem fuiſſe narrat [f]: *Oſnaburgenſi*, inquit, *Eccleſia poſt tranſlatum in Eccleſiam Bremenſem Gerardum, vigeſimoſeptimo loco præfuit Adolphus, vir ſingularis induſtriæ, & deuotionis non vulgaris, qui officium Cantoris auxit, ſed auxerunt viciſſim, vt cultum Religionis amplificaret; multa per induſtriam, & ſollicitudinem adiunxit Eccleſiæ: ſimul inſiſtens, & ſpiritualibus, & corporalibus incrementis.* Hæc de electione, déque zelo, & induſtria Sancti Pontificis. Verùm de eius inſigni pietate, miraculo declarata non contemnendo, hæc quæ ſequuntur [g]:

[d] *ibidem.*

[e] *ad hunc an.*

[f] *lib. 7. Metrop. c. 19.*

[g] *in Krantz. loco ibid.*

3. *Ad declarandam ſanctitatem Viri, hoc referam memorabile; quod cùm iter facerent in Vvarſtenouu, itinere medio, caſellam habuit vir leproſus, quem miſeratus Epiſcopus, quoties pertranſiret, curauit inuiſere, & allocutione fraterna inuitauit ad patientiam; propoſita ei in exemplum Chriſti Paſſione; & nihilominùs elemoſynam reliquit indigenti. Pertæſum erat miniſteria-*

libus

libus mora, quam ibi faciebat præteriens Episcopus, & tamen cum illi nemo opponere auderet fastidium, effecere, vt transitum per viam Episcopo subduceretur per ordinationem illorum. Intrauit de more cæsetam Episcopus, & quem illi dudum transtulisse videbantur, ne ibi tempus perderet Episcopus, videt ille ante se in loco sedere consueto; cui cum solita monita repetiisset Adolphus, in grauias solnitur leprosus dicens, se doctrinis eius plurimum profeciisse; & videntibus cunctis, qui aderant, spiritum efflauit, debitaque signa sanctitatis, cunctis admirantibus, & de sua fraude, quam commiserat, dolentibus. Ita miraculo duplici illustratus, & leprosum subtractum loco restituit, & restitutum glotiosius Cœlo inuexit. Præfuisse dicitur viginti & vno annis, post quos feliciter in Domino obdormiuit.

4. Hoc eodem anno in Cœnobio Salernitano Abbas eligitur, intignis ille genere, atque opibus quondam in sæculo Comes Dordoffensis, dein Monachus humilis Everhardus, de quo plura inferiùs, cùm recensenatum Prædicatorum Ordinem ipsi à Deo commendatum tradiderimus. Quintum illius Domus Abbatem tradit Bruschius, præfuisséque vsque ad annum M.CC.XI. longa, atque vtili satis prælatione. Berhardus item primus Oliuæ in Nauarra Abbas viuere desiit, cùm annis vno, & quadraginta eidem Monasterio præfuisset: cui successit Guillelmus de Bagin, cuius professionem Episcopo Pampilonensi Petro Parisio factam, *salvo Ordine Cisterciensi*, Sandovalius adducit in Episcopis suis Pampilonensibus. Sic & Stephano in Cœnobio Populeti succedit Petrus vnius anni Abbas, cui alter Petrus suffectus commemoratur.

5. *Anno eodem*, ait Aubertus Miræus in suo Chronico [b], *Abbatiam de Sceleriis, seu de Sigillariis, vulgari idiomate Gallico, de Scelliers, Trecensis Diœcesis, à Sancti Bernardi Clarauallensis ævo in hostem, veligalibus annuis egregiè auxit Henricus II. Campaniæ Comes, vt littera ab illo data anno 1190. testificantur.*

b ad hunc an.

Ego Henricus, Trecensis Comes Palatinus, considerans, & attendens, quod Ecclesia Beatæ Mariæ Sceleriarum, tum ex defectu temporalium, tum ex immoderato debitorum suorum grauamine, & filiorum suorum dispersionem cogeretur, inuitu pietatis, & misericordiæ ductus de reuocanda Fratrum dispersione, & de loci restitutione diligenter apud me tractaui, & tam in manu mea cepi, & de parnitatis meæ beneficio ad sustentationem Fratrum pro salute animæ meæ, & pro remedio bonæ memoriæ Patris mei, Comitis Henrici, & Matris meæ Mariæ, illustris Comitissæ, memoratæ Ecclesiæ dedi decem modios frumenti assignatos apud Nogentum super Secanam, & apud Pontemmacon reddendos annuatim ad Festum Sancti Remigij. Addidi etiam, & contuli eidem Ecclesiæ pro vestimentis Fratrum, decem libras annui redditus in intragio vinorum apud Pruuinum reddendas Fratribus annuatim in nundinis Sancti Aygulphi de primis nummis, qui inde prouenient. Dedi etiam memoratæ Ecclesiæ sexdecim sextarios vini apud Barbonam in vinagio assignatos ad opus Sacramenti Missarum. Quod vt notum permaneat, & ratum teneatur, litteris annotatum sigillo meo confirmaui. Actum Trecis anno Verbi Incarnati 1190. Ita Miræus. Idem instrumentum vulgauit Camuzatius in Miscellaneis.

6. Eodem item Martinus Seguntinus, cùm multas suæ Ecclesiæ querimonias aduersùs Oulenses, tum super decimis, tum super acquisitis possessionibus emersisse conspiceret, Episcopus & ipse, Monachúsque, quo vtranque Ecclesiam amore prosequebatur, & qua authoritate pollebat apud vtrosque, Canonicos, & Monachos componendos curauit, desuper instrumento confecto, cuius hic tenor:

Ego Martinus, Seguntinus Episcopus, &c. Cum Abbas, & Fratres Monasterij de Ouila omnimodam subiectionem Ecclesiæ Segontinæ vellent exhibere super Sancta Maria de Venalcalde cum suis pertinentiis, de qua Ecclesia Seguntina conquerebatur, & super quadam hereditate de Otos, quæ sicut ferebatur, fuerat Petri Archidiaconi, de qua similiter conquerebatur; & super decimis, quamuis Ordo Cisterciensis priuilegiatus sit, vt de laboribus, quos propriis manibus, & sumptibus exercuerunt, nullam persoluant decimam. Tamen gratia pacis, & concordiæ super his omnibus voluerunt cum his componere, & certa pensione se ipsos adstringere. Notum itaque sit omnibus, quia pro eo, quod Ecclesia Segontina spontaneè, & voluntariè renunciauit querimoniis suprà positis, & pro decimis omnium hereditatum sæpè dicti Monasterij cum pertinentiis suis, quarum vocabula superiùs expressimus, & pro decimis hereditatum in Sotocha, & Rocala, & quas in eisdem locis habere potuerint, & pro quatuor ingaitis in Gargolas, & tribus in Molinsico, & pro decima de Otos, & vineis, & molendinis, & salinis, & pro nutrimentis animalium, & aliis eorum redditibus, quos possident, & insuper pro decem ingaitis terræ, vbicumque in Episcopatu Segontiæ, præter prædicta, potuerint habere.

Tenetur Ecclesia de Ouila persoluere annuatim quatuor aureos in Festo Epiphaniæ, duos Episcopo Segontiæ, & duos Refectorio, vt sic Monasterium illud nullam de cætero sentiat ab Ecclesia Segontiæ superbiæ molestiam, vel grauamen; sed in pace plenaria, & tranquillitate, perpetuis valeat permanere temporibus: salvo tamen omni iure episcopali in Ecclesiis Parochialibus, si quæ sunt, vel fuerunt fundatæ in proprietate ipsius Monasterij. Hoc etiam adiiciendum est, quòd si sæpè dictum Monasterium concambiauerit, vel vendiderit, vel alio modo quicquam de prænominatis hereditatibus alienauerit, in ea quantitate, qua vendiderit, vel cambianerit, vel aliter alienauerit, liceat ei emere, vel acquirere alibi in Segontinæ Diœcesi, absque vllius decimæ persolutione. Vt autem hæc omnia firma, & inconuulsa habeant stabilitatem, & ne quis successorum meorum huius compositionis paginam per aliquam valeat infringere calumniam, sigilli mei appositione eam communire spontaneis Canonicorum Ecclesiæ Seguntiæ subscriptionibus, dignum duxi roborare, & insigniri. Facta charta Seguntiæ, XV. Kalend. Septembris, Æra M. CC.XXVIII. Sequuntur subscriptiones Canonicorum, vsque ad tres & triginta, in quibus Prior, Præcentor, Sacristáque, & duo Archidiaconi, tum Canonici plures subscripsère. 7.

Claudat annum ex more Chronologia nascentium Ecclesiarum, cuius hic tenor: 8.

Anno M.C.XC. Kalend. Nouembris, fundata est Abbatia de Benebeld, aliàs de Renebeld.

Eodem anno Abbatia de Pastuch in Vngaria.

Eodem anno, nono Kalend. Februarij, Abbatia de Glenlus.

Eodem anno, tertio Kalend. Februarij, Abbatia de Loco Dei, in Pontino.

Eodem anno, quarto Nonas Martij, Abbatia Beniportus.

Eodem anno, Abbatia de Colle Victoriæ. Sic Chronologia. De prima Domo nihil addendum habeo vltra ea, quæ dixi ante triennium. Reliquarum aliqualis notitia subest: nam Pastuch (*Pastro* alij appellant

pellant in Diœceſi Agrienſi) in Vngaria Peliſij Filiam agnoſcunt Tabulæ Eccleſiarum Clarævallenſium. Glenelus, ſeu Glenlus Scotiæ Domum, atque eius Fundatores Demnſterus memorat [g]: *Glenlus*, ait, *in Galuveja Ordini Ciſtercienſi erexit Princeps de Galuveja Bethelandus, filius Otbredi, pater Alani.* In geneſi Eccleſiarum Clarævallenſium [h] Vallis Lucis dicitur Diœceſis Caſæ candidæ, atque inter Filias Dundrenæ connumeratur.

g in Appar. n. 13.

h apud Henriquez.

9. Locos Dei plures ſuperiùs memorauimus: ſed, qui in Pontiuo, Diœceſis Ambianenſis, notatur à Roberto Claudio, in ſua Gallia, atque anno M. C. XXVIII. fundatus dicitur: vnde non leuis ſubit coniectura, adultam ſub inſtituto diuerſo, Domum, hoc anno ſuſcepiſſe Ciſtercij iugum. Sed obſtat Mater, nimirum, Fulcardi mons, dudum profeſſa Ciſtercium cum Sauigniaco. Niſi forte reformata Matre, & Filia, Neptis refugit, & diſtulit vſque ad hunc annum, reformationem; quod intentaſſe Filias Carraceti, hoc ipſo tomo, infrà demonſtrabimus. De Loco Dei, Clarauallenſes Tabulæ hæc habent: *Locus Dei, Filia Fulcardi montis in Pontino.* nulla notata Diœceſi: ſed, quæ ex Roberto Claudio ſupplere poteſt. Vide etiam Andream du Cheſne in Hiſtoriæ familiæ Comitum Drocenſium.

10. Bonus portus, Normanniæ Domus eſt, Filia Vallis Sanctæ Mariæ, de linea Ciſtercij, quam quædam Tabulæ in Ambianenſi, aliæ in Rothomagenſi Diœceſi locant. Liber taxarum Cameræ apoſtolicæ, in Ebroïcenſi, & quidem opulentam Abbatiam, ſi ſtandum taxæ: quippe mille florenorum taxam habentem. Claudius Robertus in neutra eam commemorat, nec quam ob cauſam, auſim determinare. Vltima eſt Abbatia Collis Victoriæ, de qua ſic Tabulæ Eccleſiarum Clarævallenſium: *Collis victoriæ Filia Buellis in Hibernia, Tuamenſis Diœceſis.* Sed & in taxis Cameræ apoſtolicæ video commemoratam: *Sanctæ Mariæ de Colle Victoriæ, Ordinis Ciſtercienſis, florem. XL.* Domum, & Fundatorem, ſimul ac fundandi occaſionem non ignobilem memorat Iacobus Vvaræus, inter alia Hiberniæ totidem verbis: *Carolus, cognomento Crouederge, Cruciatæ Princeps, fundaſſe dicitur Monaſterium Knorkmienſe, alias de Colle Victoria in Comitatu Galuvidia, in victoriæ memoriam, quæ eo loco feliciter illi ceſſit. Porrò ipſe Carolus, habitu monachali priùs ſuſcepto, in ea Domo obiit; anno M. CC. XXIV. vbi & ſepultus iacet. Circa quæ tempora Clearum Monaſterium in agro Majorenſi, poſtea membrum, ſiue cella (ollis victoriæ, fundatum videtur.* Hactenus ille Cœnobij huius notitiam ad nos tranſmiſit. Quædam alia, ſi tamen alia, poſt hæc ſcripta, à Iongelino video memorari ex incerto Authore, quæ facilè apud ipſum videri poſſunt.

11. Hoc demum anno (nam neque id tacebo, ſiue in cautelam culpæ, ſiue in exemplum faciat medicinæ) noſtros inuſtos lego nota auaritiæ, quòd nouas poſſeſſiones in dies acquirerent, & ſæculares, per continuas emptiones bonorum immobilium, depauperarent. Porrò, cùm ipſi debitores cunctis ſeſe agnoſcerent; nec contemnendas viris religioſis offenſiones, vel leues, quæ eorum famam poſſent denigrare: poſt longam collationem in Capitulo, iniunxiſſe Guidoni, & quatuor primis, vt ſeptem alios Abbates ſibi aſſociarent, quos prudentiores, & cælo feruentiores eſſe cognoſcerent; atque omnes pariter leges illas ferrent, quas ſine præiudicio grauitatis diſciplinæ monaſticæ, atque diuini cultus, ſerpenti infamiæ cenſerent obuiaturas. Tum verò ipſos, præuia inuocatione diuinæ gratiæ, & diſcuſſione rerum, quæ occurrebant, multa, & grauia ſanxiſſe, quorum tranſlumptum in M. S. antiquo Bugetenſi hodiéque conſeruatur, ſub hoc initio:

Anno ab incarnatione Domini M. C. XC. Ego Guido Ciſtercienſis, & Coabbates noſtri, quibus iniunctum fuit, ex conſenſu, & mandato Capituli Generalis, ad locum, diémque ſtatutum conuenimus: vbi, quanta potuimus diligentia, ad commodum, & formam Ordinis, iſta prouidimus obſeruanda. Primò, ad temperandam cupiditatem, & notam ſemper acquirendi, qua impetimur, repellendam, propoſuimus, firmiter tenendum ab omnibus, vt a ſequenti Capitulo, & deinceps in perpetuum, ab omni emptione terrarum, & quarumcumque poſſeſſionum immobilium abſtineamus. . . Excipies tamen ab hac lege Monaſteria, quorum facultates nondum ſufficiunt ad ſuſtentandum numerum triginta Monachorum, cum hoſpitalitate congrua, & ſufficienti numero Conuerſorum.

ANNVS CHRISTI M. C. XCI. CISTERCII XCIV.

1. Richardus Rex in Syriam traiecturus, 2. redditus annuos Capitulo Generali Ciſtercij donat, 3. tradita ad hoc Eccleſia, 4. cum ſuis turibus, 5. quam Gaufridus Eboracenſis Præſul in Abbatis Ciſtercij manus reſignat: 6. confirmantibus Clemente, & Cœleſtino: 7. ſollicitati ad eam expeditionem Monachi Ciſtercienſes. 8. Stephani Tornacenſis de his epiſtola. 9. Richardus naufragus, 10. Ciſtercienſium precibus fidens, tempeſtati ereptus, 11. atque in via expugnans obiter Cyprum.

CAPVT I.

1. TAM Rex vterque Gallus, Anglúſque, iam Philippus Elſatius, Flandriæ Comes, iam Dux Burgundiæ, cæteríque Principes traiecturi in Syriam, vndis tates permittere, & ventis carbaſa dare præparabant; nec niſi mare pacatius aliquantò, & tempus veris tranquillum præſtolabantur: cùm ecce intrante anno centeſimo nonageſimoprimo ſupra milleſimum, qui fuit Ciſtercij quartus, & nonageſimus, peregrinationem gloriosè auſpicaturus Richardus accerſiri Guidonem iubet Ciſtercij Archimandritam, quem cùm creditis ſibi tot ſanctis viris, ad Deum elegiſſet interceſſorem. Hactenus ſuas cauſas ſolius Angliæ, nunc iam totius Orbis Chriſtiani fore: quid, ſi & Chriſti? ſe Moyſem præliaturum bella Domini: non deſint modò qui Aaronem agant, & puras manus leuent in oratione. Indicit Monachis preces, ieiuniáque, quibus Deum ſibi, & ſuis propi-

tium

tium reddant; & qui verbi authores extitissent, sint efficaces ad summum illud Numen, a quo cuncta dependent, intercessores. Tum, vt qui omnium expetebat suffragia, omnibus etiam, qua posset, suffragaretur: redditus annuos celebrando Capitulo largitur, pingui ad sumptus Ecclesia designata de Scardeburg, quæ Abbati Cistercij subiaceret, ipsius semper arbitrio disponenda. Habebat ea possessorem nobilem virum, Guillelmum Archidiaconum; sed quò nobiliorem, paratiorem obsequi Regi, nec recusantem statim resignare in manus Episcopi, (& erat ille Gaufredus Richardi frater,) quo nihil vltrà restaret petagendum. Extat, & legitur priuilegium eiusdem Principis, à Gaufredo firmatum, precedente Vvillelmi resignatione, cuius hic tenor [a]:

a Priuileg. 2. *Richardus, Dei gratia Rex Anglia, Dux Normannie, Aquitanie, & Comes Andegauensis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Iustitiis, Vicecomitibus, & omnibus ministris, & fidelibus suis Francis, & Anglicis, salutem. Sciatis, nos dedisse, & presenti charta nostra confirmasse Deo, & Ecclesia Sancte Marie Cistercy in puram, & perpetuam elemosynam pro anima Regis Henrici Patris nostri, & pro salute anime nostre, & Matris nostre, & omnium anteccssorum nostrorum, & successorum, Ecclesiam nostram de Schardeburg, cum omnibus Capellis, & cum omnibus aliis pertinentiis suis, de qua elemosyna volumus Abbates procurari apud Cisterciam per tres dies Capituli Generalis. Si quid vero vltra triduanam procurationem Cisterciensis Capituli Generalis de omnibus prouentibus iam dicte elemosyne nostre residuum fuerit, in propriis vsibus Domus Cisterciy, sicut Abbati, & Fratribus eiusdem Domus visum fuerit, statuimus expendi: quam elemosynam ipsam ab eadem Domo Cisterciy nullatenus volumus in posterum alienare. Quare volumus, & firmiter precipimus, quòd predicta Abbatia Cisterciy percipiat, teneat, & habeat in perpetuum liberè, & honorificè, integrè, & plenariè, quietè, & sine omni molestia, & contradictione, & diminutione prænominatam Ecclesiam de Schardeburg cum omnibus Capellis, tam illa, quæ ab antiquo in Castello est, quàm cæteris, tam intra muros villæ, quam extra, & cum omnibus aliis pertinentiis suis, & cum omnibus libertatibus, & liberis consuetudinibus suis, & cum omnibus terris suis, Domibus, & decimationibus terræ, & maris.*

3. *Et ne aliquando, occasione Vicarie Ecclesie de Scardeburg, aliqua contentio, vel contradictio aduersùs Ecclesiam Cisterciy suborirì possit, ius instituendi Vicarium, & quidquid iuris habebamus in Vicaria, & quicquid circa hoc retinueramus nobis, integrè Domui Cisterciy donamus, nihil penitùs de omnibus retinentes; sed & omnibus successoribus nostris, & aliis quibuscunque personis factum nostrum perturbandi, vel elemosynam immutandi occasionem omnimodam penitùs amputantes. Abbas autem Cisterciy prò arbitrio, & voluntate sua Vicarium eliget, & Archiepiscopo presentabit: qui Vicarius in presentatione sua iurabit super sanctum Euangelium, quod in omnibus fidelis erit Ecclesiæ Cisterciy, & Procuratori eius; neque vnquam damnum, vel detrimentum reddituum scienter sustinebit. Quòd si in hoc deliquerit, & tertiò commonitus non emendauerit, el Vicaria auferatur. Hoc etiam adiiciendum decreuimus, quòd Capellani, qui in ipsa Ecclesia, vel in Capellis adiacentibus pro tempore deseruierint, Ecclesiæ Cisterciy eodem iuramento fidelitatis astringantur, & pro voluntate Abbatis Cisterciy, vel Procuratoris eius admittantur, vel amoueantur.*

4. *Volumus præterea, & precipimus, quòd Procurator Cisterciy, dum Ecclesia carebit Vicario, seruiri faciat Ecclesiæ de Schardeburg, & redditus omnes recipiat ad vsus Domus Cisterciy, & procurationis Capituli Cisterciensis, donec Abbas Cisterciy alium Vicarium eligat; Eboracensi Archiepiscopo, sicut predictum est, præsentandum. Et vt hæc omnia in perpetuum quietè, pacificè, & sine omni questu, & exactione prænominata Domus Cisterciy possideat, firmiter prohibemus: ne aliqua persona, siue secularis, siue ecclesiastica, præter Domum Cisterciy in tota Parochia de Schardeburg Capellam erigat, aut altare, aut aliud aliquid faciat, quod in damnum, vel detrimentum Domus Cisterciy possit aliquando redundare, super foris factum decem librarum.* Hactenus priuilegium Richardi, cui plures subscripsère testes ex eius Curia.

Ast possessorem resignasse in manus Gaufridi, qui præsens fuit: Gaufredum rursus in manus Vvidonis, Cistercicnsis Abbatis, constat ex eius, quæ sequitur immediatè confirmatione. 5.

D. G. Dei gratia Eboracensis electus, omnibus Christi fidelibus, qui præsens scriptum viderint, salutem. Sciatis, nos concessisse in perpetuum Deo, & Beatæ Mariæ Cisterciy pro salute animæ nostræ, & pro anima Regis Henrici Patris nostri elemosynam, quam Dominus Rex Richardus, frater noster, fecit de assensu nostro de Ecclesia de Scardeburgo cum omnibus pertinentiis suis ad procurationem Abbatum Capituli Cisterciy. Quam elemosynam plenè, & integrè concedimus, sicut in Domini Regis charta plenius continetur, & præsens scriptum sigilli nostri impressione communimus. Quare volumus, & firmiter præcipimus quòd Abbatia Cisterciy habeat, teneat, & percipiat liberè, integrè, honorificè, & quietè, & sine molestia, & contradictione, predictam Ecclesiam de Schardeburgo cum omnibus Capellis, & pertinentiis suis, & cum omnibus libertatibus, & liberis consuetudinibus suis, secundum quod in charta regia continetur: nec super his omnibus diminutionem aliquam sustineat, vel grauamen. Præterea sciatis, quòd Guillelmus, Archidiaconus Cluelensis, resignauit in manu nostra, & nos in manu Abbatis Cisterciy, quicquid iuris clamabat in Ecclesia predicta Vicaria. Testibus Ioanne, Episcopo Cafe candida; Magistro Sij, Cancellario Eboracensis Ecclesiæ; G. Archidiacono Cluell. V. de Sancto Quimino.

Cæterùm hanc eandem donationem, Cisterciy Abbas, haud dubium, quin eodem Rege agente confirmari à Clemente III. petiit, obtinuitque litteris datis apud Lateranum quinto Idus Februarij, non multos ante dies mortis ipsius. Vnde obiter constat, Richardi donationem non mense Maio, vt per errorem irrepsit in priuilegiis, sed Ianuario expeditam, maximè cùm aliunde nobis constet, Clementem consummatum mense Aprili. Exat & alia confirmatio successoris, nimirum, Cœlestini post annum data, cùm adhuc Richardus in Syria demoraretur. De hac Ecclesia, transcripto priuilegio, confirmationibúsque, Ioannes Cisterciy Abbas ita scribit [b]: *Cuius donationis inuitu Patres Ordinis omnem ingratitudinis maculam vitare cupientes, eidem deuotissimo Regi anniuersarium solemne singulis annis in quolibet Ordinis Monasterio, feria tertia, post octauas Paschæ, celebrandum concesserunt. Prima Collecta,* Præsta, Domine, quæsumus. *Secunda,* Fidelium Deus. *Quam quidem Ecclesiam à dicta donatione, vsque circiter ad ann. Domini M.CCC.LXXX. rexerunt Monachi de Cisterciy, illuc ab Abbate suo transmissi, quorum plures ibidem sepulti miraculis florere dicuntur, & ad eorum sepulcra populus deuotè recurrit. Interim valdè multi tractatus, & litera super his fuerunt confecta, quæ in Cisterciy seruantur, singulisque annis ex* 6.

b in Adnotationibus.

fructibus dicta Ecclesia plura bona ad Cistercium mittebantur. Ingraescentibus autem bellis inter Franciam, & Angliam, dicta Ecclesia fuit de manibus Cistercienſium ſublata, quanquam dictis guerris nullam dediſſent cauſam, & Prioratui de Brindelingten Ordinis Canonicorum Beati Auguſtini vicino in cuſtodiam commiſſa. Hæc Venerabilis Ioannes, Ciſtercij Abbas. Portò, quos Monachos miraculis claruiſſe poſt mortem tradit, Henriquez Menologio ſuo inſeruit ad ſextam diem menſis Auguſti.

7. Illud etiam obſeruatu dignum ſub huius anni, & expeditionis initium, noſtros concernit, ſelectos ex Ciſtercio viros, aſſumptoſque, tam ab vtroque Rege, quàm à Principibus, quos ſocios viæ deferrent, & belli duces; quibus neque prædicantibus, conſtantiam, robúrque; neque orantibus, diuinam protectionem defuturam militibus, quicunque meliùs ſentiebant, haud dubitabant. Et cogebantur ire, vel inuiti quicunque miniſterio apti iudicabantur. Extat epiſtola Stephani Tornacenſis ad Abbatem Ciſtercij per hoc tempus ſcripta, cuius ſuperiùs memini, vt Abbatem Vallium Sarnai ſanctum Virum, ſed ad iſta fortaſſe minùs aptum, ab exercitu reducem (incertum, qua occaſione, quanuis multæ ab Stephano inſinuentur) nequaquam remitteret, præcipuè reluctantem, atque in eo opere minùs profuturum. Eius initium, argumentum aliorum, qui mittebantur, hic tranſcribere neceſſarium duxi: ſic autem habet [c]:

c epiſt. 184.

8. *Eò ſecuriùs, impetrata venia, vobis loquimur, quò ſecretiùs dignitatis noſtræ conſilium velare vos credimus, & ſperamus. Prodigioſum nobis videtur, & oſtentui proximum, quòd filium veſtrum Abbatem de Sarnaio, de martis faucibus ereptum, & tam periculis in mari, quàm periculis in falſis fratribus afflictum, ad inutilem vadium ſub obedientiæ vinculo compellitis; vt quaſi in incertum currens, & tanquàm aërem verberans pugnet, nihil ſecum præter laborem, & ingratitudinem relaturus. Expertus eſt profectionem ſuam, profectus expertem, & humeros puſilli corporis, puſillaque mentis, oneri ſuſcepto minùs ſufficientes, præſertim cùm ſæpiùs id, propter quod peregrinationem aſſumpſerat, tentauerit, & ſæpiùs repulſus ſit, vt nec proficeret in aliquo, nec ſufficeret vel in vno.* Et poſt pauca: *Opus iſtud Prophetarum eſt, ſiue Apoſtolorum, quibus per gratiam miraculorum ſibi collatam, hoſtes fugare, vincere, proſternere, & incredulos ad fidem conuertere, conceſſum eſt, Domino ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Ita Stephanus pro Abbate de Sarnajo, pro quo & aliam epiſtolam ſcripſit [d] ad Petrum tunc Atrebatenſem Epiſcopum, quondam Pontigniaci Abbatem, cùm à quibuſdam Coabbatibus ſuis ſuper aliis negotiis impeteretur. Extant & in antiquo M. S. Bugetenſis Cœnobij leges hoc anno latæ, ſiue ſequenti, ſub his titulis: *Vt petitio de Monachis, ſeu Conuerſis cruce ſignatis ad Domos proprias reuocandis* (intellige, ante finitam expeditionem) *nullatenus exaudiatur.* Et item alia: *De Monachis, & Conuerſis negotia guerrarum procurantibus.* Ex quibus quanta fuerit frequentia aſſumptorum ad opus, facilè liquet. Cæterùm de duobus aliis Monachis profectis in Syriam, atque captis ibidem à Saladino, quæ Authores commemorant, quanuis humanum paſſis ſuo tempore, neque lapſum ſilebo, nec pœnitudinem.

d epiſt. 174.

9. Ex quibus forſan liceat coniectari id, quod ſuperiùs tetigi, tales cæteros aſſumptos ad hoc opus, qui per miracula confirmarent, quæ prædicabant. Qui aut quales à Regibus aſſumpti nequaquam reperi. De Philippo Elſatio, Flandriæ Comite, notatum lego, profectum in Syriam [e]: *Comitantibus à ſacra Dignitate Rogerio Cameracenſi Pontifice, & Simone Laudenſis Abbatia Amiſtite.* Nec mihi dubium à cæteris Principibus plures alios aſſumptos, quorum exemplis ad meliorem vitam componi, quorum conſiliis vti, & quorum tum orationibus, tum meritis, ſeſe ab inſtantibus viæ, & belli periculis, ſic perſuaſum habebant, tueri poſſent. Verum eſt tamen, vnum Richardum Regem, qui tam pium in noſtros, imò tam liberalem gerebat animum, dum nauigaret, tempeſtatem paſſum, fidem aliorum remittere potuiſſe: ſi non ea, ad illorum preces ſedata (quod penè viſibiliter expertus eſt) atque inſigni victoria inde ſequuta, magis tam ipſum, quàm alios confirmauiſſent. Nam audi, quod de hac eius nauigatione Cæſarius narrat [f]:

e Buzelinus ad hunc annum.

f lib. 10. c. 46

10. *In prima expeditione Ieroſolymitana Richardus Rex Anglorum, cum multitudine peregrinorum, copioſque maximis tranſfretauit. Die quadam, circa crepuſculum orta eſt in mari tempeſtas validiſſima, ita vt naues procellis concuſſæ, & vi ventorum impulſæ, mortem omnibus intentarent. Rex verò, ſicut & cæteri, mortem ante oculos habens, tota illa nocte clamauit: O quando erit tempus, in quo Griſei Monachi ſurgere ſolent ad laudandum Deum! tanta enim bona illis feci, vt non dubitem, quin mox vt cœperint primò orare, Dominus nos reſpicere debeat. Mira fides Regis! Dominus verò, qui dicit* [g]: Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti: Tranſi hinc illuc. & tranſibit. *euidenti miraculo fidem iam dicti Regis remunerauit. Nam circa octauam horam noctis, tempore matutinali Monachorum ſurgentium, Dominus orationibus excitatus, & ipſe per potentiam conſurgens, imperauit ventis, & mari: & facta eſt tranquillitas magna, ita vt omnes de tam ſubita maris immutatione mirarentur. Reuerſus verò idem Rex, gratia eiuſdem miraculi, amplius Ordinem honorauit*, &c. Ita Cæſarius.

g Matth. 17.

11. Cæterùm, quàm non ſolùm vt ſedaret precibus Ciſtercienſium; ſed vt per eam inſigni etiam victoria muneraret Richardum, tempeſtatem permiſit, aut immiſit, quæ tum illius, tum aliorum fidem augere poſſet, demonſtrauit euentus: appulſa vi ventorum ad Cyprum claſſe, & ſubiugante Inſulam, cùm Rex illius, quanuis Chriſtianus, in ipſos naufragos acriùs ſæuire vellet; ita omnes illius ævi Hiſtorici, ex quibus Mazerus, tam Richardi, quàm aliorum nauigationem paucis expediens: *Apparente vere*, ait [h], *Franci, Burgundiones, & Flandri proſpero curſu, ex Sicilia nauigarunt in Syriam. Angli verò tempeſtate in Cyprum compulſi, totam eam Inſulam ſui iuris fecerunt*, &c. Ita Mazerus ex aliis antiquioribus. Hæc victoria anteuertit Richardum in Palæſtinam, non ſine inuidia Philippi Francorum Regis, quem nulla ſimilis, aut hoſtibus timendum, aut amicis glorioſum affeciſſet. Vnde fortaſſis renouata odia, quæ tem Chriſtianam tandem labefactarunt. Sed maneant interim vtcunque ſibi amici, atque inde Saladino formidabiles, quandiu nos alios euentus Occidentis, qui vtriuſque profectionem ſequuti ſunt, quà Ciſtercium concernunt, enodamus.

h ad hūc ann.

1. Mori

1. Mors Clementis, subrogato Cœlestino. 2. Henrici noui Imperatoris coronatio: 3. atque inuasio Calabriæ non sine strage. 4. Ioachimi Abbatis ad ipsum vaticinium, 5. atque in eundem Henrici veneratio. 6. Vterque Rex in Syria victoria clarus: 7. sed mortuo Elsatio Flandro, Philippus redux; 8. nec minùs ideò in Saladinum Richardus prævalens; 9. qui milite, & pecunia simul exhaustus, ad Garnerium, Clarevallis Abbatem, scribit. 10. Victorias memorat, 11. & totius belli euentus: 12. atque vtraque subsidia ab eo supplex implorat. 13. Perpensa epistola, quæ & effectum sortita, 14. si non propera discessione Regis frustrata foret. 15. Demum occasio eiusdem discessionis.

CAPVT II.

1. VIX Rex vterque Siciliam deseruerat, cùm ecce intempestiua nimiùm mors Clementem III. Ecclesiæ, & Orbi abstulit, & Cœlestinum pro ipso subrogauit, virum prouectæ ætatis, si non decrepitæ: quippe vigesimo ætatis suæ anno Cardinalis creatus in ea dignitate (quod Petrus Blesensis, eius temporis Author, scriptum reliquit) quinque supra sexaginta perseuerauerit. Sed nihilominùs protracturum Pontificatum supra eos, qui præcesserant iuniores. Quippe septennio rexit nauem Petri, quod tres ante ipsum immediati Pontifices nequaquam attigerunt, & vix quatuor. Electioni illius interfuêre Iordanus de Cecano, Vvidóque ex Cistercio assumpti, vterque Presbyter Cardinalis à Clemente creatus, vt suis annis de vtroque commemorauimus.

2. Prima noui Pontificis functio, coronatio Henrici, Constantiæque, Friderici in Imperio successorum. Sunt, qui scribant [a], commouisse eosdem contra Tancredum, velut contra inuasorem Regni Siciliæ, quod Constantiæ sorori ex legitimo thoro natæ debitum esset. Alij [b] Henricum, Pontifice inconsulto, imò & resistente, persuasisse Calabriam; vxoriam dotem, qua posset, vendicaturum. Vtcunque fuerit, cædibus omnia plena, & Neapolim maduisse multo sanguine vtrique affirmant; ac nisi morbi in exercitu grassantes infregissent Henricum, vtranque penè Prouinciam deuastandam ferro, & igni. Ferunt, cùm omnia in Henricum inclinarent, veluti in potentiorem, vnde eius miles magis insolesceret, prædictum à Ioachimo rei euentum, & frustrandum Henricum optatis votis, tunc cùm non videbantur, posse eludi: sed quibus tamen potiturus tandem esset, sine discrimine, præfixo tempore pacificè admittendus. Voluissem sanè hæc hausta ab antiquioribus, quo præteriti anni vaticinia, ex euentu suspecta, his certioribus possent compensari: sed præfero, quod habeo testimonium Iacobi Græci, cuius verba præstabit hîc transcribere:

3. *Mortuo*, ait [c], *Clemente III. Cœlestinus huius nominis tertius, successor eius, qui fuit Pontifex sub anno à Natiuitate Christi millesimo centesimo nonagesimoprimo, à die vigesima nona Martij, ad incepta iam prælia in Tancredum propellendum, Henricum, huius nominis sextum, Friderici primi filium, Imperatorem in vrbe coronauit, die decimaquinta Aprilis eiusdem anni. Qui profectò Imperator, stipato milite, Neapolim inter cæteras Europæ vrbes, inclytam obtinuit: cæteris verò expeditis, ad votum non succedentibus, cuncta cæde, & exterminatione confundebantur. Et qui posuerat in carne brachium suum, non parum manus Domini visa est grauari super eum sic, vt ex copijs suis, plures languoribus, quàm vulneribus occumberent.*

At Ioachim intelligens, quæ ventura erant super eum: si quomodo tantis calamitatibus subuenire posset, in Dei adiutorio confidens, Imperatorem adijt, & de tam dira in populos Dei perpetrata iniquitate redarguit; addens, non immeritam, ob in alios inflictam, in suos stragem recepisse, & ni abstinentes desisterent, omnes pariter in proximo morituros. Plurimis tamen cor suum obdurantibus, seruus Dei, quem inter cæteros docciliorem putauerat, Regulo cuidam adiunxit: Futurum est, vt Tyrum, & Regnum eius Rex deijciat Babylonis. Iuuenis denique Imperatorem ait: Postquàm à tanta, quam Ezechiel prædixit, depopulatione cessaueris, in hac tua afflictione confusus secedens, Sicilia Regno (tibi siquidem satis probatur habendum) reuersus absque discrimine potieris: quod aggregato Scripturarum testimonio Imperatorem nimiùm persuasibilem fecit. Hactenus de Ioachimi hoc vaticinio Iacobus Græcus, quod vt non ausim omninò condemnare, sic sacras Scripturas ad hæc trahere, nescio, an ex earum mente, & certè non ex vsu Sanctorum Patrum. 4.

Pergit hic Author de Ioachimi discessu, cuius mox verba permouerint Henricum ab inceptis desistere, atque inglorium ad propria remeare: *Henricus*, ait, *denique Abbatem abeuntem, inter milites nulli prorsùs arari, vel ordini parcentes, vsque Salernum educi in securitate mandauit. Nec Barbarorum nuntiantes defuerunt, qui dicerent: Quanta mala latent sub cuculla illa! Nam, qui cuncta deuastare decreuerant, vix fulgura tanta eius correptionis sustinuerant. Imperator interea, re tacitò ponderata, Ioachim velut à Deo misso fidem prabens, collectis copijs se ad sua sine palma reduxit.* Hactenus ibi. Certè Henricum, Constantiámque voluisse Ioachimum, quæ inferiùs dabimus, indubitata instrumenta manifestabunt. 5.

Dum hæc in Orbe occiduo peragerentur, vterque Rex, qui in Syriam transfretauerat, hostibus metuendus, coniunctis viribus, castra, oppida, vrbes quauis munitas, etiam ante congressum debellabat. Et subiugasset absque dubio Palæstinam, si non Galli, & Angli discordes inuicem, inueterato inter eas gentes odio, an recenti, ex victoriis æmulatione, cui incumbebant, negotium labefactassent. Breuiùs cæteris Meierus, sed quantùm ad nos spectat, haud diminutè: *Horum*, ait [d], id est, Anglorum, Gallorúmque, *aduentu, Barbari necessitate adacti, Ptolemaidem diu fortiter defensam reddiderunt. Saladinus timore perterritus Porphyriam, Cæsaream, Ascalonem, Gazamque, quas defendi posse desperabat, muris exuit. Ea in obsidione quinquaginta amplius ex nostris, Duces, Comites, & Episcopi, pestilentia sunt absumpti: in quibus Philippus Comes, qui decessit Kalen. Iunij, vrbe nondum capta, sepultusque est cum aliis in cœmeterio D. Nicolai* 6.

[d] lib. 6. in fin.

lai extra urbem. Igitur Christianis in Palæstina hostes, quàm morbi; sed & morbi mitiores, quàm ipsi sibi. Nam audi, quod sequitur.

7. *Defuncto Flandro, urbéque recepta, Francus Rex Odonem Ducem Burgundiæ suis præfecit, séque domum ocyùs recepit. Causam repentini discessus quidam asserunt, quod inter ea, quæ inter se exercebant plusquàm Vaticiana odia, Richardi Regis insidias timeret. Alij discessum eius non alio pertinere arbitrabantur, quam vt vacuam militi Normannian, Aquitaniámque, & orbam Principe Flandriam occuparet. Ipse autem valetudinem, ac Cœli grauitatem, insolentiámque excusabat. Nihilo secius Richardo Anglo ignauiam eius increpanti, non antè potuit satisfacere, quam iure iurando fidem dedisset, se ab omnibus, quæ illius erant, antisper temperaturum, dum & ipse saluus domum rediisset.* Ita Rex Gallus re infecta, ad propria redux, dum quos deseruit, hostibus exponit, destitutos auxilio; quos retulit, transgressores effecit concepti voti: sed Flandriæ illum spes sollicitauit, vt Elfatio succederet, iure, an potentia, quæ Regibus plerunque magis ex vsu. Nos de vtroque Philippo sequenti capite, nunc Richardum attentiùs prosequamur.

8. Hic à Philippo relictus in Palæstina, nec magis ideò Saladinum metuens, varias ex eo victorias reportauit, quas ipsiusmet calamo descriptas statim referam. Verùm cùm longo bello iam exhaustus, æquè militibus, pecuniisque indigeret, quem profectionis suæ animatorem habuisset, Galterium, Claræuallis Abbatem, & victoriarum participem, & continuandi belli promotorem habere voluit: litteris ad eum datis ex Palæstina, veneratione plenis, quibus & eos, qui præcessissent hactenus, euentus commemorat; & reliquendam prædicationem orat, supplendo militi, & necessariæ pecuniæ colligendæ. Porrò epistolam ex Rogerio Ovvedenio petitam, Cardinalis Baronius *hoc anno.* etiam transcribit totidem verbis:

9. *Richardus, Dei gratia Rex Angliæ, Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, Viro venerabili, & amico in Christo charissimo, Abbati de Claraualle, salutem, & continuæ felicitatis successum.*

Post lacrymabilem, & in commune plerandam Ciuitatis sanctæ Ierusalem destructionem, Ciuitatem Dei viuentis, super quam inuocatum est nomen eius, commota est, & contremuit terra: quia Rex Cœli perdidit terram suam; terram, vbi steterunt pedes eius. Sed à Sede apostolica diffusa Dei benedictione per vniuersam terram, amici Crucis Christi ad suscipiendum signum salutis in frontibus, & in humeris eorum, & ad vlciscendas Sanctæ Crucis iniurias, sicut vestram non latet sanctitatem, certatim exolabant. Inter quos & nos ad seruiendum Deo viuenti signo Crucis accepto, ad defendendæ legis merito eius, pretiosò suo Sanguine dedicata, quæ inimici Crucis Christi hactenus ignominiosè profanabant, tanti, & tam sancti laboris onus in nos suscepimus; & intra breue temporis spatium post aduentum Domini Regis Francorum ad Accon, ibidem Domino duce, prosperè applicuimus. Vbi non multo temporis tractu elapso, reddita est Domino Regi Francorum, & nobis ciuitas Accon, saluis vita Saracenorum, qui ad eam defendendam, & custodiendam inius missi fuerant.

Pactione etiam ex parte Saladini plenius firmata, quòd nobis Crucem sanctam, & mille, & quingentos captiuos viuos resignaret, decimque ad hæc omnia perfolcnda nobis constituit, Sed eodem termino expirato, & pactione, quam pepigerat, penitùs infirmata, de Saracenis, quos habuimus in custodia, circa duo millia, & sexcentos, sicut decuit, fecimus expirare, paucis tamen de nobilioribus retentis, pro quibus sanctam Crucem, & quosdam captiuos Christianos sperabamus recuperaturos.

Domino autem Rege Francorum ad propria remeato, 10. *& ruinis, & scissuris murorum ciuitatis Accon reparatis, ipsáque ciuitate fossatis, & muro plenius firmata ad promouendum Christianitatis negotium, & prosequendum nostri voti propositum apud Ioppen proposuimus, & nobiscum Dux Burgundiæ cum Francigenis, sibi subditis, Comes Henricus cum suis, & multi alij Comites, & Barones, & populus innumerabilis ire. Cùmque inter Accon, & Ioppen plurimum esset spatium, & tractus viarum prolixior, apud Cæsaream tandem cum multo sudore, grauique iactura nostrorum descendimus. Et ipse Saladinus in eodem itinere de suis quamplurimos amisit: cúmque populus Dei ibidem aliquantulum respiraret, ad Ioppen propositum iter summus prosequuti. Et nostra anteriori custodia procedente, & castra apud Assurum metante, Saladinus cum vehementi Saracenorum incursu super vltimam custodiam nostram impetum faciens, diuina miserationis fauente gratia, à quatuor solummodo turmis, quæ ei in fronte oppositæ fuerant, compulsus est in fugam: ipsúmque fugientem per vnam leucam turma Christianorum plena sanè prosequuta; tantámque stragem de nobilioribus Saracenis, quos Saladinus habebat, die illa, Sabbatho, videlicet, Vigilia Nativitatis Sanctæ Mariæ Virginis, prope Assur fecerunt, quantam Saladinus quadraginta annis transactis anteà vna die non sustinuit. Nos verò de nostris, gratia Dei, nullum amisimus die illa, nisi virum optimum, & suis meritis vniuerso exercitui charum Iacobum de Auenis, qui in exercitu Christiano per plures annos ad seruiendum Deo viuens quasi columna exercitus in omni sanctitate, & synceritate Fidei promptus extitit, & deuotus. Deinde Ioppem, Domino ducente, peruenimus, villámque illam fossatis, & muro firmauimus, in proposito habentes, vbique Christianitatis negotium pro posse nostro efficaciter promouere.*

Post diem prædictum confusionis Saladini, 11. *non est ausus Saladinus cum Christianis congredi; sed ad trucidandos amicos Crucis, sicut eues occisionis, insidiatur eminùs in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Audito itaque, quòd nos apud Ascalon maturo congressu tenderemus, Ascalon euertit, & ad terram prostrauit, totámque terram Syriæ, quasi totus consiliorum, & auxiliorum beneficio destitutus, iam deserit, & contemnit. Vnde bona spei sumimus argumentum, quòd in breui, Domino dante, plenius recuperabitur hæreditas Domini. Et cùm hæreditas Domini iam in parte recuperata est, & ad eam recuperandam omne diei pondus sustinuimus, & æstus; totámque pecuniam nostram, & non solùm pecuniam; sed & vires, & corpus iam exhausimus, Fraternitati vestræ notificamus, quòd vltra Solemnitatem Paschalem in partibus Syriæ, nequaquam poterimus commorari. Dux Burgundiæ cum Francigenis sibi subditis, & Comes Henricus cum suis, & cæteri Comites, & Barones, & milites, qui in seruitio Dei sua iam expenderunt pro Deo, ad propria remeabunt, nisi per vestra prædicationis solertiam eis in populo, vnde terra posset populari, & muniri, & in pecunia, quam in seruitio Dei vberiùs expendant, circumspectè prouideatur.*

Vnde vestræ Sanctitatis genibus prouoluti, & profusis lacrymis, preces affectuosas porrigimus, rogantes attentiùs, quatenus, sicut officio vestro congruit, & honori, Principes, & viros nobiles per vniuersum Christianissimum constitutos, aliósque populum Dei ad seruien- 12.

dum

dum Deo viuenti inducere, & ad hoc prouocare satagunt, vt post prædictam Solennitatem Paschalem, hæreditatem Domini, quam nos, Deo propitio, ad idem Pascha plenius obtinebimus, queantur, & defendant. Tantúmque faciat in hac parte vestra sedulitatis diligentia, ne ex vestro neglectu depereat, quod vtilitas totius Christianitatis spectat. Ideò Sanctitati vestræ super negotio Christianitatis, litteras nostras tam mature direximus, ne fortè torporis arguamur, & negligentiæ, si tantum, & tam sanctum Virum, super instantibus Christianitatis negotiis, aliquo modo præterniserimus præmunire. Vos igitur, sicut nos, & alium populum Dei ad seruiendum Deo, ad restituendam hæreditatem suam sibi, ante itineris acceptionem animattis; ita & nunc plurimus instet articulus, vt populum Dei ad hoc idem faciendum fortius excitetis. Teste nobismetipsis, apud Ioppem, primo die Octobris. Hactenus ad Garnerium Richardus Rex.

13. In quibus planè non obscurè videas, quantæ idem Abbas apud omnes æstimationis, ad quem Reges confugerent, quem vnicum asylum in tanto, ac tali Christiani Orbis discrimine, & deuoti susciperent, & supplices infra regiam Maiestatem deprecarentur. Quid, quæso, maius Cœlestino Papa? quid reuerentius scribi, aut dici potuit? *Quatenus, sicut officio vestro congruit, & honori, Principes, & viros nobiles per vniuersum Christianum Orbem constitutos, aliúmque populum Dei*, &c. Certè Christianum Orbem commonere, infra Sùmmum Pontificem, quis audeat? ex officio quis possit? & tamen id præstandum à Garnerio, Richardus ait: nec, quod miteris, auxilium Romani Præsulis, sed pauperis Monachi genibus, vt ipse ait, prouolutus implorat: quasi à quo nec minora, nec minùs grata, fortè & promptiora subsidia præstolaretur.

14. Quid præstiterit Abbas Claræuallis, post acceptam epistolam Richardi, in dubio est: constat, nouis discordiis subortis inter Christianos super incerti regni successione, quippe de Ierosolymis certabant, Regem è Syria ante tempus discessisse, pactis cum Saladino induciis, cùm iam, iámque esset victoria potiturus: quippe, vt ait Guillelmus Neubricensis [f]: *Paulò post exercitum Christianorum ex Syria digressum, stillanis Dominus super populum suum misericordiæ modicum, tanquam arrhan quandam gratiæ plenioris: virga quippe furoris Domini, formidabilem Christiani nominis malleum confregit Saladinus: qui, nimirum, cùm in multa lætitia, & securitate ageret, tanquam elusa omni fortitudine magnorum Regum Occidentis, repentè incidit in manus Dei viuentis, magnúmque illud Imperium, quod ex Regnis opulentissimis homo nonregij sanguinis, sed astutia, & virtute conflauerat, cum ingenti rixarum, bellorúmque materia, delicatis hæredibus moriens dereliquit. Denique eo mortuo, iuxta numerum succedentium, scissum est imperium eius, ipsíque inter se dissidentibus, facta est summa confusio in domo eius.* Hæc Neubricensis.

[f] lib. 4. c. 18.

15. Cæterùm de occasione dissensionum inter Catholicos, quæ Richardum, & indutias paciscí cum Saladino, & deserere bellum coëgerunt, hæc idem Author paulò antè narrauerat: *Nostri quoque post tam lata initia, nihil iam magnum, & memorabile agere poterant, propter internum discordiæ malum, quo languebant: Principes enim non coherebant; sed mordaci æmulatione dissentiebant ab inuicem. Nec poterant in communi consulere, studiis in diuersa nitentibus, contraria decernentes. Denique Conradus Marchio, & Princeps famosissimæ, firmissimæque vrbis Tyri, adiuncto sibi Duce Burgundiæ, & nobilibus Francorum cum subiectis copiis, Regi aduersabatur Anglorum, æmulanti pro Guidone, olim Rege Ierosolymorum. Rex verò propter magnitudinem animi, & virium, quos fortè per mansuetudinem vnire sibi poterat, indaganiis animi motibus exasperabat. Quia ergo in nostro exercitu non id ipsum dicebant omnes, sed schismata pullulabant, tanta expeditionis iam stabat negotium, & non procedebat.* Accesserunt ad accelerandum Richardi reditum, crebræ ex Anglia epistolæ, quibus tumultuantium Fratrum motus, qui fideliores erant, significabant. Verùm de reditu Richardi, Anglorúmque, anno sequenti. Nunc, quæ inter hæc Atrebati contigerunt, diuiso Comitatu Flandrensi per quatuor arbitros, duos Episcopos, duósque Abbates, ex quibus singuli ex Cisterciò assumpti, dicenda erunt.

---

1. *Certatum inter Principes de Comitatu Flandriæ*, 2. *& designati ex Cistercio Arbitri duo.* 3. *Sententia Iudicum:* 4. *& dictum de Daniele Camberonensi*, 5. *atque insigni illius sanctitate.* 6. *Funus Philippi perductum ad Claramuallem:* 7. *Epitaphium sepulcri*, 8. *quod paulò aliter vulgatum est à Meiero.* 9. *Infantis vox*, 10. *& insignia Comitum ab ipso derivata.* 11. *Variæ illius memoriæ in Claraualle:* 12. *atque item Atrebati.* 13. *Mathildis coniugis cum ipso sepultura.*

CAPVT III.

1. NONDVM Philippus ad propria remeauerat, cùm Guillelmus, Rhemorum Archiepiscopus, eiusdem Regis nomine, ait Meierus [a], *Omnem ad se conabatur trahere Flandriam; ac Ludouicum stirpem Regiam in possessionem eius introducere, dictitans, Isabellam Reginam, Ludouici Matrem, ab Elsatio Auunculo, ex asse institutam fuisse hæredem.* Sed Margareta, Balduini coniux, defuncti Elsatij soror, quin & Mathildis vidua, illa iure sanguinis, hæc dotis titulo, eundem vendicabant. Et placuisset Guillelmo ius in armis, vt potentiori vtraque, constituere; si non Philippum meritò puduisset, Christianum sanguinem in Occidente fundere, qui Mahometano in Oriente pepercisset. Vim citra sanguinem inferre cogitauit, non tamen potuit: nam pergit Meierus: *Dies Dominici Natalis egit Lutetiæ. Eò Balduinus, iuramenti præstandi gratia, profectus, tantùm abfuit, vt in fidem reciperetur, vt nisi clanculum se Domum surripuisset, in custodiam fuerit coniectus.* Hinc Balduini metus ex Philippo, & *Reuersus in Flandros, ab Atrebatibus nihilominus, Odomarensibus, Arienſibúsque, vltrò licèt eum imitantibus, seu pro Regis honore, seu reuera eius potentia perterritus, abstinuit.*

[a] lib. 7. in princ.

Purgandæne violentiæ suspicione, cùm ob intempestiuum ex Syria reditum, malè in Europa audiret; 2.

an

an amore Iustitiæ, in dubio est. Certum, cùm certum, & ignis sperarentur, compromissum in Arbitros, qui ius suum integrum vnicuique conseruarent. Florebat eo tempore in Belgio Daniel, Camberonensis Cœnobij Abbas, ex Claraualle à Bernardo olim transmissus. Florebat, & Petrus Atrebatum Pontifex, Cisterciensis vterque, vterque Sanctus, atque vterque reuerendus vtrique Principi, (nam in Mathildem, seu reuerentia sanguinis; siue, quia solum vsumfructum ambiebat, quandiu viueret, vterque facilior,) neque illi quicquam gratum sine Cistercio. Igitur, hi duobus aliis adiunctis, nempe, Guillelmo, Archiepiscopo Rhemensi, & Simone, Abbate Aquicentino, ex vtriusque dominio delecti sunt, qui rem totam arbitrio suo componerent, atque vnicuique, quod sui iuris esset, adiudicarent. Verùm, quam illi protulerunt sententiam, cui ab omnibus starum, ex eodem Meiero prosequamur:

3. *Breui interiecto tempore, Conuentus de componenda discordia Atrebati indictus, ibi Guillelmus Rhemorum, & Petrus Atrebatium Pontif. Simon Aquicinctinus, & Daniel Camberonensis Abbates, lecti decidendis controuersiis Arbitri, Gandauum, Brugas, Hypram, Curtracum, Aldenardum, Vuastam, Alostum, Gerardimontem, cum locis Imperialibus, qua ministeria vocabantur, ac Insulis Mariniis, Margaretæ adiudicarunt. Atrebates, Bapalmas, Arian, Fanum Odomari, cum arce Rumboltana, Comitatum Hisdinensem, ac Lensensem; beneficia, seu homagia Bononia, Fani Pauli, Gisiense, & Lilariense, cum tota occidentali Flandria, ad vsque Fossam nouam Regia stirpi Ludouico, dotem, videlicet, Matris eius, attribuerunt, Insulam autem Duacum, Cisoinum, Orchiachum, Selusam, Castetum, Furnas, Balliolum, Broburgum, Bergas, Vuatenas, vnà cum Sylua, Castelloque Niepensi, Mathildi Regine, ceu vsufructualia, in vita possidenda, assignauerunt: iuratúsque Balduinus more maiorum in Regis verba, Comes Flandria vxoris nomine salutatus est.* Hactenus quæ per Arbitros facta diuisio Flandriæ, interuenerunt duorum Cisterciensium, atque in Vrbe, cui alter præsidebat.

4. Verùm, quod attinet ad Abbatem Camberonensem, sciat Lector, sanctitate, & doctrina valdè illustrem, atque vtriusque opinione in Belgio celebrem, inter Sanctos illius Prouinciæ commemorari, de quo Arnaldus de Reise hæc habet verba, surpta ex Archiuiis Monasterij Camberonensis, quæ obiter Historiæ nostræ inseruient [b]: *Camberona, natalis Danielis à Gerardi monte, tertij idem Abbatis, viri magna sanctitatis. Is erat Beati Bernardi discipulus, & Religiosus, ac ab eo à Claraualle Camberonum missus. Tanta extitit abstinentia, vt nunquam pane, vel cibis aliis fuerit saturatus, semper à mensa surgens adhuc esuriem patiens. Fuit etiam valdè humilis, ita vt in antiquis Monastery titulis nunquam se Abbatem; sed humilem Ministrum Ecclesiæ Camberonensis nuncupet. Propter autem vitæ sanctimoniam Regibus, & Principibus charus extitit: vnde est antiquum de eo Distichon:*

Vt Daniel charus Chaldæis Regibus olim,
Sic nostris charus Regibus iste fuit.

Multa ipso administrante obtenta sunt in vsus Fratrum, à viris Principibus, & Monasteriorum Prælatis; cùm antea tam pauperes extitissent, vt eis necessaria non supperetent ad victum, & amictum. Accepit etiam Roma multas Sanctorum Reliquias, quæ vsque hodie in eodem Monasterio asseruantur. Electus est etiam ad componendam discordiam inter Regem Francia Ludouicum, Margaritam, & Balduinum Comitem Flandriæ, & Mathildem Reginam, vt testatur Meierus in Flandriæ Annalibus ad annum Christi Saluatoris millesimum centesimum nonagesimumprimum. Hæc ille.

b in natalib. tuis Sanct. Belg. Ianu. 20.

5. Quæ eadem ad litteram transcribit Henriquez, tam in Fasciculo, quàm in Menologio, addens insigne, continuúmque miraculum, quo dicitur floruisse, quandiu vixit: inquit enim [c]: *De hoc Viro sancto, cum Camberonæ essem, audiui, quòd digiti eius pari miraculo, ac de Beato Conrado Villariensi, sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, legitur, ad instar candelarum lucebant, si libris ad legendum applicarentur.* Hos viros protulit felix illa ætas, quibus à Deo illustratis, ac præsentaris Reges, & Principes, non solùm in diuinis, sed in humanis, atque in ipsa Regnorum diuisione, quam non semel præponunt, obsequerentur. Sed redeo ad Philippum, quem in nostros, dum vixit, mirus affectus; post mortem, sepulcrum in Claraualle electum, obtentúmque, Cistercij Annales nequeunt præterire. 6.

c lib. 2. disq. 26. c. 60. Ianu. 20.

Ergo quod attinet ad eius sepulcrum, dubium, an comitante Simone defunctum Ducem, quem fuerat viuentem prosequutus, an ipso etiam absumpto, crudeli peste, nunquam alias cadauer deserturo: *Elisaty mariti corpus ex Syria referendum, Mathildis Regina curauit, sepeliuitque apud Clarumuallem Burgundiæ Cœnobium.* Ita Meierus [d]. Idem habent Iperius [d], Maccantiúsque [e], & Ferreolus Locrius, qui etiam addit [f]: *Factum id ob memoriam Sancti Bernardi, cui quondam fuerat Philippus familiaris.* Visitur hodiéque in Claraualle venerandum sepulcrum in Capella priuata, sed ampla satis, honorificáque, & pulchro ex lapide apprimè fabrefacta; atque sepulcro appensa tabella legitur, quæ magni Viri Acta summatim continet: est autem talis [g]:

d ad hæc an. e lib. 2. in Philip. f in Chron. Belg.

g in libro Sepulcror. 7.

Philippus mira probitatis Princeps, Flandria Comes, prædecessoribus suis meritò præferendus, non solùm Flandriam pacifice gubernauit, verum etiam vicinas Prouincias exemplo suo ad bonum pacis prouocauit. Hic tertio a natiuitate sua die, terribiliter clamauit: Euacuate mihi Domum. Et adultus duxit vxorem filiam Radulphi Comitis Viromandiæ, Elizabeth nomine, quæ defuncta, misit ad Hispaniam pro Mathilde, filia Aldephonsi Regis Portugallia, quæ ad eum veniens cum Regio apparatu, facta est ei vxor anno Domini millesimo centesimo octuagesimoquarto. Iste Philippus primus in scuto leonem deportans, strenuissimè rexit Comitatum Flandriæ vigintiquatuor annis. Nouissimus omnium, qui fuerant ante ipsum in Flandria, diuitiis, & honoribus affluens, prudentia, & potentia magnus, fortis in iustitia, & probus ad arma, cæteris aliis meritò præferendus; vnique Machabæorum non immeritò comparandus, cuius morte audita, confunditur patria, dolor & timor occupat vniuersos. Obiit verò ante ciuitatem, quæ dicitur Achra, in obsidione, cum Francorum, & Anglorum Regibus, anno Domini M. C. XC I. & sepultus est in Basilica Sancti Nicolai foris muros Achræ; sed diligentia vxoris suæ Mathildis, translatus est Claramvallem, reconditus honorificè intra hanc Capellam, quam illi, & sibi parauerat. Ipsa verò Mathildis etiam postmodum in hac eadem Capella, iuxta virum suum, cum honore cumulata est. Hæc in Tabella transmissa mihi dudum ex Claravalle.

Verùm Meierus eandem, vt existimo, sed correctiorem, atque auctam in aliquibus, quamuis in aliis prorsus deficientem, suis Annalibus curauit emulgandam verbis sequentibus: *Addam*, ait, *pauca adhuc verba Scriptoris cuiusdam eius temporis. Philippus (inquit) strenuè rexit Comitatum Flandriæ, per* 8.

per viginiquatuor annos, nobilissimus omnium, qui fuerant ante ipsum in Flandria, diuitiis, & honoribus affluens, prudentia, & potentia magnus, feruens in iustitia, fortis, & probus ad arma, vnique Machabeorum non immeritò comparandus: Clericos honorabat, Monachos amplectebatur, pauperes defendebat, causis Religiosorum, etiam contra suos quandoque Barones, & milites, suebatur. Cuius morte audita, confunditur tota patria, & turbatur. Dolor, & timor occupant vniuersos, maximè Clerum, & populum; statimque Regnum eius diuisum est in treis partes. Ita Meierus. De diuisione Flandriæ satis dictum.

9. Vocis Elsatij, cùm adhuc triduanus esset, meminit Iacobus Mercantius in sua Flandria; referétque ad hanc eandem diuisionem: *Quam*, inquit, *patrimonij diuulsionem, his illius verbis*: Euacuate mihi Domum. *quæ post tertium natiuitatis diem exclamasse fertur, significatam opinamur; quamuis Annales prodigium illud loquela illi adscribentes, quibus veri periculum relinquo, magnitudinem eius illis verbis præsagitam esse existimem.* Hæc ille, paucis in vtranque partem addubitans.

10. Demum, quod attinet ad insignia Comitum, quibus Philippus vsus ad successores vsque hodie transitura, & qua occasione ea sibi vendicauerit, in Ferreolo Locrio notatum lego, verbis, quæ, & quia præsentem expeditionem concernunt, & inscriptionem sepulcri eius explanant, non pigebit ad litteram transcribere [h]: *Elsatius Flandriæ Comes paratis Gandaui, quæ ad sacrum bellum erant necessaria, Mathildi vxori Principatus gubernationem tradit, & pulchro cinctus milite, pergit in Germaniam, Italiam, Siciliam, ac tandem in Syriam appellit, vbi castra in Barbaros mouens, Nobilionem Albaniæ Regem, & Mahometanæ legis sectatorem propria manu interfecit. Is porrò Nobilio in luteo scuto leonem nigrum pedibus anterioribus in dextrum scuti angulum insurgentem, præferebat; quibus ex hoste cæso, raptis insignibus, Elsatius, veteribus Saluatorum Flandriæ obliteratis, deinceps est vsus, atque ad successores Flandriæ Comites eadem transijt.* Hæc ibi.

[h] *ad ann. 1190.*

11. Inter Reliquias Ecclesiæ Claræuallis in Inuentario, *sexto loco numeratur Tabula Apostolorum, & vocatur sic: quia in ea continentur Reliquiæ Apostolorum, quam dedit Comes Philippus; in qua etiam continetur de Ligno Domini: & Reliquiæ, quæ in ea continentur, sunt quadraginta nouem. Continentur etiam in ea quatuor Kyriphei.* Numeratur & *nono loco Tabula aurea, quæ facta fuit tempore Domni Radulphi 15. Abbatis Clarauallis, ex vndecim marchis auri, & duabus marchis argenti, in qua sunt triginaquinque sapphiri, & quinque smaragdi, & plures alij minoris pretij lapides. In eminentiori parte posita sunt Reliquiæ, quæ erant in quadam phylacteria aurea, quam dedit prædictus Comes Philippus, scilicet, de Ligno Domini, de spongia, de spinis, & præsepio, de sepulcro, de cunabulo. Sub eisdem Reliquiis item positum est phylacterium aureum, quod dedit Domina Mathildis Flandriæ Comitissa, in quo est portio Ligni Domini, & capilli Beatæ Virginis Mariæ, & aliæ Reliquiæ, sicut in chorea secundum formam huius Tabulæ confecta continentur.* Hæc ex Inuentario Reliquiarum, vt vocant, Claræuallensium; de quibus tamen suo loco sermo redibit.

12. *Idem Philippus* (Ferreolus Locrius ait) *anno superiori in expeditione transmarina, obsessa Ptolemaide, sine Acharasiuitate Syriæ, quæ paulò post à Christianis expugnata est, postquam Flandriæ annos 24. præfuisset, peste extinguitur; ibidémque in suburbio, & Cœmeterio Sancti Nicolai sepelitur, donec ab Mathilde vxore, ad Clarauallense Burgundiæ in Lingonensibus Cœnobium (ob Sancti Bernardi Philippo familiaris memoriam) transmoueretur. Is Philippus Princeps anno superiore pro obitu suo (vt loquuntur Ecclesiæ Atrebatensis monumenta) suarúmque vxorum celebrande, quicquid possidebat in districtu Episcopi Atrebatensis, in eleemosynam contulit Episcopo Atrebatensi.* Hæc viri pietas eò commendabilior, quò ipse alibi sepulcrum elegisset. [l] *ad hunc an.*

13. Cæterùm in eadem Capella, in qua Philippi Elsatij cineres iacent, visitur & sepulcrum Mathildis coniugis, hoc tantùm titulo illi superaddito: HIC IACET NOBILISSIMA DOMINA MATHILDIS VXOR PHILIPPI COMITIS FLANDRIÆ. Nec longè ab eis distat sepulcrum aliud, quod Agnetis Campaniæ Comitissæ superinscribitur. Ascenditur ad Altare maius per gradus, sub quibus, & Altari sepulcra iacent, quæ aliquorum ex primitiuis Claræuallis Monachis esse perhibentur. Quin & corpora ibidem integra visa, atque nonnullis miraculis coruisca, in relationibus eiusdem sacræ Domus ad Ignatium Firminum olim transmissis animaduersum reperi, neque hîc duxi silentio prætereundum. Hæc occasione sepulcri Philippi Comitis. Nunc ad alios euentus transeamus.

---

1. *Sancta Iuetæ Cistercienſis recluſæ Vita: 2. nupta, & vidua: 3. tentata viſibiliter per Dæmones: 4. ſed à iuuene grauiùs; 5. à quo aut ſeducenda, aut opprimenda foret, 6. niſi per Virginem miraculosè liberaretur: 7. larga in pauperes: 8. Xenodochio leproſorum adſtricta, 9. atque ſibi Prophetiæ dono illuſtris.*

CAPVT IV.

1. HVNC ipsum annum gloriosum Cisterciensi lego inclusione Iuetæ, sanctissimæ opinionis viduæ apud Huyum, Diœcesis Leodiensis oppidum, sub nostris ritibus, & obedientia Abbatis Aureæ vallis. Quippe non Monialis, sed inclusa; quod genus mulierum olim valdè in vsu, vt nunc Cœnobiis, sic cellis includebantur Ecclesias iuxta, non vsque ad mortem inde prodituræ. Huius Vitam, & Acta Hugo Floreſiensis, Præmonſtratenſis Ordinis Canonicus, de mandato Abbatis sui Ioannis scripsit, qui eius confessionem excepit vltimam, tam fideli, & exacta narratione, vt non vereatur prorumpere in hæc verba [a]: *Testem inuoco eum, qui veritas est, nihil me huic indidisse Operi, nisi quod vel à vobis audiui, ô Pater, qui sanctæ huius mulieris virtutes, & opera ex ipsius confessione nouissima cognouistis; vel certè ab ea, qua omnium operum eius testis verax adhuc superest, tanquam comes individua, & vnica sodalis in Domo, cui de ipsa scire datum est, quantùm ipsa de se sciri voluit, & homini datum est scire.* Hactenus [a] *in Prologo.*

ille

illè ad Abbatem ſuum ſcribens. Porrò huius Vitæ meminit Ioannes Molanus [b], Aubertus Miræus [c], atque alij item Belgici Scriptores [d]: ſed nouiſſimè vulgandam curauit Chryſoſtomus Henriquez in ſuis Liliis [e], ex qua nos breuiter quædam decerpemus [f]:

b *Ianuarij* 13.
c *in Chron. Ciſterc.*
d *ad ann.* 1127.

2. *Fuit in Epiſcopatu Leodienſi, oppido, quod vulgò Hoyum nuncupatur, puella claris ciuium orta natalibus, ætate iuncula, matura ſenſibus, pulchra facie, ornata moribus, caſta corpore, pudica geſtibus, omnium oculis gratioſa, Iuta nomine.* Hæc virginis deſcriptio, quam tertiodecimo ætatis ſuæ anno, vix maturam viro, parentes diuites, & ſucceſſionis cupidi, adoleſcenti æquali locauerunt, inuitam quidem, reluctantémque, ſed obſequentem parentum voluntati. Quinquennio vixit ſub poteſtate viri, intra quod tempus tres illi filios peperit; alterum ante vſum rationis raptum; duos non ſibi, aut ſæculo educandos, ſed ſoli Deo. Cæterùm adeò à copula abhorrebat, vt ſæpiùs, multis coram, proteſtaretur [g], *ſi nondum feciſſet, quòd fecerat, nulla amicorum perſuaſione, nulla parentum reuerentia, aut timore, vt id faceret, fore conſentiam.* Probauit veritatem euentus rei, cùm enim [h] *viro ſuo, in ertum, quo Dei iudicio, viam vniuerſæ carnis ingreſſo, vidua, vt concupierat, facta eſſet, cian vixiſſet cum eo annis quinque à virginitate ſua, a pleriſque* [i] *honeſtis viris ſecundum ſæculum; tum propter ſuam pudicitiam, qua paſſim ab aliis commendabatur; tum propter carnis ſpeciem, & copiam rerum, qua non modica ei remanſerat, peteretur in vxorem: nunquam ad conſenſum coniugij potuit eius inflecti animus promiſſis, aut precibus quorumlibet.* Quin, cùm ad hoc ad parentum petitionem à Venerabili Epiſcopo Leodienſi rationibus, & blanditiis induceretur, *Chriſtum ſe ſolum elegiſſe Sponſum, nec virum mortalem in illius iniuriam, poſſe admittere, humiliter, & verecundè reſpondens*, ad ſuam magis ſententiam traxit Epiſcopum. Nam, *Neque ego te*, inquit, *ſuper hac tua voluntate, aut propoſito, quod profeſſa coram me es, de cætero vexabo, nec vxori ab altero permittam. O filia mea, conſtans eſto, & ne timeas: credo enim, & confido in Domino, quòd qui cæpit in te opus bonum, perficiet; & vitam perficiat ad honorem ſui, & tui profectum vſque in finem.*

e lib. 1. diſt. 2.
f cap. 1.
g cap. 2.
h cap. 5.
i cap. 6.

3. Inter hæc hoſtis generis humani profectui illius inuidens; ſed multò magis ab exemplo timens, quo alios poſſet à mundo reuocare, primùm per ſe ipſum (etiam viſibiliter) mox cùm ſe ſpretum, & victum experiretur, per quendam iuuenem illi familiarem (quæ plerunque tentatio maior eſt) conſtantiam fœminæ cœpit expugnare. Et quidem per ſe ipſum parum, aut nihil, quantumuis multus in eam comprobaretur. *Egredienti* [k] *eſſium domus ſuæ noctibus, vt iret in Eccleſiam, vel etiam in ipſa via gradienti, frequenter ſe debat obuiam Satan ipſe, nunc in leonis, nunc in effigie vrſi, nunc in ſerpentum diuerſi generis, aut ſylueſtrium ſpecie animalium, nunc in ſimiarum, aut Æthiopum ſimilitudine; hic frendens, hic rugiens, hic ludens, hic blandiens, hic minitans, hic inſiliens, nunc prohibere volens, viam ne procederet; nunc terrendo in via, vt fugientem, & panidam alienare poſſet à ſenſu, ſicut pluries contigiſſe multis dubium non eſt. Porrò in primis antequam vſum huiuſ cnodi phantaſmatum habuiſſet, aliquantulum paueſcens exhorrebat. Poſt tamen per Dei gratiam, reſumptis viribus, vt figmenta cognouit Dæmonum, inuocato Chriſti nomine, & ſigno ſe Crucis ſancta muniens, ſubſannans ſprenit, tranſiuitque per medios excurſus, & occurſus phantaſmatum intrepida.* Ita cum Dæmone tenera iuuencula, velut alter Antonius, colludebat.

k cap. 7.

4. At non cum homine tam facilè congreſſa, ni Beata Virgo de Cœlo illi aſtitiſſet, fortaſſe non indemnis euaſura [l]: *Habebat quendam in eodem oppido inter amicos amicum iuuenem, qui, licèt fortè linea conſanguinitatis eam non attingeret; erat tamen filiorum ipſius conſanguineus, vt arbitror ex patre. Hic pretextu familiaritatis priſtinæ, curam ſe habere ſimulans filiorum, & mariti vidua, frequentare eam ſolebat, & colloqui ei quaſi pro vtilitate rerum neceſſariarum eius, & filiorum, quos intimè ſe diligere eſſen lebat, quaſi proximus.* Hoc periculum ſummum pudicitiæ, ſi familiaritas occaſiones afferat, honeſtet neceſſitas, atque intret amor per ſpeciem gratitudinis. Exarſit iuuenis in iuuenculæ viduæ concupiſcentiam: & quo ſecretiùs retinebat conceptum ignem, prohibente pudore, timoréque, eò vehementiùs æſtuabat, & cruciabatur. Sic neque prodere impudicum amorem audebat pudiciſſimæ fœminæ, quam illicò amittendam non dubitabat; & celare, ſupra vires ipſius erat. Erupit tandem diu detentus ignis, primò in verba, & affectus libidinoſos: dein, cùm verbis omninò nihil proficeret, in violentiam apertam; quam, nactus occaſionem, aggreſſus eſt in domo propinquorum communium, quæ caſu, an ipſo procurante, vtrumque exceperat, inſtantem in ea noctem peracturum.

l cap. 9.

5. Poſt cœnam, diſtriburi omnes per lectos, indulgebant ſopori. *Et ecce*, ait Author Vitæ Sanctæ [m], *intempeſta noctis ſilentio, cùm Diabolus iam miſiſſet in cor viri, vt lectulum dormientis præſumptuoſius adiret, ſurrexit clam de ſtratu ſuo, tentare volens, ſi quomodo praualere aduerſus fœminam poſſet, viribus, aut dolo. Ibátque palpans per circuitum domus gyrans, velut amens, velut ebrius errans à vino. Tunc ad ſonitum offendentis in nocte, ancilla Chriſti dormitans, non dormiens; expergefacta, véque, vt erat ſuſpicata, venient, ac timens inhorruit, & præ puſillanimitate ſpiritus, ferè defectum cordis paſſa eſt. Quid tamen ageret? quò ſe verteret? ſi fugere vellet, non erat fugiendi locus; ſi reſiſtere, fortior erat vir.* Sic mulier ſancta periclitabatur; nec minùs ſibi ex iuuene metuebat, quàm ex ſe iuueni: nam, quid ſi clamaret? quid, ſi crimen occultum illius prodens, aliis ſcandalo eſſet, illi infamiæ? Sed neque ipſa immunis ab ea nota, ad quam quis crederet, introiſſe iuuenem, præcipuè familiarem, ſine ipſius conſenſu, aut vocatione [n]? *Ingemiſcens tamen in Cœlum, protenſiſque manibus ad Sanctam Dei Genitricem, omnium miſerorum ſpem, & refugium, gloriоſam Virginem Mariam, cui ſe attentius illa nocte commendauerat, cum tota cordis deuotione, & contritione ſpiritus eam interpellabat, vt ei ſubueniret in tali, ac tanta anguſtia animæ ſuæ.*

m cap. 9.
n vbi ſuprà.

6. Vix Reginam Cœlorum inuocauit, cùm eccè Mater totius miſericordiæ, totius putitatis [o], *Deorum ſuam conſolatrix veniens, in ſpecie mulieris ſplendida facie, & habitus, quaſi de ſuperiori domus cœnaculo, in inferius per gradus deſcendere viſa eſt, gradiens in multitudine virtutis ſuæ; ita vt mulier venientem ad ſe plene, & vere videret intuitu: ille autem licèt ſonum gradientis attenderet; videre tamen eam non potuit, quia indignum ſe beatitudinis huius effecerat; baſit tamen miſer, ſtabátque ſtupefactus, quia imaſerat eum horror mentis nimis, & neſciens quò ſe primùm vertere, vel quid agere poſſet, tanquam fur deprehendi in furto metuens, ad ſtratum ſuum tremebundus aufugit, vix pro loco refugij, vel lecto contentus ad præſens; nec appoſuit vltra venire ad locum, in quo famula Chriſti quieſcebat.* Ita Iuetа Mariam experta eſt adiutricem in neceſſitatibus, & ſubuentricem in tribulatione.

o ibid.

Ex

7. Ex inde quæ hactenus feruens, feruentior spiritu, ac suæ liberatrici deuotior inueniebatur. Et quia in pauperibus Christum considerabat, quo Filio in eis, & Matri in Filio quodcunque posset obsequium exhiberet, ea erga illos feruebat charitate [p], *vt si quandoque contingeret, aliud eam non habere præmanibus, quod pauperibus erogare posset, etiam lineamina propria, vel alterum quamlibet supellectilem domus, nunc particulariter, nunc integrè, tam sibi, quam pueris suis distrahens, in vsus pauperum erogaret.*

p cap. 10.

8. His, & similibus charitatis insistens operibus, quinquennio à morte mariti mansit in domo, familiæ præsidens, ac filios sanctè enutriens. At postquàm alterum maiorem scholis vidit, atque vtrumque apud auum, prima pueritia expleta, relinqui posse; cùm se totam sacrare Deo optaret, heroicum charitatis opus, simúlque humilitatis, & mortificationis aggressa est, parte licèt inuito, quod idem qui supra Author ita describit [q]: *Erat in territorio eiusdem villa locus haud procul extra muros super Mosam fluuium, vbi mansio erat infirmorum, qui vulgò dicuntur leprosi: vnde & locus nomen accepit.* Et post pauca [r]: *Dispositis ergo rebus, domo, & filiis, inuitis amicis omnibus, & patre, quia mater iam dudum in religiosa vita discesserat, ad memoratum se locum transtulit, admirantibus vniuersis ciuitatis habitatoribus villa mulierem iuuenculam, quæ in meliori statu consistere secundùm sæculum videbatur vitæ, diuitiarum, & status: spreta mundana gloria, tantam appetere miseriam, & miseriam omnibus miseriis grauiorem; videlicet, seruire, & cohabitare leprosis. At illa, quasi tunc primò viueret, & esse incideret, accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum per omnia, & in omnibus viriliter agens circa frequens ministerium infirmorum; & in tantum se humiliauit in oculis omnium, vt etiam ea, quæ viles personæ agere designabantur seruitutis officia, ipsa vultu hilari, & fide non ficta perficeret. Dilatatáque est in tantum fama nominis eius in breui, quòd ab omni circa regione venirent ad eam personæ venerabiles vtriusque sexus, & Religiosi videre eam.* Erat Iueta, cùm Xenodochium ingressa est, trium, & viginti annorum: mansit autem pauperibus ministrans per decem annos, nihil omittens, non solùm ad quod teneretur ex ministerio assumpto, verùm quod posset.

q cap. 11.

r ibidem.

9. Hìc primùm Deus seruam suam Iuetam spiritu Prophetiæ illustrem voluit, quo virtus eius per opera virtutum manifestata, etiam per dona cunctis patefieret. Prædixit autem de illo Xenodochio paupere & modico, quòd in magna ædificia, ac domum opulentam promoueretur; de quo hæc idem Hugo Floriensis [s]: *Cùm locus idem diuitiis pauper, & omni abundans rerum penuria, ædificiáque, aut pauca, aut semidirnta essent; nihilominùs tamen confortans beata mulier vniuersos: Viriliter, inquit, agite, & confortetur cor vestrum in Domino: quia adhuc modicum, & faciens faciet Dominus misericordiam suam cum Domo hac, & dilatabit terminos eius; & ædificabitur Domino Ecclesia grandis in loco isto, & erunt Sacerdotes psallentes in ea iugiter, & construentur ædificia de nouo omnia, morabuntúrque in eis conuentus diuersorum, & prosperans prosperabitur locus iste, & erit sublimis memoria eius in terra hac, seruiétque in eo Domino, in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus vsque in æternum. Verumtamen, ne nos mora terreat, quasi differri debeant, quæ prædico vobis, vsque in senectam, & senium; credite in Deum, & scitote pro certo, quòd oculi mei videbunt hæc, quæ prædico: neque enim præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Visa sunt autem omnia hæc ante oculos audientium, tanquam deliramenta, aut somnia dormientium: quia nequam, aut vix posse contingere sperabant diebus suis, quod mulier prædixerat fidelis. Quomodo autem id præcierit, manifestum est: quia Dominus ei reuelare dignatus est.* Hactenus ille, qui vaticinium fideliter impletum supponere magis videtur, quàm non exprimere; postmodum expressurus, & nos cum ipso.

s cap. 13.

---

1. *Parentis conuersionem à Deo impetrat*, 2. *qui impetrata ab Episcopo licentia*, 3. *Cœnobium intrat*, 4. *à quo arctioris vitæ amore egreditur.* 5. *Sanctum Iacobum in Hispania visitat, ac demum in Villario Monachum induit*, 6. *vbi feliciter in Domino obdormit.* 7. *Tum filio maiore in Aurea valle item æmulante Cistercium*, 8. *ipsa per manum Aureæ vallis Abbatis inclusa est*, 9. *idem per omnia institutum obseruatura.* 10. *Demum ratio temporis ostensa.*

CAPVT V.

1. INTRA decennium, quo seruiuit leprosis beata mulier, parentem suum, nam mater iam decesserat; & filium natu maiorem, alterum in Villario, alterum in Aurea valle, vtrumque Cistercien sem Monachum fecit, præmittens extremos, quos ipsa media foret sequutura. Et quidem in conuersione patris, vt grandæuiotis, intercessêre plura, quæ nostros concernentia duplici titulo, in hoc capite veniunt recensenda. Portò de eo sic pergunt eadem Acta [a]: *Interèa orante Beata Iueta ad Dominum, vt illuminaret oculos patris sui, ne quando obdormiret in morte miserabilis vitæ, quam gerebat; exaudiuit Dominus orationem eius: misitque de excelso ignem in ossibus patris eius, & spiritum ei compunctionis immisit, qua, & præteritorum actuum suorum pœnitudine repentè est correptus, & concepit affectum vitæ suæ emendandæ in melius, spirituíque timoris Dei.*

a cap. 14.

2. *Subitóque mutatus in virum alterum, abrenunciare sæculo totaliter voluit: sed, quia hoc sine Episcopi licentia, & assensu fieri tutum sibi non est arbitratus fore, vtpote rerum suarum dispensator: nactus tandem opportunitatem loci, & temporis, Episcopum adiit, aperuitque ei supplex intentionis suæ propositum: & quidquid habebat in cordis desiderio, humiliter eidem expossit. Qui intelligens ex voluntate labiorum ipsius, cor eius visitatum à Domino, licèt carere ipso difficilè posset in suis negotiis: noluit tamen bonum eius propositum, quod ad salutem pertinebat animæ, impedire, propter aliquod lucri emolumentum temporalis, & licentiam ei, quam postulauerat, benignè annuit.*

3. *Attamen diligenter eum admonuit, ne districtior is vita sibi propositum assumeret, tam praproperè, ne voti eum contingeret pœnitere fortè, & fieret nouissimus error peior priore: consuluitque ei, vt se transferre vellet ad nouum Monasterium, Claustrum Ordinis Regularium, situm in suburbio prædicti oppidi, vt per aliquod tempus degens cum Fratribus sustineret, donec videret, verùm processu temporis sufferre posset rigorem disciplinæ arctioris; & in hoc saluti eius consulens: quia benè nouerat complexionem viri: timebat enim valdè Episcopus, ne non pati diu deberet, aut posset alicuius professionem Ordinis. Annuit ille consilio, & monitis Episcopi, assumptóque homine secum Episcopus ipsemet ad Cœnobium vsque perduxit, & cum summa diligentia eum Patri Monasterij, necnon & Fratribus commendatum dimisit, rogans, & præcipiens vniuersis, vt tantùm ei honoris, & gratiæ impendere studerent, quantùm sua ipsius persona, si præsens fuisset cum eis: & ita factum est ita.*

4. *Porrò procedente tempore videns, quòd nimius ei honor exhiberetur à Fratribus, quódque latè nimis viueret, & laxè, tam in vestitu, quàm in victu; nec hoc ei expedire, eò quòd homo erat peccator, & indigeret pœnitentia; accepta licentia à Patre Monasterij, de consilio filiæ, cellulam sibi construi fecit in latere Ecclesiolæ, vbi mansio erat infirmiorum, & filiæ, in qua perpetuæ reclusioni se mancipare disposuerat, ad luenda, & diluenda per pœnam peccata, quæ commiserat. Reminiscens tamen voti, quod aliquando Beato Iacobo vouerat, videlicet, quod eius inuiseret Limina in Hispaniis; primùm ire disposuit, post reditum suum à Beato Iacobo reclusurum se in cellula memorata, proponens, sicut filia, pariter & ipse condixerant.*

5. *Sed secùs factum est, quàm conditum: nam, etsi homo proponat, Deus disponit; & multò disponit Deus homini melius, quàm homo proponere possit, quamuis & plerumque bonum videatur homini, quod proponit. Redeuns enim homo, completo peregrinationis voto, mutauit consilium, sed non propositum, nisi fortè in melius, consilióque vsus saniori, tam Religiosorum, quàm filia, ingressi Ordinem Cisterciensem, & deposito veteri homine cum vestibus, induit nouum in Cœnobio Villariensi, vbi postmodum religiosam valdè ducens vitam, & probatus factus per omnia, in pace, & pœnitentia laudabili diem clausit extremum.*

6. Hactenus Hugo de conuersione senis venerabilis, meritis, & consiliis sanctæ filiæ, & de felici ipsius, vt credere fas est, consummatione. Addit verò idem Author ad hoc propositum [b]: *Inuenta esse in corpore defuncti aspera pœnitentiæ indicia, quibus viuens vsus fuerat homo Dei; id est, cilicium ad carnem, & cinctoria quædam ferrea, quibus carnem suam Mundo nunc crucifixerat, & Mundum sibi, vt eius spiritus soli viueret Deo. Atque* hæc quidem de prima conuersione. Nunc ad secundam.

b vbi suprà.

Exemplum patris, & sancta consilia matris, filius natu maior sequutus est; haud tamen in Villario, ne non relinquere omnia videretur, genitori adhærens; sed in sacro Cœnobio Aureæ Vallis, cui Ioannes tunc illius sextus Abbas Præfectus erat. Tum verò mater ante se vtroque præmisso, nec desperans de filio iuniori, ipsa etiam vtrumque sequuta est, non Monialis (fortè, quia nullæ hactenus in Belgio, quanuis id mihi certò nondum constat;) sed iuxta tamen Cistercij ritus, & leges instituens vitam sub obedientia Abbatis Aureæ Vallis, in ea cella ad mortem vsque inclusa, quam priùs ipsa parenti præparauerat. Sed eundem Hugonem audiamus de his differentem in hunc modum [c]: 7. 8.

c ibid. c. 19

Sic patre, sic filio, qui in albis decesserat, ad sedes transmissis felicibus, seniorésque filio destinato similiter in Monachum ad Ecclesiam Aureæ Vallis Ordinis Cisterciensis, quasi exoneratam se sentiens à curis vitæ sollicitudinibus præsentis, sub districtioris adhuc voti proposito mulier deuota Domino seruire disposuit; omissóque ministerio Marthæ, in partem Mariæ, quæ optima est, totam se contulit, atque in cellula, quam patri secùs Ecclesiam construxerat, per manum Venerabilis Viri Abbatis Aureæ Vallis, qui præsens tunc aderat, se fecit includi columba Christi, iam vt ipsa, & quasi specie tenus fieri incipiens in foramine petræ, & in caverna maceriæ. Pergit Author de exquisitis tentationibus, quas in principio inclusionis passa est, carnis præcipuè, déque victoriis ab ipsa comparatis in oratione, & ieiunio, in quibus eiici hoc genus Dæmoniorum, Christus docuerat: quæ longum esset ad litteram transcribere.

Cæterùm institutam ab ipsa vitam, non solùm sub Abbate Cisterciensi; sed ad normam Cistercij peragendam; in præfatione idem Author affirmauerat, dum eas, quibus vtebatur, vestes recenset; sed magis instrumenta domantia carnem: sic enim habet [d]: *Accinxit ferro carnem, tabulis plumbeis à pectore, & dorsò dependentibus, cilicio, staminea, vel sacco pro camisia vsus. Annis aliquibus ante obitum suum ex consuetudine Cisterciensis Ordinis, cuius ordinationi se deuouerat, habere tunicam ad carnem acquieuit.* Hactenus ille. Cæterùm, qualiter secundus etiam filius, quantumuis primùm dyscolus tandem conuersus Matris orationibus, ingressus Cistercium, in nouum hominem à Deo mutatus sit, ne qua ex parte expers Cistercij esset, suis, & loco, & tempore dicemus. 9.

d in Prætermio.

Demum, quod ad rationem temporis attinet, quæ nobis semper præ oculis habenda, sanctam hoc anno mulierem inclusam admisisse Cistercium, inde constat, quòd anno Christi millesimo ducentesimo vigesimoseptimo legitur obiisse, cùm sex, & triginta egisset in inclusione: quod idemmet Florefiensis Hugo, & nos infrà, ex ipso testificabimur. 10.

Digitized by Google

1. Sancti Mauritij Carnoëtensis Abbatis mors: 2. miracula insignia, primùm in vino: 3. mox in lupis, 4. & muribus. 5. Virtus eius in Dæmones eximia, 6. continuata post mortem, 7. dies, & annos obitus glorioſi. 8. Mutatum Monaſterij nomen, 9. & puer aquis abſorptus vitæ redditus. 10. ſepultura, & tranſlatio corporis Sancti: 11. demum ad tumulum frequentia populorum.

CAPVT VI.

1. HIc item annus in Britannia minori noſtris, morte Sancti Mauritij glorioſus fuit; concurrentibus populis ad ipſum, tanquàm ad ſpectaculum; ſiue, quòd tantum Virum ſubire mortem, vix credibile ducerent; ſiue, quòd ipſo in actu mortalitatis, cœleſtia ſigna, & beatitudinis proximè obtinendæ indicia manifeſta, & chorus Angelorum obuius cognoſcebantur: ſed nihilominùs filiis eius triſtis, amiſſo tanto Patre. Et creſcebat iactura ex circumſtantiis; retardatis ædificiis Monaſterij, neque adimpleta dote, à morte Fundatoris Conani Ducis: vnde vtroque Parente velut orphani, ne Monachi ab incepto reſilirent, reuerti ad Langonetum, ſolis ſactis exuuiis pretioſæ glebæ, & continua fidelium deuotione, qui ad ipſam concurrebant, detinebantur: quippe Mauritius ab infantia, meritis; à prima præfectura, zelo, prudentiáque: ſub vitæ finem clarus etiam miraculis, quæ fama vulgauiſſet per totam Galliam; non ſolùm Deo gloriam, & ſibi cultum; ſed ſuo etiam Cœnobio, vt ſæpè ſolet, piorum donationes ſollicitabat.

2. Fuerítne primum ſignum Viri Sancti patratum in vino, quale fuit Chriſti Domini, in dubio eſt. Conſtat, vtrumque ad nuptias inuitatum huius liquoris defectum ſuppleuiſſe: ſed Chriſtum tamen ad carnales nuptias, Mauritium ad ſpirituales; illum ad alienas, hunc ad proprias; & illum quidem tranſmutaſſe formam, non ſuppleſſe materiam: (ideò enim aquam priùs infundi iuſſit:) Mauritium nulla aqua priùs infuſa, in vrceo vacuo vinum produxiſſe. Nam audi, quod in eius Vita legitur: *Cum quadam die Mauritius ad Miſſam celebrandam paratus eſſet, vinum in toto Monaſterio non reperiri renunciatum eſt ei. Ille verò, charitate, & fide plenus, vrceolum acceptum à Fratre vacuum in manibus ſuſcipiens, fuiſque ad Deum precibus, vino optimo plenum Fratri reſtituit; Miſſámque de more, cum debita gratiarum actione, celebrauit.* Hoc credo fuit initium ſignorum eius, quod multa alia breui ſequuta lego.

3. *Locus Monaſterij* (pergunt, poſt pauca, Acta Sancti Viri) *erat tunc temporis* (nempe, cùm prima iacerentur Domus fundamina) *locus horroris, & vaſtæ ſolitudinis: vnde mures agreſtes de fluuij ripis, & cauernoſis terræ foraminibus, velut agmine facto, egreſſi, granaria, & res alias Monaſterij, & quod importunius erat, calceamenta Fratrum inceſſanter rodebant; & paupertati Domus ſanctæ irreparabile inferebant nocumentum. Luporum etiam rabies eiſdem in partibus in tantum eſt degraſſata furorem, vt non ſolùm pecudes, vt ſolent; verùm ipſos homines morſibus dilacerarent. Rogatus igitur Beatus Mauritius, tam a Fratribus, quàm à vicinis, vt omnes lupos ſententia excommunicationis malediceret, cum omni modeſtia, & humilitate reſpondit: Expedit quidem, vt lupi ſint, & omnes beſtiæ à Deo creatæ: quia vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Verùm amen illos lupos, qui in ſtragem hominum deſeuiunt, exterminet Ieſus Chriſtus, & Sancta Mater eius, cui ego ſeruio. Quibus dictis, inuenti ſunt iuxta Monaſterium duo magni lupi mortui, nullum in ſe læſionis ſignum habentes.* Hæc contra lupos Sanctus: nec contra omnes, ſed contra eos, qui in homines ſæuiebant, in ſpiritu potenti, ſed manſuero.

4. At contra mures, quia importuniores, ſed minùs truces, quippe qui in res tantùm graſſabantur, non in perſonas, non priùs promulgauit ſententiam mortis, quàm per ſolertiam, & curam Monachorum, an eraduari poſſent, experiretur. Nam audi, quod ſequitur: *Contra mures verò, & ratos iniunxit Fratribus, vt quilibet calceamenta ſua vigilanter cuſtodiret. Sed, cùm neque ſic peſtis ceſſaret, compatiens damnis Fratrum, orationem fudit ad Deum, vt peſtem illam à ſuis cultoribus, & famulis amoueret. Continò miſſa prece ad Dominum, viſi ſunt duo cerui ingentis magnitudinis, qui per ſingulas Monaſterij officinas velociter diſcurrentes, conſpicientibus Sancto Mauritio, & Fratribus, omnes ratos, & mures noſtris ſuis occidebant, & recuruatis cornibus mortuos efferebant. Ita vt damnum aliquod per huiuſmodi beſtias amplius poſt diem illam nec Monaſterio, nec rebus Monaſterij ſit aliquatenus illatum: nec apparuerint huiuſmodi beſtiæ amplius in Monaſterio, nec in toto eius ambitu.* Hactenus ibi.

5. Cæterùm Sancti Viri virtus, poteſtaſque, non in ſola animalia; ſed in Dæmones etiam extẽdebatur; qui non tantùm parebant eius imperio, aut ſi fortè parere recuſabant, luebant, & torquebantur: *In diebus illis* (pergunt vlteriùs Acta) *quidam aruſpex in vico illo, qui dicitur locus Romani de Sylua Nonaci, non procul a ciuitate Kempercorentina manebat, qui putabatur a multis diſcretis hominibus habere ſpiritum diuinandi. Ad hunc cum quidam homo Groigena perrexiſſet, cum ſuper quodã damno ſibi a latronibus irrogato conſulturus, in via rediens, à ſpiritu, quem conſulere voluerat, eſt arreptus, vexatúſque diutius ab illo. Non inueniens inter homines, quo poſſet remedio liberari, ad Beatum Mauritium, cuius fama iam in Groia, & in aliis procul inſulis miraculorum frequentia perſonabat, tandem ſuorum manibus perducitur amicorum. Mirum dictu, eius oratione ſanitatem recuperans, dum ſano ipſius conſilio acquieuit, nullam poſtea ſenſit a Dæmone læſionem. Quoties autem monitis Viri Sancti contraibat, & ſaluiferum præceptum eundi victus concupiſcentia tranſgrediebatur, confeſtim à Dæmone vexabatur.* Hæc de virtute, & potentia Sancti, dum adhuc viueret, etiam in ipſos Dæmones: quam tamen adhuc poſt mortem continuatam, quæ ſequuntur, oſtendunt manifeſtè.

6. Quippe cùm idem homo in Carnoëto, dum recidiuum timet, vt Viro Dei coniunctior adhæreret, Conuerſi habitum ſuſcipit, atque obedientiam, qua à Dæmonis nequitia liberabatur, profitetur ſolenniter, non ſolùm quandiu imperanti Sancto conuixit, ſed etiam ipſo ad Superos tranſlato obediens ſucceſſori indemnis fuit. Addito tamen, (quod Viri Dei virtutem manifeſtaret,) ne fines Monaſterij tranſgrederetur: nempe, ipſa adhæſione ad Sancti tumulum ſuæ

libertatis authorem publicaturus. Verba geſtorum ab antiquo Authore ſcripta, prout ad me tranſmiſſa ita procedunt: *Demum ex toto factus obediens Vivo Dei, omninò èſt à peſtifero Spiritu liberatus: ſanctámque vitam ſub habitu Conuerſi in Sancti Viri Monaſterio diu ducens, ipſi Sancto annis ibi pluribus ſuperuixit. Non tamen aliquando ambitum Monaſterij præſumebat exire, quia dicebat, ſe arreptionem maligni Spiritus formidare, qui nullum ei infra Clauſtrum Sancti Viri inferre poterat nocumentum.*

7. His, & ſimilibus, tum miraculis, tum meritis, clarebat Mauricius annum agens ætatis ſeptuageſimumquintum, vt ſtatim declarabo, plùs, minúſve, cùm ecce, pergunt Acta Vitæ ipſius, *Meritis cumulatus, atque omnibus Eccleſiæ Sacramentis munitus, inter amplexus, brachiáque filiorum vitere deſiit in terris, vt regnare inciperet in cœlis. Vixit autem in hac mortali vita circiter annos LXXV. vt æſtimamus: quod ſic colligimus: quia vigintiquinque annorum eſſe creditur, quando habitum aſſumpſit monachalem in primo Monaſterio: ante prælationem autem benè tres, aut quatuor peregit annos, & cum honore prælaturæ triginta. In nouo verò Monaſterio quindecim annos manſit, migrauitque ad Dominum tertio Idus Octobris, anno ab Incarnatione Domini M.C.XCI. Regnante Chriſtianiſſimo Rege Francorum Philippo, Magnanimo Ludouici Pij filio, ætatis ſuæ anno vigeſimoſexto, regni duodecimo, & tunc oppugnante Crucis in obſequio ciuitatem Acharon.* Hæc de tranſitu Sancti: at de miraculis poſt mortem ab ipſo factis, pergunt Acta ſic ſcribere.

8. *Quanta verò & inaudita alia inſuper miracula patrauerit, non ſolùm in proximis, verùm etiam in remotioribus prouinciis, clarere cœpit, vbi nomen Chriſti cum ipſius memoria innocatur. Miracula autem ipſa ita creuerunt, vt nec liber capere, nec manus ſcribere, nec cor hominis ſufficiat cogitare. Nam, cæci vident, claudi ambulant, muti loquuntur, ſurdi audiunt, Dæmones diffugiunt, morbi, peſtes, periculáque fugantur ipſius meritis.* Hactenus in antiquo Manuſcripto, cui concordare exemplar ad me tranſmiſſum poſt factam collationem, fidem facit Reuerendus admodum Pater Andreas Gaudeſche, eiuſdem loci Abbas, die quarta menſis Aprilis, anno M.DC.XLIII. Atque hæc eſt ingens illa frequentia miraculorum, cuius ſuprà meminimus, & cuius occaſione effectum eſt, vt Monaſterium, Carnoëtum anteà dictum, à loco fundationis, ſiue ſancta Maria de Carnoëto, in Sancti Abbatis nomen pertranſiret, atque Sancti Mauritij diceretur, quod ex Literis apoſtolicis ſuper ipſius canonizatione corpori Iuris inſertis, & ſuprà diximus, & latiùs ſuo loco infrà dicemus.

9. Cæterùm inter plurima hæc miracula, quæ Sancti Viri funus illuſtrarunt, celebris eſt reſurrectio cuiuſdam pueri, quem in aquis ſubmerſum, abſorptúmque, dum ſuffocatum ſecui priùs ad matrem, mox mater ipſa ad Sancti ſepulcrum offerunt, vitæ ab eo reſtitutum læti conſpiciunt. Porrò hæc reſurrectio celebratur, vt idem Pater Abbas ſtatim ſubdit, in Hymno, qui in eius Feſto decantatur, cuius hi quatuor verſus eſſe dicuntur:

Matri reddidit paruulum,
Quem mors acerba tulerat:
Et vita fungi meruit,
Quem canalis forbuerat.

Adeò nullum genus miraculorum fuit, cuius expers Mauritius inueniretur.

Corpus primò in Capitulo ſepultum, in pauimento plano, (ea Filios modeſtia decere viſa eſt,) mox è Capitulo *tranſlatum eſt ad templum, & iuxta altare maius honorificè collocatum* (verba eiuſdem Abbatis mihi aſſumo) *cuius etiam imago in altari maximo cum cæteris inuiſitur. Aliáque eius imago ſculpta eſt in Cruce quadam argentea magna ante centum annos, & vltra fabrefacta, atque alia in ſacris calicibus circa idem tempus confectis. In Miſſalibus præterea antiquioribus ſub eius nomine Miſſa continetur ad quintam diem menſis Octobris. Et inter cætera, Miſſale habemus in hac Domo,* (nempe, Sancti Mauritij,) *ante trecentos annos conſcriptum, quod eius Miſſam continet. Plura etiam Sacella ſub nomine eiuſdem Sancti, tum Londini, qui locus eſt natiuitatis eius, tum alibi, in tota Britannia ſacrata ſunt.* Hæc dictus Reuerendus admodum Abbas. Ex quibus planè colligi videtur, canonizationem ſuſpenſam à Pontifice propter rationem inferiùs aſſignandam: celebratam deinde, conceſſámve Feſtiuitatis eius celebrationem, & cætera, quæ ad ea conſequi ſolent. Nunquam aliàs venerando Sancto publico cultu, tum Miſſæ, tum officij, demum ſacratum ædium aduocatione, ſi non à Sede Romana, quæ rem priùs ſuſpendiſſet, conceſſum eſſet. 10.

Supereſt de concurſu populorum ad ipſius ſepulcrum continuato, & protenſo vſque ad hanc diem: quem tamen non in obitus memoria; ſed in Feſto Pentecoſtes plerunque contingere, argumento eſt, ea die tranſlationem celebrari, recoliue, quæ facta eſt à Capitulo ad Eccleſiam. Atque eam tranſlationem celebratam maiori acclamatione, frequentiáque, obitus diem, quod nonnunquam contingit, obliteraſſe. Quod tamen dixerim coniectans, ſed non affirmans. Sanè de hoc concurſu, frequentiáque, & de ſpeciali puerorum patrocinio, quo Sanctus vulgò creditur gaudere, fortè ob paruulum matri reſtitutum, de quo numero 9. hæc idem Reuerendus Pater ait: *In Feſtis Pentecoſtes, ſanta ex circumiacentibus locis, ad Monaſterium Sancti Mauritij accurrit multitudo, vt credi vix poſſit: omnibus ad Sancti ſepulcrum properantibus, tum vt à languoribus præſentibus liberentur, tum vt ab imminentibus protegantur. Omnes etiam paruuli circumiacentium regionum, antequàm quadriennium attingant, ter, aut quater Sancto Dei offeruntur, vt à morbo, quod in illis prouinciis paruulos circa illam ætatem vexare ſolet, liberentur; & vota, quæ quotidie parentes offerunt, ſatis oſtendunt, quantum à Sancto leuamen accipiant.* Hæc concernentia mortem, & gloriam Sancti, prout ab eius Monaſterio accepi, ſimul poſui, in tempore datutus, ſi quid omiſi. Nunc iam ad alia. 11.

---

1. *Tranſlatum corpus Sancti Malachiæ, 2. & iuſſum celebrari de illo Feſtum. 3. In Villario ſucceſſio Abbatum: 4. atque Abbatis Perſenæ iuſta exclamatio, 5. & eiuſdem encomium. 6. Toletani Præſulis aduentus in Calatrauam, & irruptio in barbaros. 7. Chronologia, 8. de Oſeck maior notitia, 9 de Florido campo: 10. demum de duobus Sanctis eiuſdem Domus.*

CAPVT VII.

1. HIc idem annus, ſi credimus Guillelmo, in Hiberniæ Annalibus, Gamerio, & Claræuallis feſtiuus fuit, ſolenni tranſlatione glorioſi corporis Sancti Malachiæ, quæ olim ab Henrico prætermiſſa, eidem celebranda reſeruabatur. De ea ille hæc pauca memoriæ prodidit: *Anno M.C.XCI. in Monaſterio*

sterio Clarevallis translatio Sancti Malachiæ Episcopi Harmachani honorifice celebrata. Hæc tantùm ille; qui subdit, post tres annos, eiusdem Sacri corporis Reliquias, ex Clarauallo in Hiberniam reportatas, atque in Monasterio Mellifontis, & cæteris Cisterciensis Ordinis per Hiberniam, cum magno honore susceptas: quod nos etiam in loco memorabimus.

An Festum Sancti, ante præsentem annum celebrari sueuisset in Clarauallensibus, mihi non constat. Certum, ab hoc decretum in Capitulo, *vt Festum Beati Malachiæ fiat tertio nonas Nouembris; & agatur de eo, sicut de Beato Gregorio.* Ita in Actis Capituli huius anni. In Actis subsequentis M.C.XCII. confirmata Festiuitas, sed dilata ad biduum; atque Officium paulisper immutatum; addita super hoc Constitutione, quæ ita habet: *Nonis Nouembris, in territorio Lingonensi, Monasterio Clarevallis, Sancti Malachiæ Episcopi, & Confessoris Officium, sicut in Festo Sancti Nicolai plenè agatur.* Certè ab hoc anno, & deinceps Capitulorum generalium Acta supersunt, quæ non parum Annalibus inseruient multis in locis, vt inde compensetur fulgidum illud lumen Exordij magni, quod iam nos deserit; non, quia Author eius non diu vixerit, vt ipse testatur; sed, quia ad illud tantùm tempus historiam texuit, quod ipse in Clarauallo est assequutus sub Abbate Garnerio: reliqua aliis relinquens commemoranda.

3. In Villario resignante Abbate Geraldo, quem priuatæ virtutes, vt tradidimus, sed præcipuè abstinentia supra consuetum, publicæ haud ita exactæ commendabant; successit Guillelmus, eius nominis primus, qui in Catalogo Abbatum Villariensium [a], olim Heisterbacensis Prior, atque Villarium sanctissimè rexisse, & in eo munere piissimè obiisse commemoratur. Certè si Prior Heisterbacensis fuit non olim, sed tunc recèns, quippe intra hoc triennium fundata Domo, sed neque adhuc translata ad Heisterbach, seu Vallem Sancti Petri, qui non ante quadriennium à fundatione in monte Eistomberg ex Cæsario, eiusdem Domus Monacho, nec multò posteriori demonstrauimus. Ioannes Baptista Grammaius [b] Guillelmum hunc ab eodem Cæsario commendatum memoriæ prodit: sed neque notat locum, neque ego hactenus potui inuenire. Nam, quem Guillelmum Abbatem Villariensem Cæsarius [c] memorat, non primum; sed secundum esse compertum est: quippe electum anno M.C.XXI. indèque ad Claramuallem promouendum, de quo nos multa in sequentibus dicemus.

a *apud Henric. in Fasciculo.*

b *in sua Gallobrabantia.*

c *lib. 9. dialog. c. 81.*

4. Sub idem tempus, neque enim annus certus constare potest, florebat in Perssennia (quam Domum in Cenomanensi Diœcesi, Cistercij filiam suprà memorauimus) Abbas Adam æquè doctus, & pius, quem anno præcedenti cum Ioachimo disputantem retulimus. Meminit eius eximia cum laude Thomas Cantipratanus, ferè coæuus Author, dum Mariæ Comitissæ Campaniæ, & Ludouici Francorum Regis filiæ mortem describit. *Prope nostra tempora, ait, fuit mulier nobilissima, Maria, Campaniæ Comitissa: hæc nupta nobilissimo Henrico Campaniæ Comiti, filia fuit Ludouici Pij, Francorum Regis, Philippi Regis soror æquè Regis Francorum. Quatuor Fratres Reges in Anglia habuit, filium Regem in transmarinis. Hæc multis annis, mortuo marito, cum pomposissima ambitione circuiens, & moriens talem finem sortita est. Laborans hæc in extremis Abbatem Perssenie, sanctissimum, ac eloquentissimum virum, nigratura venire mandavit. Qui vt venit, intromissus non est, ac præ foribus expectauit. Iam enim Comitissa decesserat, & distrahebantur à militibus, & ministris, & suis omnibus vtensilia, vasa aurea, & argentea, vestes pretiosa, sericaque purpurea, & tenera lineamina ipsa cum peplis. Extremo quidam ex garsionibus, more inscia retardatus, factum per cornua comprehendit, & resupinatum corpus exanimum, omnium in stramenta diuolsit. Moras autem Abbas cum tædio sustinens, quidam nobilis ex circumstantibus indignatus, ostium violenter infregit, & Virum Venerabilem intromisit. Qui cum introisset, & nobile illud corpus undum in stramine reperisset, volente quodam ex familia illud staminibus operire, Abbas exemplo pronidus non sinebat; sed libera voce clamabat: O vos omnes, venite, & videte pompam nobilissimæ Comitissæ Mariæ. Cernite illud delicatissimum corpus, quanto dedecore pudoris denolutum est. Videte, quid ei pro multiplici honore, & gloria singulariter Mundus exsoluit.* Hactenus ille.

Potrò, quod ad tempus spectat, præter id, quod insinuat prædictus Author, dum scribens an. M.C.C.LXL. quod ipse ait [e], siue, vt alia Exemplaria legunt, M.C.C.LXXI. rem memorat propè sua tempora factam; confirmare videtur Henrici mors, eiusdem Mariæ coniugis, quæ incidit in annum M.C.LXXX. [f] Nec deerit tempus fastuosæ viduitati, quam tam abiecta nuditas sequuta, quanuis in morte commendauit contemptum sæculi. Hic ille insignis Perssennensis Abbas est, cuius extant sermones, quos ex Claudio Roberto in fundatione Perssenniæ memorauimus. Eundem virum recensent inter Doctores Conradus Gesnerus [g], Philippus Seguinus [g], & Ioannes Tritemius [g], appellántque *in diuinis Scripturis longa exercitatione doctum, Sanctorum Patrum lectione admodum diuitem, sæcularium literarum scientia sufficienter instructum, atque in declamandis ad populum Homiliis celeberrimæ opinionis.* Tritemius pro more Cistercium reticet; sed prodit Monasterium, quod nec ipse negat, & omnes alij Authores testificantur. Potuisset virum Menologio suo adscribere Chrysost. Henriquez antiquitate, doctrina, & Religione, præ aliis, quos adscribit, venerandum.

5.

e lib. 2. c. 29. p. 22.

f *vide Miræi Chronol. ad an. 1015.*

g *in suis Bibliotheb.*

Quod attinet ad militias sacras, celebris fuit hoc anno Archipræsulis Toletani aduentus in Calatrauam, multo stipati milite, quo Saracenos confines, iunctis cum Calatrauæ Magistro viribus, acriùs inuaderet, potentias deuastaret. Excepêre Quiñonius, Priórque venerandum Pontificem, vt decebat Primatem Hispaniarum, atque biduò apud eos hospitatum, quandiu milites sacri congregabantur, mox discedentem prosequuti sunt, Beticæ fines depopulaturi. Ingens hac irruptione prædа abacta in captiuis, in spoliis, in pecoribus, (præter occisos gladio,) quibus onusti, & diuites tèdière: & distributa omnia partibus æquis, Calatrauam non parum locupletarunt. Inde Magister reparauit muros arcis Cœnobij, (nam reuerà vtrunque,) vt si fortè repetitum venirent, vltimvę, quæ accepissent damna, aut victi caderent, aut vacui reuerterentur. Neque alia cura fuit Archiepiscopo, imò & Regi Alphonso ad oppidum Alarcos arcem inuenienti: sed neutri feliciter, vt constabit ex his, quæ infra trademus. Ita Radesius [h], & alij Hispani Authores.

6.

h *Hist. Calatr. c. 13.*

Fundata hoc anno Monasteria septem lego, quorum hæc series:

7.

Anno M.C.XCI. Kalendis Maij, fundata est Abbatia de Suecia, siue de Scotia.

Eodem anno, nono Kalendas Augusti, Abbatia Vsuesca, siue Huluesta.

Eodem anno, decimoseptimo Kalendas Nouembris, Abbatia de Isliga.

Eodem anno, duodecimo Kalen. Aprilis Abbatia de Oseek. b

Eodem anno, sexto Kalendas Nouembris, Abbatia de Gratia Sanctæ Mariæ.

Eodem anno, Abbatia de Domo Sanctæ Mariæ.

Eodem anno Abbatia de Florido Campo. De tribus primis id vnum mihi constat, quòd numerantur in linea Claræuallis incerta Matre. Portò in eiusdem Tabulis notatur Gratia Sanctæ Mariæ in Pictauia, Diœcesis Xantonensis, filia Gratiæ Dei; quam tamen prætermittit Robertus Claudius; neque inuenio notatam in libris Cameræ.

8. Oseek, aliquantò notior Domus, certè longè illustrior inter Martyrum palmas, laurósque, quibus Monachi Sancti post duo sæcula ab Hussitis meruerunt coronari. Mirum, si in ipso feruore primitiuo nullus cederet pugnæ: nam, quod Collegium Iuda carere possit? At tepescente vbique disciplina, atque vltrò laxatis licentiæ loris, quod negare, heu! non liceat, omnes vnanimes ad mortem restitisse; nec fuisse, qui se gladio vellet subtrahere, etiam cùm rogaretur, omnem profectò vincit admirationem. Est Monasterium situm in Bohemia, Vvalsasi proles de linea Morimundi: de eo in Historia rerum Germanicarum, anonymo Authore, quæ solet cum Paulo Langio circunferri. *Eodem etiam anno*, scilicet, M. CCCC.XXI. *præfati Heretici oppidum Belyn, cum castro, quod fuerat de dominio Comitis Alberti de Celdiz, & Monasterium Oseek sub castro Rosemberg combusserunt, & Monachos omnes Ordinis Cisterciensis in eodem Deo militantes occiderunt.* Hæc satis nunc pro aliquali notitia loci, reuerèntiáque: nam, quæ plura ad eiusdem laudem faciunt, & victoriam commendant Sanctorum Martyrum, suis singula locis dicenda erunt. De Fundatore Domus id compertum, illustrem Virum Zlauiconem, Comitem Belinensem, dedisse fundum, possessionésque, quibus extrui, & dotari peramplè posset: idque approbante Othocaro Bohemiæ Rege. Fertur autem construxisse in sepulturam fratris sui defuncti, & de eius bonis. Extat, & legitur instrumentum dotationis, approbationísque, datum per manum Benedicti Cancellarij, anno 1207.

9. quod Iongelinus inseruit suis notitijs.

Domum Sanctæ Mariæ ignoram nobis ipse titulus facit, quòd in Cistercio nulli non conueniat. Verùm, quæ ex eo solo denotetur, nullam hactenus potui repetire. Notior Floridus Campus, Abbatia Frisiæ, Diœcesis Trajectensis, aut certè singulariori ex Fundatoribus: quippe iidem externi, atque domestici, quod in fœminis frequens, in viris ratò consueuit vsurpari. Verùm de initiis huius Monasterij situ, & nomine, quod iam in aliud dicitur transiisse, Andream Cornelium loquentem audiamus [i]: *Anno millesimo centesimo nonagesimoprimo, dimidio milliari ab Bolsuerdia ad Orientem, eximium Bernardini Institutis Cœnobium, quod primùm Floridus Campus, nunc Monasterium vetus nuncupatur, ædificatum est. Quos verò Fundatores habuit, audies ex versiculis sequentibus:*

Floridus est Campus, hoc Claustrum vtrò vocatum:
Anno milleno centeno nanque colatum,
Et nonageno primo in festo Bonifacy
Cythardus, simul Herdradus, cum fratre Sibolde,
Hi Fundatores, vt Patres nos docuerunt:
Primi Presbyteri: laicus fuit alter eorum.

Hi tres fratres erant Vvenelij, & anno millesimo centesimo nonagesimosecundo à Clarocampensi Abbate in Cœnobio iam inchoato sunt constituti: Cythardus vt Abbas, Herdradus vt Prior, & Sisebodus vt Conuersus. Itaque hoc anno ædificata Domus, & Fundatores ad habitum admissi, suscipiente vtrosque Sancto Gerbrando, Abbate Claricampi, cuius superiùs fecimus mentionem. Portò dum adhuc essent in probatione, adeò strenui, & perfecti inuenti sunt, vt Monachis transmittendis ad nouam Domum, anno sequenti, ab eodem Sancto præficerentur.

[i] *apud Myræum in Chron. Cisterc.*

Cythardi Abbatis memoriam celebrari in Menologio video, quinta die Ianuarij: sed, cur præ aliis fratribus, me latet, nisi aliud habeat traditio eiusdem Domus. Sub eo floruit Vvido, siue Guido, Vir planè sanctus, inde in Abbatem Sancti Bernardi Frisiæ, paulò pòst promouendus. Demum Sancto Gerbrando successurus in Clarocampo, nec sine præcedente reuelatione, de qua plura in sequentibus dicemus. Cæsarius non Guidonem, sed Iuonem hominem Dei appellat in suis Dialogis [k], cui omninò fidendum, si non corrupto, quod facilè contingit per transcriptores.

10.

[k] *lib. 11. c. 30.*

ANNVS CHRISTI M.C.XCII. CISTERCII XCV.

1. Richardo Rege è Syria discedente, 2. amissa Ioppe, 3. atque ipso reuerso recuperata; 4. & inducia firmata 5. cum Saladino. 6. Mox Reginis præmissis, naufragus ipse, 7. cùm in Istriam appelleret, 8. à Leopoldo Austriæ Duce capitur, 9. quem duplici antè iniuria in Syria affecerat: 10. ac demum traditur Henrico Imperatori.

CAPVT I.

1. NOn satis conuenit etiam inter coæuos, quo anno Rex Richardus è Syria soluerit, adstruente Rogerio præcedentem, Guillelmo verò Neubricensi (vtroque synchrono) hunc millesimum centesimum nonagesimumsecundum, qui fuit Cistercij quintus & nonagesimus. Maneat vtrique pro arbitrio Lectoris fides: neque enim nobis in hoc est immorandum. Hoc anno factum veritati conformius reputo, quanuis aliter sentiat Cæsar Baronius, qui ex his, quæ tradit anno M. C. X C I V. reuinci potest. Verùm & facta sub finem præcedentis (quia nequaquam concernunt hos Annales, nisi ex his, quæ in præsenti sequuta sunt) meritò in eo enodanda reseruauimus. Multa illum Principem ad propria reuocabant: tumulus Angliæ ex duplici Protege, Rothomagensi, nimirum, & Elien si: fratrum, præcipuè Ioannis, infidus animus: metus ex Philippo, cuius nec pollicitatione contentus, nec iuramento videbatur esse securus. Demum thesauri absumpti longo itinere, & regia, quandiu in Syria militauit, munificentia, Neubricensis [a] hanc vnicam causam assignat

[a] *lib. 4. c. 17.*

assignat reditus, sed Polydorus [b] missam à Cœlestino pecuniam tradit, in stipendia militum, fortè collectam Garnerij prædicatione. Vtcunque fuerit, quod idem Author notat [c], non antèa discessisse visus est, quàm cùm ex partis hactenus victoriis, iam, iámque loca sancta redimenda, & Ierosolyma capienda præstolabatur. Nos, quæ in eius discessu contigerunt, antequàm caperetur, quia omissa à Baronio, & aliàs ad dicenda sequenti capite necessaria videntur, etsi non omnia ad hos Annales faciant, in nostri Lectoris gratiam, cum Neubricensi Guillelmo [d] perstringemus:

b lib. 14.

c ubi suprà.

d lib. 4. c. 27.

2. *Sanè repatriantibus cunctis, præter eos, qui ordinati erant ad præsidia vrbium, nec Illustri Anglorum Regi, qui iam propriis in sumptibus diuturna militiæ, thesauros exhauserat, productioris more in Syria fuit. Rebus ergo dispositis, & nepoti, quem Regni exigui Principem relinquebat, mandatis, in Cyprum cum suis rediit, inde opportunè profecturus. Quibus agnitis, Saladinus super Ioppen minùs sufficienti munitam præsidio, cum exercitu irruit, eáque celeriter expugnata, & facta Christianorum strage non modica, reliquos in arce conclusos obsedit. Tum nostri eo modo, quo poterant, præcauentes, ne vsque ad internecionem reliquiæ delerentur, cum immanissimo Tyranno pacti sunt, deditoros sè arcem, visi ad diem certum fortè Christianus superueniret exercitus. Et ille quidem nostrorum, qui abierant, reditum non metuens, quietus iam erat, tanquam in eruemo negotio arcem maturè ingressurus.*

3. *Rex autem Anglorum, vbi sinistri euentus nuncium accepit, tristitia mox in virtutis materiam versa, cum omnibus, quos eum non sequi pudebat, secundis flatibus in Syriam celeriter rediit, & Turcas inopinato eius reditu, impetúque perterritos, in fugam conuertit. Qui rursum conglobati, fretique ingentibus numeris, eum in Ioppe clausum frustrà conati sunt obsidere. Egressus quippe in spiritu fortitudinis, & non solùm optimi Ducis; verùm etiam fortissimi militis implens officium, per dies aliquot cum eis in campo conflixit, & manu longè impari tremendas Turcarum copias, tandem Christo propitio, ita protriuit, vt inuictum eius animum mirantes, & nihil contra eum vlteriùs audendum putantes recederent. Ioppe igitur liberata apud Castellum, quod dicitur Cephas, diebus aliquot egrotauit. Quo audito, Saladinus (vt dicitur) non tanquàm de hoste debilitato exultauit; sed tanquàm de inuictissimi Principis incommodo doluit; missísque ad eum nunciis, Scio, (inquit,) quod in hac terra, etiam sospes, prolixiorem moram facere nequeas; te autem abeunte, quod à Christianis cum tanto labore acquisitum est, certò exponetur periculo, & mediocri negotio incidet in manus meas. Verumtamen propter te, cuius egregiam virtutem magis veneror, quàm animum hostilem auersor, triennij inducias Christianis indulgeo. Ascalona tamen nec mihi, nec illis sit; sed destruatur.*

4. *Rex autem licèt egrè ferret vrbem euerti, in cuius recenti instauratione sumptuosissimo frustrà labore sudauerat; consilio tamen Patriarchæ, & nouæ Principis, omniúmque Christianorum terræ illius, inducias amplexus est; respectu quidem vrbis euertendæ minùs honestas, sed fortiori ratione multùm necessarias. Itaque per operam Regis Anglorum fœdus eulpandam amicitiæ, celebrata, firmataque sunt inter Christianos in Palæstina consistentes, & Turcos Saladino subditos, inducia à Paschali Solennitate proxima in tres annos, tres menses, tres septimanas, tres horas. Indultum quoque, firmitérque statutum est à Saladino in gratiam Regis Anglorum, vt Christiani toto inducianum tempore securè, & liberè Sepulcrum Dominicum, erandi studio, visitarent, nihilque molestiæ à Saracenis in accessu, vel reditu patientes, expletis orationum Solennibus cum fructu deuotionis suæ, Christianis se finibus redderent.*

Quamobrem sanctis, prout oportebat, induciis, 5. *Christianorum ingens numerus ad Sanctam ciuitatem contendit, & votis potitus, cum longi satisfactione desiderij hilariter repatriauit. Et Rex quidem, qui vnus pro decem millibus reputabatur, dum propter casus ancipites de consilio sapientum, propriæ cautiùs saluti prospiceret, minùs satisfecit deuotioni. At verò Hubertus, Sarisberiensis Episcopus, qui eius in illa expeditione comes indiuisus, & fidus, prudénsque cooperator extiterat, regiæ deuotionis vim implere curauit. Denique (vt dicitur) pro se, & Principe Sepulcrum Principis Principum visitans, fusò ibidem piarum profluuio lacrymarum, & sacra Hostia immolata, suorum pariter, & Regionum compos votorum, ad Principem rediit. Quibus actis, idem Rex repatriandi propositum declarauit. Insulam Cyprum Guidoni olim Ierosolymorum Regi, viro strenuissimo, mera liberalitate donauit; dilecto Nepoti, quem finibus Christianis præfecerat, suam (Christo propitio) reuersionem circa inducianum expletionem pollicitus, charactere Dominico, quo insignitus aduenerat, in argumentum propositæ reuersionis retento, infidis se flatibus credidit.* Ita Guillelmus de his, quæ in Syria fecit Richardus Rex, adeò exactè, & breuiter, vt nihil nobis addere, nihil adimere visum ipsius verbis.

Pergit deinde de morte Saladini, & de frustrata, 6. quæ vix frustrari posse videbatur, Ierusalem terrenæ restauratione; & tandem de naufragio sequuto, & eius causa, ac de captione Richardi per Leopoldum. *Igitur*, ait [e], *Rex Anglorum à Syria digrediens, duabus Reginis, sorore, scilicet, vidua, & coninge, cum omni fere familia præmissis, ipse cum paucis expeditioribus, agiliori nauigio sequebatur. Impatientior quippe tedij, dum lenum, & morosum latissimi aspernaretur pelagi transitum, tutiorem grauioris nauigij, & suo pondere minùs timentis spiritus procellarum, electionem recusauit, quod vtique factum est illi in scandalum, & quidem Regina cum omni comitatu suo lento; sed prospero cursu, in Siciliam venientes, ibidem sub Tancredo in tuto pro tempore substiterè.*

e lib. 4. c. 29.

7. *Porrò Rex nauì, qua vehebatur, inclementioribus auris abrepta, tractus est ad partes Istriæ, atque inter Aquileiam, & Venetiam naufragium passus, agrè cum paucis æquoreum discrimen euasit. Vbi propriam pro tempore, propter casus incertos, naufragus celans personam, didicit Regem Anglorum hominibus regionis illius, ob necem Conradi Marchionis, quæ ipsi imputabatur, esse inuisum, nec posse ibidem tutum habere hospitium. Quamobrem imminens inani studuit illudere cautela periculum. Nam cito percrebuit, insignem naufragum latere, vel aberrare in terra illa. Mox nobilibus simul, & populo ad vestigandum eum intentis, quidam Comes, Maimardus nomine, ipso latente per fugam elapso, octo de comitibus eius comprehendit. Deinde in Archiepiscopatu Salizburgensi, loco, qui vocatur Friscarium, sex de comitibus eius à quodam Friderico detentis, cum tribus tantùm comitibus noctu ad partes Austriæ properauit.*

8. *Humboldus verò, Dux Austriæ, qui (vt suprà dictum est) stipendiarius eius in exercitu Domini fuerat, profusam eius circa se largitatem, cùm ejusset, expertus, oblitus beneficij, atque in vltionem cuiusdam vltionis exigua fuerit, magis autem opum Anglicanarum, homo auarus, & perfidus, sitiens, cautissimos per omnes via-*

riam transitus, & diuerticula, vt insigni profugo euadendi locus non esset, custodes disposuit, quem tandem in suburbano quodam, iudicio (vt dicitur) cuiusdam ex comitibus eius, dum escas lautiores emeret, caute notati, & ad prodendum cuinam peregrino talia procurarent, intempestiua morte coacti, inuentum per immissos satellites capiunt. Denique ingressi ad eum sollicitè occultantem se, directi à Duce armati, Aue, inquiunt, Rex Anglorum: frustra personam tuam pallias: facies tua manifestum te facit. Cúmque vir ingentis animi gladium arriperet, Noli, inquiunt, Rex, vel timere, vel temerè agere: non enim morieris; sed potius à morte seruaberis, in medio hostium tuorum propinquorum, scilicet, Conradi Marchionis, quærentium animam tuam, in quarum vtique manus, si fortè etiam ceterum vitas habens, incideres, ne vna quidem earum salua tibi esse posset. Captus igitur Rex nobilis à Duce nequissimo, anno gratiæ millesimo centesimo nonagesimosecundo, mense Decembri, citra decus regium in vinculis seruabatur. Hactenus ille Humboldum pro Leopoldo corruptè nominans.

9. Verùm, quod ait, captionem factam fuisse in vltionem cuiusdam læsionis exiguæ, quam idem Dux à Rege passus fuisset, fideliori in proprium dominum animo, quàm pro rei gestæ veritate dictum, ignosci forsan potest, non sustineri. Quippe Leopoldus, à Richardo Rege grauiter læsus, neque simplici tantùm offensione, verùm & duplici, atque vtraque iniusta, recentique, vt nihil mirum, si oblatam vindictæ occasionem non repudiaret. Primam iniuriam, quam alta mente Dux Austriæ conseruabat, Matthæus Paris recenset totidem verbis [f]: *Circa idem tempus Dux Austriæ venit, vt in terra sancta votum suæ peregrinationis perficiendo in exercitu Christiano Deo fideliter militaret, & Salvatoris vestigia ibidem adoraret. Cúmque prauij eius Marescalli sibi hospitium accepissent, & necessaria præpararent, supervenit præcipitanter quidam miles de familia regia Richardi, natione Neuster, & more suæ gentis ebulliens stultitia, cum iactantia asserebat, se maius ius in illo hospitio habere, quàm aliquis alius, cùm prius illuc aduenions sibi, suisque sociis illud assignasset. Multiplicatis conuiciis vtrobique, clamor ad aures Regis pervenit: Rex autem nimis causæ Northmanni fauorabilis, & credulus, in iram exarduit, contra familiam Ducis, & non perpendens similiter moderamen Dominicum, scilicet,* Descendam, & videbo. *præcepit præcipitanter, & secùs quam decuit, vt vexillum Ducis in eodem hospitio pro signo affixum in cloacam deiiceretur. Quod factum cum Dux hospitio primatus, & turpiter à Northmannis garulis lacessitus cognouisset, Regem querulus adiit: sed nihil, nisi famas, reportauit. Vnde Dux à Rege spretus, ad Regem Regum se conuertens, Dominum Deum inuocauit in vltionem cum lacrymis, vt quenque superbum frangens tantam passim iniuriam consolaretur, qui ait:* Mihi vindictam, & ego retribuam.

Ita Paris de hac prima iniuria, graui quidem. Sed audi aliam, fortè non leuiorem, quippe & magis in publico, & in qua non de hospitij commoditate, sed de vrbis captæ gloria litigabatur. *Ptolomæus*, inquit Polydorus Virgilius [g], *siue Accon biennio obsessa, nostris dedita est. Hic inter Latinos Principes emulatione imperij, atque virtutis, discordiæ iam pridem exortæ, manifestè gliscere cœperunt, quod inferiùs planum fiet, & in primis inter Austrenses, hoc est, Pannonios superiores, & Anglos id malorum habuit. Sanè Austrenses, gloria captæ vrbis inhiantes, primi signa in muris posuere, quæ Anglus illicò in terram excussit, suaque subiecit: quod facinus deinde Richardo malo fuit.* His iniuriis Leopoldus lacessitus, atque honestioribus causis superadditis, dein iusta in Siciliam irruptione, de inuasione, ac detentione Cypri, & de morte Conradi, aliisque; oblatam, vt putabat, sibi à Deo occasionem vindictæ, quæ sola inter Principes supremus, pœna legis inflicta, apprehendere nequaquam recusauit. 10.

Tradit Matthæus Paris loco suprà, cùm priores iniuriæ illatæ Duci, ab eo Regi Richardo obiicerentur, vt culpæ conscium non parum erubuisse; cùm nihilominùs Authores omnes prodant, accusatum ab Imperatore de cæteris coram magno Conuentio, respondisse constanter adeò, vt audientium animos, etiam Imperatoris, ad se traheret, ea est vis innocentiæ, ea criminosæ conscientiæ pusillanimitas. Addit Neubricensis [h], Imperatore statim allegante: *Regem non debere teneri à Duce, neque indecens esse, si ab Imperatoria celsitudine decus regium teneretur, insignem ad se trahere curauisse captiuum.* Nec recusasse Leopoldum Richardum tradere, seu non audentem contraire Imperatori, siue omne à se discrimen volentem pellere, vt inferiori viribus, nec restituto Anglis, si Regem suum temerarent per vim repetere. Hactenus redeuntis Richardi infelix captio: nunc quid Cistercium in eius redemptione præstiterit, nam ea occasione dictum, referamus. 11.

[f] apud Baron. annot. præced.

[g] lib. 14.

[h] lib. 4. c. 13.

---

1. *Designantur duo Abbates Cistercij ad visitandum Regem, atque agendum de eius redemptione.* 2. *Quàm gratanter ab ipso,* 3. *quàm benignè ab Imperatore susceptí, pacta formauerint.* 4. *Sed quorum retardata executione, vocatur Elias, qui medio Duce Austria cuncta peragit.* 5. *Regia erga illum Richardi munificentia,* 6. *à Busio, & Metero commemorata.* 7. *Indicta nostris per Angliam collecta,* 8. *ex Ministrorum auaritia longè grauiores.* 9. *Legatia in Angliam lordani de Fossa noua.*

CAPVT II.

1. VRBAVIT Angliam repentina Regis calamitas, & discordantes inter se Ministros, atque iam iam præstolantes eius aduentum, seu pœnæ timidos, seu vindictæ auidos, pro vniuscuiusque conscientia variè afficit. Nec fortè deerant (quæ conditio hominum est) queis occasio arrideret, seu promerendi Regem, si liberarent: aut si in vinculis diutiùs detineretur, prorogandi Imperium, & turbinum licentiam continuandi. Actum tamen, quod primum omnium erat, de visitando Principe captiuo, atque offerenda pro eius redemptione singulorum substantia, vitáque, quas illi etiam ante alios offerebant, qui minùs libertatem ipsius desiderabant. Mox de Imperatore conueniendo, Christiano Principe, & qui Regem similiter Christianum, imò tunc Christi militem, atque ex

sacra

facta militi a redeuntem contra ius, contra fas, contra omnem pietatem Christianam incarcerasset. Porrò vtrunque per Abbates Cistercij præstandum fore, concors omnium aliorum sententia fuit. Delectique ad id munus præ aliis duo de Bogeleia, & de Ponte Roberti, ambo doctrina insignes, meritisque. Verùm, quid ab eisdem præstitum sit, Rogerij verbis, qui cunctis siue affuit, siue ab his qui affuerunt, hauxire potuit, more nostro fideliter reddemus [a]:

a part. 1. ad ann. præcedentem.

2. *Audita itaque Regis captione, Vvalterus, Rothomagensis Archiepiscopus, & cæteri Domini Regis infitiary miserunt Abbatem de Boxeleia, & Abbatem de Ponte Roberti in Alemanniam ad quærendum Regem Anglia. Qui cùm totam Alemanniam peragrassent, & Regem non inuenissent, Barbariam ingressi sunt, & obuiauerunt Regi in Villa, quæ dicitur Oxefer, vbi ducebatur ad Imperatorem, habiturus cum eo colloquium in die Palmarum. Et comperto, quòd prædicti Abbates venissent de Anglia, Rex prabuit se illis hilarem, & affabilem, quærens de statu Regni sui, & de fidelitate hominum suorum, & de salute, & prosperitate Regis Scotia, in cuius fide fiducialiùs imitebatur. Ipsi verò, quæ audierant, & viderant, testificati sunt. Conferentibus itaque illis ad inuicem, conquestus est Rex super proditione Ioannis, fratris sui Comitis Moretonij, cui tot beneficia, & honores contulerat immensos; qui se Regi Francie, contra eum dederat: & rupto fraternitatis fœdere, fœdus cum morte inierat, & pactum cum Inferno. Super hoc itaque Rex valdè contristatus, subitò in vocem consolationis erupit, dicens: Ioannes frater meus non est homo, qui sibi vi terram subiiciat, si fuerit, qui vim eius, vi saltem tenui, expellat. In itinere autem per tres dies, vsque dum ad Imperatorem peruenisset, quomodo se habuerit, strenuè, eleganter, prudenter, admirati sunt vniuersi, indicantes illum dignum Imperatoria celsitudine, qui ita nouit animo imperare, & fortuna biformes euentus, vniformi constantia superare.*

3. *Die verò constituto, habito colloquio per internuncios cum Imperatore, non potuerunt illo die confœderari, eò quòd Imperator multa petierat, quibus nec etiam pro mortis periculo Rex consentiendum iudicauit. In crastino autem omnibus desperantibus, cum successu læto successit læta consolatio. Nam Imperatore Regem impetente in multis, & abiiciente quamplurima, tum de proditione terræ Sulia, tum de morte Marchionis, tum de quibusdam conuentionibus ad inuicem habitis, & non obseruatis; Rex liberè, & constanter, & ita intrepidè respondit, quòd non solùm eum Imperator gratia, vel venia dignum; sed etiam laude iudicauit. Nam inclinantem se Regem erexit, & suscepit in osculo pacis, & confœderauit eum sibi, & ampliando honoribus, & auxiliis (circumstante populo, & in lacrymas ruente pra gaudio) promisis afferens, quòd confœderaret Regem Anglie Regi Francie. Et tunc quasi pro mercede Rex Anglie centum millia marcharum, mediante Duce Austria, pro sua liberatione promisit Imperatori. Promisitque Imperator, quòd si per operam eius Rex Anglie, & Rex Francia non possent confœderari, ipse Regem Anglie ad propria remitteret sine pecunia.* Hactenus Rogerius de gestis per Abbates in hoc negotio.

4. Verùm, cùm res in longum protraherentur, siue fatali mora in actis Principum, quæ multiplicibus præuiis consultationibus, frequentiùs retardantur, quàm diriguntur; siue ipsa colligendæ pecuniæ, maximè tam ingentis, difficultate; vtrique malo nostri subuenire, & contra primum vocatus Abbas Helias de Monasterio Dunnis, cui Dux Leopoldus olim ministrasset; secundò, Abbates omnes se opposuere, emunctis Cœnobiis, etiam vsque ad sanguinem, sine vllo respectu priuilegiorum, aut exemptionum; vt congregata pecunia miles Christi captiuus redimeretur. Proferam vtriusque euentus testes idoneos: de primo Hadrianum Butium cum Meiero; de secundo Guillelmum Neubricensem, quorum verba ad litteram transcribam. Igitur Butius de Helia ita commemorat [b]:

b in Chron. ad hunc ann.

5. *Dux ergo eum* (id est, Richardum Regem) *captum aliquandiu secum tenuit, & postmodum Imperatori Henrico in Alemanniam direxit. Imperator autem Regem secum tenens, quocunque pergebat, sub honesta custodia secum ducebat. Regina verò Anglia, quæ fuit filia Regis Nauarræ, plurimùm pro redemptione Regis filij sui laborabat. Vnde & Dominum Heliam accersitum pro Regis liberatione ad Ducem Austria misit, qui ad preces Patris sui Abbatis Helia* (sic enim eum vocare consueuerat) *eo viso, dixit: Non possum denegare tibi, pie Pater, Regem, cuius occasione venisti, vt reducas eum. Vellem nihilominùs, vt Imperatorem meum Dominum placatum redderes. Richardus igitur Rex, post annuam captiuitatem magno redemptus pretio, ab Imperatore honorificè, & cum gratia, pace etiam inter eos facta, & firmata, in Angliam reuertitur.* Ita Regina filij libertatem per Cistercienses Abbates tractari cœptam, vocato ad se, Helia per Cisterciensem item consummauit. Mansit obsequij memoria apud vtrunque, Richardum, & Reginam, illius matrem; & cum memoria, larga remuneratio. Vocato Helia rursus, ac decimis donato, in Anglia, Ecclesiáque, quam Dunnæ possiderent perpetuo iure. Quin & ipse ibidem diu detentus, atque regiis consiliis deputatus, homo externus, non sine ingenti incolarum acclamatione; nam pergit Butius [c]: *A quo* (id est, Richardo) *Helias Abbas in Angliam vocatus, honorificéque susceptus, decima de Stapeya ditatus est, factúsque Consiliarius eius ab omnibus Regni Primoribus dilectus, & sæpiùs muneribus, & xeniis, ab Episcopis, & Baronibus aliquibus fuit honoratus. Vnde & Ecclesia de Esebiersoh, quæ est in Stapeya, per manum Humberti Cantuariensis Archiepiscopi, Ecclesiæ Dunis, in perpetuam eleemosynam tradita est.* Huc vsque Butius.

c vbi suprà.

6. Meminit facti, & remunerationis Iacobus Meierus addens, donatum Heliam insigni marmore, quod adhuc Dunis cernitur, his verbis [d]: *Eum* (id est, Richardum, Angliæ Regem) *Helias Abbas Dunensis redimere iuuit; donatus postea ab eo, præter amplas in Anglia decimas, viuendo illo marmore, quod ad aram maximam, eo in Monasterio cernitur.* Ita Meierus anno sequenti, quo euenêre ista, quæ de Helia nos ex præcedentibus coniunximus, quo simul omnia, quæ à nostris facta sunt pro redemptione Richardi propalarentur. Cæterùm, nam & id obiter dicam, quòd tanta apud Leopoldum authoritate, & gratia Helias Abbas pollere creditus sit, vt à Regina matre, ad filij redemptionem pertractandam, præ cunctis sui Regni Prælatis eligeretur; homo exter; & cui tantum negotium nisi prævalido, vix sine aliorum inuidia mandari posset: non leue mihi argumentum esse videtur arctissimæ inter eos necessitudinis, quæ his, quæ suprà à nobis dicta sunt, de mora Ducis sub habitu ignoto, inter Dunenses Monachos, atque in obsequio Abbatis maiorem fidem valeat conciliare. Atque hæc de his, quæ gesta per Heliam.

d lib. 7. an. seq.

At

7. At non solùm negotio pertractando, verùm nec congregandæ pecuniæ, & soluendis collectis nostros defuisse, quamuis ab eis immunes; imò neque auaritiæ Ministrorum, quæ plerunque tributis longè molestior, atque maiori oneri esse solet (nam neque hoc speciale crimen nostrorum temporum) Guillelmus Neubricensis his verbis prodit [e]: *Vrgebam ergo negotium in cunctis Anglia finibus Executores regij, nulli parcentes: nec erat vlla distinctio Clerici, & laici, secularis, & Religiosi; sed omnes indifferenter, & iuxta vires substantiæ suæ, vel iuxta reddituum quantitatem, in dictum modum soluere pecunias cogebantur. Silebant, & vacabant priuilegia, prærogatiua Ecclesiarum, & Monasteriorum. Omnis dignitas, seu libertas oppilabat os suum, nec alicui licebat dicere: Tantus, ac talis sum: habete me excusatum. Cisterciensis quoque Ordinis Monachi, qui ab omni exactione regia, hactenus immunes extiterãt, tantò magis tunc onerati sunt, quantò minùs anteà publici oneris senserant. Quippe quod illis in substantia præcipuum esse noscitur, & quod ferè pro omni reddita ad vsus sumptúsque necessarios, habere videntur, lanam, scilicet, pecudum suarum, exacti, coactique resignarunt.* Hæc de collectis.

e lib. 4. c. 35.

8. At de extorta sub collectarum titulo, quæ Ministrorum auaritia semper fuit, longè superexcedente quantitate, audi, quod sequitur [f]: *Putabatur quidem tanta pecuniarum coacervatio redemptionis regiæ summam excedere; quam tamen non attigit, cum vniuersa patricula Londoniis conuenissent, ad summam, quod accidisse creditur per fraudem Executorum. Denique propter hanc primam collectionis insufficientiam, Ministri regij secundam, tertiámque instaurant, quousque locupletiores pecuniis spoliant; manifestióque rapinarum dedecus, honesto redemptionis regiæ nomine palliant.* Hactenus ille. Cæterùm, qualiter post redemptam Regem, partem pecuniæ oblatam ab Henrico Cœnobiis Cistercien sibus, in thuribula argentea perficienda, quamuis sub titulo honesto restitutionis potuisset accipi, tanquàm malè acquisitam, Synodus Cisterciensis recusauerit; anno sequenti, quo euenit, dicemus.

f ibid.

Hoc ipso anno, dum idem Rex Richardus apud Imperatorem detineretur, tumultuante Anglia, ob dissensiones inter vtrunque Regni Procuratorem, Episcopum, nimirum, Elien sem, atque Rothomagensem Archiepiscopum, cùm vterque appellasset Romanam Sedem, missi à Pontifice duo Cardinales, ex quibus alter Iordanus, quondam Fossæ nouæ Abbas, de quo suprà; quamuis non admodum Legatia vtilis fuit. De ea hæc habet Rogerius in Annalibus [g]: *Eodem anno Dominus Papa misit à latere suo duos Cardinales, scilicet, Octauianum Ostiensem Episcopum, & Iordanem de Fossa noua ad dirimendam litem, quæ erat inter Cancellarium, & Rothomagensem Archiepiscopum. Qui cùm venissent in Northmanniam vsque ad Giserium, clausa est iis ianua, & intrare non potuerunt: & cùm cognouissent hoc factum fuisse per Vvillelmum, filium Radulphi, Senescallum Northmannia, illum excommunicauerunt, & omnes complices suos, & fautores, & Consiliarios, & authores prædictæ præsumptionis, & totam Northmanniam sub interdicto posuerunt. Quod cùm nunciatum esset in Anglia, Regina Aleonor, & Rothomagensis Archiepiscopus miserunt ad eos Hugonem Dunelmensem Episcopum, vt relaxarent sententiam, quam dederant in Senescallum Northmannia, & in ipsam Northmanniam. Primò verò inuenit eos Dunelmensis Episcopus apud Parisios: deinde sequutus est eos vsque Vizeliacum: sed nullo modo relaxare sententiam suam voluerunt, nisi recepti fuissent in Northmannia. Sed Dominus Papa interdictum Northmannia relaxauit, & relaxari fecit à Legato: nec tamen intrauerunt Northmanniam.* Hactenus Rogerius.

g ad hunc an. par. 2.

---

1. *Margarita in Occidentem reuersa, 2. Thomam Anglicum fratrem quærit, & inuenit: 3. ab eo agnoscitur, 4. atque eius monitis Cisterciensem Monialem induit. 5. Mors Saladini, 6. & duorum Cisterciensium Fratrum captio, 7. qui à mulierculis, eius iussu, sollicitati, 8. quandiu sobrij, casti: 9. ebrij deinde, lapsi; & pœnitentes ab eo dimissi sunt, inter suos expiandi ritu Christiano.*

CAPVT III.

1. MAx peregrinam nostram Margaritam longi exilij tædebat in Palæstina: quippe, vt ipsa, siue ipsius nomine Thomas frater, ait:

Este diu peregrè rarus est, qui non ferat ægrè.

Quare denuò reuisis locis sacris, quod licuit per inducias, reducibus militibus sociata, dubium ex Scotia, an Anglia; nam Sanctum Andream inuocasse fertur, dum solueret: inde versus:

Quæ procul absenti Scotorum defero gemi,
Vir sacer Andrea, suscipe vota mea.

valedicens Orienti, transfretauit. Fortè nec Scotis, nec Anglis iuncta est; sed Hispanis, aut Italis: nam, antequàm ad propria remearet, Limina Apostolorum, tum Iacobi in Hispania, tum Petri, & Pauli Romæ visitasse, ab eodemmet Thoma perhibetur, his planè versibus:

Per loca Sanctorum, te, Iacobe Sancte, reuisens,
Romam prætereiens visito, &c.

Ita nullum Sanctuarium illi non visum; ex his, quæ pluris facit Christianus Orbis.

2. Longum esset in præsenti recensere, quot sacra Virgo, quantáque incommoda, & terra, & mari obeuntes perpessa fuerit.

Insidias etenim latronum passa, famémque,

Etiam in morbum incidit, nullis non defæcanda tribulationibus. Adierítne inter hæc paternam domum, in dubio est: constat, cùm fratrem, quem vnicè amabat, quippe à se educatum, studiosè quæreret, Galliam penè vniuersam peragrasse: nec destitisse, quoad vsque tandem inuentum; sed de sorore dubium, quam putaret defunctam à multo tempore: primùm de veritate certificauerit: dein eius arbitrio se submiserit, reditura ad patriam, aut, si ita consulat, Cistercium ingressura. Verùm hæc eadem ipsam declamantem versa oratione, seu Thomam eius nomine, audiamus:

3. *Vnica spes superest, germanum quærere fratrem,*
Qui sicut frater, sic & alumnus erat.
A me nutritus, undenis me minor annis,
Quem tenerum soleo ferre, referre sibolis.
Nunc inuestigans Francorum finibus, ecce

Audio

Audio Iam Monachum : Francia te repete.
Bellouacum veniens, vbinam sit, sciscitor: inde
Monstratur Fres mons, quo manet ille locus.
Inuentus tandem, qua sim, vix credit, & aio:
Hoc nomen matris, & patris illud erat.
Treis pueris pater vnus adest, qua concipit vna:
Hunc Baptisma lauat, Christus ad astra leuat.
Quid dubitas? illa genuit nos dicta Sybilla:
Hæc nobis mater, & fuit Hulno pater.
Hæc inter, signis credit, lacrymantur vterque:
Casus pæne meos, mæque loquente, gemit.
Posthac hortantur Mundi contemnere vitam:
Quæ reddat Monachum, me docet ille viam.

Hactenus Margaritæ Virginis Historia descripta alternis versibus : nam, quæ sequuntur, mera consilia sunt, atque Patrum sententiæ, quibus Thomas Soroti dudum amissæ ; sed tunc recèns inuentæ, Monachatum suadet, & persuadet.

4. Tum verò ipsa acquiescente monitis fratris, electus primùm Ordo Cistercienſis, quia Mariæ præ aliis, cui se omninò deuinctam confessa esset : mox Ludouici Claromontensium Comitis largitate dotata in Cistercienſium Virginum Collegio adscripta est in Laudunensi Diœcesi, cui, siue ad præferendam humilitatem, seu fortè ob tenuitatem ædificiorum, Monasteriolum nomen, cuius non video meminisse Robertum Claudium : vnde coniector hodie non permanere. Certè in eiusdem Historiæ parte prima, quæ soluta oratione scripta est, idem qui suprà Thomas hæc scribit verba : *Primò quidem in remota, ac molestissimæ peregrinationis afflictu, demum in voluntaria subiectionis abiectione, Deo immolans abominationes Ægyptiorum, secundum Ordinem Cistercienſium conuersando, germani fratris exemplo prouocata, atque piissimi Claromontensium, & Blesensium Comitis Ludouici liberalitate negotium procurante, cura seculari valefaciens, velut gemma inclyta, de luto luci reddita, Mariæ Margaritæ perpetuò ministrauit, & meritò quidem per Mariam semel, & secundo miraculo satis euidenti, erepta est de manu tribulantis.* Et paulò inferiùs : *Ingressa est igitur Monasterium Virginum, cui nomen Monasteriolum, in Episcopatu Laudunensi, ibique per annos quasi duodeviginti conuersata est feruenter, atque frequenter salutando Mariam.* Et iterum post finem totius Operis : *Explicit liber Domni Thomæ Monachi de Fresmont, de periculis, & peregrinatione Margaritæ sororis suæ, tandem in Monasteriolo Laudunensis Diœcesis, & Cistercienſis Ordinis feliciter consummatæ.*

5. Hoc ipso anno post inducias cum nostris pactas, Malleus Christianorum (sic enim eum vocabant) Saladinus, post multas de Christianis partas victorias, ac longè, & latè imperium propagatum, defunctus est, atque æternis cruciatibus damnatus cum suo Mahometo : homo aliàs non abhorrens à virtutibus, & qui *cùm nostrorum mores explorans* (ait Guillelmus Neubricensis [a]) *audiisset, quod pluribus in prandio ferculis vterentur, dixisse fertur, tales Terra sanctæ indignos esse.* Cæterùm, quid duobus Cistercienſibus ex his, qui Duces fideles comitabantur, seu fortè alibi captis, cùm ad illius manus peruenissent, cum ipso acciderit ; quámque argutus suæ sectæ commendator, cum nostræ Religionis suggillatione inuentus sit, etsi nostrorum humanum lapsum prodat, quia dignum Annalibus, ex eodem Guillelmo Neubricensi, transcribere non grauabor : sic autem ait [b] :

[a] lib. 5. c. 12.

[b] cod. cap.

6. *Præsentati sunt ei aliquando duo Monachi Cistercienſis Ordinis, capti à Turcis prædonibus, quos ex schemate imusitato, intelligens esse de genere philosophantium Christianorum, per interpretem scisciatus est, quinam essent, & cuius conditionis, vel professionis. Responderunt, se esse Monachos Regulam Beati Patris Benedicti professos. Ille de institutis eiusdem Regulæ plura percontatus, cùm inter cætera de Cœlibatu eorum audisset, tandem quæsiuit, an vinum biberent, & carnibus vescerentur? Responderunt, se omni tempore certum vini modulum habere ad vsum : esum verò carnium non nisi ratione necessitatis, aut infirmitatis admittere. Tunc iussit eos indulgentiori custodiæ mancipari, & per duas decemis formæ mulierculas ad eorum ministerium deputatas, solas eis carnes cum potu aquæ ad victum ministrari. Qui carnibus vsi, & aqua madentes, exemplo Beati Iob, fœdus pepigerunt cum oculis suis, vt ne cogitarent quidem de turpitudine ; sed sobrietate comite, solliciti pudicitiæ suæ custodes orationi vacabant.*

7. *Quod vbi comperit Saladinus, carnes, & aquam, piscibus, ac vino iussit mutari. Et quidem si hæc eo animo fecisset, quo à Salomone dictum est* [c] : Date vinum iis, qui amaro sunt animo, bibant, & obliuiscantur egestatis suæ. *benevolè vtique actum fuisset. At insidiabatur callidus, vt simplicitatem arte deluderet, & ex hoc Religioni calumniam contexeret. Vinum ergo sumentes, dum blandientibus mulierculis tristitiam suam paulò indulgentiori hausu lenirent ; illam apostolicam regulam* [d] : Modico vino vtere propter stomachum tuum. *minimè tenuerunt. Nam, quod stomacho fuit, hilaritati minus est. Vbi autem in hilaritate honestatis irrepsit obliuio, Salomonica de vino sententia veritas claruit* [e] : quippe ingressum est blandè : *sed in nouissimo momordit vt coluber : denique inciderunt in fœminas idipsum molientes.*

[c] Prou. 31.

[d] 1. ad Timoth. 5.

[e] Eccli. 19.

8. *Manè digesto vino, & reatu cognito, fleuerunt amarè, & lacrymis madidi producti sunt, iubente molitionis artifice. Quibus ait : Cur solito tristiores estis? Quia, inquiunt, peccauimus grauiter vino absorpti. Et ille : Cùm carnibus, inquit, vescemini, & aquam biberetis, propositum vestrum cautè custodistis. Porrò absque esu carnium, vino madentes, Regulæ vestræ, & propositi prænaricatores inuenti estis. Ex quo apparet, quòd ille vestræ Philosophiæ Author Benedictus minùs sapiens fuerit, esum, scilicet, carnium inhibens, quo animi fœtus nunquam turbatur ; & vini vobis vsum relaxans, quo etiam integerrimæ rationis vigor enervatur, quod tam recenti vestro probatis exemplo. An non ergo prudentior Philosophus noster, & Legislator, qui nobis animi turbatorem vinum prohibuit, & semper innexum carnium esum indulsit?*

9. *Sed vobis est quid expiationis apud vestros, cùm propositum soluitis? Et illi : Pœnitentia, inquiunt, & satisfactio pro arbitrio senioris nostri. Ergo, inquit, non potestis apud nos expiari, redite ad vestros pro ritu vestro expiandi. Dimisitque eos liberè ad propria reuersuros homo inueterata peste imbutus, & ad suggillandum, quod sapere non valebat, argutus.* Hactenus ex Guillelmo Neubricensi ad commendandam cunctis sobrietatem, cuius obliuio in ruinam duobus Monachis ; custodia in præseruationem à culpa fuit. Cæterùm mihi, si dicturus sum, quod sentio, mirandum magis, sobrios, cum solis fœminis agentes, nunquam pollutos ; quàm cecidisse ebrios ; qualiter nec filiabus propriis Lot pepercit : haud tamen ea culpa vini indulti, sed excessus prohibiti ; à quo cunctis Christianis, nedum Monachis, semper abstinendum.

1. Canutus Rex in Ecclesia Bernhen sepultus: 2. & in Cistercio Hugo Burgundiæ Dux, 3. cuius breuiter Acta recensentur. 4. Bruno, abdicato Archiepiscopatu Colonien si, Monachum induit: 5. eiusdem Acta, 6. mors, & sepultura. 7. Virginum Colonien sium apparitio: 8. reuelatio sepulcri, inuentióque: 9. tum iucunda historia nouo miraculo, 10. qua sacra pignora reddidit clariora.

CAPVT IV.

1. ANNO *M.C.XCII.* (ait Martinus Cremanus in sua historia Poloniæ [a]) *Rex Canutus obiit, & sepultus est in Monasterio Bernhen, Ordinis Cistercien sis.* Hæc tantùm ille. Ergo hic annus in Suecia vostris funestus: quippe quibus Canutus percharus fuit: sed nihilominùs illustratus funere regio: atque occasione tependendæ gratiæ, quam multam ei debebant; dum iusta soluerent, dum per suffragia, & preces subuenirent, atque inter lacrymas deuoti parentarent. Hic ille pius Sueciæ Canutus Rex, quem Stephano, quem Ioanni Archipræsulibus, ex Cistercio & Albastra Monasterio, in Vpsalensem Metropolim assumptis, obsequentissimum, diuini cultus promotorem religiosissimum, suis amabilem, hostibus terribilem, atque vtrisque admirandum commemorauimus [b].

[a] lib. 6.

[b] anno 1185. c. 3. n. 2. & 20

Funestauit & nostris præsentem annum Hugonis III. Burgundiæ Ducis mors apud Tyrum extincti, cùm res Orientis, ex Gallis penè solus, post reditum Philippi, promoueret. Corpus eius ad Cistercium delatum est: atque à Guidone, & Fratribus exceptum non sine lacrymis: quippe clarissimi, charissimique Principis; & quem omnes, vt Dominum, sic Patrem; nec minùs ideò amicum Cistercienses præ aliis amplecterentur. Visitur hodiéque sepulcrum eius in eadem Capella, in qua pater, & auus conditi iacent, sub breui, atque modesto nimiùm titulo: HIC IACET DVX HVGO, FILIVS ODES DVCIS BVRGVNDIÆ, QVI OBIIT ANNO M.C.XCII. Vitam, & acta Viri paucis colligit Aubertus Miræus in suo nuper vulgato Chronico Belgico; nec pigebit accurati Authoris verba in gratiam mei Lectoris, atque Hugonis notitiam hûc transcribere.

3. *Hugo*, ait [c], *III. sacræ Capellæ Diuionensis Conditor, in Syriam anno 1171. iuit, teste Guillelmo Tyrio libro 2. & Roberto Montensi: quorum alter Henricum, alter Odonem non rectè nuncupat. Prior illi coniux fuit Alidis, siue Adela, Matthæi primi Lotharingiæ Mosselanæ Ducis filia: ex qua nati Odo, tertius Dux, & Alexander, à quo posteriori stirpem trahunt Domini de Montagio, Couches, Sombernon. Posterior coniux fuit Beatrix, Comitissa de Vrenna, & Albonensis, ex qua natus Andreas Delfinus, Comes Viennensis, & Albonensis, & Matildis, vxor Ioannis Comitis de Chalon. Idem Dux Hugo III, Gauchero, Episcopo Lingonensi, anno 1178. Comitatum Lingonensem dedit, in Syriam secundò profectus, cum Philippo Augusto Francorum Rege, obsidioni Arcensi, anno 1191. interfuit. Obiit Tyri anno 1192. sepultus Cistercij.* Ita Myræus. Hugonem in Ducatu Burgundiæ excepit Odo eius nominis tertius, qui non minori nostros charitate, non minori Cistercium prosequebatur.

[c] ad an. 998.

4. Eodem anno illustrauit cucullam candidam, quam abdicatis infulis suscepit, insignis inter omnes Ecclesiæ Principes, Archiepiscopus Colonien sis, nomine Bruno, Euerhardi Altenæ Comitis filius; longam senectam, & variis morbis fractam feliciùs in Cistercio consummaturus. De eius vltronea abdicatione, tum Monachatu, ex ipsis Chronicis Ecclesiæ Colonien sis, in Magno Chronico Belgico hæc habentur [d]: *Bruno, cùm propter senectutem, & tam corporis, quàm si, ad hûc an. sensus imbecillitatem, ad tantæ Ecclesiæ regimen minus sufficeret; vix vno anno potius Episcopio, conuocatis, omnibus Ecclesiæ suæ Primoribus, atque nobilibus, virga pastorali super Altari Beati Petri posita, Episcoparum resignauit: sicque ad Domum Veteris Montis* (Ordinis Cistercien sis) *se transferens, & in habitu monachali defunctus est*, &c. Hactenus verba Magni illius Chronici.

[d] ad in Colonia Brunone.

5. Acta Brunonis Authores prætermittunt; quippe annui Pontificis, & qui tam senex rerum potitus fuerat. Genus haud dubiè clarum, illustreque, quod tam eius electio, quam mox subiungam, quàm Fridericus, quondam illius frater, & Adolfus ex alio fratre nepos, vterque Colonien sis Archiepiscopus, antecessor, successorque confirmant. Electio non omninò vitio carens; sed in Brunone fortè innoxia fuit. Cùm esset maior Præpositus Ecclesiæ Colonien sis: *Episcoparum adeptus est* (ait idem Chronicon [e]) *anno Domini M.C.XCI. Pontificatus Clementis III. anno quarto. Nam, cùm Lotharius Bonen sis Præpositus canonicè fuisset electus, prodito consilio, sic propinquorum Brunonis* (Virorum potentum) *minis territus est, vt electioni de se factæ in Capitulo renunciaret; statimque Bruno eligitur*, &c. Credidetim electionis vitio cognito, quod antèà ignorauisset, baculum abdicasse, ne per potentiam, & minas subrogatas, quamuis, ipso nesciente, intrusus, quàm electus videri posset. Prouidit tamen sibi successorem, Adolfum nepotem, omnium suffragiis pacificè eligendum: de quo hæc idem Author paulò inferiùs [f]: *Venerabilis Adolfus huius nominis primus, filius Fratris Brunonis antecessoris sui, prius Præpositus maioris Ecclesiæ Colonien sis, assumptus est in Pontificem Colonien sis Ecclesiæ, anno salutis M.C.XCII. qui fuit annus Cœlestini Papæ III. primus*, &c.

[e] vbi supra.

[f] iterum in Coloniensibus.

6. Hactenus, quæ de Brunone cognita nobis ante abdicatas infulas. Cæsarius Heisterbacen sis construxisse Ecclesiam S. Pantaleonis in vrbe Colonien si, ob idque ibidem anniuersarium eius celebrari, de ipso, an de antiquioti alio affirmat. Reliqua, quæ post Monachatum gessit, occulto. Nisi, quòd tamen breui decessisse credendus est homo ætatis prouectæ, si non decrepitæ: quippe qui non solùm corporis, sed sensus imbecillitatem passus commemoratur. Breuem vitam haud obscurè insinuant Chronici verba, quæ Monachatui subiungunt sepulturam. Hanc iuxta Fridericum ipsius fratrem, atque in Archiepiscopatu antecessorem sortitum fuisse, eiusdemmet Historiæ Author affirmat [g]: *Ad Domum, inquit, veteris Montis se transferens, in Habitu monastico defunctus est, & iuxta fratrem suum Fridericum Episcopum sepultus.* Itaque Frater etiam Fridericus in Veteris Montis Domo sepultus fuerat. Paulò aliter Bruschius

[g] vbi supra.

ſelinus de Brunone,& tempus anticipans, quem nos in primo tomo ſequuti ſumus: nec minùs aliter de eo,tempúſque poſtponens,Claudius Robertus(quanuis in Monachatu omnes conueniant) atque Ioannes Tritemius [b]. Sed Chronico tam diſtinctè ſignante annos,nec Chriſti tantum; ſed Summorum Pontificum, ſub quibus,ſiue Bruno, ſiue Adolfus promoti ſunt: id,quod ex Chronicis Eccleſiæ Colonienſis, maior haud dubiè fides habenda venit.

b in Chron. ex.

7. Eiſdem temporibus (neque enim annum certum dicere auſim) in Foleo de Frode Turingiæ Monaſterio, floruiſſe Abbatem lego, multis à Deo illuſtratum reuelationibus. Hic erga ſacras Martyrum Reliquias, præcipuè Colonienſium Virginum,charitate accenſus, & Domum ſuam alicuius, ex eis, corporis theſauro inæſtimabili ditare concipiens animo, cùm multis precibus,tum Deum,tum ipſas Virgines, ſuper tanto fauore ſollicitaſſet, non ſolùm viſitari ab earum vna, ſed à pluribus meruit; nempe, a tribus, atque de earum ſepulcris admoneri per viſum: quæ ſi indagare, & effodere curaret, inuenta corpora aſportare ſecum poſſet, vt diu exoptauiſſet, ſi religioſè à ſuis ſemper colantur, cum ipſis vſque ad finem permanſuta. Inuentionem, tranſlationémque ſacrorum cõrporum, quæ hoc tempus concernunt, plùs, minúſve ex Cæſario, in hoc capite; quippe ex Authore ſynchrono, & qui ipſum Abbatem videre potuit, relationem, ſeu fugam propriùs dicam,aut Virginum diſceſſum, quæ poſt ipſius mortem ſequuta eſt, in tempore dicam, ex vtraque & meritum Abbatis,& ſucceſſoris eius oſcitantiam,ſiue deſidiam,& diuinæ virtutis diſpenſationem in Sanctis ſuis gloriofam,in omnes iuſtam,iucunda ſatis,ſed miranda Hiſtoria propalaturus. Ergo Cæſarius rem totam his verbis narrat [i]:

i lib. 8. Dialog. c. 85.

8. *In Foleo de Frode,Domo Ordinis Ciſtercienſis,quæ in Thuringia ſita eſt, Abbas quidam ante annos paucos defunctus eſt, qui circa Sanctorum Reliquias ſatis extiterat deuotus. Vnde & Dominus huiuſmodi ei viſionem oſtendere dignatus eſt. Nocte quadam in ſomnis Coloniam, in Eccleſiam Sanctarum vndecim millium Virginum, ſe tranſpoſitum vidit, extra eius ſepes, iuxta quendam murum, tria Virginum corpora ſepulta intellexit,quarum nomina ſunt Thomaïs,Cleomaïs,& Chriſtiantia.* Atque hæc omnia per viſum illi oſtenſa. Pergit Author: *Mox Coloniam pergens, & locum reuelatum ex cunctis indiciis cognoſcens Abbatiſſam adiit, viſum expoſuit: & vt ſibi quærere liceret, quas viderat, petiuit, & obtinuit. Offenſus eſt ei quidam nomine Vlricus, cui conſuetudo erat easdem ſacrarum Virginum corpora effodere. Conductus verò ab Abbate, cùm in loco prænominato duos reperiſſet ſarcophagos, & vno aperto, inter oſſa ſacra pectinem pulcherrimum vidiſſet, concupiuit,& tulit,eumque chirotheca ſua incluſum,in ſinum proiecit,a quo cùm impediretur in fodiendo, eum extraxit,ſuper foſſam illum ponens in loco eminenti: ſuperueniens quædam ex ſororibus,tam curioſitate, quàm ſanctitate pectinis delectata,ſecretè tulit,& abiit.* Ita Cæſarius.

9. Ergo dum tertium corpus effodiebatur, ablatum furto pectinem,pio,an ſacrilego,nam & à fœmina inſtrumentum fœminei cultus,perpulchrum & ipſum, ſine vllo etiam prætextu pietatis non abnuam facilè potuiſſe concupiſci. Tum tertio corpore effoſſo, detectóque, cùm veritas præteritæ viſionis, ipſa inuentione ſacrarum exuuiarum, ac ſignis præoſtenſis, quibus quæ inuenerant, per omnia reſpondebant, confirmaretur; Venerabilis Abbas lætus in Domino, à quo, quod tandiu exoptarat, impetrauiſſet, iam reditum ad ſuos cogitabat, ſarcinam dulcem cum gaudio reportaturus: cùm & ecce Deus miraculo miraculo, & priorem viſionem noua alia cumulauit; quæ Virum Dei dum contriſtat, conſolaretur. Quippe hæc ſecunda denuò comprobata nouis experimentis, quæ veritatem non ſolùm viſionum, ſed corporum arguerent: & diſpenſante euentus diuina manu ex affectionum, mortalibus ſimilium, ſimilitudine, ſacra pignora chariora cunctis redderent ex potentia, occultorúmque notitia venerabiliora comprobarent. Nam audi,quod ſequitur: fortè ſupra fidem,ſi non cœleſtis illa prouidentia,creaturarum mentium lineas prætergreſſa,plùs etiam nobis indulgere potuiſſet,imò & conſueuiſſet, quàm nos capere.

10. *Corporibus effoſſis,& in ſcrinio decenter compoſitis, cùm mane Abbas cum eis proficiſci propoſuiſſet, eadem nocte, in forma, & habitu virginali, illi in ſomnis apparentes (ſcilicet, tres Beatæ Virgines) dixerunt: Tecum ire non poſſumus. Quibus cùm reſpondiſſet: Quare, dilectiſſimæ Dominæ? ſubiunxit vna: Quia pectinem meum perdidi, quem mihi mater mea dedit, cùm de patria mea egrederer. Et ille: Quis habet illum, Domina mea? Reſpondit: Quando Vlricus ſepulcrum meum aperuit, & vidiſſet illum, chirotheca ſua impoſuit, cum qua abſcondit illum in ſinu ſuo: quem cùm extractum, ſuper marginem foſſæ poſuiſſet, ſuperueniens quædam Sanctimonialis, Friderindis nomine, furata eſt illum. Manè ad Abbatiſſam venient (ſcilicet, Abbas) ait: Quod eſt nomen hominis, qui Virgines has effodit? reſpondit: Vlricus. & adiecit: Eſt hic aliqua Domina, quæ vocetur Friderindis? Reſpondente ea,Etiam, ſubiecit: Peto,vt vterque vocetur. Quod cùm factum eſſet, ait Vlrico: Quando corpora ſacra effodiſti, pectinem ibi inueniſti: & catera, quæ ſuprà dicta ſunt, adiunxit. Reſpondente illo: Domine,verum eſt. Conuerſus ad Friderindem dixit: Et vos, Domina,tuliſtis illum? Qua confitente, ſubinuulit: Rogo,vt reſtituatis pectinem: quia ſine illo mecum ire renuunt. Quem cùm celeriùs retuliſſet, & ab Abbate in ſcrinio poſitus fuiſſet, ad Monaſterium ſuum illas deuexit, in quo cum multa gloria ſunt ſuſceptæ, & in loco honeſto locatæ, in magna fuerunt veneratione. Sed hoc quandiu vixit Abbas ille, cui ſe reuelauerant.*

11. Hactenus à Cæſario ſcripta Hiſtoria, qua parte hoc tempus concernere videtur omninò læta, atque eò iucundior, quò Beatæ Virgines, velut quæ puellares, cum ætate, retinerent affectus in media gloria, vltrò ſeſe ingerere videntur legentium cordibus: cæterùm quæ poſt aliquot annos ſequuta ſunt, amara, & triſtia; & qua occaſione tandem factum ſit,vt quæ quæſitæ ab illo Sancto Abbate, colendæque è proprio loco,ad noſtrum gaudentes veniſſent; cùm oblitas ſe,inhonoratáſque viderent, nam ſpretas non dicam, ad priorem miraculosè remeauerint; ſuis, & loco, & tempore dicemus. Nunc, ſi quæ alia ſuperſunt huius anni, ſequenti capite paucis aperiamus.

1. *Ferdinandus Aragonius Infans per parentem retardatus à Monachatu.* 2. *Martinúsque Seguntina Sedi renuncians,* 3. *tam ab Alfonso, quàm à Cœlestino, Rege & Pontifice, impetrat missionem.* 4. *in Capitula indictum Festum Petri Tarantasiensis.* 5. *Cautum de Anniuersariorum multitudine,* 6. *& de cuitanda frequentia Sanctimonialium.* 7. *Calatrauensium irruptio in Saracenos.* 8. *Chronologia.* 9. *Dictum de Valle Sancti Bernardi in Frisia,* 10. *& de aliis Monasteriis subobscurè.*

CAPVT V.

1. IN Manuscripto antiquo notatum lego, hoc ipso anno Ferdinandum Aragonium Alfonsi Aragonensis Regis filium, & Petri primi fratrem, de quo plurimus infrà nobis sermo, cùm Regium Monasterium Populetanum, vnà cum patre deuotus visitaret, religione loci, ac Monachorum sanctitate allectum, compunctúmque concepisse monasticum feruorem, quem patri proposuerit, eius, si posset, consensum ad tantum opus, atque benedictionem impetraturus. Assuetum Populetum filiis Regum, quos efficeret Sanctos, vel ex paganis: fidelem se, & fideli parente natum, imò & pio, quantumuis fragilem, non esse, cur desperet gratia Dei adiuuandum, & promouendum. Madere adhuc terram Bernardi sanguine, quem pro Christo effuderit: sibi vt non detur coronari palma Martyrij; at sub iugo obedientiæ secutam viam, & luxuriantis ætatis, potentiæque, quò effraniores motus, eò magis compescendos in votis esse. An dissuaserit Pater, in dubio est: seu charitate in filium, quem natu minimum teneriùs amplecteretur; seu iuueni timeret à leuitate: nec dubitaret annis penè puerilibus vix tantum onus tutò committi posse. Constat, cùm iam iam morti proximus esset, scrupulis, vt credo, adactum præcepisse inter alia, vt Ferdinandus in eodem Monasterio Monachum ageret, & manibus suorum parentaret. Neque quid tale iussisse credendus est Princeps haud dubiè pius, nisi filij propositum nouisset; & sese reum impeditæ conuersionis, vt non verbis, factis ipsis confiteretur. Hæc ex antiquo illo Manuscripto; quæ hunc annum concernunt, his, quæ infra quadriennium dicenda sunt de testamento Alfonsi, & Ferdinandi obedientis Monachatu, viam sternunt.

2. Per idem tempus, ne qui extera pandimus, domestica silentio prætereamus, Seguntinus Episcopus Martinus, pertæsus infulas, & solius quietis, & otij appetens, Hortam sibi in corde, & solum Monachatum, ad quem vocatus esset, in desiderio Alfonso proponit: nam neque hoc sine ipsius consensu aggredi ausus; se iam septennium, à suscepto munere agere, in quo exercendo nihil omisisset, quod vtile putaret: multa, Dei gratia, in melius reformata, in moribus, in vestibus sactis, in ædificiis. Multa præterea Monachis largita, multa pauperibus; sed neque pauca acquisita suæ Ecclesiæ. Nec solùm Seguntinis, quod summè opus; sed vniuersis Clericis prouisum, impetrato rescripto, quo à sæcularium iniuriis, quas plures patiebantur, eriperentur. Se iam exiguum, quem posset facere, fructum, fecisse hactenus; reliqua, quæ restabant peragenda, maiores vires petere, quibus ipse quia careat, libenter cedat: longa senecta, & diuturnis morbis fractum, septennium aliud vix posse superuiuere: nec multum esse, si qui tempus omninò certum, quippe præteritum, alienis curis insumpsit; incertum saltem, & dubium, quia in pendulo, & forsan non futurum, sibi procuret: liceat Racheli dare dubios annos, pro qua iam tanto tempore seruiisset, quandiu septennio Liam amplexus est, quam nunquam amasset, imò quam non nisi inuitus suscepisset. Hæc, & similia Martinus ad Alfonsum; quæ quanuis renitentem perpulère, vt votis annueret; atque Martino, vt non missionem posset, saltem quam poterat, vt peteret missionem, consensum daret.

Richardus Monachus in his, quæ de eius Vita scripsit carminibus hoc anno deposuisse baculum narrat: quippe quem ad sex tantùm, & quatuor menses tenuisse clauum scripsit sequenti Disticho: 3.

Sede Seguntina sex annis ipse sedebat,
Quem Deitas trina bis bino mense volebat.

Quod si verum esset, nequaquam vltrà distulisse secessum posset: quippe electus anno M.C.LXXXV. vt suprà dicebamus [a], nisi septennium prætergressus sit, non potuit pedum vltra prorogare. Sed peruigisse ad annum M.C.XCIV. neque ante ipsum in Hortam secessisse, instrumento producto, demonstrabimus. Quare, vt constet Richardus, credendus est, non de actuali Martini abdicatione impetrata licentia Summi Pontificis; sed de proposita, intentatáque, & quæ, quia ægrè, tam à Rege Alfonso, quàm à Cœlestino Papa concederetur, non potuit non vltra annum prolatare, vt nos etiam in tempore dicemus.

[a] *cap. 3. n. 7.*

Hoc primùm anno, decimooctauo à Sancti Viri morte, in Capitulo generali, Guidone præponente, præceptum est celebrari Festum Sancti Petri Tarantasiensis: & quod mireris, non per totum Ordinem; sed tantùm in Monasterio Bellæ Vallis, vbi sacrum eius corpus conditum manet. Legis latæ in Capitulo hæc sunt verba: *Quarto Idus Septembris in territorio Bisuntinensi, in Monasterio Bellæ Vallis, Sancti Petri Episcopi, & Confess. Officium, sicut in Festo Sancti Malachiæ agatur.* Potrò de hac eadem Festiuitate non multò pòst, tribus succeßiuis Capitulis tria alia decreta prodiêre: alterum de eiusdem Festi translatione post quadriennium, idque ad præceptum Summi Ecclesiæ Præsulis: & duo alia subsequentibus annis, cùm idem Festum iam celebraretur per totum Ordinem, atque omnes Ecclesiæ eius certarent, quænam deuotiùs in Patrem sibi adsciscerent, quæ religiosiùs colerent, quem primum post Bernardum Parentem, Cistercij, & Orbis lumen non dubitabant. 4.

In eodem Capitulo delatum de multitudine anniuersariorum, & Missarum, vt vocant, votiuarum, quæ crescentibus in dies oblationibus, gratitudinis ergò annuæ ab Abbatibus, aut etiam quotidianæ concedebantur; ingentia hæc beneficia, si modò rata; si frequentia, vilescere: non solùm quia abundantia contemptum parit; nec quicquam nisi singulare, & rarum pretiosum creditur: sed, quia crescente ab ipsa multitudine obligationum numero, aut decrescunt, qui soluant, aut non sufficiunt. Huic ergo malo obuiandum Guido decreuit, edita tali lege: *Ne vlli Abbatum liceat de cætero, alicui* 5.

personæ

Digitized b

persona quotidianam, vel annualem Missam concedere, nisi de licentia Capituli Generalis. Verùm, quia aliqui pauperiem causabantur, non nisi ex his eleemosynis supplendam, prouidit item, vtinam imitandum cunctis exemplum: *Vt Visitator, cùm ad aliquam Domum accesserit, inquisitione facta de statu Monasterij, Conuentum ad alias Abbatias emittat, si necessaria non habet. Abbas autem, aut Prior loci, ad quem mittuntur, cum gaudio charitatis eos suscipiat, & eis, sicut & propriis, in omnibus secundum Ordinem honestè prouideat.*

6. Actum & de Monialibus, quas nec relinquere charitas permitteret, neque nimiùm frequentare, à periculo graui esset immune. Huic visum præcaueri sancta lege: *Prohibetur Abbatibus, Monachis, & Conuersis notabiles conuersationes, & priuata conturbernia: similiter equitatio in via cum Abbatissis, & Monialibus sub graui pœna.* Prouisum antè, nec constat, in qua Synodo, ne Monachi, aut Conuersi illis assisterent extracti à Monasteriis. Sed, vt haberent proprios Capellanos, Conuersósque professos vtrosque Ordinem; sed distinctos à nostris, per quos spiritualia, & temporalia, præter annuam, quæ Abbati incumbebat, visitationem, ministrarentur. Visum id conuenientius duplici titulo: tum, vt vtrique in eo instituerentur, ac probarentur, in quo erant mansuri, neque inexperti pericula subirent: tum, ne Claustrales, aut spes laxioris vitæ inquietos redderet, aut vsus desides, aut memoria impatientes disciplinæ; & approbauit experientia factum multis vtrinque Sanctis, etiam ex his, qui Monialibus seruiebant: quod Annales non semel demonstrabunt. De Capellanis multa in sequentibus: sed quæ eos supponunt, non instituunt. Hæc in Capitulo.

7. Quod attinet ad Militias sacras, hoc ipso anno Alfonsus Rex Ferdinandum primogenitum, in Calatrauam primùm, dein Calatrauensi stipatum milite transmisit in Bethicam, nouis incursibus Saracenos oppugnaturum. Ipse sequutus, Calatrauam adiit, exceptura victores, cùm redirent; aut victis, si indigerent opem laturus. Felix illa irruptio Christianis fuit: cedentibus Barbaris, atque Domos, & prædia deserentibus; vastanda hæc; sed illas diripiendas, vt nostri spoliis onusti redire possent. Excepit Rex Alfonsus victorem filium, & Magistrum Militiæ; atque multis vtrunque auxit honoribus. Nec dubitauit, filium adhuc iuuenem, tali stipatum milite, si viueret, in insignes victorias promouendum. Hæc ferè Rades in Historia Calatrauæ [b]. Vbi immaturam eiusdem Principis mortem, patre adhuc superstite, commemorat, Martiti anno M. C. C. X I. post multas à Paganis clades acceptas, antequàm felicissima victoria ad Nauas Tolosæ parta potiri posset.

b cap. 23.

8. Vltima venit Chronologia nascentium Ædium, in qua sex video notatas sequenti ordine.

Anno M. C. XCII. pridie Idus Martij, fundata est Abbatia de Rus.

Eodem anno, Nonis Iunij, Abbatia Sancti Bernardi.

Eodem anno, quarto Idus Augusti, Abbatia de Buch, vel Bunc.

Eodem anno, & eodem die, Abbatia Vallis Sancti Ægidij.

Eodem anno, duodecimo Kalendas Februarij, Abbatia de Valle lucis.

Eodem anno, Abbatia de Godolin. Hactenus ibi. Rus, Henriquez; & alij Rus Regium vocant: alij Auream insulam. In Genesi Ecclesiarum Clarævallensium, filia Esron in Dacia, Diœcesi nulla designata, commemoratur: supplenda tamen ex litteris Alexandri Papæ I V. ad Abbatem, & Conuentum de Rure Regis Cistercien sis Ordinis, Slesvvicensis Diœcesis: datis Neapoli quinto Idus Ianuarij, Pontificatus ipsius anno primo. Ex quibus etiam translatam Domum constat, & nomine mutato simul cum loco, ex Aurea Insula, in Rus Regis transiuisse: sic enim habet [c]: *Quod cùm bona memoriæ Vvaldemarus Slesvvicensis Episcopus quasdam decimas, in quibusdam Parochiis, tunc ad mensam episcopalem spectantibus, vobis existentibus in quodam loco, qui Aurea Insula vulgariter appellatur, liberalitate pia, & prouida contulisset, eandem Monasterio ipso ad locum, in quo nunc est, translata, bona memoriæ Nicolaus Slesvvicensis Episcopus easdem decimas, pro aliis, Monasterio vestro vicinioribus commutauit,* &c. Porrò in litteris eiusdem Nicolai, quas Alexander Papa suis inseruit, de Monachis eiusdem loci dicitur, *quòd de sancta vita, & bona eorum fama odore, tota eorum vicinia repleba-tur.* Ruris Regij, & Abbatis eius Petri, aliorúmque in Historia Danorum frequens mentio, maximè sub Errico, sub quo multa illi indulta priuilegia, quæ tamen breui, vt Cœnobium, permansêre.

c ex Bibliotheca Vaticana.

9. Sancti Bernardi in Frisia Monasterium, Monasterien sis Diœcesis, protulit Clarus Campus, vt habent Tabulæ Ecclesiarum Clarævallensium: primùm, vt credo, Bernardo Patri dicatum, quod Fundatorum haud dubiè deuotioni tribuendum censeo. Abbati eius Vrbanus Papa I V. scribit, & causam delegat, litteris datis apud Vrbem veterem, Kalendis Iulij, Pontificatus ipsius anno tertio. In hoc Cœnobio Emmanuel claruisse dicitur Cremonensis Episcopus, de quo hæc ex Philippo Seguino relata lego [d]: *Emmanuel, ex Monacho Sancti Bernardi de Frisia, Cremonensis Episcopus, vir doctus, & sanctus, multisque miraculis clarus: ita vt Duces, & nobiles, à quibus originem traxit, inuisum eum ad episcopale fastigium adduxerunt. Quo in munere ad bonos conciliandos humanitatem, ad malos coercendos seueritatem adhibens, illis charus, his formidabilis; sed vtrisque venerabilis fuit.* Meminêre Emmanuelis Ioannes Abbas, Missale antiquum, Author Dialogi de prospero, & aduerso statu Ordinis, & ex eis recentiores, apud quos tamen ætatis nulla mentio. Vnde non alibi veniet memorandus. Non desunt, qui eundem Virum Dei, non in Cœnobio Sancti Bernardi Frisiæ; sed Cremonæ floruisse memoriæ prodant: quod tamen Monasterium, quo anno cœperit, neque ipsi tradunt, neque aliunde haurire potui. Video & in Monasterio S. Bernardi, quod est in Frisia, memorari Ricardum, cognomento de Alduert (quo etiam nomine Cœnobium vulgò dicitur) miraculis illustrem, cuius alibi nobis memoria incidit; nulla tamen notitia clariori: quanuis sint multi, qui Virum Sanctis annumerent, quos refert Henriquez in suo Menologio x x x. Decembris.

d in Menol. Febr. 27.

10. Buch, siue Bunc, in Motmundensium Ecclesiarum Genesi lego Filiam Sichen, nulla præfixa Prouincia, Diœcesive: sed ea supplenda ex litteris Gregorij Papæ I X. satis prolixis; datis Perusij, 7. Kalendas Augusti, Pontificatus ipsius anno nono, quarum hic titulus: *Archiepiscopo Salisburgensi, Episcopo Ildesbemensi, & Abbati de Buch, Cistercien sis Ordinis, Misnensis Diœcesis.* Reliqua Monasteria prorsus ignota; nam Vallis Sancti Ægidij, nulla notitia. Vallem Lucis, eandem esse puto, quam anno præcedenti memorauimus. Denique Godolin, siue Godulium, alibi non inuenio: nisi tamen fortasse eadem est cum alia valdè simili, quæ ponitur in linea Clarævallis.

ANNVS CHRISTI M.C.XCIII. — CISTERCII XCVI.

1. Ingenti templo in Cistercio consummato, 2. Guido Robertum Cabilonensem vocat. 3. Consecratio Ecclesiæ, 4. & Syllabus 5. subiectarum Reliquiarum. 6. Vsque ad triginta altaria consecrata, 7. diuersis temporibus, 8. quorum per alphabetum 9. designatorum 10. perseuerat memoria, 11. & plurium, 12. dies, 13. & annus consecrationis: 14. quales reliquæ omnes officinæ, quæ Templo adiacent.

CAPVT I.

1. SEQVITVR annus à Christo Seruatore nonagesimustertius supra millesimum, centesimúmque; à condito Cistercio, sextus, & nonagesimus, quo eiusdem Ecclesiæ consecratio celebrata ibidem ritu solenni, atque inde diffusa per totum Ordinem, nostris in æuum recolenda mansit per annos singulos: quod hodiéque videmus perseuerare. Sacrauerat Cœmeterium ingens Eugenius III. ab anno Christi millesimo centesimo quadragesimo octauo, quo & Generali Cistercij Synodo præfuit, vt tomo præcedenti demonstrauimus. Verùm Ecclesiam (insignis molis opus) à multis annis cœptam, nec consummatam, tempora hæc Guidonis Archimandritæ, atque eius cura, & religio præstolabantur. Igitur consummato ædificio satis magnifico *longitudine*, vt testatur Robertus Claudius [a], *ad centum triginta supra sex passus (præter porticum ad maiorem portam, longam passibus decem) latitudine ad tres & octuaginta; atque altitudine conformi vtrique spatio.* Reliqua omnia decenter sunt disposita. In medio templi, Monachorum Chorus, duplicatis sedilibus, seu stallis; superioribus vsque ad sexaginta; quadraginta inferioribus, hinc, indéque; vltra ea, quæ respiciunt Altare maius. Per circuitum aræ, atque sacella distincta cratibus, quæ templum ipsum simul augent, & ornant. Porrò *Passus*, inquit Robertus Claudius [b], *intelliguntur communes hominis gressus.* Quorum prior in quacunque supputatione; trium pedum: reliqui omnes duorum spatium occupant. Hinc constat longitudo noui templi ad pedes humanos ducentos septuagintatres. Si addas porticum, trecentos, sex tantùm demptis; & latitudo, seruata proportione, ad centum sexagintaseptem producta pedes; ingens profectò fabrica, & in qua nihil aliud notari valeat, nisi quòd deuiet ab antiqua humilitate.

[a] In Gallia Christiana.

[b] vbi suprà.

2. Fabricæ consummatæ ornatus additus, qui ædificiis pro anima esse solet: & conquisita ex toto Orbe Christiano sacra pignora, includenda aræ maximæ: quæ tot, ac tanta congregata sunt, vt vix videantur inuenire potuisse locum in toto ambitu. Tunc vocatus Robertus, Cabilonensis Pontifex, Diœcesanus, Cistercij olim filius, iam tunc Pater, per quem machina illa sanctificata, in Domum Dei transiret, & portam Cœli: & vocati cum illo plures Abbates, qui sactis assisterent, atque Dei habitantis inter mortales, cœlestem ex tunc aulam, votis communibus (vtinam vsque in finem mansuram!) auspicarentur. Festiuus ille dies Cistercio fuit, & meritò inter fastos illius commemorandus. Verùm, quia scripto mandatus ab antiquis, vnà cum Reliquiarum sacrarum Syllabo, quas maior ara includit, numero, & qualitate supra consuetum; verbis, quæ in Tabulario Cistercij notata sunt, meritò censui hîc fore describenda [c]:

[c] ex Tabulario Cisterc.

3. *Anno ab Incarnatione Domini M.C.XCIII. decimosexto Kalendas Nouembris, à Reuerendo Patre Domino Roberto Cabilonensi Episcopo, dedicata est Ecclesia Sancta Maria Cistercij, cuius magnum Altare consecratum est in honorem Dei, ac Beatissimæ Genitricis eius semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, in quo Reliquiæ istæ habentur: videlicet, De ligno Domini: de Sepulcro Domini: de lapide, super quem natus est Christus: de vestimento Domini purpureo: de loco, in quo transfiguratus est Dominus: de cunabulo Domini Iesu Christi: de ligno, ad quod ligatus est Dominus, dum flagellaretur: de panno, vbi Corpus Domini inuolutum est, quod fuit miraculosè sanguinolentum factum: de columna marmorea, ad quam ligatus fuit Dominus: de loco Ascensionis Domini: de baculo Christi: de loco Caluariæ: de velo, & vestimento Beatæ Virginis Mariæ: de oleo, quod fluxit de mammillis imaginis eius: de pretioso lacte ipsius: de Sepulcro eius: de ligno, de quo comedit fructum Sancta Maria.*

4. *Item, Reliquiæ Sanctorum Apostolorum, Petri, & Pauli: de infula Sancti Petri, & Andreæ Apostoli: de capite Sancti Iacobi fratris Domini: Matthæi Apostoli: de manna sepulcri Sancti Ioannis Euangelistæ: Marci Euangelistæ: Lucæ Euangelistæ: de Arca fœderis: Samuelis Prophetæ: de ligno præsepis Bethlehem: Sanctorum Innocentium: Vincentij Martyris, & de fudario eius: Mauritij Martyris: Laurentij Martyris, & de carbonibus eius: Hippolyti Martyris, Dionysij, Rustici, & Eleutherij, Quintini, & Cassiani, Ranulphi, & de proprio corpore eius. Georgij Martyris, Saturnini Martyris, Marci, & Marcelliani Martyrum: Prothi, & Hyacinthi: Quintini Episcopi, & Martyris: Emissij Martyris, Sixti Papæ, Marci Papæ, Fabiani Papæ, Vitalis Martyris, Bonifacij Martyris, & de sanguine eiusdem: Clementis Papæ: Damasi, & Tiburtij Martyrum: de cuculla staminea, superpelliceo, & cilicio Sancti Thomæ, Cantuariensis Archiepiscopi, & Martyris: & de panno sanguine eius tincto: Saluij Martyris: Theoduli pueri, & glorioси Martyris: Catalani Episcopi, & Martyris: Sebastiani Martyris, Irenæi, & Sociorum eius: Galgani Martyris: Sancti Leonardi, Bedoris, & Marcelli Martyrum. Sanctorum Quadraginta Martyrum. Reliquiæ Sanctorum abstractæ de sub Altare Sancti Stephani Papæ apud Sanctum Sebastianum in Catacumba.*

5. *De Lapide Sancti Stephani. De Sancto Isaac: de fudario Sancti Albani, Protomartyris Anglorum: de capite Sancti Largij: de vestimentis Sancti Magni, Episcopi, & Martyris: de Socio Sancti Limphibati.*

Reliquiæ

Reliquiæ Sanctorum Confessorum Syluestri, Germani, & Melancij, Gregorij Papæ, Martini Episcopi, Nicolai Episcopi, & de Lapide, cuius pulueren cum pane edebat: Hilarij Confessoris: Rhemigij, & Hilarij Confessorum: Iuliani: Malachiæ, Episcopi; & de baculo eius: Maximi Episcopi: Felicis Episcopi Treuerensis, Ioannis Episcopi, qui fuit de sociis Sancti Caroli Magni: Mauruli, & Firmini Confessorum: Sanctæ Tetradiæ, Donati, Seueri, & Theodomiri Confessorum: Gautherij Episcopi: Rusticij Episcopi: De sepulcro Sancti Patritij, & de rupe lecti eius: Sancti Bernardi Abbatis, & de subucula eius: Abundi, Lusoris, & Alexij, Confessorum: Cæciliæ Virginis: Agnetis Virginis: Ruphinæ Virginis: Iulitæ Virginis: Barbaræ Virginis: Genouefæ Virginis: Gaudentiæ Virginis: Aureæ Virginis: Lucinæ discipulæ Apostolorum: Sanctæ Helenæ Matris Constantini Imperatoris: Sanctæ Serapiæ: Sanctæ Faustæ Virginis: Sanctæ Restitutæ: Florentiæ vxoris Sancti Tetradij: Eugeniæ Virginis: Sanctæ Iustinæ Martyris: Sanctæ Nathaliæ Martyris: Sanctæ Paulinæ Virginis: Sanctæ Pelagiæ Martyris: Sanctæ Nymphæ: Sanctæ Exsuperiæ Virginis. De capite Sanctæ Verasiæ: de capite Beatæ Vrsulæ Virginis: de Beatæ Monicæ, Matris Diui Augustini, Episcopi: de capillis Sanctæ Eulaliæ Virginis: de vestimine Sanctæ Gertrudis, & aliorum plurimorum Sanctorum, quorum nomina Deus nouit. Hactenus Syllabus sacratum Reliquiarum, quæ aram maximam templi consecrarunt: plurium profectò, quàm vt credi facile possent, si non authenticis, & antiquis testimoniis comprobarentur; quanuis quòd duæ columnæ distinguantur, altera lignea, altera marmorea, ad quas Christus ligatus sit, nescio, an antiquis consonet, aut aliunde probari facile possit.

6. Cæterùm, quia Ecclesiæ dimensiones, consecrationémque hoc anno celebratam semel tradidimus, non abs re erit, si Altaria etiam sacrata, diuerso licèt tempore, quæ vsque ad nouem, & viginti in ea cernuntur, & reliqui ædificij omnes mansiones: alterum ex Tabulis eiusdem Domus, alterum ex Roberto Claudio hic inseramus. Et quidem de minoribus aris, per sacella, & Ecclesiam distributis, extat Tabella ordine alphabetico singulorum consecrationes continens: nonnullas antiquiores, vt constabit: nempe, à Agaufredo Soritano Episcopo factas; cæteras recentiores; plures per Ioannem; quasdam per Iacobum Abbates, & per Thomam Episcopum hoc ordine. Altaria eisdem litteris notantur apud Cistercium; quanuis non exprimatur, quo quæque situ. Titulus, seu inscriptio Tabulæ talis.

In hac subsequenti Tabula continentur Altaria huius sacratissimæ Ecclesiæ, in qua nomina, & Reliquiæ scripta habentur Sanctorum, quorum memoriæ Altaria sunt consecrata.

7. A *Vigesimoquarto Maij, anno Domini M.CCCC.XCI. consecratum fuit hoc Altare per Reuerendissimum Dominum Ioannem, huius Monasterij Abbatem, in sacra Pagina Professorem, in honorem Sancti Michaelis Archangeli, omniúmque Sanctorum: & Sanctorum Ioannis, & Pauli Martyrum, Sancti Hippolyti Martyris, Irenæi, Sociorúmque eius, & Sanctæ Agnetis Virginis, Fontini Episcopi, & Martyris, quorum Reliquiæ hic habentur.*

B *Altare hoc consecratum est in honore Sanctorum Confessorum Nicolai, Ambrosij, Gregorij, Augustini, Hieronymi, Ægidij Abbatis, Adriani Martyris, Gerualij, & Protbasij Martyrum, Sanctorum Agracij, & Brenij Senonensium Episcoporum, ac Feliculæ Virginis, & Martyris.*

C *Altare hoc consecratum fuit, anno Domini M.CCCC.XCIX. per Reuerendissimum Dominum Ioannem, huius Monasterij Abbatem, in sacra Pagina Professorem, in honorem Sancti Vincentij Martyris, & Sanctorum Columbani, & Mauri Abbatum, ac Pauli primi Eremitæ, & aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, & Confessorum, atque Virginum, quorum sacræ Reliquiæ hic habentur.*

D *Tertia Augusti, anno Domini M.CCCC.XCVII. hoc Altare consecratum fuit, per Reuerendissimum Dominum Ioannem, &c. in honorem Sancti Stephani Protomartyris, & Sancti Mauritij, Sociorúmque eius, Stephani Papæ, & Martyris, Agapiti Martyris, & aliorum, &c.*

E *Anno Domini M.C.LXXVIII. in honorem Sancti Matthæi Apostoli, Lucæ Euangelistæ, & Marci,* 8. *decimosexto Kalendas Octobris, a Domino Gaufrido, Episcopo de Sardina, quondam Monacho Clarauallis, consecratum est hoc Altare, in quo sunt Reliquiæ Sanctorum Thebæorum, & Maurorum, & Sancti Irenæi, seu Sociorum eius: Ebuberti Episcopi: de præsepio Domini: de puluere, vbi crucifixus est, & loco, in quo transfiguratus est Dominus: de lapide Sepulcri Domini reuoluto.*

F *Vigesimasexta die Nouembris, anno Domini M.DVII. consecratum fuit hoc Altare per Reuerendissimum Dominum Iacobum, huius Monasterij Abbatem, in sacra Pagina Professorem, in honorem Apostolorum Thomæ, Matthiæ, Barnabæ, & Sanctorum Martyrum Nazarij, Celsi, Leodegarij Episcopi, & Martyris, & Sancti Eugenij Episcopi, & aliorum, &c.*

G *Vigesimaoctaua die Maij, an. Domini M.CCCC.XCI. consecratum fuit hoc Altare per Reuerendissimum Dominum Ioannem, &c. in honorem Sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi, & Sanctorum Irenæi, Sociorúmque eius, Victoris Martyris, & Sociorum, & Germani Parisiensis Episcopi, & aliorum.*

H *Tertia Iunij, anno M.CCCC.XCI. consecratum fuit hoc Altare per Reuerendissimum Dominum Ioannem, &c. in honorem Sanctorum Apostolorum Andreæ, & Bartholomæi, Damasi Papæ, Eligij Episcopi, Chrysanthi, Mauri, & Darij, & Barbaræ Virginis, & aliorum.*

I *Altare hoc consecratum fuit per Reuerendissimum* 9. *Dominum Ioannem, huius Monasterij Abbatem, &c. in honorem Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Martialis Episcopi, Leonis Papæ, Petronillæ Virginis, & aliorum.*

K *Altare hoc consecratum fuit per Reuerendissimum Dominum Ioannem, huius Monasterij Abbatem, &c. decima Iunij, anno M.CCCC.XCII. in honorem Sanctorum Apostolorum Ioannis, & Iacobi Fratrum, Sancti Satyri, Sancti Dacij Episcopi, Sanctarum Gordiani, & Epimachi Martyrum, Felicis Episcopi, & Martyris, & aliorum, &c.*

L *Anno Domini M.CCCC.XCI. consecratum fuit hoc Altare per Reuerendissimum Dominum Ioannem, huius Monasterij Abbatem, &c. in honorem Sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ, & Sanctorum Crispini, & Crispiniani Martyrum, Theodori Martyris, & Sanctæ Perpetuæ Virginis, & aliorum.*

M *Altare hoc, &c. in honorem Sancti Laurentij Leuitæ, & Martyris, in quo quidem Altari habentur de carbonibus eiusdem: item, de sudario Sancti Vincentij Martyris, & dens Sancti Mauricij: & de Reliquiis Sancti Quintini Martyris, & aliorum.*

10. N *Altare hoc consecratum fuit in honorem Sancti Ioannis Baptistæ, Thomæ Episcopi, & Martyris, Sancti Bernardi, Sanctorum Ioannis, & Pauli Martyrum, & Marci, & Marcelliani, Martyrum, & aliorum.*

O *Altare hoc consecratum fuit die decimaquinta Maij, anno M.CCCC.XCIV. per Reverendissimum Dominum Ioannem, &c. in honorem Sanctorum Martini, Juliani, & Bricy Episcoporum, & quatuor Coronatorum, & Menna Martyris, & aliorum.*

P *Vigesimaoctava Octobris, anno M.CCCC.XCVIII. consecratum fuit hoc Altare per Reverendissimum Dominum Ioannem, &c. in honorem Sanctorum Benedicti Abbatis, Sequani Abbatis, Thomæ, Dominici, & Francisci Confessorum, Callixti Papæ, & Martyris, Aniani Episcopi, & aliorum.*

Q *Vigesimaoctava Maij, anno M.CCCC.XCI. consecratum fuit Altare hoc per Reverendissimum Dominum Ioannem, &c. in honorem sanctæ Mariæ Magdalenæ, Sanctæ Agathæ Virginis, Priscæ, Emerentianæ, Sotheris, Scholasticæ, & Petronianæ Virginum, & aliorum, &c.*

11. R *Decima Iunij, anno Domini M.CCCC.XCI. hoc Altare fuit consecratum per Reverendissimum Dominum Ioannem, &c. in honorem Sancti Thomæ Apostoli, Pancratij Martyris, ac omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, quorum Reliquiæ sub sigillo habentur.*

S *Altare hoc consecratum fuit in honorem Sanctarum Catharinæ, Christinæ, Euphemiæ, Elizabethæ, Iulianæ, & Genouefæ, Virginum, & aliorum.*

T *Anno Domini M.CCCC.XCVIII. die vigesimanona Octobris, consecratum fuit hoc Altare per Reverendum Dominum Ioannem, in honorem Sanctorum Martyrum, specialiter Benigni, Blasij, Agricolæ, & Vitalis, Abdon, & Senen, & septem fratrum, Tiburtij, & omnium Sanctorum, quorum Reliquiæ sub sigillo habentur.*

V *Altare hoc consecratum fuit in honorem Sanctorum Confessorum Petri, Malachiæ, Guillelmi Episcoporum, Sebastiani, Damasi, Marini, Quirini, & Tiburtij Martyrum, Aniani, & Sulpitij Episcoporum, Abdon, & Senen Martyrum, & Sanctæ Petronillæ Virginis, & aliorum.*

12. X *Anno Domini M.D.IV. mense Iunio consecratum fuit hoc Altare per Reverendissimum Dominum Iacobum, huius Monasterij Abbatem, in sacra Pagina Professorem, in honorem Solemnitatum Gloriosæ Virginis Mariæ: item, in honorem Sanctæ Crucis, & Sanctorum Alexandri, & Euentij Martyrum: Sanctæ Annæ, Matris Virginis gloriosæ, & Sanctæ Elizabeth, & aliorum quorundam Sanctorum, quorum Reliquiæ hic habentur.*

Y *Mense Iunio, anno M.D.IV. consecratum fuit Altare hoc per Reverendum Dominum Iacobum, &c. in honorem Sancti Theobaldi Confessoris, Margaritæ Virginis, & Martyris, Christophori, Simplicij Episcopi, & Confessoris, Apollinaris Episcopi, & Martyris, & aliorum.*

Z *Altare hoc consecratum fuit in honorem Sancti Roberti Abbatis, Sylvestri Papæ, Clementis Papæ, & Martyris, Sanctorum Confessorum, & Episcoporum Bedasti, & Amandi, & aliorum.*

Aa *Altare hoc consecratum fuit in honorem Sancti Georgij Martyris, Vitalis, & Viti Martyrum, Nicomedis Presbyteri, & Martyris: Sanctorum Cyriaci, & Iulitæ Martyrum, & aliorum.*

Bb *Anno Domini M.CCCC.LXXII. die trigesima Nouembris consecratum fuit hoc Altare in honorem Sanctorum Thaddæi Apostoli, & Nazary Martyris, ac omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, quorum Reliquiæ sub sigillo continentur.* 13.

Cc *Altare hoc consecratum fuit in honorem Beatorum Petri Apostoli, Antonij Confessoris, ac omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, quorum Reliquiæ sub sigillo continentur.*

Dd *Altare hoc consecratum fuit in honorem Beatorum Sebastiani Martyris, & Barbaræ Virginis, & Martyris, ac omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, &c.*

Ee *Anno Domini M.D.L. sexto die Septembris consecratum fuit hoc Altare per Reuerendum Dominum Thomam, Episcopum Tripolitanum, Argentinensis, & Basiliensis Suffraganeum, Ordinis Cistercienſis, in honorem Sanctorum Lamberti, Ludouici Regis Francorum, Sancti Thomæ, Episcopi, & Martyris, Sancti Ioannis Confessoris, & aliorum, &c.*

Ff *Altare hoc consecratum fuit in honorem Sanctarum Virginum undecim millium, de quarum sancto Collegio habentur corpora sanctarum Virginum, Palladiæ, & Sanctæ.*

Hactenus Tabella, quam nefas me commisisse putarem, si præterirem.

Verùm, quod attinet ad reliqui ædificij, officinarúmque templo adiacentium spatium, & dimensiones, quia non alibi à nobis datæ sunt, hæc ex Claudio Roberto accipiat Lector: *Refectorium longum passus LXII. hoc est, pedes C.XXV. latum XXVIII. hoc est, pedes LVII. Capitulum in quadro, passus XXX. pedes LXI. Claustrum maius longum passus LXX. pedes CXL. latum VIII. hoc est, pedes XVII. Vetus Infirmaria longa passus XCII. pedes C.LXXXV. lata XXX. passus, seu pedes LXI. Dormitorium longum passus XC. latum XXV. hoc est, pedum C.LXXXI. longitudinis, latitudinis vnius, & quinquaginta. Demum Bibliotheca ad quadragina passus in longitudinem pedes LXXXI. protensa est, in latitudinem passus XXI. pedes XLIII.* Ita de Magno illo Archicœnobio, atque eius officinis Robertus Claudius, quæ, vel ab exteris curiosiùs adnotata indignum foret à domesticis omitti: iam huius anni cœnus prosequamur. 14.

1. Henricus iuxta Ioachimi vaticinium, Trinacriam occupat. 2. Patrem suum eximiè veneratur, 3. & priuilegiis, 4. atque annuo reditu donat eius Cœnobium: 5. notata quædam: 6. & dictum de Ioachimo, 7. eiúsque apud Imperatricem Constantiam authoritate. 8. Actum de libertate Richardi Regis per Abbatem Heliam: 9. & quid Richardus de pactis matri scripserit.

CAPVT II.

1. TANCREDVS Rex, Tyrannúsve Siciliæ (nam quis alterum audeat affirmare) simul & filius eius per mortem rapti (quæ humanæ vitæ incertitudo est) Prophetiæ Ioachimi viam aperuêre, Henricúmque Imperatorem reuocarunt, sine sanguine Regno potiturum. Atque, ô vtinam etiam sine crimine! sed primum illud prædictum à Ioachimo; non hoc secundum: de his hæc habet Fossæ nouæ Chronicon, ex quo sumpsit Baronius ad hunc annum [a]: *Henricus Imperator, audita morte Tancredi, eiúsque filij, in Sicilia regnantium, exercitu, classéque parata in Campaniam venit; Salernum expugnat, dirámque de ciuibus vindictam sumit; qui captam Constantiam Augustam miserant ad Tancredum, receptíque Apulis, atque Calabris in fidem, Messanam se contulit, vbi promissionibus allectis Siculis, eosdem in deditionem accepit; pactíque denuntiis Reginam matrem* (scilicet, Tancredi viduam) *cum puero, atque puellis redegit in suam potestatem, quos periurus idem Imperator Henricus vinculis alligauit, puerúmque excæcauit; puellas verò duas sorores custodiri mandauit vnà cum matre.* Ita Baronius ex Chronico Fossæ nouæ, vbi & hæc omnia hoc anno contigisse Author affirmat.

[a] in princip.

2. Porrò quàm memor vaticinij Henricus fuerit, quámque se Vati suo gratum ostenderit, & sanctitatis illius veneratorem, Iacobus Græcus (haud dubium, ex antiquis desumens) his verbis notat [b]: *Post trium curricula annorum, sermonem, quem Venerabilis Abbas Imperatori prædixerat, impleri contigit. Henricus siquidem ille, qui suorum, ac Regni in tanta tribulatione secesserat, stipato milite innumero, in eius aspectu, cunctis silentibus, ad promissam sibi Regnum equitauit. In grauí ergo magnitudine in Calabriam triumphator ingrediens, Venerabilem Patrem gressibus obuiis occurrentem, inspexit, præ cunctis sanè à longè cognitum, & inuicem indicatum in veneratione plurima salutauerunt. Imperator verò ipse veneranda, atque arridens salutanti, ait: Hic est Abbas Ioachim; qui præterita dudum sic aduersantia, fore tam prospera, vt cernimus, prophetauit.* Hactenus ille.

[b] fol. 30.

3. Hinc multa gratia Ioachimi apud Henricum, atque totius Florensis Congregationis; annuis eidem redditibus concessis, de quibus idem Author sic pergit scribere [c]: *De cætero Henricus Ioachim ex plurima veneratione reuoluit: vt etiam diem natalis eius Stanzaram Theutonicè dictum, venerabilem haberet; atque cum eo perpetua fuit, & familiaritate deuinctus, & deuotione detentus. Ex quo facies Principum venerabantur eum, & sicut Ioachim magnificatus in conspectu Regum, qui in tempore iracundiæ fuerat effectus reconciliatio; ita locus Floris, omnibus Domus refugij. Et in die malorum confugientibus ad eum præcelsis euasserat.* Nam Henricus ea, qua in virum Dei necessitudine ferebatur, innumeras gratiarum facultates Ordini Florensi in illius gratiam indulsit, ex quibus vnam in cæterarum testimonium, velut quia nunc Cœnobium Florense illius fruitione gaudet, & inspectione munitur, apponere ductum est æquum, vt huiusmodi sub forma conspicitur [d]:

[c] ibid.

[d] vbi supra.

4. *Henricus VI. diuina fauente gratia, Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ.*

Imperialis munificentia dignitatis illis præcipuè consueuit manum semper extendere largitatem, qui diuinis obsequiis insistentes, sub sanctæ Religionis habitu proposuerunt Domino militare. Eapropter vniuersis nostris fidelibus, tam præsentibus, quàm futuris, præsens scriptum cernentibus innotescat, quòd nos attendentes honestatem, & Religionem Fratris Ioachim, Venerabilis Abbatis Sancti Ioannis de Flore, dilecti nostri, constituimus perpetuò pro redemptione animæ nostræ Monasterio eius quinquaginta aureos Byzantinos, de redditibus Saline de Nbeto, quæ est in territorio Sanctæ Seuerinæ prope Monasterium de Calabro e Maria, in festiuitate Sancti Ioannis Baptistæ annis singulis persoluendos. Statuemus, vt nulla omninò persona ecclesiastica, vel secularis, alta, vel humilis, hanc nostræ paginam concessionis audeat infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis tamen hoc attentare præsumpserit, iram, & indignationem nostri culminis incurrat, & in pœnam transgressionis quinquaginta auri compenset medietatem fisco nostro, & reliquam iniuriam passo: nihilominus concessione, & donatione nostra firma & integra permanente. Ad huius autem nostræ donationis memoriam, & stabile firmamentum, præsens scriptum scribi præcepimus: & nostri sigilli munimine roborari. Datum apud Sanctum Marcum, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimoquinto, pridie Nonas Martij, decimatertie indictionis.

4.

5. Hactenus priuilegium Monasterio Florensi satis vtile; sed longè honorificentius eius Abbati, ob cùius sanctitatem (absque vllo alio motiuo designato) collatum dicitur. Porrò ex eodem etiam perspicuum est, intra hoc biennium adauctum tertium Cœnobium, de Calabro Mariæ, quod suprà inter Florenses numerauimus, vt credam facilè, quæ septem agnoscuntur Florensi subdita, atque obseruantia speciales Ioachimi leges, ipso adhuc viuente cuncta exorta: quippe produxit vitam per plures annos: neque multiplicata post eius mortem occulto Dei iudicio, seu forsan nota in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. libris Ioachimi inusta, de quo infrà; quæ vt à persona prorsus abstinuerit. Itémque ab instituta per eum Congregatione, haud tamen potuit dubios alios animos parumper euertere, atque ad tutiora magis inclinare. Quin indiguerunt defendi ab ipso Pontifice, vt suo loco latiùs differemus. At, quantæ authoritatis apud Henricum, atque eius vxorem Constantiam per hoc tempus fuerit Ioachimus, quámque se venerandum vtrique dederit, clariùs adhuc docebunt hæc, quæ sequuntur:

6. *Quoniam Panormum, Trinacriæ vrbem celeberrimam, Virum Dei Ioachim deuenire contigit; dum sè*

in Cœnobio Sancti Spiritus Cisterciensis Ordinis contineret, quando fama eius totum peragrauerat Orbem, Constantia Imperatrici non ignotus mandante ea, feria sexta in Parasceue, ad Imperiale Palatium debita veneratione vocatur. Imperatrix siquidem tanti Viri erat cupiens præsentia teneri, & sanctæ eius conuersationis, ac doctrinæ, mutuaq; allocutionis conuersatione lætari: in Oratorium ingressa, tanto in valescentis auersionis causam expostulauit; & accepit, quòd eidem peccata sua confiteri decreuerat. Audiens ille, & eam sublimi throno residentem, sibique humiliori loco sedem adductam intuens, Ecclesiæ auctoritati, & eiusmodi actus iudicialis sententiæ prospiciens, ea, quæ erat ligandi, atque soluendi auctoritate præditus, ait: Cum tu Magdalena, & ego Christi Domini simus vicem gesturi, descendens, vt debes, confessionem facias: aliàs, vt debeo, te meritò non intelligam. Quæ, sicut erat ab ineunte ætate deuota, tanti Viri, & veritatis maiestate concepta, secundum verbum Ioachim, sese in omnibus gratanter aptauit. Interea mirati sunt vniuersi, videntes, qualiter Ioachim, Ambrosij instar, tantæ Maiestatis culmen humiliauit. Cæterùm Constantia seruum Dei ita obseruatione colebat, vt audito eo, multa faceret: qui autem adfuerant benedicentes laudabant Dominum, qui dedit talem potestatem hominibus, vt serui eius loquentes de testimoniis fidei in conspectu Regum, non confunderentur.

7. Hactenus ibi, quibus constantiam, atque authoritatem Viri facilè videas: sed & hinc etiam coniectari licet, Ioachimum, etsi à nostris iam exemptum, nequaquam eos infensos, aut ipsum auersantes expertum esse: quippe apud quos Panormi hospitabatur. Si desciuisset, ardore perfectionis, non resistentes; si inquietudinis, nolentes retinere, à quo & ipsi possent inquietari. Meminerant, quæ passi à Cluniacensibus primi Cistercij Patres, & quæ suis illata noluissent, facere ipsi aliis recusabant: meritò reuerendis, si melioribus; si deterioribus, vel vltrò à se abdicandis. Nil sibi gratius vnquam, quàm indultum, quo sibi Ioachimum, Florensesque, se his scrupulis, dubiisve subductos gratulabantur. Sed ad alios euentus præsentis anni.

8. Henrico vendicante Siciliæ Regnum, in vinculis Richardus, & Eleonora mater in animi angustiis detinebantur. Ergo hæc pro eius redemptione laborans sub hoc anno, (nanque sub finem præcedentis captus, quicquid dicat Baronius, initio subsequentis dimittendus,) Cœlestinum per litteras, per nuncios, nunc virili constantia, nunc muliebri impatientia sollicitabat; exprimente affectus Petro Blesensi, qui marito à secretis, quandiu vixit, fidus interpres erat oris, & animi. Extant apud Baronium tres epistolæ nunc liberæ, nunc supplices, quibus nimiam, vt sibi videbatur, remissionem Pontificis in causa Regis, vehementiùs vrgebat, dum in aliis, quæ minoris momenti essent, legationum frequentiam obiectabat. Cæterùm, cùm & ipsa apud Pontificem, & Pontifex apud Imperatorem, Ducémque, multa contra Richardum allegantes, minùs proficerent; neque vtriusque querelis satisfaciendis res, nisi argento petagenda speraretur: tum demum Heliam Dunensem ad se vocauit, qui cum Duce componeret, quandiu Imperator in Italia demorabatur. Adeò autem illum benevolum inuenit, & quod mireris, quia rarius inter Principes, adeò imperatoriè potentem in hac causa, vt non seriùs pactionibus subscripserit, quàm ex Italia venerit, neque iniquis Richardo, (si forte credi potest captiuo Regi;) quippe qui ad matrem, & Primates Regni scripserit[f]. [f] *apud Baron. hoc an.*

Sciatis pro certo, quod si in Anglia in libera potestate nostra essemus constituti, tantam, vel maiorem pecuniam Domino Imperatori daremus, quam modò damus pro pactionibus constituendis, quas per Dei gratiam confecturi sumus. Etsi etiam pecuniam non præmanibus haberemus, proprium corpus nostrum Imperatori traderemus, donec pecunia solueretur, antequàm quod factum est, relinqueretur imperfectum. Ita Richardus ad Eleonoram matrem, & Iustitiarias Regni: vt palàm fiat, vel honesto aliquo titulo coloratas pactiones, quæ sic Richardo meruerunt commendari. Quanuis non negem, longum discrimen esse pretium inter soluendum à Rege libero, aut à captiuo pactum; & libertati amissæ, nullum satis, supra possessam, quodcunque reputari. 9.

Hoc ipso anno Philippus Franciæ Rex Indelburgam, Danorum Regis filiam, breuis futurum temporis vxorem, duxit solemniter in vrbe Ambianorum, Petro Atrebatensi primo inter Episcopos, post Guillelmum Rhemorum Archipræsulem, assistente sacris, de quibus hæc Meyerus in Annalibus[g]: *Philippus item Rex iteranit matrimonium cum Ingelburba, Danorum Regis filia, in vrbe Ambianorum, in pernigilio Assumptionis Beatæ Mariæ, eáque postridie coronata est, astantibus Guillelmo Rhemorum, Petro Atrebatensium, Ioanne Cameracensium, Theobaldo Ambianorum, Lamberto Morinorum, ac Stephano Tornacensium Episcopis.* Dixi autem vxorem breui temporis: quia *eandem Ingelburgam non multò post, falsa iurata cognatione repudiauit, ac Mariam Moraviensem superinduxit.* Ita Ferreolus Locrius ad hunc annum. 10. [g] *lib. 7.*

---

1. *B. Bertrami initia, & tentationes.* 2. *Visio mirabilis de Familia Cisterciensi,* 3. *& de videntis prædestinatione,* 4 *repetita à Cæsario.* 5. *De Assumptione Virginis,* 6. *quam egregiè colebat, reuelatio,* 7. *patentibus confirmata miraculis;* 8. *obseruata nonnulla.* 9. *Actum de Viro, & eius sanctitate:* 10. *& ostensa vtcunque ratio temporis.*

CAPVT III.

1. FLOREBAT per hoc tempus in Italia insignis meritis, & clarus reuelationibus B. Bertramus (Bertrandum alij dicunt) incertæ hactenus nobis Domus Monachus: nam Cæsarius, qui Virum Sanctum memorat, siue longa locorum intercapedine, siue linguarum, & vocum differentia, quæcunque fuerit, corruptè illam appellat, Carixtum vocans, cùm vix vlla Ecclesiarum, quæ in Italia, nedum in Lombardia, ex eo nomine valeat designari. *In Longobardia,* ait[a], *in quadam Domo Ordinis nostri, quæ Carixtus dicitur, ante paucos annos Monachus quidam exitit, nomine Bertramus,* &c. Fortè Carixtum pro Carreto, aut Cerreto posuit, siue post ipsum amanuenses corrupêre. In quacunque fuerit Vir enimuè [a] *lib. 7. Dial. c. 18.*

miè Sanctus hæc tempora concernens,hoc venit nobis anno propalandus. De patria eius, & parentibus non constat, nisi quòd clarus genere, & lautè, ac delicatè nutritus fuit. Nam, *In principio*, ait, *conuersionis suæ,vt audiui, de cibis regularibus plurimùm tentabatur,sicut vir nobilis,& delicatus.* Ergo ex prosapia illustri genus trahens, cùm Monachum induisset, hac præ aliis tentationibus probatus est. Cui tamen non cessit, quantumuis graui,sciens nullum tentari vltrà quàm possit, quin posse ex tentatione ipsa proficere. Quare, ne hoc profectu defraudaretur, omnia ad Abbatem retulit,à quo se dirigendum non dubitabat. Igitur,*cùm dixisset Abbati*, (pergit Cæsarius) *intelligens ille ex mundicia conscientiæ eius,Spiritum Sanctum esse in eo,respondit: Roga Deum, quod vis,& non negabit tibi.Orauit ille,& exauditus est. Ab illo tempore,in tantum delectabatur cibis regularibus, vt de licentia maioris abstinentia Abbati foret importunus.* Hoc,primum signum, si ita fari licet,Venerabilis Bertrami,nullis,vt credo,aliis posthabendum. Quippe obedire bruta .Viris Sanctis pro miraculo est; quidni si obediat appetitus irrationalis? Et illa quidem præter naturam parent,hic contra propriam suam inclinationem. Sed iam maiora alia de viro Dei,& Cistercio,absque dubio glorioſiora ex eodem Authore proferamus.

2. *Tempore quodam* (pergit idem Author) *cùm esset in oratione, Beatam Genitricem Dei ex opposito sui, supra cespitem virentem stare conspexit: & ecce fons aurei coloris è regione cum impetu erumpens, riuulum suum ad pedes eius dirigebat: cuius lapilli, lapides erant pretiosi, smaragdi,videlicet,carbunculi, topazij, sapphiri, hyacinthi. Cúmque de visione miraretur, ait illi Domina nostra: Nosti, Bertrame, quid ista significent? Dicente illo: Non, Domina, respondit: Fons iste aurei coloris, Ordo Cisterciensis est, qui,sicut aurum reliqua metalla, ita cæteros Ordines,tam dignitate, quàm sanctitate præcellit: illis iam ex magna parte fluentibus a me, iste speciali quadam prærogatiua dilectionis non cessat fluere ad me: lapilli pretiosi, quos vides in riuulo,speciales amici mei sunt in Ordine, & in obsequio meo plùs cæteris feruentiores. Sicque disparuit visio in oculis eius.* Hæc prima,vt credo, visio hominis Dei,qua in suæ Professionis amore inflammaretur. Nam, neque per hæc derogare aliis voluit Virgo purissima,protectrix omnium,atque omnium consolatrix: sed pretiosius Cistercium Bertramo facere,in quo semel vocatus,foret vsque in finem permansurus.

3. At qui de suæ vocationis perfectione tam sublimia audiuit, de suo etiam statu, imò & de sua prædestinatione, quod magis est, nec nisi paucis contigit,alia meruit visione commonefieri; quam idemmet Cæsarius non multò pòst scribens his verbis narrat [b]: *Die quadam Angelus Domini ex parte Abbatis signum ei fecit, vt ad portam veniret: sequutus est ille præcedentem; & cùm ad portam non inuenisset Abbatem, eodem signo Angelus eum traxit in campum: qui cùm miraretur, quonam esset iturus; & ille signis,ex parte Abbatis, sequenti nimis esset importunus, venerunt ad quosdam montes sublimes,quibus transmissis,locum ingressi sunt amœnissimum, arboribus, & diuersi generis floribus nimis delicioſum: erat enim Paradisus terrestris, (aut certè ei quasi talis ostendebatur.) Inter cætera, quæ ibidem vidit, duos senes splendidos,Enoch, videlicet,& Heliam conspexit, & agnouit: tenebámque in manibus librum maximum, literis aureis scriptum, uno tantùm folio vacuo. Et dixit ei Angelus Domini: Iste est liber prædestinationis, continens omnia nomina Electorum, qui ab initio Mundi vsque ad diem hanc,nati sunt: cùm autem folium, quod vacuum cernis, perfectum fuerit, Mundus consummabitur. Et ostendit ei nomen suum: quod cùm legisset,Iesus adiecit: Nunquam delebitur nomen tuum de libro hoc. Iste est liber, de quo Dauid dicit in Psalmo [c]: Et in libro tuo omnes scribentur. Et Dominus in Euangelio [d]: Gaudete, & exultate: quia nomina vestra scripta sunt in Cœlo.* Hactenus visio non minùs iucunda, quàm admiranda: nisi quòd tamen vnum tantùm folium relinqui successuris, neque illud hactenus impletum inueniri,ingentis,aut doloris,aut timoris; siue vtiùs, vtriusque occasio est. Potuit fortasse ad commonitionem dici, vt tam ipse,quàm alij in timore,& tremore propriam salutem,quantùm in ipsis esset, operarentur.

b vbi supra.

c Psal. 138.

d Luc. 10.

4. Hanc eandem visionem, mutilam licèt in multis, & diminutam, idem Cæsarius repetit, in Homiliis de Infantia Saluatoris, vbi hæc habet [e]: *Monachus quidam,Supprior in quodam Cœnobio Longobardiæ, ab Angelo, sub specie cuiusdam Monachi ex parte Abbatis ad portam vocatus, & longiùs à Monasterio eductus, deuenit in Paradisum, vbi Enoch vidit,& Heliam. Ostensúsque est ei liber, in quo aureis literis scripta erant nomina omnium prædestinatorum. Cúmque in eodem libro nomen suum legeret,audire meruit: Nomen tuum nunquam delebitur de libro hoc. Iste Dominam nostram valde diligebat, & de dulcedine cœlestis Ierusalem frequenter gustabat. Ante paucos annos defunctus est.* Ita Cæsarius de eadem visione: neque enim aliam esse,tempus,Prouincia, visio, ac Virginis deuotio manifestant. Atque ex hac vltima Cæsarij narratione; quæ tamen priùs ab ipso scripta fuit,habemus vlteriùs, quod in alia non expressit, Bertramum Supprioris officio functum in propria Domo. Sed adhuc tertiam aliam visionem promere libet eidem Sancto factam, satis glorioſam: & quam per miracula exteriùs comprobatam, quæ multis innotuerunt, idemmet Author prodit verbis sequentibus [f]:

e serm. 15. in Octau. Epiph.

f lib. 7. c. 38. Dialog.

5. *Iste Bertramus*, ait, *tam feruenti motu charitatis Dominam nostram Sanctam Dei Genitricem amabat, vt non sine magno cordis cruciatu audire posset, si fortè dubitatiuè, quis diceret, vbi legeret de corporali illius Assumptione. Cùm iam exegisset in Ordine quindecim annos, adhuc iuuenis ætate, in Vigilia Assumptionis eiusdem Gloriosæ Virginis, rogauit Abbatem, vt sibi liceret ire ad vicinam grangiam, dicens,se non posse audire, neque Sermones Hieronymi in Choro,neque Sermonem in Capitulo; timens,quod prædictum est: erat enim grangiarius. Abbas sanctitatem eius turbare timens,annuit eius petitioni: cúmque venisset iuxta grangiam,Angelus Domini mirabili modo illum rapuit, & ad spatium vnius diætæ,iuxta pariam quandam Ecclesiam, vicinam satis Castro fratris sui carnalis, viri nobilis,deponens,disparuit. Equus verò,cui insederat,& seruus iuxta grangiam dimissi sunt. Erat autem fluuius, qui sine naui transuadari non potuit,inter Castrum, & Capellam.*

6. *Qui cùm sederet, admirans, vbinam esset,vel qualiter ad illum locum deuenisset, inuenit quidam splendidus de Ecclesia exiuit: & quia Domina nostra ipsi ocyus Ecclesiam ingredi mandaret, voce clara nunciauit. Ingressus Ecclesiam, vidit Sanctam Dei Genitricem, Virginem Mariam, in corpore glorificato, in sede miri decoris residentem. Sedebant circa illam diuersi Ordines Sanctorum, Patriarchæ, videlicet,Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores,Virgines,Viduæ, Coniugati: erat autem hora nona. Quem Virgo Beatissima salutans familiariùs ait: Bertrame, meliores Sermonibus Hieronymi hic audies Sermones. Dicta*

Nona

Nona à circumsedentibus per internalla, dicta sunt & reliqua Hora, Vesperæ, videlicet, Completorium, Matutina, Laudes, Prima, Tertia, Sexta: eráque Psalmorum, siue reliquorum cantuum melodia tam suauissima, & vocum tanta concordia, vt sermo nullus exprimere posset. Deinde vultum iucundissimum ei exhibens, voce hilari, ac dulci sic ait: Benè scio, Bertrame, quare nunc egressus sis de Claustro: nouerisque pro certo, me in vtraque substantia, id est, corpore, & anima, glorificatam, & die quadragesimo à mortuis resuscitatam. Pergit Author de reuelatione simili facta Sanctæ Elizabethæ Sconaugiensi: & tandem concludit in maiorem præcedentium omnium confirmationem:

7. *Mox vt Beata Virgo verba predicta protulit, Conuentus ille cœlestis disparuit; & Monachus in loco sua sessionis se solum inuenit. Nutu diuino germanus eius, de quo suprà dictum est, aduenies, cum solum illum ibidem reperisset, & quòd ibi solus sederet, vel vnde veniret, interrogasset, omnia, quæ circa se gesta sunt, ne laicum scandalizaret, per ordinem recitauit. Tunc ille: Expectate hic, Frater, donec equum vobis adducam. Mira res! Festinante illo ad Castrum, Angelus Domini in momento, in locum, de quo tulerat, illum reposuit. Reuersus miles, cum non inuenisset quem dimiserat, Apostatam, siue electum illum æstimans, ad Monasterium cursitauit: ad quod, dicto Completorio, ingredientes, Abbatem vocauit, & vbinam frater suus esset, requisiuit. Cui cùm Abbas signaret, vt expectaret vsque mane, & ille turbatus responderet: Scio, quia electis cum, minaretúrque Monasterio, rupto silentio, respondit Abbas: Per licentiam meam ad proximam grangiam equitauit: non dubito, quin ibi sit. Ierunt simul, & in Capella Conuersorum orantem inuenerunt, & cognouerunt ex testimonio illorum, quia eadem hora, qua miles eum iuxta Castrum reliquerat, eandem grangiam intrauerat.* Hactenus Cæsarius,

8. Cæterùm de Hieronymi Sermone, Virginis assumptionem ad Cœlos addubitante, multa Baronius [g], quæ non incongruè adducuntur ab Henriquez [h] ad hoc propositum. Sic & de simili reuelatione facta Beatæ Elizabethæ Sconaugiensi, déque obiecto quadraginta dierum numero, responsúque ab Angelo; & qualiter non pugnet reuelatio cum his, quæ in die, & per Octauas Assumptionis Ecclesia canit; plura ibidem congesta, quæ nos omittimus. Certè, vt de Resurrectione, & Assumptione virginei Corporis, consensu omnium fidelium approbatis, iam nullum in Ecclesia dubium manet: sic nihil certum de die, quibusdam tertium, in quo Christus resurrexit; quibusdam quadragesimum, in quo Cœlos ascendit, asserentibus: quippe duobus Seraphim velantibus pedes, & caput solij, hoc est, ingressum, egressúmque Matiæ, (Conceptionem, nimirum, & Assumptionem,) quæ Dei solium, qualiter Isaiæ est præostensa [i], non mirum, si quæ Deus latere voluit, occulta nobis, variis nostris subiaceant coniecturis. Interim hanc secundam sententiam probat duplex hæc reuelatio, atque altera miraculis firmata satis patentibus, queis non immeritò fides haberi possit, quandiu aliud non determinet Ecclesia.

g tom. 1.
h Iulij 4.
i cap. 6.

9. Bertrami porrò reuelationes, & miracula eò vel maximè fidem promerentur, quòd recitata in Conuentu Generali, coram Cistercij Patribus, vt idem Author ait [k], per totum Ordinem inde diffusa sunt, nisi priùs discussa, & approbata, nullatenus diffundi permittenda. Memoratur Bertramus inter viros sanctitate illustres Cistercienſis Familiæ, in Menologio die quarta Iulij; atque ab Auberto Miræo [l], aliísque Cæsarius plures alias eius visiones, plura alia miracula ab eo patrata narrat; quæ tamen ipse noſi audeat recensere, quia non planè, & exactè examinasset. Illud mirandum, in ipsa Lombardia nullam Viri notitiam, nisi ex Cæsario; vt non solùm sepulcrum eius lateat; verùm & Monasterium: quod à Venerando Patre Roberto Rusca dudum accepi, nisi quòd tamen ex nomine Carixti coniectantur Carretum, siue diuinant magis, quàm asseuerant. Aubertus Miræus Monasterium Sancti Calixti, non de Carixto vocat: sed nulla talis Domus in Lombardia, imò neque in Cistercio reperitur.

k eodem loc.
l in Originib. lib. 5. c. 15.

10. Demum, quod ad rationem temporis attinet, vt eam etiam reddàmus nostris Lectoribus, Bertramum circa hoc floruisse, inde coniector, quòd non solùm cùm scribebat Cæsarius Dialogos, id est, anno M. C C. X X II. sed cùm Sermones de Infantia Saluatoris, id est, ante septennium plùs, minúsve; ante paucos defunctus commemoratur. Porrò, qui ante illam insignem reuelationem de Assumptione Virginis iam annis quindecim in Religione vixerat, & fortè diu post illam superstes fuit, non potuit non hunc annum attigisse in principio, aut in medio sui feruoris. De anno mortis nihil certum habeo, nisi quòd ante M. C C. X V. paucis, vt ait Cæsarius, detractis contigit. Certè à M. C C. plùs, minúsve non nimiùm discrepasse, ex modo eius loquendi coniici potest.

---

1. *Simonis Alnensis primæ notitia:* 2. *miraculosa ad Ordinem vocatio:* 3. *stimulus carnis superatus per orationem.* 4. *Duæ eius aliæ graues tentationes.* 5. *Quanta à Dæmone passus, etiam exteriùs.* 6. *Ingens miraculum:* 7. *& reuelata ei secreta cunctorum hominum.* 8. *Gerardi Monachi, ex clamore cantus tædium,* 9. *atque eius remedium de Cælo missum.*

CAPVT IV.

1. HOc item anno memoria nobis incidit Venerabilis, & vetè Beati Viri Simonis, Conuersi in Monasterio Alnæ, qui ab annis teneris ibidem enutritus, & longo viuens tempore, prophetiæ, & miraculorum spiritu clarus, Ecclesiam sanctitatis suæ fama repleuit, Cistercium meritis. Quin à terrenis transiens ad superna, Angelos gaudio, Cœlos peccatoribus, quos ab errore vanitatis suæ conuersos, dirigebat ad Christum, & in via salutis confirmabat. Sanè sub Innocentio III. Summo Pontifice, (Cœlestino hic successit,) tantæ iam erat existimationis, vt ab ipso ad Concilium generale, humilis laicus, & penitùs idiota vocatus sit: quo audito multa facetè, & quoties posset, libenter eum audiret, quod nos etiam in tempore dicemus. Vitam eius Cæsarius magna ex parte, qui Virum ipsum nouit; exactiùs tamen coæuus alius Author, ex eodem, vt creditur, Cœnobio, dicitur scripsisse, vbi hodiéque

hodiéque in Manuſcripto antiquo legitur ; & noſtro tempore, ex Latina, Gallicam réddidit R.P. Ioannes de Aſſignies Camberonenſis, atque cum aliis multis publicauit. Ergo ex vtroque quædam vſque ad hoc tempus, & paulò forſan vltrà ; reliqua vſque ad ipſius glorioſum tranſitum, qui incidit in annum M.CC.XXVIII. ſuis ex more locis dicenda erunt. Cæ-

a lib. 3. c. 33. ſarius de primordiis viri pauca, & confuſa [a]. *A pueritia*, ait, *in Alna nutritus, pecora eiuſdem Monaſterij pauit ; deinde factus Conuerſus, adeò profecit, vt cuiuſdam grangia Magiſter efficeretur. Qui benè, ac fideliter adminiſtrans exteriora, ſicut bonus, ac fidelis diſpenſator, dona meruit interiora.* Ita Cæſarius : ſed paulò aliter, & , vt puto, fideliùs, & exactiùs Author Alnenſis, ex quo hæc accipe:

2. *Parentes Simonis ſecundum carnem nobiles, ſed nobiliores ſpiritu. Patriam à nemine video memorari : indoles, quæ ante plenum rationis vſum, diuinam gratiam præuenientem proderet ; ingentia, quibus poſteà claruit, dona, vel à teneris annis præſagiret : ſexumdecimum ætatis ſuæ agens, ſæculum, patriam, parentesque*

b Geneſ. 12. *deſerere diuinitus, vt Abraham olim* [b], *admonitus, dum de fuga deliberat, ab Angelo ad Monaſterium Alnæ ducitur, ibidem in Conuerſum ſuſcipiendus. Non ergo prius paſtor ouium fuit, vt vult Cæſarius, quod de filio nobilium, niſi illuc forſan ignotus aduenisſet, vix credi valet. Non exhorruit humilitatem habitus, ſemel ſpreta nobilitate : non abiecta exercitia recuſauit. Conuerſus, ouibus cuſtodiendis præfectus eſt, ex generoſo militæ paſtor deſpicabilis : quod, vt in ſæculo indecens, ſic illi in Religione glorioſum fuit. Sub eo exercitio, in vita ſpirituali multa tempora expleuit breui periodo : ſanctiores Monachos virtutibus æquabat, reuelationibus etiam anteibat. Ducenti oues per deſerta loca, præluebat columna ignis per noctem, velut alte-*

c Exodi 13. *ri Moyſi* [c] ; *quæ ſæpiùs illi viſa, dum orem, & tenebras illuminat, mentem illius illuſtrabat maiori luce. Oranti ſæpiùs apparuit columba viſa eſt ſupra mortalem ſpeciem, aureum habens caput, corpus argenteum, oculos igneos, pennas radiis Solis per omnia ſimiles : ſed, qui non impediret ipſius viſum. Atque hoc illi ſignum inter alia ſuperuenientis in eo gratiæ Dei, quæ quoties à columba profluebat, affluentius in animam ipſius, & maiori cum fructu diffundebatur.*

3. *Cæterùm, ſicut olim Paulus Apoſtolus, ne magnitudine reuelationum extolleretur, ſtimulo carnis ſuæ permiſſus eſt, quo ſe hominem non poſſet obliuiſci, ſeptennio adeò vehementer tentatus eſt, vt niſi cùm dormiret, aut oraret, vix luctæ quieſceret ; vix non rebellem appetitum contra rationem, & voluntatem, velut impellentem ad conſenſum, experiretur.* De hoc etiam Cæſarius in ſuis Dialogis, ſed confuſè, vt alia : ſic enim habet : *Sicut audiui à quodam eius familiari, ita eum vexabat, & fortè adhuc vexare non ceſſat Spiritus fornicationis per incentiua carnis, vt dicere poſſit*

d 2. Cor. 12. *cum Apoſtolo* [d] : Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. *Dicitur tamen adhuc corpore eſſe virgo.* Ita Cæſarius : ſed qui luctam produxit ; quia omnimodum victoriam ignorauit. Quippe hæc eò illuſtrior, quò pugna maior. Et reſiſtentia, cooperante diuina gratia in naturam conuerſa, non ſolùm hoſtem vicit, ſed debellauit. Ab expleto ſeptennio continuæ luctæ, ceſſauit tentatio ; atque ipſa aſſuetudine vincendi, effectum eſt, vt nil vltrà vincendum remaneret. Fugaſſe, aut extinxiſſe in ſe appetitum videri potuit, ſi non, cùm vellet, obſequentem inueniret, imò obſequioſum. Ergo quod Thomæ Aquinati cœleſtis cingulus, hoc Simoni Conuerſo ſeptennis de hac graui tentatione, victoria fuit.

Non tamen ideò ceſſatum illi à pugna, quam in hac vita mutare forſan poſſis : at non euadere. Fugata ab artubus carnis concupiſcentia, inſurrexit accedia : & membris ſingulis, velut talentum plumbi inſidens inimicus, afficiebat torpore, quem vix, aut ægrè exueret : à quo velut oppreſſus, quocunque perueniebat, detinebatur. Hærebant pedes terræ, manus baculo, corpus, cui trunco primùm ſeſe dabat, & ſomnum inter medius vigiliámque, non ſui iuris ſibi, quaſi omninò dormiret, aut quaſi immobilis eſſet, videbatur. Hinc horribiliter alia ſuggeſtio Dæmonis, ab ſpiritu blaſphemiæ, veluti homini, quem iam Deus abieciſſet, nihil aliud reſtaret, quàm blaſphemare. Senſit maiorem luctæ carnis luctam, vrgentiores ſtimulos, & didicit ex his, quæ paſſus eſt, aliorum malis compati. Sic, qui ſcrutandis hominum conſcientiis à Deo deſtinabatur, vt infrà latiùs dicam, in nullo vnquam potuit perhorreſcere id, de quo ſe tentatum, & vehementer tentatum recordabatur. Poſt multos dies, vrgente eodem Spiritu, orationi ſe dedit ; quæ ſola illi refugium ab his periculis. Cùm ecce primùm ventus vrens, vehemens, montes vallibus æquans, atque arbores radicitùs euellens, repentè omnia turbare viſus eſt, atque ipſum Simonem poſt ſe trahere ; ſed mox in auram tenuem reſolutus, pacata omnia, & vir ſanctus tum loco reſtiturus, tum ab vtraque tentatione liber, à neutra iam vlteriùs inquietandus. Ita nullum malum ignorare Simonem voluit ; ſed neque ab vllo lædi, quem tot, ac tantis ſanandis deſtinauerat.

Vincentem prælia Spiritus Simonem, communis hoſtis corporaliter aggreſſus eſt, vt de corpore ſaltem triumpharet, qui de anima non poſſet ; & quem non vinceret, ſaltem cruciaret, vt vel hoc modo, quo poſſet, vlciſceretur ; & qui alias virtutes explorauerat, conſtantiam etiam probaret, & patientiam. Itaque horrendis ſpectris primùm territum, mox fuſtibus percuſſum, cùm lædere nequaquam prævaluiſſet, ad flammas (ſolita ſibi arma) confugit : & puteum magnum profundæ magnitudinis (ſic permittente Deo) ignem vomentem, oſtendit ei per viſum ; cui iam iam immineret præcipitandus. Cúmque fidenter ad Dominum clamaret : nihilominùs ſub pedibus eius flamma erupit, à qua verè combuſtus adeò eſt, vt quadraginta dies lecto decumbere, quod pedibus non poſſet ſuſtentari, grauiter ab igne læſis, compelleretur. Sed in his omnibus non peccauit Simon, nec ſtultum aliquid contra Deum loquutus eſt. Nempe, vt qui iam dudum Abrahamum, à domo patris ſui iuſſus diſcedere, mox etiam Moyſem, tum paſcentem oues, tum populum ſub columna ignis ducentem, demum Paulum per ſtimulum carnis humiliatum, inter continuas, & illuſtres reuelationes repræſentaſſet ; Iobum non minùs redderet vulnetatum à Dæmone, ſed inter vulnera Deum collaudantem, atque ipſius promerentem conſolationes.

4.

5. Multa de viro Dei referuntur ſatis magnifica : ſed inter alia illud admirabile, ſiue quia ſingularius, ſiue quia patentius. Quòd cùm quadam die accedens ad Altare Corporis Chriſti particeps futurus, caſu fortuito eadem ipſa Hoſtia, quam ſuſcepturus erat, in terram decidiſſet, atque eam vellet Sacerdos leuare manu ; ipſo iubente, in pauimento, vbi erat, relicta eſt, quandiu ſupplex oraret : & an ſuis peccatis exigentibus, ab eius ore Chriſtus refugiſſet, inter lacrymas, & ſingultus percontaretur. Cùm ecce (mirum dictu !) Hoſtia exiliens, ad os orantis ſurſum euolauit : atque ipſum ingreſſa pacatum ſibi Deum, neque auerſantem, ſed magis quæſiturum teſtata eſt : nec cecidiſſe, vt ab ipſo deuiaret : ſed, vt oſtenderet magnete

gnete labiorum eius tôties trahi, quoties in oratione commouebantur; neque minùs de Cœlo descensurum, quàm de terra ascenderet, ad eius vocem semper pertrahendum. Hinc charitas Simonis erga Deum in dies augmentabatur, à quo se redamari per tot indicia, non poterat in dubium reuocari. Cæterùm, qua occasiône, quod summum habuit, saltem, quod singularius, nempe, notitiam conscientiarum aliorum hominum, atque omnium interiorum cogitationum, à Deo acceperit, quia multa inferiùs de hoc illius dono dicenda sunt, breuiter etiam oportet propalare.

7. Optabat Simon, quà posset in hac vita, illius faciem videre, quem diligebat, quem tota mente amabat, & toto corde: non quia de suis id meritis præsumeret; sed, quia facilè Deo, & tibi ad maiorem intensionem amoris pertile futurum existimabat. Septem integros annos (hic numerus fatalis viro fuit) in hac vnica petitione perseuerasse fertur flens, gemens, orans, velut qui signum suæ gratiæ poteret, atque incrementa sibi inde prouentura desideraret. Septennio expleto, Christus illi apparuit, &, Tam longi, ait, desiderij fructu frustrari te non patior, serue fidelis: neque me tantùm, quà licet in hac vita; verùm, quod paucis aliis datum est, omnes omnium hominum conscientias tibi ostendo; tum, vt pro eis ores; tum, vt eorum gressus, & acta dirigas, & deuios ad me reuoces, tua occasione mihi placituros. Vidit, & ecce in eo, qui loquebatur, conscientias omnium hominum, tanquàm in libro scriptas, perspicuè legit; atque exinde multos de peccatis suis monuit, multos compescuit, atque ad viam salutis reuocauit. Sed de hoc pro nunc satis: nam multò pluta in sequentibus dicemus.

8. Sub idem tempus, fortè & eiusdem Venerabilis Simonis intercessione, in eodem Cœnobio mirum quid aliud contigisse dicitur, quod recèns tunc Conuerso Gerardo militi, egregiæ indolis iuueni, atque continuum clamorem Chori, & cantus supra modum pertæso (dolore capitis, an tentatione Dæmonis, quæ sæpè etiam dolorem fingere solet) ex tentatione ingentem fructum attulit, vsque ad vltimum vitæ permansurum. Narrat idem qui suprà coætaneus Scriptor, qui & exactè inquisiuit, & quæ inuenit fideliter narrauit, totidem verbis [f]: *In Alna*, ait, *ante nam multos annos, miles quidam nobilis, Gerardus nomine, de Castro Tirino oriundus, conuersus est; cúmque Nouitius in Choro Nouitiorum staret, & clamores Monachorum in Choro superiori super caput suum cantantium frequenter exciperet, tentari cœpit. Amplius tamen caput eius turbabatur, quoties* Alleluia *cantabatur, in illo maximè voces exaltari solent. Et factus ex hoc pusillanimis, accessit ad Priorem, & ait: Domine Prior, caput meum doleo; nec diutius tantum clamorem super caput meum tolerare potero. Cui Prior verba aliqua consolationis impendit: sed parum illi profuit.*

9. *Nocte quadam, cùm maximè de hoc Nouitius tentaretur, vidit se in somnis a quibusdam militibus, aliquando inimicis suis, vnlique vallatum, nec aliquod refugij superesse subsidium: cúmque putaret se ceterùm esse capiendum, vel interficiendum, clamauit ad Dominum dicens: Domine, libera me in hac hora. Et circumspiciens mox vidit exercitum candidatorum de longè venientium, sibique in auxilium properantem. Signifer autem, qui præcedebat, pro signo militari* Alleluia *finaliter clamauit, crebrò id repetens. Qua vociferatione hostes territi, & dispersi fugam inierunt, Nouitium solum relinquentes. Qui expergefactus, non solùm gauisus est se fuisse liberatum ab eis, qui eum circumdederant in nocturna visione, sed, quod magis eum angebat, à præsidia, videlicet, tentatione. Manè accedens ad Priorem, dixit ei satis hilariter: Rogo vos, Domine Prior, vt adhuc altius, & fortius cantetes* Alleluia *super caput meum: non me amodò turbabit clamor diuinæ laudis. Et recitauit ei visionem per ordinem. Ista nobis retulit sancta recordationis Vualterus de Birbach, qui eundem Gerardum vidit, & agnouit.* Hactenus ibi: Iæpiùs inculcandum his, quibus Dæmon per speciem valetudinis (quod nimiùm heu! frequens) solet illudere. Nunc ad alios euentus huius anni, breuiter recensendos, transeamus.

---

1. *Nicolaus Scriptor dubitanter*, 2. *Mauricius Forda certò nostris assertus*; 3. *atque Arnoldus Melrosiæ*. 4. *Intermissi Psalmi pœnitentiales iussu Capituli*: 5. *& scrupulus de contractu quodam subortus*: 6. *super quo Stephanus Capitulo scribit*. 7. *Iugum Dei in Hibernia, & Borgetus fortasse filia Altæcumbæ.*

CAPVT V.

1. VT Viris Sanctis, sic doctis floruisse lego Cistercium per hæc tempora; ex quibus duos, quos protulit in Anglia, Nicolaum, & Mauricium, Ioannes Pitsæus recenset inter Scriptores. Porrò de Nicolao Vvalkingron (sic enim dicebatur) hæc ipse habet [a], vt verum fatear, suspecta ex Monasterio: *Nicolaus Vvalkingronus, natione Anglus, Ordinis Cistercienſis Monachus, in Cœnobio Kirkeham, qui locus in aquilonaribus Angliæ partibus peramœnus, ab hominum strepitu remotus, & contemplationi, atque bonarum litterarum studiis aptissimus: illic quietum nactus otium, ab hominum frequentia, & aliis impedimentis facularibus liber, quasi totus in Deum, & diuina ferebatur. Nam ante ingressum in Monasterium politiores litteras, artes liberales, omnémque profanam Philosophiam accuratè didicerat. Tandem post aliquot annorum meditationem, composuit, De virtutibus, & vitiis, librum vnum:* Dominus dicit: Sobrij estote.

Historiam Gualteri Spec, librum vnum. Et alia nonnulla. Claruit anno Verbi incarnati M.C.XCIII. Hæc ille. Sed sanè Monasterium de Kirkeham Canonicorum Regularium potiùs, & inter nostra, cui tale nomen hæreat, nullum inuenio.

a *de Scriptoribus Anglia.*

2. Notior & certior Mauritius Somorsetus, Balduini inter alios quondam discipulus, Fordensis Domus Monachus, de quo hæc idem Author [b]: *Mauricius Somorsetus, natione Anglus, professione Monachus Cistercienſis, in Monasterio Fordensi Oxenio liberalibus artibus operam dedit, teste Lelando: & post annos plures illic in studiis satis vtiliter collocatos ad Confratres suos reuersus, ab iis talentum, quod acceperat, inuidiosè non abscondit; sed gratis exposuit, & aliis libenter communicauit, docuitque, qua didicerat ad com-*

b *ibid.*

f *lib. 4. c. 34.*

munem aliorum vtilitatem. Valuit autem, tum versu, tum prosa, seriis iucunda plerunque miscens, quo erat ingenio. Virtutis, & eruditionis intuitu electus est in Abbatem Fontanensem, quam prouinciam sibi impositam cum honore, & dignitate sustinuit. Sed tandem quietis, & studiorum magis, quam honorum cupidus, vt inquit Hugo Kirchostallensis, curam resignauit Thoraldo. Quæ scripsit, pleraque Reginaldo Episcopo Bathonienſi consecrauit.

De schemate Pontificali librum vnum.

Epigrammatum, & aliorum carminum, librum vnum.

& alia nonnulla. Claruit anno post Christum natum milleſimo centeſimo nonageſimotertio. Ita Pitſæus, ex quibus Fontanenſium etiam Abbatum ſeries, ſi ſupradicta iungas, reuera poteſt.

6. Dicitur & ad hunc annum pertigiſſe Meilroſiæ Abbas Arnoldus, ſine Arnulphus, de quo ſuprà in Litteris Lucij III. Summi Pontificis, non contemnendus Scriptor, ſed cuius Opera periêre iniuria temporum. Ita Demſterus in ſua Hiſtoria Scotica. Fortè hoc anno obiit vir aliàs doctus, & quo Pontifex vteretur in cauſis arduis, cuiuſmodi Archiepiſcopatus Sanct-Andreani diuturnum ſchiſma: Hugone, & Ioanne vtrinque litigantibus; atque alteri fauente Iuſtitia; alteri, cui potentia Regis, quod ſæpiùs, heu! contingit, pro iure fuit.

4. Hoc ipſo anno in Conuentu Generali, Principibus Chriſtianis dudum ex Oriente reuerſis, atque pactis induciis cum infidelibus, Pſalmi pœnitentiales, qui recitari iuſſi pro victoria, ceſſante bello, intermitti præcepti ſunt, publicato edicto in hunc tenorem: *Septem Pſalmi, qui ſexta feria poſt Capitulum dicebantur, & Collecta Eccleſia de cætero omittantur: ſed orationes aliàs teneantur.* crediderim conſeruatas aliquas preces pro reparando bello, quod non potuiſſet intermitti ſine dedecore. Cæterùm Pſalmos abhinc omiſſos video ad annum milleſimum ducenteſimum quadrageſimumſeptimum, quo iterum recitari iuſſi ſunt; neque ab ſtantibus, vt hactenus feciſſent; ſed à proceſſionaliter gradientibus: idque explicatum poſt annos ſex, & viginti, quod ſuis locis nobis dicendum erit.

5. Exercuit & quorundam Abbatum zelum in eodem Capitulo, atque attentionem Guidonis occupauit contractus quidam inter Abbatem, & Conuentum Claromariſci, & G. Inſulenſem Clericum initus: qui; quòd periculum pretio compenſauerit, quibuſdam de vſura ſuſpectus fuit. Delatum hunc ad Iudices Supremos, præſidente Guidone, excuſabant nonnulli, quaſi æqua lance vtrinque ſtipulantibus, ſola ſors alterum alteri prætulerit: ſed condemnabant plures; non vt illicitum, ſed tamen vt alienum à Ciſtercij modeſtia, cui omnis auaritiæ ſpecies, ſiue leuis ſuſpicio vitanda foret. Et prævaluiſſet haud dubiè ſeuerior pars, ſi non extranei docti, grauéſque, ne in irritum venirent, velut Iuſtitiæ indecorum, interueniſſent. Extat epiſtola Stephani Tornacenſis ad Guidonem Abbatem, atque Capitulum pro Clerico ſcribentis, atque obiter contractum excuſantis, quam breuem, & Sanctorum illorum circunſpectionem ſatis præferentem, operæpretium me facturum duxi, ſi hîc tranſcribam: ſic autem habet:

Abbati, & Capitulo Ciſtercienſi pro G. Clerico. *epiſt. 223.*

In eis, quæ honeſtè petuntur, & iuſtè retinentur, iuuanda eſt intentio poſtulantis. Inſpecta autem, & cognita origine contractus, qui inter Eccleſiam de Claromariſco, & G. Inſulenſem Clericum noſtrum interceſſit, non videtur nobis incurrere crimen vſurarum, cum etiam inter Eccleſias, & honeſtas perſonas, ſicut ſæpè vidimus, non fuerit vſurarius. Accedit magis ad emptionem, & venditionem, tanquàm qui iactum retis emerit, quam ad contagium fœnerationis lucri; quod nos vobiſcum pariter deteſtamur. Proinde Sanctam Paternitatem veſtram rogamus, vt in hac parte prouideatis indemnitati Clerici noſtri, & tam ſacri Collegij virorum verecundiæ parcatis, ne in hoc facto magis de cupiditate poſſit argui, quàm de charitate laudari. Hactenus Stephanus ad Guidonem, & Capitulum. 6.

Vnam hoc annò Abbatiam fundatam lego, & quam nomine patrio Leix dictam, vix ab alia eius nominis diſtinguerem, cuius memini ſuprà, niſi diuerſa vtriuſque interpretatio, atque diuerſæ Matres manuduxiſſent. Quippe prior de Lege Dei vertitur; hæc non de Lege, ſed de Iugo Dei dicitur. Nec crederem huic paruæ differentiæ, (cùm lex etiam pro iugo ſubditis ſit,) niſi illam filiam Vallis ſalutis, hanc Holcotran; illam anno milleſimo centeſimo octuageſimoquarto, hanc milleſimo centeſimo nonageſimotertio natas legerem. De hac vltima Iacobus Vvataeus hæc ad hunc annum[d]: *Leix, alias de Iugo Dei, vulgò, Grey Abbey. Hoc anno, ſcilicet, milleſimo centeſimo nonageſimotertio, vel ſecundum Annales Monaſterij Beatæ Mariæ Dublinienſis, anno milleſimo centeſimo nonageſimo vſque Abbatiam de Iugo Dei in Comitatu Dunenſi inſtruxit Africa, vxor Ioannis de Carey, Vltoniæ expugnatoris, & filia Godredi Regis Maniæ, in qua ipſa poſtea ſepulta eſt.* Hæc tantùm ille. 7.

[d] *in Chron. Monaſt. Hibern.*

Lego & in Renato Chopino, quod hunc annum concernat, quanuis adeò inuolutum, obſcurúmque, vt referam, quàm declarem, libentiùs ipſius verba: *Amedeus ſecundus Sebuſianorum Comes, extruxit, dotauitque Monaſterium Ciſtercienſe in Summo Biengei Collis iugo, circa annum milleſimum centeſimum quadrageſimum. Poſt hæc Humbertus Comes in Alpina rupe, ad lacum Lemanum fundauit Ciſtercienſis ſectæ Monaſticum fanum, anno milleſimo centeſimo nonageſimoſexto, & Alta-Combeum, cum Regulari Cœnobitarum Primatu minori, qui Borgetus eſt dictus.* Hæc ille: quæ ego; aliis relinquo examinanda. Apud Bambergum ſurrexiſſe ad hoc tempus Cœnobium Virginum Ciſtercium æmulantium, quod infrà dabimus fundatum apud Trebonicum ſanctæ Hedwigis pingui dotatione, atque ipſius Monachatu conſecrandum, comprobabit apertè: quanuis nec conſtat de eius Fundatore, neque quo anno fundationis initium ſumpſit. 8.

[d] *in Monaſt. ſed mihi 186.*

1. Richardus liber, & in Angliam redux, 2. in Cistercienses gratus; 3. sed ab eisdem extorquet ingentem summam. 4. Oblata sibi ab Henrico Imperatore tria millia marcharum 5. Capitulum Generale Cistercij renuit. 6. Leopoldus Cœlestini præceptis contumax, 7. quàm multa perpessus; 8. necresipiscens, 9. quoad vsque in se ipso vindictam expertus est.

CAPVT I.

1. SALVTIS annus millesimus centesimus nonagesimusquartus, Cistercij nonagesimusseptimus, vinculis tandem absolutum Richardum Regem Eleonoræ restituit, Angliæque, pridie Nonas Februarij, vt ait Rogerius. Cæterùm non restituit ante solutum pro maiori parte conditum pretium, & pro residuo Imperatori, ac Duci obsides traditos ex proceribus Regni: adeò Principes, quia sibi inuicem noti, suspecti inuicem, & nihil sibi fidendum, compertum habent. Idem Rogerius tempus captiuitatis Richardi numerat annum vnum, hebdomadas sex, & dies tres. Quod cùm Baronius, tanquàm certum adstruat, mirum est tradidisse Regem captum anno M. C. XCI. absolutum hoc ipso, quem nunc incipimus: quippe à XCI. ad XCIV. duo vt minimùm anni integri mediant; præter illas hebdomadas, aut dies, quibus tum ante finem primi captus, tum post initium quarti solutus est, vt in vtroque vtrunque illi contigerit. Non ergo anno nonagesimoprimo, vt affirmat Baronius; sed nonagesimosecundo captus fuit, quo nos eius capturam pertractauimus.

2. Portò Richardus Angliæ restitutus, Heliam Dunensem, præcipuum eius libertatis Procuratorem ad se vocatum, & Regni sui adhibitum consiliis regia munificentia remunerauit, vt diximus anno M. C. XCII. tunc Cælestino Pontifici author fuit firmandæ donationis, quam in Capitulo Generalis annuos sumptus Cistercio fecerat, priusquàm in Syriam proficisceretur. Interim tamen ab aliis Monasteriis, quæ pretium redemptionis eius dudum exhauserat, dum gratias agit, nouam extorquet summam, (alterius anni lanam,) ex qua obsides redimi, &, quod contraxerat mutuum, exsolui posset. Non aliud genus potentius in Principibus extorquendæ pecuniæ, quàm gratitudo, atque animi velut obærati, quanuis omninò vacuæ, demonstrationes. Pronis quippe in eorum amorem subditis, placuisse in præmio; & benè collocatam credunt quamcunque summam, quæ suum sibi non solùm debitorem, sed sponte debentem Principem facit. Certè Richardus per speciem gratitudinis, cùm lac mulxisset, sanguinem emulxit: & præbebat in nostros signa fauoris, quòd se plus eis, quàm cæteris debere, de quibus magis fiderat, & queis libentiùs redditurus esset, gratularetur. Verùm de his Guillelmum Neubricensem, eiusdem temporis Authorem, & quidem doctum, atque omni fide dignum, audiamus [a]:

a *lib. 5. c. 1.*

3. *Præterea Rex, siue pro liberandis obsidibus apud Imperatorem relictis, siue etiam in sumptus belli cum Rege Francorum gerendi, tributum minùs vsitatum vniuerso Regno indixit; à singulis, scilicet, carucatis terræ indifferenter geminatum solidum exigens; vacantibus Clericorum, Religiosorum, & quorumlibet aliorum priuilegiis. Præsentibus quoque ad congratulandum illi, quibusdam maioribus Cisterciensis Ordinis Abbatibus, dilectionem (inquit) vestram, & deuotionem circa nos, qua potissimùm substantia vestra (id est) vellera ouium vestrarum redemptioni nostræ impendistis, vt dignum est, approbamus; & vberiorem suo tempore, si vita comes fuerit, rependere gratiam pro gratia ista cogitamus. Vt autem vobis perpetua simus gratia debitores, oportet, vt adhuc semel vestrum ad nos declarantes affectum, lanam vestram anni præsentis nobis non grauemini commodare. Nam, cùm ab Imperatore dimissi, in multa paupertate ad propria tenderemus, confisi de vobis, vrgentissima necessitate à transmarinis mercatoribus in vsus necessarios, eiusdem lanæ vestræ pretium sumpsimus; quod proculdubiò ad saccarium nostrum mensis Octobris, probatæ charitati vestræ, cum gratiarum actione reddemus. Hoc modo Religiosos illos, quasi blandiendo spolians, clarissimis Monasteriis egestatem insolitam irrogauit.* Hactenus ille.

4. An verò præter lanam alterius anni (ingentem sanè summam, & quæ Cistercio, vt idem Author ait, pro omnibus diuitiis computabatur) commune illud, nouumque tributum persoluerint cum aliis, non satis video expressum ab hoc Authore; quippe specialiùs præ cæteris exempti, si cum aliis soluissent, specialiùs venirent nominandi. Vtcunque fuerit, constat, Cistercienses tam non ægrè tulisse collata in obsidum, & Regis redemptionem, vt recusauerint in eisdem reintegrari, cùm sibi omninò liberum; atque ab ipso, qui acceperat pretium, Henrico Imperatore per speciem Religionis oblatum esset. Referam Generalis Conuentus huius anni singulare exemplum, verbis Matthæi Paris Albanensis, quanuis nostris infensi, & quos nescierit laudare, nisi dum carperet. *Henricus* (ait [b]) *Imperator legauit Capitulo Cisterciensi tria millia marcharum argenti, de redemptione Regis Richardi ad thuribula per totum Ordinem facienda argentea: sed Abbates, tam ipsum Imperatorem, quam donum eius detestantes, venerunt, de turpi quæstu acquisitum donum eius recipere: quod cum Rex Richardus audiuisset, dictum, & factum Abbatum, quod solita erat auaritia, commendauit.* Ita Matthæus, carpens, dum laudat, nostros; atque auaritiæ immeritò condemnans. Nisi fortè auaritiæ tribuendum sit, quòd non fugerint quærentes se diutiùs, vel quòd non omnia, vt ista, recusarint.

b *apud Baron. an. 1197.*

5. Cardinalis Baronius hæc recensens, quæ alij etiam Authores prodidêre, argenti marchas non legatas, id est, missas ad Capitulum ab Henrico viuente censet; sed testamento post mortem exequendo ex bonis testatoris solui iussas (quod legare etiam dicitur) existimat: adeóque refert in annum M. C. XCVII. quo

Cæsar

Cæsar obiit. Præfero primam interpretationem: tum, quia Cistoriæ conformior est apud Matthæum: tum, quia Henricus in suo testamento, quod pœnitens condebat, & morti proximus, nequaquam de ablatis per iniuriam eleemosynis fieri iussisse credendus est; sed potiùs restituendam extortam summam; idque etiam de facto ab eo præceptum, testatur Innocentius III. non multò pòst ad eundem Richardum scribens in hunc tenorem [c]: *In vltima voluntate sua pœnitentia ductus, per eundem filium suum sibi restituendum mandauit quodcunque, cùm captiuus esset, extorserat: & nisi faceret filius hæres, per Sedem apostolicam cogeretur.* Ergo viuens Henricus eam summam legauit, id est, misit Cistercij Synodo, quæ nec donantis authoritate territa, nec doni magnitudine allecta, acquieuit suscipere, quod iniustè ablatum, iniustè etiam donari non dubitabat.

[c] *apud Baron. an. 1197.*

6. Hactenus dicta de Imperatore, Regéque, quæ nostros concernunt: nam super aliis Baronius consulendus. Nunc de Leopoldo Duce, quia noster tandem, salute licèt prorsus desperata, futurus erat, quæ Authores narrant, tradenda paulò exactiùs: si tamen priùs Lectorem meum moneam, id, quod Ioannes Seifridus adnotauit [d], ex Anglis pro maiori parte desumpta (quod alij prætermiserint) suspecta nonnihil reddi. Quippe quibus, vt nihil fingere in audacia; ita in maius attollere vniuersa, in affectu, atque in fauorem sui Regis contra aggressorem, & raptorem interpretari, aut in gloria apud exteros, aut apud suos in obsequio debito fuit. Ergo, quæ illi scribunt, quánuis suspecta, cum hoc addito veniunt transcribenda. Qui hactenus soli libertati Richardi Regis, quouis pretio emerendæ acres institerant, quippe quandiu plùs aliquid timebant in vinculis detento, id vnum videbatur fore securum, cùm primùm eum periculo exemptum, atque inter suos in tuto positum vident, ad pecuniam conuersi; & quæ plerunque conditio hominum est, quæ paulò antè probauerant, damnantes, restituendam, quam hactenus soluisset, atque nondum solutam, condonandam, & dimittendos obsides, multis productis argumentis declamauêre. Et obtinuerunt apud Cœlestinum, vt vtrunque præciperet, comminato anathemate in Henricum, nisi pareret; in Leopoldum fortè, quòd non paruisset, siue vt minori reuerentia dignum sententia lata: in quam cùm nihilominùs persisteret, & neque obsides, neque acceptam pecuniam redderet, diuinum Numen incanduisse fertur vltione seuera, quæ inobedientes omnes terrere posset. Nam audi Rogerium de hac excommunicatione, & effectibus eius, velut miraculosè subsequutis, scribentem in hunc tenorem [e]:

[d] *in epist. ad Carol. V. Imp.*

[e] *Roger. par. ad hunc an.*

7. *Eodem anno, cùm Leopoldus, Dux Austriæ, adhuc permaneret in sententia excommunicationis, quam Dominus Papa in eum tulerat propter captionem Richardi Regis Anglie, nec pœniteret, flagellauit Dominus terram suam in hunc modum. In primis enim incensa sunt omnes ciuitates terræ suæ, nec alicui nota fuit causa incendij. Secundò, ex inundatione Danubij fluuij submersa est quædam terra adiacens, in qua decem millia hominum, vel eo amplius perierunt. Tertiò, cùm in media æstate soleat, & debeat omnis terra virere, tota terra eius tunc temporis, contra solitum, & debitum cursum, exaruit. Quartò, cùm femina frugum deberent in herbam processisse, in vermes conuersa sunt. Quintò, Nobiliores terræ suæ mortalitate percussi sunt. Et quamuis tot, & tantis flagellasset Dominus terram suam plagis; noluit tamen pœnitere; sed indurauit est cor eius, adeò quòd ipse iurauit, quòd omnes obsides Regis Angliæ, quos ipse habebat, capitalem subirent sententiam, nisi in proximo perficerentur ei à Rege Angliæ omnes conuentiones, quas cum illo fecerat. Vnde factum est, quòd Balduinus de Betun, qui vnus erat ex illis, qui dati fuerant Duci Austriæ pro redemptione Regis Angliæ obsides, ex communi obsidum consilio, missus est ad Regem Angliæ ad indicandum ei Ducis propositum. Qui cùm venisset, misertus illorum Rex, tradidit eis Rex sororem Arthuri Ducis Britanniæ, & filiam Imperatoris Cypri ad ducendum eas vsque ad Ducem Austriæ; sororem, scilicet, Arthuri, ad maritandam filio Ducis Austriæ; & filiam Imperatoris de Cypro tradendam manu Ducis Austriæ quietam.* Hactenus ex Rogerio.

8. Eadem penè habet Neubricensis sparsa per vulgus, cùm obsides ante solutionem residui pretij, per diuinum flagellum Angliæ redditi, de sua libertate gratularentur. *Referebant autem* (ait [f]) *eiusdem Porenis* (id est, Ducis) *terram ante eius interitum flagello multiplici, tùm diuinitùs fuisse attritam, vt ex his posset agnoscere, sibi quoque lenta iam pede appropinquare iudicium, nisi matura fuisset fructus dignos pœnitentiæ, homo tantorum rerum malarum, quæ procul dubiò in Regnis Christianis prouenisse noscuntur ex infelicissima illa captiuitate Regis Anglorum. Denique, vt dicitur, ciuitates terræ illius incertam, prorsus causam habentibus, incendiis conflagrarunt. Danubius fluuius maximus, tanquam ad vltionem egressus, adiacentia quædam loca cum ingenti hominum exitio, occupauit. Æstate media tota illa regio præternaturali, atque insolita ariditate deficiens, intempestiuè virens sui gratia caruit: semina frugum terræ mandata, cùm deberent erumpere, degenerarunt in vermes. Nobiliores quoque terræ illius, tanquàm effusa pestis, morbus absumpsit. Non terruerunt ista cor nequam, & auarum, quominùs epibus Anglicanis inhiaret adhuc, cùm plurima iam marcharum millia à Rege captiuo sumpsisset. Et quidem à Romano Pontifice pro his, quæ in eundem Regem commisisset, anathemate innodatus; auaritia tamen fortiùs pernugente, superbè derisit sententiam.* Sic Anglus Author vterque de Leopoldo, & diuina vindicta in eius terram, postmodum etiam in ipsum exarsura.

[f] *lib. 5. c. 6.*

9. Sed exarsura tamen in hac vita, in qua quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Aliàs in reliquis actis probum Principem, quem virtuosum appellant Annales Austriæ. Ideò tantùm corripuit, vt salutem faceret; imò vt cum cumulo gratiæ, & meritorum, induitum Cistercium, & quanuis ægra, mortísque iam proxima eius legibus colla subiecturum, id opus proprium diuinæ bonitatis, misericordiæque, vt vbi abundauit delictum, superabundet gratia, & obruantur præcedentia crimina, pondere subsequentis compunctionis. Sed hæc anno sequenti, quo contigerunt, commodiùs nobis veniunt enarranda.

1. Desiderius Morinorum Episcopus, 2. clarus miraculis, 3. sepultus in Camberona. 4. Martinus Seguntinus, 5. pingui ante se præmissa donatione, 6. ad suam Hortam redit, pastorali cura deposita. 7. Matthæus, Archiepiscopus Casilienſis, Legatus in Hibernia. 8. Melissa item ex Abbate Mellifontis Episcopus Clocorensis. 9. Miraculum sub Petro Atrebatensi.

CAPVT II.

1. MVLTI insignes Pontifices hoc anno illustrarunt Cistercium: quidam ex eis ad infulas assumpti, quidam ex infulis Claustra repetentes. Nec defuit, qui quod viuens non potuerat, illustraret in morte, & pretiosis exuuiis Sancti Corporis, ac glorioſis miraculis, quandiu aliter non posset, nobilitaret: is Desiderius, Morinorum Præsul fuit, qui longè ante optatam sepulturam in Camberona, atque prælatam propriæ fundationi (Blandech Cœnobium Virginum, ab ipso antè fundatum superiùs diximus) ob consortium Sanctorum consequutus, hoc tandem anno felicitèr obtinuit glorioſè consummatus, & sanctam vitam sanctiori morte coronans excepit funus inter lactymas, & gaudium; sed dolenti proximior Venerabilis Daniel cum suis filiis, qui ardens tanti Patris desiderium, relictis spoliis non satis compensabant. De eo in Catalogo Bolonienſium Episcoporum [a], qui iidem Morinenſes, & Taruanenſes: *Sonio confectus, cùm tanto oneri sufficere non posset, cessit Episcopatum anno M.C.XCI. & anno M.C.XCIV. sanctitate, rebúsque gestis, ac miraculis clarus obdormiuit in Domino.* Hæc tantùm ille.

a apud Ioan. Chenu.

2. At multò plura Arnoldus Raisanus [b], ex Prioris Camberonensis, vbi sepultus iacet, relatione: *Ibidem*, ait, (id est, Camberonæ,) *transitus Beati Desiderij, Ternana Morinorum Episcopi, illius Sedis trigesimi secundi. Patrem habuit Rogerium Iuniorem, quartum Insidensium Castellanum. Anno millesimo centesimo sexagesimonono Episcopus est consecratus. Abbatiam de Blandech Monialium Ordinis Cisterciensis, prope Audomanopolim fundauit, anno millesimo centesimo octogesimosexto. Ob decrepitam etatem, cura, sollicitudinéque solutus pastorali, Deo, & sibi aliquanto tempore vacauit. Petiit autem ante mortem sibi concedi sepulturam in Monasterio Camberonensi, quod ei concessum à Daniele tertio Abbate, cui fuerat maximè familiaris. Anno verò millesimo centesimo nonagesimoquarto, sanctitate, rebúsque gestis, ac miraculis clarus, obdormiuit in Domino, & à prafato Daniele ante summum Altare, sepulture corpus mandatum est. Annumeratur Sanctis Belgij, vt constat ex chartis Harmonia, & pro Sancto semper habitus est à Religiosis, quibus ob viri sanctitatem (sicut à maioribus accepêre) cura semper fuit, vt eius sepulcrum nunquam pedibus calcaretur. Supra eius sarcophagum hocce distichon legi:*

b Ianuarij 28.

Dat Desiderio Cathedram Taruenna, sepulcrum
Hic locus: omne bonum det Paradisus ei. Amen.

3. Hinc corrigendus venit Robertus Claudius [c], quem nos sequuti, à vero etiam erauimus [d], qui Blandec Monasterium fundatum tradit anno M.C.LVI. quo Desiderius Sedem nondum conscenderat: & fundatio ad hunc tomum transferenda, nempe ad annum M.C.LXXXVI. vt habent memoriæ Ecclesiæ Camberonensis. Fuerat Desiderius, antequàm ad pontificalem dignitatem promouerentur, Præpositus Canonicorum Sancti Petri Insulensis, simúlque Tornacensis Cancellarius, & Archidiaconus, quod Ioannes Buzelinus adnotauit [e]. Porrò propter doctrinæ excellentiam, & mores optimos, defuncto Milone XXXI. Morinorum Episcopo, Teruanensis Ecclesia, quod monumenta Episcoporum eius testantur [f], desiderio desiderauit hunc virum cooptare sibi Pastorem: & nihilominùs cooptatum, & obtentum suo desiderio maiorem experta est, quod in Catalogo eorundem declarat, totidem verbis: *Post famosum Milonem* (in cuius locum Desiderius suffectus est) *desiderio desideranit Morinensis Ecclesia Desiderium, sancti Petri de Insulis Præpositum, & Tornacensis Diœcesios Archidiaconum, habere Pastorem. Desiderium autem anima eius (maiorem desiderio quàm habuisset) tribuisti ei, Domine, anno M.C.LXIX.* Hactenus ibi. Sic enim corrigenda puto, aut saltem declaranda, quæ Buzelinus transcripsit, atque vulgauit. Duodennio in Episcopatu exacto, ac multis intra illud glorioſè gestis, ante triennium cesserat vacaturus Cœlestibus, & per contemplationis tranquillitatem, æternam illam gloriam, quà mortalibus datur, anteuersurus. Hactenus Desiderius in morte nostris appositus, quamuis forrassis post abdicatum baculum, in vita etiam adhæserit: quod Authores non negant, & satis congruum apparet ipsius votis.

c in sua Gallia.
d an. 1156. l.6.n.10.
e lib.1.Galloflandr.c.6.
f apud eumdem ibid.

4. In vita, ad nostros rediit Martinus Seguntinus Episcopus, missionem, quam duobus iam annis sollicitauerat, in hoc tandem adeptus: & suam Hortam abdicatis infulis repetens, iterato femore, ibidem consummandus felici obitu. Non tamen vacuus apparere voluit in filiorum conspectu, qui dudum venerat onustus possessionibus, quas Mater Sanctia cum ipso Hortæ obtulerat. Præmisit opulentam donationem, Ecclesiam de Algondron, quam Seguntino Capitulo annuente, quinto Domus Abbati (Magistro Gerardo, qui ante annum successerat Armenio) Fratribúsque liberalis concessit; ab eisdem, & eorum successoribus liberè, & quietè perpetuò possidendam. Addita clausula, quæ grauamen omne excluderet, & quo firmior euaderet concessio, remuneratoriam declararet. Atque ecce instrumentum donationis, ex quo obiter constat, nequaquam deposuisse dignitatem ante hunc annum.

4.

5. *Martinus, Dei gratia Seguntinus Episcopus, ad communem omnium notitiam volo peruenire, quòd vnà cum assensu, & conuenientia omnium Seguntina Ecclesia Canonicorum, dedimus vobis dilecto filio Magistro Gerardo, Abbati de Horta, & omni Conuentui eius, Ecclesiam de Algondron cum omni iure suo; & quia ratio deposcit pia subditorum obsequia in Dei seruitio remunerare, eandem Ecclesiam, & terminum de Algondron cum omnibus pertinentiis suis, &c. & omnem decimationem eius do vobis, & concedo, vt habeatis, & possideatis liberè, & absolutè sine aliqua exactione: vt neque mihi, neque alicui successorum meorum, neque alteri persona licitum sit, vos super his grauare de cetero; & sigillum nostrum appendere iussimus. Facta charta apud Segontiam, mense Februario, Æra M.CC.XXXII.* &c. Hactenus donatio, quæ hodiéque Cœnobio firma manet.

5.

Tum

6. Tum verò Sanctus, impetrata missione, quam tanto tempore, & tanto desiderio sollicitauerat, sereno vultu cunctis benedicens, & vale faciens, cùm omnes alij in lacrymas prorumperent, solus ipse hilaris exuit Pontificem, quem primò induerat, Monachum acturus. Potuit esse solatio desertis filiis, quòd repeteret Hortam, vicinam Domum, atque intra eandem Seguntinam Diœcesim sitam; in qua eius doctrina, monitisque faciliùs, & commodiùs perfruerentur. De hac Beati Viri abdicatione hos versus habet Richardus in eius Vita:

Sic vir deuotus, & sancto Flamine plenus,
In Christo iacuit, vita, famâque serenus;
Pontificis studuit grandem postponere curam,
Et Claustris voluit vitam constringere puram.
Hortensi Claustro se clausit corde sereno,
Montis alabastro, cœlesti munere pleno.

Hactenus ille. Cæterùm, quanto cum gaudio in Monasterio à Fratribus, & filiis susceptus sit, quoniam pro dignitate dici non poterat, silentio censui consultiùs prætereundum.

7. Hoc item anno, vt in Belgio, Hispaniáque Desiderius, & Martinus; sic in Hibernia illustrabat Cistercium Beatus Matthæus, dignitate Archiepiscopus Casiliæ, atque Legatus Sedis apostolicæ; sanctitate conspicuus, vsque ad miracula; doctrina insignis, vt plura eius scripta, quæ hodiéque permanere dicuntur, testificantur. De his nonnihil ad annum M. CC. VI. quo creditur migrasse: sed nonnihil tantùm. Adeò pleraque Illustris Viri opera obscurauit obliuio, vt sileri fortassis expediisset, ne non tam illum laudare viderentur, quàm omnes alios carpere, qui tot glorias perire passi sint, cùm debuissent per scripta conseruare. Sed nuda nomina Annalibus inserere, in aliis indecorum; in Cistercien sibus necessarium fuit incuria veterum: & nobis ipsos vtcunque concinnantibus scire quid nostri fecerint, difficile: quot, ac quanta de illis ignoremus, in promptu est. Ecce Matthæus scriptis veneratandus, miraculis glorioſus, Archiepiscopus simul, Legatúsque: neque breuis temporis; sed qui vtranque dignitatem ad duodennium, vt minùs, prorogauerit: cùm solus nobis Annales implere possit, vix præter dignitates, quid aliud confert ignorandas, vt cætera remotis saltem, & exteris nationibus, si non Iacobus Vvaræus vtrumque simul cum tempore, & Monachatu viri, in publicum vulgasset totidem verbis [g]. *Matthæus, Monachus Cisterciensis, & Legatus Sedis apostolicæ, Archiepiscopus fuit (Casliensis) anno M.C.XCIV. Nam eo anno subscribit chartæ Donaldi Obricu, Regis Limericensis, qua concessit Briacio Limericensi Episcopo, suisque successoribus, Cleróque Sanctæ Mariæ Limerici, in liberam & perpetuam eleemosynam terram Mungren, (aliàs Mungret,) vt ex Registro eiusdem Ecclesiæ constat.* Hæc tantum ille. Quæ dignitates, Monachatúmque, simul & tempus pandunt, quantis fortassis prima eius assumptio hunc annum anteierit: reliqua, quæ de scriptis, & miraculis, pauca, & confusa habemus, cùm è viuis decedat, datuti sumus.

[g] in Histor. Archiep. Casl.

8. Matthæo Melissam, tertium Mellifontis Abbatem, addo (nam post Sanctum Christianum, Patricius fuit,) in eadem Hibernia, ad Clocorensem, (Clochetiensem alij dicunt) Ecclesiam sublimatus hoc ipso anno. Ignorandum & ipsum, si non idem Iacobus Vvaræus, Virum, ac tempus, & successionem, vtriusque dignitatis propalasset in Catalogo Abbatum Mellifontensium: atque en eius verba: *Tertius (Mellifontanus Abbas) Melissa fuit, filius Episcopi Macmailciaram, Episcopus & ipse Clocorensis, creatus anno M.C.XCIV.* Hæc tantùm ille: nec nos de Viro pluta, nisi quòd habuit successorem in Mellifonte Thomam virum honestum, & Religiosum: post quem successit Eatas, in Episcopum & ipse promouendus Achadensis Ecclesiæ: quam sub Archiepiscopatu Tuamensi, sicut & Clocorensem, sub Armachano inuenio notatas in libris Cameræ. Eatæ promotionis tempus ignotum: ideóque hîc subinnecta: obitus annum in tempore dicemus. Melissæ recens promoti sollicitudine, & Matthæi, vt coniector, authoritate effectum est, vt de corpore Sancti Malachiæ, ante triennium translato in Claraualle, nobilia per Hiberniam frusta ad Mellifontem, atque alia Cistercien sia Cœnobia deportarentur. Idque idem Iacobus Vvaræus in Annalibus Hiberniæ scriptum habet [h]: *Anno*, inquit, *M.C.XCIV. Reliquiæ Sancti Malachiæ Episcopi, de Claraualle, in Hiberniam sunt additæ: & in Monasterio Mellifontis, & cæteris Monasteriis Ordinis Cisterciensis cum maximo honore sunt receptæ.*

[h] ad hunc an.

9. Memorabile est etiam ad hunc annum id, quod sub Petro Atrebatensi contigit, insigne miraculum, cui & ipse interfuit, in Chronico Aquicentino narratum totidem verbis [i]: *In ciuitate Atrebatensi quidam Clericus, & soror eius ob reatum homicidij, incendio sunt adiudicati. Frater, & soror ad stipitem ligantur, & ignis in circuitu eorum copiosus accenditur in Balduini monte, astante immenera præsentia populi. Mulier cum valido cordis clamore, & ineffabili contritione, & oris confessione Sanctam Mariam, Dei Genitricem, innocans, & idem facere fratrem admonens, illo in flammis mortuo, meritis Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ liberatur ab incendio. Mirares! facies eius, & loquela non est immutata: capillus eius, nec pilus adustus, nec etiam odor incendij remansit in ea. Cùm autem inquireretur ab ea saluationis modus, dicebat, speciosissimam Dominam secum fuisse, & ab igne extraxisse. Post hæc in ciuitatem, ad Ecclesiam Beatæ Mariæ, liberatricis suæ, reducitur; tota penè ciuitas congregatur, & in præsentia Domini Petri Episcopi, & Cleri laudes omnium attolluntur, & tam grande miraculum nostris temporibus inauditum à præfato Reuerendo Episcopo authorizatur. Actum hoc anno apud Atrebatum in Solennitate Spiritus Sancti.* Ita Chronicum Aquicentinum, ex quo Ferreolus Locrius in suo Chronico

[i] apud Ferreol. Locr. hoc anno.

Digitized by G

1. Monachi Sancti ex Hemmenrode missi, in Vallem Sancti Petri. 2. Henricus à conuersione retardatus; sed tandem conuersus: 3. nec sine precedenti reuelatione. 4. De Beata Sophia, & ipso alia remissiùs. 5. Qualis Christianus iuuenis in sæculo, 6. qualis in Religione. 7. Consolationes, 8. & tribulationes eius: 9. demum de Sanctis Sifrido, & Theodorico.

CAPVT III.

1. DVæ sic Pontifices vtrò, citróque accepti, & dati illustrabant Cistercium per totum Orbem, Heisterbacense Cœnobium in Germania recèns translatum ad Vallem Sancti Petri (ante biennium enim in eam venerat) non solùm possessionibus auctum, & ædificiis; verùm, quæ maior omnium possessio est, Viris sanctissimis dignum se filium Hemmenrode Matre probabat. Quippe perseuerante adhuc Hermanno, quibuscúmque ex iis, qui inde aduenerant, Mater magis translata videbatur, quàm nouum germen. Inter hos, præter traditos superiùs, sanctitate florebat alter Hermanus, de quo Cæsarius admiranda scribit, adhuc recèns Conuerso in Hemmenrode, atque iterum Conradus senex in armis ante conuersionem exercitatus, qui iam quinquagenarius ad Hemmenrode circa annum Christi M.C.LXXI. dein inter alios ad Montem Stromberg veniens in Valle Sancti Petri longam senectam, quippe protrahendam ad annum Christi M.CC.XXI. ætatis suæ centesimum; sed meritis, quàm diebus refertionem; in silentio, & spe, & per merita, promissam sibi gloriam, laborum suorum præmium præstolabatur. Hos, aliósque transmissos ex Hemmenrode, partim superiùs dedimus, partim etiam inferiùs adnotabimus. Nunc, qui ex sæculo adiuncti Viris Sanctis, atque ibidem Conuersi, noui Cœnobij initia consecrárunt, ex Cæsario, qui intra triennium in eadem Domo Conuersus, omnes assequutus est, fideli narratione prosequamur.

2. Occupet primum locum Henricus, postmodum eius Domus tertius Abbas; sed per hæc tempora ad Habitum admissus ab Hermanno Abbate, non sine præuiis auspiciis futurorum: eius perseuerantem conuersionem nullis cedentem parentum suasionibus, nullis violentiis fratrum, idem qui supra Author his verbis prodit: *In Ecclesia* (inquit [a]) *Bonnensi idem Henricus Canonicus fuit, plures habens redditus, inspirante Deo fallax sæculum occultè deseruit, & desiderio Ordinis Cisterciensis accensus, ad Domum nostram, conuersionis gratia venit. Cum adhuc esset in hospitio, duo milites fratres eius, fugam eius intelligentes, & sicut homines sæculares, carnalia spiritualibus, & temporalia æternis præponentes, unde gaudere debuerant, turbati sunt: & concito gradu venientes, præmisérunt puerum, qui ei quasi ex parte matris loqueretur, vt tali occasione à Conuentu abstraheretur: quem cùm in locum insidiarum idem puer duxisset, accurrentes milites, vi equo iniectum, nolentem, & reluctantem cum dolore totius Conuentus, reduxerunt: nondum enim habitum induerat. Per aliquod tempus cum eis commoratus, cùm iam securi essent de eo, iterum fugit, indutóque habitu, spem totius reuersionis eis exclusit.* Ita Cæsarius de perseuerantia iuuenis, & fratrum eius eluſa ſollicitudine.

[a] lib. 1. c. 33.

3. Verùm eluſa cœlestibus auspiciis: nec nisi præcedente reuelatione cuidam Virgini facta, insigni fœmina, & cui, quid de se tandem futurum esset, & transitum iustantem ad Cistercium, cùm adhuc permaneret in nigro habitu, idem Henricus per visum reuelauerit. Nam audi, quod ipsemet Cæsarius alibi scribit [b]: *Hic* (inquit,) id est, Henricus, *cùm Canonicus esset, in Ecclesia Bonnensi, & ipsa Sophia Sanctimonialis in Dukirgen, quæ est Domus nigri Ordinis, Deo inspirante illi, relictis omnibus, conuersionis gratia ad Domum nostram venit; & ipsa pro eius perseuerantia, quantò intensiùs potuit, Domino supplicauit. Paucis diebus elapsis, cùm à fratribus suis carnalibus vi fuisset eductus, ante Habitus susceptionem, ipsa desperans dimisit orationem; quam ipse mox in somnis ab hoc arguens, & vt omissas orationes reinciperet admonens, adiecit: Primam Missam meam audies in Ordine Cisterciensi. Quod ita Dei nutu factum est. Nam ipse ad nos rediit, & ipsa Habitum mutauit: sicque in monte Sanctæ Vvalburgis, vbi tunc temporis Prioriſſa fuit, primum eius Missam audiuit.* Hactenus.

[b] lib. 10. cap. 16.

4. Nos de Sophia inferiùs multa dicemus, cùm ad montem Sanctæ Vvalburgis (Cistercienſe Cœnobium) transiisse, ac in eodem loco post annos aliquot claram miraculis, & meritis illustrem ad Superos transiatam referemus, hoc ipso Henrico Abbate illi assistente, atque eius excipiente confessionem. De Henrico id vnum breuiter noto; hunc esse eundem, qui sub Gebardo Abbate (qui Hermanno successit non multò pòst, cùm ille in Hemmenrodem translatus esset) Heisterbacensis Prior, post Gebardum tertius Abbas eiusdem loci, ad quam item dignitatem promotus est, non sine simili præcedenti reuelatione, quam in tempore dabimus (adeò speciali prouidentia Dei, omnes eius actiones dirigebantur.) Quin & eundem, sub quo scripsit Cæsarius Dialogos, atque Magistrum Nouitiorum egit; quæ omnia suis locis reddenda erunt.

5. Secundum locum occupet Christianus, *Iuuenis etate*, vt idem Cæsarius ait [c]; *sed vita sanctissime, vt vnus crederetur Sanctorum, qui sunt in terra Domini.* Hic Patre Clerico, Canonico Bonnensi, atque ipse primùm in ætatis suæ lubrico à semita mandatorum deuians, imitatus parentem, nec potens sequi agnum, quocunque iret, vocante tandem Deo, ad se reuersus, recèns translatam Domum ingressus est cæterorum exemplis, monitísque, si admitti mereretur, confirmatus in voto: sed ipse suis (quod euentus mox probauit) quos optabat Magistros, confirmaturus. Atque hæc idem Author sparsa, & obiter, reliqua protensiori filo scripta, ex ipso nos ad literam reddemus.

[c] lib. 4. c. 30.

6. *Hic* (ait [d]) *corpore tam debilis erat, vt eum viuere taderet. Nocte quadam dictis Matutinis, vsque ad Laudes, capiti suo parcere volens, super lignum quoddam ante Altare se prostrauit, sub forma orationis ibi dormitans. Mox vt oculos clauserat, assitit Gloriosa Domina nostra Virgo Maria, & vectè eum feriens, excitauit eum dicens: Christiane, non est hic locus dormiendi, sed orandi. Statim ille euigilans, apertis oculis, posteriora fœminæ recedentis vidit, & vocem fœmineam iam dictum sermonem concludentem audiuit.* Hæc prima visio sancti adolescentis propriè corripiens. Quippe cor eius rapiens, confortans-

[d] vbi supra.

que,

que, vt ipse ex tunc, & promptior ad obsequia, nullis passionibus, affectibúsve possit retardari, & Reginam cœlestem, Angelósque, ac Regem ipsum Cœli, & Angelorum faciliores expertus, vix ab eorum consortio, nec nisi inuitus, & cogente obedientia anelli posset: nam audi, quod sequitur [c]:

c ibid.

7. *Quanti fuerit meriti, quantum dilectus cœlestis Patrie ciuibus, sequentia declarabunt. Cùm propter nimiam capitis infirmitatem, generalem habuisset licentiam manendi ex vigiliis solennibus, quotiès voluisset, vix nisi compulsus de Choro exiuit. Dictis verò Matutinis, infirmorum in Oratorium rediit, & moram longiorem, quam Ordo concederet, illic ex consuetudine fecit. Cui, cùm diceres die quadam Dominus Henricus Abbas noster, tunc Monachus simplex: Bone Frater Christiane, vos frequenter nobis exponitis debilitatem capitis vestri; & tamen non vultis vti gratia vobis indulta. Respondit: Non possum manere: stans enim extra chorum, & alios psallere audiens, quia intrare non licet, corde crucior, eò quod recorder consolationum, quibus Deus inter illos lætificat animam meam. Audito hoc verbo, Dominus Abbas, de spirituali præsumens amicitia, quæ essent illæ consolationes inquisiuit. Et, vt sibi diceret, cum multa precum instantia obtinuit. Confessus est ei, quia sæpius in Choro tempore psalmodiæ beatos Angelos videret circuire; &, quod multò fuit excellentius, ipsum Regem Angelorum hominem Christum Iesum.* Hactenus de frequentibus Viri consolationibus.

8. Denique de fornace tribulationum, per quas probatus, ac fidelis inuentus, ad eas præparabatur consolationes, audi, quod sequitur [f]: *Ex quo ad Ordinem venit, nunquam sine tentatione fuit; tum propter nimiam debilitatem capitis; tum ob desiderium Patriæ cœlestis. Flagellum Domini in tanta patientia sustinuit, vt omnes eius fratres mirarentur. Tempore quodam Dominus, qui inuentator malorum est, gratiam lacrymarum, quam illi copiosè contulerat, subtraxit. Vnde satis tenuabatur.* Et paulò inferiùs: *Christianus verò de amissa gratia sanis dolens, & peccatis suis hoc imputans, cùm die, ac nocte pro illius recuperatione oraret, nec proficeret, recordatus est ligni Dominici: dixitque in semetipso: Si faculatem haberes deosculandi lignum pretiosum, in quo Saluator sanguinem suum fudit, gratiam tibi refunderet lacrymarum. Tali suspensus desiderio in quadam solemnitate, dicta Missa, ad Altare accessit, sacrúmque lignum deosculans cum augmento receptam gratiam suscepit.* Pergit Author de ligno miraculoso, nigri coloris, de Apulia adducto, quod nos etiam superiùs commemorauimus. Atque hæc pro nunc satis de Christiano: nam pretiosam in conspectu Christi mortem Viri sancti, non multò pòst sequutam, Deo dante, in tempore dicemus.

f ibid.

Ex insignioribus supersunt alij duo, Theodoricus Monachus) dictus de Lurcke) Sifridúsque; quorum hic Prophetiæ illustris dono, vt credebatur; & nos de illo nonnulla infrà dicemus. Ille, & ipse Canonicus Bonnensis ante conuersionem; post ipsam sanctitate clarus vsque ad miracula, in ipso etiam probationis suæ exordio, dum Domus sub his initiis construeretur; cunctis videntibus illustre signum edidit, quod idem, qui suprà Author, alibi narrat [g]: *Theodoricus* (inquit) *de Lurcke, Monachus noster, quondam Canonicus Bonnensis, quem multi nostri nouerunt, die quadam cum Conuentu exierat ad lapides eruendos de monte proximo Monasterio: cúmque maximum lapidem à Conuentu semotus inspiceret, quadam ductus curiositate, instrumentum admouit: sed nihil prorsus profecit. Nec mirum: fuerat siquidem tanta quantitatis, ficque terræ radicitùs infixus, vt à viginti viris non posset moueri. Recordatus Dominicæ promissionis, gemuit, flexit, & orauit: completáque angelica salutatione cum oratione Dominica, mox vt manus apposuit, lapis virtute diuina leuatus exiliit.* Hæ primitiæ Monachorum Heisterbacensium ante aduentum Cæsarij: hi primi lapides superponendis aliis, quos tanto Deus ædificio destinauisset. 9.

g Homil. 46.

---

1. *Calatrauenses Sancti Petri Cœnobium nostris obtinent.* 2. *& regio priuilegio firmari faciunt.* 3. *Quid Milites specialiùs in ea Domo.* 4. *Quos ante, & post Cistercium Abbates habuit.* 5. *Creantur Vicarij Abbatis Morimundi,* 6. *quod munus vltra quadraginta annos exercent.* 7. *Succedit Didacus Velaz quius in eam Domum.* 8. *Et confutati Rades, & Recentiores.* 9. *Demum de Sancto Isidoro Hispalensi, atque alia Cordubæ Domo remissiùe.* 10. *Tum situs loci, Reliquiæ, atque sepulcra.*

CAPVT IV.

1. INTER hæc in Hispania Calatrauenses, quò adhuc arctiùs nostris adhæresceret, siue vt Morimundensem Archimandritam longè terrarum dissitum, adeóque minùs superintendentem ipsorum curæ, proprio in Hispaniæ filio cohonestarent, cui vices suas committeret, & ad quem ipsi recurrerent in dubiis, Priorem, legésque, atque annuam susceptura visitationem; quæ vnica Magistro occasio fuerat, cùm Cistercio vniretur ante septennium, addendæ illius clausulæ: *Si Abbatias ædificare poterimus, Dominus Morimundensis ordinet eas, &c.* Hæc, inquam, altiùs secum conferentes, Abbatiam Sancti Petri prope Gumielem in veteri Castella Regiam Domum, quæ hactenus Monachorum nigrorum fuisset, reformari ad Cistercium sollicitarunt. Actum primò de admittendis Cistercij legibus; cum Abbate, & Monachis. Dein, cùm ipsi ad hoc faciles essent, ac nouo iugo se colla submissuros sponte annuerent; vocatus Petrus tunc Abbas Morimundi, qui Regiam Domum de manu Regis acciperet, atque adduceret Monachos, per quos Cistercij ritus, atque Ordinis reformati disciplinam edoceretur. Tum verò Alfonsus, qui nullum vnquam beneficium omisit erga Cistercium, Petro, & Fratribus Monasterium tradidit, priuilegio expedito, cuius hæc verba [a]: a ex Tabulario Sancti Petri. 2.

Præsentibus, atque futuris notum sit, ac manifestum, quòd ego Aldefonsus, Dei gratia Rex Castellæ & Toleti, vnà cum vxore mea Alienor Regina, & cum filio meo Ferrando, dono, & concedo Deo, & Ordini Cisterciensi, & vobis Domno Petro Morimundensi Abbati, vestrisque successoribus, & Conuentui Sancti Petri

ri de Gumiel, præsenti, & futuro Monasterium Sancti Petri de Gumiel, cum omnibus ad illud pertinentibus, iure hæreditario in perpetuum habendum, & irrevocabiliter possidendum. Si quis verò hanc chartam infringere præsumpserit, iram Dei Omnipotentis plenariè incurrat, & cum Iuda Domini proditore infernalibus mancipetur panis, & insuper Regi parti mille aureos in coto persolvat, & dannum, quod vobis intulerit, duplicatum restituat. Facta charta in Toleto. Æra millesima ducentesima trigesimasecunda, octauo Kalendas Decembris. Ego Rex Aldefonsus, regnans in Castella, & Toleto hanc chartam robore, & confirmo. Martinus Toletana Ecclesiæ Archiepiscopus, Hispaniarum Primas confirmat. Hactenus priuilegium Alfonsi Regis, quod Ferdinandus, cognomento Sanctus, ipsius nepos, post annos quinque & triginta confirmauit. Porrò in confirmatione, possessiones, quæ Cœnobio acquisitæ commemorantur, tot, ac tantæ existunt, vt non immeritò Domus hodie tenuis, tunc opulenta, & diues fuisse credatur. Nisi quòd tamen ædificium humile, atque vix magnum aliquid præsefert.

3. Hanc Abbatiam Cistercio adiudicatam sacra Militia agente, compertum est; asserentibus Guidone Cistercienſi, & quatuor aliis Cistercij primis Abbatibus, litteris post quinquennium expeditis, in quibus etiam propter eandem causam plus aliquid in ea Milites habent, quàm in aliis Cœnobiis: sic enim dicitur [b]: *In Abbatia Sancti Petri, quæ per vos ordinata est, & fundata, eritis in Choro cum Monachis: in aliis autem Domibus, vel in retrò Choro, vel in Presbyterio, vbi melius vobis placuerit: in Infirmatoriis verò Monachorum, in Domibus, ad quas veneritis, in loco separato honestè vobis; & sicut decuerit, seruietur. Porrò in Sancto Petro Abbatia prædicta, eritis vbique cum Monachis.* Hinc factum est, vt in aliis priuilegiis eidem Domui à Regibus concessis, addatur clausula: *Quod priuilegium ego Alfonsus Rex dono, & concedo Monasterio Sancti Petri, &c. ad instantiam Magistri Calatraua.* Quæ quidem clausula vsque ad tempora Ioannis primi Regis Castellæ peruenisse dignoscitur, cuius ad petitionem, Gundisalui Guzmanij Calatrauæ Magistri indultum extat.

[b] *supra an. 1187.*

4. Habuerat Monasterium Sancti Petri ante admissum Cistercium Abbates quatuor, neque plurium memoria habetur ex instrumentis [c], Michaelem, Sanctium, Dominicum, & Thomam: quorum ab anno M.LXXIII. vsque ad M.C.LXXXII. per nouem supra centum annos præfectura, sub habitu nigro perseuerauit. His creditur successisse Michaël secundus: incertum, quo anno. Constat, ab ipso admissas Cistercij leges integra præfectura, quam sub eisdem etiam continuauit vsque ad annum M.C.C.X. fortè & vltrà: quippe ante M.CC.XVIII. non vllius alterius memoria extat: millesimo centesimo decimooctauo vitiatur instrumentum Sanctio secundo factum, post quem Michaël tertius, Martinúsque, & Petrus circa annum M.C.C.XXII. de quo multus tunc nobis sermo erit.

[c] *Archiuij Patri.*

5. Admissa per Guidonem Abbatem Domo, & stabilitis in ea Cistercij ritibus, Abbas Sancti Petri Gumilienſis, ipsius filius, mox & Vicarius item creatus est, qui Calatrauam per omnia administraret. Itaque & Prioris institutio, & annua visitatio sacri Conuentus, & cognitio causarum, si quæ emergerent, cæteráque, quæ Morimundi Abbas, iure Paternitatis in ipsum poterat, Præsuli Gumilienſi delegauit. Datum id precibus Alfonsi inuicti Regis, & totius Militiæ; qui neque alienæ linguæ, genuíve, tolerare Priorem, nec se recursu ad Patrem, longa distantia paterentur priuari; quem suis commodis, præcipuè spiritualibus, morúmque correctioni, ac disciplinæ, oculatissimè intentum desiderabant. Refert hæc omnia Gregorius Papa IX. velut à Rege Castellæ Ferdinando sibi narrata, ad Abbatem Morimundi post vnum, & quadraginta annos scribens, in hæc verba [d]:

[d] *ex Pariensi.*

6. *Gregorius Episcopus, Seruus seruorum Dei, Dilecto filio Abbati Morimundi, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Sua nobis charissimus in Christo Filius noster Illustris Rex Castellæ petitione monstrauit, quòd cùm Militia Calatrauensis Cisterciensis Ordinis, Castra, quæ de manibus Saracenorum idem Rex eriperet, sua commissa fidei custodire, & ei ad defensionem Christiana militare fidei teneatur; & ad ipsius, & preces eiusdem Militiæ, qua tibi in spiritualibus subesse dignoscitur, Abbas Monasterij Sancti Petri de Gumiel tibi subditus, eiusdem Ordinis, Oxomensis Diœcesis, sibi potestate concessa, vt ipse aliquos Monachos ibidem instituerit, qui eandem Militiam informarent regularibus disciplinis, à prædecessoribus tuis perpetuò datus fuerit visitator. Ita Gregorius IX. ad Abbatem Morimundi, ex fideli (haud dubiè) relatione Ferdinandi, cognomento Sancti, Castellæ Regis. Quibus verbis, dum Visitatorem vocat Paternitatem, licèt delegatam, dum Monachos ab eo institutos tradit, qui informarent Militiam, ius constituendi Priorem, ac Suppriorem vtrunque Monachum, qui in spiritualibus Conuentui toti præessent, dum id ad preces Regis, & Militiæ concessum ait, supplicantium instantiam. Demum, cùm id perpetuò factum tradit, ab admisso in Gumiele Cistercio cœpisse docet; atque pacificè, & quietè conseruatum ad illud vsque tempus; in quo, qua occasione turbatum sit, & quibus ante obortis controuersiis, dicemus in tempore.

7. Tum verò tandem Venerabilis Senex Didacus Velazquius, qui instituendæ Militiæ Calatrauæ Sancto Raymundo Abbati Author extiterat, quíque ab eiusdem Beati Viri morte, de consensu Capituli, varios Militiæ casus toleraverat, velut residuum à Raymundo semen, ex quo totus hic fructus pullularet; cùm Calatrauam Cistercij olim, & Hispanæ gentis prolem, iam non solùm Cistercio restitutam, sed Hispaniæ videret, & quæ per Monachos dudum Hispanos cœperat, tunc Monachis Hispanis regendam tradi: missionem è Conuentu sacro petiuit, obtinuitque, ægrè Magistro, & Militibus cedentibus, quibus metus ex hoste, si Sancti Ducis consiliis destituerentur. Sed vicit cunctos importuna viri inconstantia, & decrepita ætas, quæ iam demum quietem expostulabat. Visa præterea assistentia eius perutilis Abbati Sancti Petri, non aliter Militiæ profuturo, quàm si eius ducatum sequeretur, qui Monachatui Militiam copulasset. Ergo Priore ibidem substituto, nam ipsum ab anno M.C.LXXXVII. id munus subiisse, traditio est, secessit in Cœnobium Sancti Petri, reliquum vitæ ibidem peracturus. Qualiter autem in eodem Monasterio, post biennium in eo sanctè peractum, feliciter in Domino obdormierit, ibidémque honorificè sepultus sit, anno M.C.XCVII. quo euenit, dicemus, si Deus dederit.

8. Visitur hodie in Cœnobio Sancti Petri turris antiqua, ex quadro lapide, & muro satis firmo, breuibus nimiùm mansionibus distincta, híque satis obscuris, & incommodis: quibus, si aliquod crimen admisissent, includi Milites, atque arctæ custodiæ mancipati

nuncipari eo tempore solitos, traditio est: siue grauioris culpæ reos Magister ad Abbatem remitteret, quasi ad supremum caput totius Ordinis: seu tantùm appellantibus prouisum, ne incustoditi sententiam expectarent. Ex his omnibus constat, quàm longè errent, qui Sancti Petri Cœnobium traditum nostris in compensationem pro Calatraua commenti sunt: quasi ea fomniata transactione sine instrumento, sine Authore, sine probabili vlla coniectura; quin cunctis reclamantibus, extinctum totum ius, & nihil Monachis in ea residuum maneat. Sed planè antiquis longè alia mens: & nostri vel rogati respuebant: Milites sacri, vel spreti, sollicitabant.

9. Mansit Ecclesia Sancti Petri, Gumielensis insecunda pro tempore: verùm post septem supra centum annos ab admisso Cistercio, suscepit filiam in Betica Prouincia, Hispalim prope, à Sancto Isidoro pictam. Asylanorum, siue Asyndanorum Ducum (vulgò, de Medina Sydonia) illustrem, atque opimam fundationem, procurantibúsne etiam Calatrauensibus, in dubio est. Et crediderim per eos sollicitatam. Maximè dilatata Calatraua per totam Beticam; nec se vnquam elongari à nostris passa, quos in cunctis consuleret, & per quos de obseruantiis instrueretur, certè accersisse Coloniam ex Sancto Petro argumento est, non nihil ad hoc contulisse Militiam sacram. Habuit item Cistercium aliam Ecclesiam in eadem Prouincia, Cordubam iuxta; dubium, vnde progenitam: & probabile etiam ex Sancto Petro. Verùm hæ Domus, vt longè ab aliis positæ, nec facilè per Matrem visitandæ, ab obseruantia primùm, deinde etiam defecerunt ab instituto, quod suis locis latiùs inferemus.

Distat Cœnobium ab oppido Gumielis ad millia passuum in loco plano, & fertili, quippe ex se pingui, atque irriguo natiuis aquis: secundo lapide ab oppido Arandæ; ab vrbe Regia Burgis, duodecimo: pertinet ad Episcopatum Oxomensem, in quo, & in libris Cameræ inuenitur taxatum florenis centum. De eximiis, quibus illustratur Sanctorum exuuiis, ex Colonia adductis inferiùs dicam. Seruabar item veneranda corpora Felicis, & Ioannæ, verè felicium Parentum Sancti Dominici, (Hispaniæ nostræ, & totius Ecclesiæ Luminis,) Ordinis Prædicatorum Institutoris, quanuis iam matris corpus eisdem Patribus, (donone an prodigentia nostrorum dicam?) dudum accesserit, nempe, ab anno M.CCC.LXXXIII. tumulatum in Sancti Pauli templo Peñafilensi. Legitur adhuc tabella cum inscriptione vtriusque memoriam conseruante, atque exprimente alterius translationem:

Hoc in sacra Capella Sancti Dominici, Sanctus vterque Parens sepultus fuit: illa Ioanna in Sancto Paulo Penafilensi, ille Felix, hic requieſcit adhuc.

Sed requieſcit occultus, & incognitus, ne qua occasione inde abduci possit. Sed de his iterum sermo habendus erit.

---

1. *Hora Virginis in Infirmaria recitanda ex decreto Capituli*, 2. *ad exemplum Cluniacensium*, 3. *sancta, atque conuenienti æmulatione*: 4. *cautum etiam de sobrietate potus.* 5. *Chronologia*, 6. *& fundatio Petræ ex Zurita*: 7. *dein distinctius*, 8. *& dictum de his, quæ illustrabant eandem Domum.* 9. *Demum translatus Sant-Iulianeus Conuentus, sed breui permansurus, ad Castra Iulia.*

CAPVT V.

1. GAVTVM in Synodo de recitandis Horis Beatæ Virginis, quæ hactenus à singulis, vt ex tunc in Conuentu, at non in Choro, sed in Infirmatoriis persoluerentur: excepti tamen inde dies solennes, nec satis constat omittendis penitùs, an seorsum, vt antèà, recitandis. Verba decreti hæc esse reperiuntur: *Hora Sancta Mariæ dicantur omni tempore in Infirmitorio, exceptis Festiuitatibus B. Mariæ, & Octauis Assumptionis eius, & die Natalis eius Filij Domini nostri, & Paschæ, & Pentecostes. Et qui voluerit extra terminos, præterquàm in Conuentu.* Itaque agentes extra terminos Monasterij seorsim poterant: reliqui simul alternantibus Choris grauiter, & deuotè: nec constat, an psallebant, an recitabant.

2. Verùm, quod in Infirmatorio celebrari iubentur Horæ Virginis, ex Cluniacensibus deductum ad nostros fuit, qui dudum sub Venerabili Petro Mauritio statum haberent[a]: *Vt sicut ex consuetudine alia Hora Sancta Virginis Matris Domini in Ecclesia infirmorum, qua in honore ipsius consecrata est, quotidie decantantur; & eiusdem ibi Completorium cantaretur, & in omnibus Horis ante Psalmos præmitteretur versus:* Memento, salutis Author, *cum gloria sua.* Ita Petrus Mauritius, siue Capitulum sub ipso celebratum, per Cluniacenses. Portò statuti huius causam ipse subiungit: *Causa instituti huius fuit honor Matri Domini super omnem creaturam singulariter exhibendus; & vt, quia eius Hora in Conuentu publico propter Fratrum numerositatem, & Officiorum multiplicitatem breuitate temporis prohibente, cantari non poterant, saltem in capella ipsius, à paucioribus ex integro cantarentur.* Hactenus ipse.

[a] Statut. 50. in Biblioth. Cluniac.

3. Itaque Cluniacensium in hac parte imitantes exemplum Cistercij Patres, decreuêre in Capitulo hoc anno, vt Horæ Virginis conuentualiter ab omnibus in Capella Infirmorum recitarentur. Adeò neutros imitari alteros piguit in his, quæ ad Deum: & vt ipsi olim nostros in multis annis, quod in priori tomo latè vidimus; sic in obsequio Mariæ decentiori, in quo nos præcesserunt, facile fuit eosdem æmulari Virginis seruis. Nisi quòd tamen illi non ab omnibus; sed à paucis tantummodò susserant recitandas: nostris id pensum semper commune fuit.

4. In eodem Capitulo actum de sobrietate: præceptúmque, vt *Vinum in Conuentu non apponatur, nisi prius fuerit aqua dilutum.* Erant, qui singulis corrigenda relinquunt, quæ pro omnibus possunt præcaueri, vt nullus dyscolus (quod rarum inter plures) tentari, aut mulci, aut omnes, & longè rarius erit, si nullus cadat; periculo crescente ex occasionibus. Potuit huic edicto dedisse causam duorum illorum Monachorum lapsus in Oriente, & Saladini exprobrario, siue calumnia, adeò prudentibus nihil casu euenit: certè nihil non ex vsu; quippe qui vel ex malis

malis eliciunt bona; cadere permittuntur, non tam vt cadant, quàm vt resurgant cautiùs incessuri.

5. Chronologia huius Anni nimiùm arcta; duo tantùm Cœnobia erecta tradit; alterum de Silo, seu de Siloa; alterum Sancti Galgani, in ipso loco, vbi Vir sanctus ad Superos migrauit. Sed de Sancto Galgano superiùs dictum: de Silo nihil dicendum nobis occurrit, nisi quod numeratur in Ecclesiis, de linea Clarævallis, incerta Matre. Sancti Galgani in Tuscia Prioratum, cuius suprà meminimus, hoc anno in Abbatiam surrexisse, indicat Chronologia, per anticipationem tamen, vt sæpè solet. Et etiam post biennium adhuc Monachos sub Priore vixisse constat ex priuilegio Henrici VI. in quo, *Imperiali*, vt ait [a], *benignitate Bonum Priorem eremi S. Galgani, & Fratres suos, & vniuersa bona, quæ habent, aut habere poterunt, & specialiter, quæ ipse illis concesserat, & quæ habebant de filiis Conradi de monte Alino*, &c. *libera omnia esse, & sub Imperiali protectione decernit. Datum apud Assanum anno Domini* 1196. *Indictione XX. secundo Nonas Octobris.* Hactenus ibi: quibus clarè videas, primum loci Antistitem, nomine Bonum, post biennium adhuc, gaudentem Priotis titulo, & nec dum in Abbatem promotum fuisse. Porrò hunc Bonum, non ex Casamario; sed ex Claraualle aduenisse in Tusciam, probat aliud eiusdem priuilegium, quo *eterna retributionis intuitu, Monachos S. Galgani à Claraualle in Tusciam venientes, ab omni seruitio, siu munere liberos, & immunes esse constituit; vt nulli prorsus hominum respondere teneantur, nisi tantùm Clarauallensibus. Donat item campum iuxta Abbatiam situm, qui sex bouum paribus erari annuatim possit*, &c. *Datum in Castro S. Quirici, anno Domini M.C.XCI. VIII. Idus Martij.* Itaque Monachis adductis ex Casamario, cùm primùm Sanctus obiit, præfectus Bonus, qui ex Claraualle in Tusciam aduentauerat. Hic Prioris officio functus est, vsque ad annum M.C.XCVI. vt minimum; post quem tamen, ante annum M.CCII. quo dicitur obiisse in Abbatem Cœnobij promotus creditur. Extant & multa alia priuilegia illi concessa, quæ nouissimè Iongelinus, à Tuscia ad se transmissa, in lucem dedit. Celebris est in eodem Monasterio Rainerij memoria, V. loci Abbatis, ex Medico, Monachi; cùm priùs oraculo cœlesti vocatus esset; ex Monacho, Præfecti eiusdem Domus, circa ann. Domini M.CC.LX. qui multis, tam in vita, quàm post mortem miraculis claruisse commemoratur. Quin & sub ipso Iacobus quidam Monachus sanctitate excellens fuisse fertur, cuius vitam Rainerius concinnauit. Ecclesiam Monasterij post annos aliquot, sumptuoso opere dicitur construxisse Stephanus Cardinalis de Cecano, vt quidam volunt, ex Monacho, & Abbate Fossæ nouæ Ordinis Cisterciensis; & quidam alij, ex Sant-Galganistis Monachis, Volaterrani Episcopi, quorum memoriam inscripcio recens conseruat, quam opera Ferdinandi Vghelli ad se transmissam, idem qui suprà Iongelinus euulgauit. Verùm de ea, templique structura suo loco, Deo dante, dicturi sumus. Hactenus recensita in Chronologi.

6. Addendum tamen Monasterium Petræ, siue de Petra, in Regno Aragonum, non longè à finibus Veteris Castellæ, ex Populeto natum, petente Monachos nouæ fundationi Alfonso Rege, & Petro Abbate (is Populeto præerat) Coloniam dirigente, cui Gaufredus præesset loco Abbatis. Zurita rem iam in annum sequentem differt, neque locum prioris fundationis, sed translationis describit, his planè verbis [b]: *Hoc anno* (scilicet, M.C.XCV.) *Cœnobium Cisterciensis Ordinis in Celtiberia, Petrinum nuncupatum, summa loci amœnitate constitui, quo cataracta fluuium insigni spectaculo excipiunt, qui per arduas, scissasque rupes insurgit, à Ferdinando Aragonio Cæsaraugustano Archiepiscopo, qui se ei Conuentui ex Præfecto Alcanicnsi, dicauerat, memoriæ traditur. Fluuius inde Petrinus cognominatus infra Bilbilitanorum aquas in Salonem influit.* Hæc ille paucis, confundens loca, & tempora: eadem nos distinctiùs, fusiùsque ex eius loci Archiuiis prosequamur [c].

Anno M.C.XCIV. decima die mensis Maij Petrus Populeti Cœnobij Abbas ad petitionem Alfonsi Regis, duodecim Monachos cum Abbate Gaufrido misit, nouum Cœnobium fundaturos in Aragonia. Eiusdem mensis die decimanona peruenêre ad locum de Peralejos, secundo lapide ab Vrbe episcopali, cui Teruel nomen; vbi per sex ferè menses morati sunt. Ferè dum Arx Petrina, ad quam destinabantur, eisdem suscipiendis præparabatur. Vigesima porrò die mensis Nouembris peruenerunt ad arcem, in qua tribus supra viginti annis perseuerarunt. Quibus expletis, anno M.CC. XVIII. descenderunt in locum, quem modò occupant, & Zurita describit, quarto lapide à Bilbili, cùm Domus ab Alfonso Rege incepta, à Petro filio fuisset consummata. Hæc pluribus antiqua monumenta Petrinæ Domus, quæ suis locis latiùs dicenda erunt. Priuilegium fundationis, & donationis sequenti anno expeditum, quod Zuritæ postponendi tempus occasio fuit. De loci nomine dubitatur inter incolas, an ab arce, quam primùm insederunt, cui Petra nomen; an à rupibus, quibus ædificium insidet: & neutrum præfero, ne alteri præiudicem.

7.

8. Multa præterea illustrant hoc Cœnobium, quæ suis à nobis locis dicenda erunt: sed inter alia duo, imò supra alia: Sacræ Eucharistiæ species à multis annis transmutatæ in carnem, (mysterium vocant incolæ,) quæ in hunc vsque diem perseuerant, visuntúrque, & deuotè venerantur anniuersaria, & festiua solennitate: atque erectio Hispanæ Congregationis, per quam Cistercium floruit, cùm iam, iámque sub Commendarum peste gemens, ac diuersis incommodis penitùs emarcuisse, videri posset. Inde Martinus Bargas, aliique, qui Castellæ, & Legionis Monasteria dudum deformia, non sine magno labore reformarent, Petra interim nequaquam reformata, quòd intra limites Aragonensium contineretur. Haud aliter Cistercij primi Patres de Molismo exeuntes Benedictinam Familiam per totum Orbem; at non Molismum ipsum reformauêre: sed de his nunc satis. Pertinet Petra ad Diœcesim Turiasonensem, vbi in libris Cameræ ducentorum florenorum taxa notatur. Memoratur in litteris Honorij Papæ III. datis Laterani sexto Kalendas Martij, Pontificatus sui anno secundo.

9. Hoc ipso anno, nam neque id omittendum fore putaui, Sant-Iulianæi Milites ab Alfonso Rege Castellæ, quanuis non essent in eius ditione, oppido, & arce de Truxillo, (antiquis Castra Iulia,) donati sunt, si credimus Historiæ Magistrorum, quæ vulgò Diffinitionibus, vt vocant, præmitti solet [d]: in quem locum transtulisse Militiæ partem Gomesium, cognomento Barrientos, qui tunc cæteris præerat, argumento est, quòd ab hoc anno, & deinceps in multis instrumentis *Maestre del Pereyro, y Truxillo*, cognominatur: siue nouum Conuentum instituerit à priori diuersum: siue antiqui, & prioris, nouam Sedem pro libito alternandam: siue pro ingruentium bellorum, aut aliarum occasionum necessitate. Quodcunque fuerit, permanere diu non potuit, intra biennium amissis arce, & oppido: quod suo loco à nobis dicendum erit.

[a] lib. 67.

[b] in Indice rerum Aragonia.

[c] ex Tabulario Monasterij.

[d] in prima Magistr.

ANNVS

ANNVS CHRISTI M.C.XCV. — CISTERCII XCVIII.

1. Richardus Angliæ, & suis restitutus 2. interpellat Cœlestinum contra Leopoldum, 3. à quo excommunicatus, neque obediens, 4. seuerè à Deo punitur, 5. morbo incurabili. 6. Conuersio eius, 7. Monachatúsque in Monasterio Sanctæ Crucis Austriæ. 8. Vita epitome, 9. & suspensum illius funus: 10. demum perpensa eiusdem inobedientia.

CAPVT I.

1. GVILLELMI Neubricensis verbis incipiam annum, qui fuit Cistercij octauus, & nonagesimus, quia & ipse Leopoldi Ducis mortem, ab anno Christi auspicatur verbis sequentibus [a]: *Anno à partu Virginis M.C.XCV. ingresso, illustri Anglorum Regi post grauium experimenta malorum fauor cœpit arridere diuinus. Cùm enim plusquàm viginti marcharum millia præparasset, Duci Austriæ, cum multo periculo transmittenda; illi, quos eidem Duci pro satisfactione summa exacta obsides dederat, repentè affuêre, habentes mel, & lac sub lingua sua; hostem, scilicet, immanissimum diuini pondere iudicij obrutum nunciantes: & pro fide nuncij se ipsos cum gaudio ostentantes.* Hactenus ille. Porrò, quo ordine hæc omnia gesta sint, & qualiter per mortem crudelem fatis, salutarem Deus illi pœnitentiam; & licèt breuem Cistercij Monachatum; ac per hæc media gloriam præparauerit; sic enim piè credimus ex ipso, atque aliis fideliter describam.

[a] lib. 5. c. 6.

2. In primis Cœlestinum Summum Pontificem interpellatum à Richardo Rege aduersùs Leopoldum, anno, ni fallor, præcedenti commemorauimus. Porrò, qualis illius petitio fuerit, quas querelas detulerit per nuncios, ad hoc ad Curiam missos, narrat Matthæus Paris, hæc in ipsorum persona scribens verba [b]: *Pater Sancte, salutat excellentiam vestram Dominus noster Rex Anglorum Richardus, & postulat sibi iustitiam exhiberi de Duce Austriæ, qui ipsum de peregrinatione sua tam laboriosa reuertentem cepit, & aliter quàm tantum Principem decuit, afflixit; Imperatori, ac si bos esset, vel asinus, vendidit: qui postmodum ambo, Regnum eius intolerabili redemptionis debito contriuerunt. Ipsi insuper à Christiana fidei legibus non alieni, in tali casu, Regi detento graviora exercuerunt iudicia, quàm ipse Saladinus faceret, si in manibus ipsius persimile infortunium incidisset: contra quem ipse Rex à finibus terræ, relicto Regno nuper adepto, relicta patria, parentibus, & amicis, dimicaturus ascendit. Sciret forsitan Regis generositati simul, & probitati, siue maiestati nimium deferre: cui illa gens barbara, & cervicosa nescivit. Sed fortassè hoc fecerunt, vt sibi tanti Regis captio pro laudabili victoria imputaretur: cùm nunquam ipsum bellum appetere præsumpsissem, si bellicoso suo exercitu vallatus fuisset. Nec sibi Regis defectionem existiment imputari; sed diuinæ potiùs dispensationi, ad cuius nutum vota etiam fortunæ hunc humiliat, & hunc exaltat: hunc deiicit, & hunc attollit. Mouet præterea non mediocriter Dominum nostrum Regem, quòd sub pace, & protectione vestra, omnibus peregrinis, vsque ad triennium concessa, & in pœnam excommunicationis inflictæ, & firmatæ, ipsum à peregrinatione venientem, ad grauissimam redemptionis summam coëgerunt. Iubeat ergo Excellentia vestra, vt obsides Domini nostri Regis, qui adhuc pro parte redemptionis, quæ soluenda restat, detinentur in vinculis, liberos exire Dux ille permittat, & pecuniam illam, quam à Domino nostro excommunicatus recepit, ex integro restituat: necnon sibi, suisque illatam iniuriam, digna satisfactione emendet.*

[b] apud Baron. hoc anno.

3. *Cúmque hæc, & alia multa coram Summo Pontifice Regij Nuncij allegassent, Dominus Papa illicò post trinam admonitionem, quam Dux exaudire recusauit, surgens cum suis Cardinalibus, ipsum Ducem nominatim excommunicauit, & in genere omnes, qui in Regem, & suos manus iniecerant violentas. Terrámque Ducis totam ecclesiastico supponens interdicto Veronensi Episcopo dedit in mandatis, quatenus hanc interdicti, & excommunicationis sententiam singulis diebus Dominicis, & festiuis, per totum Austriæ Ducatum faceret publicari. Quòd si idem Dux mandatis nostris, inquit Cœlestinus, parere decreuerit, in virtute Dei eidem præcipias, vt obsides Regis Anglorum vniuersos absoluat, pactiones omnes relaxet, & ablata sibi per eum, & suos, & quæ de ipsius Regis iniqua redemptione percepit, vniuersa restituens, eosdem obsides facias cum securitate ad propria remeare: & amodò talia non attentans, nihilominùs etiam de iniuria, & damnis congruè satisfaciat irrogatis. His omnibus præfato Duci ab Episcopo Veronensi ritè denunciatis, dum idem Dux mandati apostolici aspernator existeret, percussa est terra illius sterilitate inaudita, fame nihilominùs, &c.* Sed hæc anno superiori (vt vidimus.) Quæ autem hoc anno contigerint, meliùs ex Neubricensi prosequemur.

c lib. 5. c. 6.

4. *Iam posita erat diuinæ animaduersionis securis ad radicem arboris mala: sed quia scriptum est: Contritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus. de insignis captiui quasi manubiis inclytus, conuocatis nobilibus terræ, Dominici Natalis solemnitatem in multa ostentatione, & gloria celebrare voluit. Et die quidem primo glorioso effulsit: in crastino verò gloriam Deo dedit. Cùm enim in Natale Beati Stephani iam prænsus exiisset, vt in campo cum suis militibus luderet, fortè equus eius decidens sessorem quoque deiecit; pedémque eius ita comminuit, vt ossa hinc inde confracta, rupta cute, exterius prominerent. Accitis mox Medici adhibuêre, quæ expedire credebant: in crastino verò per ima denigrauit, & à parui[t], vt à Medicis incidendus decerneretur. Quod cùm ipse, præ vitæ amore, fieri postularet, non [i]nuenit vel Medicus, vel famulus vel, vel filius, qui hoc patraret. Tandem accitus cubicularius eius, & ad hoc coactus, pedem abscidit.* Hactenus Neubricensis.

Matthæus Paris, tenuisse dolabram eundem Ducem, cùm alij recusarent, testis existit: & statim subiungit [d]: *Tandem verò culpam recognoscens iniquam, quam in Regem, & suos malitiosè exercuerat, suadentibus*

5. d apud Baron. ad hunc annum.

tibus Episcopis, qui aderant, obsides absolvit, & residuum pecuniæ de redemptione Regis; & quod receperat, se redditurum spopondit, atque ecclesiasticæ censuræ se deinceps pariturum promisit. Tunc Episcopi, qui aderant, videntes eum in tanta miseria, & calamitate constitutum, & sententia excommunicationis absoluentes, ad communionem Fidelium admiserunt. Subdit

ebus anno. Baronius, cùm ista recitasset [e]: *Describit eadem sigillatim Rogerius hoc ipso anno in Annalibus, singulaque recensèt, quàm exactissimè, quæ tunc miserrimè eidem Duci infelicissimo contigêre; agítque prolixiùs de restitutione obsidum, & remissione promissa ab Anglorum Rege pecuniæ; qua præcedente satisfactione, absolui meruit ante obitum. Constat insuper, eundem Ducem Austriæ etiam testamento cauisse, vt pecunia restitueretur per suos hæredes Richardo Regi Anglorum, quod constat ex epistolis Innocentij Papæ III.* Ita Baronius.

6. Hactenus, quæ scripserunt Authores Angli, dum diuinæ vindictæ pro Richardo, quàm clementiæ in Leopoldum intentiores, quæ ad illam non faciunt, prorsus omittunt. Verùm Austrij vtranque memorantes, Leopoldum non solùm absolutum ab anathemate; verùm feruente in ipso compunctione, Monachum ante mortem induisse, in Monasterio Sanctæ Crucis Austriæ, memoriæ produnt: quod

f in Leopoldo VI. Ioannes Cuspinianus scriptum habet in sua Austriæ Historia totidem verbis [f]: *Cùm autem & tertiò, vt quidam ferunt, Palæstinam cuperet cum nonnullis Christianis Principibus ingredi, in Stiria descendens ex arce Gretio (quod rectius Grenitium, quasi dicas limitem, patria lingua, Grenitz, vocaretur) casu equo decidit; natoque præter spem, iuxta fracturas ossis, apostemate crudeli, ob intolerabilem dolorem, amputare pedem coactus, Monachi habitum induit, ac summa religione vitam suam finiuit, nonagesimotertio anno supra milleſimum centesimum, cùm Cœnobium Sanctæ Crucis, vbi sepultus iacet, quibusdam villulis, ac annuis redditibus auxisset.* Hactenus ille ex antiquis monumentis. Verùm, quòd annum mortis anteponit, errore numeri, ex incuria amanuensium, siue Typographi credam irrepsisse.

7. Ioannes Seifridus Zuuethelensis in epistola ad Matthiam Imperatorem, constantem in eodem Cœnobio Sanctæ Crucis; vbi sepultus iacet, traditionem affirmat, de eius ante mortem Monachatu his

g Arboris Anecianæ lib. 1. planè verbis [g]: *Verus etiam, ac constans viget in eodem Monasterio traditio, à maioribus quasi per manus accepta, Leopoldum eius nominis VI. Austriæ, ac Stiriæ Ducem, cùm ob intolerabiles cruciatus, quos ex fractura, equo super crus eius collapso, patiebatur, pedem amputandum præbuisset, reliquum vitæ in eodem Monasterio Sanctæ Crucis, veste induum religiosa, trænsegisse.* Itaque, esto, illa omnia admittamus, quæ Angli affirmant, eò maior mutatio dexteræ Excelsi; & potuit vna hora laborans non postponi his, qui diei, & æstus pondus portassent.

8. At, quidquid in eo facto Richardi Regis, Leopoldus deliquerit, quod ardore vindictæ, ob signa sua contempta semel, & iterum, vt non excusem, saltem attenuabo: nullo præcipuè existente supremo Principe, à quo speraret resarciendam suam iniuriam: cæterà, egregius Princeps fuisse dicitur, & cui à virtute cognomen virtuosi, viuenti inditum, meritis, quàm assentatione, aptiùs conuenerit. Vitam eius redactam ad Epitomen, idem qui suprà Ioannes Cuspinianus, ita describit [h]: *Leopoldus*, ait, *huius nominis sextus, qui cognominatus est virtuosus, Austriæ Dux secundus, à Friderico Imperatore factus, quique pater patriæ passim dicebatur. Accepit Ducatum ob mortem patris Henrici anno Domini M.C. LXXVII. sub Clemente III. Visitauit deuotionis ergo Terram sanctam; magnamque Sanctæ Crucis portionem secum retulit, quam in Cœnobio Cisterciensi Sanctæ Crucis posuit. Anno M.C.LXXXIX. quando Saladinus obtinuit, Palæstinam expeditionem suscepit, quod refert Diepoldus Batauiensis Episcopus. Expugnauit Acram, vna cum Richardo Angliæ Rege. Quem Regem perfidum, dum venationi insisteret, cepit*, &c. Hactenus ille. Quibus planè videas vtrosque Authores fauentes suis Principibus, atque Aduersarios iniuriis lacessentes: quo suum quique innocentem, siue minori culpæ obnoxium confiteretur. *h vbi suprà.*

Post monasticum habitum susceptum, continuati dolores, dum corpus cruciabant, purgabant animam: superabundante, vt piè creditur, gratia contritionis, vbi maiora delicta abundauissent. Occubuit igitur in bona confessione, Deum non solùm verbis, & factis laudans, sed in se ipso. Post mortem adhuc in corpore passurus aliqualem ignominiam, ex qua non minùs Monachorum, & Cleri zelus, quàm diuina Iustitia, fortè & ipsius aliqualis purgatio, si quæ residua erat, comprobaretur. Subdit nanque Guillelmus Neubricensis [i]: *Succedens filius, paterna quoque auaritiæ hæres esse voluit: & ne vltima Patris defuncti voluntas impleretur, adiunctis sibi quibusdam nobilibus obstitit. Vnde factum est per laudabilem Cleri zelum, vt tanti Ducis corpus diebus aliquot inhumatum inobedienti filio maculam irrogaret. Qui tandem consternatus, memoratos obsides absolutè relaxauit; eisque quatuor marcharum millia Regi Anglorum reportanda contradere voluit. At illi propter viarum pericula expediri repatriare maluerunt, & tanto velociùs, quanto & alacriùs reuertentes sua liberationis nuncij primi exiterunt.* Hæc ille: in quibus Authores alij etiam concordant. 9.

i lib. 5. c. 6.

Hic mansit exitus Illustrem Leopoldum; quem aliàs pium, & Ecclesiæ obsequentissimum irritasse anathema, haud mihi facilè possem persuadere; & si fortassis tardiùs obedierit, siue iniustum putarit, seu nullum, quòd sui iuris à Richardo grauiter læsi, iustam (vt ipse putabat) impediret compensationem. Quid, si (qui nulla ætate defecerunt, deficiéntve) consulti ab eo Theologi, siue Iurisperiti, responderunt placentia; neque quà ire debebat, duxerunt vitum; sed quà libebat audaces præcesserunt? Id summum Principum discrimen in consulendo, quòd ipsi sibi responsa plerunque faciunt: quippe, vt olim Hebræi in deserto, nequaquam Deos petunt, quos sequantur: sed qui ipsos præcedant: hoc est, quos suis factis antetponant velut operculum palliandæ turpitudini. Certè ne Herodes ausus persequi Christum, quoadvsque congregans Principes Sacerdotum, & Scribas populi, complices facti habuit, quos debuisset habere correctores. Sed de his satis. Nunc ad alia scribenda progrediamur. 10.

1. Saracenorum in Hispaniam irruptio, 2. inundante infinita multitudine. 3. Alcobacienses Martyrio coronati. 4. Dictum de Abbate, eiúsque, & caterorum sepultura. 5. Laudati mox, & illaesi Tamarienses. 6. Profligatus Alfonsus apud Alarcos. 7. Calatrauenses, aut in praelio occisi, aut in Conuentu Martyrio coronati. 8. Dictum de Priore, Monachis, Conuersis, & Capellanis. 9. Seruatus Numen reparandae Sacrae Militiae. 10. Quid Gundisalnus Viegas Magister Ebora.

CAPVT II.

1. PROSEQVATVR hunc annum idem qui cœpit Neubricensis Guillelmus, & duplicis Cœnobij Lusitani, alterius quidem Martyribus glorioſis; alterius precibus exanditis à Saracenis, & conſeruatis Monachis, laudatiſque, facilem nobis, &, vt aiunt, Regiam ſternat viam. Debebimus Hiſpani Anglis Scriptoribus haud obſcurum fragmentum Hiſtoriæ noſtræ [a]: *Iiſdem diebus, hoc eſt, anno milleſimo centeſimo nonageſimoquinto à partu Virginis, Chriſtianis adhuc Regibus Francorum, & Anglorum, execrabilis in alterutrum odij morbo laborantibus, atque agrè ſuſtinentibus expletionem inducíarum, quibus eorum vel ad modicum malitia nocendi auida frenabatur; Saracenorum ex Africa tremendus exercitus, Duce (vt dicitur) quodam ſuæ ſuperſtitionis Philoſopho, grandia pollicente, Hiſpanias intrauit, iunctíſque Saracenis indigenis, Chriſtianis ſe finibus perniciosius immerſit. Æmulantes quippe Afri Orientalium Saracenorum ferientem adhuc fortunam, qui ſub Principe Saladino Regnum Ieroſolymitanum inuaſerant, & Chriſtiani nominis titulum ex Arabia funditùs; ex Syria verò vſque ad contemptibiles reliquias exturbarant, eóſque fortitudine & gloria æquare cupientes; vicinas gentes Chriſtianas moliti ſunt, vel expellere, vel delere; totáſque ſpurciſſimæ ſectæ ſuæ Hiſpanias applicare.*

2. *Augebat autem eorum fiduciam, quòd tempus eis iuuare videretur, diſſidentibus, ſcilicet, inter ſe ferè totius Europæ Principibus Chriſtianis, atque ita circa nefarios cupiditatum ſuarum motus explendos intentis, vt vix aliquis eorum pro Fidei Chriſtianæ, vel propagatione, vel defenſione in Hiſpaniam accingendus ad militiam crederetur. Itaque fretum, quod Africam, Hiſpaniámque diſterminat, tranſmeantes, iunctis Hiſpanorum infidelium copiis, cruenta, & effreni audacia debacchabantur in finibus Chriſtianis.* Hactenus Guillelmus Neubricenſis de irruptione in Hiſpaniam facta per Arabes, ſuſpirantes delicias Cœli, & ſoli, quod anteà poſſediſſent, atque propriæ fortunæ, quæ eis arridebat æmulatione. De hoc ingreſſu eorum in Hiſpaniam, hæc Rodericus Toletanus Præſul [b]: *Surrexit Princeps* (Suzaf) *in multitudine magna, & variis vocibus replenit campeſtria. Parthus, Arabs, Afer, Æthiops Almohat, & de claris montibus in exercitu eius, & Valdus Beticæ ad manum illius tranſiuit Tyrrhenum in ſtricto Hiſpalis, & vndas maris calcauit triremibus. Exercitus eius innumerabilis multitudo, vt arena maris.* Hactenus ille de gentium irruentium in noſtros inundatione.

3. Primum impetum paſſi Luſitani, quia proximiores Beticæ, ſiue amiſſæ ante non multos annos Vlyſſiponæ Barbaros deſiderium ſollicitabat. Inde ab illis accepta maior clades: quia ex improuiſo, & nondum collectis viribus, virtute ſuperiores, nihilominùs obruebantur à multitudine. Populis ad munita vrbium fugientibus, ſæuitiem in deſertos pagos, & oppida ſuccenſæ Domus, depopulati agri, abacta pecora, & ſi qui fortè ſegniores remanſiſſent, quaſi in aliorum vltionem, trucidabantur. Quæſita exin per ania, Monaſteria, prædæ cupidine, an odio Religionis: & Alcobacia ante omnia alia inuenta, quæ vtranque Barbarorum ſitim ſedare poſſet. Nullum omninò in fuga præſidium Monachis, nullum Conuerſis placuit: occumbere ante aram paratioribus, quàm deſerere Caſtra, quibus à Deo cuſtodiendis præfecti eſſent. Pſallentéſne in Choro deprehenderint, an obuios eos habuerint, in dubio eſt: conſtat omnes Barbarorum gladiis cæſos, ſeu coronatos magis eadem die adeptos Martyrij palmam. Meminit feliciſſimæ huius ſtragis Rogerius Ovvedenius, & ſuis eam Annalibus inſeruit, dignam, quæ ab exteris etiam proderetur, his planè verbis [c]: *Interim* (ait) *Pagani terram Sancti Regis Portugallenſis deuaſtantes venerunt ad Abbatiam de Alcubaz, & Monachos de Ordine Ciſtercienſi ibidem Deo ſeruientes, & eis reſiſtentes interfecerunt.* Hactenus ille, paucis multa complectens: ſed nihilominùs diſtinguens inter Monachos, & eos, qui reſiſtebant; quaſi illi in odium Religionis, (præcisè, quia Monachi;) hi, quia præliabantur, occiderentur.

4. Brandaonius hanc eándem Hiſtoriam narrans [d], in dubium reuocat, an Abbas obuiam Barbaris prodierit, armatis Monachis, ceu militibus ſtipatus, qui in præliо occumberent, retardaturi interim inundantem exercitum, quoadvſque Chriſtianorum copiæ, quæ reſiſtere poſſent, colligerentur. Vtcumque fuerit, qui tunc regebat Domum nomine Mendus, (errat meo iudicio Brandaonius, qui laudem hanc ſucceſſori eius attribuit: quippe qui ſubrogatus Ferdinandus viuebat anno milleſimo ducenteſimoſexto, vt conſtat per inſtrumenta, & memorias eiuſdem Domus;) Mendus, inquam, qui quintus inter Abbates Manzanariam, Letzam (quod ſtatim prodam) Benedictinas Eccleſias adoptauerat, atque Alcobaciæ, Ciſtercióque ſubdiderat, creditur inter alios occubuiſſe, atque agmen duxiſſe Sanctorum Martyrum. Viſitur hodiéque in Alcobacia in Capitulo lapis ſepulcralis, cum mutila inſcriptione, quæ ita habet: HIC REQVIESCVNT. In hoc portò ſarcophago creduntur oſſa omnium recondita, qui occiſi à Barbaris, ſuo ſanguine terram conſecrarunt. At, quæ poſt hæc in alio Cœnobio non minùs Ciſtercienſi ſequuta ſint, ex eodem Rogerio referamus [e]:

5. *Procedentes inde* (ſcilicet, Saraceni) *venerunt ad aliam Domum eiuſdem Ordinis: & Monachi exeuntes eis obuiam ceciderunt ad pedes Paganorum, vitam, & miſericordiam poſtulantes. Et Pagani miſerti illorum, vitam donauerunt illis, & audientes vitam, & conuerſationem illorum, laudauerunt eos, dicentes, quòd ſaluarentur in Ordine illo, ſi mulieres haberent. Eſt enim ſciendum, quòd ſumma Paganorum Religio eſt luxuria.*

a lib. 5. c. 11.

c ad hunc annum.

d lib. 12 c. 27.

e vbi ſuprà.

luxuria. Ita salutem ex inimicis Christi, grex Christi vterque videtur percepisse; alter cœlestem, terrenam alter gloriam: illa prior, dum Martyrio coronatur; posterior, dum honorem, & laudes meruit. Quod fuerit secundum Cœnobium, in dubio est: neque à Rogerio, aut alio nominatur.

e lib.12.c.17. Brandaonius [e] putat fuisse Tamarienſem, quod fortè ex situ terræ coniectatur. Nobis, quæ accepimus, tradere sat est, nihil interim daturis ex nostro cerebro.

6. Dum hæc in Lusitania gerebantur, in Castella haud inferior Martyrum messis illustrabat Cistercium, Alphonso Rege victo apud Alarcos, & Calatraua expugnata à Saracenis, in qua Monachi, Milites, Capellani trucidati pro Christo, gloriosè in Cœlis de hoste triumpharunt. De hac memorabili Christianorum Castellæ clade, Rodericus Toletanus hæc

f lib.7.c.30. habet verba [f]: *Cùm congressi fuissent exercitus* (scilicet, Saracenorum, & Christicolarum,) *succubuit exercitus Christianus; & nobilis Rex à suis violenter eductus à bello, suorum industria est saluatus, licet ipse mori potius eligeret, quàm saluari. Obtinuit etiam Agarenus post prælium quadam Castra. Hoc est prælium Alarcuris, quod fuit Æra millesima ducentesima trigesimatertia, quintodecimo Kalendas Augusti, sedente Cœlestino Papa tertio.* Ita Rodericus breuiter cladem, & cladis tempus recensens. Cæterùm quæ hanc cladem sequuta sunt concernentia hos Annales, ex aliorum Historiis referamus.

7. Alphonso Regi occurrenti Saracenis Nuñius Perezius Quiñonius Calatrauæ Magister cum suis se Militibus adiunxerat: vnde & cum ipso victus, fugatúsque, vnus ex his, qui Regem subtractum prælio seruauerunt incolumem, Barbaris tandem vicem redditurum. Seruarunt autem in Arce munitissima, cui nomen Guadaherza: reliquis, aut occisis ipso in prælio, aut Calatrauam reuersis, sacrum si possent Conuentum tuaturis, Saraceni potiti tanta victoria, atque oppido Alarcos, Arcéque in transitu captis, Calatrauam perueniunt, Castrum obsident: milites sine Duce, pauci numero, tum ex clade præterita sancij, debilésque, (nam timidos, non credam,) Monachi, Capellani, imbellis turba, irritare potuerunt furorem hostium; sed non reprimere. Expugnata ea die Calatraua, Monachos, Capellanos, Militésque, velut concluſos obtulit, infidelibus gladiis iugulandos. Quot fuerint occisi, in dubio est, quia incertus numerus existentium in Calatraua: certum, nullum eorum euasisse, odio in Religionem; atque in vltionem cladium, quas passi essent. Cunctorum corpora extra oppidum sepulta, ne tabesceret aër à multitudine. Porrò in eodem loco post annos aliquot, Calatraua recepta, Capella ædificari iussa est sub inuocatione Sanctæ Mariæ ad Martyres, quod illi nomen vsque hodie perseuerat: additis à Leone X. Indulgentiis, his, qui idem Sacellum visitauerint. Vulgus bis mille Martyres appellat, id est, plurimos, quo pacto intelligendus Henriquez [g] in Menologio, & si qui alij

g Februarij 24. præscribunt prædictum numerum.

8. Quis Prior coronatus palma Martyrij, affirmare non ausim: quippe Arnaldus, qui Didaco Velasquio dicitur successisse, non tam Hispani, quàm Galli nomen præfefert. Ex tamen constat à delegatione facta Abbati Sancti Petri prope Gumielem, Hispanos semper Priores institutos. Potuit Arnaldus successisse Didaco, iam longa ætate fracto, ac cedenti ante vnionem Sancti Petri. Potuit in ipsa vnione substitui Gallus, quandiu Hispani instruebantur, & noui ritus informabant vetus Cœnobium. Sanè qui Arnaldo immediatè dicitur successisse, Raymundus nomine, vel ex eo Hispanus magis apparet. In re antiqua nihil omninò certum. Nec dubitò extitisse plures Priores, quam Ceruera recenset, quorum nomina perierunt iniuria temporum. Quicunque fuerit, felix ille fuit, qui agmen tot Sanctorum Martyrum duxit, quique vt prior aliis dignitate, sic ante alios veniſſe coronandus credendus est, nisi fortè seruatus vltimus omnium, vt in omnibus acriùs torqueretur pater in filiis. Duos alios Monachos cum Priore transiuisse solitos, alterum Suppriorem, socium alterum, habemus ex Bulla Clementis Papæ IV. expedita post annos septuaginta, quam in tempore dabimus. Verùm, an plures sub his initiis fuerint, non inuenio expressum apud antiquos. Hæc de Monachis. Capellanos, coronatos omnes non dubito: nisi si qui Magistrum sequuti sunt. Quod idem de Castellæ Militibus sentiendum: nam Aragonensibus in longinquo constitutis integra omnia, quod pene in peius vertit, vt mox ostendam.

Amisit simul Calatrauæ militiæ Ducem, & milites Conuentum, & Fratres locum, & habitatores: & 9.
nisi bono eiusdem Religionis, ac totius Hispaniæ Nuñius Perezius Quiñonius relictus esset, fortassis ipsa omninò periisset, non vllis artibus vltrà reditura. Cæterùm Nuñius dum seruare Alphonsum curat, seruatus ipse, iam, iámque deficientem reuocauit. Accitis Monachis, susceptis Capellanis, atque Militibus ad habitum admissis, & sedibus firmatis apud Ciruelos, (venerandum sepulcrum Sancti Raymundi,) vt ab eius cineribus resurgeret, cuius olim auspiciis nata fuisset. Qualiter autem hæc omnia gesta sint, quámque cum suis etiam laborandum illustri viro fuerit, desciscentibus his, qui in Aragonia integri adhuc remanserant; atque illuc Ordinem tentantibus transferre, siue dividere, quod longè maius malum, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

Tradunt præterea Authores Lusitani [h], in hoc eo- 10.
dem prælio apud Alarcos cecidisse Magistrum Ebo- h Brand. lib. 12.c.17.
racensem Gundisaluum Viegas, seu Venegas, filium Egeæ Muñij, de quo suprà; cùm Regi Alfonso ex parte Lusitaniæ suppetias ferret, cuius rei monumentum antiquum proferunt ex Manuscripto Sanctæ Crucis apud Conimbricam, in quo hæc inter alia commemorantur [i]: *Æra M.CC.XXXIII. quarto Kalendas Augusti, fit magna fuit inter Christianos, & Saracenos, in loco, qui dicitur Alarcos, præsenti Amiramolim ex parte Saracenorum, & ex parte Christianorum Rege Domno Alfonso Castella, qui victus fugam petiit. In quo prælio interfecti fuerunt tres Episcopi, videlicet, Abulensis, Segouiensis, & Segontinus, & Magister Gonsaluus Venegas, & Rodericus Sancij.* Credibile est, quam non potuit Lusitanis, ex improuiso Castellanis deinde tulisse opem, aut saltem procurasse, sola morte ab incepto destiturum. Gundisaluo successit Ferdinandus in Magisterio [k]: cuius tempore k Diffinitio. nec Auisij, c.6.
translatæ Auisium sedes, atque inde Ordo Auisiensis cognominatus; quod suo loco latè dicturi sumus. Sanct-Iulianeæ Militiæ nulla mentio, quanuis recenti beneficio obnoxia teneretur Alfonso, seu non auderet à locis suis moueri, si deserantur: statim amittendis; siue sub Ferdinando Legionensi, qui Alfonso infensus, si non aduersabatur, satisfaciebat.

i Monarchia Lusitan. tom. 4. lib. 12. cap. 27.

1. *Beatæ Ascelinæ Historia : 2. parentes, ortus : coniectatum de patre : 3. quinto ætatis anno virginitatem vouet : 4. adultioris ætatis virtutes, merita : 5. & Cistercium admissum, longè maiorum virtutum incremento : 6. annorum calculus, & vacillans de patre coniectura. 7. Miracula ex multis pauca excerpta. 8. Mors, & sepulcrum, & quædam animaduersa.*

CAPVT III.

1. ILLVSTRAVIT Cistercio præsentem annum Beatæ Ascelinæ transitus gloriosus, cuius suprà meminimus, dum Bullencurianum Cœnobium describeremus. Vitam illius conscriptam à Gosuino nancisci non potui: quod etiam de se dolet Camuzatius [a]. Epitomen, quam aliquibus nugis conspersam, & ipse scribit, & negare non possumus, vulgauit Henriquez [b] in prætermissis ad suum Menologium. Deinde in Liliis, verbis, quàm rebus dedit auctiorem. Nos ex vtraque quædam decerpemus, sed selectiora tantùm; & siue vera, seu veris similiora. Potuit hic Author non solùm Cisterciensem Historiam, sed ecclesiasticam plurimùm illustrare, si non antiqua recentibus miscuisset, aut distinxisset mixta, quo suum cuique pondus inesse posset. Verùm, dum ea, quæ Britus, Montalvúsve, aut nos etiam, dum iuuenes scripsimus, eorum, qui affuerunt, aut adesse potuerunt, Historiis æquat, omnia in dubium reuocat: & nec recentibus maiorem fidem adstruit, & antiquorum enervat authoritatem. Sed nos ad Ascelinam deueniamus.

[a] in Miscellan.

[b] Maij 18. & lib. 1. dist. 3. Fasc.

2. Parentes illi illustres secundùm sæculum: mater etiam sancta, & Sancti Patris Bernardi consanguinea [c]: *Cùm esset grauida, & tam ipsa, quàm fœtum, quem in vtero gestabat, Deo instantissimè commendaret, vidit manifestè virum aspectu venerandum, vultu decorum, albis, & splendidis vestibus amictum, qui eam suauiter, & humaniter salutans dixit: Exulta, & lætare: paries enim filiam, quæ magni erit meriti apud Deum. Et his dictis, ab oculis admirantis pariter, & stupescentis euanuit.* Tali oraculo, sanctitatis futuræ filiæ Sancta Mater edocta, felicem partum, cum gratiarum actione præstolabatur. Coniectatur Henriquez, maritum fœminæ, patrémque Ascelinæ fuisse Iosbertum, dictum de Firmitate, quem à faucibus Orci, velut abstractum, Bernardus Pater loquelæ, & sensui reddidit, expiandum ante mortem per confessionem, & pariter muniendum per Sacramenta: quippe vterque de Firmitatis oppido, proximo Claræualli, atque vterque Bernardi propinquus erat. Certè Ascelina in illa Vitæ Epitome dicitur procreata *in Villa, iuxta Firmitatem, super Albam*, quem fluuium diximus alluere Claramuallem.

c 5 dist. 3. c. 2.

3. Quicunque fuerit, vxori sublatus est, Ascelina relicta tantùm quinquennii. Tum verò vidua, Bernardi Patris monitis, se, & filiam, quà potuit; filia ipsa diuino afflata Spiritu, virginitatem sunm, eam ætatem nondum prætergressa, consecrasse dicuntur, in quodam Monasterio propè, & sub obedientia Bullencuriæ, priusquàm susciperet Cistercij disciplinam. Anticipauit gratia rationis vsum: & quæ illecebras carnis nondum nouit, præuenit de ignorato hoste victorias, quo authore conceptas ante tempus, eodem & in tempore obtinendas. Quin in puerilibus nugis, mirum dictu! Angelus datus Virgini, per quem ab illicitis quibusque, leuibus etiam culpis, retraheretur [d], *Cum acum, vel frusta casei modica furtiùs subtraheret, per vestem interdum trahebatur, & ei dicebatur: Cur sic agis? cessa, cessa: nequaquam expedit tibi. manum quidem trahentis sentiens, & vocem loquentis audiens, neminem videbat.* His, & similibus fauoribus de Cœlo Ascelina præuenta, ad thalamum Sponsi Christi præparabatur.

d Menolog. in omissis.

4. At, vbi creuit in annos pubertatis, & robustior iam ætas per Dei gratiam, in robustiores procupit actus virtutis, orationi instare; vigiliis, & ieiuniis corpus atterere, macerare carnem, ac terrenis deliciis superatis, æternas tota mente sollicitabat [e]: *Septies in die disciplinam, & octoginta ad minus veuias accipiebat. Decorem faciei cineribus, & fame exterminabat: & quadam die, cùm cogitationibus sæcularium vanitatum vreretur, se toto corpore nudam in vrticas vremes iniecit.* Referuntur & alia satis mira: sed, quia dubia, silentio prætereunda.

e ibid.

5. Inter hæc [f] *Abbatia Bullencuria Cisterciensem Ordinem recepit, & Mater cum Filia (quia ibidem manere prohibebantur) de licentia Sancti Bernardi in Abbatiam Monialium de Polengero transierunt. Cunctas ibi Sorores Ascelina suo illustrauit exemplo. Abbatissa loci erat filia fratris Sancti Bernardi.* Sic in Epitome. Cui si standum est, iam tunc Iuleium Cœnobia alia genuerat, & inter ea Polengerum. Alias Bernardi fratrum, sociorúmque, & vxores, & filias in eo Monasterio consecratas, ex Guillelmo Sancti Theodorici Abbate synchrono, atque omni exceptione maiori teste superiùs vidimus. Octo, & viginti annorum fuisse dicitur, cùm Ordinem Cisterciensem ingressa est, ad maiora se adhuc extensura sub nouo statu, & ætate maturiori [g]: *Omni nocte, vel die stando Psalterium decantauit ex integro. Feria sexta, Sabbatho, & Dominica, & diebus duodecim lectionum, duo Psalteria; quotidie trecentas salutationes, Aue Maria, dicebat; & Sabbatho mille. Item, in omnibus Solemnitatibus Beatæ Mariæ, & quotidie per octauas mille, & septies Psalterium Dominæ nostræ. Venias ad minus quatis die ducentas, disciplinam accipiebat vsque ad triginta Psalmos perdurantem.* Et post pauca, de iugi Dei memoria, præsentiáve [h]: *Aliquando,* inquit Gosuinus, *iuxta illud:* Meditatio cordis mei in conspectu, & c. *mihi dixit: Valdè es reprehendendus, si Dominum iugiter non habes in memoria. Nihil mihi boni sum conscia, excepto, quòd Dominum semper in memoria habeo.* Hæc de virtutibus velut selectiora.

f ibid.

g ibid.

h ibid.

6. Hic primùm incipit vacillare coniectura de Ascelinæ parente, si computum annorum consideremus: quippe Iosberti de Firmitate mors, vt primo tomo vidimus, incidit in annum M. C. XXI. plùs, minúsve, cùm Bernardus patrauit primum miraculum, ob cuius prædictionem indubitatam, velut præsumptuosus à Galdrico, & Gerardo correctus est, teneram Viri Sancti verecundiam, vt ait Guillelmus Abbas, exagitantibus. Porrò ab eo anno ad fundationem Bullencuriæ, seu ritum Cisterciensium susceptionem, quæ incidit in M. C. XLIX. vt secundo tomo à nobis

notatum manet, octo, & viginti constat interceſſiſſe; cui numero, ſi quinquennium illud addas, quod ætatis habebat Aſcelina, cùm orba patre, relinqueretur trium, & triginta annorum, cùm Bullencuria diſcedens Polingetum ingreſſa, atque Ordinem Ciſtercienſem profeſſa eſt; non viginti, & octo; vt in Epitome. Hæc velut dubitanter à nobis dicta: aliàs maior annorum differentia facilè ſolet in concordiam reuocari. Sed redeo ad Hiſtoriam deuotæ Virginis.

7. Hactenus vera ſanctitas, virtutes charitate informatæ: nunc de miraculis, quæ ornamenta ſanctitatis ſunt, (nam neque ſigna, aut effectus dicam inſeparabiles,) aliquid etiam breuiter dicendum [i]: *Frequentius illi accidit, vt cum quadam columba ad orationem duceret, de dormitorio deſcendentem. Aliquando ſumpta Cruce in manibus, magno incendio occurrit, & ad ipſius aduentum ignis eſt extinctus. Beatus Bernardus, tranſitus ſui nocte, illi apparuit dicens, ſe ab hac vita migraſſe. Et mox in ſpecie columbæ cœlos penetrauit.* Et poſt pauca: *Aliquando Angeli, ad legendas in vigiliis Domina noſtra, Lectiones, lumen illi diuinitùs miniſtrarunt. Cùm quendam valdè religioſum de vallibus Monachum Diabolus ſeducere conaretur, vt Ordinem dimitteret, & vitam arctiorem eligeret; illa ſeductio per Chriſti ancillam manifeſtata eſt, & mandauit ei, vt à tali propoſito deſiſteret: quia viderat in viſu eius effigiem, & in aure eius Diabolum ſuggerentem, vt Ordinem dimitteret.*

[i] Ibid.

8. His miraculis plura ſubiunguntur, de Dæmone non ſemel fugato Virginis meritis: de Canonico quodam Præmonſtratenſi à longa, & graui infirmitate ſanato: atque id genus alia, diuerſaque, quæ ferunt ſcripſiſſe Goſuinus Bullencurianus Monachus; Aſcelinæ, quod modò videbamus, non ſolùm coæuus, ſed notus, & familiaris. Ergo virtutibus, ſignisque glorioſa, cùm annos integros ſex, & quadraginta egiſſet in Ordine; in Mundo quatuor, & ſeptuaginta, plùs minúſve; morbis tandem, & longa ætate grauis, & cœleſtis Sponſi amore dudum exæſtuans, hoc anno ad Dominum feliciter tranſiuit. De cuius ſacra morte hæc in Epitome: *Plura alia edidit miracula Sancta Aſcelina, & multas viſiones habuit, quas refert Goſuinus. Obitum autem ſuum circiter vno anno antè præſcijt. Feria ſexta poſt Pentecoſten obiit, circa annum M.C.XCV.* Hactenus ibi. Nec diſcrepat Camuzatius in anno mortis, aut quicunque alij ſcripſerunt de ſacra Virgine.

9. Sepultam Bullencuriæ ſuperiùs diximus, ex eodem Camuzatio: ſiue quòd Monachi ſacrum eius corpus ſibi ſollicitarunt; ſiue quòd ipſa, dum adhuc in viuis eſſet, Bullencuriam reuerti iuſſa ſit, conſummanda ibidem; quod in Epitome etiam adnotatur. Niſi quòd tamen, dum mater illi adiungitur, difficilè appareret, vtranque protraxiſſe vitam vſque ad hoc tempus. Addit vlteriùs Henriquez in ſuis Liliis [k], corpus Virginis, ſimul cum corporibus Beati Goſuini Monachi, & B. Hemelinæ Virginis, ſepultum in vno, & eodem tumulo à parte Euangelij, ſuperque ipſa Altare in honorem horum trium Sanctorum erectum eſſe, magnóque populi concurſu venerari; quibus vtinam addidiſſet fontem, vnde id hauſit, aut aliquam Goſuini, Hemmelinæve, quos non alibi video commemoratos, etſi leuem notitiam tradidiſſet. Sic, & quæ ibidem præſcribuntur ab eodem, Sequentia, ſeu Antiphona, atque item Collecta de Sancta Virgine, inſipida planè omnia, & ſine ſucco. Quæque dum nullum præferunt Authorem, nec poſſunt ex antiquitate venerari, neque ex venuſtate placere: vnde non cenſui digna noſtris Annalibus. Hæc de Aſcelina, quia minùs certa aliis, in vnum collegi, atque in hoc Capite Lectori meo propoſui, ne dubiis reliquam Hiſtoriam commacularem: purgata tamen à nugis, quantùm potui, atque ab his, quæ ſuſpecta videri poſſent. Id vnum certum, extitiſſe Aſcelinam, Sanctam fuiſſe, & Bernardi Patris affinem, cuius corpus ſepultum in Bullencuria, hodiéque religioſæ ſubeſt veneration. Porrò hæc Aſcelina diuerſa eſt ab ea, cuius meminit Cæſarius libro 6. ſuorum Dialogorum, cap. 10. & lib. 12. c. 42. & 43. & cui nos Sanctum Monachum Dauidem magna in glotia apparuiſſe, ſtatim ac deceſſit, commemorauimus [l]. Vtrùm autem eadem ſit cum ea, de qua agit idem Author lib. 12. c. 25. & cui Priorem quendam Clarævallis apparuiſſe poſt mortem teſtificatur, aliorum linquo iudicio diſcernendum.

[k] *diſt. 3. cap. 34.*

[l] *anno 1179. c. 6. n. 4.*

---

1. *Garnerius in Lingonenſem Sedem promotus.* 2. *Eius, an ſucceſſoris, cum Guidone Ciſtercij egregium factum.* 3. *Liberati Legati Kanuti Regis,* 4. *& commendata cauſa Legationis.* 5. *Ioannis de Spina obitus.* 6. *Concordia inita inter noſtros, & Carthuſianos.* 7. *Statuta alia* 8. *in Generali Synodo.* 9. *Chronologia,* 10. *& notitia Eccleſiarum breuis.* 11. *Tranſlatio Iuncaria in Aragonia ad ripas Hiberi,* 12. *qualiter facta: & remiſſiuè de Templo noui Cœnobij.*

CAPVT IV.

1. HOc eodem anno Lingonenſi Sede vacante, per mortem Manaſſes filij Comitum Barri ſupra Sequanam, Venerabilis Garnerius Abbas Clarævallenſis ad eam Sedem aſſumptus, non tam orphanos filios dereliquit, quàm nouo ſibi titulo adoptauit: quippe ex Abbate, Dioceſanus factus, extendit, non depoſuit paternam ſollicitudinem. De eo in Catalogo Abbatum Clarævallis: *Galterus Abbas Albaripæ abbatizauit hic* (id eſt, in Claraualle) *annis nouem. Poſtea factus eſt Epiſcopus Lingonenſis.* Itaque electus anno M.C.LXXXVII. vt ſuperiùs oſtendimus, ſi nouennium adminiſtrationis ſuæ attigit, vt minimum, pertenit ad hunc annum. Sed & Robertus Claudius eundem notat in Catalogo Abbatum Clarævallenſium [a], quamuis in Epiſcopis Lingonenſibus tempus antecerat; & Garnerium Epiſcopum iam factum anno M.C.XCV. ſubſcripſiſſe tradat quibuſdam donationibus, quas Vrbi Diuionenſi Odo Burgundiæ Dux largis indulſerat. Loco Garnerij ſtatim ſuffectus Guido *Miles in ſæculo, & de ſanguine Regio: poſt Monachatum Abbas Vrſi campi.* qui annis XIX. continuis clauum tenuit, multa interim peragens, quæ ſuis nobis locis dicenda erunt. Quin Manaſſes, Garnerij anteceſſor in Lingonenſi Sede, ſepultum accepit in Claraualle, in qua hodieque viſitur, humili ſuperpoſita inſcriptione: HIC IACET VENERABILIS MANASSES, EPISCOPVS LINGONENSIS.

[a] *in Succeſſ.*

Sub

2. Sub idem tempus Guido Cisterciensis,& mihi dubium,Garnerus Clarævallis,an qui eum excepit alter Guido, quos modò dicebamus, religiosi in Pontificem,atque in Kanutum Daniæ; sed magis in Philippum Franciæ Reges officiosi,& pij,dum illius Legatis spoliatis,& captis opem ferunt,Ecclesiam ab scandalo, Kanutum ab iniuria; demum Philippum à nota vtriusque criminis, prouidi, atque prudentes liberarunt. Rem ex Isaacio Pontano,Authore Dano,breuiter,& succinctè proferre libet: *Philippus*,ait [a],*Gallia Rex,Kanuti Regis sororem Ingeburgam duxerat,à qua ab sanguinis affinitatem separatus,Mariam,filiam Ducis Moraniæ superinduxit. Vt autem demonstraret Philippus consanguinitatem inter se,& Ingeburgam, congregauit Episcopos,atque illos in suam sententiam traxit. Quamuis aly aliter,& iniquè diuortium factum iudicarunt.* Hæc pluribus ille: & subdit [b]: *Præterea Danorum Rex,Kanutus,intellecta re,per Oratores suos, agere apud Pontificem Cœlestinum hanc causam capit, demonstrauitque, vt minimam quidem vel affinitatem, vel consanguinitatem intercedere, qua vllo pacto diuortio nuptias posset. Ideòque,& petere à Summo Pontifice vellet, sub pœna anathematis imperari Regi,vt, Maria relicta,Reginam Ingeburgam reciperet. Hi Legati Roma reuersi,circa Diuionem, dum Burgundiam transeunt,detenti,ac litteris papalibus,quas plures acceperant,spoliati; opera tandem Abbatum Cisterciensis, & Clarævallensis,dimissi,atque inde ad Regem profecti, ipsum Philippum coram compellarunt.* Hactenus ille de vtriusque Abbatis facto,atque eius occasione, quam omnes Galli Scriptores memoriæ produnt.

[a] lib. 2.

[b] ibid.

3. Nobis in illa,quæ idem factum commendent,duo alia notanda esse videntur: alterum Legatorum,eximia dignitas, ex qua maior iniuria, eóque religiosiùs propugnanda: alterum, Legatiæ ipsius causa, quò iustior, eò dignior promoueri. Et quidem de Legatis compertum est, vix illustriores ex Dania potuisse mitti. Andream Sunonis, Cancellarium Regni,atque à Rege secundum; & Guillelmum Abbatem,natione Gallum; quem ex Collegio Sanctæ Genouefæ dudum adductum, post in Dania miraculis florentem,tandem Ecclesia adscripsit Sanctorum numero. Ita ex altero,vtrique maior authoritas,& potentia subnixa sanctitati venerabilior; & sanctitas ex potentia temporali notior, atque illustrior efficiebatur. Debuissent reuereri diadema Regni, in Regio Cancellario,vel quibus nulla esset cura honesti. Debuissent Deum in Sancto venerari, vel quibus Regia Maiestas contemptui foret: & quò maius flagitium in spernendo, eò vtcunque seruare, glorioſius fuit. Ergo vltra Legatorum indemnitatem,iure gentium statuam in toto Orbe, vltra prærogatiuam litterarum, quas deferebant à Vicario Christi, se ipsis suspiciendi, eò solùm & capi, & spoliari permissos credo, vt vbi aggressorum delictum abundauit, ibidem maius liberantium donum, atque opportunum auxilium conspiceretur. Hæc de Legatis.

4. De causa id solùm dicam, mirandum satis, atque eius iustitiam planè commendans tanto cunctorum plausu fuisse acceptam, vt deficientibus, qui illam tuerentur aduersùs Regem, (is mos Curialium, etiam optimorum,) qui tandem pro Ingeburga peroraret, ignotus inuenis, Genius de Cœlo missus creditus sit; cui semper cutæ afflicti, & oppressi pro filiis esse solent. Sanè cùm veniens de latere Pontificis Octauianus Legatus non multò pòst Suessione Concilium celebraret. *Nullus dum* (ait Paulus Æmilius [c]) *prodire audebat, qui Regem accusaret: erant nimis multi, qui disertissime, compositissimèque eius Causam agerent: in summo silentio, ac propè assensu audiebantur. Perorarant etiam, eùm nemo vocem contra mitteret. Quis tanta cornice foret, qui præsentem Regem Augustum, tanta in re, oratione distringeret? Perdiu expectatione suspensi animi tenebantur. Tandem ex humili multitudine, adolescens ignotus, quis, vnde veniret, venia dicendi demississimè,& ab Rege, & à Romano, & à cætero Consessu petita, externa, repudiataque mulieris desertam ab omnibus Causam,tam ornatè, dilucidéque defendit, tam reuerenter de Rege verba faciens, vt in sui admirationem omnes conuerteret. Fine dicendi facto, se surripiens, nusquam deinceps comparuit. Sunt qui Numini id attribuant: sed consilio, & arte Dana sieri potuit.* Hæc ille Author. Vt inde palam fiat,qualis, & quanta causa censenda sit, quæ per Angelos, aut perorari meruit, aut perorata credi: nisi dicamus, ab vtroque Abbate promotam, ab Angelis venisse perotandam. Subdit Æmilius: *Demum Rex necessitatem in virtutem vertit: relictóque Consessu,in equum cùm insiluisset, post se receptam Gelbergam in Regiam reduxit.* Ita Paulus Æmilius. Sed de his satis.

[c] in Philip. Augusto.

5. Memorabilis exiſtit hic annus in Veteris Castellæ Monasterio Spinæ, morte Ioannis Abbatis, qui tres supra viginti annos eandem Domum egregiè administrauerat. Obiisse dicitur 17. Kalendas Iunij, qua die in Martyrologio notatur. Cæterùm ob specialem viri honorem, alia item die, scilicet, tertio Idus Ianuarij, memorari iubetur in Capitulo,vnà cum Sanctissimo Papa Eugenio III. & duobus ipsius antecessoribus: *Commemoratio Domini Eugenij Papæ, & Domini Balduini, & Domini Kvillelmi, & Domini Ioannis de Spina, necnon & omnium Episcoporum, & Abbatum Ordinis nostri.* Ergo hi tres primi Abbates, neque vlli alij, specialiter cum Eugenio Papa commemorantur. Loco Ioannis substitutus est Arnaldus, insignis æquè doctrina,& pietate, cui Innocentius III. non semel scripsit,& grauissima negotia delegauit, vt suis locis à nobis dicendum erit.

6. Multa hoc anno in Capitulo statuta à Guidone Abbate, Fratribúsque,quæ breuiter hîc erunt recensenda. In primis initam concordiam cum Carthusiensibus,& mutuos transitus prohibitos vtrinque sine expressa licentia, annuente, & suis actis inserente Ianselino,Priore magnæ Carthusiæ,Robertus Claudius in Catalogo Abbatum Cistercij memoriæ prodit [d]: *Cuius*, ait, id est,Guidonis tempore, *anno M.C.XCV. statutum fuit in Capitulo Generali, ne vllus Cisterciensium ad Carthusianos transiret, sine consensu Abbatis Cistercij,& contrà: vt est in antiquis Carthusianorum Constitutionibus Ianselino Priore Generali.* Hæc ille: quibus planè videas, per hoc tempus, ne ipsos Carthusianos de strictiori,aut arctiori vita præsumere: mutuo transitu ad nostros, vel vtrisque concesso cum licentia, vel sine illa, vtrisque denegato. Ad quæ puto respexit Magister Bañes, Salmanticensis quondam Primarius Theologus, dum vtrorumque perfectionem comparans, & sibi, & aliis; ita vtrosque cæteris præponit, vt neutros sibi: *Alij*, inquit [e], *Cistercienses præferunt, alij Carthusienses, vnusquisque in suo sensu abundet.* Porrò hanc concordiam authenticam stare in Archiuis Monasterij Carracetensis, in veteri membrana petantiquis scripeam characteribus, testatur Magister Hieronymus de Llamas in sua Methodo 3. p. cap. 4. §. 33. in fine.

[d] in sua Gallia.

[e] Relectione de augmento charitatis.

7. Actum deinde de assiduis petitionibus Principum Christianorum, Ordinis orationes sollicitantium: quibus neque vnquam denegari possent, nec annuatim

tim concedere expediret. Vt quid enim sub prætextu deuotionis frequentarent Capitula; atque ipsa Religionis arcana perscrutarentur? Sæcularibus, seu merita, seu vitia, si quæ fortè irrepserint, zelanda: hæc, ne imprudenter vulgi detractionibus; illa, ne exponere laudibus videamur: quippe ex his, Monachis timendum à superbia: ex illis, à contemptu Religioni; Mundo, ab scandalo. Tum, si neutra ad eorum noticiam veniant, ad quid velut venales orationes per Principum obsequia comparandæ? Senecæ verba, digna tanto Philosopho[1]: *Non tulit gratis, qui, cùm rogasset, accepit.* Anne pars modica populi Christiani, tot beneficiis Pontificum deuincta, tot Regum donis, nisi rogata, orare pro eis nesciat; aut, quod peius est, nolit? Serum esse quodcunque beneficium, si expectat peti. Quid si debitum? Prohibitos mendicos olim in lege, non quòd nullos egeret; sed, quòd omnibus, priusquàm mendicarent, subueniretur. Quantò magis primores præueniendi? Hæc, & similia relata, collatáque, expresserunt decretum, *Vt fierent orationes generales, perpetuæ, in vniuerso Ordine, pro Papa, & pro cæteris Principibus, sicut solitum est ordinari in Capitulo Generali.* Addita & alia concernentia diuinum cultum: *Vt Dominica in Palmis tres lampades arderent coram Altari.* Et item, quòd, *Si contigerit, vt Festum Annunciationis Beatæ Mariæ, vel Sancti Benedicti, Sabbatho in Ramis Palmarum euenerit, ipsò die celebretur: & Sermo in Capitulo habeatur: Vesperæ vsque ad Capitulum erunt de Festo: Capitulum, & reliqua de Dominica; ita tamè vt commemoratio fiat de Festo.*

[1] lib. 2. de benef.

8. Transitum inde ad Abbatum depositiones, cessionésque, & vtrisque prouisum, *Vt Abbas depositus in Domo illa non remaneat; sed ad aliam transeat; & infra viginti dies professionem faciat: qui verò sponte cesserit, nisi quietus, humilis, & obediens fuerit, ad aliam Domum emittatur.* Erant, qui putant, Sanctos non esse homines, nec passionibus talium subiacere. Cauendum subditis à vindictæ complacentia, si depositum videant, quem dyscolum Prælatum experti sunt, siue à quo fortè læsi: timendum & Prælato ab impatientia, si videat insultantes sibi eosdem, quos forsan hactenus habuisset assentatores. Habent & vitia velamina virtutum, habent colores, breui, & in lubrico posito interuallo; quod ni materiam penitùs succidas, difficiliùs cognosces, quàm peragraueris. Prouisum item de aliis minutioribus, *ne pedules ex corio*, politiori materia; puto, quos nos vocamus *Borceguies. Ne sæculares in Coquina conuentus, aut infirmorum*; atque id genus alia, quæ humilitatem, atque paupertatem præseferebant; & pericula eò altiùs præcauebant, quò occultabant. Hæc de actis Concilij Generalis.

9. In Chronologia Abbatias quinque reperio hoc anno natas; easque recensitas sequenti ordine:

Anno M.C.XCV. fundata est Abbatia de Petra in Hispania.

Eodem anno, Abbatia de Casa noua, in Prouincia.

Eodem anno, Abbatia de Sancto Vrbano.

Eodem anno, Abbatia de Oliua.

Eodem anno, quinto Kalendas Octobris, Abbatia de Galesio in Apulia. De Petra dictum anno præcedenti. Casam nouam Aubertus Miræus memorat: *Anno M.C.XCV. fundata est Abbatia Casæ nouæ in Prouincia.* quæ eadem Robertus Claudius habet in sua Gallia. In libris Cameræ, præter dictam à nobis suprà, Salucionensis Diœcesis in Pedemontio, duas alias inuenio; alteram in Aprucio, Penensis Diœcesis; alteram Patmensis in Lombardia: sed vtrumque in Italia, adeóque neutram eam, de qua hoc anno, nisi Tabulæ errant. Memorandæ & duæ illæ Casæ nouæ in litteris Honorij Papæ III. quæ suis locis venient referendæ.

10. Sancti Vrbani Cœnobium, in Authore damnato Rodulpho Hospiniano, commemoratum inuenio, inter alia Cœnobia, his paucis verbis: *Sancti Vrbani Cœnobium Cisterciensis Instituti. . . . . fundatur anno Domini M.C.XCIV. à Leopoldo, & Vvernero Baronibus de Langestein.* Hæc tantùm ille. In litteris Gregorij Papæ IX. inter alias, habetur hæc inscriptio: *Sancti Vrbani, & de Frinisberch Abbatibus, & Priori Sancti Vrbani Cisterciensis Ordinis, Constantiensis Diœcesis.* Est autem Domus filia Bellæ-vallis, de linea Morimundi, quæ nobis infrà, nec semel memorabitur. In notitiis vulgaris à Iongelino, Domus longè antiquior, nec Bellæ-vallis, sed Lucellæ Filia, eáque in Heluetia Diœcesis Constantiensis commemoratur. Olium duas tradidimus superiùs, alteram in Hispania, in Prusia alteram, vtranque insignem Domum: tertiam non hactenus datum reperite. De Galesio, aut Galaso Tarentinensi, Filia Sambucinæ, de linea Claræ-vallis, tabulæ omnes. Quin & Honorius III. in suis litteris ad illius Abbatem, quas infrà dabimus: & liber taxarum Cameræ apostolicæ, præfixis octuaginta tribus florenis pro medietate reddituum, quos debet soluere.

11. His Monasteriis duo alia addenda, Hispanum vtrunque, vtrunque Regium: alterum in Lusitania, in Aragonia alterum: neutrum de nouo surgens, sed alterum à Sancio Lusitano donatum nostris, cùm illuc vsque habitassent Benedictini: alterum, à principio Cisterciense, nouo loco donatum ab Alfonso, ac noua, in quam transferrentur, fundatione. Et quidem Portugalliæ Domus sequenti capite, Aragonensis hûc breuiter dicenda. Iuncaria ea, quam Regni illius Proceres, Gerardus, Petrúsque, atque Audierna, Monachis ex Germundo adductis, dudum fundauerant in Diœcesi Oscensi. Ast Rex Alfonsus donatam nouo loco ad ripas Iberi, Oppidum contra, cui nomen Escatron, interlabente flumine, & Monachos diuidente ab Oppidanis, transtulit: quos tamen illis per omnia subiectos voluit. Locus in Cæsaraugustana Diœcesi situs, vno à Sastago lapide, titulo Marchionatus insigni Castro. Portò simul cum loco, pecuniam dedit construendo ædificio, quod inceptum hoc anno, legitur consummatum intra decennium: quippe fabrica Regia, & sumptuosa, quantumuis properaret: at non potuit celeriùs consummari. Nouo Cœnobio Rotæ nomen impositum: nec constat, vnde sumptum: quod in hanc vsque diem perseuerat.

12. Ecclesia tunc pro qualitate Domus minùs magnifica, & Capella magis, quàm templum: quippe in subsidium tantùm fabricata, ingentem, quæ nunc extat, præstolatura. Inde Petro Apostolo sacrata, contra Institutum Ordinis, reseruato Mariæ maiori Templo. Quod tamen post Martini Regis obitum, in discrimen adductum: & nisi nimia Artificis audacia (eiusdem Domus Monachi) & viua Abbatis fide cœptum fuisset, circa annum Christi M.CC.XXV. forsitan supersessum ab eo esset. Qualiter autem, & quanta solennitate tunc inchoatum, atque intra tredecim annos perfectum, sacratúmque, à Bernardo Cæsaraugustano Præsule, dicemus in tempore. Interim adnoto ex litteris Innocentij Papæ III. qui nunc sedebat, Cœlestini Successoris, satis coniici Iunctariam non omninò desertam Monachis,

machis, neque illud statim Monasterium suppressum fuisse, concedente Pontifice, vt tam illud, quam aliud Sanctæ Mariæ, cui cognomen à Salice, vnita Rotæ, ipsi deinceps incorporarentur, & tanquàm capiti membra subiecta forent, cuius rei hodieque litteras visi, eiusdem Monachi asseuerant.

1. Monasterij Ceizæ in Lusitania origo. 2. Ioannes Abbas Lorbani Ramiri patruus, 3. donatus ab eodem Monte Maiori, 4. insigni Oppido defendendo à Saracenis. 5. Ab eis obsessus, desperans de victoria. 6. Castri mulieres, ac pueros occidit; mox erumpens ex mœnijs profligat hostes, 7. à quibus rediens, rediuiuos suos inuenit. 8. Instrumenta, 9. & memoria totius facti. 10. Oratorium ab Alfonso Rege inuentum, & Monasterio auctum, 11. quod nostris cessit: 12. breues aliæ notitiæ eiusdem Domus.

CAPVT V.

1. VLTIMO loco Monasterium de Zeiza in Lusitania, multos ante annos conditum ab Abbate Ioanne Lorbanensi, (insigne monumentum magni miraculi, si fides aliqua antiquis instrumentis, in eo loco patrati,) atque nunc primùm à Sancio Rege traditum Mendo Abbati Alcobaciæ, antequàm ad cœlestia vocaretur, dicendum venit. Multa in eo mira, & singularia; sed quæ constanti accepta traditione, vel nullis instrumentis adstipulantibus, fidem, aut certè haberent, aut mererentur. Referam priùs initia Monasterij, progressúsque; dein quam fecit Rex Sanctius donationem suscepturo Cistercium sub Alcobacienſis Abbatis visitatione. Vetùm, quia, & Lorbanense Monasterium seruabatur Cistercio, quod suo loco tradam, incipiam ab eiusdem dotatione ante annos CCC. cùm idem Ioannes Abbatem illius ageret.

2. Itaque Ioannes Ramirij Regis Patruus (Alfonsi cognomento Catholici, & Beremundi Diaconi frater ex adulterio) temporalem militiam fastiditus, quam diu sub fratribus suis sequutus esset, Cœlestis tandem in Cœnobio Lorbanensi tesseram sumens, & primò Monachus, mox Abbas eius factus, Mahometanos inter, qui totam penè Lusitaniam tunc tenebant, inhabitabat. Inde frequentes eorum irruptiones, precibus nunc ad Deum, nunc ad ipsos; sed & armis nonnunquam (quæ viri Regij generosa indoles erat) quantum licebat, aut frangebat, aut mitigabat. Penè tamen destructo Monasterio ab insultibus crebris, quos patiebatur; Ramirus nepos, virtute viri cognita, cùm Montem Maiorem, atque alia vicina loca expugnasset à Barbaris, & pauperi donare in eleemosynam, de quorum fructibus fratres sustentarentur, & Duci strenuo defendenda tradere, operæpretium duxit: adeò tunc cohærebat Militia vtraque; adeò baculus gladio coniunctus erat. Hæc prima, quam sciamus, dotatio loci, cuius initia alriùs repetita, cùm Cistercium admittat, in lucem dabimus, quà antiquitatis obscuritas patietur. Extat huc vsque instrumentum dotationis, ipso in Cœnobio, quod à Bernardo Brito vulgatum dudum, hic consequenter censui transcribendum [a].

a Monarch. Lusitan. lib. 7. c. 13.

3. *In nomine individuæ, sanctæque Trinitatis. Donationis, & testamenti charta hæc est. Eam facere statui ego Rex Ramirus admiti diuinæ inspirationis, vobis Ioanni Abbati, & vestris Monachis de Lorbano, pro honore Sanctorum Mammetis, & Pelagij Christi Martyrum Sanctorum, de possessionibus illis totis, quas tuli ego de manibus Albamath Dominus Colimb, propè Montem Maiorem, dum curris fluuius Mondeco, & reliqua de reliquis Mauris: quatenus de prouentibus possitis alimentare vos, illorum hæreditatum, & Monachos, & Milites, quos tali pacto vos habere teneatis in villa Monte maior, quòd illum benè locum defendatis de Mauris, totáque vestras, quas hæreditates habuistis, in vestro, quod modò est, Monasterio penè depopulatum propter Mauros, sint vestra de iure. Et ego pro mea redemptione animæ, meorúmque parentum, in terra do vobis de Sancta Maria quotannis solidos quingentos, boues quinquaginta, centum oues, totidémque capras: & vos pro me orabitis, & meo pro Regno, meáque pro gente; & Abbas, meus patruus Ioannes, Montem obtinebis Maiorem omnibus eius iuribus suis.*

Si aliquis verò homo fuerit, qui testamenti Chartam istam temerarit, vt irrumpat, sit in primis segregatus à Domini nostri corpore, & sanguine Iesu Christi, & pœnas cum sceleratis Iudæ Tartareas demersus barathro. Testamenti series fit mense Martio, Æra DCCC.LXXXVI. Ramirus Rex confirmat. Ordonius Rex confirmat. Sisnandus Siluius confirmat, Mahomat Cid Atauf, Dominus Cale, Domini Regis Vassallus, contra hoc non veniam. Haluf Iben Mahomat contra hoc non ibit. Abdala Iben Zebi contra hoc non ibit. Zuleim Iben Muca, Dominus Lamete, Regis Ramiri Vassallus, contra hoc non veniam. Tarif Iben Reges tenens Visum contra hoc non ibit. M. Achin Iben Atab, Dominus Eminbate, Regis Ramiri Vassallus, cum armis, nec cum auxilio Castrum supradictum molestabit, nec. Atab Iben Achin contra hoc non ibit. Hæc Charta donationis Ramiri Regis, qua Ioannem patruum, & Lorbanenses Monachos vtraque arma capessere, atque pro ipso orationibus ad Deum, gladiis aduersùs hostes militare, velut sibi ex iustitia debitores sollicitauit. Interim tamen à Regulis Saracenis subscribi fecit, quasi ea subscriptione polliceretur, se nunquam Monasterium, aut eius possessiones molestaturos.

4. Inter hæc Abderramen, Rex Cordubæ, seu proditione cuiusdam adolescentis, regio è sanguine nati, quem Ioannes delicatiùs educauerat; siue propria superbia, atque cupidine Lusitaniam cum magna manu ingreditur, Montem Maiorem, si posset, expugnaturus. Obsessa vrbe ab ingenti multitudine, qua Barbari plerunque nostris præcellunt, Ioannes cum paucis intra mœnia eius conclusus, virtute, & disciplina, mutisque ingentem militum defectum compensabat, & protracta obsidio per dies multos, donec victualibus protsus deficientibus, nostris, aut gladio, aut fame moriendum fuit. Et prima mors suauior, quia celerior; quò animosior, honestior; atque eò magis ad gloriam accedebat, quò spem aliqualis vindictæ subministrabat. Cadant, sed non inulti viri fortes, & Barbari potiantur optata vrbe, quandiu aliud non possint; at non sine dolore, non sine sanguine. Tum subeunt animum paruuli, ar-

quie fœminæ, quos in aciem producere inutile; hosti relinquere, inglorium videbatur. An filij, Barbarorum mancipia forent? aut filiæ, vxoréſque in ſcorta manerent, ab ſpurciſſima gente profanandæ? quancunque mortem præferendam infami vitæ; quantò magis ſpontaneam, & generoſam? Cadant parentum, coniugúmque gladiis, dum non ſuccumbant hoſtibus; & ſciant omnes, Luſitanas fœminas, pueros, præferre honorem vitæ; & maluiſſe occidi ſuorum manu, quàm ab impura gente conſpurcari.

6. Hæc, & ſimilia, dum animosè magis, quàm piè tractant, ac legem Chriſti, aut ignorant, aut non aduertunt; exarſerunt in propria pignora ſinguli, & ſuo, id eſt, ſuorum ſanguine fuſo, didicere non parcere hoſtili; & cunctis amiſſis, nulli ſe rei velle reſeruare; opere magis, quàm verbis profeſſi ſunt. Inde cruenti, & truces ex dolore, apertis ianuis in hoſtes potenter irruunt, & nil tale metuentes, quin territos ex ipſâ nouitate, paſſim trucidant. Vix paucæ manus, longa fame tabeſcentes, tot iugulis ſufficere potuiſſent, ſi non imbutæ ſanguine filiorum, coniugúmque, vires dudum amiſſas recuperaſſent: ſed nequit tot inter hoſtes valerent exeri, ſi non fugientes, viam patefacerent, per quam ad vlteriores trucidandos progrederentur. Sic qui fugiebant, non tam vt effugerent, quàm vt terram haberent, in qua caderent, ad quatuor millia paſſuum, neque vltrà, ſi credimus Antiquis, protendebantur. Glorioſa ea dies Chriſtianis fuiſſet, ſi non maiorem cladem à ſe ipſis, quam ab hoſtibus poſſent, paſſi eſſent.

7. Sic triſtes ex victoria, confuſique; & cùm iam hoſtes, in quos ſæuiſſent, deerant, in ſe ipſos ſæuientes, qui barbariores Barbaris fuiſſent; quique, cùm plùs ſperare tenerentur, de Dei miſericordia deſperaſſent, redibant ad vrbem onuſti ſpoliis; ſed magis pœnitentia prioris facti: cùm ecce (ô incomprehenſibilia Dei iudicia!) vxores, filias, & filios, quos occiderant, occurrentes agnoſcunt, ac de parta victoria gratulantes, turbantur primùm, exiſtimantes ſe ſpiritus videre, qui ſuam ſibi barbariem improperarent. At vbi propiùs omnes accedentes agnoſcunt corpora, & ſua vnuſquiſque lætus pignota tangit, agnoſcit vultum, vocem; quin & vulnera, quæ demens inflixiſſet, protinus reſoluti omnes in lacrymas collaudare Deum, ignoſcere ſibi; ſed mox confundi, ac ſe à diuina bonitate victos, inter ipſos amplexus proclamabant. Tum verò Ioannes errorem ſuum perpendens, atque ex ipſo accepto beneficio magis compunctus, neque vltrà ſibi credens, fidénſve, Montem Maiorem in manus Ramiri Regis, Abbatiam Laurbanenſem Theodomiro Priori reſignans, cellulam ſibi paruam fabricauit in loco Victoriæ, reliquum vitæ ibidem peractus. Extat adhuc inſtrumentum reſignationis, totiúſque rei geſtæ teſtimonium, quod ita habet:

8. *In nomine individuæ, Sanctæque Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Hæc eſt Charta teſtamenti donationis, & abrenunciationis perpetuæ, quam Ego Ioannes Abbas facio, de meo Monaſterio de Laurbane, vobis Theodemiro Abbati, & Fratribus veſtris. Quoniam ego poſt labores multos, & pericula, quæ portaui in Caſtro Monte maior contra Saracenos, qui locum illum deſtruere, & me captiuare volebant, & illos per Dei pietatem vici, & plùs minùs ſeptuaginta mille in fluuio, & arrancada manu. Et quoniam Deus prodigium vnum oſtendit, vitámque dedit occiſis, quos de meo conſilio decollauerat, & propter multa bona alia, quæ de manu Domini recepi, dum iam video profanum Caſtrum in pace, do illud, & pono in manus Ramiri Regis, cuia eſt terra iſta, & de Sancta Maria cum aliis pluribus: Monaſterium verò de Laurbane, quod ille mihi dederat, dò vobis Theodemiro, tam pro bona vtuenda veſtra, quam propter ſocorſum bonum datum nobis à vobis contra Saracenos in Monte maior: taliter dum ego remaneam in terris de Alcoupaz in cellula vna, & vos in natalitiis de Apoſtolis habeatis vnum Preſbyterum ſociatum, qui det mihi Communionem Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, detíſque mihi tunicam, & capapelem vnam, & aliqua legumina: & dominique Laurbani reducatis pro veſtro poſſe ad ſtatum bonum, & conſeruetis ad bonam quietem Religionis. Si quis verò aliquis hominum contra hoc venire tentauerit, ſit iſte talis maledictus, & cum proditore Iuda Inferni pœnas perferat. Amen. Facta fuit abrenunciationis, & teſtamenti ſcries VI. Kalendas Ianuarij, Æra D.CCC. LXXXVIII. Ioannes Abbas propria manu roborauit.* Hactenus inſtrumentum reſignationis.

Addit Britus [b], manere vſque in hanc diem Icones Virginis, quæ collum cicatrice ſanguinea notatum teneat, in memoriam miraculi, quod eius creditur factum interceſſione. Simile quid in Mantua Carpentana dicitur contigiſſe apud Caſtellam recentiori euentu. Mihi de neutro diſputandum eſt, vt cui, nec dubium contingere potuiſſe, nec contigiſſe aliunde probari poſſit, quam ex his inſtrumentis, & traditione, quæ multi probant [c], alij ſuſpecta habent [d]. Manſiſſe dicitur in eodem Oratorio Ioannes, quandiu vixit, vbi & ſepultus iacet, inſcriptione recenti, & noſtro ſæculo ſepulcro ſuperpoſita, quæ breuiter Hiſtoriam illius notat, totidem verbis:

9. b *Chron. Cl. Ciſterc. lib. 6. c. 27. & 28.*

c *Brandaon. lib. 5.*

d *Zepias tom. 7.*

IOANNES, MONASTERII LAVRBANENSIS QVONDAM ABBAS, RAMIRI PRIMI LEGIONEN. REGIS PATRVVS, QVI ANNO DOMINI D.CCC.L. MONTEM MAIOREM TVTATVRVS, ABDERRAMEN. II. CORDVBÆ REGEM (TRVCIDATIS LXX. SARACENORVM MILLIBVS) PARVA CHRISTIANORVM MANV DEBELLAVERAT, MVLIERESQVE, AC PARVVLOS, SVO CONSILIO OCCISOS, HVIVS SACRÆ VIRGINIS INTERVENTV AD VITAM RESTITVTOS CONSPEXERAT; HIC TVMVLATVS IACET.

10. Permanſit Oratorium per multa tempora cum Imagine Virginis, conſeruata in eiuſdem ſacro collo, necnon & pueri memoria miraculi, quod lætitiam victoriæ rediuiuis coniugibus, & filiis cumulauiſſet. Nec defuêre plerunque deuoti homines, ſiue eremi cultores, qui aliqualem illius curam haberent. Quouſque Alfonſus Luſitaniæ primus Rex, caſu, an conſilio dubium, illuc aduenieus, ac primùm religione loci tactus, ac deuotione in Virginem, quæ talia beneficia contuliſſet Chriſtiano populo, dein diuinam in ſe expertus virtutem, qui locum intrans à morbo conualuiſſet, quem patiebatur. Demum miraculo patentiori viſo reſtituti ad vitam mortui iuuenis, quem equus, cui inſidebat, præcipitaſſet, Monaſterium decreuit fabricare, vocatis ex Lorua Monachis, quibus id Sanctuarium curæ foret. Nomen loco Zeiza, nec mihi adhuc compertа nominis ratio. Primus illius Abbas Paius fuit; cui termini ab eodem Rege donati, anno ſalu-

ns

tis M. C. LXV. Ex tunc fabrica Domus cœpta est, quam Sanctius Alfonsi filius consummauit : consummatam, hoc anno Cistercio dedit, atque Abbati Alcobaciæ, conniuentibus Monachis, qui nouas leges subire non recusarunt. Porrò instrumentum donationis, vt ab eisdem Authoribus affertur, hæc continebat 9:

eisdem locis. 11.

Ego Sanctius, Dei gratia Portugallensium Rex, vnà cum coniuge mea Regina Domna Dulcia, & filiis, ac filiabus nostris, facio Chartam donationis, & perpetuæ firmitudinis vobis Domino Mendo Abbati Alcobatiæ, & Fratribus vestris, de Monasterio Sanctæ Mariæ de Ceiza, quod vobis damus, & successoribus vestris, hereditario iure possidendum, cum omnibus pertinentiis suis, vt sit filia Alcobaciæ : & concedo tibi, & successoribus tuis plenariam potestatem instituendi ibi Abbatem, atque eum deponendi in perpetuum ad arbitrium Abbatis, & Conuentus Alcobatiensis, &c. Facta Charta firmitatis apud Leiriam, die primo mensis Maij, Æra M.CCXXXIII. Sequuntur subscriptiones Regis, Episcoporúmque, & Principum Curiæ, quas nihil opus in præsenti recensere. Consummata Ecclesia, traditio est, cùm Virginis effigies ad templum nouum, in eo decentiùs locanda transferretur, totiès reuersam ad vetus Oratorium, quoties inde adductam; quousque tandem in eo relicta fuit.

Iacet Ceiza in Colimbricensi Diœcesi, inter abrupta montium, opima valle, quæ cunctis ferè fructibus abundat maris, & terræ : quippe Oceanus ad leucam tantùm distat, brachio ad portum extento, (*Veride* dicunt,) qui Monasterio subest, & piscium abundantiam subministrat. Præfert Ecclesia regiam magnificentiam, tribus distincta nauibus, neque inferiores officinæ cæteræ Domus. In libris Cameræ non Ceiza, sed Cesia dicitur, taxata florenis sex, & sexaginta. Inter alios, quibus multa debet, Principes, Infans Portugallensis Petrus fuit, qui circuisse Orbem, vulgò, *las siete partidas*, commemoratur. Et manent adhuc Monasterio multa ex pluribus, quæ ab eo donata habuit. Hactenus de Ceiza ex Lusitanis Brandaonio, & Brito, Guillelmóque, quæ, siue omninò certa, siue dubia, quandiu vulgò recepta non potuerunt à nobis præteriri. 12.

ANNVS CHRISTI M.C.XCVI. CISTERCII XCIX.

1. *Sollicitudo Magistri Calatrauæ pro instauranda Militia*, 2. *atque Regis Alphonsi liberalitas.* 3. *In Aragonia, cùm omnes occisos crederent, elegêre Magistrum*, 4. *quem mox in viuentem voluissent manutenere.* 5. *Constantia Quinonij*, 6. *& inita pacta conuenta.* 7. *Alphonsi Aragonensis Regis mors*, 8. *cum Hortensis Cœnobij recordatione.* 9. *Obiit item*, *& Didacus Velaz quez:* 10. *eius sepulcrum, & recens epitaphium.*

CAPVT I.

1. HVNC nobis annum à virgineo partu centesimum nonagesimumsextum supra millesimum, à condito Cistercio vnde centesimum auspicetur Militia Calatrauæ, quo dudum angium Alphonsum Castellæ Regem ex Alarcica clade vehemens dolor, & generosus ardor vindictæ sollicitabat. Sed fractis viribus, & copiis diminutis, vri, & angi faciliùs, quàm vindicare. Ergo instaurare Militiam priùs visum, & sobolem Abbatis Raymundi, ingens (heu!) quondam totius Regni robur, tunc penè extinctum, & vix nisi in Magistro Nuñio Quiñonio reliquum in Castella, velut ex Orco, si posset, reuocare. Nec minùs Nuñius ipse, quod vnum poterat, Militibus Milites, Capellanos Capellanis, Monachos Monachis, imò & Conuentum Conuentui subrogabat. Ciruelos oppidum, Toletum iuxta, electum, siue quòd in tutiori parte positum, siue quòd Sancti sui Institutoris ditatum exuuiis, vbi Conuentum ad tempus instaurarent. Nec defuêre multi viri nobiles, qui sacram Christi Militiam amplecterentur. Digitus Dei fuit illic manifestus, quo sine nullus humeros supposuisset cadenti machinæ. Calatrauam onustam spoliis Arabum, abundare Militibus; neque nouum, nec mirum : profugæ, & vagæ, ac penè iam extinctæ, adhæsisse non paucos, neque ignobiles; hoc supra omne humanum exemplum est.

2. Verùm, qui tetigit multorum nobilium corda, vt pauperem Militiam profiterentur, Alphonso Regi non minùs inspirauit, vt nouis eam donaret possessionibus, quæ amicis succederent, atque earum defectum, aliqua saltem parte, compensarent. Extat hoc anno expeditum priuilegium, quo eundem Quiñonium non modicis donauit hæreditatibus ad ripas Tagi fluminis. *Condolens*, inquit, *paupertati vestræ, qui Domum vestram maiorem Calatrauam, qui magna ex parte cuncta bona vestra infelici illa clade ad Alarcos accepta, perdidistis, in qua, etsi nobis strenuè militastis, tamen peccatis nostris exigentibus, diuina manus victoriam nobis abstulit.* Hæc fermè verba Regiæ donationis, quæ addicit Andradius [a], quamuis ab eò in Hispanam linguam versa, non prorsus eadem; nam neque id facilè; sed similia, aut æquiualentia reddiderimus. a *Hist. Calat.* c. 3.

3. Ita Quiñonius Dei, & Regis dono, deformem ex accepta clade Militiam reformabat sollicitus; cùm ecce, qui residui in Aragonia integri numero, possessionibúsque defectionem ab ipso, ac per hoc diuisionem totius Ordinis, quod vltimum malorum (in re præcipuè tenui) meditabantur. Increbuerat per Hispaniam totam fama, cecidisse Magistrum ipso in prælio, ac nullas iam reliquias Calatrauæ superesse in Castella, coronatis in Conuentu sacro Martyrio, quicunque ex bello superstites euaserant; atque hæc vox eatenus præualuit, vt multi certum non solùm putauerint; verùm scripto tradiderint, adeò vt eis ab Andradio [b] nostris temporibus satisfaciendum fuerit, probandúmque Quiñonium supermixisse, quod ipsi Historiæ series, & verba priuilegij Alphonsi Regis, superiùs memorata, palam faciunt. Ergo semel vulgata morte viri; & siue statim bona fide credita, siue consultò veritate non indagata (nam suppressa non credam) primò quidem per speciem necessitatis, b *cap.* 3.

necessitatis, quasi ipsi soli in Orbe remansissent, per quos genus Raymundi repararetur, mox Religionem, & promissam obedientiam præseferentes, ne acephali viuerent, Magistrum sibi eligendum fore putarunt: celebratus Conuentus ad Alcañizas, Militiæ factæ Castrum, de quo suprà, & Garzias Lupezius, dictus de Mouenta, per suffragia electus, qui cæteris præesset, & collapsam Militiam repararet.

4. Hæc primo aspectu honesta, justáque, temerè tamen facta, statim patuit. Quippe qui mortuo Magistrum subrogauerant, vel viuenti substituunt; & cognito Quiñonium superesse, adhuc in Garzia Lupezio perseuerarunt. Et ne tùm quidem quasi per rebellionem, sed specie consultantium, zelantiúmve, quo plerunque pigmento, seu figmento turbidi quique ambiunt palliari. In Castella Magistrum sine Militibus, inane, & vacuum nomen, quod sola possit superbia retinere Iusto Dei iudicio extinctam ibi Calatrauensem gloriam, sacrum Conuentum expugnatum à Saracenis, occisos fratres, nec paucos remansisse, qui victa arma resumerent, omnia in maius augentes, declamabant. Tum, si aliqui adhuc superessent, victos, & exules, incertis vagos sedibus, nequaquam sibi fore præponendos. An soli vellent conseruare, quod amisissent, & Calatrauam vbique sibi fingere, ex qua velut ex sede dominarentur? Cedant fratribus, qui dudum cessêre hostibus, neu corpore militiæ sacræ vacui, vmbram solam residuam tanti faciant, vt patres aspernentur, quos possent sperare reparatores. Hactenus Calatrauam caput Militiæ, cui omnes subessent, velut iure à Raymundo deriuato per successores. Nunc Calatraua expugnata, captáque, & circum circa finitimis Castellis, meritò ad Alcañizes recurrendum, & dignitate loci, & Regni Aragonensis æstimatione.

5. His, & similibus, quem semel instituerant, retinere Magistrum, nec cedere Quiñonio, primùm inter se ipsos velut cunctantes, mox differentes ad alios honestabant: cùm Quiñonius è contra se superstitem, nec depositum adhuc; à solo Abbate Morimundi, si qua causa subesset, deponendum. Vinci in miseria, aut infelicitate, sed non in culpa; nec sibi viuere inglorium esse posse, quandiu vitam Alphonsi seruauisset, pro qua & mori libenter amplecteretur. Non alligatam loco dignitatem, sicut nec vôta, à quibus, si ipsi post amissam Calatrauam, nondum immunes, nec se fraudatum suprema potestate, quam vbilibet posset exercere. Sed leuia hæc, & quibus senio fractus, ac tot laboribus facilè cessisset, id vnum nunquam futurum ipso viuente, vt sedes Ordinis, à Castella transferatur, natam, adultámque sub eius Regibus, sub ipsis reparandam, nec in aliorum clientelam transituram. Superesse adhuc fratres, quantumuis paucos, quibus iam plures diuino nutu accesserint, superesse Castella, oppidáque, in quibus, vt non sedes, tentoria figant, atque id satis militibus, nec desperandum, si semel resumant vires, restaurandas priores, & Calatrauam, initium suæ gentis, tandem à Saracenis eripiendam.

6. An his peruenerit ad Abbatem Gumielensem, in dubio est, & credendum diremptam eius arbitrio, cui Calatrauam Guido Morimundi, pleno iure rogendam delegasset. Constat, auxilio Regis Aragonum, mansisse Garziam præfectum ad Alcañizes, congregatis in eo loco Militibus cum Capellanis, fortè, & priori Monacho: nanque formam Conuentus conseruabant. Ast abstinuisse à nomine Magistri, solo maioris Commendatarij contentum titulo, sub Castellæ Magistro militaturum. Ita inter eos sanctum, & obseruatum, quandiu Garzias vixit: post eius obitum recepta Calatraua, vt suo loco dicemus, non vllus alius extra illam Conuentus fuit. Triennio mansit sedes apud Ciruelos, sub Magistro Quiñonio. Qualiter autem, ipso adhuc superstite, ad Arcem Saluaterræ, tunc recèns expugnatam, in campo Calatrauæ, translata sit, suo loco à nobis dicendum erit. Interim adnoto, hæc omnia ex Francisco Rades desumpta [e], integra fide, quem semper in his rebus, vbi desunt instrumenta antiqua, sequuti sumus. Crediderim Garziam Lupezium, & eius complices, ab incepto faciliùs destitisse; ac re, & nomine Magistri abrenunciasse, interueniente Alphonsi Regis morte, cuius præcipuè fauore subnitebantur. Certè hoc anno obiisse inclytum Regem, Authores omnes memorant: neque eius obitum nobis silere licet, & funere perducto ad Populetum, & Monachatu Ferdinandi filij hactenus impedito, nunc non permisso tantùm, verùm & iusso, atque Hortæ memoria non contemnenda, Cisterciensium Annales illustraturum.

[e] *vbi supra.*

7. Ergo Alphonsus Aragonensium Rex, huius nominis primus, quem suprà, neque semel commemorauimus, hoc anno viam vniuersæ carnis ingressus est, primus Regum sepeliendus in Populeto, quin & sepultum in cuculla Cisterciensi, quam ante mortem Religiosus induisset; antiqua monumenta memoriæ produnt. Dum adhuc viueret, Petro primogenito Aragonensium Regnum; Alphonso Comitatum Prouinciæ diuidit. Ast Ferdinando maiorem Principatum, paupertatem pro Christo, atque alta eius obsequia è Cistercio hauriendo, vt tantò antè exoptauerat, legauit: tabulis subsignatis, quarum & funeris perducti ad Populetum, Scriptores antiqui meminêre, ex quibus sumpsit Ioannes Mariana, qui rem totam descripsit totidem verbis [d]: *Subsequens annus Christi millesimus centesimus nonagesimus sextus, tristis fuit Hispania, Alphonsi Regis Aragonia morte, quoniam inter Reges Hispaniæ, proximum authoritatis, & potentiæ locum tenebat, virtute nulli cedebat. Perpiniani ad septimum Kalendas Maij extinctus est, quo tempore in ditione vniuersa altissima pax erat Aragonia; Regnum viris, opibus, & fama florebat. Petrum è filiis natu maximum, hæredem Regni scripsit: Alphonso Prouincia Comitatum, & contributos Principatui testamento legauit: Ferdinandum natu minimum, veste mutata, maiorum manibus parentare iussit in Populeti Monasterio Cisterciensi, quod à patre inchoatum, & ab ipso perfectum, Tarraconam inter, & Illerdam, ipsius, & posterorum sepulturis destinabatur.* Hæc ille, paucis multa comprehendens, quibus etiam consonat index Zuritanus. De Ferdinandi Monachatu compertum est, nequaquam ab eo dilatum vltra hunc annum: nec alia maior gestorum notitia subest, quandiu Monachum egit. Qualiter autem post non paucos exactos in Populeto, in Abbatem Montis Aragonis promotus sit, Canonicorum Regularium opulentam Ecclesiam supra multas Cathedrales illius Regni, & quæ ibidem gesserit illustria, si magis Monachum agere studuisset, quàm Regis filium, suis à nobis locis dicenda erunt. De funere peracto ad Populetum non minùs constat, vbi hodiéque visitur primus Regum sepultus in Regia Domo.

[d] *lib. 17. c. 19.*

8. Idem ipse Alphonsus, cùm iam decederet (ne quod in nostros officium prætermitteret) Tirasonensi Episcopo Garsiæ specialiter in mandatis dedit, vt Hortæ Monasterium prope, & extra Aragoniæ Regni terminos, cui se dudum in fratrem antè tradiderat, & quod propter Martini sanctitatem, qui iam deposita cura episcopali illud inhabitabat, veneraba-
tur, decimas quietè, & pacificè remitteret, atque
alia

alia donaret, quæ vtriusque testarentur deuotionem. Porrò ipse Præsul, quo obsequio Regem, & quo Hortenses affectu prosequebatur, nihil cunctatus, cùm mense Maio Alphonsus obiisset, mense sequenti hanc fecit donationem: *Ego Garsias Tirasonensis Ecclesia Episcopus, Orthodoxorum Patrum verba factis cupiens adimplere, per redemptionem animæ boni Aragonensium Ildefonsi Regis, cuius precibus hæc ex parte facere teneor, & pro remedio omnium prædecessorum meorum, & prædicta Ecclesia Canonicorum, & pro salute animæ meæ dono, & concedo Domino Semeno, Venerabili Abbati Hortæ; ac eius successoribus, & vniuerso Conuentui ad vtilitatem, & vsus Monasterij eiusdem loci, vnà cum consensu, & voluntate Tirasonensis Capituli, & remitto in perpetuum vniuersum ius, quod hucusque pertinuit ad Tirasonensem Episcopum, & ad Clericos Aibecce, de vineis illis, quas nunc Hortenses Monachi possident in Aibecca: ita vt de eis nulli decimas reddere teneantur, &c. Facta charta in mense Iunij anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi M.C.XCVI.*

9. Hoc ipso anno nec constat, an pactioni superuixerit, an schismatis emergentis dolore pressus, præter pondus annorum, morborúmque, & tristitiam amissæ Calatrauæ, sanctum tandem spiritum emisit gloriosus ille Author huius Militiæ Didacus Velazquius, cùm his omnibus malis superuixisset. Quot annos primùm in Fiterio vixerit, non constat. In Calatraua quatuor, & triginta. In Sancti Petri Cœnobio Gumilienſi biennium consummauerat, & induit Habitum vir prouectæ ætatis, qui diu in sæculo strenuè militasset sub magno Alphonso Hispaniarum Imperatore. Virum inter Beatos Cisterciī memorant [d] Arnoldus Vvionius [d], Aubertus Miræus [e], Chrysostomus Henriquez [f], aliique, quos hîc vlteriùs refert in suis Nodis. Gemiturque hodie sepulcrum viri in eodem Cœnobio Sancti Petri sub recenti inscriptione, lingua Hispana, quæ reddita Latinè hæc habet verba:

d lib. 1. c. 47.
e Orig. lib. 5. c. 13.
f in Menolog. Iulij 2.

Hic iacet Beatus Didacus Velazquez, vir claro sanguine, à pueritia educatus in Curia Imperatoris Alphonsi, vnà cùm Sanctio Principe, cui parum post defunctum patrem vitæ, virtutesque Desiderati nomen indidêre: charus vtrique, atque in Militia sæculari strenuus, rerum deinde humanarum contemptor, in Monasterio Fiterij Cisterciensi, sub Sancto Raymundo Monachum induit; cui mox, vt Calatrauam à Paganis defendendam susciperet, adeóque vt sacram Militiam ab ea cognominatam institueret, Author fuit: vbi & multa patrauit in hostes fidei. Demum longo senio fractus, in hoc Cœnobium secessit Sancti Petri, vbi piè in Domino obdormiuit, circa annum Christi millesimum centesimum nonagesimumsextum, non sine magna opinione sanctitatis. Hactenus superscriptio sepulturæ subrogata antiquæ, nostra ætate. Potuisset virum maturior mors auferre, potuisset & tardior, ne vel amissam suam Calatrauam assequeretur, vel receptam videret. Sed noluit Deus viuentem consolari, quem tot cœlestia gaudia, præmium suæ patientiæ, post obitum, præstolabantur. Sed Calatraua repetenda est nobis hoc ipso anno. Nunc quædam alia concernentia eundem intexeramus. 10.

---

1. *Iuliana Virgo cum Agnete sorore, Cisterciensibus Monialibus educanda traduntur: 2. ratio temporis, 3. genus, parentes, patria, 4. orbitásque, 5. & transmissio ad Domum de Boneria. 6. Puella ante ætatem, matura moribus, & ingenio, ac memoria pollens 8. Ieiunium ab ea præsumptum sine licentia, 9. & à Magistra seuerè satis punitum.*

CAPVT II.

1. Illvstravit hunc annum Cisterciō nata, cùm vix dum sæculo, Sancta Virgo Iuliana Cornelienſis, sanctitate, & miraculis illustris; sed clarior promotione auspicatissima annuæ in Ecclesia institutæ Festiuitatis Sanctissimæ Eucharistiæ, quam mox Vrbanus promouit, & publicauit. Eius Vitam, & Acta vsque ad Cistercium, aut pauca, aut nulla; quippe quinquennis vtroque parente orba, atque illicò Monasterium ingressa est, quod recèns etiam erectum sacris Virginibus, sub Cisterciī instituto, quia certus inceptionis eius annus non cònstat, in hunc locum dicendum reseruauimus. Verùm de patria, & parentibus ipsius, déque tempore ortus, & ingressus in Claustra Cisterciensia, quæ pauca suppetunt, in hoc capite à nobis dicenda erunt. Primò autem de temporis ratione, hæc scripta habet Ioannes de Cappea Villa, Canonicus, & Vicarius Leodiensis in Tractatu historico, *De prima, & vera origine festiuitatis Sacratissimi Corporis, & Sanguinis Domini.* Tractatus autem incipit his verbis:

2. *Anno Domini M.C.XCI. nata est in Diœcesi Leodiensi Iuliana Virgo, quæ anno ætatis quinto parentibus orbata, Monialibus Cisterciensis Ordinis custodienda, & in timore Dei instituenda, tradita est. Qua institutione, quantùm profecerit, Author anonymus illius temporis, qui in veteribus manuscriptis Codicibus, pluribus in locis huius Diœcesis asseruatur, duobus libris docte, & grauiter descripsit.* Hactenus ille: vt ab anno M.C.XCI. deducto calculo, si quinque, quos recenset, superaddas, ab hoc M.C.XCVI. nequeas aberrare. Portò hunc Authorem ex celebri Monasterij Rubræ Vallis in Belgio, Bibliotheca desumptum, paucis, vt ipse ait, mutatis, vulgauit Chrysostomus Henriquez in suis Liliis, ex quo hæc, quæ sequuntur, accipiat Lector [a]: a lib. 2. dist. 3. c. 1.

3. *In Episcopatu Leodiensi, in villa de Retines, fuit quidam vir multis præditus virtutum meritis, clarus progenie, diuitiis pollens, Henricus nomine, & vxor eius Fresendis. Qui cùm pluribus annis pariter vixissent absque vlla sobole, per se, & per quosdam fideles, incessanter orationibus, & eleemosynis Dominum precabantur, vt ipse, qui omnia potest, eis liberos diuinis mandatis obtemperaturos, tribuere dignaretur. Benignus autem Dominus, qui preces ad se clamantium, præcipuè vbi efficaciam orationis manus adiunat operationis, solitus est exaudire, decreuit, gemina prolis exhibitione, seruorum*

suorum

suorum fidelium preces, & opera petitionis munere non privare. Prognata sunt namque ex eis duæ filiæ, quas educabant multa cura, & sollicitudine: harum autem maioris Agnes; minoris autem Iuliana vocatum est nomen.

2. *Orbata sunt autem in ætate tenerrima solatio parentum, vitam bonam bono fine consummantium. Amici verò, & cognati iuvenculorum, quarum iunior habebat tantummodo quinque annos, nutu Dei sollicitudinem gerentes de ipsarum innocentia conservanda, ad Domum Montis Carmeli prope Laodium, quæ tunc nouella erat Cisterciensis Ordinis plantatio, adduci fecerunt; & in consortio Sororum ibidem degentium, recipi procurarunt. Visum namque est eis, dignum fore, si Domus inopia, puellarum abundantia suppleretur, in vno, eodemque facto prouidentes illius paupertati, & istarum consulentes innocentiæ, ac saluti.*

3. *At Sorores illius Monasterij, superbiarum infantiæ gestantes viscera ad Bouerias, à Domo predicta non longè dimissam, miserunt, vt à quadam spirituali Sorore, Sapientia nomine, ibidem commorante, nutrirentur, & erudirentur pariter. Subdiderant igitur infantulæ iugo Domini colla inuenilia sub Sapientia earum nutrice, & Magistra. Ipsa namque earum pascebat corpora, sicut nutrix; reficiebat etiam mentes, vt Magistra, tradendo legem vitæ, & disciplinæ. Porabat insuper Sapientia alumnas suas, aquas sapientiæ salutaris, quam illa pro ætate, ac tempore, pectore sitibundo hauriebant. Crouit autem sororum maior natu in laudabili simplicitate vitæ, in magna quoque corporis, & animæ sanctitate; ipsam tamen in virtusque hominis sanctimonia minor supergressa est. Siquidem Christus, cui licet, quod vult, facere, ampliores cumulos gratiæ, & virtutis thesaurizauit super eam.* Hactenus primum caput vitæ Beatæ Virginis.

4. Porrò, quod dicitur, vtrumque puellam missam in Domum de Bouetia, à Sapientia educandam, & erudiendam, argumento est, eandem Domum Cisterciensium Virginum esse ante hoc tempus conditam; sed cuius fundationis annum nondum sciamus. Pergit Authot de tenera puella sequenti capite [b]: *Prætermissa igitur narratione vitæ, & conuersationis laudabilis Agnæ, quæ piè, ac simpliciter viuendo sè Agnam veraciter exhibuit, ad Historiam Beatæ Sororis eius conuertamus sermonem. Ipsa enim sub Magistra posita, non erat Magisterij impatiens, non fugitans disciplinæ, non denique appetens ludorum, & quod tamen huiusmodi ætati dulce, ac delectabile iudicare solet. Iam enim ætatem moribus transcendebat, exuens totius infolentiæ puerilis. Erat quippe corpore iuuencula; sed animo casta. Amabat autem habitare secum simplex, & quieta, & vitra quam credi potest, verecunda.*

[b] ibid. c. 2.

5. *Visum est autem Magistræ suæ bonum, vt eam litteras edoceret, per quas Dominum agnosceret, & amaret, ad cuius amorem aspirare tanta indolis infantia videbatur. Sedens igitur Iuliana ad pedes Magistræ suæ, ab ea quotidie docebatur; cuius doctrinæ, quotidianis etiam profectibus respondebat: sortita enim erat spiritum bonum, per quem erat docilis valdè. Et factum est, in brevi tempore, vt non solum Psalterium legere sciret; sed etiam corde tenus retineret. Dedit enim ei Deus, & intellectum capacem, & tenacem memoriam, in vt ista etiam ætate, si quid legerat, vel audierat, quod virtutis gratiam redolebat, hoc corde tenus retineret, opere adimplere cupiebat.* Hactenus ibi. 7.

6. Et quidem grandia hæc, atque sublimia: sed magis adhuc in infantili penè ætate, quod mox subiungitur [c]: *Quadam autem die, cùm Sorores assiduè persoluerent ieiunia, illius Historia Beati Nicolai, vbi dicitur, quòd quarta, & sexta ferià semel sugebat vbera; Beata Virgo Christi recordata, similiter ieiunare decreuit & ipsa, satisfeciſſetque proposito suo, nisi Magistræ seueritas conatibus eius obstitisset. Aggressa est autem Iuliana deuotum ieiunium, sed præsumptum; & Magistram suam latere non potuit. Quæ iratam se simulans ad terrorem, eam tulit extra Domum, atque in ninem proiecit: hyems enim erat: dixitque illi: Quoniam sine licentia ieiunare præsumpsisti, hic pœnitentiam tuam agere oportet. Et relinquens eam in nive, Domum regressa est. Iuliana verò, in voces murmuris, vel impatientiæ non erupit, vt plerumque fieri solet ab infantibus: sed nec à loco, in quo posita erat, recedens, vultum sibi, & formam pœnitentis assumpsit.* 8. [c] idem c. 3.

7. *Post aliquantulum verò temporis, regressa est ad eam Magistra sua, præcepitque ei, vt continuo in Ecclesiam iret, & reatum suum cum dolore cordis confiteretur. Quæ surgens de loco frigoris, confestim paruit imperanti, & præsumptionem, qua Magistram suam in obediendo turbauerat, confessa est. Sacerdos autem tanta puritatis confessionem audiens, admiratus, eidem ætati suæ conuenientem salutarem pœnitentiam iniunxit, quam ipsa simpliciter adimplenit. Quod non infantiæ, aut alicui leuitati est deputandum; sed in eo potiùs attendendum quoddam præludium longissimi ieiunij sequuturi.* Hactenus de infantia Beatæ Iulianæ à quinquennio ad septennium plùs, minúsve: nam, quæ ad pueritiam, longè adhuc maiora, suo tempore inferiùs prosequemur. 9.

---

1. *Beata Iueta apud Huium inclusa, visiones varia: 2. sistitur Christo Mundum iudicanti: 3. pro timente interpellat Maria Virgo: 4. impetrat veniam, 5 atque accipit in filiam: 6. quale peccatum, de quo arguebatur. 7. filij eius iuuenis luxus, & vitia, 8. pro quo anxia mater; 9. sed non proficiens, 10. relapso eo post promissam emendationem.*

CAPVT III.

1. INTER hæc venerabilis Iueta, apud Huium recluſa, sub obedientia Abbatis Aureæ Vallis, purganda, vel si quæ irrepsissent, culpis in sæculo, ad culmina fauorum disponebatur. Optauerat præ amore castitatis vitam cœlibem, atque in eo desiderio fortè excesserat, marito mortem imprecans, quòd nimiùm importunus esset exactor vxorij iuris. Hoc illi crimen horribili visione manifestatum, sed quæ interuentu Virginis Mariæ, quam sibi Iueta Aduocatam elegisset, in gaudium cordis, consolationémque, atque prærogatiuam specialem, post Ioannem (quod sciamus) Euangelistam, non alteri concessam, dissolueretur. Narratam ab Authore Vitæ ipsius, quam vulgauit Henriquez totidem verbis, transcribam pro more nostro:

Igitur

2. *Igitur* (hit) *excursis diebus aliquot, postquàm habitare cœpit in cellula secum, nocte quadam, cùm post orationes, & lacrymas lectulo reclinasset caput, rapta per spiritum, vidit: & ecce Filius hominis descendens sedit, tanquàm Iudex, ad iudicandum: astantibus in circuitu eius diuersis Angelorum Ordinibus. Vidit etiam à dexteris sedentis in throno considentem Iudici fœminam reuerenda facie, & habitus, qua inæstimabili decoris gratia transcendere videbatur omnem Mundi pulchritudinem, vt meritò nil aliud posset æstimari, quàm illam esse, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, Reginam Cœlorum, Angelorum Dominam, Matrem Dei, Gloriosam Virginem Mariam. Cuius ad imperium, vt quidam ait, Cœlestis Regia pendet. Quid plura? Dies illa iudicij, dies iræ, tribulationis, & angustiæ indicandis, nec quispiam inter omnes reperiri poterat, qui non ad iudicantis aspectum, horroremque iudicij contremisceret. Discursumque est de actibus singulorum singulis, donec Iudicium ad ipsam in ordine deuolutum est.*

3. *Illa quomodo, aut quid Iudici respondere posset ignorans, grauem pro quodam commisso sententiam seuendam contra se cognouit in spiritu, & infremuit; capitque flere amarissimè. Quid faceret, quò se verteret a facie imminentis sententiæ, cùm non pateret fugiendi locus? Direxit tandem ad confidentem Iudici misericordiæ Matrem oculos humectatos a fletu, &, vt sui misereretur, supplex manibus expansis ad eam cum gemitu postulare cœpit affectibus oculorum, & cordis, quia appropinquare ei, vt sibi videbatur, aliter non poterat. Quid multa? Appropinquabat hora, vt tristis in eam sententia ferretur: & ecce surrexisse visa est de solio gloriæ suæ mulier, qua sedebat in dextris; & ante thronum Iudicis Filij sui Vnigeniti humillimè procumbens, vt ancillæ suæ misereretur, vigorémque Iudicij vertere dignaretur in misericordiam, affectuosissimè rogare cœpit. Iudex quasi faciem auerteret indignans, graviter peccasse fœminam in se, & dignè meruisse pœnam concionabatur cum Matre.*

4. *Tum e contra Mater: Verum est, inquit, ô Fili, quòd peccauit quidem à diebus iuuentutis suæ, sed dignè satis peccata per diuturna luit lamenta pœnitentiæ: & licèt peccatum, pro quo nunc patitur singulariter, fortè, sicut debuit, non deplanxit, quia ignorans peccauit, & peccati sui magnitudinem non plenè cognouit vsque modò; sed, quæso, peccatum, & peccati pœnam condona, fideique meæ dimitte eam, qua peccauit: non enim separabor à te, donec cum remissione peccati, impendas ei beneficium amoris tui, & effectum gratiæ. Sed quid est, vel esse potest, quod Matri Filius, Sponsus Sponsæ, amicus amicæ, caro sanguini valeat denegare? os enim ex ossibus eius, & caro de carne eius est. Fiat, inquit Filius, ô Mater quod petis: ego quidem & peccata remitto; ipsam verò tibi committo, tuo nomini, tuóque eam specialiter assignans amori, & obsequio. Et ex illa hora accepit eam misericordiæ Mater in suam.*

5. *Tum blandè consolans lugubrem, & per manus illam assumens, manibus Filij repræsentat, qui osculo oris sui eam sibi concilians, reddidit eam Matri suæ. Mater, inquiens, ecce filia tua: hanc tibi commendo velut propriam, velut ancillam perpetuò peculiarem; hánque, vt tuam custodi, protege, & guberna. Hæc eo loquente, solutum est Iudicium, cessauit visio, restitutáque sensibus corporeis mulier fidelis est. Et qui audiuit ex ore eius, testimonium perhibuit; & scimus, quia verum est testimonium eius.* Hactenus visio, quò tristior in principio, eò in fine iucundior, lætiórque adoptione Mariæ, atque facta solennitet per Filium coram Angelis solenni traditione, vt verè in hoc fauore, si fas est dicere, Iueta Euangelistam superauerit: quippe ille ex Cruce Matri traditus; hæc ex solio Regni, & potestatis: ille Iudæis coram; hæc coram Angelis: ille à mortali, & subeunte mortem; hæc a glorioso, & Patri conregnante: demum ille passibili Mariæ; hæc Reginæ Cœlorum tradita est, eóque proximiùs in gloriam acceptata. Paulum, quia electus a Christo iam glorioso, à dextris Petri ponitur in Bullis Pontificiis, nihil obstante Petri Principatu, qui a mortali, & passibili electus, Doctor Angelicus Thomas adnotauit. Certè, si Iueta, & Ioannes pingendi forent, à dextris Iueta, quippe in filiam electa Gloriosæ Virginis Ioanne adoptato a passibili, & mortali.

De peccato verò Iuetæ subiungit idem Author, 6.
licèt coniectans [b]: *Porrò, ait, si scire quis velit, quod, & ei* [b] *Idem ibid.*
quale extiterit peccatum, pro quo tam grauis eam manebat sententia, illud idem esse arbitror, quod in primordijs libri huius commemorauimus, videlicet, quòd, vt à lege viri libera effici posset, mortem viri vltrò expetierit. Sic Acta sanctæ fœminæ. Quòd si adoptionis virginalis fauor alicui erat culpæ subiungendus, meritò hæc præ aliis petita est, quæ ex amore proceſſit castitatis, vt quæ integritatem virginalem præferre non potest, tradita viro, saltem dolorem de amissa præferens, & puritatem vltra modum etiam optans, quadantenùs, quod inuita amitteret, compensaret. Sed de his satis. Nunc filij eius in seculo reteti excellus primùm, & recidiua vitia, dein veram in Cistercio conuersionem, per Matris merita, & preces aperiamus.

Videns se Diabolus nihil posse proficere in Sancta Dei, 7.
(scilicet, Iueta,) *ad callidas se vertit argumenta malitiæ, & nequitiæ: domesticum, & familiare ipsi satis malum in carne propria, id est, in filio, qui adhuc sortis erat in seculo cum amicis, vt mens intenta filio ad quantumcumque temperaret à Dei laudibus, tanquam quæ filij veteri suæ matet misericors obliuisci non posset. Is enim filius malè adultus, mox, vt infantiæ exiuit annos, in sensum reprobum, totum se ipsum contulit, & quidquid habebat, vel habere poterat in vsus expendebat pessimos cum coætaneis iuuenibus, æquè lasciuis, quibus luxus cordi est, & amare vitia, quos quasi victor, iam omnium immanitate scelerum superabat. Qui tandem diu in criminum vitioso mari nauigans, decidit in Scyllam desperationis miser, vt nihil omninò intentatum relinqueret, quidquid luxurianti occurrebat animo. Quid plura? De multis, & maximis vitæ suæ periculis frequenter eruitur, matris oratus pro eo ingiter orationes conferebant, & merita, de quibus quandoque, & præter spem hominum, vtcumque exstitit semper impunis.*

Demum nunciantur matri actus, & vita infelicis filij, 8.
quem mater vellet ante mortuum, aut se nunquam genuisse, quàm vitam nunciari sibi de eo huiusmodi. Instat tamen orationibus, & lacrymis, affligit corpus, humiliat animam, fundit, pectus, vellit caput, torquetur intus, & extra pro filio obnoxio, mater innoxia: duo offerens, vnum optat è duobus, aut mortem sibi, aut filio vitam; vitam dico, non quamcumque; sed vitam, qua Deo viuitur. Nulla enim mors amarior ei esse poterat, quasi omni morte grauior vita, quam ducebat filius; nec spiritui eius bene esse poterat, quandiu caro de carne eius, id est, filius, tam pessimè viuens, membrum esset Diaboli, refuga Dei, incentor malorum, bonorum persecutor, filius perditionis sibi, matri lapis offensionis, & petra scandali proximis. Sic equidem exercebatur, & scopebat spiritum suum, laborabatque denuò parturire gestiens, vt pareret Deo, quem Mundo pepererat prius: fieretque filius Dei per adoptionis gratiam, qui filius peccati, & filius erat iræ ex propria merito iniquitatis.

Aperit nunc amicis dolorem, quem intrò patiebatur 9.
pro filio, nunc aduenientes quosque ad se consolandum precatur. Hortatur singulos, vniuersos deuotissimè exorat,

notatum manet, octo, & viginti constat intercessisse; cui numero, si quinquennium illud addas, quod ætatis habebat Ascelina, cùm orba patre, relinqueretur trium, & triginta annorum, cùm Bullencuria discedens Polingetum ingressa, atque Ordinem Cistercienſem professa est; non viginti, & octo, vt in Epitome. Hæc velut dubitanter à nobis dicta: aliàs maior annorum differentia facilè solet in concordiam reuocari. Sed redeo ad Historiam deuotæ Virginis.

7. Hactenus vera sanctitas, virtutes charitate informatæ: nunc de miraculis, quæ ornamenta sanctitatis sunt, (nam neque signa, aut effectus dicam inseparabiles,) aliquid etiam breuiter dicendum [i]: *Frequentius illi accidit, vt cum quadam columba ad orationem duceret, de dormitorio descendentem. Aliquando sumpta Cruce in manibus, magno incendio occurrit, & ad ipsius aduentum ignis est extinctus. Beatus Bernardus, transitus sui nocte, illi apparuit dicens, se ab hac vita migrasse. Et mox in specie columbæ tectum penetrauit.* Et post pauca: *Aliquando Angeli, ad legendas in vigiliis Domina nostræ, Lectiones, lumen illi diuinitùs ministrarunt. Cum quendam valdè religiosum de vallibus Monachum Diabolus seducere conaretur, vt Ordinem dimitteret, & vitam arctiorem eligeret; illa seductio per Christi ancillam manifestata est, & mandauit ei, vt à tali proposito desisteret: quia viderat in visu eius effigiem, & in aure eius Diabolum suggerentem, vt Ordinem dimitteret.*

[i] *Ibid.*

8. His miraculis plura subiunguntur, de Dæmone non semel fugato Virginis meritis: de Canonico quodam Præmonstratensi à longa, & graui infirmitate sanato: atque id genus alia, diuersaque, quæ fertur scripsisse Gosuinus Bullencurianus Monachus, Ascelinæ, quod modò videbamus, non solùm coæuus, sed notus, & familiaris. Ergo virtutibus, significque gloriosa, cùm annos integros sex, & quadraginta egisset in Ordine; in Mundo quatuor, & septuaginta, plùs minúsve; morbis tandem, & longa ætate grauis, & cœlestis Sponsi amore dudum exæstuans, hoc anno ad Dominum feliciter transiuit. De cuius sacra morte hæc in Epitome: *Plura alia edidit miracula Sancta Ascelina, & multas visiones habuit, quas refert Gosuinus. Obitum autem suum circiter vno anno antè præscitit. Feria sexta post Pentecosten obiit, circa annum M.C.XCV.* Hactenus ibi. Nec discrepat Camuzarius in anno mortis, aut quicunque alij scripserunt de sacra Virgine.

9. Sepultam Bullencuriæ superiùs diximus, ex eodem Camuzario: siue quòd Monachi sacrum eius corpus sibi sollicitarunt; siue quòd ipsa, dum adhuc in viuis esset, Bullencuriam reuerti iussa sit, consummanda ibidem; quod in Epitome etiam adnotatur. Nisi quòd tamen, dum mater illi adiungitur, difficilè appareret, vtranque protraxisse vitam vsque ad hoc tempus. Addit vlteriùs Henriquez in suis Liliis [k], corpus Virginis, simul cum corporibus Beati Gosuini Monachi, & B. Hemelinæ Virginis, sepultum in vno, & eodem tumulo à parte Euangelij, superque ipsa Altare in honorem horum trium Sanctorum erectum esse, magnóque populi concursu venerari; quibus vtinam addidisset fontem, vnde id hausit, aut aliquam Gosuini, Hemmelinæve, quos non alibi video commemoratos, etsi leuem notitiam tradidisset. Sic, & quæ ibidem præscribuntur ab eodem, Sequentia, seu Antiphona, atque item Collecta de Sancta Virgine, insipida planè omnia, & sine succo. Quæque dum nullum præseferunt Authorem, nec possunt ex antiquitate venerari, neque ex venustate placere: vnde non censui digna nostris Annalibus. Hæc de Ascelina, quia minùs certa aliis, in vnum collegi, atque in hoc Capite Lectori meo proposui, ne dubiis reliquam Historiam commacularem: purgata tamen à nugis, quantùm potui, atque ab his, quæ suspecta videri possent. Id vnum certum, extitisse Ascelinam, Sanctam fuisse, & Bernardi Patris affinem, cuius corpus sepultum in Bullencuria, hodiéque religiosæ subest veneration. Porrò hæc Ascelina diuersa est ab ea, cuius meminit Cæsarius libro 6. suorum Dialogorum, cap. 10. & lib. 12. c. 42. & 43. & cui nos Sanctum Monachum Dauidem magna in gloria apparuisse, statim ac decessit, commemorauimus [l]. Vtrùm autem eadem sit cum ea, de qua agit idem Author lib. 12. c. 15. & cui Priorem quendam Claræuallis apparuisse post mortem testificatur, aliorum iudicio discernendum.

[k] *dist. 3. cap. 34.*

[l] *ann. 1179. c. 6. n. 4.*

---

1. *Garnerius in Lingonensem Sedem promotus.* 2. *Eius, an successoris, cum Guidone Cistercij egregium factum.* 3. *Liberati Legati Kanuti Regis,* 4. *& commendata causa Legationis.* 5. *Ioannis de Spina obitus.* 6. *Concordia inita inter nostros, & Carthusianos.* 7. *Statuta alia* 8. *in Generali Synodo.* 9. *Chronologia,* 10. *& notitia Ecclesiarum breuis.* 11. *Translatio Iuncaria in Aragonia ad ripas Hiberi,* 12. *qualiter facta: & remissiuè de Templo noui Cœnobij.*

CAPVT IV.

1. HOc eodem anno Lingonensi Sede vacante, per mortem Manasses filij Comitum Barri supra Sequanam, Venerabilis Garnerius Abbas Claræuallensis ad eam Sedem assumptus, non tam orphanos filios dereliquit, quàm nouo sibi titulo adoptauit: quippe ex Abbate, Diœcesanus factus, extendit, non deposuit paternam sollicitudinem. De eo in Catalogo Abbatum Claræuallis: *Galterus Abbas Alberipæ abbatizauit hic* (id est, in Claraualle) *annis nouem. Postea factus est Episcopus Lingonensis.* Itaque electus anno M.C.LXXXVII. vt superiùs ostendimus, si nouennium administrationis sinæ attigit, vt minimum, peruenit ad hunc annum. Sed & Robertus Claudius eundem notat in Catalogo Abbatum Claræuallensium [a], quamuis in Episcopis Lingonensibus tempus anteuerterit; & Garnerium Episcopum iam factum anno M.C.XCIV. subscripsisse tradat quibusdam donationibus, quas Vrbi Diuionensi Odo Burgundiæ Dux largus indulserat. Loco Garnerij statim suffectus Guido *Miles in sæculo, & de sanguine Regio: post Monachatum Abbas Vrsi campi.* qui annis XIX. continuis clauum tenuit, multa interim peragens, quæ suis nobis locis dicenda erunt. Quin Manasses, Garnerij antecessor in Lingonensi Sede, sepulturam accepit in Claraualle, in qua hodieque visitur, humili superposita inscriptione: HIC IACET VENERABILIS MANASSES, EPISCOPVS LINGONENSIS.

[a] *in Succes. sore.*

Sub

2. Sub idem tempus Guido Cistercienſis,& mihi dubium,Garnerus Clarævallis,an qui eum excepit alter Guido, quos modò dicebamus, religioſi in Pontificem,atque in Kanutum Daniæ; ſed magis in Philippum Franciæ Reges officioſi,& pij,dum illius Legatis ſpoliatis,& captis opem ferunt,Eccleſiam ab ſcandalo, Kanutum ab iniuria; demum Philippum à nota vtriuſque crimnis, prouidi, atque prudentes liberarunt. Rem ex Iſaacio Pontano,Authore Dano,breuiter,& ſuccinctè proferre libet: *Philippus*,ait [a],*Gallia Rex,Kanuti Regis ſororem Ingeburgam duxerat,à qua ob ſanguinis affinitatem ſeparatus,Mariam,filiam Ducis Moraniæ ſuperinduxit. Vt autem demonſtraret Philippus conſanguinitatem inter ſe,& Ingeburgam, congregauit Epiſcopos,atque illos in ſuam ſententiam traxit. Quamuis aly aliter,& iniquè diuortium factum iudicarunt.* Hæc pluribus ille: & ſubdit [b]: *Præſertim Danorum Rex,Kanutus,intellecta re,per Oratores ſuos, agere apud Pontificem Cæleſtinum hanc cauſam cœpit, demonſtrauitque, vt minimam quidem vel affinitatem, vel conſanguinitatem intercedere, quæ vllo pacto diuortio nuptias poſſet. Ideóque,& petere à Summo Pontifice vellet, ſub pœna anathematis imperaret Regi,vt, Maria relicta,Reginam Ingeburgam reciperet. Hi Legati Romam reuerſi,circa Diuionem, dum Burgundiam tranſeunt,detenti,ac litteris papalibus,quas plures acceperant,ſpoliati; opera tandem Abbatum Ciſtercienſis, & Clarævallenſis,dimiſſi,atque inde ad Regem profecti, ipſum Philippum coram compellarunt.* Hactenus ille de vtriuſque Abbatis facto,atque eius occaſione, quam omnes Galli Scriptores memoriæ produnt.

a lib. 6.

b ibid.

3. Nobis in illa,quæ idem factum commendent,duo alia notanda eſſe videntur: alterum Legatorum,eximia dignitas, ex qua maior iniuria, eóque religioſiùs propugnanda: alterum, Legatiæ ipſius cauſa, quò iuſtior, eò dignior promoueri. Et quidem de Legatis compertum eſt, vix illuſtriores ex Dania potuiſſe mitti. Andream Sunonis, Cancellarium Regni,atque à Rege ſecundum; & Guillelmum Abbatem,natione Gallum; quem ex Collegio Sanctæ Genouefæ dudum adductum, poſt in Dania miraculis florentem,tandem Eccleſia adſcripſit Sanctorum numero. Ita ex altero,vtrique maior authoritas,& potentia ſubnixa ſanctitati venerabilior; & ſanctitas ex potentia temporali notior, atque illuſtrior efficiebatur. Debuiſſent reuereri diadema Regni, in Regio Cancellario,vel quibus nulla eſſet cura honeſti. Debuiſſent Deum in Sancto venerari, vel quibus Regia Maieſtas contemptui foret: & quò maius flagitium in ſpernendo, eò vtcunque ſeruare, glorioſius fuit. Ergo vltra Legatorum indemnitatem,iure gentium ſtatuam in toto Orbe, vltra prærogatiuam litterarum, quas deferebant à Vicario Chriſti, ſe ipſis ſuſpiciendi, eò ſolùm & capi, & ſpoliari permiſſos credo, vt vbi aggreſſorum delictum abundauit, ibidem maius liberantium donum, atque opportunum auxilium conſpiceretur. Hæc de Legatis.

4. De cauſa id ſolùm dicam, mirandum ſatis, atque eius iuſtitiam planè commendans tanto cunctorum plauſu fuiſſe acceptam, vt deficientibus, qui illam tuerentur aduersùs Regem, (is mos Curialium, etiam optimorum,) qui tandem pro Ingeburga peroraſſet, ignotus iuuenis, Genius de Cœlo miſſus creditus ſit; cui ſemper curæ afflicti, & oppreſſi pro filiis eſſe ſolent. Sanè cùm veniens de latere Pontificis Octauianus Legatus non multò pòſt Sueſſione Concilium celebraret. *Nullus dum* (ait Paulus Æmilius [c]) *prodire audebat, qui Regem accuſaret: erant nimis multi, qui diſertiſſimè, compoſitiſſimóque eius Cauſam agerent. Ibi ſummo ſilentio, ac prope aſſenſu audiebantur. Peroranant etiam, cùm nemo vocem contra mitteret. Quis tanta cernice foret, qui præſentem Regem Auguſtum, tanta in re, oratione diſtringeret? Perdiu expectatione ſuſpenſi animi tenebantur. Tandem ex humili multitudine, adoleſcens ignotus, quis, vnde veniret, venia dicendi demiſſiſſimè,& ab Rege, & à Romano, & à cætero Conſeſſu petita; externa, repudiataque mulieris deſertam ab omnibus Cauſam,tam ornatè, dilucidéque defendit, tam reuerenter de Rege verba faciens, vt in ſui admirationem omnes conuerteret. Fine dicendi facto, ſe ſurripiens, nuſquam deinceps comparuit. Sunt qui Numini id attribuant: ſed conſilio, & arte Dana fieri potuit.* Hæc ille Author. Vt inde palam fiat,qualis, & quanta cauſa cenſenda ſit, quæ per Angelos, aut perorari meruit, aut perorata credi: niſi dicamus, ab vtroque Abbate promotam, ab Angelis veniſſe perotandam. Subdit Æmilius: *Demum Rex neceſſitatem in virtutem vertit: relictóque Conſeſſu,in equum cùm inſiluiſſet, poſt ſe receptam Gelbergam in Regiam reduxit.* Ita Paulus Æmilius. Sed de his ſatis.

c in Philip. Auguſto.

5. Memorabilis exiſtit hic annus in Veteris Caſtellæ Monaſterio Spinæ, morte Ioannis Abbatis, qui tres ſupra viginti annos eandem Domum egregiè adminiſtrauerat. Obiiſſe dicitur 17. Kalendas Iunij, qua die in Martyrologio notatur. Cæterùm ob ſpecialem viri honorem, alia item die, ſcilicet, tertio Idus Ianuarij, memorari iubetur in Capitulo,vnà cum Sanctiſſimo Papa Eugenio III. & duobus ipſius anteceſſoribus: *Commemoratio Domini Eugenij Papæ, & Domini Baldvini, & Domini Kvillelmi, & Domini Ioannis de Spina, necnon & omnium Epiſcoporum, & Abbatum Ordinis noſtri.* Ergo hi tres primi Abbates, neque vlli alij, ſpecialiter cum Eugenio Papa commemorantur. Loco Ioannis ſubſtitutus eſt Arnaldus, inſignis æquè doctrina,& pietate, cui Innocentius III. non ſemel ſcripſit,& grauiſſima negotia delegauit, vt ſuis locis à nobis dicendum erit.

6. Multa hoc anno in Capitulo ſtatuta à Guidone Abbate, Fratribúſque,quæ breuiter hîc erunt recenſenda. In primis initam concordiam cum Carthuſienſibus,& mutuos tranſitus prohibitos vtrinque ſine expreſſa licentia, annuente, & ſuis actis inſerente Ianſelino,Priore magnæ Carthuſiæ,Robertus Claudius in Catalogo Abbatum Ciſtercij memoriæ prodidit [d]: *Cuius*, ait, id eſt,Guidonis tempore, *anno M.C.XCV. ſtatutum fuit in Capitulo Generali, ne vllus Ciſtercienſium ad Carthuſianos tranſiret, ſine conſenſu Abbatis Ciſtercij,& contrà: vt eſt in antiquis Carthuſianorum Conſtitutionibus Ianſelino Priore Generali.* Hæc ille: quibus planè videas, per hoc tempus, ne ipſos Carthuſianos de ſtrictiori,aut arctiori vita præſumere: mutuo tranſitu ad noſtros, vel vtriſque conceſſo cum licentia, vel ſine illa, vtriſque denegato. Ad quæ puto reſpexit Magiſter Bañes, Salmanticenſis quondam Primarius Theologus, dum vtrorumque perfectionem comparans, & ſibi, & aliis; ita vtriſque cæteris præponit, vt neutri ſibi: *Alij*, inquit [e], *Ciſtercienſes præferunt, alij Carthuſienſes, vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Porrò hanc concordiam authenticam ſtare in Archinis Monaſterij Carracetenſis, in veteri membrana perantiquis ſcriptam characteribus, teſtatur Magiſter Hieronymus de Llamas in ſua Methodo 3. p. cap. 4. §. 33. in fine.

d in ſua Gallia.

e Relectione de augmento charitatis.

7. Actum deinde de aſſiduis petitionibus Principum Chriſtianorum, Ordinis orationes ſollicitantium; quibus neque vnquam denegari poſſent, nec annua-

tim concedere expediret. Vt quid enim ſub prætextu deuotionis frequentarent Capitula; atque ipſa Religionis arcana perſcrutarentur? Sæcularibus, ſeu merita, ſeu vitia, ſi quæ fortè irrepſerint, zelanda: hæc, ne imptudenter vulgi detractionibus; illa, ne exponere laudibus videamur: quippe ex his, Monachis timendum à ſuperbia: ex illis, à contemptu Religioni; Mundo, ab ſcandalo. Tum, ſi neutra ad eorum notitiam veniant, ad quid velut venales orationes per Principum obſequia comparandæ? Senecæ verba, digna tanto Philoſopho [1]: *Non tulit gratis, qui, cùm rogaſſet, accepit.* Anne pars modica populi Chriſtiani, tot beneficiis Pontificum deuincta, tot Regum donis, niſi rogata, orare pro eis neſciat; aut, quod peius eſt, nolit? Serum eſſe quodcunque beneficium, ſi expectat peti. Quid ſi debitum? Prohibitos mendicos olim in rege, non quòd nullus egeret; ſed, quòd omnibus, priuſquàm mendicarent, ſubueniretur. Quantò magis primores præueniendi? Hæc, & ſimilia telata, collatáque, expreſſerunt decretum, *Vt fierent orationes generales, perpetuæ, in vniuerſo Ordine, pro Papa, & pro cæteris Principibus, ſicut ſolitum eſt ordinari in Capitulo Generali.* Addita & alia concernentia diuinum cultum: *Vt Dominica in Palmis tres lampades arderent coram Altari.* Et item, quòd, *Si contigerit, vt Feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ, vel Sancti Benedicti, Sabbatho in Ramis Palmarum euenerit, ipſo die celebretur: & Sermo in Capitulo habeatur: Veſpera vſque ad Capitulum erunt de Feſto: Capitulum, & reliqua de Dominica; ita ſanè vt commemoratio fiat de Feſto.*

[1] lib. 1. de benef.

8. Tranſitum inde ad Abbatum depoſitiones, ceſſionéſque, & vtriſque prouiſum, *Vt Abbas depoſitus in Domo illa non remaneat; ſed ad aliam tranſeat; & infra viginti dies profeſſionem faciat: qui verò ſponte ceſſerit, niſi quietus, humilis, & obediens fuerit, ad aliam Domum emittatur.* Erant, qui putant, Sanctos non eſſe homines, nec paſſionibus talium ſubiacere. Cauendum ſubditis à vindictæ complacentia, ſi depoſitum videant, quem dyſcolum Prælatum experti ſunt, ſine à quo fortè læſi: timendum & Prælato ab impatientia, ſi videat inſultantes ſibi eoſdem, quos forſan hactenus habuiſſet aſſentatores. Habent & vitia velamina virtutum, habent colores, breui, & in lubrico poſito interuallo; quod ni materiam penitùs ſuccidas, difficiliùs cognoſces, quàm peragraueris. Prouiſum item de aliis minutioribus, *ne pedules ex corio*, politiori materia; puto, quos tios vocamus *Bercguies. Ne ſeculares in Coquina conuentus, aut infirmorum*; atque id genus alia, quæ humilitatem, atque paupertatem præſeferebant; & pericula eò altiùs præcauebant, quò occultabant. Hæc de actis Concilij Generalis.

9. In Chronologia Abbatias quinque repetio hoc anno natas; eaſque recenſitas ſequenti ordine:

Anno M.C.XCV. fundata eſt Abbatia de Petra in Hiſpania.

Eodem anno, Abbatia de Caſa noua, in Prouincia.

Eodem anno, Abbatia de Sancto Vrbano.

Eodem anno, Abbatia de Oliua.

Eodem anno, quinto Kalendas Octobris, Abbatia de Galeſio in Apulia. De Petra dictum anno præcedenti. Caſam nouam Aubertus Miræus memorat: *Anno M.C.XCV. fundata eſt Abbatia Caſæ nouæ in Prouincia.* quæ eadem Robertus Claudius habet in ſua Gallia. In libris Cameræ, præter dictam à nobis ſuprà, Salucionenſis Diœceſis in Pedemontio, duas alias inuenio; alteram in Aprucio, Penenſis Diœceſis; alteram Patmenſis in Lombardia: ſed vtrunque in Italia, adeóque neutram eam, de qua hoc anno, niſi Tabulæ errant. Memorantur & duæ illæ Caſæ nouæ in litteris Honorij Papæ III. quæ ſuis locis venient referendæ.

10. Sancti Vrbani Cœnobium, in Authore damnato Rodulpho Hoſpiniano, commemoratum inuenio, inter alia Cœnobia, his paucis verbis: *Sancti Vrbani Cœnobium Ciſtercienſis Inſtituti. . . . . fundatur anno Domini M.C.XCIV. à Leopolde, & Vvernero Baronibus de Langeſtein.* Hæc tantùm ille. In litteris Gregorij Papæ IX. inter alias, habetur hæc inſcriptio: *Sancti Vrbani, & de Frinisberch Abbatibus, & Priori Sancti Vrbani Ciſtercienſis Ordinis, Conſtantienſis Diœceſis.* Eſt autem Domus filia Bellæ-vallis, de linea Morimundi, quæ nobis infrà, nec ſemel memorabitur. In notitiis vulgatis à Iongelino, Domus longè antiquior, nec Bellæ-vallis, ſed Lucellæ Filia, eáque in Heluetia Diœceſis Conſtantienſis commemoratur. Oliuas duas tradidimus ſuperiùs, alteram in Hiſpania, in Pruſia alteram, vtranque inſignem Domum: tertiam non hactenus datam reperite. De Galeſio, aut Galaſo Tarentinenſi, Filia Sambucinæ, de linea Claræ-vallis, tabulæ omnes. Quin & Honorius III. in ſuis litteris ad illius Abbatem, quas infrà dabimus: & liber taxarum Cameræ apoſtolicæ, præfixis octuaginta tribus florenis pro medietate reddituum, quos debet ſoluere.

11. His Monaſteriis duo alia addenda, Hiſpanum vtrunque, vtrunque Regium: alterum in Luſitania, in Aragonia alterum: neutrum de nouo ſurgens, ſed alterum à Sanctio Luſitano donatum noſtris, cùm illuc vſque habitaſſent Benedictini: alterum, à principio Ciſtercienſe, nouo loco donatum ab Alfonſo, ac noua, in quam transferretur, fundatione. Et quidem Portugalliæ Domus ſequenti capite, Aragonenſis hîc breuiter dicenda. Iuncaria ea, quam Regni illius Proceres, Gerardus, Petrúſque, atque Audierna, Monachis ex Germundo adductis, dudum fundauerant in Diœceſi Oſcenſi. Aſt Rex Alfonſus donatam nouo loco ad ripas Iberi, Oppidum contra, cui nomen Eſcarron, interlabente flumine, & Monachos diuidente ab Oppidanis, tranſtulit: quos tamen illis per omnia ſubiectos voluit. Locus in Cæſaraugustana Diœceſi ſitus, vno à Saſtago lapide, titulo Marchionatus inſigni Caſtro. Portò ſimul cum loco, pecuniam dedit conſtruendo ædificio, quod inceptum hoc anno, legitur conſummatum intra decennium: quippe fabrica Regia, & ſumptuoſa, quantumuis properaret: at non potuit celeriùs conſummari. Nouo Cœnobio Rotæ nomen impoſitum: nec conſtat, vnde ſumptum: quod in hanc vſque diem perſeuerat.

12. Eccleſia tunc pro qualitate Domus minùs magnifica, & Capella magis, quàm templum: quippe in ſubſidium tantùm fabricata, ingentem, quæ nunc exstat, præſtolatura. Inde Petro Apoſtolo ſacrata, contra Inſtitutum Ordinis, reſeruato Mariæ maiori Templo. Quod tamen poſt Martini Regis obitum, in diſcrimen adductum: & niſi nimia Artificis audacia (eiuſdem Domus Monachi) & vita Abbatis fide cœptum fuiſſet, circa annum Chriſti M.CC.XXV. forſitan ſuperſeſſum ab eo eſſet. Qualiter autem, & quanta ſolennitate tunc inchoatum, atque intra tredecim annos perfectum, ſacratúmque, à Bernardo Cæſaraugustano Præſule, dicemus in tempore. Interim adnoto ex litteris Innocentij Papæ III. qui nunc ſedebat, Cœleſtini Succeſſoris, ſatis coniici Iuncariam non omninò deſeram Monachis,

nachis, neque illud statim Monasterium suppressum fuisse, concedente Pontifice, vt tam illud, quam aliud Sanctæ Mariæ, cui cognomen à Salice, vnita Rotæ, ipsi deinceps incorporarentur, & tanquàm capiti membra subiecta forent, cuius rei hodieque litteras visi, eiusdem Monachi asseuerant.

---

1. Monasterij Ceizæ in Lusitania origo. 2. Ioannes Abbas Lorbani Ramiri patruus, 3. donatus ab eodem Monte Maiori, 4. insigni Oppido defendendo à Saracenis. 5. Ab eis obsessus, desperans de victoria. 6. Castri mulieres, ac pueros occidit; mox erumpens ex mœnijs profligat hostes, 7. à quibus rediens, redivinos suos inuenit. 8. Instrumenta, 9. & memoria totius facti. 10. Oratorium ab Alfonso Rege inuentum, & Monasterio auctum, 11. quod nostris cessit: 12. breues aliæ notitiæ eiusdem Domus.

CAPVT V.

1. VLTIMO loco Monasterium de Zeiza in Lusitania, multos ante annos conditum ab Abbate Ioanne Lorbanensi, (insigne monumentum magni miraculi, si fides aliqua antiquis instrumentis, in eo loco patrati,) atque nunc primùm à Sanctio Rege traditum Mendo Abbati Alcobaciæ, antequàm ad cœlestia vocaretur, dicendum venit. Multa in eo mira, & singularia; sed quæ constanti accepta traditione, vel nullis instrumentis adstipulantibus, fidem, aut certè haberent, aut mererentur. Referam priùs initia Monasterij, progressúsque; dein quam fecit Rex Sanctius donationem suscepturo Cistercium sub Alcobacienſis Abbatis visitatione. Verùm, quia, & Lorbanense Monasterium seruabatur Cistercio, quod suo loco tradam, inciplam ab eiusdem dotatione ante annos CCC. cùm idem Ioannes Abbatem illius ageret.

2. Itaque Ioannes Ramiri Regis Patruus (Alfonsi cognomento Catholici, & Beremundi Diaconi frater ex adulterio) temporalem militiam fastiditus, quàm diu sub fratribus suis sequutus esset, Cœlestis tandem in Cœnobio Lorbanensi tesseram sumens, & primò Monachus, mox Abbas eius factus, Mahometanos inter, qui totam penè Lusitaniam tunc tenebant, inhabitabat. Inde frequentes eorum irruptiones, precibus nunc ad Deum, nunc ad ipsos; sed & armis nonnunquam (quæ viri Regij generosa indoles erat) quantum licebat, aut frangebat, aut mitigabat. Penè tamen destructo Monasterio ab insultibus crebris, quos patiebatur; Ramirus nepos, virtute viri cognita, cùm Montem Maiorem, atque alia vicina loca expugnasset à Barbaris, & pauperi donare in eleemosynam, de quorum fructibus fratres sustentarentur, & Duci strenuo defendenda tradere, operæpretium duxit: adeò tunc cohærebat Militia vtraque; adeò baculus gladio coniunctus erat. Hæc prima, quam sciamus, dotatio loci, cuius initia altiùs repetita, cùm Cistercium admittat, in lucem dabimus, quà antiquitatis obscuritas patietur. Extat huc vsque instrumentum dotationis, ipso in Cœnobio, quod à Bernardo Brito vulgatum dudum, hic consequenter censui transcribendum *.

a Monarch. Lusitan. lib. 7. c. 13.

3. *In nomine individuæ, sanctæque Trinitatis. Donationis, & testamenti charta hæc est. Eam facere statui ego Rex Ramirus adiutus diuina inspiratione, vobis Ioanni Abbati, & vestris Monachis de Lorbano, pro honore Sanctorum Mammetis, & Pelagij Christi Martyrum Sanctorum, de possessionibus illis totis, quas tuli ego de manibus Albamath Dominus Colimb, propè Monte Maiore, dum exirit fluuius Mondeco, & reliqua de reliquis Mauris: quatenus de prouentibus possitis alimentare vos, illorum hæreditarios, & Monachos, & Milites, quos tali pacto vos habere te-*

netis in villa Monte magior, quòd illum benè locum defendatis de Mauris, totásque vestras, quas hæreditates habuistis, in vestro, quod modò est, Monasterio penè depopulatum propter Mauros, sint vestro de iure. Et ego pro mea redemptione animæ, meorúmque parentum, in terra do vobis de Sancta Maria quotannis solidos quingentos, boues quinquaginta, centum oues, totidémque capras: & vos pro me orabitis, & meo pro Regno, meáque pro gente; & Abbas, meus patruus Ioannes, Montem obtinebit Maiorem omnibus eum iuribus suis.

Si aliquis verò homo fuerit, qui testamenti Chartam istam tentauerit, vt irrumpat, sit in primis segregatus à Domini nostri corpore, & sanguine Iesu Christi, & pœnas cum sceleratis Iuda Tartareas demersus barathro. Testamenti series sit mensis Martio, Æra D.CCC.LXXXVI. Ramirus Rex confirmat. Ordonicus Rex confirmat. Sisnandus Siluius confirmat, Mahomat Cid Atauf, Dominus Cale, Domini Regis Vassallus, contra hoc non veniam. Haiuf Iben Mahomat contra hoc non ibit. Abdala Iben Zebi contra hoc non ibit. Zuleim Iben Muca, Dominus Lamete, Regis Ramiri Vassallus, contra hoc non veniam. Tarif Iben Rages tenens Visæum contra hoc non ibit. M. Achin Iben Atab, Dominus Eminbate, Regis Ramiri Vassallus, cum armis, nec cum auxilio Castrum supradictum molestabit, non. Atab Iben Achin contra hoc non ibit. Hæc Charta donationis Ramiri Regis, qua Ioannem patruum, & Lorbanenses Monachos vtraque arma capessere, atque pro ipso orationibus ad Deum, gladijs aduersùs hostes militare, velut sibi ex iustitia debitores sollicitauit. Interim tamen à Regulis Sarracenis subscribi fecit, quasi ea subscriptione polliceretur, se nunquam Monasterium, aut eius possessiones molestaturos.

4.

5. Inter hæc Abderramen, Rex Cordubæ, seu proditione cuiusdam adolescentis, regio è sanguine nati, quem Ioannes delicatiùs educauerat; siue propria superbia, atque cupidine Lusitaniam cum magna manu ingreditur, Montem Maiorem, si posset, expugnaturus. Obsessa vrbe ab ingenti multitudine, qua Barbari plerunque nostris præcellunt, Ioannes cum paucis intra mœnia eius conclusus, virtute, & disciplina, murisque ingentem militum defectum compensabat, & protracta obsidio per dies multos, donec victualibus prorsus deficientibus, nostris, aut gladio, aut fame moriendum fuit. Et prima mors suauior, quia celerior; quò animosior, honestior; atque eò magis ad gloriam accedebat, quò spem aliqualis vindictæ subministrabat. Cadant, sed non inulti viri fortes, & Barbari potiantur optata vrbe, quandiu aliud non possint: at non sine dolore, non sine sanguine. Tum subeunt animum paruuli, at-

que fœminæ, quos in aciem producere inutile; hosti relinquere, inglorium videbatur. An filij, Barbarorum mancipia forent? aut filiæ, vxoresque in scorta manerent, ab spurcissima gente profananda? quancunque mortem præferendam infami vitæ; quantò magis spontaneam, & generosam? Cadant parentum, coniugúmque gladiis, dum non succumbant hostibus; & sciant omnes, Lusitanas fœminas, pueros, præferre honorem vitæ; & maluisse occidi suorum manu, quàm ab impura gente conspurcari.

6. Hæc, & similia, dum animosè magis, quàm piè tractant, ac legem Christi, aut ignorant, aut non aduertunt; exarserunt in propria pignora singuli, & suo, id est, suorum sanguine fuso, didicere non parcere hostili; & cunctis amissis, nulli se rei velle reseruare; opere magis, quàm verbis professi sunt. Inde cruenti, & truces ex dolore, apertis ianuis in hostes potenter irruunt, & nil tale metuentes, quin territos ex ipsâ nouitate, passim trucidant. Vix paucæ manus, longa fame tabescentes, tot iugulis sufficere potuissent, si non imbuta sanguine filiorum, coniugúmque, vires dudum amissas recuperassent: sed neque tot inter hostes valerent exeri, si non fugientes, viam parefacerent, per quam ad vlteriores trucidandos progrederentur. Sic qui fugiebant, non tam vt effugerent, quàm vt terram haberent, in qua caderent, ad quatuor millia passuum, neque vltrà, si credimus Antiquis, protendebantur. Gloriosa ea dies Christianis fuisset, si non maiorem cladem à se ipsis, quàm ab hostibus possent, passi essent.

7. Sic tristes ex victoria, confusique; & cùm iam hostes, in quos sæuissent, deerant, in se ipsos sæuientes, qui barbariores Barbaris fuissent; quique, cùm plùs speratæ tenerentur, de Dei misericordia desperassent, redibant ad vrbem onusti spoliis; sed magis pœnitentia prioris facti: cùm ecce (ô incomprehensibilia Dei iudicia!) vxores, filias, & filios, quos occiderant, occurrentes agnoscunt, ac de parta victoria gratulantes, turbantur primùm, existimantes se spiritus videre, qui suam sibi barbariem improperarent. At vbi propiùs omnes accedentes agnoscunt corpora, & sua vnusquisque lætus pignora tangit, agnoscit vultum, vocem, quin & vulnera, quæ demens inflixisset, protinus resoluti omnes in lacrymas collaudare Deum, ignoscere sibi; sed mox confundi, ac se à diuina bonitate victos, inter ipsos amplexus proclamabant. Tum verò Ioannes errorem suum perpendens, atque ex ipso accepto beneficio magis compunctus, neque vltrà sibi credens, fidénsve, Montem Maiorem in manus Ramiri Regis, Abbatiam Laurbanensem Theodomiro Priori resignans, cellulam sibi paruam fabricault in loco Victoriæ, reliquum vitæ ibidem peractutus. Extat adhuc instrumentum resignationis, totiúsque rei gestæ testimonium, quod ita habet:

8. *In nomine individuæ, Sanctæque Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Hæc est Charta testamenti donationis, & abrenunciationis perpetuæ, quam Ego Ioannes Abbas facio, de meo Monasterio de Laurbano, vobis Theodemiro Abbati, & Fratribus vestris. Quoniam ego post labores multos, & pericula, qua portaui in Castro Monte maior contra Sarracenos, qui locum illum destruere, & me captiuare volebant, & illos per Dei pietatem vici, & plus minùs septuaginta mille in fluuio, & arrancada matauí. Et quoniam Deus prodigium vnum ostendit, vitámque dedit occisis, quos de meo consilio decollaueram, & propter multa bona alia, quæ de manu Domini recepi, dum iam video prefatum Castrum in pace, do illud, & pono in manus Ramiri Regis, cuia est terra ista, & de Sancta Maria cum aliis pluribus: Monasterium verò de Laurbano, quod ille mihi dederat, do vobis Theodemiro, tam pro bona vicenda vestra, quam propter socorsum bonum datum nobis à vobis contra Sarracenos in Mote maiorzaliter dum ego remaneam in brenis de Alcoupaz in cellula mea, & vos in natalitiis de Apostolis inbeatis vnum Presbyterum sociatum, qui det mihi Communionem Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, detúsque mihi munican, & capapelem vnam, & aliqua legumina è dominoque Laurbani reducatis pro vestro posse ad statum bonum, & conseruetis ad bonam quietem Religionis. Si quis verò aliquis hominum contra hoc venire tentauerit, sit iste talis maledictus, & cum proditore Iuda Inferni pœnas perferat. Amen. Facta fuit abrenunciationis, & testamenti series VI. Kalendas Ianuarij, æra D.CCC. LXXXVIII. Ioannes Abbas propria manu roborauí.* Hactenus instrumentum resignationis.

Addit Britus [b], manere vsque in hanc diem Iconem Virginis, quæ collum cicatrice sanguinea notatum teneat, in memoriam miraculi, quod eius creditur factum intercessione. Simile quid in Mantua Carpentana dicitur contigisse apud Castellam recentiori euentu. Mihi de neutro disputandum est, vt cui, nec dubium contingere potuisse, nec contigisse aliunde probari possit, quàm ex his instrumentis, & traditione, quæ multi probant [c], alij suspecta habent [d]. Mansisse dicitur in eodem Oratorio Ioannes, quandiu vixit, vbi & sepultus iacet, inscriptione recenti, & nostro sæculo sepulcro superposita, quæ breuiter Historiam illius notat, totidem verbis:

9. b *Chron. Cisterc. lib. 6. c. 27. & 28.*

c *Brandaon. lib. 2.*

d *Zepius tom. 7.*

IOANNES, MONASTERII LAVRBANENSIS QVONDAM ABBAS, RAMIRI PRIMI LEGIONEN. REGIS PATRVVS, QVI ANNO DOMINI D.CCC.L. MONTEM MAIOREM TVTATVRVS, ABDERRAMEN II CORDVBÆ REGEM (TRVCIDATIS LXX SARACENORVM MILLIBVS) PARVA CHRISTIANORVM MANV DEBELLAVERAT, MVLIERESQVE, AC PARVVLOS, SVO CONSILIO OCCISOS, HVIVS SACRÆ VIRGINIS INTERVENTV AD VITAM RESTITVTOS CONSPEXERAT; HIC TVMVLATVS IACET.

10. Permansit Oratorium per multa tempora cum Imagine Virginis, conseruata in eiusdem sacro collo, necnon & pueri memoria miraculi, quod lætitiam victoriæ rediuiuis coniugibus, & filiis cumulauisset. Nec defuêre plerunque deuoti homines, siue eremi cultores, qui aliqualem illius curam haberent. Quousque Alfonsus Lusitaniæ primus Rex, casu, an consilio dubium, illuc aduenies, ac primùm religione loci tactus, ac deuotione in Virginem, quæ talia beneficia contulisset Christiano populo, dein diuinam in se expertus virtutem, qui locum intrans à morbo conualuisset, quem patiebatur. Demum miraculo patentioti visu restituti ad vitam mortui inuenis, quem equus, cui insidebat, præcipitasset, Monasterium decreuit fabricare, vocatis ex Lotuan Monachis, quibus id Sanctuarium curæ foret. Nomen loco Zeira, nec mihi adhuc compertæ nominis ratio. Primus illius Abbas Paius fuit; cui termini ab eodem Rege donati, anno salu-

tis M. C. L X V. Ex tunc fabrica Domus cœpta est, quam Sanctius Alfonsi filius consummauit: consummatam, hoc anno Cistercio dedit, atque Abbati Alcobaciæ, conniuentibus Monachis, qui nouas leges subire non recusarunt. Porrò instrumentum donationis, vt ab eisdem Authoribus affertur, hæc continebat [c]:

eisdem locis. 11. *Ego Sanctius, Dei gratia Portugallensium Rex, vnà cum coniuge mea Regina Domna Dulcia, & filiis, ac filiabus nostris, facio Chartam donationis, & perpetuæ firmitudinis vobis Domino Mendo Abbati Alcobaciæ, & Fratribus vestris, de Monasterio Sanctæ Mariæ de Ceiza, quod vobis damus, & successoribus vestris, hæreditario iure possidendum, cum omnibus pertinentiis suis, vt sit filia Alcobaciæ: & concedo tibi, & successoribus tuis plenariam potestatem instituendi ibi Abbatem, atque eum deponendi in perpetuum ad arbitrium Abbatis, & Conuentus Alcobaciensis*, &c. *Facta Charta firmitatis apud Leiriam, die primæ mensis Martij, Æra M.CCXXXIII.* Sequuntur subscriptiones Regis, Episcoporúmque, & Principum Curiæ, quas nihil opus in præsenti recensere. Consummata Ecclesia, traditio est, cùm Virginis effigies ad templum nouum, in eo decentiùs locanda transferretur, totiès reuersam ad vetus Oratorium, quoties inde adducta; quousque tandem in eo relicta fuit.

Iacet Ceiza in Colimbricensi Diœcesi, inter abrupta montium, opima valle, quæ cunctis ferè fructibus abundat maris, & terræ: quippe Oceanus ad leucam tantùm distat, brachio ad portum extento, (*Veride* dicunt,) qui Monasterio subest, & piscium abundantiam subministrat. Præfert Ecclesia regiam magnificentiam, tribus distincta nauibus, neque inferiores officinæ cæteræ Domus. In libris Cameræ non Ceiza, sed Cesia dicitur, taxata florenis sex, & sexáginta. Inter alios, quibus multa debet, Princeps, Infans Portugallensis Petrus fuit, qui circuisse Orbem, vulgò, *las siete partidas*, commemoratur. Et manent adhuc Monasterio multa ex pluribus, quæ ab eo donata habuit. Hactenus de Ceiza ex Lusitanis Brandaonio, & Brito, Guillelmóque, quæ, siue omninò certa, siue dubia, quandiu vulgò recepta non potuerunt à nobis præteriri. 12.

ANNVS CHRISTI M.C.XCVI. CISTERCII XCIX.

1. *Sollicitudo Magistri Calatraux pro instaurandâ Militia*, 2. *atque Regis Alphonsi liberalitas.* 3. *In Aragonia, cùm omnes occisos crederent, elegêre Magistrum*, 4. *quem mox in viuentem voluissent manutenere.* 5. *Constantia Quinonij*, 6. *& inita pacta conuenta.* 7. *Alphonsi Aragonensis Regis mors*, 8. *cum Hortensis Cœnobij recordatione.* 9. *Obiit item*, & *Didacus Velaz quæ:* 10. *eius sepulcrum, & recens epitaphium.*

CAPVT I.

1. HVNC nobis annum à virgineo partu centesimum nonagesimumsextum supra millesimum, à condito Cistercio vnde centesimum auspicetur Militia Calatrauæ, quo dudum anxium Alphonsum Castellæ Regem ex Alarcica clade vehemens dolor, & generosus ardor vindictæ sollicitabat. Sed fractis viribus, & copiis diminutis, vri, & angi faciliùs, quàm vindicare. Ergo instaurare Militiam priùs visum, & sobolem Abbatis Raymundi, ingens (heu!) quondam totius Regni robur, tunc penè extinctum, & vix nisi in Magistro Nuñio Quiñonio reliquum in Castella, velut ex Orco, si posset, reuocare. Nec minùs Nuñius ipse, quod vnum poterat, Militibus Milites, Capellanos Capellanis, Monachos Monachis, imò & Conuentum Conuentui subrogabat. Cituélos oppidum, Toletum iuxta, electum, siue quòd in tutiori parte positum, siue quòd Sancti sui Institutoris ditatum exuuiis, vbi Conuentum ad tempus instaurarent. Nec defuêre multi viri nobiles, qui sacram Christi Militiam amplecterentur. Digitus Dei fuit illic manifestus, quo sine nullus humeros supposuisset cadenti machinæ. Calatrauam onustam spoliis Arabum, abundare Militibus; neque nouum, nec mirum: profugæ, & vagæ, ac penè iam extinctæ, adhæsisse non paucos, neque ignobiles; hoc supra omne humanum exemplum est.

2. Verùm, qui tetigit multorum nobilium corda, vt pauperem Militiam profiterentur, Alphonso Regi non minùs inspirauit, vt nouis eam donaret possessionibus, quæ amicis succederent, atque earum defectum, aliqua saltem parte, compensarent. Extat hoc anno expeditum priuilegium, quo eundem Quiñonium non modicis donauit hæreditatibus ad ripas Tagi fluminis. *Condolens*, inquit, *paupertati vestræ, qui Domum vestram maiorem Calatrauam, qui magna ex parte cuncta bona vestra infelici illa clade ad Alarcos accepta, perdidistis, in qua, etsi nobis strenuè militastis, tamen peccatis nostris exigentibus, diuina manus victoriam nobis abstulit.* Hæc fermè verba Regiæ donationis, quæ adducit Andradius [a], quamuis ab eo in Hispanam linguam versa, non prorsus eadem; nam neque id facilè; sed similia, aut æquiualentia reddiderimus. a *Hist. Calat.* c. 3.

3. Ita Quiñonius Dei, & Regis dono, deformem ex accepta clade Militiam reformabat sollicitus; cùm ecce, qui residui in Aragonia integri numero, possessionibúsque defectionem ab ipso, ac per hoc diuisionem totius Ordinis, quod vltimum malorum (in re præcipuè tenui) meditabantur. Increbuerat per Hispaniam totam fama, cecidisse Magistrum ipso in prælio, ac nullas iam reliquias Calatrauæ superesse in Castella, coronatis in Conuentu sacro Martyrio, quicunque ex bello superstites euaserant; atque hæc vox eatenus præualuit, vt multi certum non solùm putauerint; verùm scripto tradiderint, adeò vt eis ab Andradio [b] nostris temporibus satisfaciendum fuerit, probandúmque Quiñonium superuixisse, quod ipsa Historiæ series, & verba priuilegij Alphonsi Regis, superiùs memorata, palam faciunt. Ergo semel vulgata morte viri, & siue statim bona fide credita, siue consultò veritate non indagata (nam suppressa non credam) primò quidem per speciem necessitatis, b *cap.* 3.

necessitatis, quasi ipsi soli in Orbe remansissent, per quos genus Raymundi repararetur, mox Religionem, & promissam obedientiam præseferentes, ne acephali viuerent, Magistrum sibi eligendum fore putarunt: celebratus Conuentus ad Alcañizas, Militiæ sactæ Castrum, de quo suprà, & Garzias Lupezius, dictus de Mouenta, per suffragia electus, qui cæteris præesset, & collapsam Militiam repararet.

4. Hæc primo aspectu honesta, justáque, temerè tamen facta, statim patuit. Quippe qui mortuo Magistrum subrogauerant, vel viuenti substituunt; & cognito Quiñonium supersse, adhuc in Garzia Lupezio perseuerarunt. Et ne tùm quidem quasi per rebellionem, sed specie consultantium, zelantiúmve, quo plerumque pigmento, seu figmento turbidi quique ambiunt palliari. In Castella Magistrum sine Militibus, inane, & vacuum nomen, quod sola possit superbia retinere Iusto Dei iudicio extinctam ibi Calatrauensem gloriam, sacrum Conuentum expugnatum à Saracenis, occisos fratres, nec paucos remansisse, qui victa arma resumerent, omnia in maius augentes, declamabant. Tum, si aliqui adhuc superessent, victos, & exules, incertis vagos sedibus, nequaquam sibi fore præponendos. An soli vellent conseruare, quod amisissent, & Calatrauam vbique sibi fingere, ex qua velut ex sede dominarentur? Cedant fratribus, qui dudum cessêre hostibus, neu corpore militiæ sactæ vacui, vmbram solam residuam tanti faciant, vt patres aspernentur, quos possent sperare reparatores. Hactenus Calatrauam caput Militiæ, cui omnes subessent, velut iure à Raymundo deriuato per successores. Nunc Calatraua expugnata, captáque, & circum circa finitimis Castellis, meritò ad Alcañizes recurrendum, & dignitate loci, & Regni Aragonensis æstimatione.

5. His, & similibus, quem semel instituerant, retinere Magistrum, nec cedere Quiñonio, primùm inter se ipsos velut cunctantes, mox differentes ad alios honestabant: cùm Quiñonius è contra se superstitem, nec depositum adhuc; à solo Abbate Morimundi, si qua causa subesset, deponendum. Vinci in miseria, aut infelicitate, sed non in culpa; nec sibi viuere inglorium esse posse, quandiu vitam Alphonsi seruauisset, pro qua & mòri libenter amplecteretur. Non alligatam loco dignitatem, sicut nec vota, à quibus, si ipsi post amissam Calatrauam, nondum immunes, nec se fraudatum suprema potestate, quam vbilibet posset exercere. Sed leuia hæc, & quibus senio fractus, ac tot laboribus facilè cessisset, id vnum nunquam futurum ipso viuente, vt sedes Ordinis, à Castella transferatur, natam, adultámque sub eius Regibus, sub ipsis reparandam, nec in aliorum clientelam transituram. Superesse adhuc fratres, quantumuis paucos, quibus iam plures diuino nutu accesserint, superesse Castella, oppidáque, in quibus, vt non sedes, tentoria figant, atque id satis militibus, nec desperandum, si semel resumant vires, restaurandas priores, & Calatrauam, initium suæ gentis, tandem à Saracenis eripiendam.

6. An lis peruenerit ad Abbatem Gumielensem, in dubio est, & credendum diremptam eius arbitrio, cui Calatrauam Guido Morimundi, pleno iure regendam delegasset. Constat, auxilio Regis Aragonum, mansisse Garziam præfectum ad Alcañizes, congregatis in eo loco Militibus cum Capellanis, fortè, & priori Monacho: nanque formam Conuentus conseruabant. Ast abstinuisse à nomine Magistri, solo maioris Commendatarij contentum titulo, sub Castellæ Magistro militaturum. Ita inter eos sancitum, & obseruatum, quandiu Garzias vixit; post eius obitum recepta Calatraua, vt suo loco dicemus, non vllus alius extra illam Conuentus fuit. Triennio mansit sedes apud Ciruelos, sub Magistro Quiñonio. Qualiter autem, ipso adhuc superstite, ad Arcem Saluaterræ, tunc recèns expugnatam, in campo Calatrauæ, translata sit, suo loco à nobis dicendum erit. Interim adnoto, hæc omnia ex Francisco Rades desumpta [c], integra fide, quem semper in his rebus, vbi desunt instrumenta antiqua, sequuti sumus. Crediderim Garziam Lupezium, & eius complices, ab incepto facilius destitisse; ac re, & nomine Magistri abrenunciatle, interueniente Alphonsi Regis morte, cuius præcipuè fauore subnitebantur. Certè hoc anno obiisse inclytum Regem, Authores omnes memorant: neque eius obitum nobis silere licet, & funere perducto ad Populetum, & Monachatu Ferdinandi filij hactenus impedito, nunc non permisso tantùm, verùm & iusso, atque Hortæ memoria non contemnenda, Cistercienses Annales illustraturum. [c] *vbi supra.*

7. Ergo Alphonsus Aragonensium Rex, huius nominis primus, quem suprà, neque semel commemorauimus, hoc anno viam vniuersæ carnis ingressus est, primus Regum sepeliendus in Populeto, quin & sepultum in cuculla Cistercienſi, quam ante mortem Religiosus induisset; antiqua monumenta memoriæ produnt. Dum adhuc viueret, Petro primogenito Aragonensium Regnum, Alphonso Comitatum Prouinciæ diuidit. Ast Ferdinando maiorem Principatum, paupertatem pro Christo, atque alta eius obsequia è Cistercio haurienda, vt tantò antè exoptauerat, legauit: tabulis subsignatis, quarum & funeris perducti ad Populetum, Scriptores antiqui meminêre, ex quibus sumpsit Ioannes Mariana, qui rem totam descripsit totidem verbis [d]: *Subsequens annus Christi milleſimus ceme ſimus nonage ſimus ſextus, triſtis fuit Hiſpaniæ, Alphonſi Regis Aragoniæ morte, quoniam inter Reges Hiſpaniæ, proximum authoritatis, & potentiæ locum tenebat, virtute nulli cedebat. Perpiniani ad ſeptimum Kalendas Maij extinctus eſt, quo tempore in ditione vniuerſa altiſſima pax erat Aragoniæ; Regnum viris, opibus, & fama florebat. Petrum è filiis natu maximum, hæredem Regni ſcripſit: Alphonſo Provincia Comitatum, & contributos Principatus teſtamento legauit: Ferdinandum natu minimum, veſte mutata, maiorum manibus parentare luſſit in Populeti Monaſterio Ciſtercienſi, quod à patre inchoatum, & ab ipſo perfectum, Tarraconam inter, & Illerdam, ipſius, & poſterorum ſepulturis deſtinabatur.* Hæc ille, paucis multa comprehendens, quibus etiam consonat index Zuritanus. De Ferdinandi Monachatu compertum est, nequaquam ab eo dilatum vltra hunc annum: nec alia maior gestorum notitia subest, quandiu Monachum egit. Qualiter autem post non paucos exactos in Populeto, in Abbatem Montis Aragonis promotus sit, Canonicorum Regularium opulentam Ecclesiam supra multas Cathedrales illius Regni, & quæ ibidem gesserit illustria, si magis Monachum agere studuisset, quàm Regis filium, suis à nobis locis dicenda erunt. De funere peracto ad Populetum non minùs constat, vbi hodiéque visitur primus Regum sepultus in Regia Domo. [d] *lib. 17. c. 19.*

8. Idem ipse Alphonsus, cùm iam decederet (ne quod in nostros officium prætermitteret) Tirasonensi Episcopo Garsiæ specialiter in mandatis dedit, vt Hortæ Monasterium prope, & extra Aragoniæ Regni terminos, cui se dudum in fratrem antè tradiderat, & quod propter Martini sanctitatem, qui iam deposita cum episcopali illud inhabitabat, veneraba-tur, decimas quietè, & pacificè remitteret, atque

alia

alia donaret, quæ vtriusque testarentur deuotionem. Porrò ipse Præsul, quo obsequio Regem, & quo Hortenses affectu prosequebatur, nihil cunctatus, cùm mense Maio Alphonsius obiisset, mense sequenti hanc fecit donationem: *Ego Garsias Tirasonensis Ecclesiæ Episcopus, Orthodoxorum Patrum verba factis cupiens adimplere, per redemptionem animæ boni Aragonensium Ildefonsi Regis, cuius precibus hæc ex parte facere teneor, & pro remedio omnium prædecessorum meorum, & prædictæ Ecclesiæ Canonicorum, & pro salute animæ meæ dono, & concedo Domino Semeno, Venerabili Abbati Hortæ; ac eius successoribus, & vniuerso Conuentui ad vtilitatem, & vsus Monasterij eiusdem loci, vnà cum consensu, & voluntate Tirasonensis Capituli, & remitto in perpetuum vniuersum ius, quod hucusque pertinuit ad Tirasonensem Episcopum, & ad Clericos Atbecæ, de vineis illis, quas nunc Hortenses Monachi possident in Atbecca: ita vt de eis nulli decimas reddere teneantur, &c. Facta charta in mense Iunij anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi M.C.XCVI.*

9. Hoc ipso anno nec constat, an pactioni superuixerit, an schismatis emergentis dolore pressus, præter pondus annorum, morbosúmque, & tristitiam amissæ Calatrauæ, sanctum tandem spiritum emisit glorioſus ille Author huius Militiæ Didacus Velazquius, cùm his omnibus malis superuixisset. Quot annos primùm in Fiterio vixerit, non constat. In Calatraua quatuor, & triginta. In Sancti Petri Cœnobio Gumilienſi biennium consummauerat, & induit Habitum vir prouectæ ætatis, qui diu in sæculo strenuè militasset sub magno Alphonso Hispaniarum Imperatore. Virum inter Beatos Cistercij memorant [d] Arnoldus Vvionius [d], Aubertus Miræus [e], Chrysostomus Henriquez [f], aliique, quos hîc vlteriùs refert in suis Notis. Cernitúrque hodie sepulcrum viri in eodem Cœnobio Sancti Petri sub recenti inscriptione, lingua Hispana, quæ reddita Latinè hæc habet verba:

d lib. 1. c. 47.
e Orig. lib. 5. c. 13.
f in Menolog. Iulij 2.

Hic iacet Beatus Didacus Velazquez, vir claro sanguine, à pueritia educatus in Curia Imperatoris Alphonsi, vnà cùm Sancto Principe, cui parua post defunctum patrem vita, virtutésque Desiderati nomen indidêre: charus vtrique, atque in Militia sæculari strenuus, rerum deinde humanarum contemptor, in Monasterio Fiterij Cisterciensi, sub Sancto Raymundo Monachum induit; cui mox, vt Calatrauam à Paganis defendendam susciperet, adeóque vt sacram Militiam ab ea cognominatam institueret, Author fuit: vbi & multa patrauit in hostes fidei. Demum longo senio fractus, in hoc Cœnobium secessit Sancti Petri, vbi piè in Domino obdormiuit, circa annum Christi millesimum centesimum nonagesimumsextum, non sine magna opinione sanctitatis. Hactenus superscriptio sepulturæ subrogata antiquæ, nostra ætate. Potuisset virum maturior mors auferre, potuisset & tardior, ne vel amissam suam Calatrauam assequeretur, vel receptam videret. Sed noluit Deus vluentem consolari, quem tot cœlestia gaudia, præmium suæ patientiæ, post obitum, præstolabantur. Sed Calatraua repetenda est nobis hoc ipso anno. Nunc quædam alia concernentia eundem intexamus.

10.

---

1. *Iuliana Virgo cum Agnete sorore, Cisterciensibus Monialibus educanda tradantur: 2. ratio temporis, 3. genus, parentes, patria, 4. orbitásque, 5. & transmissio ad Domum de Boneria. 6. Puella ante ætatem, matura moribus, & ingenio, ac memoria pollens 8. Ieiunium ab ea præsumptum sine licentia, 9. & à Magistra seuerè satis punitum.*

CAPVT II.

1. Illvstravit hunc annum Cistercio nata, cùm vix dum sæculo, Sancta Virgo Iuliana Cornelienſis, sanctitate, & miraculis illustris; sed clarior promotione auspicatissima annuæ in Ecclesia institutæ Festiuitatis Sanctissimæ Eucharistiæ, quam mox Vrbanus promouit, & publicauit. Eius Vitam, & Acta vsque ad Cistercium, aut pauca, aut nulla; quippe quinquennis vtroque parente orba, atque illicò Monasterium ingressa est, quod recèns etiam erectum sactis Virginibus, sub Cistercij instituto, quia certus inceptionis eius annus non cònstat, in hunc locum dicendum reseruauimus. Verùm de patria, & parentibus ipsius, déque tempore ortus, & ingressus in Claustra Cistercienſia, quæ pauca suppetunt, in hoc capite à nobis dicenda erunt. Primò autem de temporis ratione, hæc scripta habet Ioannes de Cappea Villa, Canonicus, & Vicarius Leodienſis in Tractatu historico, *De prima, & vera origine festiuitatis Sacratissimi Corporis, & Sanguinis Domini.* Tractatus autem incipit his verbis:

2. *Anno Domini M.C.XCI. nata est in Diœcesi Leodienſi Iuliana Virgo, quæ anno ætatis quinto parentibus orbata, Monialibus Cisterciensis Ordinis custodienda, & in timore Dei instituenda, tradita est. Qua institutione, quantùm profecerit, Author exstitit illius temporis, qui in veteribus manuscriptis Codicibus, pluribus in locis huius Diœcesis asseruatur, duobus libris dictè, & graviter descripsit.* Hactenus ille: vt ab anno M.C.XCI. deducto calculo, si quinque, quos recenſet, superadde, ab hoc M.C.XCVI. nequeas aberrare. Porrò hunc Authorem ex celebri Monasterij Rubræ Vallis in Belgio, Bibliotheca desumptum, paucis, vt ipse ait, mutatis, vulgauit Chrysostomus Henriquez in suis Liliis, ex quo hæc, quæ sequuntur, accipiat Lector [a]:

a lib. 1. dist. 3. c. 1.

3. *In Episcopatu Leodienſi, in villa de Retines, fuit quidam vir multis præditus virtutum meritis, claræ progeniè, diuitiis pollens, Henricus nomine, & vxor eius Frescendis. Qui cùm pluribus annis pariter vixissent absque vlla sobole, per se, & per quosdam fideles, incessanter orationibus, & eleemosynis Dominum precabantur, vt ipse, qui omnia potest, eis liberos diuinis mandatis obtemperaturos, tribuere dignaretur. Benignus autem Dominus, qui preces ad se clamantium, præcipuè vbi efficaciam orationis manus adiuuat operationis, solitus est exaudire, decreuit, genina prolis exhibitione, seruorum*

Digitized by Google

suorum fidelium preces, & opera petitionis munere non priuare. Prognata sunt namque ex eis duæ filiæ, quas educabant multa cura, & sollicitudine: harum autem maioris Agnes; minoris autem Iuliana vocatum est nomen.

2. *Orbata sunt autem in ætate tenerrima solatio parentum, vitam bonam bono fine consummantium. Amici verò, & cognati iuuencularum, quarum iunior habebat tantummodo quinque annos, nutu Dei sollicitudinem gerentes de ipsarum innocentia conseruanda, ad Domum Montis Carmeli prope Leodium, quæ tunc nouella erat Cisterciensis Ordinis plantatio, adduci fecerunt; & in consortio Sororum ibidem degentium, reipsi procurarunt. Visum namque est eis, dignum fore, si Domus inopia, puellarum abundantia suppleretur, in vno, eodemque facto prouidentes illius paupertati, & ipsarum confulentes innocentiæ, ac saluti.*

3. *At Sorores illius Monasterij, super harum infantia, pia gestantes viscera ad Boueriam, a Domo predicta non longè dimissam, miserunt, vt à quadam spirituali Sorore, Sapientia nomine, ibidem commorante, nutrirentur, & erudirentur pariter. Subdiderunt igitur infantulæ iugo Domini colla iuuenilia sub Sapientia earum nutrice, & Magistra. Ipsa namque earum pascebat corpora, sicut nutrix, reficiebat etiam mentes, vt Magistra, tradendo legem vitæ, & disciplinæ. Porabant super Sapientia alumnas suas, aquæ sapientiæ salutaris, quam illa pro ætate, ac tempore, pectore sitibundo hauriebant. Creuit autem earum mater natu in laudabili simplicitate vitæ, in magna quoque corporis, & animæ sanctitate; ipsam tamen in vtrisque hominis sanctimonia minor supergressa est. Siquidem Christus, cui licet, quod vult, facere, ampliores cumulos gratiæ, & virtutis thesaurizauit super eam.* Hactenus primum caput vitæ Beatæ Virginis.

6. Porrò, quod dicitur, vtramque puellam missam in Domum de Bouetia, à Sapientia educandam, & erudiendam, argumento est, eandem Domum Cisterciensium Virginum esse ante hoc tempus conditam; sed cuius fundationis annum nondum sciamus. Pergit Author de tenera puella sequenti capite [b]:

b ibid. c. 2. *Prætermissa igitur narratione vitæ, & conuersationis laudabilis Agnæ, quæ piè, ac simpliciter viuendo se Agnam veraciter exhibuit, ad Historiam Beatæ Sororis eius conuertamus sermonem. Ipsa enim sub Magistra posita, non erat Magisterij impatiens, non fugitans disciplinæ, non denique appetens ludorum; quod tamen huiusmodi atque dulce, ac delectabile indicare solet. Iam enim ætatem moribus transcendebat, exers totius infolentiæ puerilis. Erat quippe corpore innocula; sed animo casta. Amabat autem habitare secum simplex, & quieta, & vltra quam credi potest, verecunda.*

Visum est autem Magistræ suæ bonum, vt eam litteras edoceret, per quas Dominum agnosceret, & amaret, ad cuius amorem aspirare tantæ indolis infantia videbatur. Sedens igitur Iuliana ad pedes Magistræ suæ, ab ea quotidie docebatur; cuius doctrinæ, quotidianis etiam profectibus respondebat: sortita enim erat spiritum bonum, per quem erat docilis valdè. Et factum est, in breui tempore, vt non solùm Psalterium legere sciret; sed etiam corde tenus retineret. Dedit enim ei Deus, & intellectum capacem, & tenacem memoriam, ita vt ista etiam ætate, si quid legerat, vel audierat, quod virtutis gratiam redolebat, hoc corde tenus retinens, opere adimplere cupiebat. Hactenus ibi. 7.

Et quidem grandia hæc, atque sublimia: sed magis adhuc in infantili penè ætate, quod mox subiungitur [c]: *Quadam autem die, cùm Sorores assuetæ* c idem c. 3 8. *perfoluerent ieiunia, illius Historiæ Beati Nicolai, vbi dicitur, quòd quarta, & sexta feria semel sugebat vbera; Beata Virgo Christi recordata, similiter ieiunare decreuit & ipsa, satisfeciisset que proposito suo, nisi Magistræ seueritas conatibus eius obstitisset. Aggressa est autem Iuliana deuotum ieiunium, sed præsumptum; & Magistram suam latere non potuit. Quæ iratam se simulans ad terrorem, eam tulit extra Domum, atque in niuem proiecit: hyems enim erat: dixitque illi: Quoniam sine licentia ieiunare præsumpsisti, hic pœnitentiam tuam agere oportet. Et relinquens eam in niue, Domum regressa est. Iuliana verò, in voces murmuris, vel impatientiæ non erupit, vt plerumque fieri solet ab infantibus: sed nec à loco, in quo posita erat, recedens, vultum sibi, & formam pœnitentis assumpsit.*

Post aliquantulum verò temporis, regressa est ad eam Magistra sua, præcepitque ei, vt continuò in Ecclesiam iret, & reatum suum cum dolore cordis confiteretur. Quæ surgens de loco frigoris, confestim paruit imperanti, & præsumptionem, qua Magistram suam in obediendo turbauerat, confessa est. Sacerdos autem tantæ puritatis confessionem audiens, admiratus, eidem ætati suæ conuenientem salutarem pœnitentiam iniunxit, quam ipsa simpliciter adimplenit. Quod non infantiæ, aut alicui leuitati est deputandum; sed in eo potiùs attendendum quoddam præludium longissimi ieiunij sequuturi. Hactenus de infantia Beatæ Iulianæ à quinquennio ad septennium plùs, minúsve: nam, quæ ad pueritiam, longè adhuc maiora, suo tempore inferiùs prosequemur. 9.

---

1. *Beata Iueta apud Huium inclusa, visiones varia: 2. sistitur Christo Mundum indicanti: 3. pro timente interpellat Maria Virgo: 4. impetrat veniam, 5 atque accipit in filiam: 6. quale peccatum, de quo arguebatur. 7. filij eius iunioris luxus, & vitia, 8. pro quo anxia mater; 9. sed non proficiens, 10. relapso eo post promissam emendationem.*

CAPVT III.

1. INTER hæc venerabilis Iueta, apud Huium recluſa, ſub obedientia Abbatis Aureæ Vallis, purganda, vel ſi quæ irrepſiſſent, culpis in ſæculo, ad culmina fauorum diſponebatur. Optauerat præ amore caſtitatis vitam cœlibem, atque in eo deſiderio fortè exceſſerat, marito mortem imprecans, quòd nimiùm importunus eſſet exactor vxorij iuris. Hoc illi crimen horribili viſione manifeſtatum, ſed quæ interuentu Virginis Mariæ, quam ſibi Iueta Aduocatam elegiſſet, in gaudium cordis, conſolationémque, atque prærogatiuam ſpecialem, poſt Ioannem (quod ſciamus) Euangeliſtam, non alteri conceſſam, diſſoluetetur. Narratam ab Authore Vitæ ipſius, quam vulgauit Henriquez totidem verbis, tranſcribam pro more noſtro:

Igitur

2. *Igitur (ait) excursis diebus aliquot, postquàm habitare cœpit in cellula secum, nocte quadam, cùm post orationes, & lacrymas lectulo reclinasset caput, rapta per spiritum, vidit: & ecce Filius hominis descendens sedit, tanquam Iudex, ad iudicandum: astantibus in circuitu eius diuersis Angelorum Ordinibus. Vidit etiam à dexteris sedentis in throno considentem Iudici faminam venerenda faciei, & habitus, qua inæstimabili decoris gratia transcendere videbatur omnem Mundi pulchritudinem, vt meritò nil aliud posset æstimari, quàm illam esse, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, Reginam Cœlorum, Angelorum Dominam, Matrem Dei, Gloriosam Virginem Mariam. Cuius ad imperium, vt quidam ait, Cœlestis Regia pendet. Quid plura? Dies illa iudicij, dies iræ, tribulationis, & angustiæ iudicandis, nec quispiam inter omnes reperiri poterat, qui non ad iudicantis aspectum, horrorémque iudicij contremisceret. Discursumque est de actibus singulorum singulis, donec Iudicium ad ipsam in ordine deuolutum est.*

3. *Illa quomodo, aut quid Iudici respondere posset ignorans, grauem pro quodam commisso sententiam ferendam contra se cognouit in spiritu, & infremuit, cœpitque flere amarissimè. Quid faceret, quò se verteret à facie imminentis sententiæ, cùm non pateret fugiendi locus? Direxit tandem ad considentem Iudici misericordiæ Matrem oculos humectatos a fletu, &, vt sui miseretur, supplex manibus expansis ad eam cum gemitu postulare cœpit affectibus oculorum, & cordis, quia appropinquare ei, vt sibi videbatur, aliter non poterat. Quid multa? Appropinquabat hora, vt tristis in eam sententia ferretur: & ecce surrexisse visa est de solio gloriæ suæ mulier, quæ sedebat in dextris, & ante thronum Iudicis Filij sui Vnigeniti humillimè procumbens, vt ancillæ suæ misereretur, rigorémque Iudicij vertere dignaretur in misericordiam, effectuosissimè rogare cœpit. Index quasi faciem auerteret indignans, grauiter peccasse fœminam in se, & dignè meruisse pœnam concionabatur cum Matre.*

4. *Tum e contra Mater: Verum est, inquit, ô Fili, quòd peccauit quidem à diebus innocentiæ suæ, sed dignè satis peccata per diuturna luit lamenta pœnitentiæ: & licèt peccatum, pro quo nunc patitur singulariter, fortè, sicut debuit, non deplanxit, quia ignorans peccauit, & peccati sui magnitudinem non plenè cognouit vsque modò; sed, quæso, peccatum, & peccati pœnam condona, fideique meæ dimitte eam, qua peccauit: non enim separabor à te, donec cum remissione peccati, impendas ei beneficium amoris tui, & effectum gratiæ. Sed quid est, vel esse potest, quod Matri Filius, Sponsus Sponsæ, amicus amicæ, caro sanguini valeat denegare? os enim ex ossibus eius, & caro de carne eius est. Fiat, inquit Filius, ô Mater quod petis: ego quidem & peccata remitto; ipsam verò tibi committo, tuo nomini, tuóque eam specialiter assignans amori, & obsequio. Et ex illa hora accepit eam misericordia Mater in suam.*

5. *Tum blandè consolans lugubrem, & per manus illam assumens, manibus Filij repræsentat, qui osculo oris sui eam sibi concilians, reddidit eam Matri suæ, Mater, inquiens, ecce filia tua: hanc tibi commendo velut propriam, velut ancillam perpetuò peculiarem; hánque, vt tuam custodi, protege, & guberna. Hæc eo loquente, solutum est Iudicium, cessauit visio, restitutáque sensibus corporeis mulier fidelis est. Et quæ audiuit ex ore eius, testimonium perhibuit; & scimus, quia verum est testimonium eius.* Hactenus visio, quò tristior in principio, eò in fine iucundior, lætiórque adoptione Mariæ, atque facta solenniter per Filium coram Angelis solenni traditione, vt verè in hoc fauore, si fas est dicere, Iueta Euangelistam superauerit: quippe ille ex Cruce Matri traditus; hæc ex solio Regni, & potestatis: ille Iudæis coram; hæc coram Angelis: ille à mortali, & subeunte mortem; hæc à glorioso, & Patri conregnante: demum ille passibili Mariæ; hæc Reginæ Cœlorum tradita est, eóque proximiùs in gloriam acceptata. Paulum, quia electus a Christo iam glorioso, à dextris Petri poni in Bullis Pontificiis, nihil obstante Petri Principatu, qui a mortali, & passibili electus, Doctor Angelicus Thomas adnotauit. Certè, si Iueta, & Ioannes pingendi forent, à dextris Iueta, quippe in filiam electa Gloriosæ Virginis Ioanne adoptato à passibili, & mortali.

De peccato verò Iuetæ subiungit idem Author, 6.
licèt coniectans [b]: *Porro, ait, si scire quis velit, quod, & vel* [b] *Idem ibid.*
quale extiterit peccatum, pro quo tam grauis eam manebat sententia, illud idem esse arbitror, quod in primordiis libri huius commemorauimus, videlicet, quòd, vt à lege viri libera effici posset, mortem viri vltrò expetierat. Sic Acta sanctæ fœminæ. Quòd si adoptionis virginalis fauor alicui erat culpæ subiungendus, meritò hæc præ aliis petita est, quæ ex amore processit castitatis, vt quæ integritatem virginalem præferre non posset, tradita viro, saltem dolorem de amissa præferens, & puritatem vltra modum etiam optans, quadantenùs, quod inuita amisisset, compensaret. Sed de his satis. Nunc filij eius in sæculo relicti excessus primùm, & recidiua vitia, dein veram in Cisterciò conuersionem, per Matris merita, & preces aperiamus.

Videns se Diabolus nihil posse proficere in Sancta Dei, 7.
(scilicet, Iueta,) *ad callida se vertit argumenta malitiæ, & nequitiæ: domesticum, & familiare ipsi malum in carne propria, id est, in filio, qui adhuc foris erat in sæculo cum amicis, vt mens intenta filio ad pœnitentiam temperaret a Dei laudibus, tanquam quæ filij veteri sui mater misericors obliuisci non posset. Is enim filius malè adultus, mox, vt infantiæ exiuit annos, in sensum reprobum, totum se ipsum contulit, & quidquid habebat, vel habere poterat in vsus expendebat pessimos cum coætaneis iuuenibus, æque lasciuis, quibus luxus cordi est, & amare vitia, quos quasi victor, iam omnium immanitate scelerum superabat. Qui tandem diu in criminum vitioso mari nauigans, decidit in Scyllam desperationis miser, vt nihil omninò intentatum relinqueret, quidquid luxurianti occurrebat animo. Quid plura? De multis, & maximis vitæ suæ periculis frequenter eruitur, matris orantis pro eo ingiter orationes conseruabant, & merita, de quibus quandoque, & præter spem hominum, vtcumque euasit semper impunis.*

Demum nunciantur matri actus, & vita infelicis filij, 8.
quem mater vellet ante mortuum, aut se nunquam genuisse, quàm vitam nunciari sibi de eo huiusmodi. Instat tamen orationibus, & lacrymis, affligit corpus, humiliat animam, tundit, pectus, vellit caput, torquetur intus, & extra pro filio obnoxio, mater innoxia: duo offerens, vnum optat è duobus, aut mortem sibi, aut filio vitam; vitam dico, non qualemcunque; sed vitam, qua Deo viuitur. Nulla enim mors, amarior ei esse poterat, quasi omni morte grauior vita, quam ducebat filius; nec spiritui eius bene esse poterat, quandiu caro de carne eius, id est, filius, tam pessimè viuens, membrum esset Diaboli, refrega Dei, incentor malorum, bonorum persecutor, filius perditionis sibi, matri lapis offensionis, & petra scandali proximis. Sic equidem exercebatur, & scopebat spiritum suum, laborabátque demò partarire gestiens, vt pareret Deo, quem Mundo pepererat prius: fieretque filius Dei per adoptionis gratiam, qui filius peccati, & filius erat iræ ex propria merito iniquitatis.

Aperit nunc amicis dolorem, quem intrò patiebatur 9.
pro filio, nunc aduenientes quosque ad se consolandum precatur. Hortatur singulos, vniuersos deuotissimè

exorat,vt pro moriente filio Dominum interpellent;tanto celeriùs exaudiri sperans pro misero, quanto plures, & plurium pro eo Domino offerrentur preces, & vota. Inter hæc tamen rogat, filium adduci ad se. Vocatus adest ante fenestram cellulæ ancillæ Christi cruenta bestia. Alloquitur filium mater, arguit,increpat, obsecrat cum omni humilitate,& modestia: producit lacrymas indices doloris interni; & in quanta sit amaritudine anima eius intus, quia verba sunt mentis signa,secundùm Grammaticos, ex signis facilè conijci poterat exterioribus. Ad vocem igitur gemens, & defluentes per maxillas lacrymarum riuulos, fatetur miser culpam, agnoscit errorem, precatur veniam de præteritis, & de futuris spondet emendationem. Denique vt excusant excusationes suas in peccatis, causas malorum adscribit,partim adolescentiæ, partim sociis criminum, tanquàm qui ipsum vltrò allicerent ad vitia, nec amodò sollicitari eum debere, de sui ad Dominum conuersione, eò quòd bona ei de se nunciari posse, non dubitaret in proximo: & sic in corde duplici cuncta loquutus, egressus est à facie Domini infelix Cain.

Rediens ergo ad socios scelerum, reuiuiscit in scelus, copulantur iterum,sicut spina se complectentes inuicem, peccator,& peccatum: redit canis ad vomitum: sus lota volutatur in volutabro luti denuò: vrsus in sterquilinio: it rumor, fama facti volat ad matrem de perditione filij: torquetur iterum, secundò Martyr efficitur: redeunt ad genas lacryma,nec dum prioribus plenè detersis,rursus planctus,rursum clamores,rursum suspiria. Conueniunt, & accurrunt vicini, parentes, & amici, & versa vice consolantur, instant,monent, & supplicant,vt temperet dolorem, parcat lacrymis, ne causa mortis pro filio efficiatur sibimet: sed remisit consolationem vllam accipere mater fidelis pro filio, quia non est. Hactenus incorrigibilis filij desperata perditio, & sanctæ matris lacrymæ, vt sibi videbantur infructuosæ. Sed quibus Deus mercedem solùm differat,quò maiorem donaret, & cresceret, ex desperatione præcedenti, beneficij magnitudo. Cæterùm, qua tandem ratione conuersus filius, dolorem matris in gaudium commutauerit,sequenti capite veniet referendum. 10.

---

1. Relegatus à matre dyscolus filius. 2. imminens sibi exitium in somnis videt: 3. & multa in illo patitur: 4. mox de Cœlo vocatus, ad matrem redit. 5. iucta monita, filique conuersio, 6. post studium litterarum, 7. in tribus fontibus: 8. extensio loci iuxta Sancta prophetiam: 9. aliquarum personarum accessio, 10. & quanta fide ab initio cuncta peregerit.

CAPVT IV.

1. a *Idem c.10.* MISERTVS *tandem* (pergit Author Vitæ) *Dominus,& finem laboribus ancillæ suæ imponere volens,exaudiuit vocem fletus eius, & orationem eius suscepit, reddiditque ei filium, qui perierat. Itaque audiens,vt prædiximus,mater venerabilis siniſtros rumores de filio,rursùm præcipiti,& ruenti in vitia, vt priùs turbata nimis, nec se vltra cohibere valens præ dolore, reuocauit eum ad se,& plenam per Spiritum Sanctum concipiens fiduciam,præcepit ei virtute nominis Christi, vt aut à malis suis totaliter in instanti resipisceret,aut omninò exiret de Prouincia,ne rumores huiusce modi ad ipsum de cætero peruenire possent. Parituram se miser spondet,& exire de terra velle,dummodo aliquid pecuniæ habere posset præ manibus,quo sustentaretur in via. Quid multa? Creditur: & summa quædam pecuniæ super partem hæreditatis propriæ illi tribuitur,qua accepta peregrè profecturus, venit Laodium,ibique disponens aliquandiu facere moram, dedit pecuniam suam ad vsuram aliquot diebus.*

2. *At,cùm venit plenitudo temporis à Patre misericordiarum præfiniti,tempus,inquam,miserendi eius; vidit nocte quadam per Spiritum,quasi tractum se ad tribunal Iudicis, & tristem ab eo Iudice mortis,atque pœnarum excepisse sententiam; traditúmque Satanæ in interitum carnis. Acceptum siquidem deduxerunt tortores,ac irruentes in miserum crudeliter absque miseratione ceciderunt,horrenda laceratione sæuientes in ipsum,animámque ei de corpore fascinulis,& forcipibus flammiuomis extrahere nitebantur,æternis concremandam ignibus,& in ardoribus sempiternis,sine fine cohabitaturam.*

3. *Inter has passiones corporis,vt sibi videbatur,& timores animæ recusantis egredi,timores dico omni morte grauiores,omni duriores passione,cùm leuares oculos suos circumspiciens vndique,vt videret,si esset,qui auxiliaretur,repentè astitit,quasi quidam Principis nuncius, qui ait tortoribus illis: Nolite cædere vltrà eum,nec mittatis ad animam manus vltrà; quia triennij adhuc inducias à Domino accepit,ob matris suæ merita:& videbimus,vtrùm emendari in melius debeat ex hac gratia,quam accepit,nécne. Dixit, & dimissus à tortoribus, vita, & lectulo redditus est; & quasi verberum, illuuiémque adhuc dorso sentiret cicatrices inesse,quas de nocte pertulerat,tota die per plateas, & vicos ciuitatis incedebat tristis,& mœrens,ac si suspensus animo,quid primùm ageret, vel quò se verteret, prorsus ignoraret. Æstimabat enim,se visum videre adhuc; & quicquid faciebat,opus credebat visionis nocturnæ.*

4. *Surgens autem,& quasi post multos circuitus errorum veniens in forum rerum vanalium, iam die media stabat hæsens animo: & ecce obuia facta est ei mulier conspicua faciei,& habitus; quam tamen non agnoscebat, nec se aliquando vidisse meminerat: salutánsque ipsum,dixit: Salutat te mater tua, ô iuuenis, demandátque tibi,vt reuertaris ad eam: quia necesse tui habet. His dictis, mulier pertransit, nec videre eam amplius potuit ille. A virtute tamen verborum,quæ audierat,statim motus,& mutatus in virum est alterum;dispositisq; quæ habebat,absque omni dilatione reuersus est ad fenestram cellulæ eius. Quem mater diligentius intuens,quia iam longiùs putabat peregrè profectum: Tu quis es? ait. At ille: Ego sum,inquit,filius tuus: quid vis,quia vocasti me? Paululùm hæsens illa,nec reminiscens eum se mandasse per aliquem,fluctuabat animo,quid sibi vellet res huiusmodi: diuinum tamen esse,quod agebatur,penitùs non diffidens.*

5. *Inter spem verò,& metum ad hæc posita,& certiùs instrui volens de præmissis, Quomodo, ait,veniſti,fili mi? & quanam est voluntas tua? Veni,inquit,ad te,paratus facere voluntatem tuam: tantùm edicito, quid me facere velis. Narrauítque per ordinem cuncta,quæ ei acciderant; & quòd in simplici corde venisset, cum iureiurando protestatus est. Hæc illa audiens,intelligénsque,opus Dei esse,quod gerebatur,& non hominum,leuatis in cælum oculis,protensísque manibus ad Domi-*

num

num cum lacrymis, Gratias, ait, tibi, Deus, gratias tibi, bone Pater, quoniam exaudisti vocem ancillæ tuæ, nec frustrare me voluisti à desiderio cordis mei, antequàm morerer. Ecce iam læta moriar, conuerso filio vteri mei ad te Deum meum, & superstite relicto eo in gratia tua. Sic dicens apud se per dies aliquot filium, congratulabatur ei, tanquàm si de morte reuocatus esset ad vitam. Et verè sic erat. Sumebat panem pariter cum gratiarum actione, & lætitia Spiritus. Pergit Author de lacrymis mulieris, quæ potum filij, & suum, iuxta Prophetam, miscebat cum fletu, quo gaudia æterna vtrique conciliaret. Sequitur tandem de filij conuersione, licet dilata ad tempus, ex iusta causa.

6. *Euolutis igitur diebus aliquot, cùm persuadere tentaret filio, vt ad aliquod Cœnobium se transferre vellet Cisterciensis Ordinis, respondit ille, nulla se id facturum ratione, nisi primò sacras Litteras didicisset. Mirari omnes, quibus res innotuit, cœperunt: &, quasi, aut non sanæ mentis esset hic sermo, aut puerilis omnino, ridere nonnulli: verumtamen, consulendum fore arbitrati sunt.* b *Quidam altius intelligentes rem, prout erat, cæteris, vt secundum verbum iuuenis transmitteretur ad scholas, saltem diebus aliquot: in breui enim sciendum fore, vtrùm hic sermo esset à Deo, an non. Quid multa? Remittitur ad prima rursum elementa adolescens, iam pene vir adultus, & in breuissimo spatio temporis, plusquàm credi possit, profecisse visus est; ita vt etiam essent, qui ab infantia scholas frequentauerant, in breui, spiritu sapientiæ, & intellectus transcenderet amplieri. Nec mirum. Nulla quippe in discendo mora est, vbi Spiritus Sanctus Magister est: qui, vbi vult, spirat, quantùm, quando, & quomodo vult.*

b *Idem ibid.*

7. *At vbi competenter instructus est, secundum consilium matris, transtulit se ad Ecclesiam Trium Fontium, Cisterciensis Ordinis, & in tantum profecit, quòd post non multum temporis, Sacerdotij gradum feliciter adeptus est, defunctusque post diuturnam, & laudabilem pœnitentiam, ibidem in consummatione virtutis.* Hactenus de conuersione iunioris filij, iucundiori matri, quò seriori; & de felici illius consummatione. Quo factum est, vt tota lucræ Domus generatio Sanctorum; & vt cum Christo dicere potuerit: *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Sanè lucra non solùm nullum amisit; sed hunc, diutiùs amissum, lucrifecit. Verùm, qualiter, quod longè antè prædixit, de loci, quem habitabat, dilatatione, déque eius incrementis, impletum sit, quantáque fide ædificium inchoauerit, quia hoc tempus concernit plùs, minúsve (sic autem pergit) nec abs re erit præcedentibus subiungere.

8. *Fama mulieris sanctæ, velut fragrantia odoris aromatici, iam diffusius inolescente circunquaque per Prouinciam, adiunxit se ei religiosa quædam mulier, ac timens Deum, Margarita nomine; & alij quidam promiscui sexus, & ætatis, viri, ac fœmina, cupientes sanctissimæ mulieris institui disciplinis. Et benedixit Dominus loco eidem, & personis, propter ancillæ suæ merita, adeò quòd ditiores facti sunt, tam in temporali sufficientia rerum cum charitate, quæ nullas in angusto nouit angustias, vt quidam ait; quam in multiplicatione personarum conuentuum in loco, sicut olim, Spiritu sibi reuelante, Sancta Dei prædixerat, antequàm quidquam fieret à principio. Ædificiis veteribus dirutis, noua ædificata sunt Domus magna, & multa, Ecclesia grandis, & ampla, sumptuosique operis satis, Sacerdotes tres celebrantes in ea iugiter, redditúsque eis procurati competentes.*

Cellulas etiam duas extra muros Ecclesiæ ad occidentem fieri instituit, vnam sibi, alteram cuidam iuuenculæ virtutis, & gratiæ, Agneti nomine, quæ eodem tempore, vt soli Deo viueret; Mundo moriens, in ea de benedictione, & licentia Domini Leodiensis Episcopi inclusa est. Alteram quoque iuncllam, quam secum ex oppido orundam enutrirent ab infantia, bonum habentem testimonium probatæ conuersationis, opinionis, ac famæ, quia salutem eius feruenti sitiebat spiritu, de licentia itidem Episcopi, secum in cella propria fecit includi; quæ tamen necessaria eidem iam seni plurimùm fuit comprobata est in ministerio. Hæc testis virtutum eius, & operum reluitrix vera, post decessum Sanctæ huius, non absque dispensatione diuina, vt arbitror, relicta est, vt per ipsius testimonium constare posset hominibus, qua, vel qualis extiterit meriti apud Altissimum, cuius conuersatio, & sanctitas Mundo fuit hactenus tam abscondita. 9.

Nec sub silentio prætereundum est, quòd perfectis, quæ loco, aut operibus competebant, consummatisque omnibus, sicut in præsentiarum cernere est, antequàm ex hoc sæculo ancillam Dei migrare contingeret, vniuersa penè debita expensarum, sumptuúmque sunt soluta, quibus omnia narrata, alta, peractáque ad vnguem sunt. Testor siquidem Deum, Deique virtutem, a veridicis personis, ac laude dignis, me nuper accepisse, quòd in initio totius structuræ; magnorúmque operum, vix triginta solidos argenti Sancta Dei præ manibus habuerit, quibus operari cœptum est: & ita Deus cuncta postmodum administrauit, necessaria operibus consummandis, quod vix sciri queat vsque hodie, vnde, vel quomodo perfecta sint omnia hæc. Disciplina quoque in diebus eius admodum inualuit in loco, adeò quòd regulariter, & secundum Ordinem viuerent omnes, tam leprosi, quàm in columnes; seorsum viri per se, & seorsum fœmina, communi cibo, potúque, & vestibus, contenti omnes secundum institutionem à parentibus editam. Hæc pro nunc satis: reliqua prosequemur suis temporibus. 10.

Hic idem annus Camberonæ tristis, sed Angelis in Cælo lætus fuit, morte Danielis III. illius Abbatis, cuius merita suprà recensuimus c. Hic annos octuaginta natus, plùs, minúsve, ex quibus duos, & triginta Domui præfuerat, plenus non magis dierum, quàm meritorum, ac sanctitatis fama perillustris, post multa publicè, & priuatim gloriosè gesta, animam tandem innocuam Cælis reddidit, ingenti cum filiorum suorum luctu, qui tanti patris gloriæ congaudebant; sed nihilominùs se orphanos relictos, neque vltrà iam fruituros ipsius monitis in hac vita mortali, lamentabantur. Catalogus Abbatum Camberonensium diem, & annum notat, locúmque, & inscriptionem sepulcri verbis sequentibus: *Daniel de Gerardi monte M. C. LXIV. electus, post regimen annorum XXXII. obiit octuagenario maior, anno M.C.XCVI. XIII. Kal. Febr. Iacet in Capitulo cum tali inscriptione:* 11. c *anno 1191. c. 3. n. 4.*

Hic iacet D. Daniel III. Abbas de Camberona.

Merita, & sanctitatem Viri, si conferamus titulo sepulcri, vix, quid magis miremur, inueniamus; virtutes Patris, an modestiam filiorum, qui tantum Virum tam humili inscriptione quasi obumbrarunt. Danielis meminère Arnaldus de Rayse in suis Natalibus Sanctorum Belgij, & ex eo Menologium, aliíque, qui facilè apud ipsos videri possunt.

1. *Ioannis de Monte-mirabili humilitas*, 2. *qua pluribus exemplis comprobata.* 3. *Quid reprehensus à muliere religiosa.* 4. *Quid ab vxore*, 5. *filióque contemptus.* 6. *Admiranda illius obedientia, & in pauperes charitas.* 8. *Perpensa quædam de miraculis ipsius*, 9. *quæ post mortem frequentia; dum vixit nulla, aut rara fecisse legitur.*

CAPVT V.

1. IN Longoponte radiabat inter hæc omnia meritis clarus, & virtutibus conspicuus Beatus Ioannes Montis-mirabilis, quondam magnus Comes, atque Oisiaci Regulus: tunc pauper Monachus, atque in Claustro tantò humilior, quantò excelsior in sæculo extitisset. Mira de eo narrantur in hac parte: nec solùm inter laudes, quod facilius; sed cùm accusaretur, quod longè maius. Prioris genetis exempla duo subiungam. Curabat semper, vt si quæ ab eo ablata, quandiu in sæculo vixit, quæ non statim restitui potuissent, saltem quamprimùm possent, restituerentur [a]. *Aderat mulier pauper, & despicabilis, cui, cùm in restitutione satisfactum fuisset, & apprehensam manum eius humilis Ioannes deosculari voluisset, illáque tantam Domini sui horrescens humilitatem, manum pro posse suo retrahere laborauit; ille trahentis manum laxans, pedem continuò apprehendit; & quod in manu non potuit, deuoto osculo in pede compleuit.*

[a] *in additis circa fin.*

2. Addam & aliud eiusdem argumenti, cùm casu ab vxore sua, quæ illi superuixit, visitaretur [b]: *Cùm iam Monachus factus esset, contigit vxorem eius apud Longumpontem venire: in cuius etiam comitatu puer quidã aduenerat, qui vasis coquinæ mundandis fuerat deputatus. Quem Vir Dei prospiciens, eúmque suo appellans nomine, O, inquit, Baclare, vtinam tecum scutellas olim lauare didicissem, vt modò non essem huius officij tam ignarus.* Hæc ipse vltrò, & medios inter hospites, quod etsi rarum, maximè in sæculo, in Claustris tamen solitum: imò aliquando à fictis æmulatum gloriam, si fugiat, potenter sequuntur; sed fugæ paratis, si possint inde maiorem conciliare.

[b] *ibid.*

3. Cæterùm Ioannes, vel fugientem fugiens, qui summus est humilitatis gradus, non solùm se honoratus deiiciebat; sed reprehensus. [c] *Erat mulier quædam* (pergunt Acta Viri) *religiosa, qua Adelais vocabatur: hæc autem in hospitio pauperum, quod Vir Dei in Monte-mirabili construxerat, procuratrix ab eo fuerat constituta. Venit quadam die ad portam Longipontis, vt cum famulo Dei iam Monacho loqueretur; qua cum fuisset eidem valde familiaris in Christo, charitatis affectu duriùs eum cœpit arguere pro eo fortè, quòd ad sustentamentum pauperum hospitij memorati paucos redditus assignasset. O, inquiens, quàm tepidus, & negligens extitisti in multis, qua facere debuisti! Quo audito, Dei famulus, omnibus suis plurimùm delectatus: O, inquit, Adelais, quàm veri sunt hi sermones, quos loqueris! vtinam tota Domus istius Conuentus nunc audiret, qua in me pronuncias: non tam sollicitè essent honorem mihi, vel reuerentiam exhibere.* Sic reprehensus. Sed audi; quòd contemptus, quod adhuc maius.

[c] *ibid.*

4. *Non debemus silentio præterire* [d], *quòd Ioannes cum pio quodam negotio apud Montem-mirabilem quadam die peruenisset, ad Domum propriam diuertit. Cuius aduentum deprehendens quidam de familia, domina sua, quondam vxori eius, celeriter nunciauit; & accepto responso ex ore illius, ad Dei famulum reuertitur dicẽs: Domina mea fudat: qua de causa videre illam, vel loqui cum ea nunc vobis minimè licet. Cui vir Dei humiliter respondens, Dominus, ait, vtilem ei sudorẽ concedat. Et, à suis irreuerenter expulsus cum omni patientia exiens recedebat.* Sic nec contemptus à propria vxore, & in propria domo humilitatem, aut patientiam, indita sibi dona, vel leui saltem verbo maculauit. Simile quid perpessus à filij famulis, cùm filius ipse abesset, neque aliud eius dictum, aut factum fuit.

[d] *lib. 2. c. 16.*

5. Verùm & filium ipsum sibi rebellem, neque obsequentem patris voluntati, in his, quæ Monasterio Longipontis ante vota emissa legauisset, non qua pollebat, paterna authoritate; sed sola humilitate vincendum censuit, atque ad viam obedientiæ reuocandum [e]. *Dederat seruus Dei Ioannes in eleemosynam Cœnobio Longipontis, domum quandam sitam in Castro, cui nomen Gandeluc: sed donationi factæ filius eius primogenitus remens assentiri, Fratribus in dicta Domo propria exercere negotia prohibebat. Qui etiam, vt eandem repararent, minimè permittebat. Quo audito, Pater eius Ioannes ad supradictum Castrum anxius corde, causa reparandæ Domus accedens, in illam operarios conduxit: sed & ipse cum eis operabatur, quasi vnus ex ipsis. Nam supra tectum, tegulas, quibus operiretur Domus, & latores cellos propriis humeris humiliter deferebat.*

[e] *lib. 2. c. 10.*

6. Longum esset, quæ de humilitate viri narrantur, prosequi sigillatim, integros penè Annales impleturæ. Verùm, quæ item de eius obedientia, penè per omnia cæca in ingenio aliàs viuo, & perspicaci, ab eodem Authore scripta sunt, cùm neque ea per omnia trãscribi possint, præter dicta superiùs, ex sequentibus licet coniectari [f]: *Ad Castrum suum, cui nomen Gandeluz, Dei seruus Ioannes, iam assumpto Religionis habitu, venit in vigilia cuiusdam Festiuitatis. Ad quem, visitandi causa, veniens Clericus quidam loci, Alardus nomine, qui postmodum extitit Monachus in Longoponte, manusculum ei piscium præsentauit: quem, cùm vidisset Vir Dei Ioannes, sine mora duriùs eum arguens, sic dicebat: Alij Clerici ad Vesperas fuerunt ad Ecclesiam; sed vos, certum est defuisse: & ideò veneritis, me de piscibus vestris minimè comesturum. Tum Clericus simplicem eius obedientiam non ignorans, Dixit mihi, ait, Monachus, qui comitatur vobiscum, quòd in virtute obedientiæ vobis præcipiam, vt ex his piscibus comedatis. Quo audito, Dei seruus acquieuit.* Quid recusaret, Abbate præcipiente, qui vel præceptis abstrusis nomine Monachi incunctanter parebat quem comitem haberet, non Superiorem?

[f] *in additis ad Exordium.*

7. Demum de charitate eius in pauperes, quæ post hæc inter comedédum sequuta sunt, eadem Acta his verbis prosequuntur [g]: *Comedentibus autem illis, prædictus Clericus sic ait: Domine, in hac villa moratur homo quidã, qui cùm olim esset elegãtis formæ, & decorus aspectu, nunc ita est per totum corpus suum obsitus plagis, & vlceribus plenus, quòd cunctis est abominabilis, etiam ad videndum. Quo audito, Vir Dei surgens à mensa prouolui se pedibus Clerici, qui loquebatur, rogans eum humiliter, vt statim ad se hominem adduceret vlcerosum: quod & fecit. Quem Vir Sanctus cum ingenti gaudio suscipiens, secum comedere fecit, non quidem remotum à se; sed in eadem scutella ambo pariter comedebant: & sicut mater paruulum pascit filium,*

[g] *ibidem.*

filium, ori eius spurcissimo cibos Dei famulus imponebat, & propriis manibus potum ei tribuebat. Plura alia narrantur de Sancto Vito, aut paria, aut maiora, quæ in præsenti non vacat recensere.

3. Id vnum tamen pro coronide adnotabo, quia singulare, & forsan sine exẽplo. Vix aliquid de ipso, quandiu vixit, præter nudas virtutes, atque actus earum prorsus strenuos: post mortem tot miracula narrari, vt non plura de alio, quem ego legerim. Donis miraculorum, aut prophetiæ velut deuinctos Sanctos in illius obsequio perseuerare, à quo talia suscipiunt, longè facilius. Solis virtutibus exercere animum longè fructuosius. Illi velut mercede conducuntur: hi quasi gratis seruiunt. Illi terrena non tam pro Deo spernere videntur, quàm per Deum elementis imperare, atque naturam potestati suæ subiicere: hos, dum pauciora accipiunt in hac vita, eò maiora in futura præmia manent. Denique illi, si dicere fas est, aut minùs credunt Deo, aut Deus illis, forsan sine his supplemẽtis defecturis: hi neque egẽt, tale quid accipere, neque dare recusant, quæcunque habent; scientes, cui crediderint; & certi, quia & potens, & iustus est, & superabundanter redditurus. Ergo Ioannes, quod suo loco videbimus, quò pauciora, dum vixit, fecit miracula, eò post mortem plura, ne vel hoc præmio in Mundo defraudaretur.

Cæterùm, si rationes alias perscrutemur, cur abstinuit, dum vixit, à miraculis, maximè post subuisum collum Cistercij iugo, duæ mihi occurrunt haud cõtemnendæ: altera ex parte humilitatis eius, cui abiectio in votis, despectúsque, quibus miracula prorsus repugnarent. Ergo, vt aliis diuinitùs concessa, sic denegata Ioanni, quandiu vixit, vtrisque petentibus: illis ex charitate, siue ex fide, ad aliorum miseriam subleuandam; huic ex humilitate profundissima, quia cuncta, ex quibus æstimari posset, exhorrescebat. Addo & secundam rationem ex parte Dei, cui, vt consuetum infirma Mundi eligere ad confundendum fortia: sic quæ ex humilitate petebat Sanctus, ad eius ordinabat exaltationem, tum, vt miraculo cunctis haberetur, quòd nulla Ioannes miracula patraret; quod longè maius est cunctis miraculis: tum, vt ostenderet, eius sanctitatem nullis signorum egentem adminiculis, vt totius Orbis conciliaret venerationem. Haud aliter Ioannes, præcursor Christi, nullum signũ fecit, quippe nullo indigebat testimonio, qui vel de Christo testimonium laturus erat. Sed de his nunc satis. Iam Calatraua repetenda nobis, & quæ de ipsa, quantumuis desolata, suborta lis, nostros hoc anno potuit perturbare. 9.

---

1. *Fiterienſibus de Calatraua certatum* 2. *cum Morimundo:* 3. *quibus è contra Scala Dei opponitur.* 4. *Quid illi obiecerint:* 5. *& quid iſti reſponderint.* 6. *Sententia Patrum, & Scalæ Dei concordia cum Morimundo,* 8. *confirmata à Capitulo.* 9. *Sant-Iulianei electi à Caſtris Iulij.*

CAPVT VI.

1. DE qua florente, atque hostes profligante Calatrauæ Militia, non vnquam hactenus certatum inter Abbates: hoc anno victa, profligatáque Fiterienſis contendit, & siue Vicariatus commendatus Abbati sancti Petri concitauit inuidiam, quòd recens nata Domus, necdum triennis antiquæ, & veræ Matri acquisita per milites, militum genitrici præponeretur, seu verè in Morimundum rebellauit, veluti ægrè ferens, quod sui iuris erat, alteri cedere; seu tandem aliis stimulis adactus, potestatem in Militiam factam sibi competere, neque ab alio vsurpandam, multis propositis altiùs disputabat, non translatum à Raymundo Patre Fiterium, vt falsò fetebatur; sed prolem omissam: quippe illud inconsulto Patre prohibitum; hoc communi vsu receptum totius Ordinis: & vt in dubio iudicetur de sancto Viro: pro illo, quam in illum; neque in illicitam actionem prorupisse, cùm in permissam, & laudandam posset, censendum fore. Præfuisse Calatrauæ, quia necessarium tanto fœtui edendo, formandóque: depositurum Fitetij Præfecturam (cui prouiderit Scalæ Dei Abbas) si sibi Calatrauæ manendum foret; aut si recedendum prouisurum natæ, nisi ab ipso immaturè præuentus esset. Quid si & iniustè? Certè translato Conuentu Fiterienſi integer ei manebat Fitetij locus, integræ possessiones, cæteráque, quibus, quo iure, ab Scalæ Dei Abbate priuari potuit? Quòd si non transtulit antiquam fundationem, sed nouam produxit, cur Mater destituatur iure in Filiam? Cur semper obseruatæ Cistercij leges, in ipsius tantum decoris violentur, & institutæ à Monachis Fiterij Militiæ factæ, cùm præmium mererentur, quasi rei flagitij pœnas luant.

Tum, si quod ius, seu iuris similitudo posset allegari, pro Scala Dei stare, non pro Morimundo, cui nullæ prorsus leges, vel in speciem, consuetudines nullæ, nullus similis casus suffragaretur. Siue enim Fiterienſes sedem mutauerint, siue prolem emiserint; nullum ius acquisitum auiæ in neptem, quod Matribus in Filias: neque vltrà in charta charitatis extendebatur. An Morimundus opposita Fiterio, vt vinceret potentia, quam non posset iustitia superare? An obruendæ authoritate æmulæ? Morimundo componitur totius lineæ caput, cum qua non litigaret, quia non auderet? Damnatam hanc iudicij subuersionem, vel inter sæculares, queis libitum pro licito, & posse facere pro iusto haberi solet. Quantò minùs decere Religiosos, maximè Cistercienses, quibus solùm, quod licet, libere debet. 2.

Sensit inuidiam Abbas Morimundi, nec sibi pro se quidquam allegandum consultiùs ducens, ad Scalæ Dei Abbatem litem remisit, in quo aut faciliùs vinceret, aut si non posset, honestiùs vinceretur. Certè cum eo, si causam obtineret, compositurus facilè; nec dubitabat subnixam suæ potentiæ, qualencunque iustitiam præualituram. Igitur sibi non vllum in re illa subeundum iudicium præfatus, quippe quem neque charta charitatis, neque aliæ leges domesticæ, aut extraneæ; sed generalis Synodi decretum, & conniuentia Scalæ Dei Abbatis, qui potior in hoc iure Calatrauæ Militiæ præfecissent. Eam potestatem nunquam à se cupitam, petitámve, vltrò ab aliis oblatam acceptasse, multis disseruit. Et confirmatam ab Abbate Cistercij primùm, mox à Summo Pontifice excreuisse: non, vt militibus Abbas imperaret; sed, ne Monachus Superioribus suis non obediret: si in nobis esset iura dare subditis, tot Morimundo 3.

rimundo Ecclesias subiacere, vt à sola Claravalle, quod omnibus constabat, excederetur. Militum regimen minùs appetendum, quia minùs notum, & se in hac parte satis iam fecisse cunctorum suspiciosibus, qui Abbati Hispano, & gnato gentis, & linguæ, totius Militiæ curam delegasset. Nec prætulisse recentem Domum antiquis; sed acquisitam Militum industria, eóque ipsis notiorem, chariorémve, patentibus nequaquam denegasse. Sed neque solis Militibus id datum, sed Regi Alphonso, cui qualiter auderet contraire? Regibus preces, pro mandatis esse. beneficia pro vinculis, quibus aliorum deuincant voluntates, captent obsequia. Quid, si deuinctus recenti beneficio acceptæ ab ipso Domus, non obtemperauisset illorum precibus? Hanc rationem constare gestorum hactenus: gerendorum, ab alio reddendam esse. Prodeat, si volet, Scalæ Dei Abbas, & pro se, ac pro Domo sua litiget: se pro onere tanto subeundo non litigasse hactenus, neque deinceps, si Deo placet, litigaturum.

4. Tum vocatus Scalæ Dei Abbas, atque de cunctis, quasi nihil sciret, admonitus, id sibi iuris competere respondit: parato dudum ad omnia respondere, quæcunque Fiterienſis vellet obiicere. Res ad Capitulum Generale delata est, (huius anni, an sequentis non satis constat,) & partibus citatis, validæ vtrinque productæ allegationes, quæ hodiéque leguntur in Manuscriptis antiquis Calatrauæ, quorum trãsumpta authentica, & antiqua priscis definitionibus præposita, in Bibliotheca Sanct-Bartholomæana Salmanticensi, in Sanct-Laurentiana ad Scorialē, atque in pluribus aliis perseuerant. Summa earum pro Abbate Fiterienſi in eo consistit, vt Calatrauam Fiterij Filiam esse, non Fitetium translatum demonstrarent. Quod si euinceret, reliqua pro se stare non dubitabat. Id, præter argumentum suprà factum, probare nitebantur multis indiciis. Primò, ex Conuentu Fiterij remanente, ad diuinum Officium peragendum, ad disciplinæ rigorem, qualem antèà obseruassent, continuandum. Secundò, ex reditu Monachorum, qui recessissent, quibus competere recursum ad propriam Domum, declarauit Capitulum, cùm res in controuersiam redacta esset. Tertiò, ex abdicatione Calatrauensium à bonis Fiterij, quibus haud dubiè non abrenunciassent, si idem omninò Conuentus, solo loco mutato, remansisset. Quartò, ex subrogatione Abbatis apud Fiterium pro Scalæ Dei Abbate celebrata, translationi contraria: & quæ dum idem ius Matri conseruat, ibidem permansisse Filiam, non aliò transmigrasse facilè probat. Et quintò tandem, ex suppressione Abbatiæ in Calatraua, quæ vel Fiterium de medio sustulisse, vel conseruatam in prima fundatione, atque hactenus manentem manifestabat. Hæc pro Fiterio.

5. Pro Scala Dei pauciora, fortè & leuiora: sed non minori plausu suscipienda. An inter sæculares finiantur lites: inter nos nullum finem habere possint? An nihil adeò firmum, stabiléve, quod non veniat in dubium reuocandum? Rei iudicatæ exceptionem peremptoriam tribunalia expedire, etiam suspectamos Sanctis Patribus, quorum semen sumus, in nullo deferemus; & quæ sanxerunt semper dubitabimus? Maneat aliquod fixum, certúmque, à quo non liceat vlteriùs resilire. Condemnatam Fiterium in hac causa, cùm discedens Raymundus ad Calatrauam, se, & Monachos transtulit, sententiam per vicinos Abbates latam pro more nostro; cui Fiterium cum Abbate nouo consenserit: quam confirmauerit Abbas Morimundi, quam Capitulum totum, & cui apostolicæ demum firmitatis robur cesserit. Decennio, & ampliùs, cùm possent reclamare, non reclamasse, imò nec tunc cùm redeuntes, Calatrauenses ad Morimundi obedientiam admisissent. Quando non poterunt litem innouare, si modò possunt? Fuerit aliquid indultum illis in reditus; at *de importunitate, & inquietudine* (ipsius Manuscripti antiqui verba vsurpo) *non ex iustitia* extortum, non concessum credendum esse: & vt remanserint aliqui in Fiterio, ad colligendas fruges, non ad Conuentum ibidem conseruandum remansisse credendos: quippe acephalos, nec sine Abbate Conuentum effecturos, imò tam paucis numero, vt nec si vellent, disciplinam tenere possent. Hæc, & similia præsumenda in præsentì, non probanda: nec quicquam esse, quo priores sententiæ fulciri possint, quod non priùs constitisse putandum est, atque animos Patrum inclinasse, vt prò Scala Dei in Fiterium pronunciarent. Et tandem in hæc verba Acta concludunt: *Quanta verò ex reuocatione sequeretur improbitas, Sanctorum illorum Patrum probat authoritas: si enim hoc voluerit in contrarium, omnia, quæ facta sunt, poterunt de cetero à successoribus reuocari; quod, quantum malum sit, omnibus constat.*

Inualuit apud Patres sententia hæc; siue, quia iustior; siue, quia vtilior. Et si quid fortè à iustitia deuiaret, Capituli plenaria potestate suppleri poterat. Nihil contemptibilius in iudicio, quàm varietatem, quæ inconstantia iustitiam dehonestat: & si ad opposita etiam extendatur, iniustitiam præferet, quæ in altera parte necessaria, dum ignoratur, vtranque suspectam reddit. Tum Alphonso inconsulto nihil mutandum, maximè in his, quæ ipse petiuisset, & Scala Dei vincente constare omnia, facilè Morimundo concessura: de Fiterio ignorari adhuc quid velit, neque credendum cessurum Morimundo, quæ primò in Morimundum litem mouit. Calatrauenses optasse Generalem suum Abbatem Sancti Petri, qui soli iura, & leges precariò darer ex alterius indulto: qui iure velut proprio dominetur, forsitan suæ gentis non laturos. Multa, si moueantur, firma fore, quæ nota vacillent, & tutius esse nota conseruare, quàm noua experiri, quorum pericula quis possit præcauere? Igitur pergunt Acta ita scribere: *Temerarium est enim, decreta Maiorum à posteris violari, cùm non liceat terminos transgredi, quos constituerunt nobis Patres nostri. Diligenter igitur imigilandum est, & omni opere nitendum, ne suo priuetur iure Domus Scalæ Dei: & istud fuit indicatum in Cistercio, instante Capitulo Generali. Quòd Abbas Scalæ Dei haberet plenariæ curam, & dispositionem Domus Calatranæ. Et hæc sententia sic lata præcepta est seruari sub anathemate.* Hactenus ibi. 6.

Adiudicata Calatrauæ Militia Scalæ Dei, facilè fuit Abbati Morimundi, quam semel dudum in eam admisisset potestatem, & curam conseruare: quippe Scalæ Dei tunc tenuis substantia, & possessionum, quàm authoritatis auidior ius, quod habebat, vltrò commutauit: vnde in eodem Manuscripto sequitur: *Abbas Morimundi, & Abbas Scalæ Dei conuenerunt inter se in quadam permutatione cuiusdam grangiæ, quam Domus Morimundi habebat in Vasconia, vt relinqueret illam Abbati Scalæ Dei: & Abbas, & Monasterium Scalæ Dei, authoritate Capituli Generalis relinqueret Abbati Morimundi, & eius Monasterio plenariam curam, & libertatem Domus Calatranæ. quod factum est, & sententiatum per Capitulum Generale Cistercij, de quo suprà; & pro maiori totius transactionis confirmatione,* 7.

ne, dictum Capitulum edidit definitionem, quæ sequitur in hunc modum.

3. *Cùm filiatio de Calatraua ad Domum Morimundi non solùm diuturna præscriptione temporum, verùm etiam ad petitionem Capituli Generalis, iam apostolica gratia confirmata, pleno iure pertinere noscatur: Vniuersis Abbatibus, & personis Ordinis distinctius inhibetur, ne per alicuius litera impetrationem, seu consilium, vel auxilium apponendo, aliquid attentare præsumant, per quod Domus Morimundi perturbetur possessio. Quòd si quis ausu temerario attentare præsumpserit, sciat se sententiæ conspiratorum penitùs subiacere.* Hactenus in antiquis Manuscriptis. Commutatio in decretis Ordinis tacita, quòd nihil ad rem facere, fortè & vt sacram Militiam non offenderet, quæ se, aut ab alia Ecclesia pretio venditam, aut ab alia redemptam non toleraret. Mansit ex illa die Morimundo inconcussum imperium sacræ Militiæ, quandiu ipsa permansit. Quin & ipsa Militia integra mansit, quandiu sub Morimundo: cum iugum excusserit, statim præcipitanda. Hæc intra duos, aut plures fortasse annos sub Cœlestino, cœpta, tandem sub Innocentio consummata simul coniunxi, ne euentu litis rectorem defraudarem, cuius occasione factum est, vt scriberent Episcopi, & Abbates ad Innocentium Papam, quas suprà litteras datas pro Morimundo commemorauimus.

Hoc ipso anno, vt vna omnes fortuna penè æquarèt, quæ nuper accepissent, Alfonsi Regis dono, Milites Pereyrenses, & in quibus Conuentum posuisse diximus. Castra Iulia, quæ nos *Trugillo* dicimus, cum aliis oppidis capta à Saracenis, cladem Alarcicam non parum cumularunt. Militia vtroque pulsa de suis sedibus exulauit intra annum, nisi quòd alteri mansit primus locus, altera vaga, & exul ad tempus fuit. Desæuiebat in filios cœlestis ira, neque ab hostibus solùm ferro, & igni; sed & peste de cœlo, atque de terra fame, atque incommodis aliis afflictabantur. Mariana ex antiquis, cæteris breuiùs: *Fuit hic annus*, scilicet, M. C. XCVI. *fame, pestéque fœdus. Præterea nouus barbari Regis irruptione Castra Iulia, & Placentia capta sunt.* Ergo, vt suam Calatrauam ante annum Raymundani Milites (sic enim eos appello à Fundatore) quòd primitiuam sedem sortiti essent; sic Pereyrenses sequenti, Trugillo pulsi, eò fortassis maiori desiderio, doloréve, quò minùs ea sede potiti essent. Et Calatraua recipienda ab illis sperabatur; his Castra Iulia non vltrà possidenda, etiam cùm à Christianis recepta sunt. 9.

---

1. *Monachi Sancti Cypriani, mutatis sedibus,* 2. *ad Riuum Siccum migrant,* 3. *nec in eo adhuc loco permansuri:* 4. *detectus error quorundam recentiorum.* 5. *Arnaldus magnus subrogatus in Populeto:* 6. *emendatus Cæsarius.* 7. *Generalis Capituli decreta.* 8. *Chronologia, & ex Roberto Claudio quædam,* 9. *ac demum Anetense Cœnobium Virginum.*

CAPVT VII.

1. IISDEM temporibus in Hispania Sancti Cyprianenses, ad montes Occitanos, ex Quintana translati, de quibus anno M. C. XLVII. & M. C. LXXXIV. pertæsi loca frigida nimis, & patentia ventis, & niuibus, siue magis perfidiam illorum Principum, à quibus Monasterio donati essent (nam penitùs retiliisse, neque quicquam seruasse, Tabulæ illius Cœnobij præseferunt) mutare sedes, atque ad alias quascunque transmigrare deliberarunt, siue reuerà (quod multis fortè arrideat) vrgentior causa mutationis fuit, iterum mutauisse: nam & id conditionis humanæ est, fecisse, quod feceris; & solita, quàm vtilia faciliùs sequi; insueta, quàm nociua magis horrescere.

2. Est in Montanis antiquioris Castellæ locis nobile oppidum suorum Iudicum quondam nota sedes (*Bijueces* dixère maiores, qui bini Iudices) ab Iberi profluuio ad iactum lapidis, nec multis millibus distans ab eius ortu. Haud procul extitit vetus Abbatia Beatæ Virgini sacra, & ab alueo vicino, sed sine flumine, solis hybernis imbribus patenti. Sancta Maria de Riuo sicco incolis dicta; quæ Monachis omninò destituta, per vim fugatis, an sponte discedentibus, nam vtrumque ferebant mores illius temporis, in ius transierat nobilium sæcularium. Hanc, Cyprianensibus Monachis nutantibus, Martinus, Almazanúsque (hæc nobilium nomina) pij pariter & liberales obtulère; nec multùm, diúve rogandi fuerunt, vel si relinquerentur rogaturi. Alfonsi assensus quæsitus, obtentusque; quid enim iam auderent sine ipso? Vnde pacta, conuenta inter vtrosque; & Monachi quò minùs potentiæ in his nobilibus, eò plùs fidei fore, non dubitabant. Sic deserta Abbatia sancti Cypriani (quam per duodecim annos occupauerant) nec quouis iure in ea sibi retento, hoc anno ad Riuum siccum transiêre: perpetuum nomen, permansurúmque, etiam non permanente domicilio.

Hanc translationem factam ad hunc annum, Tabulæ eiusdem Cœnobij testificantur: cùm iam Romerus, sub quo Quintana Suarij deserta olim (sed retento dominio, quod hodie manet) decessisset è viuis, atque Martinus, huius nominis secundus suffectus esset. Hunc penes instaurandi ædificij, & disponendi iuxta Cistercij ritus, notámque, quàm perennandi intentior cura fuit. Quippe alueo vicino ædes impositæ: qui quanuis aliàs siccus, & sine flumine, montium tamen subsidiis intumescens, imbrium tempore Cœnobium conquassabat. Hinc quartò tandem mutandæ sedes Fratribus, atque quartus quærendus locus fuit: cùm ingruentium aquarum violento impetu, insolentiorique, magna ex parte ædificia corruissent; sed hæc qualiter, & quando gesta sint, & quomodo translatum Monasterium ad ripas Iberi, in præeminenti loco, vix vno lapide ab antiqua fundatione, cuius hodie ruinæ etiam visuntur, anno M. C. C. XXXV. quo Tabulæ accidisse ferunt, dicendum erit. 3.

Distat vterque locus ab vrbe Regia totius Castellæ capite (Bramum antiqui, recentiores Burgos, appellant) ad duodecim leucas, ab oppido Metymnæ de Domar (Comitum stabilium Castellæ, siue stabuli manis, sedem antiquam) ad duas tantùm: inde aliquibus errandi occasio sumpta, vt Arnaldum Abbatem de Pomana in Hispania, qui mox Grandisiluæ, dein Cistercij apud Cæsarium lib. septimo 4.

primo Dialogorum cap. 52. Abbatem Riui sicci arbitrarentur, quasi à proximo Castro mutuato nomine, & dictum de Pomane, siue Pumane, id est, de Abbatia sita iuxta illud oppidum. Et tamen constat ex Catalago Abbatum, nullum in ea Arnaldum præfuisse, circa hoc præcipuè, aut paulò antiquius tempus, ad quod, quæ narrat Cæsarius, referenda. Sed de his statim. Mutauit locum quater Riuus siccus, sed nunquam Diœcesim; quippe omnia continentur intra Burgensem, in qua etiam non semel, memoratur in litteris Honorij Papæ III. quas in tempore dabimus: nomina tria sortitum, ex tribus primis locis: quæ occupauit, tamen sub nullo video nominatum in libris Cameræ, saltem quorum transumptum ad me transmissum.

5. Hoc ipso anno, in Regio Populeti Monasterio decessit Petrus Abbas, vigesimasexta die mensis Aprilis, cùm per quinquennium egregiè administrasset, vt Tabulæ eiusdem Domus testificantur. Raptus postridie à morte Alfonsi Regis, vt intra biduum vtroque parente orphana, vtriusque funeris luctum, doloremque ex alterius dolore cumularet. Successit tamen Petro, diuino nutu, qui vtrumque damnum cum fœnore lætitiæ supplere, haud dubiè potuit, Magnus Arnaldus, dictus Amalricus, quem modò memorabã, ex Ducum Narbonensium clara progenie, qui post triennium exactum in Populeto, in Grandis siluæ primùm, mox in Cistercij Abbatem promouendus, tum primus Inquisitor contra Hæreticos, in quos magna ex parte nostram Familiam, in quos insignem pietate virum Didacum Oxomensem, in quos Sanctum Dominicum armauit. Demum Narbonæ Archiepiscopus futurus, integras nobis paginas implebit huius Tomi, & sequentis, semper cum laude, & gloria memorandus. Populetanæ Tabulæ, dum virum ad Narbonam assumptum ex Populeto, idque ad an.M. c. XCIX. quo successorem habuit, memoriæ produnt; falsitatis à multis argui solent. Quippe Narbonæ nullus Populeti, sed Grandis syluæ, & Cistercij Abbas Arnaldus, isque post annos quatuordecim non minùs ad eam Sedem promotus memoratur. Sed ignorantia duarum functionum, quas constat subiisse, ante versum tempus: & facile cohærebunt omnia, si differatur.

6. Hinc obiter corrigendus venit Cæsarius lib. 7. Dialog. cap. 51. vbi de Arnaldo Abbate Cistercij loquens, qui postea fuit Archiepiscopus Narbonæ, præfuisse ait, in quadam Hispaniæ Domo, quæ *Pumane* vocatur, aut, vt alij legunt, *Pumerane*: & pro his Populetum substituendum; nulla aliàs Domo in Hispania similis nominis, & ea, quæ hactenus ex vicino loco dicta, credita est; nullo Abbate Arnaldo, vt admotabam. Et nihilominùs, constante per instrumenta, & Authores antiquos, Arnoldum Narbonensem Archiepiscopum, de quo ibidem loquitur, priusquàm Cistercio, Grandi syluæque, Populeto præfuisse, quæ Domus in Hispania, atque inter omnes Hispaniæ perillustris non dubitatur. Recèns creatus Abbas in Populeto (nam quæ antè gesserit, penitùs ignota, sicut & in quâ Domo professus fuerit) ad Habitum suscepit Ferdinandum Aragoniæ Infantem, quem dudum ab Alfonso patre detentum, supremis tandem Tabulis permissum, & quà licebat, iussum de ibidem sacrati, memorauimus. Sic Populetum pro Rege, Regis filium; pro extraneo, domesticum; pro sæculari, Monachum accepit, cùm primùm Petro Arnoldum subrogauit.

7. Statuta in Generali Synodo quædam, quæ Dei cultum, aut Regularis disciplinæ obseruantiam amplificarent, *vt in Festiuitate Sancti Patris nostri Benedicti Regula singulis annis inchoaretur*, intellige, in Capitulo legenda, distributa per capita, quo nullus ignorantiam præceptorum, quibus attinebatur, nullus obliuionem toties repetitorum causari posset. Datum præterea honori Sancti Patris, vt quem legislatorem sortiti sumus, Authorem obseruantiæ, & totius obedientiæ promotorem, ab ipsius solenniis auspicaremur. Actum dein de Nouitiis suscipiendis: decretúmque, *Ne ante decimumoctauum ætatis suæ annum reciperentur.* impari disciplinæ rigori minori ætate: & si semel assuescat laxamentis, ægrè ad Ordinis normam reducenda. *Leprosos intra annum probationis, mutandos Habitu; sed nihilominùs curandos ex charitate.* Ita prouisum illis, nostrísque: his, ne inutiles, atque noxios futuros, sibi sociarent; illis, ne morbo, velut desperati, permitterentur. Demùm & œconomiæ respectus habitus, decretúmque, *Quòd numerus personarum in Monasteriis, de consilio Patrum Abbatum constitueretur.* Non tenuis substantia panpetem facit, sed nimia largitio: quam, si infra illam prudens moderetis, modicum abundabit: cùm ingentes diuitiæ non sufficiant, si plus insumas. Hactenus quæ hoc anno nostris prouisa.

8. Chronologia huius anni admodum breuis, vnius tantùm Cœnobij, eiúsque penè ignoti, de quo hæc habet: *Anno M. C. XCVI. septimo Kal. Maij fundata est Abbatia de Vtrisvalle, vel Vtristale.* Domum sub hoc secundo nomine video in Tabulis Ecclesiarum Clarævallensium, incerta Matre. Claudius Robertus [b] duo alia notat in Bisuntina vtrunque Diœcesi, quorum alterum hoc anno cœptum tradit, alterum auctum. Priori nomen Charitas, de quo hæc habet in suo illa Catalogo. *Charitas, Cistercinsis Ordinis, Bisuminensis Diœcesis, fundata M.C. XCVI. tempore Henrici VI. Imperatoris, & Reginaldi Comitis: ibique iacent Otto, & Stephanus Burgundiæ Comites.* Veram istius loci Fundatricem Dominam Alaiidam de Traua, atque seriem Abbatum huius Domus, quam antiquiorem putat, Gaspar Iongelinus in suis Notitiis vulgat. Secundò, Charus Locus, de quo superiùs. Hunc memorari cum Gobaldo Abbate ait, In diplomate Henrici Imperatoris, expedito hoc anno, in quo Cœnobium abs Reginaldo, ipsius Henrici auo, Burgundiæ Comite, plurimùm dilectum, & necessariis possessionibus ampliatum, ipse etiam exornat, & locupletat. Sepulcra, & epitaphia Burgundiæ Comitum, qui in Chari Loci Ecclesia sepulti iacent, idem qui suprà refert Iongelinus, & facilè apud ipsum videri possunt.

[b] *in sua Gallia.*

9. His libet addere & aliud fœminarum Atrebatensis Diœcesis, de quo Aubertus Miræus in notitia Ecclesiarum Belgij, hæc habet scripta [c]: *Ancrense, seu Braëlense Monasterium Virginum, Ordinis Cisterciensis, anno M.C. XCVI. ab Ada de Hames Constabularia Flandrensi conditum, in Diœcesi Atrebatensi, probant ex Hugone Abbate Sancti Petri Gandensis.* Litteras porrò approbationis idem Author adducit, quæ ita habent: *Hugo, Dei miseratione Abbas Sancti Petri Gandensis, totiúsque eiusdem loci Conuentus, vniuersis Christi fidelibus in perpetuum.*

[c] *pag. 479.*

Omnibus vobis notum esse volumus, quòd Domina Ada, nobilis Matrona de Hames, Constabularia Flandrensis, à nobis impetrauit, vt in loco, qui dicitur Baëlle, *iuxta Crucem de Sobrij, mansionem ad colligendas Religiosas mulieres, & Capellam administrandam Deo, ab omni subiectionis ligamine absolutam, quantum*

quantùm ad nos, de assensu, & permissione nostra, construere liceret; & inter cætera impetrauit, vt ab omni decimatione, quæ nos infra ambitum eiusdem mansionis contingeret, & à portione, quæ nobis ad prædictam capellam in oblationibus peruenire deberet, Domum illam exemptam esse sustineremus. Nos itaque piam prædicta Matrona propositum promouere cupientes, sicut in præsenti charta continetur, benigne concedimus, & sigilli nostri authoritate confirmamus. Actum anno M. C. XCVI. Hoc instrumentum exemptionis illius loci, per quam ad Virgines Sanctas suscipiédas, sub Cistercij instituto, præparabatur,

---

ANNVS CHRISTI M.C.XCVII. CISTERCII C.

1. *Petrus, cùm recèns Regnum accepisset, ad Hortam venit:* 2. *in Capitulo in Fratrem Monachorum recipi petit* 3. *Hortam specialiter defendere promittit.* 4. *cui & multa indulget,* 5. *quæ mox in Episcoporum Conuentu firmat:* 6. *perpetua quædam,* 7. *atque assignata ab ipso causa totius facti.* 8. *Simile quid vsurpatum à Raymundo Tolosæ Comite,* 9. *quod pòst Gregorius IX. confirmauit.* 10. *Admiratio de vtriusque Principis fine, minùs felici.*

CAPVT I.

1. SEQVITVR annus à Christo in terris nato millesimus centesimus nonagesimus septimus, primam Cistercien sis ætatis centuriam claudens, éque memorandus non sine iubilo, & gratiarum actione, quòd primum sæculum, cùm crescere vix posset, (quod in hac vita ratum,) in eodem statu continuauerit, peracturum secundum, vt palàm fiat, inconcussum omninò, aut crescenti similius, quàm decrescenti. Hoc Petrus inclytus, Aragonensium Rex, recèns Regno potitus per mortem Patris, atque eiusdem exemplum imitatus, veniens ad Monasterium Hortæ, extra ditionis suæ terminos situm, intrans Capitulum, quod Pater etiam fecerat, recipi se in Fratrem postulauit, obtinuítque, & simul se in specialem Protectorem Cœnobij obtulit, firmata vtrinque mutua acceptatione, ac litteris mandata, priuilegio expedito; quod in memoriam pietatis Regum illius ævi, simúlque eximiæ, qua Hortam, & Monachos illius Domus colebant, venerationis, velut felix auspicium euentuum præsentis anni, hîc ad literam censui transcribendum. Est autem tale [a]:

a ex Archiuiis Horta.

2. *In Dei nomine. Ego Petrus, Dei gratia Rex Aragonensis, & Comes Barchinonensis, facio vobis Domino Eximinio, Abbati de Horta, & omnibus Fratribus vestri Monasterij, tam præsentibus, quàm futuris, hanc chartam defensionis, protectionis, & confirmationis.*

Notum sit omnibus hominibus, præsentibus, & futuris, qualiter ego Petrus Rex, veniens ad præfatum Monasterium de Horta, ab Abbate Eximinio, & cunctis Fratribus in societatem, & participationem omnium bonorum, orationum, videlicet, iciuniorum, & eleemosynarum, vigiliarum, Missarúmque solemniorum, & cunctorum, quibus Regnum æternum acquiritur, in Capitulo eorum receptus sum, tam ego, quàm omnis generatio mea per sæcula cuncta.

3. *Ego verò desiderans vtilitati eorum, ac si Domui propriæ, prouidere, personas Fratrum, hæreditates, & omnia, quæ illorum existunt, & in futurum, largitione Principum, donatione Pontificum, oblatione fidelium, sine emptione, aut commutatione, seu aliis quibuslibet iustis modis, acquirere poterunt, sub defensione, & protectione, & nostro amparamento, & de tota nostra generatione recipio, decernens, vt nulli potestati, militi, seu cuiuscunque conditionis homini liceat, neque in pace, neque in guerra, neque nomine pignoris, vel alia aliqua ratione, in tota nostra terra, prædictos Fratres, aliquatenus molestare, vel bona eorum inuadere. Nolo enim, vt si fortè per guerram Regni de Castella, vel alterius Regni in aliquibus Monasteriis terra mea prada facta fuerit, vel aliquod malum, vt in ea, quæ illorum Fratrum de Horta fuerint, nulla vindicta iactetur, sed semper in tota nostra terra, omnia, quæ eorum sunt, vel erunt, salua, secura, & tuta consistant.*

4. *Greges omnes eorum, & armenta, & cuncta eorum animalia, quasi mea propria, in tota terra mea liberè, & sine aliqua exactione, & sine herbatico pascantur. Nusquam in tota terra mea, portaticum donent de propriis rebus. Deinde, si quis eorum, qui ad nostram ditionem pertinere noscantur, ausus esset hoc meum donatiuum perrumpere, si honorem pro me tenet, illum siquidem honorem, pòst dati damni satisfactionem, perdet, & à Regno proscribetur. Si verò quicunque miles non habens per me honorem, vel Burgensis, aut Villanus hoc fecerit, data priùs satisfactione, vt prædixi, mille marabitinos mihi pectabit: & nihilominùs eum à Regno proscribi faciam. Hoc autem decretum, seu eleemosynam, quod pro mea, meorúmque omnium prædecessorum, pariter & successorum, salute facio, vt ab iisdem Successoribus meis, cùm debitum naturæ persoluero, inuiolabiliter obseruetur perpetuò, piè, & charitatiuè rogo, & mando, quatenus cùm ad Curiam summi, æternique Regis pervenerint, in illa nouissima die, inter Choros Angelorum audire mereantur:* Beati Misericordes, & qui diligenter me dilexistis, quoniam vestrum est Regnum Cœlorum.

5. *Facta charta apud Calataind, & data per manum Ioannis Baxensis Domini Regis Notarij, & mandato eius scripta mensi Augusti, æra M. CC. XXXV. Regnante eodem Petro Rege in Aragonia; & in Catalonia. Episcopo Raymundo in Cæsaraugusta. Episcopo Garzia Frontino in Tirasona. Episcopo Richardo in Osca. Episcopo Gombaldo in Ilerda, & in Reda. Guillino de Castellazelo Maioredomo Curiæ Domini Regis. Petro Laronis Alferiz, & seniore in Tenil, & in Velchit. Berengario de Atzenza in Calataind. Artallo de Aragone in Malagone, & in Burgia Michaele Sanctæ Crucis in Magalon. Garzia Ortiz in Aranda, Eximinio Cornelij in Osca. Petro Cornelij in Exea.*

6. Hactenus priuilegium Petri datum Hortensibus, & Abbati Eximinio, siue Semeno; qui iam Gerardo

mortuo

mortuo suffectus esset. Et quidem suis talia concessisse rarum hoc tempore, extraneis sine exemplo forsan erit. Tum, si rogatus à Monachis fecisset, mirandum minùs; ipsum rogasse, neque per Legatos, aut nuncios, sed per se ipsum, terminos sui Regni transgressum esse, venisse Hortam, & coram Monachis in Capitulo extitisse, eorum aggregandum fraternitati; omnem superare videtur admirationem. Crediderim, fecisse mandato Patris, qui moriens, inter alia salutaria, hoc illi etiam præceptum intimauerit; non secùs, atque Garziæ Tirasonensi Episcopo in mandatis dedit, vt decimas, atque alia indulgeret eidem Domui. Portò idem instrumentum Bilbili factum, vulgò, *Calataiud*, idque mense Augusto, argumento est præcessisse ante illius expeditionem aduentum Regis, atque annum intra ab Alfonsi Patris morte (exequendis defunctorum mandatis lege præscripta) contigisse, nisi quòd tamen majori firmitudini expectatus Conuentus Episcoporum, Procerúmque, qui instrumento subscriberent, qui fortè non coactus ante Augustum.

7. Portò, quæ causa vtrunque Regem mouerit, vt tanto affectu, atque veneratione Monasterium Hortense prosequerentur, idemmet Petrus expressit post annos vndecim, nouo alio concesso priuilegio, in quo hæc non tam ait, quam declamat: [b] *Inter cæteras Ordinum varietates, quibus decorata est Sponsa Christi, nullus Ordo fragrantior, & sancti propositi odore suauior est in Christo, quàm Ordo Cisterciensis: eius quippe Professores tanto differentiùs præ cæteris triumphales, & illustres virtutum titulos præferunt, quanto expressiùs apostolicæ Religionis vestigiis adhæserunt. Cum igitur Domus de Horta, quæ sita est in confinio Regni nostri iuxta Farizam, per Dei gratiam nominatissima sit inter alias, in prædicti Ordinis rigore, & obseruantia, &c. Datis Fariza 3. Nonas Februarij, Æra M.CC.XLVII.* Hæc vniuersim honorifica Cisterciensi: sed, quæ me illi genuit, Hortensi Domui honorificentiora ex Archiuiis eiusdem Domus eruta, in meo Sanctorali dudum vulgaui; [c] & nunc nefas putarem, si prætermitterem. Id vnum tamen adnotandum censeo, delata omnia Martino, majori parte, nec quicquam sine ipso gloriosum Hortæ, saltem dum vixit: quippe aduentus Alfonsi, ipso Abbate: Petri vtrunque diploma post resignatam Seguntinam Sedem, cùm suam Hortam priuatus inhabitaret.

b ex Archiuis Horta.

c lib. 2. in Vita Sancti Martini, c. 8.

8. Hoc ipso anno, quia semel cœpimus de pietate Principum, quam vtinam vterque continuasset, Raymundus, Constantiæ Reginæ filius, Tolosæ Comes, ad Grandisyluam veniens, confirmauit indultum Raymundi patris, quod anno M.C.LXVIII. in Capitulo eiusdem Monasterij expeditum cõmemorauimus. Portò eodem ad litteram transcripto hæc addit verba: [d] *At hæc ego Raymundus, Comes Tolosæ, Regina Constantiæ filius, inuitus pietatis, & in redemptionem animæ meæ, & parentum meorum, pro me, & omnibus successoribus meis, dono in perpetuum, laudo, & confirmo omnia dona, quæ Dominus Pater meus fecit, & donauit D. Deo, & Beatæ Mariæ Grandisyluæ, & Petro Abbati, sicut in instrumento ipso, & aliis instrumentis, Monasterium Grandisyluæ habet contentum: & in signum donationis, præsente G. Montis Pessulani Domino, Bertrando de Sancto Andrea, Petro Roger Vicario, & Petro Ceuerino, Scriptore nostro, qui mandato nostro hanc Chartam subscripserunt, & signarunt, præsentem Chartam sigillo nostro iussimus imprimi, anno M.C.XCVII. Regnante Philippo Francorum Rege.* Hactenus ibi.

d in Regist. fol. 116. apud. 408.

9. Cæterùm, hoc idem priuilegium patris, & filij post longas satis lites, iurgiaque, imò, quod attinet ad Comitem Tolosæ, cruenta odia in nostros, atque sacrilega, quæ suis locis latè daturi sumus, eius, qui nunc viuebat, Raymundus filius, post sex, atque triginta annos firmauit, atque munitum sigillis trium Pontificum, R. nimirum, Narbonensis Præsulis, R. Tolosani, & D. Albiensis, Gregorio IX. præsentatum est apostolica roborandum authoritate. Extátque, & legitur in Regesto Vaticano [e] inserta eius litteris ad Abbatem, & Conuentum Grandisyluæ, datis Laterani, decimoseptimo Kalendas Ianuarij, Pontificatus ipsius anno septimo. Ex quibus nos hæc ipsa transcribi fecimus.

e lib. 4. Regest.

10. Sed, ô altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius! Tanta pietate pollentem vtrunque Principem, nimiùm heu! infelix manebat exitus: Petrum casurum in prælio contra Catholicos; quæ fœda nota in Principe Christiano, quibusuis titulis, seu pigmentis cohonestetur: Raymundum Comitem Hæreticis fauentem, in ipsa hæresi, atque ab Ecclesia auulsum gladio anathematis, adeóque in Cistercium ob hanc causam, atque in Monachos eius excandescentem, vt multos Cœlo Martyres inuexerit, priusquàm ipse in Infernum (quantum homini coniectari licet) detruderetur. Verùm hæc tetigisse pro nunc sufficiat, suo tempore latiùs pertractanda.

---

1. *Petrus Cantor Parisiensis, sanctus, & doctus:* 2. *à Iacobo de Vitriaco Cardinali eximiè laudatus:* 3. *veneratus ab omnibus,* 4. *& sui sæculi cœleste velut Oraculum:* 5. *eius consilia,* 6. *& electio in Ecclesiam Tornacensem,* 7. *pro qua Stephanus,* 8. *ad Rhemensem Præsulem scribit.* 9. *Recusat onus,* 10. *& Monachus sacratur in Longeponte:* 11. *post mortem corpus inuentum incorruptum, fragránsque.* 12. *Scriptorum illius notitia aliqua.*

CAPVT II.

1. PETRVM Cantorem, Magistrum Parisiensem, insignem pietate, & doctrina virum, si quem alium tulit sæculum illud, præsens annus, & nostris, & Cœlo dedit; quippe defunctum intra annum probationis, cùm non multò ante electus in Episcopum, restitisset vitil.ter, & nullum penitùs non mouisset lapidem, quo se tandem indemnem conseruaret à tanto munere. De eo Author Exordij Cistercien sis [a]; atque Helinandus, de quo statim agam, qui Virum assequuti iustissimum, doctissimúmque cognominantes, è cuius ore ipsi nonnulla hauserint, quæ suis scriptis inserunt, inter quæ factum Sancti Parentis Stephani, quæ nos ex eisdem, tomo primo memorauimus,

a lib. 1. c. 34.

tauimus [b]. Eadem habent Vincentius Belluacensis, [c], & Antoninus [d] ex Helinando sumpta, quæ vnica Fiterensi Abbati occasio fuit, vt Helinandum Authorem Exordij diceret, cùm nihilominùs ex ipso contrarium constet, vt superiùs ostendimus, & in hoc capite etiam confirmabimus. Sed de Petro Cantore nullus est, qui non inter Ecclesiæ Luminaria, eius ætatis prima, imò ante alia censeat memorandum.

b *Ann. Cist. tom. 3. 6. Spec. historial. cap. 20.* d. 2. *par. tit. tit. 15. c. 12. parag. 1.*

2. Proferam magni viri illius ævi Cardinalis Iacobi de Vitriaco encomium satis elegans, quod vnum mihi, & authoritate dicentis, & ipsorum verborum magnificentia pro mille erit. Is ergo in sua Historia occidentali, loquens de Petro Cantore Parisiensi, hæc habet verba [e]: *Velut lilium inter spinas, & rosa inter vrticas, quasi Angelus Pergami, vbi sedes est Satanæ: quasi thus redolens in diebus æstatis: quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso: quasi oliua pullulans, & expressus in altitudinem se extollens: quasi cœlestis tuba, & Domini citharista, erat tunc temporis Magister Petrus venerabilis Cantor Parisiensis, vir potens in opere, & sermone; aurum suum, & argentum similiter conflans, & verbis suis stateram faciens; morum honestati pondus, & grauitatem conferens doctrina sua: capit enim facere, & docere, velut lucerna ardens, & lucens, & ciuitas supra montem posita, & candelabrum in domo Domini aureum, de cuius fonte limpidissimo Beatissimus vir Fulco Presbyter, potauit*, &c. Hactenus Cardinalis de Vitriaco, quibus nil maius, vel de magno Augustino videtur dici potuisse.

e *cap. 8.*

3. Cæterùm inter glorias Petri Cantoris hæc prima sit, quòd eas laudes à laudatis virtis adeptus, qua in hac vita maior non vlla extat. Secunda, quòd discipulum inter alios habuit Fulconem hunc, de quo mira Authores, & nos etiam inferiùs nonnulla dabimus. Tertia, quòd Iudex in multis constitutus (nec enim Cœlestinus, prædecessorésve, alium penè habuerunt in tota Gallia, cui ardua quæque negotia delegarent) suspectus nulli, neque ab aliquo vnquã recusandus. Extat ad ipsum Stephani Tornacensis inter alias epistola, in qua sibi de Petro Parisiensi, quem Iudicem haberet, congratulatur [f]: *Quem neque astutia fallere, nec malitia peruertere, nec cupiditas possit coinquinare.* Hæc, & alia similia exornabant Virum sanctissimum, quem consulerent omnes, velut Oraculum, neque aliter suspicerẽt, nec minùs eius consiliis obtemperarent. Referam factum cuiusdam vsurarij, quod eius temporis Author Cæsarius narrat [g]:

f *epist. 217.*

g *lib. 2. c. 34.*

4. *Temporibus Philippi Regis Francorum, qui hodie regnat, erat in ciuitate Parisiensi vsurarius quidam ditissimus, Theobaldus nomine: hic cùm haberet possessiones plurimas, infinitasque pecunias ex vsuris congregatas, diuinitùs compunctus ad Magistrum Mauritium, eiusdem ciuitatis Episcopum, venit, eiusque consilio se commisit: ille verò, cùm in ædificatione Ecclesiæ Beatæ Dei Genitricis Mariæ nimis ferueret, consuluit ei, quatenus pecunias suas ad structuram inchoati operis contraderet: qui huiusmodi consilio aliquantulum sibi suspecto, adiit Magistrum Petrum Cantorem, verba Episcopi ei insinuans: cui ille respondit: Non dedit tibi bonum consilium hac vice: sed vade, & fac clamari per ciuitatem sub voce præconis, quia paratus es restituere omnibus, à quibus aliquid supra sortem accepisti. Factúmque est ita. Deinde rediens ad Magistrum, ait: Omnibus ad me venientibus, teste conscientia, omnia restituì ablata; & adhuc supersunt plurima. Tunc ille: Modò, inquit, eleemosynam poteris dare securè.* Hactenus, quæ respondit, vt in præcepto.

At, quæ ex consilio consuluit superaddi, quasi, vbi abundauerat delictum, superabundaret & gratia compunctionis, idemmet Author pergit his verbis scribere [h]: *Retulit mihi Dominus Daniel, Abbas Sconaugiæ, quòd ad consilium eiusdem Cantoris, per plateas ciuitatis nudus in suis femoralibus incesserit, seruo cum virga se impellente, ac dicente: Ecce iste est ille, quem pro suis pecuniis Principatus honorabat, qui filios nobilium obsides tenebat.* Sic vir sanctus, & doctus distinguebat à consiliis præcepta; atque hæc omnibus, velut necessaria, illa capientibus tantùm, & vt vtilia, cum grano salis cœlestis applicabat. 5.

h *ibidem.*

Elegit in Pastorem hunc tantum virum ciuitas Tornacensis, communibus suffragiis Cleri, & populi, quin & assensu, & consilio Philippi Regis; atque omnium bonorum approbatione. Interuenerit quid inordinatum in eius electione, in dubio est: constat, Guillelmum, Rhemensem Archiepiscopum, (nanque is adhuc erat,) siue aliud intenderet, seu sinistris rumoribus persuasum, distulisse electionis confirmationem: qua de re extat eiusdem Stephani Tornacensis ad eum epistola, grauis quidem, & zelo sancto plena, pro electione interpellans, quam in ipsius euentus confirmationem, & maiorem notitiam Historiæ Petri Cantoris, his Annalibus dignam iudicaui. Sic autem habet [i]: 6.

i *epist. 173.*

7. *Domino Rhemensi, pro Petro Cantore Parisiensi, in Tornacensem Episcopum electo.*

Commune refugium, patens omnibus mansuetudo vestra, Pater, sic extendatur ad singulos, vt colligat vniuersos. Veniunt ab Oriente, & Occidente, & recumbunt in sinum vestrum; nec facilè semel admissus emittitur, nisi contigerit ab eo committi, quod non mereatur remitti. Hæc sunt, quæ mihi, pluribúsque aliis fiduciam præstant, vt pro deuoto filio vestro Magistro P. Cantore Parisiensi, pandatur vobis aditus supplicandi, ne vobis pronocet indignationem, qui sibi non aduocat dignitatem; ne cui meritum sufficiat proprium, factum officiat alienum. Vir est, cuius per omnes Ecclesias fama suauis diffunditur opinio, qui gemina scientia efficacissimè clarens, & doctrinam monitis ornat, & moribus disciplinam. Origeni parem in aliquo; sic eum docere credimus, vt viuere; sic viuere, vt docere. Tales in candelabro vestro lucernas, tales in diademate Aaron lapides, tales in sancta Rhemensi Ecclesia Suffraganeos esse decet, vt vicina Prouincia sancta æmulatione moneantur ad promotionem consimilium: & sollicitudo vobis commissa facilius, & frequentius iuuetur per religionem, & prudentiam ipsorum.

8. *Si quid minùs ordinatè in electione ipsius, à Tornacensibus Clericis factum est, nec absentis ignorantiam tangere, nec innocentiã iusti ledere debet, cùm facillimè, si vobis placet, possit emendari, si quid perperam factum est: commissa vobis à Deo, & potestate corripiendi errores, & scientia corrigendi: vt enim, salua gratia vestra, sine præiudicio loquar, concurrunt in electione illa quatuor, quæ à Leone dicta sunt; vota ciuiũ, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum. His accedit integritas personæ, hilaritas famæ, necessitas simul, & vtilitas Ecclesiæ viduatæ. Sed & hoc frequenter, & solenniter dicitur, quia Dominus Rex, quem Deus seruet, ac nobis restituat, personam istam nominatim expressit, nominatim pro ea rogauit, nominatim Ecclesiæ Tornacensi præesse voluit, & intendit. Si aliter actum fuerit, verendum est, & fortè verum, ne indignationem, & iram, & immissiones per Angelos malos concipiat, & aduersùs eos, qui promotionem tantæ personæ impedierint, regalem, & immenilem iracundiam*

diam accendat. In his omnibus, Pater sancte, prouidete honori vestro, consulite sanæ opinionis vestræ testimonio, deferte regio mandato, & correpto prius, sicut decuerit, errore eligentium, confirmata electione, paterno sinu suscipite electum, & dilectum vestrum. Hactenus epistola, ex qua obiter colligi videtur, incidisse electionem Petri Cantoris in annum M. C. XCI. cùm Rex Philippus in Oriente militaret.

9. Quid egerit Guillelmus Archiepiscopus non constat: certum, Petrum electioni de se factæ, siue vitiosam nouerit, siue episcopale onus recusauerit, nullatenus potuisse adduci, vt consentiret. Ioan. Buzelinus, qui Stephani epistolas non viderat, dubitat, an electus per eius obitum, circa an. M. CC. III. sed neque tunc viuebat, & Stephanus electionem eius promouit, vt suprà vidimus. Interseram eiusdem Authoris verba, qua parte Petri constantiam in resistendo, atque item Monachatum ipsius narrant [k]: *An post Stephanum Tornacenses Petrum apud Canonicos D. Virginis Cantorem Parisiis & præclarissimum huius Academiæ Doctorem, Episcopum suum nuncupauerint, non ausim asserere: saltem id compertum habeo, in eum aliquando (fortè post Euerardum) collata fuisse Canonicorum suffragia, postquam tamen animaduertit electionem vitio factam fuisse, nulla se ratione passum adduci, vt infulas sibi oblatas reciperet, nihilque prius habuisse, quàm vt paulò post in Longi Pontis Monasterio religiosis sese viris insereret.* Hæc Buzelinus. Et quidem electio ab anno M. C. XCI. plùs, minúsve extitisse sub lite, vsque ad M. C. XCIII. aut XCIV. quo ipso respuente, suffectus Stephanus. Monachatum in hunc annum incidisse ex statim dicendis apparebit.

k lib. 6. Annal. Gallo-Flandr.

10. Igitur Petrus Cantor, cunctis spretis, cùm multis annis, & multùm fructificasset, ad extremum soli Deo vacare desiderans, (forte & suaui Ioannis de Montemirabili odore attractus,) Monachum in Longo Ponte induit, circa hunc annum, intra quem etiam, tempore Probationis nondum expleto, migrauit feliciter, æterno præmio in Cælis coronandus: de cuius transitu Cæsarius hæc habet verba [l]: *Magister Petrus, Cantor Parisiensis, verbo, voto, & exemplo plures ædificauerat. Hic in Pomenella Domo Ordinis nostri factus est Nouitius, & infra annum Probationis defunctus est, & in Capitulo sepultus.* Hæc Cæsarius. Porrò hoc anno ad Superos translatum narrat Vincentius in Speculo historiali [m]: *Eodem anno*, inquit, (scilicet, M. C. XCVII.) *Petrus Cantor Parisiensis, tam vita, quam doctrina conspicuus obiit, amator veritatis, atque iustitiæ, apud Cœnobium Longi Pontis* (quod idem Pontulenam Cæsarius vocat) *in magna deuotione, sanctaque confessione migrauit.* Ægidius Romanus ad annum transitum differt: cætera Vincentio per omnia concordans: *Anno*, inquit [n], *M. C. XCVIII. Petrus Cantor Parisiensis, Doctor eximius, in Monasterio Longi Pontis migrauit ad Dominum.*

l lib. 12. c. 48.

m lib. 29. cap. 39.

n ad annum 1198.

Post mortem Viri multa illustria sanctitatis, & gloriæ signa secuta sunt, inter quæ celebre, quod Cæsarius, tunc recens compertum, memoriæ prodit [o]: *Infra annum Probationis defunctus est, & in Capitulo sepultus: cumque postea necessitate ædificiorum corpus eius esset transferendum, aperto sepulcro, tam magnus, & tam suauissimus ex illo odor efflauit, vt naves omnium illius fragrantia reficerentur. Odor ille signum erat exiniæ eius doctrinæ, cuius mercedem receperat in Cælo.* Inseruit Menologio Virum sanctum Chrysostomus Henriquez, ad decimamnonam diem mensis Maij; confusum tamen cum Petro Parisiensi Episcopo LXXII. supino temporum, personarúmque errore. Melius Hugo Menardus in Appendice ad suum Martyrologium, vbi hæc habet [p]: *Venerabilis Petrus Cantor Parisiensis, Doctor eximius, & tam vita conspicuus, quam doctrina, vir iustitiæ, & pietatis amator, quique plurimis plurium profuerat tam eruditionis verbo, quam virtutis exemplo, apud Cœnobium, quod dicitur Longus Pons, in multa deuotione, & sancta confessione migrauit è corpore. Robertus Altisiodorensis in Chronico, ad annum M. C. XCVII. & Thomas Cantipratanus fuit Ordinis Cisterciensis.* Hæc de Petro Fulconis Magistro. At de Fulcone ipso pauca quædam. Verùm de Eustachio Abbate de Florephia in Angliam, ab eodem Fulcone misso circa hoc tempus, vt tradit Matthæus Paris, & multis ibi miraculis illustri, anno M. CC. quo ab Authoribus aliis memoratur, dicendum erit.

o lib. 12. cap. 48.

p littera P.

11.

Memoratur & Petrus Cantor inter Scriptores à Ioanne Tritemio, aliisque, confusa licèt aliquantulum notitia, sed recensitus quibusdam eius operibus: *Petrus*, inquit [q], *Cantor Parisiensis, & postea (vt ferunt) Episcopus, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in sæculari Philosophia nobiliter doctus, Theologicæ Scholæ Parisiis, multis annis gloriosè præfuit, & discipulos egregios multos erudiuit. Scripsit etiam quædam præclara Opuscula, de quibus pauca ad manus nostras meminisse peruenisse. Volumen prænotatum.*

12.

Verbum abbreuiatum, lib. 1. Verbum abbreuiatur.
Distinctionum Opus, lib. 1. Abel dicitur principium.
Grammatica Theologorum, liber 1.
Sermones varios, lib. 1.
De quibusdam miraculis, lib 1.
De Sacramentis quoque, lib. 3. Circuibat populus.
Claruit temporibus Henrici VI. Anno Domini M.CC.

Hæc Tritemius. Ex libro miraculorum, quædam extracta video in Speculo Exemplorum, notatione subiuncta [r]: *Hic Petrus Cantor Parisiensis scripsit librum miraculorum sui temporis; vnde hæc duo exempla sumpta sunt.* Citatur à Thoma Cantipratano in libro suo de bono vniuersali, multis in locis [s]: & ab aliis viris doctis illius æui: ab omnibus cum eximia nota venerationis.

q de Scriptor. eccles.

r verbo, Infirmitas, 20.

s lib. 1. c. 19. par. 8. lib. 2. cap. 1. §. 19. & c. 30. par. 12.

---

1. *Ioachimus Abbas in Ieremiam scribens, 2. quædam prædicit de Doctore quodam subuertendo per inuidiam, 3. & vindicta sequenda in subuersores, 4. quæ comprobata prius ratione temporis, 5. ad ipsum, 6. & ad Familiam Cisterciensem Binarius trahit. 7. ast neque affectu, 8. nec iudicio ista probanda. 9. Explicatum ab ipso vaticinium Erythreæ Sibyllæ: 10. & dicatum Henrico, cuius morti adstitisse, ac multa in eo correxisse creditur. 11. Electio Lucæ in Abbatem Sambucinensem.*

CAPVT III.

EXPLANABAT hoc anno Ioachimus Abbas Ieremiam Prophetam, quod Opus inter alia illius, etiam nunc extat: & quihominis mos in sacra Pagina, præterita omnia, quantumuis sacratissima, ad præsentia trahere, prophetica illa verba sibi adaptans [1]: *Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Hæc, inquam, verba de Christo prophetata sibi approprians, confusè licèt, inuoluteque nonnulla scripsit; quibus & suæ doctrinæ

1 Ierem. 11.

doctrinæ damnationem post annos euenturam decem & octo, & Pontificem, à quo damnandus erat, & quibus instigantibus, prædixisse nonnullis visus est, prophetare intentior, quàm præcauere. Et quidem tempus ex verbis ipsius constat: quippe eiusdem Prophetæ cap. 14. quo illum explanabat, annum expressit: *Agitur enim, ait, nunc millesimus centesimo nonagesimusseptimus annus*, &c. Ista de tempore. Porrò, quæ Prophetiam contineant verba, in Operis discursu hæc inueniuntur [b].

[b] in eundem locum.

2. *Lignum scandali ponent, vt sacram doctrinam extinguant, & nomen Doctoris, cui reuelabitur sententia Danielis, euertant. Futurum est enim, vt Summus Pontifex veritatem insinuet, vt vnus moriatur, id est, damnetur Doctor pro populo, & non tota gens pereat in errore. Sic Sedechias contra Ieremiam insurgit, damnat librum scindit Trinitatem ab vnitate, & scalpello scriba sententiam Doctoris.* Et post pauca: *Designat Summum Pontificem post Cœlestinum futurum, quicunque sit ille, à quo, quia stella disparuit, spiritualis intelligentia extinguetur in dolo, & per inuidiam tradetur, & perimere cogitabit. Quod autem congregauerunt Pontifices Ecclesiarum, & Pharisæi consilium, totum ad illum Doctorem veritatis referendum est, quem sextus describit Angelus: imò sub quo in manu alterius Angeli liber demonstratur veritatis apertus.* Hactenus Ioachimus, quæ possint tali ad suæ prædictionem condemnationis.

3. Verùm quibus agentibus id factum, faciendúmve; & quæ tandem actores pœna manfura foret, non multò pòst prædixisse etiam videtur ad illa verba: *Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam; & dicunt: Non prophetabis in nomine Domini, & morieris in manibus nostris. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego visitabo super eos. Iuuenes morientur in gladio: filij eorum, & filiæ morientur in fame*, &c. Exponens, inquam, hæc verba subdit: *Sequitur ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam. A quibusdam Cisterciensibus egredietur iniquitas hæc, vt Doctor ille non prophetet in nomine Domini; & in eorum manibus, id est, operibus, & consiliis moriatur, id est, reprobetur. Sed, quid inde sequitur? Iuuenes eorum morientur gladio*, &c. *Iuuenes sunt Priores, filij Monachi, filiæ Monasteria, vel obedientiæ eorum. Primi in gladio Reipublicæ cadent. Secundi in fame doctrinæ catholicæ deficient. Reliquiæ, Potestates, scilicet, Ordinis in defectu regularis obseruantiæ. Inducam enim malum super viros Anathoth, scilicet, super Prælatos maiores Cisterciensium, annum visitationis eorum, scilicet, tribulationis immissæ.* Hactenus Abbas Ioachimus de se ipso, & de doctrinæ suæ de Trinitate (quam prædicebat damnandam) accusatoribus.

4. Annis decem & octo post hunc decursis, damnatus in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. libellus Ioachimi de Trinitate, quem in Magistrum sententiarum scripserat, idque agentibus Cisterciensibus Monachis, vt dicemus in tempore. Potrò hæc omnia, quæ re vera euenerunt, atque Cistercij occasum post longius tempus (qui vtinam non verus euasisset,) adeò clarè videtur prophetare prædictis verbis, vt nihil omisisse censendus sit, quo eam posset euentum depinxisse. Quippe & damnandus libellus à se scriptus, ibi: *Damnat librum.* & libelli materia, ibi: *Scindit Trinitatem ab vnitate.* & Pontifex, per quem damnandus erat, ibi: *Designat Summum Pontificem post Cœlestinum futurum, quicunque sit ille.* & tempus damnationis, nempe, post eius mortem, (nam Ioachim obiit quinquennio ante Concilium, vt suo loco dicemus.) ibi: *Quia stella disparuit, spiritualis intelligentia extinguetur.* & quibus agentibus, procurantibúsque damnandus foret, ibi: *A quibusdam Cisterciensibus egredietur iniquitas hæc.* & denique Cistercij tristis occasus in sequentibus verbis exprimuntur. Sed nos hæc eadem ex Francisco Biuario, qui verba verbis miscens, & interponens quam putat Prophetiam, apè declarat, proferamus in medium. Sic autem scribit [c]:

[c] in Apologet. pro Luceo dextro. §. 6. n. 11.

5. *Lignum scandali ponent, vt sanam doctrinam extinguant, & nomen Doctoris, cui reuelabitur sententia Danielis, euertant.* Is est Ioachimus ipse, qui abditissimas Danielis prophetias enodauit ad caput 12. Apocalypsis, & alibi. *Futurum est enim, vt Summus Pontifex veritatem insinuet, vt vnus damnetur, id est, moriatur Doctor pro populo, vt non tota gens pereat in errore. Sic Sedechias contra Ieremiam insurgit. Damnat librum.* (Quid clarius?) *Scindit Trinitatem ab vnitate*, (in titulum libri expressum, & *scalpello scriba sententiam Doctoris.* Alludit ad illud cap. 36. Ieremiæ: *Cúmque legisset Iudex tres pagellas, vel quatuor, scidit illud volumen scalpello scribæ.* Et post pauca: *Designat Summum Pontificem post Cœlestinum futurum, quicunque sit ille.* (norunt omnes Innocentium III. qui librum damnauit, Cœlestino successisse.) *A quo, quia Stella disparuit*, nimirum, quia Ioachimo mortuo, claritas sensus ipsius disparuit, *spiritualis intelligentia extinguetur in dolo: & per inuidiam tradetur, & perimere cogitabit. Quod autem congregauerunt Pontifices Ecclesiarum, & Pharisæi* (scilicet, Abbates, Priores, Religiosi Cisterciensis Ordinis) *Concilium*, forsitan generale, *totum ad illum Doctorem veritatis referendum est, quem sextus describit Angelus, imò sub quo in manu alterius Angeli liber demonstratur veritatis apertus.* Ita de primo.

6. De secundo autem, audi, quæ sequuntur: *A quibusdam Cisterciensium egredietur iniquitas hæc, vt Doctor ille non prophetet in nomine Domini, & in eorum manibus, id est, operibus, & consiliis moriatur; id est, reprobetur.* Ipsis siquidem agentibus in Concilio generali, damnatus est liber. Sed, quid inde sequitur? Vt verum vero consonet, prædicit lamentabilem casum Cisterciensis Ordinis, quem vtinam nostris oculis non viderimus. *Iuuenes eorum morientur gladio*, &c. *Iuuenes, sunt Priores; filij, Monachi; filiæ, Monasteria*, (quæ per filiationes distributa erant,) vel obedientiæ eorum. *Primi in gladio Reipublicæ cadent*, id est, in manus Commendatorum.) *Secundi in fame doctrinæ catholicæ deficient. Reliquiæ*, Potestates, scilicet, Ordinis, *in defectu regularis obseruantiæ. Inducam enim malum super viros Anathot, scilicet, super Prælatos maiores Cisterciensium, annum visitationis eorum, scilicet, tribulationis immissæ.* Ita Biuarius, qui tamen statim subdit prædictam ab eodem Ioachimo, non multò pòst, nimirum, ad caput 35. Ieremiæ, perpetuitatem eiusdem Religionis in aliquibus filiis. *Nam, cùm præmisisset, ait, quòd Ionadab, filius Recab, præcepit vinum non bibere filiis suis, nec domos construere, sed in tabernaculis habitare; ad Sanctum Bernardum sermo dirigitur, qui & Monachis suis prædicationem, & vagationem prohibuit, & eos simpliciter in Monasteriis subesse præcepit, ... Quod autem dicitur, non deesse de semine Ionadab, qui staret semper in conspectu Domini, videtur, quòd Cisterciensis Religio sit in finem vsque sæculi processura.*

Quo Ger prædicator primus ordinis prædicatorum & Congregatio Sancti Bernardi de Cisterciensis, quæ ut Regula Cisterciensis & anno Domini M.CCCC. XIV. subsistens ostia, quæ, Deo auctore, Sancti Patris Bernardi virtus, profluens Ordinis fundatoris fulmine. Deinde Cisterciensis Congregationis Judex, ac summus Pontificum Monachorum reformator quibus omnibus effectum est, ut cujusque Ecclesiæ de primo limine, sic mellifluus Bernardi defensio, qua fuit in conspectu Domini. Hactenus ex Bleso, in loc., pro Abbate Joachimo, Apologeta.

7. Ego sane, si Blesensi animum defensionis ecclesiasticorum nequissimum hoc nostro tempore longe pernitiosi, si quem, si unquam prædonum aut arbitrabor, videri mihi Joachimum, quo hac scribimus, habuerimus Patronum, quem contra opponere possemus in his litibus: & Joachimum non facile sustinerem, qui tam operi Dei, divinis multum. Verum hunc ego Prophetam, ut verum fatear, nec habere potuerim, neque affectu, ita diutius mihi potui persuadere. Et quidem de affectu facilis quidlibet, cum ut Joachimo Cisterciensi, sed delicato, ante eumdem ordinem a nupe Ordinis emeritum Cisterciensium patronum, neque omnes, sine gloria alumnorum, mutuique fœtus. Et qui tam graviter putat a Deo mentiri, ut verum esse possit, quod non negabo. At nullus nec commentus, nec hactenus, nec deinceps ausit, ut contra ordinem obtrudam. Non vacuum putes Sanctus Cisterciensis habuit, quam tempore Concilii Lateranensis sub Innocentio III. quod nunc videbimus. Annos ergo annos decepsos aliquanto, & quod prius est, mundo, ut vocatum Joachimum præferamus?

8. Jam, si judicio in his agendum est, verba Joachimi aut infpecta, aut reprobanda: quippe ut Auctoris ejus vitam, & mentis de cœtera mirabilia, ut ex ambigua. Et quæ non alius Propheta Spiritus asserunt, quam si homines, aut quærendum sentiunt, aut potentiam condemnant illam, si eorum prædictum aliquid etiam prædictum. Hanc, si mihi. Cetera, quæ ab Abbate Joachimo ad Innocentum ac Cardin. scribebantur, tibi apud omnes ambiguus, & de Dubiorum ventus. Et Scriptum dicere velit communiter, tum certus Deum. Et schedæ, mittens. Et Spiritum tuum mentis. Adde, quid condemnandus in Concilio per Sacerdotem Petri, ut dicis. Et qui mutuum valentia dicunt quod, quamvis referunt ad approbatos, qui accedere, & in pœnitentia. Facile tamen ad judicium tantum, si hæc eadem, aut scripta Augustini, aut similia sensisse non valuit. Verum qui fuit. Et multi veram sententiam aliquot, quæ per Ecclesiæ admisit arbitrat. Hæc, quæ illa sequentium infectus, aliquam nihil mihi hanc Prophetam. Et mutuo pro ut mihi Joachimus. Vos alias Sanctos, si nihil prædicte ficeat ex illis verbis, quam de præsentis Spiritu prophetico ordinales fit, quæ præcipue valuit, quod præsidere. Et ne non præsentis superbiæ. Hæc autem hanc omnia gravare ad Antiochus tractatum reprobantis a nobis, sine sequentia.

Sub idem tempus, cum Henricus Imperator ex Campania ad Siciliam transfretasset, audivit Venerabilem Abbatem comitem habuit, cum quo & multa consilia, inter quæ etiam petivit, & impetravit, ut Commentarium in Ecclesiasten Silvestris edere, quod ipse quoque Henrico dedicavit. De eodem Gaberi Vacant in eius Vita: *Scripsit librum quoque commentarium in Ecclesiasten, tempore Joachimum, compositionemque Apocalypsi, alia pariter omnia, &c. In Ecclesiasten cum Silvestris Henrico VI. Cæsari regnante M.C.XCVII. ab eodem, ut ejusmet fuere dedicatum.* 9.

Affuerunt vero eodem Principes, qui mentis in hunc eundem annum, in anno eli. eumdem ab eo ut meum multa concessit, quæ laudis vel omnibus, quandiu aliqua retinemus nunc illi gratissimum, quæ fuere adiecta: hic enim legi Lupum apud Regem [i]: *Eodem anno* [scilicet, M.C.XCVII.] *Henricus, Romanorum Imperator, habita reconciliatione cum viro suo S. M. quondam Siciliæ Regina, quæ erat, & multis Saracenis Barbaricibus Episcopis consecratis, & Comitibus suis de Burgundia ad Richardum Regem Angliæ, & duabus ei incomparabilem uxorem, quam ei in regno per vicecomitem suum, sine ei uxor, & corona, sine ei corona. Dum autem prædicta Saracena vir in the Legenda, prædictus Romanorum Imperator abiit in Siciliæ apud Messanam, in vigilia Sancti Michaelis.* Ita Regnum de nives, aut certum Henrici, bene imperii. Sed & de iis, quæ in hac relationem Romanæ Ecclesiæ celum mandant, sensusque, multa habet Baronius ad hunc annum, quæ non immerito lectorem posthac adiecta. 10.

Circa hoc idem tempus effectum est, ut Abbatia Sambucinæ vacaret, Lucas, Scriba Innocentii dictus, & quia, ut communis eligentium sententia, in eius loci Abbatem promoveretur, ut qui Monachum Gaeta Episcopus Fundanus, facta prius diligenti inquisitione, tum ut Eminentissimus Cardinalem dictum de Clarevalle, quamvis Lucas [k]: *Abbatem de Sambucina in Monasterio de Sambucina Cisterciensis, in Sabbato Lucæ primum, consentiente Fratribus, Lucam in Sambucina Abbatem promovit, ut eum Innocentius Papa fecerat.* Hactenus ille. Porro, quæ subjicit ad Lucam Innocentius, & quanti illum fecerit, ius facta nimis manifestum. Exstant & Lucæ ejusdem Innocentii ad Bernum Bernardum Sambucinæ Abbatem, quem eodem Lucæ intelligendo, quod anno M.C.C.XVII. primum in Episcopum, ut locum obtinuit. non potuit non Lucam intimari, qui anno M.C.C. Abbas Sambucinæ, in literis Pontificis, quas indem allegabimus. 11.

[i] Ita Cadomi Hugo Pagi III.

[k] apud Ianuarium Gaetanum Ord. Cist. Tom. III.

a Gaeta

1. *Graui fame grassante per Germaniam*, 2. *Heisterbacensium* 3. *sub Abbate nouo Geuardo*, 4. 7. *Hemmenrodensium sub Hermano*, 5. *atque aliorum ex Vvestphalia remunerata liberalitas.* 6. *Visio de Hermano*, 7. *& magni Cuiusdam ad Habitum admissio.* 8. *Beatus Carolus electus in Villario*, 9. *& sub eo incrementa eiusdem Domus*: 10. *constantia eius*, 11. *gratiáque*, 12. *qua apud omnes pollebat, etiam Principes.*

CAPVT IV.

1. HERMANVM, ex Priore Hemmenrodensi, primùm Heisterbacensem Abbatem, breui inde promotum, ac propriæ Domui in Pastorem restitutum, tradit Cæsarius in Dialogis his verbis [a]: *Factus vero Monachus in Hemmenrode, non multò post, cùm emitteretur Conuentus noster de eodem Claustro, primus eius Abbas efficitur, & post paucos annos per electionem ablatus, eidem* (Claustro) *in Abbatem promotus restituitur.* Licèt autem non constet annus certus, quo successit Eustachio, hoc tamen iam subrogatum ipsius loco, vlteriúsque pro Hermano in Heisterbaco Geuardum suffectum conuincunt, quæ ex eodem Authore dicturi sumus ingentia monumenta charitatis acceptæ Deo, remuneratæque, cùm fames per vniuersam Germaniam atrox hoc ipso anno debaccharetur. Refert Cæsarius vtriusque charitatem, atque vtriusque mercedem: & primùm de Geuardo totidem verbis [b]:

[a] lib. 5. c. 5.

[b] lib. 4. c. 65.

2. *Eo tempore, quo fames illa validissima, quæ anno Dominicæ Incarnationis M.C.XCVII. fuit, & plurimos extinxit, Domus nostra, i. et tunc temporis pauper fuerit, & nouella, multis subuenit, sicut dixerunt hi, qui numerum inopum ante portam considerauerunt: aliquando vna die mille quingentis eleemosyna data sunt. Dominus Geuardus tunc Abbas, singulis diebus ante messem, in quibus carnibus vti licebat, bouem vnum in tribus caldariis cum oleribus circunquaque collectis, coqui iussit; & cum pane per singulos pauperes diuisit. Simile factum est de omnibus aliis palmentariis: sicque per gratiam Dei omnes pauperes superuenientes vsque ad messem sustentati sunt. Et sicut audiui de ore iam dicti Geuardi Abbatis, cùm timeret, ne fortè annona pauperum ante tempus deficeret, & pistorem pro eo, quòd panes nimis magnos faceret, argueret, respondit ille: Credite mihi, Domine, in passa valdè parui sunt, & in fornace crescunt: parui imponuntur, & magni extrahuntur.* Hæc ex Gerardi Abbatis testimonio, vt scribit Cæsarius.

3. Verùm, cùm idem pistorem de his consuleret, appetens veri, & nihil, nisi certum, probatúmque posteris traditurus, non solùm incrementa panum certa cognouit; verùm etiam farinæ, quæ in ipsis saccis multiplicabatur, admirantibus cunctis, & se assequutos tempora Eliæi ingenti cum lætitia congratulantibus. Addita & merces large retributa, neque dilata, quæ nullum penitùs in toto illo tractu latere potuit: ingens allodium acceptum in eleemosynam, quod Domum aliàs tenuem locupletauit: nam audi, quod sequitur [c]: *Retulit mihi idem pistor, Frater scribit Conradus Rufus, qui adhuc viuit, quia non solùm panes in furnace, imò etiam farina creuerit in saccis, & in vasis ita vt pistores omnes mirarentur, necnon & pauperes, qui inde nutriebantur. Dicebant enim: Domine Deus, vnde venit omnis annona ista? Eodem anno dives Dominus charitatem seruorum suorum, etiam in hac vita per centuplum remunerat. Nam Magister Andreas Spirensis per pecunias, quas in Curia Frederici Imperatoris, necnon & in Gracia congregauerat, magnum allodium in Blitersdorp emit, & nobis in eleemosynam dedit. Vnde talis voluntas nisi a Deo?* Hactenus liberalitas Geuardi noui Abbatis in valle Sancti Petri, & larga Dei retributio vel in hac vita.

[c] ibid.

Nunc de Hermano translato ad Hemmenrodem simile aliquid, quin & de alia Domo in Vvestphalia, quæ idem Author affirmat, producamus [d]: *Eodem tempore Domus in Hemmenrode, Mater nostra, non minorem charitatem, imò tantò maiorem, quantò ditior fuit, pauperibus exhibuit. Tanta enim fames pauperes premebat, vt mulieres pregnantes ante portam in nemore pariendi tempora implerent. Christus verò non immemor promissi*: Date, & dabitur vobis. *quia largi erant in dando, largam illis misit eleemosynam. Gerardus enim Præpositus Sancti Simeonis, in Treueri moriens, circa ducentas libras argenti illis legauit, ex quibus centum ad portam in vsus pauperum sequestrauit. Portarius centum libras suas recipiens, non ex eis vineas, vel agros, sed totidem maldra siliginis apud Confluentiam comparauit, quibus satis sufficienter vsque ad messem, pauperes sustentauit.* Hæc in Hemmenrode. Aſt in domo Vvestphaliæ nil prorsus minùs [e]:

4. [d] lib. eodem, cap. 66.

[e] cap. 67.

5. *Retulit mihi Frater Godefridus de Vvolmunsteine, Monachus noster, post eadem cara tempora, Cellerarium quendam Ordinis nostri de Vvestphalia occurrisse sibi; quem cùm interrogasset, quò festinaret, respondit ille: Ad concambium ante messem, ob necessitatem pauperum, pecora nostra occidimus; calices, & libros nostros oppignorauimus: modò nobis misit Dominus hominem, qui nobis tantum auri dedit, vt eius quantitas in duplo erogatis responderet: vnde vado illud cambiare pro argento, vt ex eo pignora nostra possim redimere, & greges reparare.* Sic Sancti Viri, quæ à Deo acceperant, erogabant pauperibus. Sic Deus, quæ in pauperibus sumebat, larga per omnia manu remunerabat.

6. Cæterùm, quanti apud Deum meriti fuerit prædictus Hermanus, quámque ad nouam promotus dignitatem, noua incrementa charismatum sortitus, merita meritis, virtutibus virtutes, ac nouis donis antiqua superauerit; quæ Henrico Conuerso Viro Sancto, cuius suprà meminimus, visio, nec semel, de ipso facta est, facile demonstrabit. Eam, qui vtrunque nouit idem Cæsarius, & Henricum, nimirum, & Hermanum, totidem verbis refert in suis Dialogis [f]: *Dum Dominus Hermanus Abbas esset in Claustro, & in Solemnitatibus, interim dum Chorus, Te Deum laudamus, decantaret, circuiret ad Fratres commonendos, atque secundum consuetudinem in Chorum Conuersorum diuerteret, Henricus Conuersus, cuius memini in distinctione 5. cap. 5. vidit columbam candidam de Cruce, quæ erat super Altare Conuersorum, in verticem ipsius descendentem: vbi multùm quietè sedebat, donec circuitis vniuersis, de Choro exiret: tunc cuidam reuersa est super Crucem: hymno verò expleto, cùm inciperet lectionem euangelicam, eadem auis sacratissima volauit super quandam columnam analogio proximam, illic sedens, & exsultans, seruauit lectioni aurem diligentius adhibens: qua perfecta rursum rediit ad Crucem. Et testatus est idem Conuersus, sæpiùs in Festiuitatibus*

[f] lib. 8. c. 37.

Qua sanè prædictione prima omnium prophetata est Congregatio Sancti Bernardi de Obseruantia, quæ in Regnis Hispaniarum ab anno Domini M.CCCC. XXV. instituum cœpit, quæ, Deo auspice, Sancti Patris Bernardi meritis, pristinum Ordinis splendorem sustentat. Deinde Obseruantia Congregationis Italiæ, ac demum Fullensium Monachorum reformatio, quibus omnibus effectum est, vt nusquam hactenus de semine Ionadab, seu melliflui Bernardi defecerit, qui stet in conspectu Domini. Hactenus ex Biuario, in suo, pro Abbate Ioachimo, Apologetico.

7. Ego sanè, & Binario multùm defero, viro ecclesiasticarum antiquitatum hoc nostro sæculo longè peritissimo; & quem, si nimiùm præmatura mors non abstulisset, (obiit ante biennium, quo hæc scribimus,) haberemus Hispani, quem exteris opponere possemus in his studiis: & Ioachimum non facilè condemnem, qui sciam opera Dei, abyssum multam. Verùm hanc eius Prophetiam, vt verum fatear, nec iudicio probandam, neque affectu, hactenus mihi potui persuadere. Et quidem de affectu facilis quæstio; cùm vni Ioachimo Cisterciensi, sed desertori; certè eximenti collum à iugo Ordinis, vniuersum Cistercium posthabere; atque omnes, siue plures calumniosos, inuidósque fateri, & qui tam grauiter puniti à Deo meruerint, vt verum esse possit, quod non negabo. At nostris nec conueniens, nec honorificum; nec demum tale, vt rapiat nostrum affectum. Non vnquam plures Sanctos Cistercium habuit, quàm tempore Concilij Lateranensis sub Innocentio III. quod tunc videbimus. Anne ergo omnes deceptos eligamus, &, quod peius est, inuidos, vt vnicum Ioachimum præferuemus?

8. Iam, si iudicio in his agendum est, verba Ioachimi aut suspecta, aut reprobanda: quippe de Authore ipso vana, & tumida; de cæteris mordacia; de re, ambigua: & quæ non aliter Prophetiæ Spiritum arguant, quàm si hominis, aut ignorantiam accusent, aut proteruiam condemnent: illam, si errorem præcauere nesciuit etiam præuentus; hanc, si noluit. Certè, quæ ab Ieremia Propheta ad litteram de Christo prædicta sunt, sibi appropriare arrogans, & se Doctorem veritatis, & Stellam dicere velut antonomasticè, cùm cæteros spernat, & dehonestet, insolens, & superbum nimis apparet. Adde, quòd condemnandus in Concilio per Successorem Petri, in dolo, & per inuidiam tradendus dicitur: quod, quanuis referatur ad deponentes, qui decipere, & decipi potuêre; facilè tamen ad Iudicem transibit, si hæc eadem, aut occulta detegere, aut detecta retundere non valuit. Velut qui soli, & nudæ veritati decisionem adaptet, quæ pro symbolo fidei admitti debeat. Hæc, atque alia nequaquam inferiora, dubiam mihi reddunt hanc Prophetiam: & mitiùs puto agi cum Ioachimo, Viro aliàs Sancto, si nihil prædixisse dicatur in illis verbis, quàm si, præuentus Spiritu prophetico, credendus sit, nec præcauisse malum, quod præuiderat, & de non præcauendo superbiisse. Haud tamen licuit omninò præterire ab Authoribus tradita, seu reprobanda à nobis, siue sequenda.

Sub idem tempus, cùm Henricus Imperator ex Campania ad Siciliam transfretaret, eundem Venerabilem Abbatem obuium habuit, cum quo & multa contulit, inter quæ etiam periuit, & impetrauit, vt Commentarium in Erythræam Sibyllam ederet, quod ipsi quoque Henrico dedicauit. De eo hæc Gabriel Varrus in eius Vita: *Scripsit libros quinque concordiæ vtriusque Testamenti,* (nempe, Ioachimus,) *expositionémque Apocalypsis cùm partitam titulis*, &c. *In Erythræam item Sibyllam Henrici VI. Cæsaris rogatu, anno M.C.XCVII. ad eundem, vt ipsemet super Ieremiam refert.* 9.

Affuerítne morti eiusdem Principis, quæ incidit in hunc eundem annum, in dubio est: certum ab eo in morte multa correcta, quæ sanctis viri consiliis, quandiu alium nescimus, tunc illi proximiorem, possunt adscribi: sic enim lego scriptum apud Rogerium [d]: *Eodem anno* (scilicet, M.C.XCVII.) *Henricus, Romanorum Imperator, facta reconciliatione cum vxore sua, & Magnatibus Siciliæ, incepit agrotare, & misit Saxarium Bathonensem Episcopum consanguineum, & Cancellarium suum de Burgundia, ad Richardum Regem Anglia, & obtulit ei recompensationem pecuniæ, quam de eo ceperat pro redemptione sua, siue in auro, & argento, siue in terris. Dum autem prædictus Saxarius iret in ista Legatione, prædictus Romanorum Imperator obiit in Sicilia apud Messanam, in vigilia Sancti Michaëlis.* Ita Rogerius de rebus, ante mortem Henrici, benè dispositis. Sed & de his, quæ in suo testamento Romanæ Ecclesiæ restitui mandauit, seruatísque, multa habet Baronius ad hunc annum, quæ non immeritò Ioachimo possint adscribi. 10.

[d] *sub Cælestino Papa III.*

Circa hoc idem tempus effectum est, vt, Abbatia Sambuzinæ vacante, Lucas, scriba Ioachimi doctus, & pius, de communi eligentium consensu, in eius loci Abbatem promoueretur, de quo Matthæus Guerra, Episcopus Fundanus, facta priùs diligenti inquisitione, hæc ad Eminentissimum Gardinalem dictum de Claravalle, proximo sæculo [e]: *Aliquando Ioachim in Monasterio de Sambuzina se continens, in spectata Luca probitate, annuentibus Fratribus, Lucam in Sambuzinæ Abbatem promouit, ad quem Innocentius Papa scribit.* Hactenus ille. Porrò, quæ scripserit ad Lucam Innocentius, & quanti illum fecerit, suis locis inferiùs memorabimus. Extant & Litteræ eiusdem Innocentij ad Beatum Bernardum Sambucinæ Abbatem; quem tamen Lucæ successisse, inde coniector, quòd anno M.C.C.XII. promotus in Episcopum, vt ibidem ostendam, non potuit non post Lucam sublimari, qui anno M.C.C. Abbas Sambucinæ, in litteris Pontificiis, quas ibidem ostendam, memoratur. 11.

[e] *apud Ianuensem Gracum dist. 47.*

1. *Graui fame grassante per Germaniam*, 2. *Heisterbacensium* 3. *sub Abbate nouo Geuardo*, 4. 7. *Hemmenrodensium sub Hermano*, 5. *atque aliorum ex Vvestphalia remunerata liberalitas.* 6. *Visio de Hermano*, 7. *& magni Cononis ad Habitum admissio.* 8. *Beatus Carolus electus in Villario*, 9. *& sub eo incrementa eiusdem Domus :* 10. *constantia eius*, 11. *gratiáque*, 12. *qua apud omnes pollebat, etiam Principes.*

CAPVT IV.

1. HERMANVM, ex Priore Hemmenrodensi, primùm Heisterbacensem Abbatem, breui inde promotum, ac propriæ Domui in Pastorem restitutum, tradit Cæsarius in Dialogis his verbis [a]: *Factus verò Monachus in Hemmenrode, non multò pòst, cùm emitteretur Conuentus noster de eodem Claustro, primus eius Abbas efficitur, & post paucos annos per electionem ablatus, eidem* (Clausto) *in Abbatem promotus restituitur.* Licèt autem non constet annus certus, quo successit Eustachio; hoc tamen iam subrogatum ipsius loco, vlteriúsque pro Hermano in Heisterbaco Geuardum suffectum conuincunt, quæ ex eodem Authore dicturi sumus ingentia monumenta charitatis acceptæ Deo, remuneratæque, cùm fames per vniuersam Germaniam atrox hoc ipso anno debaccharetur. Refert Cæsarius vtriusque charitatem, atque vtriusque mercedem: & primùm de Geuardo totidem verbis [b]:

a lib. 5. c. 5.

2. *Eo tempore, quo fames illa validissima, quæ anno Dominicæ Incarnationis M.C.XCVII. fuit, & plurimos extinxit, Domus nostra, licet tunc temporis pauper fuerit, & nouella, multis subuenit, sicut dixerunt hi, qui numerum inopum ante portam considerauerunt: aliquando vna die mille quingentis eleemosyna data sunt. Dominus Geuardus tunc Abbas, singulis diebus ante messem, in quibus carnibus vti licebat, bouem vnum in tribus caldariis cum oleribus circunquaque collectis, coqui iussit; & cum pane per singulos pauperes diuisit. Simile factum est de omnibus aliis palmentariis: sicque per gratiam Dei omnes pauperes superuenientes vsque ad messem sustentati sunt. Et sicut audiui de ore iam dicti Geuardi Abbatis, cùm timeret, ne forte annona pauperum ante tempus deficeret, & pistorem pro eo, quod panes nimis magnos faceret, argueret, respondit ille: Credite mihi, Domine, in passa valdè parui sunt, & in fornace crescunt: parui immittuntur, & magni extrahuntur.* Hæc ex Gerardi Abbatis testimonio, vt scribit Cæsarius.

b lib. 4. c. 65.

3. Verùm, cùm idem pistorem de his consuleret, appetens veri, & nihil, nisi certum, probatúmque posteris traditurus, non solùm incrementa panum certa cognouit; verùm etiam farinæ, quæ in ipsis saccis multiplicabatur, admirantibus cunctis, & se assequutos tempora Eliséi ingenti cum lætitia congratulantibus. Addita & merces largè retributa, neque dilata; quæ nullum penitùs in toto illo tractu latere potuit: ingens allodium acceptum in eleemosynam, quod Domum alias tenuem locupletauit: nam audi, quod sequitur [c]: *Retulit mihi idem pistor, Frater scribit Conradus Rufus, qui adhuc viuit, quia non solùm panes in fornace, imò etiam farina creuerit in saccis, & in vasis ita vt pistores omnes mirarentur; necnon & pauperes, qui inde nutriebantur. Dicebant enim: Domine Deus, vnde venit omnis annona ista? Eodem anno dines Dominus charitatem seruorum suorum, etiam in hac vita per centuplum remunerat. Nam Magister Andreas Spirensis per peruias, quas in Curia Frederici Imperatoris, necnon & in Gracia congregauerat, magnum allodium in Blitirsdorp emit, & nobis in eleemosynam dedit. Vnde talis voluntas nisi a Deo?* Hactenus liberalitas Gerardi noui Abbatis in valle Sancti Petri, & larga Dei retributio vel in hac vita.

c ibid.

4. Nunc de Hermano translato ad Hemmenrodem simile aliquid, quin & de alia Domo in Vvestphalia, quæ idem Author affirmat, producamus [d]: *Eodem tempore Domus in Hemmenrode, Mater nostra, non minorem charitatem, imò tantò maiorem, quantò ditior fuit, pauperibus exhibuit. Tanta enim fames pauperes premebat, vt mulieres pregnantes ante portam in memore pariendi tempora implerent. Christus verò non immemor promissi:* Date, & dabitur vobis. *quia largi erant in dando, largam illis misit eleemosynam. Gerardus enim Præpositus Sancti Simeonis, in Treueri moriens, circa ducentas libras argenti illis legauit, ex quibus centum ad portam in vsus pauperum sequestrauit. Portarius centum libras suas recipiens, non ex eis vineas, vel agros, sed totidem maldra siliginis apud Confluentiam comparauit, quibus satis sufficienter vsque ad messem, pauperes sustentauit.* Hæc in Hemmenrode. Ast in domo Vvestphaliæ nil prorsus minùs [e]:

d lib. eodem, cap. 66.

e cap. 67.

5. *Retulit mihi Frater Godeschalus de Vvolmunsteinc, Monachus noster, post eadem cæra tempora, Cellerarium quendam Ordinis nostri de Vvestphalia occurrisse sibi; quem cùm interrogasset, quò festinaret, respondit ille: Ad concambium ante messem, ob necessitatem pauperum, pecora nostra occidimus; calices, & libros nostros oppignorauimus: modò nobis misit Dominus hominem, qui nobis tantum auri dedit, vt eius quantitas in duplo erogatis responderet: vnde vado illud cambiare pro argento, vt ex eo pignora nostra possim redimere, & greges reparare.* Sic Sancti Viri, quæ à Deo acceperant, erogabant pauperibus. Sic Deus, quæ in pauperibus sumebat, larga per omnia manu remunerabat.

6. Cæterùm, quanti apud Deum meriti fuerit prædictus Hermanus, quámque ad nouam promotus dignitatem, noua incrementa charissimarum sortitus, merita meritis, virtutibus virtutes, ac nouis donis antiqua superauerit; quæ Henrico Conuerso Viro Sancto, cuius suprà meminimus, visio, nec semel, de ipso facta est, facilè demonstrabit. Eam, qui vtrunque nouit idem Cæsarius, & Henricum, nimirum, & Hermanum, totidem verbis refert in suis Dialogis [f]: *Dum Dominus Hermanus Abbas esset in Claustro, & in Solemnitatibus, interim dum Chorus*, Te Deum laudamus, *decantaret, circuiret ad Fratres commonendos, atque secundum consuetudinem in Chorum Conuersorum diuerteret, Henricus Conuersus, cuius memini in distinctione 5. cap. 5. vidit columbam candidam de Cruce, quæ erat super Altare Conuersorum, in vericem ipsius descendentem: vbi multùm quietè sedebat, donec circuitis vniuersis, de Choro exiret: tunc cuculam reuersa est super Crucem: hymno verò expleto, cùm inciperet lectionem euangelicam, eadem auis sacratissima volauit super quandam columnam analogio proximam, illic sedens, & auscultans, sacræque lectioni aurem diligentius adhibens: qua perfecta rursum rediit ad Crucem. Et testatus est idem Conuersus, sæpiùs in Festiuitatibus*

f lib. 8. c. 37.

se eandem visionem vidisse. Quoties, inquit, Chorum Conversorum intrauit, & coram Altari profunde, vt ei moris est, inclinauit, mox columba predicta Crucem deferens, capiti eius insedit: in quo statim tantùm creauit strepitum percussione alarum, tantum splendorem nitore alarum, vt ab omnibus potuisset audiri, & ab vniuersis videri, si illis datum fuisset audire, vel videre. Ita Cæsarius.

7. Eisdem temporibus, quantùm ex serie earundem Historiarum elici potest, Hemmenrodense Cœnobium illustrauit *Cuno magnus*, (nam verba Cæsarij sumo §,) *Dominus Castri de Malburg, vir potens, & dives in sæculo, tam valens in militia, ne dicam in malitia, quam vigens in prudentia seculari. Ante finem vitæ in sapè fato Claustro Habitum suscepit regularem: & quia temporis longinquitate non poterat, morum probitate dies suos dimidiare satagebat; vbi adeò profecit, quòd consummatus in breui, expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Vnde & qui vocauerat eum ad suum seruitium, non solùm præstitit ei veniam delictorum; sed & in tali ordine præcognitum ei fecit finem suum.* Ita de conuersione Viri illustris. De morte eius, quæ triennio elapso contigit, & his, quæ ante, & post ipsam contigerunt, miranda satis, & digna, quæ inserantur nostris Annalibus.

§ lib. 11. c. 17.

8. Dum hæc in Heisterbacho, & Hemmenrode salutaria, & glorioſa peragebantur, decessit in Villario Guillelmus Abbas, Vir planè pius, & qui non solùm desiderium sui, sed suorum reliquerit, id est, Hemmenrodensium, Heisterbacensiumque, ex quibus ipse Ecclesiis assumptus fuerat. Quippe pro ipso subrogatus Carolus est, qui & ipse ex Hemmenrode cum Guillelmo Heisterbachum transmissus fuerat. Porrò de Carolo à nobis multa superiùs: de eius electione in Villariensem Præsulem, quæ in hunc annum, incidit; & qualiter electus recusauit, quoadvsque per Capitulum generale compelleretur, hæc habet Chronicon Abbatum Villariensium [h]: *Hic igitur* (id est, Carolus) *anno Domini M. C. XCVII. ad abbatialem Dignitatis apicem electus est; quod vt audiuit, non se obtulit requisitus; sed aufugit, timens ex hac promotione animæ suæ periculum imminere. Aufugit igitur, & latuit, quandiu potuit, quousque per Capitulum generale omnes oblatum, compulsus est suscipere.* Hæc ibi, quæ eadem in Vita eius paulò diffusiùs [i]: *Beatus itaque Carolus audiens se electum in Villariensem Abbatem, non se obtulit requisitus; sed aufugit, timens ex hac promotione animæ suæ periculum imminere: asserens, quòd non ad libertates, aut dignitates accipiendas ad Ordinem venerat; sed potius ad deflendum peccata sua, & quòd iniquitates tantas in sæculo habuerat. Aufugit itaque, & latuit, quandiu potuit, quoadvsque pòst in Capitulo generali, per sententiam omnium Abbatum, compulsus est Dignitatem admittere.* Hæc de electione, quam inuitus acceptauit.

h apud Henric. lib. 1. Fascic. dist. 4. cap. 30.

i apud eund. lib. 1. dist. 24. cap. 4.

9. Cæterùm, quantùm sub eo Domus profecerit, eadem Acta subiungunt verbis sequentibus [k]: *Venit itaque Villarium, non solùm Villariensibus, sed etiam toti terræ acceptus, & secundùm datam sibi sapientiam profectui Domus sibi commissæ intendit in temporalibus, & spiritualibus. Non inuenit, nisi Domunculas stramineas, & quasi stabula Pastorum; & in breui ædificauit duo Dormitoria lapidea Monachis, & Conuersis, & quasdam alias officinas. Auxit insuper Conuentum Monachis, & Conuersis, grangias, ædificiis, & terris ampliauit. Scivit se coaptare omnibus, & conformare, & propter hoc nobiles, & ignobiles de vana sæculi conuersatione extraxit, & Dei gratia in Claustrum induxit Villariense, Beatum Conradum, postea Cardinalem Episcopum Portuensem, & alios quamplurimos.* Ita in Actis Abbatum Villariensium de Viro Sancto.

k ibidem.

Thomas Cantipratanus, & ipse Belga, nec multò post hæc tempora scribens, incrementa Villarij, magnanimitati vnius Abbatis tribuit, quem Carolum ex circumstantiis fuisse coniector, producto facto, quod non licet silentio præterire [l]: *Maxima, ait, summa pecunia librarum fere mille sexcentarum, mortuo quodam vsurario in Namurco, in dictum Monasterium est delata; ex qua cum multa possessiones empta essent, quidam vir artæ conscientiæ Monasterij Abbas est electus. Quod vbi comperit factum, condoluit, & venditis omnibus, atque pecudibus, rebúsque mobilibus, pecuniam in Namurcum remisit, vt spoliatis singulis redderetur. Nemine autem assumere volente restitutionis negotia, pecunia iterum ad Monasterium est delata. Pius ergo Abbas repertantibus indignatus, iussit eam iteratò referri, & in foro coram ciuibus, & omni plebe deponi, dicens: Pecuniam, qui velit, accipiat, nostram esse renuo, quam iniustè acquisitam non dubito. Quod vbi viderunt ciues, ædificati non modicùm in hoc facto, communi consilio per manus fidelium virorum, pecuniam suam iniuriatis singulis reddiderunt. Monasterio autem Deus non multò pòst in decuplo plura restituit, & quod ante tenuissimum, & fere mendicum fuisse probatur, modo elegans, & multis copiis opulentum videmus, & ampliatum.* Hactenus Thomas Abbatem non declarans. Cæterùm, hunc eundem Carolum fuisse produnt indicia Cœnobij Villariensis, quod neque ante ipsum amplum fuit, neque tenuissimum post ipsum dici potuit.

l lib. 2. c. 26. p. 5.

10.

De hoc Beato Viro, inter alia, Cæsarius narrat [m], quòd, *dum quadam Matrona nobilis, cum quodam Abbate Ordinis nostri, sub typo confessionis, de secretis conscientiæ suæ loqueretur, dixit, se in eius amore graviter succensam. Ille, sicut Sacerdos iustus, ac timens Deum, cor suum signauit, & male ad se conuersam, verbis, quibus potuit, auertit, dicens, se Monachum esse, senem pannosum, ac neglectum: & sicut ipse dixit cuidam Monacho, qui mihi recitauit, fœmina eadem tam clara fuit, & tam potens, vt si essem, inquit, in sæculo, sicut aliquando fui, nunquam illi de tali re, nec in minimo verbo facere auderem mentionem.* Et post pauca: *Fuerat autem idem Abbas ante conuersionem, miles in armis strenuus, pulcher, satisque nominatus. Et si vis scire, ipse erat Dominus Abbas Carolus Villariensis.* Hactenus ille. Itaque Author Chronici industriam, humilitati nixam; Thomas Cantipratanus, magnificentiam, atque contemptum rerum temporalium; Cæsarius continentiam, constantiámque; virtutes imperio dignum facientes, inter nostros præcipuè testificantur.

m lib. 3. c. 41.

11.

Cæterùm, quæ extruxit ædificia, quas possessiones auxit, non aliis artibus, quàm gratia data cœlitùs, & qua apud omnes pollebat authoritate, ex eisdemmet Actis videre licet. Proferam in exemplum vnum ex multis [n]: *Descendebat Vir Dei de monte iuxta nauiculam, recognouitque Cellerarius quendam nobilem à remotis, cum veste humili eis occurrentem. Abbas autem quam citò hoc audiuit, de equo descendit, & venienti pedes obuiam iuit, humiliter eum salutans, & missis verbis verba consolatoria, dixit illi: Domine, pedes itis: nec tamen decet honestatem vestram: accipite equum, quem hic habemus: & videte, si aliàs vobis subuenire possimus, & faciemus. Nobilis autem ille confortatus verbis amicabilibus Abbatis, eiúsque liberalitate commotus, quidquid in Mundo possidebat, & hereditariè sibi prouenerat, in manus Beati Caroli sponte resignauit, & Ecclesiam Villariensem hæredem omnium bonorum suorum ordinauit. Vnde & suos bodie*

n in Fascic. lib. 2. c. 5.

12.

bodie Grangiæ de Granxint, et de Vverde in allodiis eius sunt locatæ. Pergunt Acta de aliis possessionibus acquisitis villario à Beato Vito, quæ longum esset in præsenti recensere.

13. Verùm, qua gratia polleret apud Principes, (quantumuis eis, vbi à recto deuiabant, nunquam acquiescerét,) pergunt eadem Acta ita scribere [a]: *Singularem autem gratiam Dominus ei dederat, quòd à maximis, & paruis, à Principibus terræ, ac eis assistentibus, singulari, & speciali amplexaretur affectu; & in magnis eorum consiliis acceptissimus erat, cùm nunquam eis interesse vellet, vbi contra Deum, & sacræ Religionis honestatem ageretur, &c.* Hæc de Carolo in initio Præfecturæ, quam humiliter renuit, congerenda putauimus, quibus virum vtcunque velut describerem: plura infrà daturi, Deo dante, cùm Abbatiam tandem deposuisse, atque ad suam Hemmenroden reuersum tradiderimus.

[a] in Monolog. Iann. 29.

---

1. *Petrus Atrebatensis Monasterio Henniacensi* 2. *prouide consulit.* 3. *Guillelmus Elicnsis in Monasterio de Pynu sepelitur.* 4. *Dedicatum Bochetum*; 5. *& in Synodo prouisum de Nouitus.* 6 *De Monte Sanctæ Mariæ Bisuntinensis, & de Aqua formosa.* 7. *Arnesburch, atque alius Mons S. Mariæ.* 8. *Consecratum Cœnobium Arnesburchense*, 9. *admirando fauore S. Mariæ Virginis.*

CAPVT V.

1. EODEM tempore, (ait Ferreolus Locrius, ad hunc annum,) cùm in Henniacensi Monasterio Mulierum conuersarum, vt vocant, numerus excresceret, quæ sunui Religionis, ibi tunc admodum florentis, odore illectæ, agminatim confluebant, vt tanto numero repagulum obiiceret Petrus, Atrebatium Episcopus, ne earum causa res Monasterij attritæ, retrò lapsæ ferrentur, eiusmodi diploma, Balduini Abbatis rogatu, conscripsit:

2. PETRVS, DIVINA PATIENTIA, ATREBATENSIS ECCLESIÆ MINISTER HVMILIS, OMNIBVS, QVIBVS ISTAS LITTERAS VIDERE CONTIGERIT, ÆTERNAM IN DOMINO SALVTEM.

Noueris Vniuersitas vestra, quòd dilecti nobis in Christo Balduinus Abbas, atque totus Conuentus DE HENNIN, propter grauamina eiusdem Domus, vnanimi consilio, atque consensu statuerunt, vt deinceps nullam mulierem recipiant in Sororem, donec numerus earum, quæ modò ibi sunt, conuersarum, ad senarium numerum sit redactus. Præterea, cùm ad senarium numerum peruentum fuerit, nullam recipere poterunt, nisi aliquam illarum sex decedere fortè contigerit: & ea, quæ recipietur, loco illius succederet, talis, vnde euidens vtilitas Ecclesiæ prouenerit. Verumtamen tres nobiles mulieres decreuerunt, excipiendas DE HENNIN, de Montiniaco, de Burcello Dominas, quas sine damno Domus suæ, & periculo non possent repellere, si ipsæ fortè, vel aliqua illarum Religionis Habitum, in eadem Domo ducerent assumendum. Constitutionem autem prædictam se firmiter obseruaturos, prænominatus Abbas, atque Conuentus vnanimiter concesserunt, sub interminatione anathematis districtius inhibentes, ne quis deinceps Constitutionem præsumat transgredi suprà dictam. Nos etiam ad petitionem ipsorum, Constitutionem ipsam approbauimus, & in scriptum redactam, sigilli nostri testimonio duximus confirmandam. Datum anno Incarnationis Dominj, CIↃ.C.XCVII. Hactenus Diploma Petri Episcopi, quod illius commendans prouidentiam, non potuit hos Annales pertransire.

3. *Hoc ipso anno* (vterque Matthæus tradit eisdem ferè verbis, Vvest, & Paris) *Guillelmus, Episcopus Elicnsis, missus ad Curiam Romanam, obitus diem clausit extremum versùs eandem Curiam, & sepultus est in Abbatia de Pinu, Ordinis Cisterciensis III. Kal. Februarij.* Ita vterque. Hic ille Vvillielmus, Elicnsis Episcopus, atque totius Angliæ Cancellarius, quem Rex Richardus in Syriam profecturus, & Cœlestinus Papa, ille procuratione, & administratione Regni, hic Legatia apostolica honorauerant, quémque aduersùs multorum criminationes, iure, an iniuria, dubium, ambo defenderant. De quo variè Authores, siue pro hominis vitiis, & virtutibus, nam vtrunque coniunxit, in quantum potuit; siue pro varia scribentium affectione.

Dedicatum hoc anno Bochetum lego, in Diœcesi Claromontensi, per Robertum Episcopum, filium Fundatoris eiusdem Domus: de qua dedicatione, Domóque hæc habet Robertus Claudius in sua Gallia: *Bochetum Ordinis Cisterciensis Diœcesis Claromontensis, fundatum a Roberto Comite Arnedeid, & dedicatum à Roberto eius filio Episcopo 61. M. C. XCVII. vbi iacet Guido Cardinalis Bononiensis.* Hæc tantùm ille: quæ nobis nec omittere, sed neque pluribus licuit illustrare. 4.

In Synodo relatum de Nouitiis, qui ex propriis Abbatis absentia, seu defectu, in aliam Domum mittebantur benedicendi; statutúmque, *Vt Nouitij, qui in alia Domo benedicuntur, per formam Ordinis communem profitebitur; & cùm ad proprias Domos redierint, proprio Abbati debitam faciant professionem, nisi ab ipso fuerint benedicti.* De hac benedictione Nouitiorum inferiùs quædam. Nunc addo, adeò necessariam visam illis temporibus, vt inter Cluniacenses, quibus Priores frequentiores erant, Cluniacum vsque mitterentur benedicendi, edito de hoc statuto [b], ne vltra secundum, aut tertium ad summum annum differri possent. Quin, quod mireris, Petrus Venerabilis, de Matthæo Cardinali Albanensi loquens, dicere non cunctetur, aliquid ei defuisse de professione, post vota etiam emissa, quandiu non habuit Abbatis benedictionem [c]. *Regula*, inquit, *monastica subditur: corpori Monachi, quantum tunc fieri potuit, vel debuit, assimilatur. Paruo temporis spatio emenso Cluniacum venit; quòd ei de professione scripta, vel de Monachi vsitata benedictione defuerat, a Cluniacensi Abbate, eo ibi benedicto, suppletur: & iam integer corde, ore, habitu, ac vita Monachus, sibi iam pene de Monacho nihil deesse, in Domino gloriatur.* In hac eadem Synodo, quæ hactenus permixtæ, confusæque Capituli functiones, distributæ per dies reperiuntur: decretúmque deinceps obseruandum, quid primæ illius die per annos singulos, quid secunda, & tertia, & tandem quid in quarta esset agendum. Extat decretum in Bibliotheca Paterienti inter alia, quæ anonymus antiquus Sanctæ Fidis laudose collegit, atque Alphabetum continuauit. 5.

[b] *statuto* 38. *Petri Mauric.*

[c] *lib* 1. *mirac. cap.* 7.

6. Superaddita hoc anno quinque Cœnobia, quæ in Chronologia notantur sequenti ordine:

Anno M. C. XCVII. septimo Kal. Februarij, fundata est Abbatia Sanctæ Mariæ de Monte Bisuntinensis.

Eodem anno, Abbatia de Ponte.

Eodem anno, Abbatia de Aquaformosa.

Eodem anno, Abbatia in Arnesburc.

Eodem anno, tertio Nonas May, Abbatia de Monte Sanctæ Mariæ in Hungaria.

Montem Sanctæ Mariæ Bisuntinensis, Robertus Claudius in sua Gallia memorat; nulla tamen maiori notitia loci. In Tabulis Ecclesiarum Clarævallensium, filia Clarævallis post Collem victoriæ recensetur. Quin & in libris Cameræ apostolicæ CC.L. florenorum taxam præfixam habet. Fundatam Domum, ait Iongelinus, in radice montis Iura, non procul à Nozeratho oppido gentis Natlâniæ. Primum loci Abbatem Henricum ferunt, posteà Magnæ Troïæ Episcopum, quem anno M.CC.XXXII. ex hac vita migrasse, tradit Albericus Monachus Trium Fontium in suo Chronologico. Atque hunc putant sepulrum in Clarauallе ante altare S. Trinitatis, vt suo loco, Deo dante, dicemus. De Ponte nihil prorsùs, quod dicam, habeo: nam, etsi multas Domos sub Pontis nomine: at nulla sine addito, & singulæ concernunt diuersos annos. Aquam formosam Filiam Sambuccinæ in Calabria, Diœcesis Casanensis, continent Tabulæ Ecclesiarum Clarævallensium, quæ si hoc anno prodiit, Lucam (Ioachimi Scribam) Parentem habuit. Notatur & in libris Cameræ apostolicæ modica trium, & triginta florenorum taxa subscripta. Lego & in Claudio Roberto Aquam formosam in Gallia Castrensis Diœcesis; sed cuius nulla alia maior notitia subest. Demùm tertiam Castrensis item Diœcesis, sed in Italia, in districtu Vrbis (quæ vrbs Ducatus est gentis Farnesiæ) in libris Cameræ eadem, qua prior, taxa.

7. Arnesburch, Moguntinensis Diœcesis, de linea Morimundi extat in Tabulis Ecclesiarum eiusdem Domus. Est autem nobis notius Monasterium duplici titulo. Altero ex litteris Gregorij Papæ IX. ad Abbatem illius, quas in tempore dabimus: altero ex admiranda visione cuidam Monacho ostensa sub his initiis: quippe a Cæsario Heisterbacensi memoriæ prodita, quam, quia certus illius annus non constat, & aliàs certum est non diu dilatam, ad calcem huius capitis subiungam. Hic tamen noto, diuersum hoc Cœnobium ab alio eiusdem nominis, Præmonstratensis Ordinis, cuius idem Cæsarius etiam meminit [d]. Sunt, qui Arnesburgum Eberbaci Filiam faciant, adeóque augentem lineam Clarævallis, fundatam in prouincia Vvedarauiæ, quinto circiter lapide à Francofurto: habuisse verò Fundatores Solmenses Comites, qui in eo Cœnobio sepulti iacent. Montem Sanctæ Mariæ in Hungaria, hoc ipso anno, Aubertus Miræus memorat: quæ porrò Domus in Genesi Ecclesiarum Morimundensium, inter Filias Sanctæ Crucis commemoratur. Cœpit & hoc anno Monasterium de Bodeloo per Venerabilem Balduinum de Bocla, virum sanctissimum: sed nondum nobis venit memorandum, quoadvsque susciperat Cistercij leges. Nunc glorioſam visionem in Arnesburg, cuidam Monacho Factam, ex his, qui eius primordia consecrarunt, coæui Authoris verbis, hoc est, Cæsarij nostri, referamus:

[d] *lib. 11. cap. 27.*

[c] *lib. 7. c. 11.* 8.

In Arnesburgh, Domo Ordinis nostri, fuit quidam Frater deuotissimus erga Beatam Virginem, Dei Genitricem, Mariam. Hic dum aliquantùm temporis in eius Domo seruitium peregisset, æstu cordis incredibili cœpit anxiari, aliquam sibi specialem visitationem à Matre Misericordiæ cupiens impartiri. Igitur intempestiè quadam noctis hora, dum in stratu se ad requiescendum collocasset, oculis somnum non capientibus, toto cordis affectu fiducialiter inuitare cœpit Beatam Virginem, vt de alta sede polorum descenderet ad se inuisendum. Tunc repentè è lecto prosilit, & pomarium quoddam Dormitorio contiguum ingreditur, in quo aliquantùm resedit, oculis cordis, & corporis sursùm erectis. Tum ecce Virgo pulcherrima ingreditur, his eum verbis alloquens: Nunquid non desideratis audire cantum meum? Quo respondente: Desidero. tam dulciter modulata est, vt vix aures humanæ sufferre possent. Melodia autem illa terminata, inclinauit se Virgo, & abiit. Et post pusillum, vidit aliam Virginem, ingredientem ad instar prioris, nimio fulgore micantem, quæ etiam dulce melos cecinit, & recessit. Quas intellexit fuisse Beatas Catharinam, & Agnetem. Et post paruum interuallum, ecce gloriosissima Mater Misericordiæ, Maria, per semetipsam visitare dignata est deuotum sibi famulum, quæ etiam omnes sibi in veritate seruientes, neque hic, neque in futuro, sua gratia destituet.

9. *Venit ergo circumdata agminibus Angelorum, omnem tetræ noctis horrorem, vultus claritate, ac splendore lampadarum fugans, propiúsque accedens, blanda voce eum compellare cœpit. O Frater charissime, si placuerit, qualitercunque recompensabo deuotissimum famulatum tuum, dulci melodia? Beata Virgine melos præcinente, Frater ille, quasi in ecstasi factus, in faciem corruit, & omnis illa visio disparuit. Interim Fratres ex more ad matutinalem surgunt Synaxim, prædicti Fratris absentiam vehementer admirantes: quia nunquam diuinis Officiis se subtrahere solitus erat, nisi graui infirmitate depressus, vel quolibet vtili negotio occupatus. Quapropter, quia reuerendus omnibus habebatur, officinas totius Monasterij perlustrantes, tandem in prædicto pomario repererunt, vultum habentem in terram demissum: quem leuantes, & in lectum deponentes, omnem diligentiam adhibuerunt. Qui sospitati redditus, per præceptum Abbatis sui coactus est omnem rei ordinem pandere. Qui postea non ingratus beneficiis sibi collatis, reliquum tempus vitæ ferentiùs in Dei seruitio, atque eius piissimæ Genitricis perfecit, tandémque fine beato requieuit. Hæc mihi relata sunt à religiosa Vidua, sorore eiusdem Fratris, quæ omnia testata est se veraciter intellexisse.* Hæc à Cæsario bona fide accepta, redditáque, vt illusioni obnoxia esse potuerint, deceptionísve, sic vbi per virtutes comprobantur, & religiosam vitam, non leuem apud pios mereantur approbationem.

1. Eminentissimi scriptis, & dignitate Cardinalis Baronij, qui ab hoc anno desit, Annalium laus. 2. Cardinales de ambitu notati. 3. Electus Innocentius, & Bzovius deprehensus ipso in limine: 4. cui Chaconius errandi Author fuit. 5. Innocentius de electione sua ad omnes, 6. sed specialiter ad Abbatem, & Conuentum Cistercij scribit: 7. propriam insufficientiam perpendens, 8. & se commendans eorum orationibus. 9. Idem ad Abbatem, & Conuentum Claraualli.

CAPVT I.

1. SEQVITVR annus nonagesimus octauus supra millesimum centesimúmque, qui fuit ab ortu Cistercij centesimusprimus, tristis Ecclesiæ Cœlestini Papæ morte, quæ intrantis anni initia funestauit: nec minùs tristis Cardinalis Baronij obitu, qui Annales suos (ingens profectò opus, & dignum argumento) huc vsque continuatos, ab eo tandem scribere cessauit, simul & viuere. Extincta ergo luminosa face (columna ignis in deserto antiquitatis) ecclesiasticæ Historiæ, necesse erit in multis cæcutire: nam, qui eius scripta prosequutus Abraham Bzovius, quod eius pace dixerim, nisi Baronius præcessisset, stella; & quidem non exigua; composita eius radiis, penè disparet. Et vt affectum filij in matrem venetor, hoc est, in sanctissimam Familiam Prædicatorum, quæ totos ferè illi Annales implet: at in priuata, atque speciali Historia maluissem expressum: vbi domestica quæuis non redundarent; sed nèque extranea desiderarentur, etiam grauissima. Feliciùs, etsi breuiùs, vt inceperat, illustrissimus Apamiarum Episcopus, Henricus Spondanus, si non & ipse natione Gallus, charitate in Patriam, seu maiori notitia rerum illius, quod facilè admittam, Gallos, quàm ecclesiasticos Annales magna ex parte legendos concinnasset. Nobis id vnum præ oculis habendum in hac secunda centuria, quam nunc aggredimur, quod in illa facillimum (quippe in qua magis, quàm in præcedenti, nihil penè in Ecclesia sine Cistercio) Cistercienses Annales ita scribere, vt Ecclesiasticos, aut augeamus, aut illustremus; addam verè, & in multis, aut corrigamus.

2. Optabat Cœlestinus morti iam proximus successorem, quacunque via posset, sibi eligere Ioannem de Sancto Paulo, Presbyterum Cardinalem tituli Sanctæ Priscæ, *de cuius sapientia, sanctitate, & iustitia*, vt ait Rogerius [a], *plurimùm confidebat*. Adeò vt offerret resignare Pontificatum, si illum Cardinales adorarent. Quod affectui, an indicio datum sit, solus nosce re potuit, qui nouit corda. Constat Cardinales non consensisse; siue, quia inauditum, pernicioſumque, si posteris in exemplum traheretur; atque Petri successio, quouis colore, propria velut hæreditas, inter Pontificum decedentium legata foret: siue vnoquoque, saltem ex dignioribus, ambiente Tiaram; in quo & Iordanum Cardinalem ex Fossa noua, cum aliis deliquisse (quo erat vir ingenti, & elato animo) idem etiam Rogerius reliquit scriptum [b]: *Omnes*, ait, *Cardinales vna voce respondérunt, quòd illum conditionaliter non eligerent, dicentes, quòd inauditum erat, quòd Summus Pontifex se deponeret. Et sic erat schisma inter illos: Dominus enim Ostiensis Episcopus Cardinalis nitebatur, vt ipsemet Papa fieret: similiter Portuensis Episcopus: similiter Dominus Iordanus de Fossa noua.* Non diu fuit, quòd Henricus Cardinalis recusauit, quæsitus, rogatúsque, Conrado item in breui recusaturo. Hos inter dicitur Iordanus ambiisse, quod non obtinuit. Nobis nihil omninò tacendum erit, quod nostros concernat: laudandum, imitandúmque, si laude dignum; si secùs, condemnandum, & fugiendum.

[a] in Annalibus Anglia, pag. 2.

[b] apud Baron. an. 1198.

Cœlestino Pontifice defuncto, & iustis persolutis pro more Curiæ, Lotharius, siue, vt alij volunt, Ioannes Lotharius, Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergij, & Bacchi, patria Anagninus, claro ex Comitibus Signiæ sanguine natus, clarus doctrina, & moribus, Pontifex Innocentius III. renunciatur summo omnium consensu Cardinalium: inter quos duo ex Cistercio Iordanus, & Guido, (nam Biturix Henricus non interfuit,) vterque Presbyter, ille Sanctæ Pudentianæ, titulo Pastoris; hic Sanctæ Mariæ trans Tyberim, titulo Callisti. Constat autem non multa pertinacia litigatum ab eis de successione, quando tam facilè in alium conuenêre. Quòd si verum esset, quod Bzouius putat, eundem fuisse Ioannem de Sancto Paulo, quem Cœlestinus subrogari sibi desiderasset, purgassent proculdubiò suspicionem, qua inusti à Rogerio, dum tradit restitisse Cœlestino, quòd quisque sibi ambiret Pontificatum. Sed verè Bzouius lapsus ipso in limine; deceptus Ioannis nomine, nec Lotharium distinguens à Sancto Paulo: & Cœlestinus hunc vltimum optauerat Presbyterum Cardinalem à se creatum, tituli Sanctæ Priscæ: at Cardinales primùm elegerunt non Presbyterum, sed Diaconum: nec Sanctæ Priscæ, sed Sanctorum Sergij, & Bacchi; nec demum Cardinalem creatum à Cœlestino, sed à Clemente III. Quæ cùm indubitanter ita se habeant, mirum est Bzouium incepisse hos Annales in hæc verba scribentem de Innocentio [c]: *Annos non plus quam septem, & triginta natus, eam sui admirationem apud omnes excitauit, vt & Cœlestinus Pontifex summo Magistratu se abdicare voluerit, si modò se superstite, Patres eum subrogarent: & Cœlestino vita functo, non alium digniorem Patres indicauerint, cui Ecclesiam vniuersalem committerent.*

3.

[c] eodem ann.

4. Longè autem mirabilius esse potest huius erroris Authorem illi fuisse Alfonsum Chaconium, ex eadem Familia Dominicana, qui cùm vtrunque Ioannem distinxisset, docuissétque ex Annalibus Victorianis, Ioannem Presbyterum Cardinalem Sanctæ Priscæ optatum sibi successorem à Cœlestino [d], nihilominùs promoto Ioanne Diacono tituli Sancti Sergij, in hæc verba prorumpat in Innocentio [e]: *Nullus inter Romanos Pontifices memoratur, qui Cardinalibus gratior, & acceptior fuerit, quam Cœlestinus III. cuius incredibili humanitate, gratia, & comitate omnes mirum in modum affecti fuêre. Idcircò ei contigisse ferunt, quod nulli alij Romano Pontifici, scilicet, vt post eius obitum eum continuò Patres Pontifi-*

[d] in Cœlestino.

[e] in Ingeruasio.

Digitized by Goog

mortuo suffectus esset. Et quidem suis talia concessisse rarum hoc tempore; extraneis sine exemplo forsan erit. Tum, si rogatus à Monachis fecisset, mirandum minùs; ipsum rogasse, neque per Legatos, aut nuncios, sed per se ipsum, terminos sui Regni transgressum esse, venisse Hortam, & coram Monachis in Capitulo extitisse, eorum aggregandum fraternitati, omnem superare videtur admirationem. Crediderim, fecisse mandato Patris, qui moriens, inter alia salutaria, hoc illi etiam præceptum intimauerit; non secùs, atque Garziæ Tirasonensi Episcopo in mandatis dedit, vt decimas, atque alia indulgeret eidem Domui. Porrò idem instrumentum Bilbili factum, vulgò, *Calataiud*, idque mense Augusto, argumento est præcessisse ante illius expeditionem aduentum Regis, atque annum intra ab Alfonsi Patris morte (exequendis defunctorum mandatis lege præscriptum) contigisse, nisi quòd tamen majori firmitudini expectatus Conuentus Episcoporum, Procerúmque, qui instrumento subscriberent, qui fortè non coactus ante Augustum.

7. Porrò, quæ causa vtrunque Regem mouerit, vt tanto affectu, atque veneratione Monasterium Hortense prosequerentur, idemmet Petrus expressit post annos vndecim, nouo alio concesso priuilegio, in quo hæc non tam ait, quàm declamat: [b] *Inter cæteras Ordinum varietates, quibus decorata est Sponsa Christi, nullus Ordo fragrantior, & sancti nominis odore suauior est in Christo, quàm Ordo Cisterciensis: eius quippe Professores tanto differentiùs præ cæteris triumphales, & illustres virtutum titulos præferunt, quanto expressiùs apostolicæ Religionis vestigiis adhæserunt. Cùm igitur Domus de Horta, quæ sita est in confinio Regni nostri iuxta Fariza, per Dei gratiam nominatissima sit inter alias, in prædicti Ordinis rigore, & obseruantia, &c Datis Fariza 3. Nonas Februarij, Æra M.CC.XLVII.* Hæc vniuersim honorifica Cisterciо: sed, quæ me illi genuit, Hortensi Domui honorificentiora ex Archiuiis eiusdem Domus eruta, in meo Sanctorali dudum vulgaui; [c] & nunc nefas putarem, si prætermitterem. Id vnum tamen adnotandum censeo, delata omnia Martino, majori parte, nec quicquam sine ipso gloriosum Hortæ, saltem dum vixit: quippe aduentus Alfonsi, ipso Abbate: Petri vtrunque diploma post resignatam Seguntinam Sedem, cùm suam Hortam primarus inhabitaret.

b *ex Archiuiis Horta.*

c *lib. 1. in Vita Sancti Martini, c. 1.*

8. Hoc ipso anno, quia semel cœpimus de pietate Principum, quam vtinam vterque continuasset, Raymundus, Constantiæ Reginæ filius, Tolosæ Comes, ad Grandisyluam veniens, confirmauit indultum Raymundi patris, quod anno M. C. LXVIII. in Capitulo eiusdem Monasterij expeditum cõmemorauimus. Porrò eodem ad litteram transcripto hæc addit verba: [d] *At hæc ego Raymundus, Comes Tolosæ, Reginæ Constantiæ filius, inuitu pietatis, & in redemptionem animæ meæ, & parentum meorum, pro me, & omnibus successoribus meis, dono in perpetuum, laudo, & confirmo omnia dona, quæ Dominus Pater meus fecit, & donauit D. Deo, & Beatæ Mariæ Grandisyluæ, & Petrio Abbati, sicut in instrumento isto, & aliis instrumentis, Monasterium Grandisyluæ habet contentum: & in signum donationis, præsente G. Montis Rossulani Domino, Bertrando de Sancto Andrea, Petro Roger Vicario, & Petro Ceuerino, Scriptore nostro, qui mandato nostro hanc Chartam subscripserunt, & signarunt, præsentem Chartam sigillo nostro iussimus imprimi, anno M.C.XCVII. Regnante Philippo Francorum Rege.* Hactenus ibi.

d *in Regist. fol. 116. ep. 408.*

9. Cæterùm, hoc idem priuilegium patris, & filij post longas satis lites, iurgiaque, imò, quod attinet ad Comitem Tolosæ, cruenta odia in nostros, atque sacrilega, quæ suis locis latè daturi sumus, eius, qui nunc viuebat, Raymundus filius, post sex, atque triginta annos firmauit, atque munitum sigillis trium Pontificum, R. nimirum, Narbonensis Præsulis, R. Tolosani, & D. Albiensis, Gregorio IX. præsentatum est apostolica roborandum authoritate. Extatque, & legitur in Regesto Vaticano [e] insertum eius litteris ad Abbatem, & Conuentum Grandisyluæ, datis Laterani, decimoseptimo Kalendas Ianuarij, Pontificatus ipsius anno septimo. Ex quibus nos hæc ipsa transcribi fecimus.

e *lib. 4. Regest.*

10. Sed, ô altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius! Tanta pietate pollentem vtrunque Principem, nimiùm heu! infelix manebat exitus: Petrum casurum in prælio contra Catholicos; quæ fœda nota in Principe Christiano, quibusuis titulis, seu pigmentis cohonestetur: Raymundum Comitem Hæreticis fauentem, in ipsa hæresi, atque ab Ecclesia aulsum gladio anathematis, adeóque in Cistercium ob hanc causam, atque in Monachos eius excandescentem, vt multos Cœlo Martyres inuexerit, priusquàm ipse in Infernum (quantum homini coniectari licet) detruderetur. Verùm hæc tetigisse pro nunc sufficiat, suo tempore latiùs pertractanda.

---

1. *Petrus Cantor Parisiensis, sanctus, & doctus:* 2. *à Iacobo de Vitriaco Cardinali eximiè laudatus:* 3. *veneratus ab omnibus,* 4. *& sui sæculi cæleste velut Oraculum:* 5. *eius consilia,* 6. *& electio in Ecclesiam Tornacensem,* 7. *pro qua Stephanus,* 8. *ad Rhemensem Præsulem scribit.* 9. *Recusat omnis,* 10. *& Monachus sacratur in Longoponte:* 11. *post mortem corpus inuentum incorruptum, fragránsque.* 12. *Scriptorum illius notitia aliqua.*

CAPVT II.

1. PETRVM Cantorem, Magistrum Parisiensem, insignem pietate, & doctrina virum, si quem alium tulit sæculum illud, præsens annus, & nostris, & Cœlo dedit; quippe defunctum intra annum probationis, cùm non multò ante electus in Episcopum, restitisset vitiligter, & nullum penitùs non mouisset lapidem, quo se tandem indemnem conseruaret à tanto munere. De eo Author Exordij Cistercientis [a]; atque Helinandus, de quo statim agam, qui Virum assequuti iustissimum, doctissimúmque cognominantes, è cuius ore ipsi nonnulla hauserint, quæ suis scriptis inserunt, inter quæ factum Sancti Parentis Stephani, quæ nos ex eisdem, tomo primo memorauimus,

a *lib. 1. c. 34.*

tauimus [b]. Eadem habent Vincentius Belluacensis, [c], & Antoninus [d] ex Helinando sumpta, quæ vnica Fiterensi Abbati occasio fuit, vt Helinandum Authorem Exordij diceret, cùm nihilominùs ex ipso contrarium constet, vt superiùs ostendimus, & in hoc capite etiam confirmabimus. Sed de Petro Cantore nullus est, qui non inter Ecclesiæ Luminaria, eius ætatis prima, imò ante alia censeat memorandum.

b Ann. 1196. c lib. 26. Speculi historial. cap. 20. d 2. par. tit. 15. c. 11. parag. 1.

2. Proferam magni viri illius æui Cardinalis Iacobi de Vitriaco encomium satis elegans, quod vnum mihi, & authoritate dicentis, & ipsorum verborum magnificentia pro mille erit. Is ergo in sua Historia occidentali, loquens de Petro Cantore Parisiensi, hæc habet verba [e]: *Velut lilium inter spinas, & rosa inter vrticas, quasi Angelus Pergami, vbi sedes est Satanæ: quasi thus vedolens in diebus æstatis: quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso: quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens: quasi cœlestis tuba, & Domini citharista, erat tunc temporis Magister Petrus venerabilis Cantor Parisiensis, vir potens in opere, & sermone; aurum suum, & argentum similiter conflans, & verbis suis stateram faciens; morum honestati pondus, & grauitatem conferens doctrinæ suæ: cœpit enim facere, & docere, velut lucerna ardens, & lucens, & ciuitas supra montem posita, & candelabrum in domo Domini aureum, de cuius fonte limpidissimo Beatissimus vir Fulco Presbyter, potauit,* &c. Hactenus Cardinalis de Vitriaco, quibus nil maius, vel de magno Augustino videtur dici potuisse.

e cap. 8.

3. Cæterùm inter gloriæ Petri Cantoris hæc prima sit, quòd eas laudes à laudatis vitis adeptus, qua in hac vita maior non vlla extat. Secunda, quòd discipulum inter alios habuit Fulconem hunc, de quo mira Authores, & nos etiam inferiùs nonnulla dabimus. Tertia, quòd Iudex in multis constitutus (nec enim Cœlestinus, prædecessoréve, alium penè habuerunt in tota Gallia, cui ardua quæque negotia delegarent) suspectus nulli, neque ab aliquo vnquá recusandus. Extat ad ipsum Stephani Tornacensis inter alias epistola, in qua sibi de Petro Parisiensi, quem Iudicem haberet, congratulatur [f]: *Quem neque astutia fallere, nec malitia peruertere, nec cupiditas possit coinquinare.* Hæc, & alia similia exornabant Virum sanctissimum, quem consulerent omnes, velut Oraculum, neque aliter suspicerét, nec minùs eius consiliis obtemperarent. Referam factum cuiusdam vsurarij, quod eius temporis Author Cæsarius narrat [g]:

f epist. 217.

g lib. 2. c. 34.

4. *Temporibus Philippi Regis Francorum, qui hodie regnat, erat in ciuitate Parisiensi vsurarius quidam ditissimus, Theobaldus nomine: hic cùm haberet possessiones plurimas, infinitásque pecunias ex vsuris congregatas, diuinitùs compunctus ad Magistrum Mauritium, eiusdem ciuitatis Episcopum, venit, eiúsque consilio se commisit: ille verò, cùm in ædificatione Ecclesiæ Beatæ Dei Genitricis Mariæ nimis feruere, consuluit ei, quatenus pecunias suas ad structuram incboati operis contraderet: qui huiusmodi consilio aliquantulum sibi suspecto, adiit Magistrum Petrum Cantorem, verba Episcopi ei insinuans: cui ille respondit: Non dedit tibi bonum consilium hac vice: sed vade, & fac clamari per ciuitatem sub voce præconis, quia paratus es restituere omnibus, à quibus aliquid supra sortem accepisti. Factúmque est ita. Deinde rediens ad Magistrum, ait: Omnibus ad me venientibus, teste conscientia, omnia restitui ablata; & adhuc supersunt plurima. Tunc ille: Modò, inquit, eleemosynam poteris dare securè.* Hactenus, quæ respondit, vt in præcepto.

At, quæ ex consilio consuluit superaddi, quasi, vbi abundauerat delictum, superabundaret & gratia compunctionis, idemmet Author pergit his verbis scribere [h]: *Retulit mihi Dominus Daniel, Abbas Sconaugiæ, quòd ad consilium eiusdem Cantoris, per plateas ciuitatis nudus in suis femoralibus incesserit, seruo cum virga se impellente, ac dicente: Ecce iste est ille, quem pro suis pecuniis Principatus honorabat, qui filios nobilium obsides tenebat.* Sic vir sanctus, & doctus distinguebat à consiliis præcepta; atquæ hæc omnibus, velut necessaria, illa capientibus tantùm, & vt vtilia, cum grano salis cœlestis applicabat. 5.

h ibidem.

Elegit in Pastorem hunc tantum virum ciuitas Tornacensis, communibus suffragiis Cleri, & populi, quin & assensu, & consilio Philippi Regis; atque omnium bonorum approbatione. Interuenerit quid inordinatum in eius electione, in dubio est: constat, Guillelmum, Rhemensem Archiepiscopum, (nanque is adhuc erat,) siue aliud intenderet, seu sinistris rumoribus persuasum, distulisse electionis confirmationem: qua de re extat eiusdem Stephani Tornacensis ad eum epistola, grauis quidem, & zelo sancto plena, pro electione interpellans, quam in ipsius euentus confirmationem, & maiorem notitiam Historiæ Petri Cantoris, his Annalibus dignam iudicaui. Sic autem habet [i]: 6.

i epist. 173.

7. *Domino Rhemensi, pro Petro Cantore Parisiensi, in Tornacensem Episcopum electo.*

Commune refugium, patens omnibus mansuetudo vestra, Pater, sic extendatur ad singulos, vt colligat vniuersos. Veniunt ab Oriente, & Occidente, & recumbunt in sinum vestrum; nec facilè semel admissus emittitur, nisi contigerit ab eo committi, quod non mereatur remitti. Hæc sunt, quæ mihi, pluribúsque aliis fiduciam præstant, vt pro deuoto filio vestro Magistro P. Cantore Parisiensi, pandatur vobis aditus supplicandi, ne vobis prouocet indignationem, qui sibi non adnocat dignitatem; ne cui meritum sufficiat proprium, factum officiat alienum. Vir est, cuius per omnes Ecclesias fama suauis diffunditur opinio, qui gemina scientia efficacissimè clarens, & doctrinam monitis ornat, & moribus disciplinam. Origeni parem in aliquo; sic eum docere credimus, vt viuere; sic viuere, vt docere. Tales in candelabro vestro lucernas, tales in diademate Aaron lapides, tales in sancta Rhemensi Ecclesia Suffraganeos esse decet, vt vicina Prouincia sancta æmulatione moueantur ad promotionem consimilium: & sollicitudo vobis commissa facilius, & frequentius iuuetur per religionem, & prudentiam ipsorum.

8. *Si quid minùs ordinatè in electione ipsius, à Tornacensibus Clericis factum est, nec absentis ignorantiam tangere, nec innocentiæ insti ladere debet, cùm facillimè, si vobis placet, possit emendari, si quid perperam factum est: commissa vobis à Deo, & potestate corripiendi errores, & scientia corrigendi: vt enim, salua gratia vestra, sine præiudicio loquar, concurrunt in electione illa quatuor, quæ à Leone dicta sunt; vota ciuiũ, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum. His accedit integritas personæ, hilaritas famæ, necessitas simul, & vtilitas Ecclesiæ viduatæ. Sed & hoc frequenter, & solemniter dicitur, quia Dominus Rex, quem Deus seruet, ac nobis restituat, personam istam nominatim expressit, nominatim pro ea rogauit, nominatim Ecclesiæ Tornacensi præesse voluit, & intendit. Si aliter actum fuerit, verendum est, & fortè verum, ne indignationem, & iram, & immissiones per Angelos malos concipiat, & aduersùs eos, qui promotionem tantæ personæ impedierint, regalem, & immensem iracundiam*

diam accendat. In his omnibus, Pater sancte, prouidete honori vestro, consulite sinæ opinionis vestræ testimonio, deferte regio mandato, & correpto prius, sicut decuerit, errore eligentium, confirmata electione, paterno sinu suscipite electum, & dilectum vestrum. Hactenus epistola, ex qua obiter colligi videtur, inciditsse electionem Petri Cantoris in annum M. C. XCI. cùm Rex Philippus in Oriente militaret.

9. Quid egerit Guillelmus Archiepiscopus non constat: certum, Petrum electioni de se factæ, siue vitiosam nouerit, siue episcopale onus recusauerit, nullatenus potuisse adduci, vt consentiret. Ioan. Buzelinus, qui Stephani epistolas non viderat, dubitat, an electus per eius obitum, circa an. M. CC. III. sed neque tunc viuebat, & Stephanus electionem eius promouit, vt suprà vidimus. Interseram eiusdem Authoris verba, qua parte Petri constantiam in resistendo, atque item Monachatum ipsius narrant [x]: *An post Stephanum Tornacenses Petrum apud Canonicos D. Virginis Cantorem Parisiis & preclarissimum huius Academiæ Doctorem, Episcopum sibi nuncupauerint, non ausim asserere: saltem id compertum habeo, in eum aliquando (forte post Euerardum) collata fuisse Canonicorum suffragia, postquam tamen animaduertit electionem vitio factam fuisse, nulla se ratione passum adduci, vt insulas sibi oblatas reciperet, nihilque prius habuisse, quam vt paulo post in Longi Pontis Monasterio religiosis sese viris insereret.* Hæc Buzelinus. Et quidem electio ab anno M. C. XCI. plùs, minúsve extitisse sub lite, vsque ad M. C. XCIII. aut XCIV. quo ipso respuente, suffectus Stephanus. Monachatum in hunc annum inciditsse ex statim dicendis apparebit.

x *lib. 6. Annal. Gallo-Flandr.*

10. Igitur Petrus Cantor, cunctis spretis, cùm multis annis, & multùm fructificassет, ad extremum soli Deo vacare desiderans, (forte & suaui Ioannis de Montemirabili odore attactus,) Monachum in Longo Ponte induit, circa hunc annum, intra quem etiam, tempore Probationis nondum expleto, migrauit feliciter, æterno præmio in Cælis coronandus: de cuius transitu Cæsarius hæc habet verba [l]: *Magister Petrus, Cantor Parisiensis, verbo, voto, & exemplo plures edificauerat. Hic in Pontenella Domo Ordinis nostri factus est Novitius, & infra annum Probationis defunctus est, & in Capitulo sepultus.* Hæc Cæsarius. Porrò hoc anno ad Supetos translatum narrat Vincentius in Speculo historiali [m]: *Eodem anno,* inquit, (scilicet, M. C. XCVII.) *Petrus Cantor Parisiensis, tam vita, quam doctrina conspicuus obiit, amator veritatis, atque iustitiæ, apud Cœnobium Longi Pontis* (quod idem Pontilenam Cæsarius vocat) *in magna deuotione, sanctaque confessione migrauit.* Ægidius Romanus ad annum transitum differt: cætera Vincentio per omnia concordans: *Anno,* inquit [n], *M. C. XCVIII. Petrus Cantor Parisiensis, Doctor eximius, in Monasterio Longi Pontis migrauit ad Dominum.*

l *lib. 12. c. 48.*

m *lib. 29. cap. 59.*

n *ad annum 1198.*

Post mortem Viri multa illustria sanctitatis, & gloriæ signa sequuta sunt, inter quæ celebre, quod Cæsarius, tunc recens compertum, memoriæ prodit [o]: *Infra annum Probationis defunctus est, & in Capitulo sepultus: cùmque postea necessitate ædificiorum corpus eius esset transferendum, aperto sepulcro, tam magnus, & tam suauissimus ex illo odor efflauit, vt naves omnium illius fragrantia reficerentur. Odor ille signum erat eximiæ eius doctrinæ, cuius mercedem receperat in Cælo.* Inseruit Menologio Virum sanctum Chrysostomus Henriquez, ad decimamnonam diem mensis Maij; confusum tamen cum Petro Parisiensi Episcopo LXXII. supino temporum, personarúmque errore. Melius Hugo Menardus in Appendice ad suum Martyrologium, vbi hæc habet P: *Venerabilis Petrus Cantor Parisiensis, Doctor eximius, & tam vita conspicuus, quam doctrina, vir iustitiæ, & pietatis amator, quique plurimis plurium profuerat tam eruditionis verbo, quam virtutis exemplo, apud Cœnobium, quod dicitur Longus Pons, in multa deuotione, & sancta confessione migrauit è corpore. Robertus Altisiodorensis in Chronico, ad annum M. C. XCVII. & Thomas Cantipratanus fuit Ordinis Cisterciensis.* Hæc de Petro Fulconis Magistro. At de Fulcone ipso pauca quædam. Verùm de Eustachio Abbate de Florephia in Angliam, ab eodem Fulcone misso circa hoc tempus, vt tradit Matthæus Paris, & multis ibi miraculis illustri, anno M. CC. quo ab Authoribus aliis memoratur, dicendum erit.

o *lib. 12. cap. 48.*

p *littera P.*

11.

Memoratur & Petrus Cantor inter Scriptores à Ioanne Tritemio, aliísque, confusa licèt aliquantulum notitia, sed recensitis quibusdam eius operibus: *Petrus,* inquit [q], *Cantor Parisiensis, & postea (vt ferunt) Episcopus, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in sæculari Philosophia nobiliter doctus, Theologicæ Scholæ Parisiis, multis annis gloriosè præfuit, & discipulos egregios multos erudiuit. Scripsit etiam quædam præclara Opuscula, de quibus pauca ad manus nostras minime peruenisse. Volumen prænotatum.*

12. *Verbum abbreuiatum, lib. 1.* Verbum abbreuiatum.
Distinctionum Opus, lib. 1. Abel dicitur principium.
Grammatica Theologorum, liber 1.
Sermones varios, lib. 1.
De quibusdam miraculis, lib 1.
De Sacramentis quoque, lib. 3. Circuibat populus.
Claruit temporibus Henrici VI. Anno Domini M. CC.
Hæc Tritemius. Ex libro miraculorum, quædam extracta video in Speculo Exemplorum, notatione subiuncta [r]: *Hic Petrus Cantor Parisiensis scripsit librum miraculorum sui temporis; vnde hæc duo exempla sumpta sunt.* Citatur à Thoma Cantipratano in libro suo de bono vniuersali, multis in locis [s]: & ab aliis viris doctis illius ævi: ab omnibus cum eximia nota venerationis.

q *de Scriptor. eccles.*

r *verbo, Infirmitas, 20.*

s *lib. 1. c. 19. par. 8. lib. 2. cap. 1. §. 19. & c. 30. par. 12.*

---

1. *Ioachimus Abbas in Ieremiam scribens, 2. quædam prædicit de Doctore quodam subuertendo per inuidiam, 3. & vindicta sequenda in subuersores, 4. quæ comprobata priùs ratione temporis, 5. ad ipsum, 6. & ad Familiam Cisterciensem Binarius trahit. 7. ast neque affectu, 8. nec iudicio ista probanda. 9. Explicatum ab ipso vaticinium Erythreæ Sibyllæ: 10. & dictatum Henrico, cuius morti adstitisse, ac multa in eo correxisse creditur. 11. Electio Lucæ in Abbatem Sambucinensem.*

CAPVT III.

XPLANABAT hoc anno Ioachimus Abbas Ieremiam Prophetam, quod Opus inter alia illius, etiam nunc extat: & quihominis mos in sacra Pagina, præterita omnia, quantumuis sacratissima, ad præsentia trahere, prophetica illa verba sibi adaptans [a]: *Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Hæc, inquam, verba de Christo prophetata sibi approprians, confusè licèt, inuolutéque nonnulla scripsit; quibus & suæ doctri-

a Ierem. 11.

doctrinæ damnationem post annos euenturam decem & octo, & Pontificem, à quo damnandus erat, & quibus instigantibus, prædixisse nonnullis visus est, prophetare intentior, quam præcauere. Et quidem tempus ex verbis ipsius constat: quippe eiusdem Prophetæ cap. 14. quo illum explanabat, annum expressit: *Agitur enim, ait, nunc millesimus centesimus nonagesimus septimus annus*, &c. Ista de tempore. Porrò, quæ Prophetiam contineant verba, in Operis discursu hæc inueniuntur [b].

[b] *in eundem locum.*

2. *Lignum scandali ponent, vt sacram doctrinam extinguant, & nomen Doctoris, cui reuelabitur sententia Danielis, euertant. Futurum est enim, vt Summus Pontifex veritatem insinuet, vt vnus moriatur, id est, damnetur Doctor pro populo, & non tota gens pereat in errore. Sic Sedechias contra Ieremiam insurgit, damnat librum scindit Trinitatem ab vnitate, & scalpello scribæ sententiam Doctoris.* Et post pauca: *Designat Summum Pontificem post Cœlestinum futurum, quicunque sit ille, à quo, quia stella disparuit, spiritalis intelligentia extinguetur in dolo, & per inuidiam tradetur, & perimere cogitabit. Quod autem congregauerunt Pontifices Ecclesiarum, & Pharisæi consilium, totum ad illum Doctorem veritatis referendum est, quem sextus describit Angelus: imo sub quo in manu alterius Angeli liber demonstratur veritatis apertus.* Hactenus Ioachimus, quæ possint trahi ad suæ prædictionem condemnationis.

3. Verùm quibus agentibus id factum, faciendúmve; & quæ tandem actores pœna manfura foret, non multò pòst prædixisse etiam videtur ad illa verba: *Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam; & dicunt: Non prophetabis in nomine Domini, & morieris in manibus nostris. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego visitabo super eos. Iuuenes morientur in gladio: filij eorum, & filiæ morientur in fame*, &c. Exponens, inquam, hæc verba subdit: *Sequitur ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam. A quibusdam Cistercienſibus egredietur iniquitas hæc, vt Doctor ille non prophetet in nomine Domini; & in eorum manibus, id est, operibus, & consiliis moriatur, id est, reprobetur. Sed, quid inde sequitur? Iuuenes eorum morientur gladio*, &c. *Iuuenes sunt Priores, filij Monachi, filiæ Monasteria, vel obedientiæ eorum. Primi in gladio Reipublicæ cadent. Secundi in fame doctrina catholica deficient. Reliquiæ, Potestates, scilicet, Ordinis in defectu regularis obseruantiæ. Inducam enim malum super viros Anathoth, scilicet, super Prælatos maiores Cistercienſium, annum visitationis eorum, scilicet, tribulationis immissæ.* Hactenus Abbas Ioachimus de se ipso, & de doctrinæ suæ de Trinitate (quam prædicebat damnandam) accusatoribus.

4. Annis decem & octo post hunc decursis, damnatus in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. libellus Ioachimi de Trinitate, quem in Magistrum sententiarum scripserat, idque agentibus Cistercienſibus Monachis, vt dicemus in tempore. Porrò hæc omnia, quæ re vera euenerunt, atque Cistercij occasum post longius tempus (qui vtinam non verus euasisset,) adeò clarè videtur prophetare prædictis verbis, vt nihil omisisse censendus sit, quo eum posset euentum depinxisse. Quippe & damnandus libellus à se scriptus, ibi: *Damnat librum.* & libelli materia, ibi: *Scindit Trinitatem ab vnitate.* & Pontifex, per quem damnandus erat, ibi: *Designat Summum Pontificem post Cœlestinum futurum, quicunque sit ille.* & tempus damnationis, nempe, post eius mortem, (nam Ioachim obiit quinquennio ante Concilium, vt suo loco dicemus.) ibi: *Quia stella disparuit, spiritalis intelligentia extinguetur.* & quibus agentibus, procurantibúsque damnandus foret, ibi: *A quibusdam Cistercienſibus egredietur iniquitas hæc.* & denique Cistercij tristis occasus in sequentibus verbis exprimuntur. Sed nos hæc eadem ex Francisco Biuario, qui verba verbis miscens, & interponens quam putat Prophetiam, aptè declarat, proferamus in medium. Sic autem scribit [c]:

[c] *in Apologet. pro Lucæ doctr. §. 6. n. 11.*

5. *Lignum scandali ponent, vt sanam doctrinam extinguant, & nomen Doctoris, cui reuelabitur sententia Danielis, euertant.* Is est Ioachimus ipse, qui abditissimas Danielis prophetias enodauit ad caput 12. Apocalypsis, & alibi. *Futurum est enim, vt Summus Pontifex veritatem insinuet, vt vnus damnetur, id est, moriatur Doctor pro populo, vt non tota gens pereat in errore. Sic Sedechias contra Ieremiam insurgit. Damnat librum.* (Quid clarius?) *Scindit Trinitatem ab vnitate,* (in titulum libri expressum, & *scalpello scribæ sententiam Doctoris.* Alludit ad illud cap. 36. Ieremiæ: *Cúmque legisset Iudex tres pagellas, vel quatuor, scidit illud volumen scalpello scribæ.* Et post pauca: *Designat Summum Pontificem post Cœlestinum futurum, quicunque sit ille.* (norunt omnes Innocentium III. qui librum damnauit, Cœlestino successisse.) *A quo, quia Stella disparuit,* nimirum, quia Ioachimo mortuo, claritas sensus ipsius disparuit, *spiritualis intelligentia extinguetur in dolo: & per inuidiam tradetur, & perimere cogitabit. Quod autem congregauerunt Pontifices Ecclesiarum, & Pharisæi* (scilicet, Abbates, Priores, Religiosi Cistercienſis Ordinis) *Concilium*, forsitan generale, *totum ad illum Doctorem veritatis referendum est, quem sextus describit Angelus, imo sub quo in manu alterius Angeli liber demonstratur veritatis apertus.* Ita de primo.

6. De secundo autem, audi, quæ sequuntur: *A quibusdam Cistercienſium egredietur iniquitas hæc, vt Doctor ille non prophetet in nomine Domini, & in eorum manibus, id est, operibus, & consiliis moriatur; id est, reprobetur.* Ipsis siquidem agentibus in Concilio generali, damnatus est liber. Sed, quid inde sequitur? Vt verum vero consonet, prædicit lamentabilem casum Cistercienſis Ordinis, quem vtinam nostris oculis non viderimus. *Iuuenes eorum morientur gladio*, &c. *Iuuenes, sunt Priores; filij, Monachi; filiæ, Monasteria,* (quæ per filiationes distributa erant,) vel obedientiæ eorum. *Primi in gladio Reipublicæ cadent*, id est, in manus Commendatorum.) *Secundi in fame doctrina catholica deficient. Reliquiæ*, Potestates, scilicet, Ordinis, *in defectu regularis obseruantiæ. Inducam enim malum super viros Anathot, scilicet, super Prælatos maiores Cistercienſium, annum visitationis eorum, scilicet, tribulationis immissæ.* Ita Biuarius, qui tamen statim subdit prædictam ab eodem Ioachimo, non multò pòst, nimirum, ad caput 35. Ieremiæ, perpetuitatem eiusdem Religionis in aliquibus filiis. *Nam, cùm præmisisset*, ait, *quòd Ionadab, filius Recab, præcepit vinum non bibere filiis suis, nec domos construere, sed in tabernaculis habitare; ad Sanctum Bernardum sermo dirigitur, qui & Monachis suis prædicationem, & vagationem prohibuit, & eos simpliciter in Monasteriis subesse præcepit, ... Quod autem dicitur, non deesse de semine Ionadab, qui staret semper in conspectu Domini, videtur, quòd Cistercienſis Religio sit in finem vsque sæculi processura.*

Qua sanè prædictione primo omnium prophetarum est Congregatio Sancti Bernardi de Observantia, quæ in Regnis Hispaniarum ab anno Domini M.CCCC. XXV. institutum cœpit, quæ, Deo auspice, Sancti Patris Bernardi meritis, pristinum Ordinis splendorem sustentat. Deinde Observantia Congregationis Italiæ, ac demum Fullensium Monachorum reformatio, quibus omnibus effectum est, vt nusquam hactenus de semine Ionadab, seu melliflui Bernardi defecerit, qui stet in conspectu Domini. Hactenus ex Binario, in suo, pro Abbate Ioachimo, Apologetico.

7. Ego sanè, & Binario multùm defero, viro ecclesiasticarum antiquitatum hoc nostro sæculo longè peritissimo; & quem, si nimiùm præmatura mors non abstulisset, (obiit ante biennium, quo hæc scribimus,) haberemus Hispani, quem exteris opponere possemus in his studiis: & Ioachimum non facilè condemnem, qui sciam opera Dei, abyssum multam. Verùm hanc eius Prophetiam, vt verum fateat, nec iudicio probandam, neque affectu, hactenus mihi potui persuadere. Et quidem de affectu facilis quæstio; cùm vni Ioachimo Cisterciensi, sed desertori; certè eximenti collum à iugo Ordinis, vniuersum Cistercium posthabere; atque omnes, siue plures calumniosos, inuidósque fateri, & qui tam grauiter puniri à Deo meruerint, vt verum esse possit, quod non negabo. At nostris nec conueniens, nec honorificum; nec demum tale, vt rapiat nostrum affectum. Non vnquam plures Sanctos Cistercium habuit, quàm tempore Concilij Lateranensis sub Innocentio III. quod tunc videbimus. Anne ergo omnes deceptos eligamus, &, quod peius est, inuidos, vt vnicum Ioachimum præseruemus?

8. Iam, si iudicio in his agendum est, verba Ioachimi aut suspecta, aut reprobanda: quippe de Authore ipso vana, & tumida; de cæteris mordacia; de re, ambigua: & quæ non aliter Prophetiæ Spiritum arguant, quàm si hominis, aut ignorantiam accusent, aut proteruiam condemnent: illam, si errorem præcauere nesciuit etiam præuentus; hanc, si noluit. Certè, quæ ab Ieremia Propheta ad litteram de Christo prædicta sunt, sibi appropriare arrogans, & se Doctorem veritatis, & Stellam dicere velut antonomasticè, cùm cæteros spernat, & dehonestet, insolens, & superbum nimis apparet. Adde, quòd condemnandus in Concilio per Successorem Petri, in dolo, & per inuidiam tradendus dicitur: quod, quanuis referatur ad deponentes, qui decipere, & decipi potuêre; facilè tamen ad iudicem transibit, si hæc eadem, aut occulta detegere, aut detecta retundere non valuit. Velut qui soli, & nudæ veritati decisionem adaptet, quæ pro symbolo fidei admitti debeat. Hæc, atque alia nequaquam inferiora, dubiam mihi reddunt hanc Prophetiam: & mitiùs puto agi cum Ioachimo, Viro aliàs Sancto, si nihil prædixisse dicatur in illis verbis, quàm si, præuentus Spiritu prophetico, credendus sit, nec præcauisse malum, quod præuiderat, & de non præcauendo superbiisse. Haud tamen licuit omninò prætetire ab Authoribus tradita, seu reprobanda à nobis, siue sequenda.

Sub idem tempus, cùm Henricus Imperator ex Campania ad Siciliam transfretaret, eundem Venerabilem Abbatem obuium habuit, cum quo & multa contulit, inter quæ etiam periuit, & impetrauit, vt Commentarium in Erythræam Sibyllam ederet, quod ipsi quoque Henrico dedicauit. De eo hæc Gabriel Varrus in eius Vita: *Scripsit libros quinque concordiæ vtriusque Testamenti,* (nempe, Ioachimus,) *expositionémque Apocalypsis octo pariter titulis*, &c. *In Erythræam item Sibyllam Henrici VI. Cæsaris rogatu, anno M.C.XCVII. ad eundem, vt ipsemet super Ieremiam refert.* 9.

Affuerítne morti eiusdem Principis, quæ incidit in hunc eundem annum, in dubio est: certum ab eo in morte multa correcta, quæ sanctis viri consiliis, quandiu alium nescimus, tunc illi proximiorem, possunt adscribi: sic enim lego scriptum apud Rogerium [d]: *Eodem anno* (scilicet, M.C.XCVII.) *Henricus, Romanorum Imperator, facta reconciliatione cum vxore sua, & Magnatibus Siciliæ, incepit egrotare, & misit Sauarium Bathonensem Episcopum consanguineum, & Cancellarium suum de Burgundia, ad Richardum Regem Angliæ, & obtulit ei recompensationem pecuniæ, quam de eo ceperat pro redemptione sua, siue in auro, & argento, siue in terris. Dum autem prædictus Sauarius iret in ista Legatione, prædictus Romanorum Imperator obiit in Sicilia apud Messanam, in vigilia Sancti Michaëlis.* Ita Rogerius de rebus, ante mortem Henrici, benè dispositis. Sed & de his, quæ in suo testamento Romanæ Ecclesiæ restitui mandauit, seruarique, multa habet Baronius ad hunc annum, quæ non immeritò Ioachimo possint adscribi. 10.

[d] *sub Cœlestino Papa III.*

Circa hoc idem tempus effectum est, vt, Abbatia Sambuzinæ vacante, Lucas, scriba Ioachimi doctus, & pius, de communi eligentium consensu, in eius loci Abbatem promoueretur, de quo Matthæus Guerra, Episcopus Fundanus, facta priùs diligenti inquisitione, hæc ad Eminentissimum Cardinalem dictum de Claravalle, proximo sæculo [e]: *Aliquando Ioachim in Monasterio de Sambuzina se continens, inspecta Lucæ probitate, annuentibus Fratribus, Lucam in Sambuzinæ Abbatem promouit, ad quem Innocentius Papa scribit.* Hactenus ille. Porrò, quæ scripserit ad Lucam Innocentius, & quanti illum fecerit, suis locis inferiùs memorabimus. Extant & Litteræ eiusdem Innocentij ad Beatum Bernardum Sambucinæ Abbatem; quem tamen Lucæ successisse, inde coniector, quòd anno M.CC.XII. promotus in Episcopum, vt ibidem ostendam, non potuit non post Lucam sublimari, qui anno M.CC. Abbas Sambucinæ, in litteris Pontificiis, quas ibidem ostendam, memoratur. 11.

[e] *apud Iacobum Gracum dist. 47.*

1. *Graui fame grassante per Germaniam*, 2. *Heisterbacensium* 3. *sub Abbate nouo Geuardo*, 4. *Hemmenrodensium sub Hermano*, 5. *atque aliorum ex Vvestphalia remunerata liberalitas.* 6. *Visio de Hermano*, 7. *& magni Canonis ad Habitum admissio.* 8. *Beatus Carolus electus in Villario*, 9. *& sub eo incrementa eiusdem Domus:* 10. *constantia eius*, 11. *gratiáque*, 12. *qua apud omnes pollebat, etiam Principes.*

CAPVT IV.

1. HERMANVM, ex Priore Hemmenrodensi, primùm Heisterbacensem Abbatem, breui inde promotum, ac propriæ Domui in Pastorem restitutum, tradit Cæsarius in Dialogis his verbis [a]: *Factus vero Monachus in Hemmenrode, non multò post, cùm esset ortus Conuentus noster de eodem Claustro, primus eius Abbas efficitur, & post paucos annos per electionem ablatus, eidem* (Claustro) *in Abbatem promotus restituitur.* Licèt autem non constet annus certus, quo successit Eustachio; hoc tamen iam subrogatum ipsius loco, vlteriúsque pro Hermano in Heisterbaco Geuardum suffectum conuincunt, quæ ex eodem Authore dicturi sumus ingentia monumenta charitatis acceptæ Deo, remuneratæque, cùm fames per vniuersam Germaniam atrox hoc ipso anno debaccharetur. Refert Cæsarius vtriusque charitatem, atque vtriusque mercedem: & primùm de Geuardo totidem verbis [b]:

[a] lib. 5. c. 5.

[b] lib. 4. c. 65.

2. *Eo tempore, quo fames illa validissima, quæ anno Dominicæ Incarnationis M.C.XCVII. fuit, & plurimos extinxit, Domus nostra, ii. et tunc temporis pauper fuerit, & nouella, multis subuenit, sicut dixerunt hi, qui numerum inopum ante portam considerauerunt: aliquando vna die mille quingentis eleemosyna data sunt. Dominus Geuardus tunc Abbas, singulis diebus ante messem, in quibus carnibus vti licebat, bouem vnum in tribus caldariis cum oleribus circunquaque collectis, coqui iussit; & cum pane per singulos pauperes dimisit. Simile factum est de omnibus aliis palmentariis: sicque per gratiam Dei omnes pauperes superuenientes vsque ad messem sustentati sunt. Et sicut audiui de ore iam dicti Geuardi Abbatis, cùm timeret, ne fortè annona pauperum ante tempus deficeret, & pistorem pro eo, quod panes nimis magnos faceret, argueret, respondit ille: Credite mihi, Domine, in passa valdè parui sunt, & in fornace crescunt: parui ministrantur, & magni extrahuntur.* Hæc ex Gerardi Abbatis testimonio, vt scribit Cæsarius.

3. Verùm, cùm idem pistorem de his consuleret, appetens veri, & nihil, nisi certum, probatúmque posteris traditurus, non solùm incrementa panum certa cognouit; verùm etiam farinæ, quæ in ipsis saccis multiplicabatur, admirantibus cunctis, & se assequutos tempora Elisei ingenti cum lætitia congratulantibus. Addita & merces largè retributa, neque dilata, quæ nullum penitùs in toto illo tractu latere potuit: ingens allodium acceptum in eleemosynam, quod Domum alias tenuem locupletauit: nam audi, quod sequitur [c]: *Retulit mihi idem pistor, Frater scribis Conradus Rufus, qui adhuc viuit, quia non solùm panes in fornace, imò etiam farina creuerit in saccis, & in vasis: ita vt pistores omnes mirarentur; necnon & pauperes, qui inde nutriebantur. Dicebant enim: Domine Deus, vnde venit omnis annona ista? Eodem anno dilexit Dominus charitatem seruorum suorum, etiam in hac vita per centuplum remunerat. Nam Magister Andreas Spirensis per pecunias, quas in Curia Frederici Imperatoris, necnon & in Gratia congregauerat, magnum allodium in Blisirsdorp emit, & nobis in eleemosynam dedit. Vnde talis voluntas nisi a Deo?* Hactenus libertas Geuardi noui Abbatis in valle Sancti Petri, & larga Dei retributio vel in hac vita.

[c] ibid.

4. Nunc de Hermano translato ad Hemmenrodem simile aliquid, quin & de alia Domo in Vvestphalia, quæ idem Author affirmat, producamus [d]: *Eodem tempore Domus in Hemmenrode, Mater nostra, non minorem charitatem, imò tantò maiorem, quantò ditior fuit, pauperibus exhibuit. Tanta enim fames pauperes premebat, vt mulieres pragnantes ante portam in nemore pariendi tempora implerent. Christus verò non immemor promissi:* Date, & dabitur vobis. *quia largi erant in dando, largam illis misit eleemosynam. Gerardus enim Præpositus Sancti Simeonis, in Treueri moriens, circa ducentas libras argenti illis legauit, ex quibus centum ad portam in vsus pauperum sequestrauit. Portarius centum libras suas recipiens, non ex eis vineas, vel agros, sed totidem maldra siliginis apud Confluentiam comparauit, quibus satis sufficienter vsque ad messem, pauperes sustentauit.* Hæc in Hemmenrode. Ast in domo Vvestphaliæ nil prorsus minùs [e]:

[d] lib. eodem, cap. 66.

[e] cap. 67.

5. *Retulit mihi Frater Godeschalus de Vvolmunsteinc, Monachus noster, post eadem cara tempora, Cellerarium quendam Ordinis nostri de Vvestphalia occurrisse sibi; quem cùm interrogasset, quò festinaret, respondit ille: Ad concambium ante messem, ob necessitatem pauperum, pecora nostra occidimus; calices, & libros nostros oppignorauimus: modò nobis misit Dominus hominem, qui nobis tantum auri dedit, vt eius quantitas in duplo erogatis responderet: vnde vado illud cambiare pro argento, vt ex eo pignora nostra possim redimere, & greges reparare.* Sic Sancti Viri, quæ à Deo acceperant, erogabant pauperibus. Sic Deus, quæ in pauperibus sumebat, larga per omnia manu remunerabat.

6. Cæterùm, quanti apud Deum meriti fuerit prædictus Hermanus, quámque ad nouam promotus dignitatem, noua incrementa charissimarum sortitus, merita meritis, virtutibus virtutes, ac nouis donis antiqua superauerit; quæ Henrico Conuerso Viro Sancto, cuius suprà meminimus, visio, nec semel, de ipso facta est, facilè demonstrabit. Eam, qui vtrunque nouit idem Cæsarius, & Henricum, nimirum, & Hermanum, totidem verbis refert in suis Dialogis [f]: *Dum Dominus Hermanus Abbas esset in Claustro, & in Solemnitatibus, interim dum Chorus*, Te Deum laudamus, *decantaret, circuiret ad Fratres commonendos, atque secundum consuetudinem in Chorum Conuersorum diuerteret, Henricus Conuersus, cuius meminimus in distinctione 5. cap. 5. vidit columbam candidam de Cruce, quæ erat super Altare Conuersorum, in verticem ipsius descendentem: vbi multùm quietè sedebat, donec circuitis vniuersis, de Choro exiret: tunc euolans reuersa est super Crucem: hymno verò expleto, cùm inciperet lectionem euangelicam, eadem auis sacratissima volauit super quandam columnam analogio proximam, illic sedens, & exsultans, sacroque lectioni aurem diligentiùs adhibens: qua perfecta rursum rediit ad Crucem. Et testatus est idem Conuersus, sæpiùs in Festiuitatibus*

[f] lib. 8. c. 37.

se eandem visionem vidisse. Quoties, inquit, Chorum Conversorum intrauit, & coram Altari profundè, vt ei moris est, inclinauit, mox columba prædicta Crucem deferens, capiti eius insedit: in quo statim tantùm creauit strepitum percussione alarum, tantum splendorem nitore alarum, vt ab omnibus potuisset audiri, & ab vniuersis videri, si illis datum fuisset audire, vel videre. Ita Cæsarius.

7. Eisdem temporibus, quantùm ex serie earundem Historiarum elici potest, Hemmenrodense Cœnobium illustrauit *Cuno magnus*, (nam verba Cæsarij sumo &,) *Dominus Castri de Malburg, vir potens, & dives in sæculo, tam valens in militia, ne dicam in malitia, quam vigens in prudentia seculari. Ante finem vitæ in sapè fato Claustro Habitum suscepit regularem: & quia temporis longinquitate non poterat, morum probitate dies suos dimidiare satagebat; vbi adeò profecit, quòd consummatus in breui, expletis tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Vnde & qui vocauerat eum ad suum seruitium, non solùm præstitit ei veniam delictorum; sed & in tali ordine præcognitum ei fecit finem suum.* Ita de conuersione Viri illustris. De morte eius, quæ triennio elapso contigit, & his, quæ ante, & post ipsam contigerunt, miranda satis, & digna, quæ inserantur nostris Annalibus.

g lib. 11. c. 17.

8. Dum hæc in Heisterbacho, & Hemmenrode salutaria, & glorioſa peragebantur, decessit in Villario Guillelmus Abbas, Vir planè pius, & qui non solùm desiderium sui, sed suorum reliquerit, id est, Hemmenrodensium, Heisterbacensiumque, ex quibus ipse Ecclesiis assumptus fuerat. Quippe pro ipso subrogatus Carolus est, qui & ipse ex Hemmenrode cum Guillelmo Heisterbachum transmissus fuerat. Porrò de Carolo à nobis multa superiùs: de eius electione in Villariensem Præsulem, quæ in hunc annum, incidit; & qualiter electus recusauit, quoadvsque per Capitulum generale compelleretur, hæc habet Chronicon Abbatum Villariensium [h]: *Hic igitur* (id est, Carolus) *anno Domini M. C. XCVII. ad abbatialem Dignitatis apicem electus est: quod vt audiuit, non se obtulit requisitus; sed aufugit, timens ex hac promotione animæ suæ periculum imminere. Aufugit igitur, & latuit, quandiu potuit, quousque per Capitulum generale omnibus oblatum, compulsus est suscipere.* Hæc ibi, quæ eadem in Vita eius paulò diffusiùs [i]: *Beatus itaque Carolus audiens se electum in Villariensem Abbatem, non se obtulit requisitus; sed aufugit, timens ex hac promotione animæ suæ periculum imminere: asserens, quòd non ad libertates, aut dignitates accipiendas ad Ordinem venerat; sed potiùs ad deflendum peccata sua, & quòd iniquitates tantas in sæculo habuerat. Aufugit itaque, & latuit, quandiu potuit, quoadvsque pòst in Capitulo generali, per sententiam omnium Abbatum, compulsus est Dignitatem admittere.* Hæc de electione, quam inuitus acceptauit.

h apud Henric. lib. 1. Fascic. dist. 4. cap. 30.

i apud eund. lib. 2. dist. 24. cap. 4.

9. Cæterùm, quantùm sub eo Domus profecerit, eadem Acta subiungunt verbis sequentibus [k]: *Venit itaque Villarium, non solùm Villariensibus, sed etiam toti terræ acceptus, & secundùm datam sibi sapientiam profectui Domus sibi commissæ intendit in temporalibus, & spiritualibus. Non inuenit, nisi Domunculas straminеas, & quasi tugvria Pastorum; & in breui ædificauit duo Dormitoria lapidea Monachis, & Conuersis, & quasdam alias officinas. Auxit insuper Conuentum Monachis, & Conuersis, grangias, ædificiis, & terris ampliauit. Sciuit se coaptare omnibus, & conformare, & propter hoc nobiles, & ignobiles de vana sæculi conuersatione extraxit, & Dei gratia in Claustrum induxit Villariense, Beatum Conradum, postea Cardinalem Episcopum Portuensem, & alios quamplurimos.* Ita in Actis Abbatum Villariensium de Viro Sancto.

k ibidem.

Thomas Cantipratanus, & ipse Belga, nec multò post hæc tempora scribens, incrementa Villarij, magnanimitati vnius Abbatis tribuit, quem Carolum ex circumstantiis fuisse coniector, producto facto, quod non licet silentio præterire [l]: *Maxima, ait, summa pecunia librarum fere mille sexcentarum, mortuo quodam vsurario in Namurco, in dictum Monasterium est delata; ex qua cùm multa possessiones emptæ essent, quidam vir arctæ conscientiæ Monasterij Abbas est electus. Quod vbi comperit factum, condoluit, & venditis omnibus, atque pecudibus, rebúsque mobilibus, pecuniam in Namurcum remisit, vt spoliatis singulis redderetur. Nemine autem assumere volente restitutionis negotia, pecunia iterum ad Monasterium est delata. Pius ergo Abbas reportantibus indignatus, iussit eam iteratò referri, & in foro coram ciuibus, & omni plebe deponi, dicens: Pecuniam, qui velit, accipiat, nostram esse renuo, quam iniustè acquisitam non dubito. Quod vbi viderunt ciues, ædificati non modicùm in hoc facto, communi consilio per manus fidelium virorum, pecuniam suam iniuriatis singulis reddiderunt. Monasterio autem Deus non multò pòst in decuplo plura restituit, & quod ante tenuissimum, & ferè mendicum fuisse probatur, modò elegans, & multis copiis opulentum videmus, & ampliatum.* Hactenus Thomas Abbatem non declarans. Cæterùm, hunc eundem Carolum fuisse produnt indicia Cœnobij Villariensis, quod neque ante ipsum amplum fuit, neque tenuissimum post ipsum dici potuit.

l lib. 2. c. 26. p. 5.

10.

De hoc Beato Viro, inter alia, Cæsarius narrat [m], quòd *dum quadam Matrona nobilis, cum quodam Abbate Ordinis nostri, sub typo confessionis, de secretis conscientiæ suæ loqueretur, dixit, se in eius amore grauiter succensam. Ille, sicut Sacerdos iustus, ac timens Deum, cor suum signauit, & malè ad se conuersum, verbis, quibus potuit, auertit, dicens, se Monachum esse, senem pannosum, ac neglectum: & sicut ipse dixit eidem Monacho, qui mihi recitauit, fœmina eadem tam clara fuit, & tam potens, vt si esset, inquit, in sæculo, sicut aliquando fui, nunquam illi de tali re, nec in minimo verbo facere auderem mentionem.* Et post pauca: *Fuerat autem idem Abbas ante conuersionem, miles in armis strenuus, pulcher, satisque nominatus. Et si vis scire, ipse erat Dominus Abbas Carolus Villariensis.* Hactenus ille. Itaque Author Chronici industriam, humilitati nixam; Thomas Cantipratanus, magnificentiam, atque contemptum rerum temporalium; Cæsarius continentiam, constantiámque; virtutes imperio dignum facientes, inter nostros præcipuè testificantur.

m lib. 3 c. 43.

11.

Cæterùm, quæ extruxit ædificia, quas possessiones auxit, non aliis artibus, quàm gratia dará cœlitùs, & qua apud omnes pollebat authoritate, ex eisdemmet Actis videre licet. Proferam in exemplum vnum ex multis [n]: *Descendebat Vir Dei de monte intra naviculam, recognouitque Cellerarius quendam nobilem à remotis, cum veste humili eis occurrentem. Abbas autem quam citò hoc audiuit, de equo descendit, & veniens pedes obuiam iuit, humiliter eum salutans, & miscens verbis verba consolatoria, dixit illi: Domine, pedes itis: nec tamen decet honestatem vestram: accipite equum, quem hic habemus: & videte, si aliàs vobis subuenire possimus, & faciemus. Nobilis autem ille confortatus verbis amicabilibus Abbatis; eiúsque liberalitate commotus, quidquid in Mundo possidebat, & hereditariè sibi prouenerat, in manus Beati Caroli statim resignauit, & Ecclesiam Villariensem hæredem omnium bonorum suorum ordinauit. Vnde vsque hodie*

n in Fascic. lib. 2 c. 5.

12.

hodie Grangiæ de Granxint, et de Vverde in allodiis eius sunt locatæ. Pergunt Acta de aliis possessionibus acquisitis villario à Beato Viro, quæ longum esset in præsenti recensere.

13. Verùm, qua gratia polleret apud Principes, (quantumuis eis, vbi à recto deuiabant, nunquam acquiescerét,) pergunt eadem Acta ita scribere [a]: *Singularem autem gratiam Dominus ei dederat, quòd à maximis, & paruis, à Principibus terræ, ac eis assistentibus, singulari, & speciali amplexaretur affectu; & in magnis eorum consiliis acceptissimus erat, cùm nunquam eis interesse vellet, vbi contra Deum, & sacræ Religionis honestatem ageretur, &c.* Hæc de Carolo in initio Præfecturæ, quam humiliter renuit, congerenda putauimus, quibus virum vtcunque velut describerem: plura infrà daturi, Deo dante, cùm Abbatiam tandem depositisse, atque ad suam Hemmenroden reuersum tradiderimus.

[a] in Manolog. Ianu. 29.

---

1. *Petrus Atrebatensis Monasterio Henniacensi* 2. *prouide consulit.* 3. *Guillelmus Elienſis in Monasterio de Pyna sepelitur.* 4. *Dedicatum Bochetum*; 5. *& in Synodo prouisum de Nouitiis.* 6 *De Monte Sanctæ Mariæ Bisuntinensis, & de Aqua formosa.* 7. *Arnesburch, atque alius Mons S. Mariæ.* 8. *Consecratum Cœnobium Arnesburchense,* 9. *admirando fauore S. Mariæ Virginis.*

CAPVT V.

1. EODEM tempore, (ait Ferreolus Locrius, ad hunc annum,) cùm in Henniacensi Monasterio Mulierum conuersarum, vt vocant, numerus excresceret, quæ sanctæ Religionis, ibi tunc admodum florentis, odore illectæ, agminatim confluebant, vt tanto numero tepagulum obiiceret Petrus, Atrebatium Episcopus, ne earum causa res Monasterij attritæ, retrò lapsæ ferrentur, eiusmodi diploma, Balduini Abbatis rogatu, conscripsit:

2. PETRVS, DIVINA PATIENTIA, ATREBATENSIS ECCLESIÆ MINISTER HVMILIS, OMNIBVS, QVIBVS ISTAS LITTERAS VIDERE CONTIGERIT, ÆTERNAM IN DOMINO SALVTEM.

Noueris Vniuersitas vestra, quòd dilecti nobis in Christo Balduinus Abbas, atque totus Conuentus DE HENNIN, propter grauamina eiusdem Domus, vnanimi consilio, atque consensu statuerunt, vt deinceps nullam mulierem recipiam in Sororem, donec numerus earum, quæ modò ibi sunt, conuersarum, ad senarium numerum sit redactus. Præterea, cùm ad senarium numerum peruentum fuerit, nullam recipere poterunt, nisi aliquam illarum sex decedere fortè contigerit: & ea, quæ recipietur, loco illius succederet, talis, vnde euidens vilitas Ecclesiæ prouenerit. Verumtamen tres nobiles mulieres decreuerunt, excipiendas DE HENNIN, de Montinlaco, de Burcello Dominas, quas sine damno Domus suæ, & periculo non possent repellere, si ipsæ fortè, vel aliqua illarum Religionis Habitum, in eadem Domo ducerent assumendum. Constitutionem autem prædictam se firmiter obseruaturos, prænominatus Abbas, atque Conuentus vnanimiter concesserunt, sub interminatione anathematis districtius inhibentes, ne quis deinceps Constitutionem præsumat transgredi supra dictam. Nos etiam ad petitionem ipsorum, Constitutionem ipsam approbauimus, & in scriptum redactam, sigilli nostri testimonio duximus confirmandam. Datum anno Incarnationis Domini, CIↃ. C. XCVII. Hactenus Diploma Petri Episcopi, quod illius commendans prouidentiam, non potuit hos Annales pertransire.

3. *Hoc ipso anno* (vterque Matthæus tradit eisdem ferè verbis, Vvest, & Paris) *Guillelmus, Episcopus Elienſis, missus ad Curiam Romanam, obitus diem clausit extremum versùs eandem Curiam, & sepultus est in Abbatia de Pina, Ordinis Cisterciensis III. Kal. Februarij.* Ita vterque. Hic ille Vvillielmus, Elienſis Episcopus, atque totius Angliæ Cancellarius, quem Rex Richardus in Syriam profecturus, & Cœlestinus Papa, ille procuratione, & administratione Regni, hic Legatia apostolica honorauerant, quémque aduersùs multorum criminationes, iure, an iniuria, dubium, ambo defenderant. De quo variè Authores, siue pro hominis vitiis, & virtutibus, nam vtrunque coniunxit, in quantum potuit; siue pro varia scribentium affectione.

Dedicatum hoc anno Bochetum lego, in Diœcesi Claromontensi, per Robertum Episcopum, filium Fundatoris eiusdem Domus: de qua dedicatione, Domóque hæc habet Robertus Claudius in sua Gallia: *Bochetum Ordinis Cisterciensis Diœcesis Claromontensis, fundatum a Roberto Comite Arnedod, & dedicatum à Roberto eius filio Episcopo 61. M. C. XCVII. vbi iacet Guido Cardinalis Bononiensis.* Hæc tantùm ille: quæ nobis nec omittere, sed neque pluribus licuit illustrare. 4.

In Synodo relatum de Nouitiis, qui ex propriis Abbatis absentia, seu defectu, in aliam Domum mittebantur benedicendi; statutúmque, *Vt Nouitij, qui in alia Domo benedicuntur, per formam Ordinis communem profiteantur; & cùm ad proprias Domos redierint, proprio Abbati debitam faciant professionem, nisi ab ipso fuerint benedicti.* De hac benedictione Nouitiorum inferiùs quædam. Nunc addo, adeò necessariam visam illis temporibus, vt inter Cluniacenses, quibus Priores frequentiores erant, Cluniacum vsque mitterentur benedicendi; edito de hoc statuto [b], ne vltra secundum, aut tertium ad summum annum differri possent. Quin, quod mireris, Petrus Venerabilis, de Matthæo Cardinali Albanensi loquens, dicere non cunctetur, aliquid ei defuisse de professione, post vota etiam emissa, quandiu non habuit Abbatis benedictionem [c]. *Regula*, inquit, *monastica subditur: corpori Monasterij, quantum tunc fieri potuit, vel debuit, assocíatur. Paruo temporis spatio emenso Cluniacum venit; quod ei de professione scripta, vel de Monachi vestitus benedictione defuerat a Cluniacensi Abbate, eo ibi benedicto, suppletur: & iam integer corde, ore, habitu, ac vita Monachus, sibi iam pene de Monacho nihil deesse, in Domino gloriatur.* In hac eadem Synodo, quæ hactenus permixtæ, confusæque Capituli functiones, distributæ per dies reperiuntur: decretúmque deinceps obseruandum, quid primæ illius die per annos singulos, quid secunda, & tertia, & tandem quid in quarta esset agendum. Extat decretum in Bibliotheca Fiterienſi inter alia, quæ anonymus antiquus Sanctæ Hues lautcose collegit, atque Alphabetum continuauit. 5.

[b] *Statuto* 38. *Petri Mauric.*

[c] *lib* 12. *mirac. cap.* 7.

6. Superaddita hoc anno quinque Cœnobia, quæ in Chronologia notantur sequenti ordine:

Anno M. C. XCVII. septimo Kal. Februarij, fundata est Abbatia Sancta Maria de Monte Bisuntinensis.

Eodem anno, Abbatia de Ponte.

Eodem anno, Abbatia de Aquaformosa.

Eodem anno, Abbatia in Arnesburch.

Eodem anno, tertio Nonas May, Abbatia de Monte Sancta Mariæ in Hungaria.

Montem Sanctæ Mariæ Bisuntinensis, Robertus Claudius in sua Gallia memorat; nulla tamen maiori notitia loci. In Tabulis Ecclesiarum Clarævallensium, filia Clarævallis post Collem victoriæ recensetur. Quin & in libris Cameræ apostolicæ cc. l. florenorum taxam præfixam habet. Fundatam Domum, ait Iongelinus, in radice montis Iura, non procul à Nozeratho oppido gentis Nattaniæ. Primum loci Abbatem Henricum ferunt, postea Magnæ Troiæ Episcopum, quem anno M.CC.XXXII. ex hac vita migrasse, tradit Albericus Monachus Trium Fontium in suo Chronologico. Atque hunc putant sepultum in Claraualle ante altare S. Trinitatis, vt suo loco, Deo dante, dicemus. De Ponte nihil prorsùs, quod dicam, habeo nam, etsi multas Domos sub Pontis nomine: at nulla sine addito, & singulæ concernunt diuersos annos. Aquam formosam Filiam Sambuccinæ in Calabria, Diœcesis Casanensis, continent Tabulæ Ecclesiarum Clarævallensium, quæ si hoc anno prodiit, Lucam (Ioachimi Scribam) Parentem habuit. Notatur & in libris Cameræ apostolicæ modica trium, & triginta florenorum taxa subscripta. Lego & in Claudio Roberto Aquam formosam in Gallia Castrensis Diœcesis; sed cuius nulla alia maior notitia subest. Demùm tertiam Castrensis item Diœcesis, sed in Italia, in districtu Vrbis (quæ vrbs Ducatus est gentis Farnesiæ) in libris Cameræ eadem, qua prior, taxa.

7. Arnesburch, Moguntinensis Diœcesis, de linea Morimundi exstat in Tabulis Ecclesiarum eiusdem Domus. Est autem nobis notius Monasterium duplici titulo. Altero ex litteris Gregorij Papæ IX. ad Abbatem illius, quas in tempore dabimus: altero ex admiranda visione cuidam Monacho ostensa sub his initiis: quippe a Cæsario Heisterbacensi memoriæ prodita, quam, quia certus illius annus non constat, & aliàs certum est non diu dilatam, ad calcem huius capitis subiungam. Hic tamen noto, diuersum hoc Cœnobium ab alio eiusdem nominis, Præmonstratensis Ordinis, cuius idem Cæsarius etiam meminit [d]. Sunt, qui Arnesburgum Eberbaci Filiam faciant, adeoque augentem lineam Clarævallis, fundatam in prouincia Vvedarauiæ, quinto circiter lapide à Francofurto: habuisse verò Fundatores Solmenses Comites, qui in eo Cœnobio sepulti iacent. Montem Sanctæ Mariæ in Hungaria, hoc ipso anno, Aubertus Miræus memorat: quæ postò Domus in Genesi Ecclesiarum Morimundensium, inter Filias Sanctæ Crucis commemoratur. Cœpit & hoc anno Monasterium de Bodeloo per Venerabilem Balduinum de Bocla, virum sanctissimum: sed nondum nobis venit memorandum, quoadvsque susciperit Cistercij leges. Nunc glorioſam visionem in Arnesburg, cuidam Monacho factam, ex his, qui eius primordia consecrarunt, coæui Authoris verbis, hoc est, Cæsarij nostri, referamus:

[d] lib. 8. c. 27.

[e] lib. 7. c. 22.

8. *In Arnesburgh, Domo Ordinis nostri, fuit quidam Frater deuotissimus erga Beatam Virginem, Dei Genitricem, Mariam. Hic dum aliquantum temporis in eius Domo seruitium peregisset, æstu cordis incredibili cœpit anxiari, aliquam sibi specialem visitationem à Matre Misericordiæ cupiens impartiri. Igitur intempestè quadam noctis hora, dum in stratu sè ad requiescendum collocasset, oculis somnum non capientibus, toto cordis affectu fiducialiter imitare cœpit Beatam Virginem, vt de alta sede polorum descenderet ad se inuisendum. Tunc repentè è lecto prosilit, & pomarium quoddam Dormitorio contiguum ingreditur, in quo aliquantùm resedit, oculis cordis, & corporis sursum erectis. Tum ecce Virgo pulcherrima ingreditur, his eum verbis alloquens: Nunquid non desideratis audire cantum meum? Quo respondente: Desidero, tam dulciter modulata est, vt vix aures humanæ sufferre possent. Melodia autem illa terminata, inclinauit se Virgo, & abiit. Et post pusillum, vidit aliam Virginem, ingredientem ad instar prioris, nimio fulgore micantem, quæ etiam dulce melos cecinit, & recessit. Quas intellexit fuisse Beatas Catharinam, & Agnetem. Et post parum interuallum, ecce gloriosissima Mater Misericordiæ, Maria, per semetipsam visitare dignata est deuotum sibi famulum, quæ etiam omnes sibi in veritate seruientes, neque hic, neque in futuro, sua gratia destituet.*

9. *Venit ergo circumuallata agminibus Angelorum, omnem tetræ noctis horrorem, vultus claritate, ac splendore lampadarum fugans, propiúsque accedens, blanda voce eum compellare cœpit. O Frater charissime, si placuerit, qualitercunque recompensabo deuotissimum famulatum tuum, dulci melodia? Beata Virgine melos præcinente, Frater ille, quasi in ecstasi factus, in faciem corruit, & omnis illa visio disparuit. Interim Fratres ex more ad matutinalem surgunt Synaxim, prædicti Fratris absentiam vehementer admirantes: quia nunquam diuinis Officiis se subtrahere solitus erat, nisi graui infirmitate depressus, vel quolibet vtili negotio occupatus. Quapropter, quia reuerendus omnibus habebatur, officinas totius Monasterij perlustrantes, tandem in prædicto pomario reperierunt, vultum habentem in terram demissum: quem leuantes, & in lectum deponentes, omnem diligentiam adhibuerunt. Qui sospitati redditus, per præceptum Abbatis sui coactus est omnem rei ordinem pandere. Qui postea non ingratus beneficiis sibi collatis, reliquum tempus vitæ feruentius in Dei seruitio, atque eius piissimæ Genitricis perfecit; tandémque fine beato requieuit. Hæc mihi relata sunt à religiosa Vidua, sorore eiusdem Fratris, quæ omnia testata est se veraciter intellexisse.* Hæc à Cæsario bona fide accepta, redditáque, vt illusioni obnoxia esse potuerint, deceptionísve, sic vbi per virtutes comprobantur, & religiosam vitam, non leuem apud pios mereantur approbationem.

1. Eminentissimi scriptis, & dignitate Cardinalis Baronij, qui ab hoc anno desit, Annalium laus. 2. Cardinales de ambitu notati. 3. Electus Innocentius, & Bzovius deprehensus ipso in limine: 4. cui Chaconius errandi Author fuit. 5. Innocentius de electione sua ad omnes, 6. sed specialiter ad Abbatem, & Conuentum Cistercij scribit: 7. propriam insufficientiam perpendens, 8. & se commendans eorum orationibus. 9. Idem ad Abbatem, & Conuentum Claraualli.

CAPVT I.

1. SEQVITVR annus nonagesimus octauus supra millesimum centesimúmque, qui fuit ab ortu Cistercij centesimusprimus, tristis Ecclesiæ Cœlestini Papæ morte, quæ intrantis anni initia funestauit: nec minùs tristis Cardinalis Baronij obitu, qui Annales suos (ingens profectò opus, & dignum argumento) huc vsque continuatos, ab eo tandem scribere cessauit, simul & viuere. Extincta ergo luminosa face (columna ignis in deserto antiquitatis) ecclesiasticæ Historiæ, necesse erit in multis cæcutire: nam, qui eius scripta prosequutus Abraham Bzovius, quod eius pace dixerim, nisi Baronius præcessisset, stella; & quidem non exigua, composita eius radiis, penè disparet. Et vt affectum filij in matrem veneror, hoc est, in sanctissimam Familiam Prædicatorum, quæ totos ferè illi Annales implet: at in priuata, atque speciali Historia maluissem expressum: vbi domestica quæuis non redundarent; sed nèque extranea desiderarentur, etiam grauissima. Feliciùs, etsi breuiùs, vt inceperat, illustrissimus Apamiarum Episcopus, Henricus Spondanus, si non & ipse natione Gallus, charitate in Patriam, seu maiori notitia rerum illius, quod facilè admittam, Gallos, quàm ecclesiasticos Annales magna ex parte legendos concinnasset. Nobis id vnum præ oculis habendum in hac secunda centuria, quam nunc aggredimur, quod in illa facillimum (quippe in qua magis, quàm in præcedenti, nihil penè in Ecclesia sine Cistercio) Cistercienses Annales ita scribere, vt Ecclesiasticos, aut augeamus, aut illustremus; addam verè, & in multis, aut corrigamus.

2. Optabat Cœlestinus morti iam proximus successorem, quacunque via posset, sibi eligere Ioannem de Sancto Paulo, Presbyterum Cardinalem tituli Sanctæ Priscæ, *de cuius sapientia, sanctitate, & iustitia,* vt ait Rogerius [a], *plurimùm confidebat.* Adeò vt offerret resignare Pontificatum, si illum Cardinales adorarent. Quod affectui, an iudicio datum sit, solus nosscere potuit, qui nouit corda. Constat Cardinales non consensisse; siue, quia inauditum, pernicioſúmque, si posteris in exemplum traheretur; atque Petri successio, quouis colore, propria velut hæreditas, inter Pontificum decedentium legata foret: siue vnoquoque, saltem ex dignioribus, ambiente Tiaram; in quo & Iordanum Cardinalem ex Fossa noua, cum aliis deliquisse (quo erat vir ingenti, & elato animo) idem etiam Rogerius reliquit scriptum [b]: *Omnes,* ait, *Cardinales vna voce responderunt, quòd illum conditionaliter non eligerem, dicentes, quòd inauditum erat, quòd Summus Pontifex se deponeret. Et sic erat schisma inter illos: Dominus enim Ostiensis Episcopus Cardinalis nitebatur, vt ipsemet Papa fieret: similiter Portuensis Episcopus: similiter Dominus Iordanus de Fossa noua.* Non diu fuit, quòd Henricus Cardinalis recusauit, quæsitus, rogatúsque, Conrado item in breui recusaturo. Hos inter dicitur Iordanus ambiisse, quod non obtinuit. Nobis nihil omninò tacendum erit, quod nostros concernat: laudandum, imitandúmque, si laude dignum; si secùs, condemnandum, & fugiendum.

[a] *in Annalibus Anglia, pag. 2.*

[b] *apud Baron. an. 1198.*

Cœlestino Pontifice defuncto, & iustis persolutis pro more Curiæ, Lothatius, siue, vt alij volunt, Ioannes Lotharius, Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergij, & Bacchi, patria Anagninus, claro ex Comitibus Signiæ sanguine natus, clarus doctrina, & moribus, Pontifex Innocentius III. renunciatur summo omnium consensu Cardinalium: inter quos duo ex Cistercio Iordanus, & Guido, (nam Biturix Henricus non interfuit,) vterque Presbyter, ille Sanctæ Pudentianæ, titulo Pastoris; hic Sanctæ Mariæ trans Tyberim, titulo Callisti. Constat autem non multa pertinacia litigatum ab eis de successione, quando tam facilè in alium conuenêre. Quòd si verum esset, quod Bzouius putat, eundem fuisse Ioannem de Sancto Paulo, quem Cœlestinus subrogari sibi desiderasset, purgassent proculdubiò suspicionem, qua inusti à Rogerio, dum tradit restitisse Cœlestino, quòd quisque sibi ambiret Pontificatum. Sed verè Bzouius lapsus ipso in limine; deceptus Ioannis nomine, nec Lotharium distinguens à Sancto Paulo: & Cœlestinus hunc vltimum optauerat Presbyterum Cardinalem à se creatum, tituli Sanctæ Priscæ: at Cardinales primùm elegerunt non Presbyterum, sed Diaconum: nec Sanctæ Priscæ, sed Sanctorum Sergij, & Bacchi; nec demum Cardinalem creatum à Cœlestino, sed à Clemente III. Quæ cùm indubitanter ita se habeant, mirum est Bzouium incepisse hos Annales in hæc verba scribentem de Innocentio [c]: *Annos non plus quàm septem, & triginta natus, eam sui admirationem apud omnes excitauit, vt & Cœlestinus Pontifex summo Magistratu se abdicare voluerit, si modò se superstite, Patres eum subrogarent: & Cœlestino vita functo, non alium digniorem Patres indicauerint, cui Ecclesiam vniuersalem committerent.*

3.

[c] *eodem ann.*

Longè autem mirabilius esse potest huius erroris Authorem illi fuisse Alfonsum Chaconium, ex eadem Familia Dominicana, qui cùm vtrumque Ioannem distinxisset, docuissetque ex Annalibus Victorianis, Ioannem Presbyterum Cardinalem Sanctæ Priscæ optatum sibi successorem à Cœlestino [d], nihilominùs promoto Ioanne Diacono tituli Sancti Sergij, in hæc verba prorumpat in Innocentio [e]: *Nullus inter Romanos Pontifices memoratur, qui Cardinalibus gratior, & acceptior fuerit, quàm Cœlestinus III. cuius incredibili humanitate, gratia, & comitate omnes mirum in modum affecti fuêre. Idcirco ei contigisse ferunt, quod nulli alij Romano Pontifici, scilicet, vt post eius obitum eum continò Patres Pon-*

4.

[d] *in Cœlestino.*

[e] *in Innocentio.*

Digitized by Google

ipsorum Maximum renunciauerint, quem ipsis paulò ante mortem designatum nominatim proposuerat. Verùm quod omnem admirationem superat illud adhuc Lectori meo proponam. Eundem Chaconium loquentem de Ioanne de Sancto Paulo, titulo Sanctæ Priscæ Cardinali, (quem Cœlestinus successorem sibi optasset) in eodem prorsus folio, diuersa licet pagina, dixisse, Episcopum Sabinum creatum ab Innocentio, ac Legatione functum; atque id genus alia, quæ vera quidem, sed cum eiusdem in locum Cœlestini subrogatione non cohærentia, certè taxatum à Baronio dudum oscitantiæ Chaconium, debuisset fugere Baronij Continuator. Sed pergo ad alia.

5. Ergo Lotharius electus in Pontificem, ac sacris initiatus ritu solenni, quod accidit octauo Kalendas Martij, primùm vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Regibus (nam tunc decrat Imperator, mortuo Henrico, & Friderico, filio eius, qua drienni relicto) Principibus, & Populis Christianis de sua assumptione litteras dedit, indices animi, quòd ad omnia sui Apostolatus munia subeunda paratus esset. Aliquarum transumptum adducit Bzouius: nos, quas Abbati, & Conuentui Cistercienſi mense Iunij immediato (neque enim Generale Capitulum sustinuit, quod erat mense Septembri celebrandum,) amoris simul, deuotionisque, & salua maiestate Pontificia, reuerentiæ plenas, scripsit, ex Vaticano decerptas, describemus: sic contrà habent:

f in Regesto fol. 84.

6. *Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis Filiis, Abbati, & Conuentui Cistercienſi, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Dum non solùm, quod in Summo Pontifice; verùm etiam in quolibet Episcopo requiratur, aduertimus, & grauitatem officij Pastoralis, & præteriti temporis attendimus libertatem; & ferè prorsus insufficientia nostra deficimus, & in eo solo, cuius vices in terris geritimus, confidentes, de nostris meritis non speramus. Quamuis in variis simus negotiis occupati, vtpote quibus omnium Ecclesiarum sollicitudo semper incumbit; aliquando tamen in nos ipsos, nostræ considerationis aciem reflectentes, diem priorem statum præsenti conferimus, & vtrumque ad alterum rationis lance pensamus, Seruos seruorum (prout in compendio salutationis Litterarum nostrarum apponitur) nos esse agnoscimus, qui non solùm de nobis, sed de omnibus omninò fidelibus tenemur Deo reddere rationem: cúmque suscepti regiminis onus, quod est debilibus nostris humeris importabile, cogitamus, illud propheticum posse nobis credimus coaptari g: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Et vtinam illud nobis coaptari non valeat* h: Exaltatus autem humiliatus sum, & confusus. *ne forte simus ex illis, de quibus inquit sacra Scriptura* i: Deiecisti eos, dum alleuarentur. *Quem enim sana mentis, & intelligentiæ plena, non terreat verbum illud Apostoli ad Timoth. in sua loquentis epistola* k: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem, Doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suæ domui benè præpositum, &c.

g Psalm. 68.
h Psalm. 87.
i Psalm. 72.
k 1. ad Timoth. 3.

Nam, vt difficultatem capitulorum sequentium taceamus, quis se poterit irreprehensibilem exhibere, cùm secundum Ioannem Apostolum l: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est? *Cùm & de illo, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, dictum fuerit* m: Ecce homo vorax, potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus? *& alibi* n: Seductor, & habens Dæmonium *appellatus fueris?* & cum impiis deputatus? *Cùm etiamsi actus nostros in obseruatione mandatorum suorum ille dirigeret, nec nos permitteret declinare ad dexteram, vel sinistram, à quo bona cuncta procedunt, refrenare tamen non possemus os iniqua loquentium, vel cauere nobis à labiis iniquis, & lingua dolosa.* 7.

l 1. Ioan. 7.
m Matth. 11.
n Ioan. 7. & Ioan. 8.

Quia igitur non de nostra virtute confidimus, sed de vniuersalis Ecclesiæ prece speramus, Vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur attentius, quatenus præter communem orationem, qua pro nobis fieri consueuit, insufficientiam nostram vestris orationibus specialius adiuuetis, puras manus, sine disceptatione, leuantes ad Deum, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, petentes, vt quia non sunt in homine vias eius, ipse, qui pro nobis factus est homo, dirigat gressus nostros in semitis suis, vt vestigia nostra nullatenus moueantur; sed ipse, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, gratiam suam in nobis multiplicet, motus interiores disponens, & actus exteriores modificans, quatenus ea semper, & meditemur interiùs, & exteriùs operemur, quæ ad laudem nominis eius, ad salutem animæ nostræ, necnon & profectum totius Ecclesiæ debeant peruenire; nec nobis, sed sibi det gloriam, qui est gloriosus in sanctis, concedens nobis per suam misericordiam ineffabilem, quod sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus, imò potiùs consequamur aterna. Datum Romæ XII. Kalendas Iunij, Pontificatus nostri anno primo. Hæc ad Guidonem, & Fratres Cistercienſes. 8.

Porrò ad Abbatem, & Conuentum Clarævallis, inscriptione mutata, similes, siue veriùs eadem litteras, dedit, quarum, & præcedentium meminit Spondanus n. 4. & 13. præsentis anni. Ergo ad Claustra Cistercij, & Clarævallis, tanquàm ad orationum officinas, & meritorum velut indeficientes scaturigines, Reges, & Principes, nec sæculares tantùm, sed Ecclesiastici, imò & ipse totius Ecclesiæ Caput, recurrebant fidenter, cœlestia beneficia postulaturi. Neque id mirum: nam, præter perfectionem vitæ communis, multi in vtraque Domo florebant per hæc tempora, clari virtutibus, signis glorioſi: nec paucos memorat Henriquez in Menologio, quorum nos aliquos; sed alios breuitatis causa omittimus. Et adscripserat Catalogo Sanctorum non multò antè Pontifex Cœlestinus III. Siluanum Clarævallensem Monachum, è Bernardi discipulis (à nobis suprà traditum) vt inter Acta eius, quæ nuper prodierunt, notatum videas o. 9.

o in *Additis ad Chaconium.*

1. *Tancredi vidua, ab Henrico quondam capta, cum suis filiis,* 2. *& Archiepiscopo Salernitano,* 2. *à Philippo Sueuiæ Duce detentis, cum parte patrimonij Beati Petri.* 4. *Abbas Sancti Anastasij cum Episcopo Sutrinensi Legati ab Innocentio,* 5. *qui de carcere eductos* 6. *liberarent.* 7. *Commissa eisdem Salernitani Præsulis causa:* 8. *& cautio de ablatis restituendis.* 9 *Quid Pontifex de hac Legatia in aliis litteris:* 10. *atque obiter correctus Abraham Bzouius.* 11. *Cardinali Guidoni alia iniuncta.*

CAPVT II.

1. VRBABANT per hoc tempus res Occidentis, sed præcipuè Italiæ, Germaniæque Henrici Imperatoris primùm tyrannis, atque extendendi imperij sæua libido, iuris, & æqui nescia: mox, qui à morte eius sequuti sunt, noui aliorum motus, noui conatus: quos Innocentius nunc seuerè oppositus, nunc benignè assistens, neutrum sine Cistercio, prout res exigebat, moderabatur. Cœperat dudum per fraudem idem Henricus Tancredi Siculi viduam, Rogerium filium, iam Regem acclamatum, & tres eius sorores, atque Archiepiscopum item Salernitanum cum multis aliis, de quibus Chronicon Fossæ nouæ, quod tunc scribebatur, hæc habet verba [a]: *Deceptus promissionibus Imperatoris Henrici iuramento firmatus, præsidiis, & munitionibus spoliatus, bonisque priuatus, diuersis cruciatibus exagitatus, idem Henricus in Alemanniam secum duxit, filiumque Regem puerum, Reginam, puellas, Comites, aliosque diuersi generis Principes, & inferioris Ordinis homines.* Porrò, qualis deceptio, & qui cruciatus, præcipue in regio puero, Thomas Fascellius Scriptor Siculus tradit [b]: *Tandem Rogerium iuuenem, & viribus propriis diffidentem, eo sua arte pertraxit, ut diuiso Regno Siciliam Henricus, reliquum verò Rogerius teneret. Hac concordia, dum Rogerius plùs satis Henrico confidit, anno salutis M. C. XCV. pridie Kalend. Decembris, Henricus Panormum venit, ac more regio intra urbem receptus, Rex etiam declaratur. Rogerius interea dum ad sua iura prætendit, nil tale metuens, in Vrbe Panormo cum Alteria, Constantia, & Madonia sororibus III. Kalendas Ianuarias captus Henrico deditur. Nec mora, Regno omni a Germanis occupato, exauctoratus, miser, mœstusque, cum sororibus in Alemanniam relegatus, & luminibus priuatus est. Vbi vt spem omnem ei successionis Henricus adimeret, & de iure hereditatis futuræ posteris litigandi surriperet causam, genitales illi partes desecans, eunuchum fecit, ac carceri ad mortem addixit.* Eadem alij Authores antiquiores [c]: sed longè pluribus.

a apud Baron. anno 1194.

b Decade 1. lib. 7 cap. 7.

c Arnold. Lubecensis, & alij.

2. Cum Sibilia (id nomen Tancredi viduæ) Salernitanum etiam Archiepiscopum captum (quanuis Bullæ antiquiorem carcerem sonent, quas statim tradam) Carolus mihi Sigonius Author est, haud ignobilis Italicarum rerum Scriptor, qui ita habet [d]: *Sibilia Regina, cùm se viribus imparem ad resistendū videret, vna cum Guillelmo filio* (sic enim vocat, quem cæteri Rogerium) *& filiabus, atque Archiepiscopo Salernitano, & fratribus eius, se se in castellum situ, operèque munitum recepit, Legatisque ad Henricum missis ostendit, se Regno cessuram, si Guillelmum filium Principem Tarenti relinqueret.* Et post pauca: *Sibiliam verò cum filio, & filiabus, & Archiepiscopo, ac fratribus III. Kalendas Ianuarias comprehendit.* Et tandem inferiùs: *Nam Sibiliam, & Archiepiscopum perpetuo carceri destinauit, Guillelmo virilitatem ad spem stirpis adimendam exemit*, &c. Itaque & Archiepiscopus damnatus perpetuo carceri.

d lib. 15. an. 1194.

Hunc custodiæ Philippi Ducis Sueuiæ, qui post- 3.
modum de Imperio decertauit, vt mox videbimus, Imperator commiserat; seu Philippus patrimonij Petri inuasor habere voluit, velut obsidem earum ciuitatum, quas occupasset. Nam Henricus *in Romana detrimentum Ecclesiæ* (ait idem Sigonius [e]) *Philippum fratrem, cui Irenem Rogerij vxorem collocauit, Ducem Tusciæ, ac Terræ Mathildis; Marcoaldum verò Ducem Rauennæ, & Marchionem Anconæ, & Conradum Spoleti Ducem constituit.* De Marcoaldo statim: nam ne ipse repressus sine Cistercio. De Philippo constat, anathemate percussum à Cœlestino propter vtranque causam; sed, quæ vtraque Innocentio vincenda, neque id sine Cistercio, reseruabatur: *Eo*, ait Sigonius [f], id est, Henrico profecto, *Philippus Dux Tusciæ ciuitatis, quæ in fide Ecclesiæ erant, oppugnare, ac sua adiungere ditioni instituit. Itaque à Cœlestino piorum societate summotus est. Quominus idem in Henricum, cæteroſque, quorum opera captus Archiepiscopus erat, Hauueretur, Legati Henrici breui solutum iri Archiepiscopum asserentes, prohibuerunt.* Hic status rerum, conscendente Innocentio Petri nauiculam.

e ubi supra.

f ubi supra 1194.

Quisnam hac tempestate Præfectus esset celebri 4.
Monasterio Sancti Anastasij, non potui hactenus alicubi inuenire. Constat, quencumque virum, strenuè gnarum, prudentémque, cui simul cum Episcopo Sutrino, tanta Innocentius negotia commendauerit. Et quidem de liberatione Sibiliæ, filiorúmque, & cæterorum, qui captiui in Teutonia detinerentur, litteras primùm dedit Innocentius ad omnes Archiepiscopos, & Principes per imperium dispersos, quas adducit Baronius loco suprà: verum, cùm minùs proficeret per litteras, Legatos tandem decreuit destinare, ampliſſima eis concessa potestate ligandi, atque absoluendi, quoadusque vinctos libertati suæ redderent. Quin & scripsit Ecclesiæ Moguntinæ eorum per omnia sententiis parituræ. Porrò commissionis concessæ illis tenorem ex Vaticano ad litteram transcriptæ, Annalibus inserendam esse duxi, quæ ita habet [g]:

g in Registro fol. 15.

Sutrinensi Episcopo, & Abbati S. Anastasij, pro 5.
liberatione nobilis mulieris Sibiliæ, filij, & filiarum eius, & aliorum captiuorum Regni Siciliæ detentorum in Teutonia.

Inter cætera, quæ Dominus in nobis mirabiliter, & misericorditer operatur, magnæ reputandum est miserationis indicium, cùm eis pœnam accelerat temporalem, quibus vltio debebatur æterna: scilicet, in Regno Siciliæ diebus nostris intelligimus accidisse. Cùm enim Siciliæ populus, & cæteri de eodem Regno effeminati, otio, & pace nimia dissoluti, de suis diuitiis gloriantes, se in voluptatibus corporis luxuriùs exercerent, ascendit in altum fetor eorum, & traditi sunt ob multitudinem peccatorum suorum in manibus persequentium. Vsque adeò autem in eos, quod dolentes dicimus, furor exarsit hostilis, vt quidam

eorum

eorum turpi morte damnati, in tribulatione cordis, & corporis animas exhalarent: quidam membrorum mutilatione deformes, fierent abiectio plebis, & ludibrium populorum. Maiores verò ipsorum compedibus, & nobiles manicis ferreis alligati, captiui, & exules in Teutonia macerarentur. Reliquis hæreditates suas in extraneos transferri videntibus, & domos suas subiici alienis.

6. *Verùm, ne compassionis nostræ solatium, qui patientibus ex susceptæ administrationis debito compari voluimus, & tenemur, penitùs subtrahatur, quibus ipse Dominus iam videtur ex parte placatus: Venerabilibus Fratribus nostris vniuersis Archiepiscopis, & dilectis filiis nobilibus viris, Marchionibus, Ducibus, Baronibus, & aliis Alemanniæ Principibus dedimus in mandatis: vt dilectam in Christo Filiam nostram, nobilem mulierem Sibiliam, filium, ac filias eius, & cæteros de Regno Siciliæ, qui in Teutonia detinentur, à detentionis suæ vinculis absolutos, ad nos liberos excusatione, & dilatione cessante remittant. Inde est, quòd Discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si mandatum nostrum forte non fuerit adimpletum, vos in detentores eorum, excommunicationis sententiam proferatis, & terras eorum, imò totam Diœcesim, in qua nobiles ipsi tenentur, vel ad quam fuerint forte translati, interdicto subdatis; neutram relaxaturi sententiam, donec ipsi libertati fuerint pristinæ restituti. Dilectis etiam filiis, Capitulo Moguntino per apostolica scripta præcipiendo mandamus, vt sententiam, quam vos propter hoc contigerit promulgare, ratam habeant, & faciant inviolabiliter obseruare.* Hæc pro Sibiliæ, atque filiorum eius, & cæterorum, qui adhuc in Teutonia detinebantur, liberatione.

7. At pro Archiepiscopo de carcere educendo, & recipiendis occupatis Italiæ vrbibus, quæ duo hactenus Ecclesiæ vtraque iura, & diuina, & humana labefactabant, cùm iam ipse Philippus, Sueuiæ Dux, seu sacrilegij conscius, & resipiscens, seu mortuo Henrico, imperium sibi parans, cui via pateret aditum patere, nisi per Innocentium, quem adeò vellet pro tempore placare; eosdem censuit Legatos destinandos, specialibus super his Litteris datis, quas ex eodem Regesto Vaticano præcedentibus censui subiungendas:

h in Regesto, fol. 11. *Sutrinensi Episcopo, & Abbati Sancti Anastasij de vrbe, pro reconciliatione Philippi Ducis Sueuiæ, & liberatione Archiepiscopi Salernitani.*

Cùm ei simus diuina prouidentia in Ecclesia Romana regimine substituti, qui a Domino, vt delinquentibus non solùm septies, sed & septuagies septies indulgeret, audiuit; & maius gaudium esse nouerimus Angelis Dei super conuersione peccatoris vnius, quam supra nonaginnouem iustis, qui non indigent pœnitentia, Euangelio protestante, eos, qui à se anathematis iugum excutere cupiunt, vt ad ecclesiasticam redeant vnitatem, ex pastoralis officij, ad quod vocati sumus, debito, recipere benignè tenemur, & receptos misericordiæ gremio confouere.

8. *Intelleximus siquidem, tam per te, Frater Episcope, & per te, fili Abbas, quàm per alios, quorum relationibus fidem non modicam adhibemus, quòd nobilis vir, Philippus Dux Sueuiæ, qui propter inuasionem, ac detentionem patrimonij Beati Petri, & nostri, excommunicationis fuerat vinculo innodatus, Ecclesiæ reconciliari desiderat, & restitui ea ecclesiastica Sacramenta, ac super his, pro quibus notatus fuerat, satisfactionem omnimodam exhibere: licet autem superioris sententiam minor relaxare non possit, & propter ho. Dux ipse ad Sedem apostolicam esset destinandus, vt ab ea, qua ipsum vinculis excommunicationis inuolui, absolutionis beneficium obtineret. Speramus tamen, quòd per ipsius studium Venerabilis Frater noster Salernitanus Archiepiscopus, de longana detentionis ergastulo liberetur; laborem itineris, ipsi, sub ea conditione duximus remittendum, si nostram super hoc, sicut bonæ memoriæ Cœlest. ino Papæ, prædecessori nostro, perte, Frater Episcope, obtulit, impleuerit voluntatem. Ideóque Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eodem Archiepiscopo libertati pristinæ restituto, & recepto à Duce, iuxta formam Ecclesiæ, iuramento, quod super omnibus, pro quibus fuit ab Ecclesia communione annotus, mandatis apostolicis, omni dolo, & excusatione postpositis, debeat obedire; manus absolutionis, ipsi, authoritate freti apostolica, impendatis. Quod si forsan eundem Archiepiscopum, vel non potuerit, vel noluerit absoluere, seu etiam forte distulerit; ad Ecclesiam Romanam accedat, à nobis iuxta Ecclesiæ consuetudinem absoluendus.* Hæc ad prædictos Episcopum, & Abbatem.

9. Dedit & Litteras idem Innocentius ad Spirensem, Argentinensem, & Vvormaciensem Episcopos, super eadem Archiepiscopi Salernitani liberatione, & cautione præstanda super ablatis: sed in subsidium tantùm, & quibus vti, aut possent, aut deberent, si Dux prædictos Legatos contempsillet: i *ibidem.* *Quod si (quod non credimus) ad monitionem vestram, & Venerabilis Fratris nostri, Sutrini Episcopi, & dilecti Filij, Abbatis Sancti Anastasij, quos ad hoc specialiter destinamus, eum dimittere forte noluerit,* &c. Hæc omnia attingit hoc anno Abraham Bzouius: sed attingit tantùm, vt qui indicem Litterarum apostolicarum nobis producat; rerum gestarum narrationem penè contemnat. Sed & alia omittit, quæ priuatos Annales concernentia, (sic nunc nostros appello,) vel in publicis debuissent non præteriri. Tale est illud, quod pro eodem Archiepiscopo idemmet Innocentius scribit ad Abbatem Lucam, (Sambucinensem Ioachimi quondam scribam,) & habetur inter alias eius epistolas: *Vt quod in Ecclesia, vel Diœcesi Salernitana, in concessionibus beneficiorum, Ecclesiarum, & aliis ecclesiasticis, memorato Archiepiscopo detento in vinculis, per potentiam laicalem attentaretur, authoritate apostolica cassaret, ac carere decerneret robore firmitatis. Datum Laterani 13. Kalendas Aprilis, anno primo.* Hæc Cistercienses Annales illustrantia per occasionem Lucæ Sambucinensis, in ecclesiasticis debuissent non omitti, Innocentij laudandam sollicitudinem, & vigilantem prouidentiam commendatura.

10. Displicet etiam illud, quod tacere non possum, in hoc Authore; tot epistolas lectas in Vaticano, atque insertas Annalibus, vt non ad longum, saltem earum titulis detruncatas, & mancas ab eo tradi, altero tantùm Legato nominato, cùm tam ex ipsis inscriptionibus, quàm ex corpore constet, scriptas ad duos, atque vtrunque Collegam, destinatum vtrique operi. Et sanè Bullæ nostræ ex Vaticano transcriptæ ad litteram, authenticæque ad finem cuiusque codicis, quam nobis operam, cùm esset Romæ, contulit Reuerendus P. Fr. Leander Vadillo, Procuratoris Generalis in Curia officio fungens, interuentu Reuerendissimi Patris D. D. Hilarionis Rencati, tunc Abbatis Monasterij Sanctæ Crucis, nunc Generalis Vicarij per vniuersam Tusciam, & Lombardiam; necnon authoritate Eminentissimi Cardinalis Vbaldini, quem huius nostri laboris, quandiu vixit, & authorem habuimus, & promotorem in multis experti sumus. Legatiæ Abbatis Sancti Anastasij pro Archiepiscopi Salernitani liberatione meminit & Si-

gonius

k lib. 15. in fine.

gonius his planè verbis [k]: *Scripsit* (scilicet, Innocentius) *ad Argentinensem, & Spirensem Episcopos, vt Vcelium Bercensem monerent, Archiepiscopum Salernitanum è custodia mitteret. Atque Episcopo Sutrino, & Abbati S. Anastasij, Legatis ad id in Germania missis, mandauit, vt si ille authoritati suæ non paruisset, execrationis in eum sententiam explicarent.* Ita Sigonius.

II. Restabat comprimendus Marcovaldus, Henrici quondam Dapifer, atque ab eo institutus Dux Rauennæ, & Marchio Anconæ, qui nulla maioris fastigij spe allectus, nullis censuris parendum sibi putabat: adeoque armis cum eo, quàm iudicio, ferro, quàm anathemate abscindendus. Sed & hoc etiam per Cisterciensem factum Guidonem Cardinalem tituli S. Mariæ trans Tyberim, ex Abbate Cistercij, quem cum aliis duobus Cardinalibus, vtriusque gladij ministrum, & Magistrum expertus est, atque ab ipsis coërcitus, & quæ malè tenebat, coactus reddere. De his Abraham Bzouius loquens de gestis Innocentij Papæ [l]: *Marcovaldum, Imperij Semeschallum, impietate Ænobarbi Friderici in Ecclesia enutritum, adeòque tyrannum, qui fidem Romanæ Ecclesiæ multoties præstitam violauerat, & patrimonium D. Petri in Æmilia, & in Piceno, seu Marchia Anconitana inuadere, ac detinere præsumpserat, atque sapiùs admonitus restituere contempserat, missis Guidone tituli S. Mariæ trans Tyberim, Henrico tituli S. Laurentij in Lucina, atque Ioanne tituli S. Priscæ, Presbyteris Cardinalibus, Sedis apostolicæ Legatis, tum anathemate percussis, tum armatis copiis profligauit.* Meminit & huius Legatiæ, tacitis quanuis nominibus Cardinalium, nec nisi duos exprimens, idem, qui suprà, Carolus Sigonius in hæc verba: *Ad Marcoaldum autem, seu Marcovvaldum, qui Ecclesiasticorum agros in Marchia fædè populabatur, Cardinales destinauit duos, regatum, vt desisteret, & execratum, si perrexisset. Cardinales profecti mandata ediderunt. Et cùm is, nulla sui ratione ducta, in populatione persisteret, etiam communione priuarunt, ea subscriptione, quòd & fidem fefellisset, & patrimonium Ecclesiæ inuasisset, neque repetitas res restitueret. Quod vbi Pontifex audiuit, eam sententiam iustam esse pronunciauit.* Pergit deinde de expeditione bellica, auxilio Bononiensium; quoadvsque omnia Ecclesiæ restituerentur, de quibus nos dicemus sequenti anno.

l ad hunc annum.

---

1. *Rothomagensi Præsule insultante contra Philippum,* 2. *idem Rex Gallia Innocentium appellauit:* 3. *atque vtranque Guidonem Cistercij, & Clarævallis obtinuit Iudices.* 4. *Cella noua in Gallecia per Abbatem de Melone defensa.* 5. *Delegata alia causa nostris in Lusitania.* 6. *Quin & in Anglia:* 7. *multi in Italia à Dæmonibus obsessi,* 8. *ab Abbate Locedij liberati.* 9. *Conflatum de Vivo: & quædam alia de ipso remissiuè.*

CAPVT III.

DESCEBANT interim odia, & simultates inter Reges Gallorum, Anglorúmque, siue amore, siue assentatione in proprios Principes, descendentes à Regibus ad subditos, per vtriusque Prouincias grassabantur. Haud satis fidum suo se Regi putabat, qui non conuitiis æmulum; qui non, si posset, iniuriis prouocaret. Rothomagensis inter alios Præsul infestabat Philippum, imò præ aliis: zelo, an liuore, dubium. Constat, obtentu curæ pastoralis extensæ ad Gallos populos, (sunt enim Galli contermini Northmanis,) infestatisse Prouinciam, & quæsito colore aduersùs Regem, populos interdicto subiecisse. Appellauit Philippus Innocentium, Rohtomagensis iudicium, tanquàm sibi subiecti, planè declinans. Verùm, cùm ne post appellationem interpositam, ab incepto desisteret, vir litigiosus, si qua fides Guillelmo Neubrigensi [a], Philippus Iudices sibi dari petiit, neutri parti suspectos, per quos, quas Archiepiscopus proponeret, querelæ, aut controuersiæ deciderentur. Tum verò Pontifex causam delegaturus, duos Guidones ex Cistercio sibi delegit, Cistercienses, nimirum. Clarævallensémque, quos neutra pars auderet recusare. Litteras insuper ad vtrumque Abbatem dedit, quas non pigeat ad litteram transcribere [b]:

a lib. 5. c. 24.

b in Registro, fol. 64.

2. *G. Cistercienſi, & S. Clarauallenſi Abbatibus.*

Deferendum Regi, quasi præcellenti, cùm in Generali testetur Apostolus [c], *illi deferre specialiter volumus, & deferri desideramus ab aliis, quem certis nouimus argumentis, & fidei catholicæ integritate præcellere, & inter cæteros Reges in deuotionem Romanæ Ecclesiæ, proposito persistere firmiori. Hinc est, quòd nos attendentes fidem, & deuotionem, quam charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris, non solùm circa Romanam Ecclesiam, verùm etiam Ecclesias vniuersas, quasi ex liberalitate innata creditur exhibere; de Venerabilis Fratris nostri N. Rothomagensis Archiepiscopi discretione miramur; quia (sicut audiuimus) cùm idem Rex super facto Andeliaci ab ipso Archiepiscopo, tanquàm à suspecto Iudice appellarit, ne aliquid posset in eius præiudicium generari: nihilominùs idem Archiepiscopus ipsum infestat, eiúsque terram in sua Prouincia constitutam ecclesiastico vinculo supponere interdicto. Vnde nos Canonum statuta sequentes, si quid post appellationem illam rationabiliter interpositam, in eius præiudicium fuerit attentatum, irritum decernentes penitùs & inane, præfato Archiepiscopo mandauimus districtiùs inhibentes, ne prædictum Regem de cætero propter hoc molestare, aut in terram eius, sententiam promulgare præsumat, quandiu coram vobis, qui neutri partium merito debetis esse suspecti, parere noluerit equitati.*

c 2. Petri 2.

3. *Quocirca Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, si sæpè dictus Archiepiscopus post appellationem illam, eodem Rege taliter iuri stare parato, in prædictam terram, aliquam in grauamen ipsius duxerit sententiam promulgare, vos nostra freti authoritate illam denuncietis, sublato appellationis obstaculo, non tenere. Ne verò propter loci distantiam, eidem Archiepiscopo graue sit ad vestram præsentiam, pro consequenda iustitia, laborare, præsentium vobis authoritate mandamus, vt quoties necesse fuerit, ad locum congruum accedatis, & siue personarum acceptatione, iustitia mediante, procedere non tardetis; nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint veritate vacua. Datum Romæ apud Sanctum Petrum.* Hactenus Litteræ apostolicæ, quæ vtriusque Viri venerandam authoritatem satis ostendunt; siue, dum causis

Regum

Regum præficiuntur ; siue, dum soli eliguntur ab Innocentio, qui meritò nulli parti suspecti haberi debeant. Quid iudicauerint hactenus ignotum: reddendum tamen satisfactum vtrique parti, quandiu nullam videmus reclamasse.

4. Ne in Hispania à negotiis nostri immunes, quanuis minora sese illis obtulerint. Illustri Monasterio Cellæ Nouæ (Sancti Rosendi prole) atque Episcopo Aurien si litigantibus, Episcopus obedientiam Abbatis per censuras, mox etiam dolo, vt Monachi allegabant, circunueniens Abbatem extorquebat: Abbas, & Monachi quasi omninò exempti, appellauerant quidem Innocentium; sed interim rebelles in censuras, vt aiebat Episcopus, scandali materiam ministrabant. Missum vtrinque Romam per proprios Nuncios, Episcopi, & Conuentus: & cùm ibidem res peragi non posset, delegatum Episcopo Lucensi, & Melonensi Abbati [d]: *Quatenus, si vobis constiterit*, (ait Innocentius) *Abbatem ipsum ad Sedem apostolicam, antequam Episcopus in eum suspensionis, vel excommunicationis, & in Monasterium interdicti sententias tuleris, legitimè appellasse; vel Monasterium esse à iurisdictione ipsius Auriensis exemptum, non obstante, quod Abbas ab Episcopo (vt dicitur) circumuentus, præter Fratrum suorum assensum, ei obedientiam repromisit, cùm fratres, & dolus ei patrocinari non debeant, sententias illas iudicetis, appellatione remota, penitus non tenere, aliquin faciatis eas per censuram ecclesiasticam inuiolabiliter vsque ad satisfactionem congruam obseruari.* Tunc declarata exemptio Monasterij, quæ nunquam hactenus valuit superari.

[d] in Regesto, fol. 28.

5. Multis præterea inter Episcopum Conimbricensem in Lusitania, & tum Canonicos Monasterij Sanctæ Crucis, tum Templi milites, litibus suborris, Iudices ex Cistercio semper dati Abbates de Alcobacia, de Ceiza, de Burio, de Salceda, & de Mazannaria, & Priores earundem Eccl. siarum: sed & ex Monachis, Menendus, & Petrus Frodij, vterque Alcobacensis, quibus ardua quæque, sed præcipuè Menendo delegabantur. Sic in Regno Legionis, Galleciæque Legionensi, & Lucensi Episcopis inter se litigantibus, Saltus Noualis Abbas litteris expeditis Romæ apud Sanctum Petrum, quintodecimo Kalendas Maij: Lausanensi Pontifici in Sabaudia, Abbas Boni Fontis de Tarefca semel Idibus Maij: & iterum decimoquarto Kalendas Augusti: Bisuntinensi in Gallia Abbas Firmitatis, quarto Idus Iunij: in Belgio aliis grauissimis negotiis, Abbas Aureæ Vallis, quartodecimo Kalendas Ianuarij: in Hybernia Abbas de Leix, aliàs de Iugo Dei, pridie Kalendas Iunij: atque in Germania Abbates de Neuburgo, & Valle Sancti Georgij duodecimo Kalendas Augusti, præfecti sunt, extántque Litteræ, & circunferuntur inter alias Laurentij Papæ III. necnon originales in Vaticano, quarum ego transumptum apud me habeo.

6. Hoc ipso anno, *Cum in Conuentrensi Ecclesia* (verba sunt Innocentij, Summi Pontificis [e]) *ferè à prima fundatione Christiana Religionis, in Anglia, Ordo fuisset monasticus institutus; & in tantum in eo obseruantia feruuisset regularis, vt ab apostolica Sede priuilegium, & ab inclytæ recordationis Regibus Angliæ dotari meruisset, & ditari.* Et nihilominùs occasione quarumdam Litterarum per subreptionem à Clemente III. impetratarum, eiectis Monachis, Canonici sæculares inducti essent, idem Summus Pontifex Abbati Theoloci cum Episcopis, Lincolniensi, & Vvigornensi destinauit [f], *districtè præcipiens, quatenus prædictis Litteris, vel aliis priuilegiis confirmationis, siue indulgentiæ, si quæ apparuerint à Sede apostolica impetratæ, nequaquam obstantibus, absque dilatione qualibet, seu causæ cognitione (cùm in manifestis ordo iudiciarius minimè requiratur) amotis ab eodem Monasterio sæcularibus Clericis, qui in eo fuerant instituti, monasticum ibidem Ordinem reformetis, Monachos eiectos reducentes in illud; & Priorem cum prædictis Monachis, & alias personas instituatis, qui Beati Benedicti Regulam desiderent obseruare.*

[e] in Regesto, fol. 108.

[f] Ein Regesto, fol. 111.

Hæc, & similia ex delegatione apostolicæ Sedis in obsequium illius, Ecclesiæque. Cæterum plura alia ex charitate, ac zelo feruido in populum Christianum, vt vix alios habere viderentur illis temporibus, seu populi, seu Principes, seu Præsules, queis vti sibi, aut liberet, aut certum esset; sed neque alios humani generis hostis infensiores habere videbatur, quàm Cistercienses. Referam admirandum euentum huius anni ex Rogerio Ovvedenio; fugatos Dæmones de corporibus Christianis per Abbatem Loccdij, forte Oglerum, si adhuc superarat; siue per alium eius successorem, quo, vt in homines a Vicario Christi; sic à Christo in Dæmones, velut delegata potestas quibusdam ex Cistercio comprobabatur. Hunc eundem euentum Bzonius adiecit. Nec dedecet Annales Cistercienses, quod decet Ecclesiasticos, à Cistercensi Abbate perpetratum. Sic autem ille habet [g]: 7.

[g] Roger. ad hunc annum, 8.

Eodem anno in æstate, intra fines Italiæ, in quadam ciuitate, non longe a Ianuis, res digna memoria contigit. In hac ciuitate primo quidam ciuis, exigentibus peccatis suis, effectus est Energumenus; id est, Dæmoniacus: & infra paucos dies, adeò creuit eorum numerus, vt quilibet sibi timeret, ne simile periculum incurreret. Communi igitur ciuium consilio, ad eandem vrbem vocati conuenerunt Viri Religiosi, & præcipuè Abbas de Luceio, de Ordine Cisterciensi, qui inter eos maior Religionis authoritate vocabatur, vt, quid agendum pauidis ciuibus, deliberarent. Indictum est triduanum ieiunium: tertia verò die, comecatis eorum se Dæmoniacis, obtestatur prædictus Abbas in Nomine Iesu Christi, quatenus sine causam exponant, cur hanc ciuitatem plus cæteris vexare præsumpserint, & vt exeant a famulis Christi Nomine signatis. Quorum vnus voce terribili, & sublimi clamauit: Cogitis nos, inquit, exire ex vasis, nobis rationabiliter concessis. Nos quidem sumus Legio illa Dæmonum, quam Iesus vester ab homine eiectam permisit præcipitare porcos in mare: nunc autem vinculis, quibus tenebamur, soluti, potestatem accepimus in blasphematores nomen Virginis Mariæ. In hac igitur ciuitate tales inuenimus, & inuentos, sicut dignum est, torquere debemus. Quare, si eiecti fuerimus, nouerit, quòd te, Hypocrita, & Ordinem tuum in proximo persequemur. Ad secundam igitur insultionem ipsius exierunt, cum magna tamen difficultate, relinquentes fœda vestigia. Hactenus ex Rogerio, quod magnum pauorem incutere debet cunctis blasphemis.

Abbatem hunc, non alium ab Oglero, de quo supèrius, non leues nobis ostendunt coniecturæ sumptæ ex loco, ex tempore, & ex gestis, tam Sancto Viro dignis. Siue autem ille, seu quis alius fuerit, qui loco eius successerit, ingentis planè authoritatis credendus est, qui inter tot Religiosos congregatos ex tota illa Prouincia, aduersùs 9.

Dæmones

Dæmones maior, & religiosior, & cui ab omnibus aliis deferretur, expresse dicitur. Constabit autem clarius anno sequenti, cùm videtimus bello accinctis populis, atque in se inuicem grassaturis, ferro, & igne, non alium mirum ab Innocentio positum, qui præliantes diuideret, compesceret, & qui meritò sperare potuit, vel furentes, & cæcos obsequuturos.

---

1. *Garnerius prodigentia delatus à Lingonensibus,* 2. *Innocentium appellat.* 3. *Graues ab eo,* 4. *atque terminum isti præfigentes litteras accipit.* 5. *Cruce signatus ad Syriam proficiscitur:* 6. *in absentia suspenditur,* 7. *Pontifice dolente,* 8. *& delegante causam* 9. *vt prudentum consilio decideretur.* 10. *Additus Episcopo Collega,* 11. *qui pro Garnerio, indefenso, & absente, iudicauêre.*

CAPVT IV.

1. PER idem tempus, (ne qui decora, & prospera narramus, occultemus aduersa,) quem olim Clatæuallis Abbatem venerabatur Orbis, cui populi parebant, cuius opem implorabant Reges, & Principes; Capitulum Ecclesiæ Lingonensis in suum dudum Episcopum assumptum respersit infamia, & prodigentiæ macula notatum imparem ministerio proclamauit, eóque à Metropolim deponendum. Non benè conuenisse Garnerio cum suis Clericis compertum est, siue seueritas odium ei peperisset, seu contemptum facilitas, seu tandem morum dissimilitudo, quod nimiùm frequens, inuidiam concitauerit. Vito Sancto alia crimina imponi, supra audaciam; & si auderent, etiam supra fidem: quæ facilè de ipso credi possent, quæsita sunt. Prodigentia (nec dubium, quia in pauperes) sub inhonesto dilapidationis nomine, pias aures aucrtens, offendénsque, atque incuria bonorum temporalium (dum cœlestia suspirat) insufficientiæ titulo notata, quasi qui rebus Ecclesiæ administrandis, non solùm incuriosus, sed impar esset. Sensit dolos, & astum Vir Deo plenus: & seu suspectum haberet Lugdunensem, ad quem deferebatur; seu vellet pœnitentiæ locum dare his, quos inuidiæ stimulis aduersùs se agitari non dubitabat; appellauit Pontificem, coram quo, si quid hactenus erraſſet, accusandus veniret; sin minùs, accusata diluiturus.

2. Læum id Lugdunensi Præsuli fuit, cui in hominem, quem Sanctum reputabat, pronunciate sententiam, scrupulosum; absoluere, inuidia plenum erat. Terminum comparendi statuit vtrique parti, instantem diem Sancti Lucæ Euangelistæ, qui laboriosæ viæ peragendæ, etiam post Solis ardores, atque signa insalubria, inducias dabat. Sed Canonicis, quò minor in conscientia, eò maior in præcipitatione Iudicis, fiducia erat: & si non possent iustitia superare, aëris intemperie videbantur, si mense Augusto transalpinare cogerent, venerabilem senem subuersuri. Ergo se nullos recusare Iudices, non Cardinales omnes, non Innocentium, quos nihil aliud mouetur, quàm Ecclesiæ zelus: sed subueniendum Ecclesiæ iam labanti, cadentique; ni subueniatur, non vltrà surrecturæ. Aliorum malorum remedia motas pati; dilapidationem, ni ipsa præueniatur, præuenire remedia; eóque præpostero cauterio esse sanandam. Præsentent se quantocyùs Summo Pontifici; ne dum Medicum adeunt, moriatur æger; & magis sepultura indigeat, quàm curatione. Hæc, & alia petebant Filij in Patrem; & extorserant terminum breuiorem, si non Innocentius vtrique parti consulens, sed longè magis deferens Garnerio, inter vtrunque diem dimidiasset, præfigens Festum Sancti Michaëlis, in quo vtrosque audiret super quo litteras ad eundem Garnerium dedit decimoseptimo Kal. Iunij, quæ inter alias illius circunferuntur, malè licet vulgatæ cùm N. pro G. habeant in inscriptione: sic autem habent.

N. Episcopo Lingonensi. Licet iusta testimonium veritatis necesse sit, vt veniant scandala: quia tamen secundum idem: Væ homini illi, per quem scandalum venit. *dolemus non modicum, cùm inter Viros ecclesiasticos, qui pacem euangelizare tenentur, seditionis alicuius materia pullulat, & litigiorum incentiua subrepsisse, cùm in Ecclesiæ corpore omnia debeant in vinculo pacis, & vnitate tractari. Quamuis autem super quorumlibet Ecclesiasticorum virorum discordia plurimùm doleamus; maiori tamen dolore concutimur, cùm vel puer in filios, vel filij seditionem suscitant in parentem, & illos discordia diuidit, quibus ad vnius Ecclesiæ obsequium deputatis deberet esse cor vnum, & anima vna. Sanè cùm tu Lingonensis Ecclesiæ Caput existas; dilecti autem filij Decanus, & Canonici Lingonenses sint membra ipsius, ac tua: tantò vos vellemus adinuicem charitatis vinculo coniungi, vt vicissim vestra onera portaretis; & tu membris dolentibus condoleres, & ipsi suis sibi vicibus in vnitate spiritus deseruirent.* 3.

Verùm (sicut accepimus) inimico homine superseminante zizania, ania inter vos discordia est suborta, vt dictis Canonicis te coram Venerabili Fratre nostro Lugdunensi Archiepiscopo super dilapidatione, & insufficientia in causam trahentibus, tu ad apostolicæ Sedis audientiam appellaris, Festum Beati Lucæ proximum futurum terminum appellationi prosequendæ præfigens, quem iidem Canonici ad Dominicam, qua cantatur, Iubilate Deo. *proximè præteritam, sicut eorum continebant litteræ, coartarunt. Nos igitur vtrique partium deferre volentes, ne sub intemperie aëris, & caloris distemperantia cogamini ad Sedem apostolicam laborare, Fraternitati tuæ super peremptorio per apostolica scripta mandamus, quatenus hinc, ad Festum Beati Michaëlis proximè futurum, apostolico te conspectui representes, Canonicorum responsurus obiectis, & propositurus, si quid proponere volueris contra ipsos, nisi forsan interim inter vos pauis possim fœdera reformari. Scias autem, nos partem aduersam ad eundem terminum citauisse, ita vt illi, quorum nomina per tuas nobis litteras expressisti, personaliter ad nos accedant, his, quæ proposueris, responsuri. Ad hæc tibi fortius inhibemus, ne occasione huius discordiæ bona Ecclesiæ tuæ dilapidare præsumas. Datum Rome apud S. Petrum 17. Kal. Iun. Pont. nostri an. 1.* Sic Iunoc in suis Litteris. 4.

Timuerit Garnerius, an consenserit Clericorum suorum accusationibus, in dubio est. Illud nobis ex aliis Innocentij Litteris constat, quas statim subiungam, quo tempore profectuus Romam sperabatur, ad Synodum Cistercij profectum esse, ibidémque, quæ iam prædicabatur, Cruce insignitum, traiecturum in Syriam, & bellum sacrum, vt olim verbo, prædicationéque per alios, quos signasset; ita tunc per se ipsum promoturum. Quod tamen factum cùm innotuisset Innocentio adeò ægrè accepit, vt quamuis dolens, & quodammodo inuitus, (qua Virum sanctum charitate complectebatur) eum 5.

nihilominùs suspendere ab officio, atque administratione Ecclesiæ Lingonensis non dubitaueris committens interim Parisiensi Episcopo, vt nisi idem Garnerius cedere vellet, quod Pontifex consultius reputabat, vtriusque partis allegata reciperet, Episcopi, & Capituli, & vel inter vtrosque causam componeret; vel, si id minùs posset, sibi committeret, ipsius tandem iudicio terminandam. Porro de his à se determinatis Litteras ad eundem Garnerium dedit, sub huius anni finem quæ ita se habent:

6. *Lingonensi Episcopo.*

Sine dolore tibi, & pudore scribere non valemus, cùm Sedes apostolica, quod olim inte dignoscitur approbasse, nunc peccatorum exigentibus meritis cogitur improbare. Cùm enim ab ipso tuæ promotionis principio inter te, & dilectos Filios Canonicos Lingonenses multa pullulaverint quæstiones; nec unquam, postquam tuo commissa fuit regimini, pacem habuerit Ecclesia Lingonensis, sicut fama refert publica, & quamplurium Fratrum, & Religiosorum, ipsarum partium litteris, nostro est Apostolatui suggestum, non solùm mobilia, sed etiam immobilia ipsius Ecclesiæ adeò distraxisti, quòd qua olim inter Gallicanas Ecclesias nobilis fuerit, & famosa, nunc habeatur ab his, qui in circuitu eius sunt, in opprobrium, & contemptum. Super quibus, cùm à Lingonensi populo coram Venerabili Fratre nostro Lugdunensi Archiepiscopo Metropolitano tuo delatus fuisses, vt eius indicium declinares, apostolicæ Sedis audientiam invocasti, Festum Beati Lucæ proximè præteritum, terminum appellationi prosequendæ præfigens, quem Lingonense Capitulum ad Dominicum, qua cantatur: Iubilate Deo. *proximè præteritam coarctarunt. Quæ vtique, cùm tam per litteras, quam nuncios vtriusque partis ad nostram audientiam pervenissent, volentes tibi, & eis pro intemperie aëris, & caloris intemperantia paterna sollicitudine prouidere, tibi per apostolica nostra scripta mandauimus, vt in huius occasione discordiæ bona Lingonensis Ecclesiæ minimè dilapidare præsumeres: Festum Beati Michaëlis proximè præteritum sub peremptorio terminum assignantes, quo te nostro conspectui præsentares, obiectionibus Capituli responsurus, & propositurus contra ipsos, si quid velles proponere quæstionis.*

7. *Cùm autem Canonici Lingonenses, & illi præsertim, quos personaliter ad petitionem tuam, Litteris fecimus apostolicis vocari, ad nostram accessissent præsentiam; & nos tua volentes Fraternitati deferre, ipsos diu detinuimus, aduentum tuum aliquandiu expectantes; comparuerunt tandem in præsentia nostra duo nuncij tui, quibus (licèt Procuratores non essent) in Consistorio nostro dedimus audientiam, & quæ ab eo proposita fuerunt, audiuimus diligenter: facientes litteras, nobis pro te transmissas in nostro, & Fratrum nostrorum auditorio recitari: in quibus continebatur expressum, quòd in Cisterciensi Capitulo in multorum Religiosorum, & aliorum præsentia signum vinifica Crucis acceperas, vouens pro amore Iesu Christi ad partes accedere transmarinas; quod tamen post edictum peremptorium à te procuratum constitit esse factum. Et licèt ipsi Canonici sæpius reclamarent, quòd in expectando plus debito grauarentur: sententiam tamen nostram vsque in vigiliam Natiuitatis Domini differre decreuimus, credentes, quòd tu venires, vel saltem sufficientem mitteres Responsalem.*

8. *Quantuncunque verò nobis sit molestum te in aliquo molestari: quia tamen nobis incumbit ex iniuncta administrationis officio corrigenda corrigere, & reformare in melius, quæ circa Ecclesiarum statum noscuntur minùs licitè attentata: volentes etiam in iudiciis iuris ordinem obseruare, habita cum Fratribus nostris super negotio ipso consilio, te pro contumacia manifesta, & dilapidationis vulgata, quam non solùm ad aures nostras fama publica detulit, imò etiam Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Religiosorum Virorum testimoniales litteræ demonstrarent; & ab administratione eiusdem Lingonensis Episcopatus, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, omninò suspendimus, auctoritate tibi præsentium iniungentes districtius, vt suspensionem procures inuiolabiliter obseruare.*

9. *Volentes autem, nisi fortè cedere malueris, quod saluti tuæ magis credimus expedire, causam, quæ inter te, & dilectum Filium Decanum Lingonensem vertitur pro Ecclesia super dilapidatione, & insufficientia, & aliis multis iniuriis, & grauaminibus per te ipsi Ecclesiæ irrogatis, examinari coleriùs, & canonico fine decidi, ne si fuerit diutiùs irrogata, cadat irreparabiliter Ecclesia Lingonensis, quæ iam videtur ex parte maxima cecidisse; ipsam Venerabili Fratri nostro Parisiensi Episcopo duximus committendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus cùm ab eo fueris requisitus, ipsius adire præsentiam non postponas, responsurus obiectis, & obiecturus, quæ volueris contra Decanum agentem pro Ecclesia memorata. Si verò de vtriusque partis voluntate processerit, quòd per ipsum Episcopum definitiua sententia proferatur, ipse auditis hinc inde propositis, & adscitis sibi Iurisprudentibus, quos tanto cognouerit expedire negotio, causam ipsam finè canonico terminabit. Alioquin gesta vtriusque partis redacta in scriptis, & sigilli sui munimine roborata, ad præsentiam nostram transmittere; præfigens partibus terminum competentem, quo receptura sententiam nostro se conspectui repræsentent. Interim autem præfatum Parisiensem Episcopum in Procuratorem idoneum Lingonensi Ecclesiæ præspinus prouideri. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, pridie Kalendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno* 1. Hæc Innocentius.

10. Non satis constat, an præfatæ Litteræ ad Garnerium in Syriam perlatæ sint: habuisse tamen intra proprios Fines, qui causam eius ageret, neque indefensum pateretur Patrem damnari, argumento est, quòd Archidiaconus Ecclesiæ Lingonensis, cùm primùm rem Parisiensi commissam sciuit, ex prudentum consilio decidendam, profectus Romam apud Innocentium institit, vt Petrum de Corbolio, tunc Canonicum Ecclesiæ Parisiensis, mox Senonensem Archiepiscopum futurum, vel in paucis illustrem crearet Collegam, per quem velut per omnia integrum Iudicem, & nullis affectionibus obnoxium, hominis innocentis causa, quod nunquam dubitasset, decideretur. Et impetrauit facilè à Pontifice, qui Garnerium diligeret, & viri insignis, Orbique vtilissimi, quantùm salua iustitia posset, negotium in omnibus vellet promouere. Itaque sub Iunium sequentis anni, alias, non ad Garnerium, qui absens erat; sed ad Episcopum Parisiensem, & Petrum de Corbolio, Litteras dedit de addito Collega: in quibus post repetitam facti narrationem ista subiungit:

11. *Cùm autem prædictus Decanus, & socij eius cum prædicto*

dictis commissionis litteris recessissent, dilectus filius E. Archidiaconus Lingonen. aduenit, ad cuius instantiam te, Fili Magister P. duximus eidem negotio adiungendum, cùm in primis litteris sit expressum, vt tu, Frater Episcope, viros tibi prudentes adscires. Volentes igitur, vt tenorem praedictæ commissionis inuiolabiliter obseruetis, licèt ex abundanti, ad multam tamen instantiam Archidiaconi memorati, Discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus si dictum Episcopum per indicium inueneritis innocentem, ipsum non solùm ab interdicti sententia; verùm etiam ab impetitione Decani & Capituli super obiectis, appellatione postposita penitùs absoluatis. Personales autem quæstiones, si quas idem Episcopus, & tam præditus, quàm maior Archidiaconus, aduersùs Decanum, vel aliquos Canonicorum habuerint, audiatis: & sublato appellationis obstaculo curetis fine debito terminare: talem ad Procuratorem ipsius Ecclesiæ deputantes, qui neutri parti esse debeat de ratione suspectus. Datum Laterani, quarto Idus Februarij.

Ita Garnerius, dum spernit aduersarios, & se non solùm ab eorum oculis subtrahit, quod sæpè salubre; sed causam etiam indefensam deserit, gloriosiores triumphos reportauit. Quippe quominùs ipse pro se fecit, eò plùs pios, religiosósque in sui defensionem excitauit. Nec dubitari potuit de innocentia, quæ præter Deum, sibi soli fidens, nullum alium elegit Procuratorem. Exul, & absens absolutus est; & cùm rediit, exceptus magno cum omnium iubilo, præcipuè pauperum, in quos, quàm non profusus anteà fuisset, sed magis liberalis, ipsa eius absentia manifestauit. Et fortè sibi gratulatus est de incruenta victoria, vt qui indefensus maluerit iudicari, quàm offendentes lædere, atque ideò discessit, ne quem offenderet. Inter insignes illius eleemosynas memorantur monilia, & immobilia, quæ Prioratui Vallis Caulium largitus est, vt habet Chartularium eiusdem Domus, in quo appellatur Episcopus, & Dux: quippe Par Franciæ magnanimus, etsi humilis; & sub quo sanctæ Sedi Lingonensi nihil omninò iuris petire posset. 12.

---

1. *Bertoldus in Liuonia euangelizat, 2. exercitum in infideles Tyrannos congregat, 3. eosdem aggreditur. 4. Palma Martyrij coronatur. 5. Historia eadem ex Ioannis Pistorij Chronico: 6. corpus eius post biduum incorruptum, reuerenter sepelitur. 7. Fidei in Liuonia incrementa post eius mortem, 8. atque alij Martyres etiam Catechumeni. 9. Et inclyta Militia Gladiferorum. 10. Petrus de Confluentia ibidem prædicans, 11. & Sanctus Hebertus ex Abbate Clari Montis Episcopus Redonensis, clarus miraculis.*

CAPVT V.

1. INTER hæc in Liuonia Bertoldus fortis in fide, & charitate feruidus prædicare Euangelium, atque ab idololatria barbaras gentes, ad veri Dei cultum reuocare, nunquam cessabat. Sed, cùm prædicatione minùs proficeret, impedientibus illius Terræ Tyrannis, populi conuersionem, ferro, & igni contra eos agendum censuit. Nactúsque occasionem sacræ Militiæ, quæ tunc in Syria penitùs vacabat, oblata vltrò, an obtenta à Cœlestino, simili indulgentia, & voti, si quo fortè tenerentur militandi in Syria, in sacrum illud bellum commutatione, congregato exercitu copioso, Barbaris iugum, populis salutem, sibi palmam Martyrij præparauit: quippe rigata terra sanguine iusti, opimos ex tunc fructus, & plenam messem credentium Cœlo inuexit. Rem ex Alberto Krantzio, Arnoldóque Lubecensi Abbate accipiat Lector. Et primò Albertus Krantzius, de exercitu à Bertoldo congregato hæc in Saxonia [a]:

a *lib. 7. c. 13.*

2. *Is autem Vir* (scilicet, Bertoldus) *ad omnia pro Christo pericula promptus subeunda, accepto, quòd maligni armis potiùs, quàm verbis subigendi viderentur* (exuberat enim, & exsuperat in omni terra malorum turba gregem Dominicum,) *arma contraxit, quanta potuit in Saxonia: & apud Summum Pontificem peregit, vt, quoniam res Asiæ frigebant, cessauitque pro magna parte in eam peregrinatio, Cœlestinus Summus Pontifex remissionem peccatorum in Liuoniam pugnantibus conuerteret. Vnde excitati multi vtriusque Ordinis viri, & ecclesiastici, & seculares, in sanctam se Militiam cum Bertoldo Episcopo protinus accinxerunt. Prouecti nauigiis in terram, opposuêre aciem venientibus ex aduerso rebellibus fidei hostibus.* Hactenus Krantzius.

3. Similia habet Arnoldus Lubecensis, quæ velut cohærentia testimonia, quò maior dictis fides, non pigebit similiter transscribere [b]: *Huius*, id est, Bertoldi, *prædicationis instantia, nonnulli sublimes, & nobiles signaculo sanctæ Crucis insigniti, ad deprimendas gentilium vires, vel potiùs ad cultum Christi perdomandas, iter peregrinationis arripiunt. Nec defuerunt Sacerdotes & litterati suis exhortationibus eos confortantes, & ad terram promissionis felici perseuerantia eos pertingere promittentes. Et quia profectio, siue peregrinatio Ierosolymitana tunc vacare videbatur; ad supplementum huius laboris Dominus Cœlestinus Papa indulserat, vt quicunque peregrinationi memoratæ se vouissent; huic itineri, si tamen ipsis complacuisset, se sociarent; nec minorem à Deo peccatorum remissionem perciperent. Fit igitur de tota Saxonia, Vvestphalia, vel Frisia, Prelatorum, Clericorum, Militum, negotiatorum conuentus plurimus, qui in Lubeca comparatis nauibus, armis, & victualibus, Liuoniam vsque peruenerunt.* Hactenus bellum inferendum hostibus fidei: nam illatum videre non superuixit, glorioso triumpho ante prælium coronandus. b *lib. 7. c. 9.*

Ergo adeptam à Duce martyrij palmam, eorundem Authorum verbis tradamus. Primò, ex Arnoldo [c]: *Cùm Præsul Beatus exercitum produceret contra infideles, Christicultoribus insidiantes, in manus impiorum, cum duobus tantùm denoluitur, occiditur, & (vt speramus) gloria, & honore coronatur. Erat enim flagrans mortis desiderio:* 4.

Qui sicut prima lucratur brauia sortis,
Sic ipsi primæ fuerat data copia mortis.

c *ibidem.*

Hæc Abbas Lubecensis. Krantzius addit [d], trucidatum Episcopum ex equi indomiti præcipitatione: simulque annum passionis eius designat: *Vbi ad*

d *vbi suprà.*

conflictum ventum erat, Episcopus ferociori, quàm regere posset, jumento deuectus, fertur inuictus in medios hostes, ibique confoditur anno octauo, & nonagesimo post centum & mille. Hactenus Krantzius.

5. In Chronico Belgico Ioannis Pistoris Nidani Bibliotheca collecto, historia Viri sancti paucis perstringitur. *Item*, ait [c], *istis diebus* (id est, M. C. XCIV. nam perperam annum enteponit,) *in Liuonia, quæ est inter Suetiam, Prussiam, & Poloniam, quidam Abbas Venerabilis, Bertoldus nomine, Cisterciensis Ordinis, Christum prædicabat Paganis cum omni instantia: qui etiam secundus factus Episcopus post Maynardum (qui fuit ex Regularibus, & primus prædicauerat in illa Prouincia) diu perseueranit, & postmodum interfectus Martyrium promeruit.* Hæc de Sancti Bertoldi Apostolatu, Martyrióque.

c ad annum 1194.

6. Cæterùm, quem fundentem pro se sanguinem Deus in cœlis coronare dignatus est, noluit in terris gloria defraudare, Martyrem declaratum ipsa corporis sui præseruatione: nam audi, quod sequitur de sacri corporis inuentione, & sepultura: *Denique*, ait Arnold. Lubecensis [f], *die secunda, cùm requirerentur corpora occisorum, inuenium est corpus Episcopi intactum & incorruptum, cæteris corporibus, quia æstus erat, muscis, & vermibus repletis. Quod cum planctu nimio, & exequiis solemnibus in ciuitate Riga tumulatum est.* Bertoldum vt Apostolum Liuoniæ, incolæ venerantur, colúntque, quo item nomine ab exteris notatur, Arnoldo Vvione, & Hugone Menardo [g] in suis Martyrologiis, aliísque, quos nos in nostra Laurea recensuimus. Eius etiam Concionem dedimus vulgari sermone, cuius fragmenta Latina fecit Henriquez, tam in Fasciculo [h], quàm in Menologio [h].

f vide suprà.

g 20 Octobr. 21.

h vbi de ipso.

7. Verùm, quàm terra irrigua sanguine Martyris opimos successori, & Christo fructus attulerit, declarant sequentia [i]: *Post hæc Dominus Albertus Brenensis Canonicus, in Sedem defuncti sublimatus est. Qui cùm adhuc iuuenili floreret ætate, magna morum pollebat maturitate.* Et paulò inferiùs: *Non facilè exprimere potero, quantam inuenerit gratiam apud Reges, & Magnates, qui ei cooperabantur pecuniis, armis, nauibus, victualibus, inter quos Dominus Andreas Archiepisc. Lundensis, Bernardus Paebel Bergensis, Iso quoque Verdensis, manus suas Domino consecrauerunt. Obtinuerat etiam à Sede apostolica, vt si quos inuenisset Religiosos, & verbi Dei erogatores, siue de Ordine Monachorum, siue Regularium Canonicorum, vel aliorum Religiosorum, ipsos suo labori cooperatores efficeret. Vnde ipsum sequebatur multitudo maxima, & militum manus copiosa. Cúmque frequenter æstiuo tempore exercitum duceret contra Christi inimicos, non solùm Liuones, verùm etiam alias barbaras nationes, ita sibi subiecerat, vt ab eis obsides acciperet, & pacis conditiones cum eo facerent. Creuit igitur Ecclesia Dei per Venerabilem Virum Albertum, bene disposita, Præpositis, Parochiis, Cœnobiis. Multi etiam continentiam vouentes, & soli Deo militare cupientes, forma quadam Templariorum, omnibus renunciantes, Christi militiæ se dediderunt, & professionis suæ signum in forma gladij, quo pro Deo certabatur, in suis vestibus præferebant.*

i Arnold. Lubecens. lib. 7. cap. 2.

8. Hæc Christi Ecclesiæ species in Liuonia à morte Sancti Viri, vt vix in cunctis inferiùs haberetur his, quæ antiquiores, & robustiores in fide reputabantur. Quin sanguis etiam sanguinem vocauit effundendum, effusus pro Christi nomine: & quæ hactenus Martyres non dederat, etiam ex his, quos Baptismus regenerasset, Bertoldo semel martyrio coronato, vel Catechumenos martyrio coaptauit: nam audi, quod sequitur [k]: *Nec defuit diuina miseratio: fidem suorum inconcussam roborando, & his indiciis veritatem demonstrando. Nam, cùm quidam Neophytorum ab inimicis suæ gentis comprehensi fuissent, muneribus, & blandimentis ad pristinum errorem eos immutare satagebant. Quibus cùm nulla ratione consentirent; sed susceptæ fidei Sacramenta inuiolabiliter constantissimè obseruare decreuissent, incredibili tormentorum genere eos trucidabant, qui sua confessione multos confortabant, quia per eos plurimi Deum glorificabant.* Hactenus ex Arnoldo Lubecensi.

k ibidem.

9. Tulit & alium glorioſum fructum Liuonia à morte sui Apostoli, Gladiferorum Fratrum Militiam sacram, quæ se postmodum Teutonicæ adiunxit, de qua hæc item habet Albertus Krantzius [l]: *Cum ad pugnam ventum esset, equo infrani prouectus* (scilicet, Bertoldus) *in medios Barbaros confoditur: sanguinéque suo terram consecrauit. Inde adaucta multorum fidelium deuotione, multi se spontaneos in sacram aduersùs Christi hostes militiam deuouerunt; nouóque Religionis Habitu adimento, se Gladiferos Fratres appellauere. Duo post inuicem eius Professionis fuere Magistri. Sed cùm rebus satisfacere non posse viderem, succrescerémque hostes, foris, & intus se magno Teutonicorum Ordini per Prussiam coniunxerunt, vt illorum copiis viribus & tueretur, & augeretur, quæ res illis prosperè cessit.* Hactenus de multiplici fructu mortis Bertoldi.

l lib. 6. Vandal. c. 10.

10. Verùm, quod ait Arnoldus Lubecensis, Albertum subrogatum Sancto Martyri, obtinuisse à Pontifice, *Vt si quos inuenisset Religiosos, & verbi Dei erogatores, siue de Ordine Monachorum, siue Regularium Canonicorum, ipsos sui laboris cooperatores assumeret*, argumento est, multos ex nostris, sicut cum antecessore, laborasse cum ipso, ac se operarios præbuisse maturæ segeti. Constat id continuatum in successore, Hemmenrodensibus abstulisse insignem iuuenem, Petrum de Confluentia, Virum haud dubiè sanctum, quem suprà memorauimus, de quo ista Cæsar. in suis Dialogis [m]: *Ita ferebat in Christi Passione, vt spe martyrij Theodericum Episcopum Liuoniæ sequeretur sine Abbatis sui permissione. Acceperat ille authoritatè à Domino Papa Innocentio, secum ducere omnes, qui ire vellent ad propagandum vineam Domini Sabbaoth populo Barbaro. Adhuc, vt dicunt, viuit, & ex præcepto Abbatis sui Paraciam in Liuonia regit, vbi prædicat, & baptizat, multósque, tam verbo, quàm exemplo, ædificat, & in fide confirmat.* Ita Cæsarius post viginti quatuor annos, cùm Dialogos scribebat: quæ tamen ob ignorantiam temporis, quo Petrus in Liuoniam profectus est, occasione pontificiæ concessionis, hîc consequenter censui describenda.

m lib. 8. c. 1.

11. Hoc ipso anno, decima die Decembris, vt Confessorem Martyri iungamus, virtutibus, & meritis glorioſus euolauit ad Superos B. Hebertus, ex Abbate Clari Montis, Redonensis Episcopus, cùm annis quatuordecim Ecclesiæ illi sanctissimè præfuisset, de quo Hugo Menardus hæc pauca habet sumpta ex Monumentis Ecclesiæ Redonensis: *Primò fuit Abbas Clari Montis, Ordinis Cisterciensis, prope Lauallem. Inde Episcopus Redonensis consecratus, mense Iulio, anno M. C. LXXIV. Obiit autem 10. Decembr. an. M. C. XCVIII. sepultus in Choro cathedrali, vbi dicitur claruisse miraculis.* Hæc ille. Qui & Virũ inseruit Martyrologio, ea, qua obiit, die, qua & in Menologio Chrysostomi Henriquez, licèt in prætermissis commemoratur. Eiusdem Sancti, eximia cum laude, meminit in sua Gallia Christiana Robertus Claudius, sicut & Ioannes Chenu in Episcopis Redonensibus, & alij etiam antiqui, & recentiores.

1. Nobilis quidam adolescens Monachum induit. 2. Mox Sacerdos effectus, inde Apostata, 3. inter prædones deterior cunctis evadit: ad mortem cæditur: 4. peccata sua Sacerdoti idiotæ promit. 5. non absolutus, sed contritus valdè, decedit, 6. Avunculo, vt pro se oret, dans in mandatis. 7. Vnius anni suffragijs, pro mille annis, 8. atque alterius pro totidem aliis Purgatorij reputatis, 9. gloriosus cernitur. 10. Perpensa obiter quædam in hac Historia.

CAPVT VI.

1. CIRCA idem tempus (& Bzouius referendum putat ad hunc annum) accidit admirandum illud exemplum virtutis pœnitentiæ, & veræ contritionis, per quam peccata abolentur etiam grauissima: tum etiam suffragiorum pro defunctis, quæ multùm prosint subleuandis eorum pœnis: quod vel Annalibus totius Ecclesiæ inserri dignum, idem Abraham Bzouius, cùm censuisset, verbis Cæsarij nostri, ex quo desumpsit, hæc ipse verba putauit præmittenda [a]: *Per id temporis accidisse miram, mirandámque cuiusdam iuuenis conuersionem* narrabat *Cæsarius Heisterbacensis, vir veneranda pietatis, & doctrina, in eo libro illustrium miraculorum, & Historiarum memorabilium, quæ sua ætate contigerunt. Placet ipsissimis eius verbis commemorare, ne quis me quidquam, vel ex vano finxisse, vel ex proprio adiecisse existimet. Ita narrat rem scitu longè dignissimam.*

a ad hunc an.

2. Hæc Bzouius. Porrò verba Cæsarij ita se habent.

Iuuenis quidam nobilis Conuersus est in quadam Domo Ordinis nostri. Habebat autem Episcopum quendam cognatum, à quo vnicè amabatur, qui cognita eius conuersione, ad Monasterium venit, & vt rediret ad sæculum, verbis, quibus poterat, suasit: sed persuadere non potuit. Anno Probationis expleto, factus est Monachus: & non multò pòst gradatim ascendens, in Sacerdotem est ordinatus. Qui, suadente Diabolo, à quo primus homo eiectus est de Paradiso, oblitus voti, oblitus Sacerdotij, & (quod pessimum est) Creatoris sui, Ordinem deseruit: & quia ad parentes redire erubuit, prædonibus quorum multitudo Ruttæ vocatur, se coniunxit. Qui ita datus est in reprobum sensum, vt qui prius bonis erat melior, postea malis fieret deterior.

b lib. 2. c. 2.

3. *Accidit, vt in obsidione cuiusdam castri, ictu percussus, & perfossus, ad extrema deueniret. Deportatus est à sociis in quandam villam, adhibitis quibusdam, qui ei ministrarent; & cùm nulla spes esset euadendi mortem temporalem, hortabantur ad Confessionem, vt saltem illius beneficio mortem euaderet æternam. Quibus respondit: Quid mihi prodesse possit Confessio, qui tanta, & tam innumera feci mala? qui tam enormia commisi scelera? Ad hæc illi: Maior est Dei misericordia, quàm iniquitas tua. Vix tandem, importunitate victus illorum, ait: Vocate Sacerdotem. Qui cùm vocatus adesset, & coram infirmo sederet; pius Dominus, qui potens est auferre cor lapideum, & dare cor carneum, tantam cordi eius contulit contritionem, vt sæpè Confessionem susciperet, & propter lacrymas, & singultus toties in voce deficeret.*

4. *Tandem collecto spiritu, in huiusmodi verba prorupit: Domine, peccaui super arenam maris. Monachus fui Ordinis Cisterciensis, & in Ordine Sacerdos factus, Ordinem, peccatis meis exigentibus, deserui, & non mihi sufficit, quòd apostatam, sed & prædonibus me coniunxi, quos in crudelitate superaui; quibus illi tollebant substantiam, ego abstuli vitam: nemini parcebat oculus meus: si illi quandoque parcebant, humana ducti miseratione, ego cordis mei impellente malitia, nemini quantùm in me fuit, parcere potui: multorum vxores, & filias violaui, incendiis plurima vastaui. Enumerauit & alia quamplurima, quodammodo naturam humanam excedentia.*

Talibus Sacerdos auditis, peccatorum eius enormitate 5. *territus, sicut stultus fuit, ita & stultè respondit: Maior est, inquit, iniquitas vestra, quàm vt veniam mereamini. Ad quem infirmus: Domine, litteratus sum. Sæpius audiui, & legi, quia nulla sit comparatio humanæ malitiæ ad diuinam bonitatem: ait enim per Prophetam Ezech.* c cap. 3. *In quacunque hora peccator ingemuerit, saluus erit. Item* d Matth. 11. *: Nolo mortem peccatoris; sed, vt conuertatur, & viuat. Rogo vos ergo, intuitu diuinæ misericordiæ, vt aliquam mihi dignemini pœnitentiam iniungere. Et Sacerdos: Nescio, quid tibi iniungere debeam, quia homo perditus es. Respondit Monachus: Domine, ex quo non sum dignus à vobis recipere pœnitentiam, ego mihi ipse pœnitentiam iniungam: eligo enim duo millia annorum esse in Purgatorio, vt post illos misericordiam inueniam apud Deum. Positus siquidem fuerat inter duas moles, timorem, videlicet, gehennæ, & spem gloriæ.* Apollonius: *Vt quid tam prolixum terminum elegit?* Cæsarius: *Quia & magnitudinem peccatorum suorum considerauit, & pœnam temporalem respectu æternæ pœnæ quasi momentum reputauit.*

Dicebat iterum Sacerdoti: Ex quo negastis mihi medicinam satisfactionis, peto, vt non fraudetis me à Viatico sacræ Communionis. Respondit ei stolidus Sacerdos: Si tibi ausus non fui iniungere pœnitentiam, quomodo præsumam tibi dare Christi Corpus, & Sanguinem? 6. *Et cùm ad neutrum acquiesceret, vnicam tandem rogauit petitionem, dicens: Statum meum in schedula scribere volo, & vos deferre eam debetis tali Episcopo, cognato meo, (ex nomine eum designans:) spero, quia pro me orabit. Et promisit Sacerdos. Moritur est Monachus, & ad Purgatorium deportatus.*

Et venit Sacerdos ad Episcopum, defuncti literas 7. *ei deferens: quas cùm legisset, amarissimè fleuit, dixitque Sacerdoti: Nunquam tantùm dilexi hominem: doluit de apostasia, doleo de morte: dilexi viuum, diligam mortuum: & quia iuuari potest, & contritus obiit, orationibus Ecclesiæ meæ non carebit. Conuocans Prælatos Episcopatus sui, Abbates, scilicet, Decanos, Priores, & Pastores Ecclesiarum, vel quibus commissa fuerat cura animarum, & hoc ipsum demandans Monasteriis Sanctimonialium, rogans cum multa humilitate, & instantia viua voce præsentes, litteris absentes; vt omnes speciales orationes, quas sibi iniunxit, illo anno animæ iam dicti defuncti impenderent, tam in Missis, quàm in Psalmis. Ipse verò præter Missas, & eleemosynas, ac orationes peculiares, quas pro eo fecit, singulis diebus Hostiam salutarem pro absolutione animæ eius immolauit. Quòd si fortè in maxima necessitate, vel infirmitate, hoc per se ipsum facere non potuit, aliter defectum illum supplebit.*

Anno completo, in fine Missæ, post Altare stans defunctus, apparuit Episcopo pallidus, exilis, macilentus, in veste pulla, vultu, habitúque statum suum bene declarans: quem cùm interrogasset, quomodo haberet, vel vnde veniret, respondit: In pœnis sum, & de pœnis venio: sed gratias ago charitati tuæ, quia an- 8.

Caput VI.

nus iste propter eleemosynas, & orationes tuas, atque beneficia Ecclesiæ tuæ, mihi exhibita, absolut mihi mille annorum pœnas, quas sustinere habebam in Purgatorio: quòd si adhuc vno anno similem mihi impenderis opem, omninò liberabor. Audiens hoc Episcopus tanti effectus, gratias Deo egit, missisque litteris ad Ecclesias, siue Monasteria, visionem omnibus exposuit, & vt adhuc vno anno iuncti as seruarent orationes obtinuit. Episcopus verò annum sequentem precedenti continuauit, tantò in exhibitione feruentior, quantò iam de liberatione securior.

9. *Expleto anno, cùm Episcopus Missam pro eo celebraret, iterum adfuit illic in cuculla nigra, & facie serenata, dicens, sibi omnia optata succedere: & ait Episcopo: Remuneret Deus Omnipotens charitatem tuam, sanctissime Pater: quia propter tuam sollicitudinem ereptus de pœnis iam ingredior gaudium Domini mei: & ecce isti duo anni reputati sunt mihi pro duobus millibus annorum. Et nos vidis eum amplius.* Hactenus de admiranda virtute contritionis, & suffragiorum; illius ad delenda omnia peccata, quantumuis grauia; horum ad quaslibet pœnas, si tamen temporales, mitigandas. Pergit Cæsarius hæc eadem perpendere, dicente Apollonio: *Duo mihi occurrerunt admiratione digna. Primum est, virtus contritionis, per quam veritè damnandus, dignus effectus est vitæ æternæ. Secundum est, virtus orationum, per quam tam celeriter liberatus est a pœna Purgatorij.* Cæsarius: *Licet magna virtus sit in vtroque; amplior tamen inuenitur in contritione: orationes enim Ecclesiæ, siue eleemosynæ, valent quidem defuncti minuere pœnam, sed non possunt augere gloriam.* Apollonius: *Miror etiam, quòd homo apostata in habitu seculari mortuus, & sepultus, in cuculla apparuit.* Cæsarius: *Contritio de Apostata Monachum fecit, & vestem secularem in cucullam conuertit.* Ita Cæsarius, atque Bzouius ex ipso totidem verbis.

Hæc, & similia nostris ad terrorem, quibus vel inter Sanctos constitutis, communis hostis non solùm illudebat; sed de aliquibus etiam triumphabat per abrupta vitiorum à culmine perfectionis præcipitatis; vt nunquam sibi fiderent, nunquam de suo statu securi essent: sed semper cum timore, tremoréque salutem suam, iuxta Spiritus Sancti verbum, operarentur. Sed & obiter etiam in solatium, quibus vel ipsa etiam præcipitia cooperata in bonum, dum pœnitentiæ materiam offerebant, meritorum, & gloriæ ministrabant. 10.

---

1. *Ioannes Rosea Vallis, promotus in Episcopum, 2. ab Innocentio III. consecratur. 3. Monasterium Sancti Anthonij Parisiensis construitur, & qua occasione, 4. ac quædam de ipso. 5. Eustachius prædicatum in Angliam mittitur. 6. Calatrauenses Saluaterram expugnant, 7. ac sedes illius sub nouo Magistro transferunt. 8. De Valle Lucida, & duobus aliis Cœnobiis. 9. Vallis Dei, Benedictinorum olim Domus, apud Astures, 10. Cistercium suscipit, 11. atque ab Alfonso Legionensi de nouo construitur, & dotatur. 12. Singulare, & insigne indultum illius Domus.*

CAPVT VII.

1. HOc ipso anno, quantùm ex epistolis Innocentij III. licet conijcere, Ioannes Monachus, & Abbas Rosæ Vallis, Cisterciensis in Hybernia Cœnobij, de quo superiùs, insignis Vir doctrina & pietate, in Episcopum Loghlinensem electus est, non tamen sine ingenti æmulatione: intruso in ea Sede quodam Hugone (Henriquum alij volunt) Monacho Cantuariensi, quem fugitiuum Innocentius III. appellat, atque intrusionem defendente fauore Principum, Haymonis præcipuè de Valois Iustitiarij Hyberniæ; cuius potentiæ Ioannes ad tempus cedere, atque Romam adire compulsus est, ab Innocentio III. iudicandus, & nisi caderet causa protegendus: lite agitata, non solùm manutentus, sed consecratus ab eodem Pontifice, litteris eius munit præmuniti. Sed nos Iacobum Vvaræum in sua Historia Hyberniæ hæc eadem propalantem audiamus: *Ioannes*, ait, *Monachus Cisterciensis, & Abbas Cœnoby Rosea Vallis (quod vulgò Monasterium appellatur) canonicè electus anno, si fallor, millesimo centesimo nonagesimo octauo, per Matthæum Oberry, Casiliensem, Archiepiscopum Hybernie, Legatum (Ioanne Dublinensi Antistite in Anglia degente) confirmatus est anno insequenti. Cæterùm aduersante Haymone de Valois, Hyberniæ tunc temporis Iustitiario, consecratus non est, donec Romam profectus, consecrationem ab ipso Papa obtinuit. Litteras, quas à Pontifice in eius gratiam conscriptas secum in Hyberniam detulit, legas, si placet, in Decretalibus Innocentij Papæ III.* Hactenus Vvaræus. Cæterùm Innocentij litteræ duplices, quas secum Roma detulit testimoniales suæ consecrationis, tunc contra intrusi Hugonis perperam gesta, quò res tota manifestior ex eis fiat, in gratiam mei Lectoris placet subiungere. Primæ sic habent [b]:

[b] *ex Regestis, & lib. epist. 8. Innocent.*

Cùm facti simus secundùm Apostolum, sapientibus, & insipientibus debitores, honori Fratrum, & Coëpiscoporum nostrorum, quos apostolica Sedes in partem sollicitudinis euocauit, tantò abundantiùs deferre volumus, & optamus, quantò propter eminentiam dignitatis à nobis, & aliis sunt propensius honorandi. Eapropter Venerabili in Christo Fratri, (Loghlinensi Episcopo,) tuis iustis petitionibus inclinati, præsenti pagina tibi duximus indulgendum, ne quisquam Prælatorum, nisi pro manifesta, & rationabili causa, excommunicationis, vel suspensionis in te, quem nos, licèt indigni, propriis manibus consecrauimus, sententiam valeat promulgare. Nulli ergo, &c. Datum Laterani XII. Kal. Decembris. Hæc Innocentius in Litteris prioribus, vt Ioannem tueretur.

At in posterioribus, vt cuncta malè ab Hugone gesta cassaret, hæc illi rursus censuit scribenda [c]: 2.

[c] *ex eisdem Regestis.*

Sicut nostro est Apostolatui relatum, inter alia multa, & grauia, quæ H. fugitiuus Monachus Cantuariensis excommunicatus, & maledictus, in præiudicium Ecclesiæ Loghlinensis, & animæ suæ perniciem nequiter attentauit, post executionem suam dilectum filium Ecclesiæ tuæ, (Frater Episcope,) Archidiaconum in tenuem metu suspensionis illato coëgit, eum exire de ipsa Ecclesia non permittens, quòd ipsum Archidiaconatus officium, vellet, nollet, oportuit resignare: in cuius locum alius quidam fuit violenter intrusus. Cùm igitur idem Monachus tanquàm fur, & latro non per ostium sit ingressus, neque aliquid de rebus Episcopij, quod inua-

sit,

sit, per eum de iure conferri valeat, vel disponi: omnibus ordinationibus, & dispositionibus factis ab eo penitùs irritatis, vt de præmisso Archidiaconatu, & aliis Dignitatibus, & officiis canonicè valeas, appellatione remota, tanquam proprius Pontifex ordinare, quod ab eodem intruso factum est, non obstante, liberam tibi, appellatione remota, tribuimus auctoritate præsentium facultatem. Nulli ergo, &c. Datum Laterani VII. Idus Decembris. Hæc Innocentius in Hugonem, & eius Acta, quæ licèt anno sequenti scripta sint, ne rem diuiderem, electioni Ioannis censui subiicienda. Atque, ô vtinam gesta huius Pontificis scripsissent antiqui, haud dubiè digna illustrare nostros Annales. Sed perière, sicut alia multa, nec quicquam nobis ex eis mansit, nisi dolor Historiæ prorsus amissæ, neque vllo nostro studio reparandæ.

3. Hoc item anno insignis ille Fulco, Petri Cantoris Parisiensis discipulus, quem anno superiori commemorauimus, cùm iam triennium laborasset in prædicando, nec sine ingenti fructu, quippe sermonem confirmans sequentibus signis, quæ plurima per eum perpetrabantur, associato sibi alio Sacerdote, Petro de Rosiaco, velut prædicationis coadiutore, Monasterio S. Anthonij Parisiensis Sanctimonialium Cistercien sium pro fœminis, ex statu meretricio ad vtriusque prædicationem conuersis, de nouo ædificando initium dedit: id, quod Vincentius Belluacensis Episcopus nobis scriptum reliquit totidem verbis [d]: *Eodem anno, scilicet, a prædicatione Fulconis tertio, salutis nostræ M. C. XCVIII. Dominus multa miracula per eum operari cœpit, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis quoque gressum donans. Tunc Fulco alium Sacerdotem, nomine Petrum de Rosiaco, ad officium sibi prædicationis sociauit, Virum litteratum, & bonum, qui multos à peccatis luxuriæ, & vsuris reuocauit: meretrices quoque publicas ad coniugalem continentiam quasdam prouocauit; quædam verò coniugium respuentes, & soli Deo seruire cupientes, sumpto Religionis habitu, in noua Abbatia S. Anthonij Parisiis collocata sunt, quæ causa illarum, eo tempore fundata fuit.* Hactenus ille.

d lib. 29. cap. 59.

4. Porrò de hoc S. Anthonij Cœnobio, haud dubiè Cistercien si, multa inferiùs, cùm alia ex ipso orta retulerimus. Interim noto sub hæc eius initia (nam obiit intra annos triginta, siue, vt alij malunt, intra viginti) floruisse inter Capellanos professos insignem sanctitate virum B. Brunonem, clarum virtutibus, miraculis glorioſum, qui suo tempore nobis dicendus erit. Porrò idem Monasterium Sancti Anthonij, surrexisse ex piorum eleemosynis, concurrentibus cunctis, velut certatim, ad opus illud egregium promouendum, Otto de Sancto Blasio memoriæ prodit [e]. Eius rei gratia Parisienses scholares ducentas quinquaginta libras, Brugenses mille, & amplius erogasse. Vtrùm autem ea Domus prima fuerit, pro id genus mulieribus constructa, an aliæ præcesserint, non ausim diffinire. Ego non alias hactenus inueni priores tempore: sed cùm multa non viderim, non ideò assero non alias præcessisse.

e in Appendice ad Frisingensem.

5. Hoc ipso anno, quo Petrum de Rosiaco, alium Fulco assumpsit coadiutorem, Eustachium, Virum doctum, sanctúmque, Abbatem de Elay (vt habent Authores Angli [f]) puto de Floresia: nam Cistercien se Cœnobium omnes produnt, & direxit in Angliam (haud dubium quin permissu Superiorum) ibidem contra vitia prædicaturum. De his vterque Matthæus eisdem verbis, atque vterque ad præcedentem annum [f]: *His quoque diebus surrexit quidam alter Propheta in Francia Prædicator efficacissimus, per quem Dominus miracula manifesta dignatus est operari, scilicet, Magister Fulco, qui etiam quendam Religiosum, & facundum Prædicatorem misit in Angliam, Abbatem, scilicet, de Flai, Ordinis Cisterciensis, ad commercia, quæ Dominicis diebus fieri tunc solebant, deponenda.* Hactenus illi. Porrò Monasterium illud, de quo loquuntur, quodcunque sit; tamen Cistercien se esse, idem Matthæus Paris non semel repetit [g]: sed, quæ & quanta per ipsum Deus miracula patrare dignatus sit, dum Angliam peragrans prædicaret aduersùm vitia, & maximè pro obseruantia dierum Deo sacrorum, anno M. CC. dicendum, dedum promisimus, &, Deo dante, fideliter implebimus.

f vterque Matthæus, Rogerius, & alij.

g ad annum 1250.

Inter hæc sacra Militia Calatrauæ [h] ex præterita clade resumptis viribus, atque equitibus ferè quadringentis, septingentis pedibus coactis (tot numerant Authores) amissos dudum Calatrauæ campos, etsi non retenturа, depopulatura saltem ingressa est, & Saracenos, qua possent, infestatura. Ducebat agmen Martinus Martinez Commendatarius maximus: nam Magister Quiñonius senio fractus imparem se iam bellis considerabat. Porrò eo impetu irruptio facta est, vt vsque ad Saluaterram (id nomen Arcis, natura ipsius loci, atque opera artis munitissimæ,) hostibus profligatis, vastatis oppidis, ac multis spoliis partis, progrederentur, victores inde, locupletésque (nam expugnatio Arcis supra spem) quantocyùs possent ad propria redituri, & iam, iámque redire maturabant, cùm ecce vnus ex his, quos bello coperant, pretium suæ libertatis Arcem promittit, ipsius industria à nobis expugnandam. Erat in Castri muro paruus hiatus, quem nulla adhuc repagula obserabant. Hic intempesta nocte nostros accepit, tam silenter ingressos, vt iugulis eorum gladios prius Saraceni perciperent, quam auribus præsentire possent venientium motum.

h ex Francisco Rades c. 13.

6.

7. Ingentis nostris gaudij mox illa fuit: quippe expugnata Arce Saluaterræ, nec Calatraua videbatur non expugnanda. Missum statim Cirueles, ad Quiñonium, & fratribus nunciata parta victoria, in gratiarum actionem prorumpuntur. Tum Quiñonius, veluti spei suæ superstites, & satis sibi victum arbitratus, si vsque ad Martinum viueret, quem sibi subrogatum videre posset, vt ab eo, per quem capta noua Arx, hostes inter medios, Deo fauente, ab eisdem conseruaretur. Primò quidem Conuentum ad Saluaterram, quandiu ita victoribus placebat, transferendum mandauit. Dein, quòd per sexdecim annos egregiè administrasset, Magisterium deposuit, certus consilij Fratum, Abbatisque, qui Martinum ei forent suffecturi. Interim ipse mansit apud Cirueles inter Monachos degens, quos suæ tandem Militiæ restituisset: nam duos ibi relictos memoriæ produnt, cum quibus vixit in sancta senectute, Deo, & sibi vacans per annos quatuor: felix, qui superuixit tanta victoriæ post primam cladem: nec seruatus secundæ; ante amissam à nostris Saluaterram, (nam & eam amiserunt, vt pòst constabit,) feliciter, quantùm illa ætas permisit, defunctus est. Sed de his suo loco erit agendum. Interim adnoto, post translatum Conuentum ad Saluaterram inde cognominatam totam Militiam; nec iam de Calatraua, quoadusque recepit nomen simul cum loco. Quod anno sequenti in litteris Innocentij III. clariùs apparebit, vt ex superiùs adductis constare potest.

8. In Synodo nihil magnum hoc anno actum, saltem quod ad notitiam nostram venerit. Ecclesias quatuor nostris accessisse Chronologia prodit: tres priores diuersarum Vallium nomine: nimirum, Lucidæ, ad octauum Kalendas Aprilis; Floridæ, ad septi-

mum Kalendas Iulij; Del, in Hispania in mense Nouembris, & tandem de Hemer incerta dies: nec de hac vltima quid aliud, quod dicam, habeo. Vallem Lucidam in Claromontensi Diœcesi sitam præferunt libri Cameræ apostolicæ mediocri censum florenorum taxa præfixa: in Genesibus Ecclesiarum non inuenitur, (aut subest mendum multis exemplaribus.) Tamen in litteris Gregorij Papæ IX. datis Reati, Augusti die septima, Pontificatus ipsius anno decimo, indultum video, Monachis Monasterij S. Fortunati, & Sanctæ Mariæ Vallis Lucidæ, [i] *vt dilectum filium Abbatem de Ferraria Cistercien. Ordinis Visitatorem habeant, vt, videlicet, ipse Abbas, & eius successores ad vestrum* (ait) *Monasterium annis singulis accedentes, ei secundum instituta Cistercien. Ordinis officium Visitationis impendat, corrigendo, & reformando ibidem, tam in capite, quàm in membris, quod correctionis, aut reformationis officio viderint indigere.* Hactenus Bulla Gregorij Papæ IX. ex qua coniicias, & fortè non immeritò, Monasterium antiquum Benedictinum illo anno reformatum ad mores nostros; sed maiori antiquitate donatum esse, quæ ad hunc vsque annum se extenderit. An autem hoc Cœnobium Vallis Lucidæ, quod & Sancti Fortunati dictum apparet, idem sit cum eo, quod libri taxarum memorant in Diœcesi Claromontensi, mihi non constat: maximè cùm Robertus Claudius nihil omninò dicat de hoc Cœnobio. Vallem Floridam Monialium Monasterium satis insigne in Brabantia situm inferiùs dabimus. Monachorum in linea Claræuallis Tabulæ produnt, de quo nihil vlteriùs dicere audeo, quippe in Genesibus confusum, aut prætermissum.

[i] *ex Regestis Vaticani.*

9. Eadem excipit Vallem Dei in Asturibus, Diœcesis Ouetensis, ad sextum lapidem ab vrbe Cathedrali, quam Benedictinorum Domum longè antiquam Alfonsus cognomento Magnus ædificauerat. Visitur hodiéque templum antiquum tribus distinctum nauibus, quarum media ad duodecim pedes in latitudine, collaterales, vnaquæque ad sex non amplius pateat; longitudine, altitudinéque omninò conformi: cætera pulchro opere expolitum, quadrato ex lapide: vt mirum sit quæ cipiò illis temporibus, tantùm artis insumptum, in re tam parua. Huius primæ Ecclesiæ consecrationis extat adhuc memoria incisa lapidi: *Consecratum est templum hoc ab Episcopis septem, Rudesindo Dumensi, Nausstre Conimbricensi, Sisenando Iriensi, Ramiro Asturicensi, Argimiro Lamecensi, Recaredo Lucensi, Eleocana Cæsar-Augustanensi sub Æra D. CCC. I. die decimosexto Kalend. Octobris.* Hanc inscriptionem, & nos ibidem legimus, & Gundisaluus Dauila Regius Scriptor transcripsit, & inseruit suo Theatro.

Admisit hoc Cœnobium Cistercij leges, (quantùm colligi potest ex Chronologia, neque enim instrumentum aliud subest,) circa hunc annum sub disciplina Abbatis Superadi, vt habent Tabulæ Ecclesiarum Claræuallensium. Verùm, cùm arctè nimis habitarent in illo loco, transtulit sedes breue ad interuallum, ac nouis, amplioribúsque ædificiis, ac dote auxit alter Alfonsus Legionensis Rex ad annum Christi M. CC. XXVI. à Cistercio admisso XXVIII. priuilegio expedito, quod eius facti, simúlque possessionem Monasterij, quæ Taurum vsque, & Zamoram extendebatur, æternam posteris memoriam conseruaret Cuius hic tenor [k]: 10.

[k] *ex Tabulario Vallis Dei.*

11. *Ego Alfonsus, Dei gratia Rex Legionis, & Galleciæ, donationes possessionum, quas Monasterio Vallis Dei, quod propriis impensis construxi, vsque in sempiternum diem contuli, expressis locorum vocabulis adnotari, ne fortè per reuocationem in dubium, vel per excogitatam malitiam, insultationes contrarietatis in posterum, prædictum Monasterium super ipsis possessionibus ab aliquo patiatur.* Sequuntur possessiones Monasterij, quæ satis amplæ: & tandem concludit: *Facta charta apud Villam Artim vigesimaquinta die Augusti, Æra M. CC. LXII.*

12. Gaudet Cœnobium multis priuilegiis, inter quæ eminet tributum quoddam salis ab omnibus soluendum per vniuersi Principatus portus maritimos, quod multo pretio solet æstimari: quippe vniuersa terra carente sale, nisi aduentitio, & extero, quod mari ex Lusitania, atque ex aliis prouinciis adduci solet; si tates singulæ certam pensionem soluant, (septem quartelas decernit priuilegium, litre septem minas,) haud contemnenda summa confici solet. Huic porrò indulto, ab Alphonso IX. concesso pro portu de Auiles, Æra M. CC. XXVIII. mox ab alio Alfonso confirmato, & ad omnes principatus portus extenso Æra 1379. cùm mercatores, & præfecti salinarum derogare tentarent; quòd Instrumenta incendio Monasterij cum aliis conflagrassent; Petrus abuepos eius, cognomento Crudelis, & fidem fecit, & pondus, & robur addidit, Martii die quinta mensis Septembris, Æra M. CCC. XCI. subiuncta præcautione satis vtili simul, & honorifica: quòd quartelarum vasa, siue mensuræ, in ipso Monasterio, ne mutatione temporum, aut soluentium, aliorúmve malitia, decrescere contingat, conseruentur. Et manet firma gratia nostra ætate, magna saltem ex parte; cùm pretio salis aucto, & regio fisco per continua bella exhausto, aliæ similes mutant, aut perierunt.

ANNVS

ANNVS CHRISTI M.C.XCIX. — CISTERCII C.II.

1. *Innocentius Christianos Reges sollicitat.* 2. *Lucam Sambucinensem* 3. *cum Archiepiscopo Syracusano Legatos creat.* 4. *Terræ Sanctæ conflictum*, 5. *& Christianorum in ea degentium calamitates exponit.* 6. *Cæteros in auxilium eorum armat,* 7. *atque ipse etiam id ipsum repromittit.* 8. *Legatis, vt Crucem prædicent, iniungit.* 9. *Capitulo Generali Cistercij scribit,* 10. *& remissiuè de fructu Legationis.*

CAPVT I.

1. DVODECIMÆ centuriæ à Christo nato, anno penultimo, qui fuit secundæ à condito Cistercio, secundus, & ipse Innocentius ab Almerico Ierosolymorum Rege sollicitatus, cæteros alios Reges Christianos, & Cistercienses Monachos; hos, vt pro more suo prædicarent; illos, vt Terræ Sanctæ subuenirent, atque eximerent à dominio Saracenorum, per quos profanabatur, sollicitabat. Extant epistolæ ad Philippum, Richaredúmque, & alios Principes, quas Bzouius adducit; queis schismatis inter Saladini hæredes obortî, occasionem accipere, atque hostes discordes adoriri ocyùs hortatur, facilè superandos, dum pugnant inuicem: si conuenerint, fortiùs restituros. Hæc ad Reges, & Principes Christianos. At in Siciliam, Rege destitutam, quinquenni puero sub matre derelicto, Ministros Verbi censuit destinandos, qui sua prædicatione cierent populum, & Crucem prædicarent in hostes Crucis. Electi ad hoc insignes duo Viri, Syracusanus, nimirum, Archiepiscopus, & Cistercienfis Lucas, (nam eum Abbatem L. littera inscripta manifestat,) quem paulò antè in Sambucinæ Abbatem Præfectum diximus, quibus seriem negotij patefaciens, simul onus iniungens, litteras dedit, quas in gratiam Lectoris hîc transcribo [a].

[a] *in Registro, fol. 138.*

2. *N. Syracusano Episcopo, & L. Abbati Sambuzinæ.*

Plorans plorauit Ecclesia, & vox in Rama audita est ploratus, & vlulatus ipsius; imo, & in omnem terram clamor eius exiuit, & in fines Orbis terræ singultus ipsius; ex quo nunc vltimò, peccatis Christiani populi promerentibus, venerunt gentes in hanc ditionem Domini, coinquinauêre templum sanctum eius, posuerunt Hierusalem, velut pomorum custodiam; posuerunt mortalia seruorum eius, escas volatilibus cœli, carnes Sanctorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem, sicut aquam, in circuitu Ierusalem; & non erat, qui sepeliret. Frenuerunt enim gentes, & populi non prorsùs inania meditati astiterunt cum Regibus suis, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius; & quasi peruolantes in ipsum, & in hæreditate possidentes Sanctuarium eius, profanantes Sancta Sanctorum; & ad pretiosa, ipsius manus, & animum extendentes, sancta eius diripuêre in prædam, & sorte sibi eius spolia diuiserunt.

3. *Sanè apostolica Sedes, qua Mater est omnium generalis, ægrè ferens victimas filiorum, & suos dicens terminos coarctari, prædecessorum nostrorum temporibus, ad vniuersas Prouincias, in quibus nomen colitur Christianum, litteras sui gemitus destinauit, vt filios in iniuria paterna vindictam, & fratres armaret in fraterni excidij vltionem. Licèt autem diuersi Reges, & Principes Christiani ad commonitionem ipsius arma mouerint in Paganos: quia tamen (sicut effectus demonstrat) non ambulauerunt, prout debuerant, in lege Domini, imò reuertebantur, cùm incederent, & oblati carnium in deserto, & Ægypti delicias in solitudine affectabant, nec in digito Domini, sed sua potiùs potentia confidebant: quibusdam eorum perennibus gladio, & aliis infirmitate consumptis, nondum auersus est à nobis furor Domini, sed adhuc manus eius extensa.*

4. *Non autem hæc scribimus, vt vos de diuina misericordia desperare velimus, qua vocat ea, qua non sunt, tanquàm ea, qua sunt: quæ posset in hac Christiani populi necessitate, exhibere plusquàm duodecim Legiones Angelorum: qua docet manus ad prælium, & digitos nostros ad bellum: sed, vt nostram potiùs iniuriam arguamus, qui culpis nostris miserationem Domini visi sumus hactenus retardare, sicut filij Ierusalem, qui murmurauerunt in castris, nec exaudiêre vocem Domini: & quadraginta dies, quibus potuissent terram repromissam intrare, in annos totidem conuertêre. Sic, sic olim populus Ierusalem, cùm ad debellandum Tribum Ben-amin, prius Dominum consulto, deinde ipso ascendente iniungente; non priùs de ipsis victoriam est adeptus, quàm semel, & secundò conuersus in fugam, culpas suas hostili gladio expiaret. Siquidem, si fides nostra, sicut granum sinapis fuisset, & in lege Domini ambulassemus, qui tulerunt Crucem eius, vt ipsius iniuriam vindicarent, vnus nostrûm mille, & duodena millia effugassent: & sicut deficit fumus, & fluit cera à facie ignis; sic inimici eius ab eorum præsentia defecissent.*

5. *Quamuis autem contrarium merita nostra meruerint, quippe miserationes ipsius sint super omnia opera eius, & cùm iratus fuerit, misericordiæ recordatur, si conuersi fuerimus, adiiciet misereri Deus, & non continebit in ira sua misericordiam, nec dabit hæreditatem suam in opprobrium, vt dominentur eis de cætero nationes, ne forte consentiant Aduersarij nostri, & dicant: Manus nostra excelsa, & non Deus fecit hæc omnia. Quis igitur in persona propria pro eo laborare recusset? imò etiam extrema pericula sustinere, qui pro nobis Crucis patibulum subiuit, vt inimici à nobis expelleret potestatem? Quis sua deneget illi, qui nobis, & esse contulit, & habere? qui exemplum retribuit in præsenti, & in futuro præmia polliceretur æterna? Nam & secundùm Apostolum, pietas promissionem habet vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Quis pro eo mori deneget, qui factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis? qui habet potestatem corpus, & animam perdere in gehennam, & secundùm multitudinem miserationum suarum, breui temporis spatio, mortis compendio vitam istam in æternum potens est commutare?*

6. *Exurgant igitur fideles Ecclesiæ, apprehendant arma, & scutum, & exurgant in adiutorium Iesu Christi, vt & ipse mittat eis auxilium de sancto, & de Sion tueatur, eo faciente cum ipsis signum in bonum, qui conterit bella, qui currum, & exercitum Pharaonis proiecit in mare. Infirmi, robore accingantur, vt arcum fortium superent, & superbiam eorum humiliem, qui non in Deo, sed in sua fortitudine confidunt. Quia verò*

plerique

plerique laborare sufficiunt in personis, qui subuenire non possunt in rebus: & è conuerso, nonnulli in personis, prout in rebus non possunt præstare succursum, vt omnis laboris sint, & mercedis participes, dilectis Filiis Comitibus, Baronibus, & vniuerso populo Siciliæ mandauimus, & in remissionem iniunximus peccatorum, ad defensionem terræ Natiuitatis, & Resurrectionis Dominicæ, vbi Deus Rex noster ante sæcula salutem in medio terræ dignatus est operari, in nauigiis, victualibus, & aliis necessariis studeant subuenire. Cùm enim Teutonici in vltramarinis partibus commorantes (sicut accepimus) in proximo sint ad propria redituri, nisi terra illi deuotio Christiani populi subuenerit, & residuum locustæ comedes bruchus, & non solùm non recuperabimus iam amissa, imò potiùs recuperata, & possessa diutiùs (quod auertat Dominus) amittemus.

7. *Nos autem, ne videamur aliis onera grauia, & importabilia imponere; digito autem nostro nolle ea mouere, aliquem de Fratribus nostris in expensis propriis ad partes illas, cum alio competenti subsidio disposuimus destinare, qui exercitum Domini in humilitate præcedat, & Iosue pugnante, cum Aaron ascendat in montem contemplationis, vt Amalech in fugam (fauente Domino) in ore gladij conuertatur. Omnibus autem, qui propter hoc in persona propria laborabunt, de Dei, & Apostolorum eius Petri, & Pauli authoritate confisi, plenam peccatorum suorum, de quibus cordis, & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus. Cæteros verò, qui ad opus huiusmodi exequendum, aliqua de bonis suis fortè contulerint, iuxta muneris quantitatem, & præcipuè iuxta deuotionis affectum, remissionis huius participes esse censemus. Sciat autem se culpabiliter durum, & diutè culpabilem, qui monitis apostolicis in opere tam pio, & necessario negligens acquiescere, cùm Apostolorum moneamur exemplis, vt collectas pro fratribus, & maximè pro laborantibus in Ierusalem faciamus.*

8. *Cùm ergo vos ad proponendum verbum Domini populo Siciliæ, de prouidentia, & religione vestra confisi duxerimus deputandos, Discretionem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus circumeuntes ciuitates, oppida, & castella, tam ciues, quàm nobiles, & vniuersum populum Siciliæ salubribus monitis, & exhortatione assidua inducatis, vt opponant se, murum pro Domo Domini, ascendentibus ex aduerso; & (sicut dictum est) supradictæ Orientali terræ studeant subuenire. Taliter autem sollicitudinis vestræ prudentia his exequendis insistat, vt Zelum Domini vos habere in instanti necessitatis articulo comprobemus, & ad dilectionem vestram tanto amplius prouocemur, quanto ad liberationem terræ illius ardentius aspiramus: confidimus enim, quòd si cum Petro rete vestræ prædicationis laxaueritis, in verbo Dei, non tam copiosam multitudinem piscium, quàm vtilem, & necessariam, & per quam Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis finem imponet, super hoc laboribus Ecclesiæ concludetis. Datum Romæ, &c.* Hactenus Litteræ Innocentij Papæ graues, & feruidæ; quæ Archiepiscopum, & Abbatem priùs accenderent, si semel ardeant, alios accensuros: in vulgatis præcedenti anno tribuuntur, & fortè eo expeditæ: sed fructum distulerunt vsque ad præsentem.

Cæterùm, cùm prædicationis negotium iniunctum Lucæ, nequaquam breui posset expediri, quippe per ingratuto toram Insulam, & verbum Crucis per eam seminaturo; ne instante tempore Concilij generalis, aut ab iuncto munere cessaret, aut negligentiæ à Coabbatibus suis argueretur; tum vt, quas semel petierat Innocentius, orationes Sanctorum, iterum replicaret, *Vniuersis item Abbatibus Cisterciensis Ordinis in generali Capitulo congregatis* Literas dedit, in quibus ista, post alia, continebantur [b]: *Rogamus igitur Vniuersitatem vestram, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus insufficientium nostrum ex humana infirmitate pensantes, præter illam orationem, quam pro nobis effundit vniuersalis Ecclesia, in orationibus vestris memoriam nostri specialiùs habeatis. Ad hæc, cùm dilectum Filium nostrum Abbatem de Sambucina, de Fratrum nostrorum consilio, ad proponendum verbum Domini populis Siciliæ, ac eos excitandos ad obsequium Crucifixi, duxerimus destinandum, ipsum habere vos rogamus, & volumus excusatum, vtpote quem causa Domini, authoritas mandatoris, & vtilitas communis, etiam sine Litteris nostris sufficienter excusent. Datum Romæ quarto Kalendas Augusti.* Sic Innocentius in Lucæ excusationem. 9.

[b] *in Registro, fol. 159.*

Cæterùm, quàm fidelem, quàm fructuosam operam nullis sumptibus parcens, nullis laboribus, iniuncto muneri tenuerit idem Lucas, quantúmque, & quanta cum laude sibi Collega, non solùm prædicatione, sed industria negotium promouerit, ex Litteris eiusdem Innocentij, Summi Pontificis, ad eosdem directis anno sequenti, in earum, quæ accepisset ab ipsis, responsionem simul, & gratiarum actionem pro rebus gestis, suo loco ex more commemorabimus. 10.

---

1. *Mortua Constantia, insolentior Marcouualdus, 2. contra quem Innocentius armis, 3. censuríque, 4. per Legatos præcedenti anno missos agendum iubet. 5. Prauа in Italia subortа consuetudo, 6. quam contra Locedienses Abbas mittitur, 7. acceptis litteris, 8. quæ malum imminens panderent, 9. atque Abbatem remedio eius opponerent, licèt furore iam penè irrepressibili.*

CAPVT II.

INTER hæc Constantia Imperatrix, Henrici vidua, viam vniuersæ carnis ingressa, maiorum adhuc tumultuum in Sicilia, & per totam Italiam; verùm Guidoni, Cardinali Legato, sociisque maioris multò gloriæ occasio fuit. Cùm enim puerum Fridericum Regem filium, & vniuersi Regni Siciliæ administrationem Innocentio Pontifici, per tabulas testamenti reliquisset, *Vique Innocentius* (verba Abrahami Bzouij ad verbum tradam [a], nec huius gloriæ, vbi ex vsu fuerit, inuidebo,) *Bolium, quem vocabant, seu Apocryphariorum, & Administratorem rerum, tam spiritualium, quàm temporalium, ad ius Romanæ Ecclesiæ in Sicilia, eis, & vltra Pharum pertinentium, ibidem instituret, codicillis decreuisset, Marcouualdus, Imperij Seneschallus, siue quòd Philippo gratificari, siue quòd sè de Innocentio vlcisci vellet, qui eum anathemate percusserat, & Perusium, Tudertum,* [a] *ad annum 1199. n. 9.*

ciuitatem

ciuitatem Castellanam, maguam partem Tuscia, vniuersim ferè Marchiam, præter Camerinensem, & Esculanensem ciuitates à tyrannide ipsius recuperauerat, exercitu comparato Regnum pupillo à Constantia relictum inuasit, ciuitates multas diripuit; muros earum dirui, & in pagos conuerti præcepit; nobiles quamplurimos ferro vinctos mutilauit, & in exilium deportauit; complures ex eis, & ex clero sanguine, pernanctos vsitatis, & tandem exussit; plures multò in mare demersit; innumerabiles fame, & gladio trucidauit, & tyrannidem regni vsurpauit. Quod cùm non sibi esse ferendum existimaret Innocentius, vtpote iure dominij, & tutelæ eidem Regno Siciliæ Prælatus, coactis, quibus poterat, copiis, contra Marcouualdum castra mouit. Hactenus verbis Bzouij loquuti sumus.

2. At non per se præstitisse hæc Innocentium, sed per suos Legatos Guidonem, Octauianum, & Hugonem, quos anno præcedenti transmissos diximus, in confesso est. Hi, cùm per spiritualia non proficerent, ad carnalia arma conuersi, quæ impios coërcere plurimùm solent; coactis, quas aliunde licuit, copiis, Bononiensium auxilium implorarunt. Porrò *Bononienses* (ait Carolus Sigonius [b]) *siue vt Pontificis gratiam inirent, cui semper maximè studuerunt, siue vt Marcoaldum à se procul arcerent, subitò arma pararunt; ac delectu quam maximo habito, carrocium emiserunt. Duxerat is tyrannus, atque vt his temporibus rei militaris in primis peritus, Prætor Vrbis, Hubertus Vicecomes Placentinus. Is omnibus copiis eductis, statim Corbariam, Saxatellum, Montem Catonum, Arbotum, Duciam, & Flagnanum, Imolensis agri castra, quòd infirmis munitionibus essent, primo impetu cepit, atque singula, certa pecunia summa multauit. Quo terrore perculsi Tornetani (qui se paulò antè dediderant sponte in fidem) cum defecissent, reuerterunt. Inde in fines Imolensem, Forolimensem, Forepapiliensem, & Brittonorientem exercitus est inductus. Et Forolimensium infame factinus erat. Hi enim Robertum Vrbis Præfectum, rem ad Ecclesiam retrahentem, populari in foro, concitato tumultu, miserè interemerant: vniuersi tamen, vastatione agris illata, ad pacem petendam, & obsequium Ecclesiæ recipiendum adducti sunt. Ad extremum, iunctis exercitibus, Cesenates quoque petiti, atque ad authoritatem Ecclesiæ renouati, ciuitatibus in fidem reuersis, interdictum relaxatum est.* Ita Sigonius.

b lib. 15. in fine.

3. His, & similibus, Bononiensium præcipuè manu, sed trium Legatorum industria gestis, *vulgatisque* (pergit idem Author) *Innocentius omnibus esse in ore, atque oculis cœpit: vt qui solus, post tot annos, Ecclesiam in pristinum locum dignitatis, ac potentiæ restituerat, vtinque non vi magis, quàm pontificiæ authoritate confecerat.* Tum Marcouualdus, quod timori carnali dabat, ad pietatem referens; & necessitatem, specie virtutis pallians, quasi qui se præcisum à cœtu suorum doleret, atque restitui in primis exoptaret, Legatorum audientiam supplex petiit, & se mandatis per omnia pariturum, iurare paratum, per internuncios offerens, tandem cœtui fidelium redditus est. Quod Abraham Bzouius his verbis narrat [d]: *Accedens Marcouualdus ad præsentiam Octauiani, Ostiensis Episcopi, & Gnedonis, tituli Sanctæ Mariæ trans Tyberim Presbyteri; necnon & Hugolini tituli Sancti Eustachij Diaconi Cardinalium, Legatorum apostolicæ Sedis, iuxta modum expressum superius, publicè inuestituram exhibuit. Et secundum Ecclesiæ formam, beneficio absolutionis obtento, mandatum sub eodem tenore recepit, & se promittit fideliter impleturum.* Hactenus ibi. At, qui solos Legatos, & vim armis illatam; illos reuerebatur, hanc timebat; refractarius & perfidus, statim atque ipsi discesserunt, fefellit fidem, quod aliæ Litteræ Innocentij posteriores: atque Italiæ Annales testificantur.

d ad hunc ann.

4. Porrò, in qua forma mandatum Innocentij illi propositum, atque ab eo admissum, iuratúmque, idem, qui suprà, Author proposuerat: quippe intimatum omnibus Prælatis, atque Principibus, quibus, quid factum esset, & quæ item seruanda, constare posset. Sic autem habet [e]: *Mandatum*, inquit, *est ei sub debito præstiti iuramenti, vt à Balio Regni, inuasione quoque, ac molestatione ipsius per se, aut suos omnino desistat; nec ipsum, aut patrimonium Beati Petri, per se, vel alium vllo modo molestet; vniuersa, quæ de Regno per se, vel suos inuasit, quæ detinentur ab ipso, restituat; & ab omni prorsus obligatione absoluat: quæ verò detinentur ab aliis, pro posse suo, restituí faciat, bona fide. Super his autem, quæ nec ab ipso, nec suis habentur, vtpote super damnis, & iniuriis illatis, præsertim nobis, & Monasterio Cassinensi, satisfaciat competenter secundum dispositionem nostram, & proprias facultates. In Clericos de cætero, & Viros ecclesiasticos manus nec iniiciat, nec iniici faciat violentas; Cardinales, & Legatos apostolicæ Sedis, nec spoliet, nec spoliari, nec capi faciat, aut etiam obsideri, nisi forsan impugnatus ab eis, in defensionem propriam id facere cogeretur; non, quod id tunc ei licere dicamus; sed, quia hoc ei non interdicimus, ex debito iuramenti.* Hactenus mandatum Innocentij III. quod Octauiano, Guidonique intimandum commissum, atque eorum, tum animis, tum industria, ab eo, cui imponebatur, acceptatum, iuratúmque; ingentem ipsis laudem, Ecclesiæ authoritatem, nouo Pontificatui expectationem, terrorem hostibus, fidelibus lætitiam; atque pacem Italiæ conciliauit, saltem ad tempus.

e ibidem, num. 10.

5. *Inter hæc* (scribit Carolus Sigonius [f]) *prauis parcrebuerat tunc in Italia consuetudo, vt non solum priuati priuatos, sed etiam populi populos ad contractus controuersias dirimendas, indicto certamine inuitarent; quod illi torneamenti nomine appellabant; qua vt moralium generi exitiosa, tribus fuerat iam decretis ab Ecclesia condemnata. Tunsa verò tunc, siue tractandorum armorum, siue virtutis experiendæ cupiditate, Italos acui, vt contemptis legibus, alter alteri eiusmodi certamen indixerint; seque inter se, ad rem summo discrimine, pronocarint. Ratus vterque, se vno prælio Italis offensarum non solum quantum inter controuersia superaret; sed etiam, quod generosos populos vehementius incitabat, quantum bellica virtute, gloriáque militari præstaret. Dieque tanta, ac tam memorabilis pugnæ indicta, interim suas quisque vires, copiasque rebus instruere necessariis instituit.* Hactenus Carolus Sigonius de ingruenti per totam Italiam malo, cui ægrè speraretur posse obuiari.

f lib. 15. in fine.

6. Verùm, cùm Innocentius, vt bonus Pastor, intimis animi sensibus doleret imminentem Christiano populo cladem; & quò sibi in Italia præsentiorem, eò altiùs obuiandam consideraret, ne inde scandalum per Prouincias diffunderetur, vnde exemplum deberet emanare; Mediolanensi Archiepiscopo, Episcopísque eius Suffraganeis, ingentis authoritatis, virum æquè ex Cistercio (adeò nihil in Orbe sine ipso) Locedíensem Abbatem

Abbatem Oglerum, seu quis ille, quem anno præcedenti commemorauimus, adiungendum putauit, qui populo furenti sese opponeret; & cuius tum industria, tum grauitate, grassanti per Italiam pesti subueniretur. Litteras dimidiatas idem Sigonius [g], & ex ipso etiam Bzouius [h] vulgauêre. Nos in gratiam Lectoris integras dabimus, prout in Regesto habentur, verbis sequentibus [i]:

g lib. 15. in fine.
h ad hunc annum.
i in Regesto, fol. 184.

7. *Locedienſi Abbati.*

Cùm plenitudo legis ſecundùm Apoſtolum, ſit dilectio perfecta; diſſenſio diuinæ legis hominem conſtituit tranſgreſſorem, quæ ſæpiùs ex ody radice procedit, & eliminatis virtutibus, copiam generat vitiorum, dum vnus, vt in alterum ſuas iniurias vindicet; dum, vt de inimico triumphet, nec diuinam offenſam, nec homicidij crimen, nec reatum periurij expaueſcit. Hæc enim naturalis legis iura confundens, quod ſibi non vult, aliis per violentiam nititur irrogare. Hæc dum perſequitur proximum, nec Deum, nec proximum diligere comprobatur. Qui enim non diligit fratrem, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? Huius autem incommoditatis plenius veritas, quæ mentiri non nouit, attendens in Euangelio proteſtatur: Omne, *inquiens*, Regnum in ſe diuiſum deſolabitur: & domus ſupra domum cadet.

8. *Cæterùm, quamuis in libris ſacræ Scripturæ ſuis diſſenſionis incommoda prænotentur; manifeſtius tamen diligenter inſpicientibus in libro experientiæ quotidianæ patebunt. Nam (vt non longè petantur exempla) quos ex diſſenſione, quæ inter Placentinos, & Parmenienſes ſuper Burgo S. Dominici vertitur, mala contigerint, quos finis pericula (niſi Deus aliter prouiderit) prouentura, tua Diſcretio non ignorat. Ecce enim inuicem ſanguinem ſuum ſitiunt, & eſcarum munùs ſtragem ſuam; nec ſufficis veriſque per ſe contra alteros dimicare, ſed vniuerſam Lombardiam commouerunt ad arma, & alteri in vniuerſis fautoribus ſuis, alteris, & omnibus eorum complicibus generale prælium indixerunt. Quia verò nos (licet non ſufficientibus meritis) vicem eius tenemus in terris, qui natus ex Virgine, per calicos ciues pacem bonæ voluntatis hominibus nunciauit, & reſurgens, & aſcenſurus in Cœlum, pacem legauit Diſcipulis, vt & ipſi eius imitantes exemplum, pacem aliis prædicarent; ne, ſi ventum fuerit ad conflictum, mutuis hinc inde morientibus, fiat hæc diſſenſio immortalis; ne etiam, præter ſtragem corporum, incurrant inſuper periculum animarum: Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & in virtute obedientiæ, ſub quantacunque poſſemus diſtrictione præcipimus, quatenus cum Venerabilibus Fratribus noſtris, Mediolanenſi Archiepiſcopo, & Vercellenſi, (corrige, Bergomenſi,) Bergolaudenſi, Brixienſi, Cremonenſi, Regienſi, Placentinenſi, & Parmenſi Epiſcopis, quibus ſuper hoc etiam ſcribimus, per te, & alios, quos ad hunc neceſſarios eſſe cognoueris tractatum, ad eorum concordiam, & pacem intendas; & vt imminentia mala vitentur, indefeſſo ſtudio, & ſollicitudine diligenti procures: ita quòd apud Deum æterna retributionis mercedem, & apud nos dignas gratiarum actiones valeas promereri.*

9. *Si verò deſuper datum non fuerit, vt per admonitionem, & exhortationem ipſorum, & tuam, impleri valeat, quod mandamus; tu per excommunicationem Proteſtatum, Conſulum, & Conſiliariorum principalium fautorum, tam Placentinorum, quàm Parmenienſium, ipſos Placentinos, & Parmienſes ad ſubeundum iudicium noſtrum, ſufficientiſſima in manibus tuis binc inde præſtita cautione, vel Parmienſes, vt Burgum ipſum nomine noſtro in manibus ſuis tenendum aſſignent, reſtituendum per nos eis, quibus de iure fuerit aſſignandum, omni occaſione, dilatione, appellatione, & recuſatione ceſſantibus, noſtra fretus auctoritate compellas: & eis inſuper committas, quòd niſi mandatis paruerint apoſtolicæ Sedis, manus noſtras ſuper eis curabimus aggrauare. Quòd ſi competentiorem modum, dum tractaueris ſuper his cum partibus, poteris inuenire, ſecundùm eum procedere non omittas. Nouit enim Dominus, qui renum, & cordium eſt ſcrutator, quòd ſuper hoc ex puritate procedimus, non vt alterutri partium cum alterius diſpendio placeamus; ſed, vt officij noſtri debitum exequentes, ſopiamus diſſenſionem, ipſam concordia, vel iudicio terminantes; cùm in ſimili caſu Reges, & Principes (ſicut te latere non credimus) eccleſiaſtica diſtrictione duxerimus compellendos. Cùm enim inter alias Orbis Prouincias, præſertim ſimus de Lombardia ſtatu ſolliciti, communi Lombardorum vtilitati conſulere cupimus, & grauaminibus præcauere, ne ſi (quod abſit) inter ſe proceſſerint ad conflictum, præter alia pericula, ſtrages exinde non modica ſubſequatur. Sufficienti verò cautione ab vtraque parte, quod iudicio, vel mandato noſtro pareat, & Parmienſi poſſeſſione receptis, ſi per publicam famam, vel aliàs legitimè ſibi conſtiterit, Parmienſes ipſos poſſeſſionem temeritate propria, Placentinis per violentiam abſtuliſſe; poſſeſſionem ipſam reſtituas Placentinis, cùm id ordo iuris expoſcat; ita tamen, quòd priùs ſibi ſufficienter caueant, vt ſi quod poſtmodum propoſitum fuerit, mandato noſtro ſint, & iudicio pariturі. Datum Laterani, 5. Kalendas Maij.*

Hactenus Innocentius ad Abbatem Locedij: quem proculdubiò ſtrenuam nauaſſe operam pro componenda pace populorum, compertum eſt, etſi minoris quàm deſideraretur vtilitate.

1. Sacra Biblia vulgariter translata 2. tribus Cistercij Abbatibus committuntur, 3. cognituris de ipsa translatione, 4. & de Authorum erroribus, 5. cæterisque, qui clanculum irrepserant. 6. Sancti Anastasij Abbas iterum ad Philippum Suevum missus. 7. Calatrava confirmata in Salvaterra, 8. iuxta Cistercij leges, ritúsque. 9. Quid de Priore? Explicata verba Innocentij, 11. & explicatio contenta in Bulla Clementis IV. 12. Requisitus & Guido Morimundensis.

CAPVT III.

1. IISDEM temporibus, ne quod officium nostri prætermitterent, quod in Ecclesiæ obsequium vergere posset; qui bello, & paci præfecti ab Innocentio, ad negotia item fidei vocati sunt; quæ Episcopus Metensis non potuisset, in eadem Prouincia peracturi. Scatebat tunc Gallia multis Hæreticis, sacris libris vulgatis sermone Gallico: priuati conuenticuli, & mulierculis, sutoribúsque admissis, sapientes, doctique (qui mos Hæreticorum) excludebantur. Iniunctum iam Episcopo Metensi, quatenus pesti grassanti se opponeret, corrigeret errores, conuenticula tolleret, & sacros libros de ignorantium manu excuteret, resipiscentibus veniam, & correptionem; in protervos supplicia vibraremus. Verùm, cùm eò audaciæ venum esset, vt ne ad ipsius Pontificis iussionem, errata corrigenda blasphemarent, tres ex Cisterciensi Abbates electi sunt authoritate, & doctrina præeminentes, de Cistercio, de Morimundo, & de Crista, quibus tantum negotium committeretur: cognituris non solùm de Hæreticis, de erroribúsque, sed de sententiis latis ab Episcopo, si aduersùs fontes in aliquo excessisset. Literas Innocentij multi adducunt; verùm mancas, & mutilas: nos hos Annales directè concernentes, atque Guidonis, aliorúmque Abbatum authoritatem eximiè commendantes, integras dabimus, provt ex Vaticano sunt transcriptæ. Portò sic habent [a]:

a lib. 2. epist. 122.

2. *Cisterciensi, Morimundensi, & de Crista Abbatibus.*

Ea est in fouendis virtutibus, & vitiis extirpandis à Prælatis Ecclesiarum seruanda discretio, & circumspectio adhibenda, ne vel inter nascentium dorsitatem spinarum, enormiter frumenta lædantur, vel insuper seminatorum zizaniorum euulsione, triticum euellatur. In abscindendis etiam, & curandis corporibus infirmorum, oculi diligentiæ præcedere debet manus officium, & ferrum digitus præuenire: ne, si cauterium adhibeatur incautè, non tam partes infirmas non sanet, quam sanas infirmet: quod tanto diligentius in mentis languoribus est seruandum, quanto animam nouimus corpore digniorem, & spiritualia carnalibus præponenda.

Hoc autem infra nos ipsos attendentes diligentius, cùm olim Venerabilis Frater noster Metensis Episcopus per suas nobis litteras intimasset, quòd, tam in Diœcesi, quàm in vrbe Metensi, Laicorum, & mulierum non modica multitudo, Gallica quidam translationi diuinorum librorum, intendentes secretis conuenticulis, etiam inter se inuicem eructare præsumerent, aliorum aspernantes consortium, & in faciem redarguentibus, Presbyteris resistentes, quorum simplicitatem fastidiunt, in sua translationis peritia confidentes, non protinus ad vindictam nos res accendit incognita; sed vniuersis, tam in vrbe, quàm in Metensi Diœcesi constitutis sub eo tenore Litteras curauimus apostolicas destinare, qui vobis ex transcripto earum, poterit inspectione patere. Eidem Episcopo insuper, & Capitulo Metensi dedimus in mandatis, vt inquirerent solicitè veritatem, quis fuerit Author translationis illius: qua intentio transferentis: qua fides vtentium: quæ causa docendi: si vtentes ipsam venerarentur apostolicam Sedem; & Catholicam Ecclesiam honorarent: vt super his, & aliis, quæ necessaria sunt ad indagandum plenius veritatem, per eorum litteras sufficienter instructi plenius intelligeremus, & planius, quod super his statui oporteret.

Nuper autem idem Episcopus per suas nobis litteras intimauit, quòd quidam eorum, quos notabiles prioribus litteris denotarat, mandatis recusant apostolicis obedire: quibusdam eorum clanculò: quibusdam verò publicè obediendum esse dicentibus soli Deo ab occultis eorum conuenticulis non cessantes, officium prædicationis occultè, licèt à nullo mittantur, prohibiti etiam, sibi non metuunt vsurpare: aspernantes sibi dissimiles, & translationis eidem vsque adeò insistentes, vt se nec Episcopo, nec Metropolitano suo, nec nobis ipsis asserant paritures, si etiam decreuerimus abolendam. Licèt autem tales in eo reprehendendi meritò videantur, quòd occulta conuenticula celebrant, officium prædicationis vsurpant, simplicitatem deficiens Sacerdotum, & eorum consortia, qui dictam translationem non recipiunt, aspernantur: ne quid tamen subitò facere videamur. Discretioni vestræ (de qua sanè confidimus) per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ad ciuitatem Metensem pariter accedentes, cum eodem Episcopo, conuocatis coram vobis talia sapientes, & adhærentes translationi prædictæ: & si fieri poterit, qua in eis reprehensibilia fuerint, authoritate freti apostolica, sublato appellationis obstaculo, corrigatis. Quòd si correctionem vestram recipere forte noluerint, inquiratis super capitulis illis, quæ in litteris, quas Episcopo miseramus, expressa fuisse superiùs vobis expressimus, & aliis etiam diligentius veritatem, & quod inueneritis per nuncium vestrum, & litteras plenius intimetis, vt per vos certiores effecti, provt procedendum fuerit, procedamus. 3.

Cùm enim in hoc vniuersalis Ecclesia versatur negotium, & agatur causa fidei Christiana, ad exequendum apostolicæ Sedis mandatum cum summa diligentia, & cautela vos studiosos, & promptos esse volumus, & mandamus. Ad hæc M. Crispinum Presbyterum, & R. socium eius, si super his, quæ dictus Episcopus eis duxerit opponenda, inueneritis esse vos, ipsos appellatione remota, canonicè punietis. Alioquin eundem Episcopum ad remittendam pœnam, si quam eis forsitan inflixit, cùm nihil contra eum, vel Clerum in nostra proposuerint audientia, monitione præmissa, districtiùs, qua conuenit, remoto appellationis obstaculo, cogere non tardetis. Datum Laverani quinto Idus Decembris. Hæc Innocentius ad tres illos Abbates, in causa clandestinæ illius, atque adeò suspectæ prædicationis; & nouæ, atque vulgaris translationis 4.

Bibliorum, quæ pateret cerdonibus, atque inter mulierculares manus circunferretur.

6. Hoc ipso anno, cùm Henrici VI. morte vacaret Imperium, & Philippus, atque Otto, vterque Dux, actiùs de successore decertarent; iterum ad Philippum remissum lego Sancti Anastasij Abbatem ab Innocentio: vt quem sibi, & Ecclesiæ reconciliasset, contineret in fide, & obedientia, meritísque, quàm armis agendum fore altiùs imprimeret, si legitimè vellet coronari. Meminit secundæ huius Legatiæ Abtaham Bzouius [b]: addens, Abbatem reportasse ex Philippo nuncios ad Innocentium graues, & eloquentes, per quos de cunctis, quæ eius promotioni fauebant, instrueretur. Nunciorum ad Innocentium orationem nequaquam reperi: responsum tamen Innocentij ad ipsos, idem Author transcribit grauem, & dignum maiestate tanti Pontificis, Sed, quod non concernens hos Annales, nisi occasione ex Abbate Sancti Anastasij, pro quo Nuncij remissi, longiùs quæsita, in eodem Bzouio legat, quicunque volet.

b ad hunc an.

7. Inter hæc Calatrauæ Militiam sacram, atque recèns electum Martinum, eius Magistrum, aliqua perturbabant, quibus fuit necessariò prouidendum. Et primùm ea cura cunctis insedit, ne cum nomine, & loco, quæ mutauissent, (nam iam ab Arce noua, quam occupabant, in Saluaterræ nomen vulgo transierant) Ordinem etiam mutasse putari possent; & quod hactenus altiùs imbibissent, deseruisse Cistercium, sine quo nihil sanctum sibi putabant. Dein, quæ rarior in afflictis rebus, quàm in prosperis solet inueniri, intestina diuisio: nonnullis ex Militibus (nam Capellani nihil tale ausi) Prioratum ambientibus: quippe queis semel permisso Magistratu, quæ Dignitas Abbatiali subrogabatur, cætera velut debita, atque infra se omnia iudicabant. Seu Capellani præcauerent malo, quod illis, Sacerdotióque immineba, si non solùm Magistro, sed Priori, atque laïco vtrique Dignitas clericalis subiiceretur. Hactenus saluum spirituale gladium, clauésque in Priore initiato sacris Ordinibus: iam in quo remanerent relinqui neminem, si Prior etiam laicus præficiatur. Sed nec decere obedientiam promitti laïco à Clericis, aut horum professionem illum susci pere, Præfecturæ incapacem, & Dignitatis. Vtrique damno obuiare Martinus volens, Romam ad Innocentium Papam misit; & contra primum impetrauit confirmationem, tum Regulæ ab Abbate Cistercii Quinonio traditæ, tum incorporationis in veros Fratres, quæ omnem diuisionem prorsus excluderet: contra secundum clausulam obtinuit, vt Prior Clericus, id est, sacris initiatus, atque adeò non Miles esse deberet. Atque ecce verba litterarum eius hoc anno expeditarum, quanuis & in nonnullis exemplaribus præcedentem, per errorem, notatum video [c]:

c in priuileg. Militum Calatrauæ, priuil. 1.

8. *Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis Filiis Martino Magistro, & Fratribus Ordinis de Calatraua, in Ordine Fratrum Cisterciensium viuentibus in perpetuum.*

Quoties à nobis petitur, quod Religioni, & honestati conuenire dignoscitur, omninò nos decet libenter concedere, & potentium desideriis congruum suffragium impertiri: quapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & felicis recordationis Alexandri, & Gregorij prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, vestigiis inhærentes, præfatum locum de Calatraua, & locum de Saluaterra, in qua ad seruiendum Deo, diuino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt institutio, quam Abbas, & Fratres Cistercienses vobis in eodem loco morantibus, non vt familiaribus, sed vt veris Fratribus, faciisse dicuntur, perpetuis temporibus ibidem inuiolabiliter obseruetur: videlicet, vt in militaribus armis accincti, contra Saracenos pro tuitione Christiani populi fideliter dimicetis. Propterea ea, quæ victu, & vestitu vestro, præfati Abbas, & Fratres Cistercienses, & vniuersum Capitulum eiusdem Ordinis, à vobis regulariter obseruanda sanxerunt, vobis nihilominùs confirmamus: videlicet, vt limeis in femoralibus tantùm, vobis liceat vti, &c. Hæc contra primum sibi imminens malum: contra posterius audi, quæ sequuntur [d]:

d eodem priuilegio.

9. *Liceat etiam vobis in locis vestris, sine manifesto vicinarum Ecclesiarum damno, Oratoria construere, in quibus Fratres, & Familia vestra diuinum audire Officium, & Christianam valeant habere sepulturam. Clerici quoque Ordinis vestri Clericum Priorem habeant, cui professionem faciant, reuerentiam, & subiectionem impendant, &c.* Pergit ad alia quædam priuilegia, quæ magis declarationes Cistercienſium, ad Milites, Capellanósque, tanquàm veros Cistercij Fratres extensorum, quàm noua indulta absque dubio censeri debent. Hæc iam confirmatio secunda Calatrauensium in veros Fratres Ordinis, nulla inter ipsos, & nostros differentia, præterquàm quòd, vt Conuersi plerunque Grangiis, & administrationi temporalium, Capellani administrandis Sacramentis, vbi Monachi deessent, ita ipsi Militiæ deputabantur.

10. Cæterùm, quod in eadem Bulla dicitur, Clericos Calatrauæ Clericum habituros esse Priorem, multis ex ipsis errandi occasio fuit [e], vt putarent, non Monachum, sed Capellanum ex ipsis electum, Calatrauæ in Priorem deputandum. Quasi ibi Clericus, vt opponitur Monacho; non vt opponitur laïco deberet accipi? Sanè, cùm milites purè laïci essent, neque iis deceret subdi Capellanos, quippe initiatos sacris; decretum est, vt nullus laïcus in Priorem præfici posset. Potrò per Clericum initiatum sacris intelligi, quales Monachi erant, præterquàm quòd ex multis constat litteris, videtur expressum in quadam Bulla Clementis Papæ IV. apud quem pro parte Capellanorum, super hoc ipso querela fuit proposita. Quam etsi à nobis superiùs insinuatam, & in tempore dandam, quia tamen Innocentij mentem egregiè explicat, ne vllus interim dubitandi remaneat locus, hîc vel ex parte censui subiiciendam. Est autem talis [f]:

e Conuers, & alius.

f tom. 2. Regesti, epist. 60.

11. *Clemens Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Capitulo Generali Cisterciensis Ordinis, Salutem, & apostolicam Benedictionem. Conquerente dilecto Filio Fratre Iacobo pro se, & aliis Ordinis Calatrauensis, nuper accepimus, quòd, licèt olim pro statu eiusdem Ordinis à felicis recordationis Innocentio Papa III. prædecessore nostro, inter alia fuerit ordinatum, quòd Clerici ipsius Ordinis Clericum Priorem habeant, in cuius manus Professionem faciant regularem: Magistri tamen laici eiusdem Ordinis Professionem Clericorum recipiunt eorundem. Nec sustinent, quòd habeant Priorem Clericum, quanuis dilectus Filius Abbas Morimundi vestri Ordinis, ad Ordinem Calatrauensem tres miſit Monachos; vnum Priorem instituens; alium Subpriorem; tertium socium eorundem, quorum nullus Professionem ipsorum recepit Clericorum, nec ad recipiendum dicitur idoneus iudicari: cùm non fuerint eorum Ordinis, imò ab eisdem, tam Habitu, quàm variis obseruantiis distinguantur. Vnde, cùm dictus*

tus Magistrorum abusus in recipiendis Professionibus Clericorum, non solùm ordinationi obuiet supradictæ, quin etiam Ordinis clericalis multùm detrahat honestati, petiit suo, & aliorum Clericorum eiusdem Ordinis nomine, super his sibi per Sedem apostolicam paterna sollicitudine prouideri. Hactenus ibi: quibus pro intelligentia verborum Innocentij, & veritate Historiæ nihil omninò clarius dici potuit. Non ergo contra Monachos decretum; sed contra laicos milites, ne in Prioris Officium assumerentur.

12. Confirmationem obtentam ab Innocentio, siue ipsam petitionem confirmationis ad Cistercium delatam, ad Guidonem, quasi ad præcipuum totius militiæ caput, à quo cuncta penderent, remissam fuisse: eundémque rogatum à militibus, atque à nouo Magistro, vt in Hispaniam proficisceretur, vbi omnia disponeret, provt cerneret magis ex pedire; argumento est eius ad nos aduentus hoc ipso anno. Quanuis non negem, vocatum ab Alfonso longè diuersæ Militiæ stabiliendæ; Monarchiæ, nimirum, Sanctimonialium confirmandæ apud Burgos: adeò hæc Religio bellicosum aliàs Principem, vel inter medios hostes, atque tot res aduersas sollicitabat. Portò aduenisse manifestum est, ex instrumento statim adducendo, atque Hortæ cum Martino, & paucis aliis; Tulebris etiam cum multis conuenisse: deinde cum Alphonso. Nec dubium, quin contulerint cum ipso, quæ magis ex re forent Militiæ sacræ: & qualiter cauendum eidem esset, ne vel militibus ardor perneccessarius, pios, & religiosos Cistercij mores; vel religiosa, patiénsque humilitas militarem ardorem eneruarent. Congressus ipsos dabo sequenti capite: verùm, quid Guido Saluaterræ gesserit, ignotum nobis hactenus; nec Rades proderet, quanuis inuenisset, in quantum potuit à Monachis auersus, atque ea tantùm illis accepta ferens, quæ nec negare potuit, nec prætetire.

---

1. *Alphonsus Rex Guidonem Abbatem, vocat:* 2. *ille Cæsaraugustam primùm veniens.* 3. *& Tulebrenses rationibus persuadens,* 4. *cessionem iuris in filias ab eis impetrat.* 5. *Tum Monasterium Huelguense à Rege de nouo accipit,* 6. *in sepulturam Regum,* 7. *qui & se Cistercio sacrant sub conditione.* 8. *Subscriptiones solennes.* 9. *Quid de sepulcris Regum in Hispania,* 10. *& Conuentus eorum Hortæ habitus.* 11. *In quo & firmata Huelguensis Monarchia.* 12. *Quædam in instrumento ipso notata.*

CAPVT IV.

1. IAM Rex Alphonsus octauum illud magnum Sanctæ Mariæ Regalis prope Burgos Monasterium condiderat, septem Orbis miraculis æquandum; & consummata materiali fabrica, spiritualem Monialium vtriusque Regni, & Castellæ, & Legionis, & quandam velut Monarchiam Cistercij æmulam, in eodem Cœnobio residentem (informem hactenus) stabilire, & formare meditabatur: sed sine Abbate Cistercij lubrica omnia, & fluxa. Nec Tulebrenses, à quibus dependebat negotium, in relaxanda obedientia Monasteriis, constantes erant. Varia pro tempore, muliebri voluntate, & nunc cedente in gratiam Alfonsi Regis, nunc zelante pro suo Monasterio, cuius iura alienare nefas putarent. Ergo accersiri Guidonem Abbatem iubet: veniat, accipiat cuncta de manu Regis; agnoscat incrementum suæ Familiæ; &, si ita expedire iudicauerit, disponat suauiter, attingat fortiter, & firmum, ac stabile sit, quidquid ipsius authoritas confirmet.

2. Acceptis per Guidonem Abbatem Nunciis, & litteris, nequaquam censuit obuiandum Regi Catholico, à quo tot, tantáque accepissent, atque acciperent in dies Cistercij filij. Quare, cùm primùm à Synodo se absoluit, quæ mense Septembri ex more celebrabatur, Cæsaraugustam primùm, vbi Abbatissam Tulebrensem, cum plena sui Conuentus procuratione; atque item Monasterij de Favares, à quo Tulebræ, & eius nomine Capellanum adesse voluit; dein Burgos ad Regem profectus est, cuncta vtrobique ex tempore, & ex visu, ad voluntatem eius peracturus. Decesserat Tulebris Toda Abbatissa, & loco eius Vrraca subrogata cœperat reclamare, quasi non potuisset, quæ antecesserat in prætudicium ipsius, atque totius Conuentus iuri cedere. Satis, supérque actum cùm Huelguensibus, si sibi relinquantur, nec ius in eas maternitatis exerceat, quæ verè genuit. Reliqua germina relinquenda Matri, ne prorsus orba, ne destituta penitùs videatur: & plùs aliquid à filia patiatur, quam ab extranea posset, aut inimica. Religionem nequaquam ex potentia, nec ex diuitiis pensandam, sed ex virtutibus, quæ in pauperibus plerunque perfectiores, in expertis firmiores, certioréque: nec decere Moniales recenter ortas, anteponi antiquis; & proprij veteri partus illis præripere: statuta quibusque propria iura Cistercij legibus, quæ si infringi procuret Rex Alfonsus, non pro Cistercio stare, sed contra ipsum.

3. Hæc, & similia mouebant Vrracæ animum, vt ab indultis Todæ resiliret. Quæ contra Guido, potérque diuitiásque, Religionis non partes, sed administras, in inferioribus non penitùs inutiles, in superioribus omninò necessarias. Nam, qualiter virtutes infundunt subditis, si nequeunt eos à vitiis coërcere? Eam esse miseriam nostrorum temporum, vt vix sit, qui virtuti soli deferat: neque solùm exemplum satis sit, subditis in officio continendis. Tum Tulebrensibus, si filiæ suæ remaneant, nimiùm loco distantes, & paucas numero, neque visitationes, neque Capitula; Huelguense Monasterium in medio Regni, & plures alias habens, magno hæc omnia cum fructu exequuturum: paruas Congregationes contemptui exteris, domesticis laxamento plerunque fore: numerosas constare proprio pondere, à quo difficilè possent exturbari.

4. Itaque Vrraca acquieuit Guidonis monitis, atque suum, & Conuentus sui consensum firmauit scripto, quod hodiéque perseuerat, totidem verbis [a]:

[a] *In quibusdam membranis Monast. Huelguen.*

Ego Vrraca, Abbatissa Sancta Maria charitatis, notum facio præsentibus, & futuris, quòd Domina Toda Ramirez, quæ ante me fuit Abbatissa prædicta Domus, absoluit Abbatissam de Gradefes, Abbatissam de Canis, & Domos earum ab obedientia, qua ei tenebantur, vt obedirent Monasterio Sanctæ Mariæ Regalis prope Burgos: prædictæ autem Abbatissæ petierunt à Domino Vvidone Cisterciensi Abbate, & à Generali Capitulo, vt ad prædictam Domum, tanquàm ad Matrem, ad annuum Capitulum conuenirent: quod impetrauerunt. Ego igitur, quia hoc sic multi boni viri

sentiunt,& ad salutem animarum,& vtilitatem Domorum respicit, cum consensu Conuentus nostri consentio, & ratum habeo; & praditas Abbatissas absoluo, vt de cætero predicta Abbatissa Sancta Maria Regalis de Burgis, tanquam Matri suæ,obediant. Hanc absolutionem, quam eo feci cum consilio, & consensu Conuentus nostri, & Fratris Petri de Serra Capellani, & maioris Prouisoris Domus de Fauares, Matris nostræ. Hanc ipsam absolutionem feci coram Domino G. Cistercienſi Abbate,in Ciuitate Cæsaraugusta; præsentibus Fratre A. & Fratre E. Monachis Cistercienſibus,& Fratre H. Conuerſo eiusdem loci, & supradicto Fratre Petro de Serra,anno ab Incarnatione Domini M.C.XCIX. Hactenus ibi.

5. Tum verò Guido ex voto cunctis compositis, Burgos ad Regem Alfonsum properauit,& Domum Regiam,imperare natam,lætus ingreditur, muliebre in ea imperium fundaturus.An visitauerit alia Monasteria,in dubio est.Certum,cùm hæc,& alia ibi disponeret,adeò sibi deuinctum habuisse Regem, vt non solùm repetita traditione, insigne Monasterium illi donauerit: verùm etiam & scripto se obstrinxerit,atque Eleonoram coniugem,non aliud se post obitum sepulcrum, quem vitare non possent, etsi ad arctiorem vitam vocarentur; non aliam Religionem ingressuros.Extant,leguntutque Litteræ adhuc Præsulum omnium,Procerúmque Regni subscriptæ nominibus,quas in insigne monumentum pietatis illustris Principis, & charitatis in Familiam Cistercienſem, non pigebit ad litteram transcribere [b]:

b ex priuileg. ipsius Cœnobij.

6. *In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Tam præsentibus, quàm futuris notum sit, ac manifestum, quòd ego Alfonsus,Dei gratia Rex Castellæ,& Toleti, & vxor mea Aleonor Regina, vnà cum filio nostro Domno Ferrando,damus, & concedimus libere,& absolutè Deo,& Gloriosæ Virgini Mariæ,& Ordini, & Domui Cistercienſi Monasterium Sanctæ Mariæ Regalis, quod prope ciuitatem,qua dicitur Burgos,construximus,& de propriis bonis ditauimus: in quo authoritate Romanæ Ecclesiæ,& Cistercienſis Capituli Abbatia constituta est, vt in ea Moniales secundum Cistercienſem Ordinem viuant,& Deo iugiter famulentur.Hanc siquidem donationem fecimus in manus Domini Guidonis Abbatis Cistercienſis: ita quòd predicta Abbatia specialis filia sit ipsius Cistercienſis Ecclesiæ.Et Abbas Cistercienſis, sicut proprius Pater iam dictæ Abbatiæ præsit, & salubriter prouideat ei secundum Ordinem Cistercienſem.*

7. *Præterea promittimus in manu prædicti Abbatis, quòd nos,& filij nostri,qui consilio,& mandato nostro acquiescere voluerint, in supradicto Monasterio Sanctæ Mariæ Regalis sepeliamur,& si contigerit,quòd in vita nostra transferamus nos ad Religionem,promittimus, quòd Ordinem Cistercienſem suscipiemus,& non alium. Si quis verò hanc chartam infringere, vel diminuere præsumpserit, iram Dei Omnipotentis plenariè incurrat,& cum Iuda Domini proditore infernalibus mancipetur supplicijs,& insuper centum libras auri purissimi in cauto persolnat; & dannum,quod super hoc intulerit, duplicatum restituat. Facta charta apud Burgos, Æra M.CC.XXXVII. 14. die mensis Decembris.*

8. *Et ego Rex Alfonsus,& vxor mea Alienor Regina regnantes in Castella, & Toleto, hanc chartam,quam fieri iussimus,propriis manibus roboramus pariter, & confirmamus.Alfonsi Regis Castellæ signum. Martinus Toletanæ Sedis Archiepiscopus, Hispaniarum Primas, confirm.Martinus Burgensis Episcopus confirm. Aldericus Palentinus Episcopus confirmat. Martinus Oxomensis Episcopus confirmat. Rodericus Segontinus Episcopus confirmat. Gundisalmus Segouiensis Episcopus confirmat. Iacobus Abulensis Episcopus confirmat. Iulianus Conchensis Episcopus confirmat. Ioannes Calaguritanus Episcopus confirmat. Britius Placentinus Episcopus confirmat.Comes Petrus confirmat. Didacus Lupi de Faro confirmat.Petrus Garsiæ de Lerma confirmat. Petrus Gonzalui de Maranone confirmat. Guterrius Fernandez confirmat. Lupus Sancy de Mena confirmat. Gomezius Petri confirmat. Alfonsus Telli confirmat. Guillelmus Gonzal. III. confirmat. Munio Sancij confirmat. Guterrius Diaz Merinus Regis in Castella confirmat. Didaco Garcia existente Cancellario,Petrus Domini Regis Notarius scripsit.* Hactenus instrumentum Alphonsi Regis.

Sic factum est, vt tria Hispana Imperia,quæ hodie perseuerant,diuisa legibus,politiáque,quanuis sub vno Principe Aragonum, Castellæ, & Lusitaniæ (nam Regnum Legionense sine discrimine, Nauarreum cum exiguo Castellæ cessit :) tria,inquam,hæc Imperia,breui tempore,sepulcra sibi in Cistercio fabricauerint, Regibus obseruanda, conseruandáque multos per annos; Aragonensibus,nimirum, Populetum; Lusitanis Alcobaziam, & tandem Castellanis Huelguensem Domum. Priores duas inter Cœnobia virorum prorsus illustres,tertiam mulierum ferè sine exemplo. Atque hæc quidem tempore posterior: magnitudine,& singularitate, supra vtranque aliam existimatur: & nihilominùs pauciores Reges admisit,quàm aliæ duæ,adeò nihil vsquam vndequaque plenum,quandiu in hac vita sumus,videri potest. 9.

Priusquàm Alfonsus excepisset Burgis Guidonem, atque ei Monasterium tradidisset,hoc ipso anno Hortam illustrauerat,congressu illic cum Regina Aragonum habito,cuius ipse meminit in quodam priuilegio indulto Hortensibus, tali designatione loci, & temporis: *Facta charta in eodem Monasterio de Horta,Æra M.CC.XXXVII. eo die, quo ego supradictus Rex Alphonsus, & filius meus Ferdinandus, & vxor mea Regina Eleonor,& Domina Sanctia Aragonum Regina insimul fuimus in predicto Monasterio de Horta,quarto Kalendas Aprilis,*&c. Cæterùm, Monarchiæ Huelguensi stabiliendæ, per idem prorsus tempus duos alios Conuentus habere fecerat Episcoporum,& Abbatum nostræ Familiæ: alterum ad Tulebras,cui Episcopi quatuor,tres Martini,Toletanus, Burgensis,& Oxomensis,& quartus Ardericus Palentinus: Abbates octo dicuntur interfuisse,Morimundensis,Balisbonæ,Fiterensis,Sancti Andreæ,de Iranzu,Sancti Cypriani, de Bugeto,& Sancti Petri Gumielensis: alterum Hortæ, cui ex Episcopis, solus Oxomensis,cum Martino Seguntiæ iam ex Episcopo:ex Abbatibus quinque interfuêre, Morimundensis,Valisbonæ,Ouilæ,Montis Salutis,& Sancti Andreæ.Illum,vt de abdicanda maternitate,atque illam ad Huelgas transferenda Tulebrenses Moniales maturioti consilio deliberarent: hunc,vt ipsa abdicatio semel decreta in manibus Martini Seguntini, per quem hæc omnia ab initio tractabantur,maiori authoritate,& vinculo firmiori roboraretur.Adeò nihil omisit Alfonsus Rex,quo posset hoc imperium stabilire.Cõstant hæc omnia ex aliis Guidonis litteris,Cistercienſis Abbatis, datis Burgis,in Huelguensi Capitulo,aduersùs Abbatissam de Perales,de qua Huelguæ conquestæ, quòd sibi adhuc parere recusaret. Quorum litteras hîc etiam libet transcribere [c]: 10.

c ex eiusdem Archiuiis.

Notum sit omnibus,tam præsentibus, quàm futuris, quòd ego Guidus Abbas Cistercij accedens ad Domum Sanctæ Mariæ Regalis de Burgis, recepi querimoniam ab Abbatissa eiusdem loci,de Abbatissa de Perales, quòd secundum mandatum Abbatis Cistercij, & Capituli Generalis,predictæ Domui Sanctæ Mariæ 11.

Regalis

Regalis obedire contemneret. Conuocatis itaque Abbatissis in ipso loco, & instrumentis earum diligenter inspectis, quæ à Generali Capitulo, & ab Episcopis Castella, scilicet, Domino Martino Burgensi, & Domino Martino Seguntino, & Domino Alderico Palentino fuscepperat; cognita quoque rei veritate, quòd Abbatissa de Tulebris, primò per se, posteà per Priorissam suam, quæ venerat de mandato Abbatissæ, & Conuentus, coram Martino, quondam Seguntino Episcopo, & Martino Oxomensi Episcopo, & Abbatibus Armenio Hortensi, Ioanne Vallis Bonæ, Dominico de Sancto Andrea, Stephano de Onila, Raymundo de Monte Saluus, in Monasterio Hortensi in præsentia Guidonis Abbatis Morimundi absoluit Abbatissam de Perales, Abbatissam de Gradefis, Abbatissam de Canis, de consilio, & iudicio Venerabilium Virorum Martini Toletani Archiepiscopi, & Martini Burgensis, & Alderici Palentini, & Martini Oxomensis Episcoporum, & Coabbatum nostrorum, scilicet, Guidonis Morimundensis, Ioannis Vallis Bonæ, Armenij de Fitero, Dominici de Sancto Andrea, Antonij Sancti Cypriani, Peregrini de Iranzu, Hispani de Bugetto, Gundisalui, Sancti Petri de Gomiel, præcepi firmiter, vt Abbatissa de Perales, & alia duæ præfatæ Abbatissæ, quæ similiter absolutæ erant, & quæ illis succederent, de cætero Sanctæ Mariæ Regali de Burgis, tanquàm Matri propriæ regulariter in perpetuum obedirent: quod eadem Abbatissa de Perales in præsentia nostra concessit, & approbauit, & se facturam promisit. Præterea mandauimus omnibus Abbatissis Regni Castellæ, & Legionis, vt quolibet anno ad Capitulum in Burgis, sicut à Generali Capitulo præceptum est, tanquàm ad Matrem conueniant in Festiuitate Beati Martini Confessoris. Facta Charta Burgis anno Dominicæ Incarnationis M.C.XCIX.

12. Hactenus litteræ Guidonis Cistercienſis: ex quibus tamen, priusquàm ad alia transeam, quædam, quæ ad hanc historiam non parum faciunt, obiter licèt, liber adnotare. Primum est, quanta cum grauitate, & seriestate tractabantur hæc omnia, quàm maturo consilio, quanta cum tot, tantorúmque virorum consultatione: siue rei nouitas totum hoc exposceret, quod negari vix potest; siue Regis potentia totum daret. Secundum, quantæ esset apud omnes authoritatis, post abdicatas infulas Martinus, ad quem irent Episcopi, & Abbates, ne ipse à cellæ suæ tranquillitate, & secessu optato extraheretur. Tertium, quàm nihil sine ipso factum in hoc negotio; & quàm seriò attentum, intentúmque, vt qui opus incepit, ipse perficeret; & qui ad hoc ad Burgundiam à Rege missus impetrauit indultum, vltimam expediret difficultatem: qua de medio sublata, stabile, atque omninò inconcussum manere posset. Quartò, ideò fortasse effectum esse, vt post ius abdicatum coram Guidone Cistercienſi Abbate; nihilominùs cauendum esse putauerint, vt Tulebrenses, præcedente consilio tantorum Patrum, renunciandum decreuerent, & denuò in manus Martini renunciarent; ne vnquam, aut violentiam Prælati proprij, aut minas, siue preces, quæ in Superioribus violentiæ æquiparantur, in eo facto possent allegare. Ideóque adductum ex Gallia Morimundensem, atque ex Hispania viciniores alios Abbates, qui nullum ius haberent in Tulebrenses: vt quò minùs filialis reuerentiæ, eò plùs libertatis, atque spontaneæ cessionis comprobaretur. Quintum, omnes Abbates congregatos in vtroque Conuentu, ad lineam Morimundi pertinuisse; seu filios voluit præ aliis honorare Morimundensis Abbas; seu solos censuit ad eius vocationem comparituros. Et tandem sextum, quod ad corpus Annalium facere potest, hoc ipso anno iam excessisse Petrum, Morimundi Abbatem, de quo suprà; & Guidonem statim illi suffectum aduenisse in Hispaniam, & suæ lineæ Cœnobia, quin etiam & Militiam visitasse. Quod à nobis omissum in Appendicibus, facilè addere potest, quicunque volet.

---

1. *Cæsarius puer laborans graui morbo per miraculum saluti restituitur.* 2. *Qua occasione, & ordine conuersus,* 3. *& qua ætate.* 4. *Socios in Probatione plures habuit,* 5. *diuersis euentibus.* 6. *Godefridi scholasticis tentationes,* 7. *victoriáque.* 8. *Hemmenrodenses visitati à Virgine,* 9. *& Henricus Conuersus conscius visitationum.* 10. *Dictum de alio Sancto Hemmenrodensi.*

CAPVT V.

1. POST idem tempus in Valle Sancti Petri, Monachum induit Cæsarius, quem virum pium, prudentémque, & doctum venisse ad Ordinem, quæ pluta edidit, Opera demonstrant. Hic Coloniæ Agrippinæ, si non natus, quod tamen probabile putat, qui eius vitam collegit, præfixam Dialogis, certè à puero in scholis educatus, atque in Ecclesia Sancti Andreæ, Apostoli, quod ipsemet testatur. Ibi cùm in grauem morbum incidisset, per miraculum à Deo sanatus est: ea, nimirum, ratione, quam ipse narrat: *Cùm adhuc*, ait [a], *scholaris parvulus, tempore quodam laborarem in acutis, & semel, ac secundò post crisim recidissem, contigit, vt quædam puella pagana, quam materera mea pecunia comparauerat, baptizaretur: habebat enim circa decem annos ætatis. Suasum est matri meæ, vt eodem lineamine, quo illa de Baptismo exierat, adhuc madido, me inunctum, & sciret gratiam sanitatis celeriùs sequuturam: quod cùm factum fuisset, attactu illius aquæ sacratissimæ, mox in sudorem erupi, & conualui: licèt enim Baptismus medicina sit animæ; multi tamen beneficio illius sanitatem corporum consequuti sunt, sicut legitur de Tranquillino, & Chromatio, Vrbis Præfecto.* Hoc in eius pueritia reperitur memorabile.

a libro 1. c. 44.

Cæterùm, quando, & qua occasione conuersus sit, 2.
ipse etiam scribit totidem verbis [b]: b lib. 1. c. 17.

Eo tempore, quo Rex Philippus primò vastauit Diœcesim Colonien sem; contigit, me cum Domino Gerardo, Abbate de monte S. Vualburgi, ire Coloniam; & cùm me in via cum multa instantia hortaretur ad conuersionem, nec proficeret, retulit mihi visionem illam Clarauallis, in qua legitur, quòd quodam tempore messis, cùm Conuentus in valle meteret, Beata Dei Genitrix, Virgo Maria, & Sancta Anna, Mater eius, ac Sancta Maria Magdalena, de Mon-

te venientes, quodam Viro sancto, qui stabat ex aduerso, aspiciente, in vallem eandem cum magna claritate descenderunt, Monachorum sudores terserunt, flabellis manicarum suarum venium admouerunt, & reliqua, quæ ibidem posita sunt. Sermone huius visionis in tantum motus fui, vt Abbati promitterem, me non venturum, nisi ad eius Domum, gratia conuersionis; si tamen Deus mihi inspiraret voluntatem. Adstrictus tunc fueram voto peregrinationis ad Sanctam Mariam Rupis Salutaris, quæ maximè me retinuit: quæ per mensses tres expleta, nullo amicorum meorum sciente, sola Dei misericordia præueniente, & promouente, ad Vallem Sancti Petri veni, & quod firmare conceperam, Nouitius factus, opere ostendi. Hactenus ille loquens de se ipso.

3. Quo anno ætatis habitum susceperit, in dubio est: at non nimium prouectum, licet iam virum, inde constare potest, quòd subdit, prædicante Crucem Hentico Cardinali Albanensi, apud Coloniam, quod diximus ante vndecim annos contigisse, ipsum Cæsarium puerum adhuc esse: *Ego*, inquit [c], *eundem Venerabilem Episcopum & Monachum in Ecclesia Sancti Petri Colonia, adhuc puer, audiui Crucem prædicantem, & plurimos ibidem signantem*, &c. Vt facilè videatur inde deduci, ante vigesimum quintum, vel circa, annum, sæculo renunciatle, atque Canonicatui, quem possidebat.

4. Socios in Probatione plures habuit, ex quibus ipse nonnullos memoriæ prodit: *Ego duos ex omnibus producam, Godefridum, nimirum, & Beneconem: alterum imitandum; fugiendum alterum: vtrumque consummatum breui tempore; illum post Professionem, hunc post egressum.* Et de Benecone ad vomitum reuerso, & infeliciter mortuo, ita Cæsarius [d]: *Miles quidam, Beneco nomine, de Villa Palmersdorp oriundus, mecum in Probatione Nouitius fuit, vir quidem ætate grandæuus; sed circa propositum Religionis minus denotus, multis modis tentatus, & in tentatione victus, cùm non acquiesceret consilio Fratrum, sicut canis ad vomitum, sic miser reuersus est ad sæculum. Secunda vice id actitans, prauentus infirmitate, in domo propria, in habitu sæculari, diem clausit extremum, nullum pœnitentiæ demonstrans indicium. Qui cum moreretur, tantus fuit circa domum flatus ventorum, tanta super tectum multitudo cornuorum, vt, excepta vna vetula, omnes de domo territi fugerent, & morientem deserrent.* Hæc de infelici morte retrocedentis.

d lib.1.c.15.

5. At de perseuerantis Godefridi sancta confirmatione, audi, quod sequitur [e]: *Scholasticus Sancti Andreæ in Colonia Godefridus, cùm esset vir debilis, & decrepitæ ætatis, ad Ordinem cum multa animi instantia venit. Ego verò cum ipso in Probatione fui, de quo etiam plurima, quibus vexabatur, tentationum genera vidi, & audiui. Die quadam, cùm ad Chorum festinaret, & cappam suam induere conaretur, Diabolus conatum eius impediuit, cappámque fortiter extraxit. Tandem post non modicam fatigationem ad se reuersus, & à Diabolo se impediri considerans, cappam induere cessauit, & signum se fugauit inimicum.*

e lib.4.c.49.

6. *Cùm iam ad finem tenderet annus Probationis, cœpit & Diabolus ad mentem reducere diuersa, quæ in sæculo habuerat commoda; proponere etiam plurima, quæ in Ordine esse videntur incommoda, pondus, videlicet, pœstimentorum, longas vigilias, & silentium, calorem in æstate, & frigus in hyeme, regulare ieiunium, & tenuem dietam, & cætera huiusmodi similia: in quorum omnium consideratione ita pusillanimis effectus est, vt omninò de perseuerantia desperaret: & dixit mihi: Non putabam, Ordinem tantæ esse districtionis, vsque ad hoc tempus æstimani, quod minus carnes comederem, & quòd Monachi sine cucullis suis dormirent: pœnitet me huc venisse: propositum meum est, vt per menseipsum eamem in Ecclesia mea in Herlisheim, cuius Pastor sum, quæ satis malè modò locata est: & spero per Dei gratiam, quòd honestè, & sine querela regere debeam in ea plebem commissam mihi. Cui respondi: Tentatio Diaboli est, qui vos sub specie boni eiicere conatur.*

7. *Tunc ait: Si istud non est bonum, reuertar ad Prebendam meam, & in ambitu Claustri cameram aliquam mihi eligam, vbi tam canonicè viuam, vt alij exemplo meo ædificentur: Chorum frequentabo, & quicquid mihi subtrahere potero, pauperibus eregabo. Ad quod iterum respondi: Et hoc consilium Diaboli est. Si reuersus fueritis, omnibus eritis derisui: & qui hoc suasit, in peccata pristina vos precipitabit. Sic eo fluctuante, cum die quadam ego ad latus eius sederem, & verba consolationis impenderem, codicem Psalmorum arripuit, & ait: Videamus, quid de me dicturi sint fratres mei, si reuersus fuero. Primus autem versiculus, qui occurrit, iste erat: Aduersùm me loquebantur, qui sedebant in porta: & in me psallebant, qui bibebant vinum. Statimque exclamauit: Verum prognosticum. Ego, inquit, tibi exponam propheriam istam. Si rediero ad Sanctum Andream, Concanonici mei, quoties in porticu Ecclesiæ suæ sedebunt, ipsi aduersùs me loquentur, me iudicantes, & de salute mea disputantes: noctibus verò, quando sedebunt ad ignem, & vacabunt potationibus, ero psalmus eorum. Sicque Dei misericordia ad mentem reductus, & à se confortatus Monachus effectus est: & non multò post in bona contritione defunctus migrauit ad Dominum.* Hæc de sociis Cæsarij in Probatione. At Godefridus non solùm consummatus felici obitu; sed etiam Reinerium, qui in Scholastria illi successerat, ad Hersterbacum traxit, aliósque, de quibus plura narrat idem Cæsarius [f]:

f lib.4.c.50.

8. *Florebat interim Hemmenrodensis Domus viris sanctissimis, & per Henricum Conuersum, visionibus admirandis illustrabatur. Henricus* (ait Cæsarius in suis Dialogis [g]) *Conuersus in Hemmenrode Gloriosam Virginem Mariam inter psallentes videre consuevit. Quæ nocte quadam, ipso intuente, de Choro Monachorum venient; Dei Filium ex se natum in brachiis gestans, Chorum ingressa est Conuersorum, & more Abbatis Fratres excitando circuiens, ante quosdam, qui in oratione vigiles erant, & deuoti, gradum fixit, Filium eius ostendens, ac benedicens, deuotioni illorum congratulando: tepidos autem, & dormientes celeriùs pertransiuit, nihil consolationis eis impendens. Singulos verò Conuersos in illa cœlesti circuitione visitatos, necnon & neglectos, prædictus Conuersus diligenter notauit*, &c. Et infrà [h]:

g lib.7.c.14.

h lib.7.c.15.

9. *Nocte quadam, cùm Conuersus prædictus sederet in lecto suo in Infirmatorio, & cæteris dormientibus diceret orationes suas, vidit Dominam nostram Sanctam Mariam, eandem Cellulam cum magna claritate intrantem, Monacho quodam, quem nominare noto, præcedente, Matronis duabus subsequentibus. Supra cuius caput cùm manum posuisset, lectos infirmorum perlustrans, & dormientibus benedicens, iterum ad eum rediens, manúque super caput eius secundò posita, sic ait: Deus benedicat quicquid hic manet. Sicque egressa est.* Hactenus visitationes Mariæ Virginis in Cellis, in Choro, vt nullibi cuiquam fauoris expertes Monachi essent: nec oculos tantùm, sed fruerentur, manifestatione quadam, quas Virgo illis gratias impertiebatur.

10. Verùm tot inter Sanctos, creditur præeminuisse quidam, officio Diaconus, cuius nomen Cæsarius ipse non prodit; fortè quia adhuc viuebat, dum ipse scriberet, quem Henrico sanctiorem Beata Maria Magdalena per visum illi apparens, pronunciauit, de quo hæc habet idem, qui suprà, Author non multò pòst[1]: *Supradictum Conuersum Henricum Monachus quidam vita laudabilis, cuius nomen prodere non licet, obnixiùs rogauit, vt Beatam Dei Genitricem Mariam Virginem pro se interpellaret, cùm ab illa visitaretur. Quod cùm promisisset, & die quadam, dicto Completorio, in Oratorio Grangiæ, cuius Magister erat, pro ipso preces funderet, apparuerunt erant tres Matrona mira pulchritudinis. Ad quarum decorem dum stuperet, & quænam essent, vel vnde venirent, intra se miraretur, vna ex eis, cogitationibus eius respondit: Ego sum Maria Magdalena: hæc est vniuersalis DominaDei Genitrix Virgo Maria, (digito eam demonstraus;) tertia verò est Elizabeth. Et adiunxit: Tu ora pro Monacho illo, (nomen eius exprimens:) magis autem indiges, vt ipse oret pro te. Sicque disparuerunt. Super eiusdem Monachi caput, cùm adhuc esset Diaconus, & Euangelium legeret ad Missam, idem Conuersus columbam vidit descendentem, & vsque ad finem lectionis ibidem manentem.* Hæc satis nunc, de admiranda virorum sanctitate in Valle Sancti Petri, atque in Matre Hemmenrode circa hoc tempus. Iam ad alia huius anni transeamus.

[1] lib. 7. c. 15.

---

1. *Canonici Insularum Cisterciun ambiunt.* 2. *Iudices accipiunt, litteráque:* 3. *reformationem, & instituta Cistercij iurant;* 4. *confirmatione Archiepiscopi sequuta, & petita à Capitulo Cisterciensi:* 5. *sed mox resiliunt,* 6. *& multa contrà facta hactenus allegant,* 7. *violentiam, & metum.* 8. *Tum nuncios mittunt. qui subreptionis, & obreptionis notent priores litteras.* 9. *Tandem eis condemnatis ab Innocentio,* 10. *ne nostri quidem omninò indemnes euadunt.* 11. *Dubium, quem res exitum habuerit.*

CAPVT VI.

1. INGENTEM nostris litem hoc anno dedit nimius eorum zelus, cupidóve, an lenitas Canonicorum Regularium, qui Insulas Arearum Diœcesis Tolonensis (Cisterciense quondam Cœnobium à Saracenis dirutum, de quo plura superiùs,) occupauissent. Quippe hactenus laxamentis vitæ dediti, degenerésque, dein exemplo aliorum prouocati, resipiscentes, imò altiora, Cisterciúmque æmulati, (seu fortè, vt accidit, discordes inter se, reformationem morum, in obtentum inuidiæ, etiam qui non amabant, præseferebant;) tandem retrocedentes, & nouæ vitæ timorem magis, quàm vitam ipsam auersantes, nostros suo consortio, dum hæc tractant, vt perdere non possent, commaculârunt. Rem sanè totam, qualiter euenerit, ex relatione Abbatis de Floresia, aliorúmque, imò & ipsius, qui præerat, Canonici Innocentius III. Massilienſi, & Agathensi Episcopis scribit verbis sequentibus[2]:

[2] ex Regesto fol. 328. in Vaticano.

2. *Cùm dilectus Filius, Abbas de Floresia, nuper ad nostram præsentiam accessisset, nobis exposuit diligenter; & hoc ipsum Abbatis Insularum, & aliorum quorundam littera continebant, quòd in Insulis Arearum Fratres Cisterciences quondam fuerant commorati: sed eis in Paganorum captiuitatem deductis, quoniam locus mari erat vicinus, illuc se quidam Regulares Canonici transtulerunt, qui, licèt iam per annos triginta Canonicorum Regularium habitum portauissent; opera tamen contraria Regularibus faciebant. Sed ad se, Domino inspirante, reuersi, monasticum Ordinem ibidem plantari volebant secundum Cisterciensia instituta: quod etiam Diœcesanus Episcopus affectabat. Vnde nos ad Abbatis ipsius instantiam Venerabili Fratri nostro Arelatensi Archiepiscopo dedimus in mandatis, vt si Diœcesani Episcopi, & eorundem Fratrum in id ipsum desideria comonirent, Cisterciences Monachos instituere in Insula memorata; facturus de Canonicis, quod crederet expedire, secundum canonicam honestatem.*

3. *His igitur Litteris impetratis, idem Abbas de Floresia reuersus ad propria, priusquàm eas ad dictum Archiepiscopum detulisset, cum venerabili Fratre nostro Tolonensi Episcopo ad locum memoratum accessit, & omnium Fratrum ibidem manentium in tantum obtinuerunt assensum, pariter & fauorem, quòd Abbas Insularum claues Domus, & se ipsum in manus alterius Abbatis tradidit, professione facta cum quibusdam ex Canonicis, de Cisterciensi Ordine in posterum obseruando: quod & quidam Canonicorum in manu eiusdem Abbatis de Floresia Sacramento præstito firmauerunt; osculo dato eidem, quòd vsque in finem in eodem Ordine permanerent: aliis promittentibus per iuratoriam cautionem, quòd per se, vel per alios contra factum istud de cætero non venirent: iurantibus reliquis, quòd super promissione sua starent arbitrio Episcopi memorati, & nobilis G. de Fossa, Sacristæ, qui aberat, assensu probato per testes: quod postmodum rediens est confessus.*

4. *Consequenter verò idem Episcopus & Abbas de Floresia dicto Archiepiscopo Arelatensi per suas litteras intimarunt, quòd Diœcesanus Episcopus, & Canonici memorati translationem Cisterciensium Fratrum illuc fieri vnanimiter appetebant: quod acceptans Archiepiscopus memoratus, factum eorum authoritate, qua fungebatur, apostolica confirmauit, vices suas eis in hac parte committens; vt quæ bene inceperant de instituendo ibi Ordine Cisterciensi, vice ipsius perducerent ad effectum. Cuius mandatis parentes humiliter, & deuotè, quæ ipsis iniuncta fuerant, curauerunt diligere ad effectum: dantes Generali Cisterciensium Capitulo in mandatis, vt in prædicto loco suum Ordinem instituere procurarent. Peractum itaque pro iam dicto Abbate de Floresia, transitionem factam, ratam à nobis haberi, & authoritate Sedis apostolicæ confirmari; transgressores etiam, & contradictores omnes, qui contra vota, & iuramenta præstita niterentur, quod ab eis factum fuerat, impedire, canonica pœna percelli.*

5. Hactenus gesta per vtrunque Abbatem, & Diœcesanum pro Insularum ad Ordinem Cistercij restitutione. Cæterùm, siue in ipsa executione per ignorantiam ab vtrisque erratum; & nostri iuris metas declinauerant; siue Canonici ab incepto resilientes, nostrorum culpâ, inconstantiam suam celabant; vix

Innocentius pro confirmanda mutatione, seu potiùs reductione interpellatus est, cùm ecce nuncij à Canonicis venientes, deceptos se per Abbatem, & Episcopum; nec quenquam, nisi per metum, siue dolum, aut iurasse, aut vouisse significarunt; velle se iuxta præscriptum Canonicorum, reformatam, vt deceret, vitam agere: ad quod, etiamsi nollent, cogi possent. Augustini Parentis Beatissimi leges deferere, vel si vellent, non fore permittendos. Esse in Ecclesia Dei diuersos Ordines, quibus ipsa refulget circumamicta: Cistercium dilatatum per totum Orbem, multa, & illustria Cœnobia possidere, quæ non ad alium sint vnquam transitura. Habeat quæque Religio, quæ sua sunt; sed aliena relinquat: nec putet incrementa sibi paranda decrementis aliarum, quæ permittere vix tutum imperanti, procurare illicitum; neque dissimulandum ab Innocentio. Proprium Abbatem odio in ipsos magis, quàm zelo Religionis, admisisse Cistercium, cuius non foret leges obseruaturus. Nam, quando superioribus par esset, quis inferioribus impar extitisset? facile amplecti ardua, & difficilia, à quibus ipse per senium excusatus, imponenda aliis magis, quàm subeunda; paratos se sine fraude, aut sine dolo sequi Augustinum Ducem, quem elegerant. Et maioris id meriti apud Deum, quàm si coacti, aut decepti, vti verè erant, Benedictum sequantur, cui nullis hactenus votis (liberè saltem conceptis) obstricti essent.

6. Hæc, & similia perorantibus Canonicis, Portuensis Episcopus designatus Iudex ab Innocentio, apud quem turbidi denuò conqueruntur, inuersum ordinem Litterarum Summi Pontificis, eóque omnia censenda cassa, & irrita: *Cùm enim* (nam sic pergunt eædem Litteræ [b]) *Arelatensi Archiepiscopo fuerit tota causa delegata, qui iuxta tenorem ipsius delegationis priùs de singulis inquirere debuisset; nihilominùs Abbas de Floresia accedens ad locum cum Episcopo Tolonensi, antequam Innocentij Litteras traderet, motu proprio cum socia multitudine Insulam occupasse; constantérque asseruisse, Canonicis volentibus, vel nolentibus, eundem locum purè, ac simpliciter Cisterciensibus consignatum asseuerauit. Cúmque se in his grauari sentirent, Abbate ipsorum omne eis auxilium denegante, quòd contra quosdam de Canonicis, odium diceretur, & ingratitudinem concepisse. Vnde in ipsorum dispendium, super Communitatem armatos ponere non expauit, amota inde scala, ne facultas esset Canonicis ascendendi, Sedem apostolicam appellarunt. Sed dicti Abbates nihilominùs ab incepta violentia desistentes, cùm quosdam ex ipsis non possent corrumpere vllis promissionibus, quòd super his starent mandatis Episcopi Tolonensis, per violentiam cogere voluerunt.*

[b] *vbi suprà.*

7. *Cùm autem nec quindecim dierum possent inducias obtinere, quæ quidam ex ipsis plenarie ad deliberandum postularant, iurare compulsi fuerunt mandato dicti Episcopi, & G. de Fossa laici, qui eis ardua rupis præcipitium fuerat comminatus, se super præmissis quæstionibus parituros. Alij promiserunt in manu Abbatis probatione sibi animo reseruata, quòd Regulam Cistercij obseruarent. Aliqui verò nec iurauerunt, nec promissionem aliquam facere voluerunt. Horum ergo tacita veritate, nominati Episcopus, & Abbas de Floresia dicto Archiepiscopo suggesserunt: quod Diœcesanus Episcopus, & omnes loci Canonici super institutione Cisterciensi vnanimiter concordabant: & ita fuit eius confirmatio impetrata. Sed, cùm paucis diebus elapsis, Canonici Archiepiscopo cuncta, quæ gesta fuerant, intimassent, ipse, quod in præiudicium eorum factum fuerat, ipsis compatiens, reuocauit; vtrisque statuens eos ad omnia, quæ habuerant tempore illo, quo Litteræ fuerant impetratæ: licèt postmodum possessionem eorum, præterquisso iuris ordine, sequestrarit, contradictores omnes excommunicationis gladio percellendo. Et cùm Canonicis ad restitutionem instantibus, confessiones, & attestationes vtriusque partis audisset, ad nos duxit ipsum negotium remittendum.*

Hactenus narratio Canonicorum de facto vtriusque Abbatis, & Episcopi.

Tum ius, & æquum sibi adstipulari talibus verbis etiam declamabant [c]: *Partibus itaque apud Sedem apostolicam constitutis, Canonici spoliati sæpè dictum Abbatem de Floresia multipliciter arguebant.* 8. [c] *ibid.*

Primò, quòd Litteras a nobis per veritatis suppressionem, & expressionem falsitatis studuerat impetrare; suppressum enim fuerat in illis, quòd Ecclesia de Insulis Arearum ad Romanam Ecclesiam solummodò pertineret, sicut ipsius priuilegia, quorum ad nos transcripta præfatus Archiepiscopus destinauit, indicant euidenter: falsitatis verò suggestio inde perpenditur, quod omnes Canonici translationem Ordinis cum Diœcesano Episcopo pariter affectabant: quod aliter esse, ipsorum contradictio liquidò arguebat. Sed neque sæpedictus Tolonensis Episcopus Diœcesanus erat ipsorum, qui nullo mediante ad Romanam Ecclesiam pertinebant. Vnde ipsius consensus in hac parte pro nullo erat reputandus. Secundò, quòd per vim, & dolum eos seduxit pariter, & coëgit, vt quidam eorum votum emitterent, alij inuamenta præstarent. Hactenus allegata per Canonicos coram Iudice sibi designato, Cardinali Episcopo Portuensi. Ille compertam, vt potuit, veritatem exponit Pontifici, per quem vltimò causa decideretur. Ast Innocentius neutri parti deferens, quò vtrique Iustitiam conseruaret, pronunciauit sententiam dignam, quæ in corpore Iuris inseretur.

Nos ergo, ait [d], *orationibus, & allegationibus partium, per dictum Episcopum Portuensem, qui eas in* 9. [d] *ibid.*
scriptis nobis exhibuit, plenius intellectis, quia constitit nobis de voto emisso, & præstito iuramento à Canonicis Insularum, quòd Regulam Cisterciensem obseruarent, vel quòd ordinationem huiusmodi nullatenus impediret, cùm vtrumque seruatum non vergat in dispendium salutis æternæ, nolentes viam periuriis aperire, non obstante violentia, quæ proponebatur illata, cùm non metum mortis continuerit, neque corporis cruciatum, & ideò non debuerat cadere in constantes: nec obsistente dolo, quo se proponebant fuisse seductos, cùm talis dolus non tam ad circumuentionem Abbatis, quàm ad fatuitatem eorum debeat retorqueri, super restitutione petita silentium eis de consilio Fratrum nostrorum duximus sententialiter imponendum. Hæc in Canonicos. Cæterùm, & pro ipsis, in Abbatem, Episcopúmque non minùs censuit esse decidendum. Vnde vlteriùs procedit, ita pronuncians [e]: [e] *ibid.*

Verùm, quoniam sæpedicti Episcopus, & Abbas de Floresia fines mandati per sua temeritatis audaciam excedentes, quod per iam dictum Arelatensem Archiepiscopum, cui causa fuerat delegata, fieri debuisset, per seipsos facere præsumpserunt. Et quia Littera per suppressionem veritatis, & falsitatis expressionem fuerant impetratæ, factum ipsorum, tanquam minùs legitimum, per sententiam duximus irritandum. Et quoniam, secundum Apostolum, instantia nostra quotidiana est omnium Ecclesiarum sollicitudo cominus, ne occasione præmissa discordia, locus idem remaneat destitutus, & delictum personarum in damnum Ecclesiæ conuertatur, Fraternitati vestræ per apostolica 10.

scripta

scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus Deum habentes pra oculis, ad ordinationem ipsius Ecclesia vice nostra sollicitius intendatis, in qua per viros eiusdem Ordinis, si fieri poterit, Regularium Canonicorum professionem, & Ordinem volumus reformari: alioquin, ne locus maneat deformatus, per Fratres Cistercienses Ordinis eundem reformari volumus, & mandamus, correctione præditorum excessuum nobis in hoc articulo reseruata: ita quòd si per sollicitudinem, & prouidentiam vestram, locus idem Cistercienſibus fuerit assignatus, nullum quoad ius proprietatis Ecclesiæ Romanæ præiudicium generetur: quod in plerisque Monasteriis eiusdem Ordinis nouimus obseruari. Taliter autem mandatum apostolicum exequamini, vt Fraternitatem vestram, de qua plenè confidimus, deceamus meritò commendare. Quòd si præmissum locum Cistercienſibus duxeritis conferendum, Canonicis memoratis in locis idoneis per vos prouideri volumus competenter. Nullis litteris, &c. Datum Laterani, quarto Idus Iunij.

11. Hactenus decſſio Innocentij Summi Pontificis in causa reformationis Insolarum, quæ an effectui mancipata sit, & sub quo ordine, non potui hactenus alicubi inuenire. Crederem facilè, Canonicos mansisse, nec adhæsisse nostris, qui nullam huius Monasterij mentionem faciunt: si non constaret Cistercij antè fuisse: & nihilominùs omissum in cunctis Tabulis. Sed hoc distantibus penitùs ignotum, viciniotibus relinquo discutiendum. Cæterùm illud etiam notandum est, epistolæ Decretalis huius partem, quæ nostris fauet, circunferri in iure, in cap. *Ciim dilectus filius. 6.* de his, quæ vi, metúsve causa fiunt. quod ex hac integra extractum, non est dubium. Sunt, qui ex hoc textu, Canonicos Cistercienſes illis temporibus extitisse probent: quòd hi, nimirum, sub disiunctione vouerint, se *vel Regulam Cistercienſem seruaturos* (sine sui Instituti translatione, nempe, de Canonico in Monasticum,) *vel translationem ipsius Ecclesia ad Ordinem illorum* (nempe, monasticum; sic enim in Decretalibus habetur) *nullatenus impeditures.* Quasi susciperc Cistercienſem Regulam possent; & nihilominùs retinere vitam canonicam. Nec displicet omninò interpretatio: sed mihi semper facilior visa est, quæ disiunctionem refert ad personas; nempe, vt vel ipsi Monachos induerent, sua Ecclesia retenta; vel ad alios transire paterentur, qui tales essent.

---

1. *Iniuncta multa nostris ab Innocentio; 2. & reformatum S. Columbani Cœnobium; 3. sed nihilominùs graue imminens malum. 4 Consultationes quædam singulares, 5. & responsa Pontificis, 6. cum aliquorum euentuum narratione. 7. Delatus Bugerienſis Abbas de fraude, 8. & responsa pro ipso, 9. ac tandem Iudices dati ab Innocentio: 10. & Arnaldus promotus ad Grandisyluam.*

CAPVT VII.

1. EXERCVIT Innocentius nostros hoc item anno: nec leuiora, aut pauciora illis iniunxit. In Germania Colonenſibus Ecclesiis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, atque Sancti Georgij inter se litigantibus, Hermanus Hemmenrodenſis, & Geuardus Heisterbacenſis Abbates, 3. Non. Nouembr. delecti Iudices: in Gallia quoque Episcopo Eduenſi Nicolaus Firmitatis semel, & iterum vtrisque Litteris expeditis quarto Kalendas, aliis mensis Iunij, Ianuarij aliis: in Lusitania Bracharenſi Archiepiscopo Abbas de Burio 11. Kalend. Augusti; Conimbricenſi, & Priori, atque Canonicis Ecclesiæ Sanctæ Crucis Abbates de Alcobacia, & de Zeiça, atque Menendus Alcobaciæ Monachus pridie Idus Octobris, atque 8. Kalend. Decembris: in Castella Palentinæ Ecclesiæ Spinæ Abbas: in Italia Mediolanenſi, Abbas Cerreti: in Belgio, Anglia, & Hybernia plures alij grauissimis negotiis præfecti sunt. Et Litteræ adhuc extant, leguntúrque, non solùm in Bibliotheca Vaticana, vnde nos hausimus: sed inter alias Innocentij epistolas, primi, & secundi anni, quæ Romæ primùm anno M.D.X L I I I. dein alibi cusæ circunferuntur.

2. Hoc ipso anno Venerabili Oglero Abbati de Locedio (Abbate Sancti Saluatoris Papienſis designato Collega) in mandatis dedit, vt Monasterium Sancti Columbani Bobienſis, *quod in spiritualibus* (verba sunt Innocentij Papæ) *adeò collapsum, & in temporalibus adeò erat diminutum, vt nisi per auxilium diuinæ gratiæ, atque apostolicæ sollicitudinis interuenu, vix speraretur posse reparari: concessa sibi plenaria potestate corripiendi, & puniendi, &c. Ad dictum Cœnobium pariter accedentes super statu ipsius inquiratis plenius veritatem, & Deum habentes pra oculis sine personarum acceptione quidquid ibidem inueneritis corrigendum, requisito Concilio Venerabilis Fratris nostri Episcopi Bobienſis, nostra freti authoritate, remoto appellationis obstaculo, corrigatis; cuius electum si minùs vtilem inueneritis ad regimen Abbatiæ, sine præiudicio tam Episcopi, quam etiam Monasterij, eius resignatione recepta, talem ibidem Pastorem per electionem canonicam instituere procuretis, qui & prodesse nouerit, & præesse, attentius prouisori, vt mandatum apostolicum taliter exequamini, quòd sollicitudo vestra debeat in Domino commendari. Datum Laterani, octauo Kalend. Decembris, an. 2.*

Hæc, & similia Innocentius deferens nostris. Interea tamen subuertendæ exemptionis ab exactionibus, qua gaudebat Cistercium, honesto titulo expeditionis orientalis, iaciebat initia; quæs nisi à Virgine opportunè obuiatum fuisset, miraculosa, quam dabimus inferiùs, admonitione, forsan ex his ad alia gradum facere, atque omnia nostris priuilegia abrogare meditabatur. Constat, cùm ingens summa persoluenda Ecclesiasticis cunctis indiceretur, resiliisse Cistercium, & se immune ab his contributionibus, priuilegiis productis, proclamasse. Porrò Innocentium in tantum incanduisse, vt nihil non timeri ab eo potuerit, ingentis viro animi, & qui Pontificatum tunc iniret, non solùm integra ætate, sed ardentiori. Leuiter tamen, & blandè aggressus est, quasi qui Cistercienſium non tam subsidia, quàm exempla pararet: nullo deinceps eximendo à pensitando, quod semel Cistercienſis Familia immunis supra alias pensitauisset. Tum, si non soluant, scandalo esse

3.

aliis,

aliis,qui se non Cistercienſibus ſanctiores,eóque nec locis ſanctis deuinctiores,aut plus aliquid pro eis recipiendis impenſuros ferebant , declamabat. Demum , ſi ne his quidem perſuaderentur ,non dubitauit , dicere , futurum , vt in Ciſtercium gladium ſuum exereret, experiretúrque (mirandum ſanè , & ſupra modum, qua noſtri tunc pollebant,authoritatem conuincens,ſiue potentiam)experiretur,inquam, vtrùm in Ciſtercienſes Fratres , ſicut in alios , commiſſam à Chriſto exerceret iuriſdictionem. Litteras ipſas ad finem huius anni in die Sanctorum Innocentium datas,anno ſequenti, quo à noſtris ſuſceptæ ſunt,reddemus ad verbum.Nunc quædam alia hunc annum concernentia , & quamuis minutiora , relatu digna, ex eiuſdem Innocentij Actis pandamus.

4. Commendat admirandam magis , quàm amplectendam ſanctam ſimplicitatem illius ævi,Sacerdotis cuiuſdam tunc Nouitij ; nec conſtat,in qua Domo, conſultatio perlata ad Innocentium, cùm ſibi ab irregularitate formidaret. *Hic* (ait Innocentius [b] ad Niuernenſem Epiſcopum ſcribens) *cùm adhuc eſſet in habitu ſæculari , & quidam ſæuientes , quà quidam, quem quærebant, homo abiiſſet, ab eo cum inſtantia interrogaſſent ; cùm ad quid eum quærerent,ignoraret,illic eum eſſe reſpondit:ad quem locum illi protinus venientes, neque inuenientes hominem,poſtea alibi inuentum patibulo ſuſpenderunt.* Hinc ſcrupulus obortus, ſuccreſcénſque , quaſi ipſe homicidio cauſam dediſſet , & Metropolitanus conſultus eſt , cuius conſilio celebraret, aut abſtineret.Facilis erat cuicunque viro docto reſponſio dubij : ſed timoratis , dum nihil in audacia,omnia in timore,& ne veris criminibus ſuccumbant, ab apparentibus cauendum conſultius ducunt : prohibitus à celebratione eſt , quandiu ſanius conſilium non haberet. Pergit de eo Innocentius ita ſcribere : *Nunc autem, quoniam ad Ordinem Ciſtercienſem ſe tranſtulit,à nobis miſericordiam poſtulat , & requirit. Cùm igitur præfatus Sacerdos in hoc commendandus exiſtat , quòd à nobis duxit conſilium requirendum ; & quia bonarum mentium eſt,ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt; Fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus , quatenus inquiras de præmiſſis diligentiùs veritatem, & ſi rem inueneris taliter ſe habere , cùm ex hoc præfatus Sacerdos dignoſcatur nullius culpa maculam contraxiſſe , auctoritate noſtra des ei licentiam celebrandi. Datum Laterani, Kalendis Decembris.* Ita Innocentius commendans conſcientiam hominis.

b *in eiſdem Regeſtis , & in vulgatis.*

5. Mirabilius omninò,quia ſingularius:ſed reprehenſibilius, quia criminoſius id, quod in Vvalkenrode contigiſſe Gerlaco,cuidam Monacho, in aliis Innocentij eiuſdem Litteris lego ad Vvelkenrodenſem Abbatem datis,pridie Id.Octob.quarum hic tenor [c]: *Accedens ad præſentiam noſtram Gerlacus Monachus tui Monaſterij, humili nobis inſinuatione monſtrauit, quòd cùm Miſſarum Officia celebraret , animi negligentia faciente , verba Canonis inordinatè protulit; propter quod ipſa verba, & quædam , quæ Preſbyter in ipſo Sacramento Dominici Corporis , ſecundùm eccleſiaſticam conſtitutionem diligenti cura debet peragere, aliquoties iterauit ; vnde vehementi dolore commotus, ſibi ſummitatem digiti ſiniſtræ manus,qui index dicitur, amputauit.* Hactenus factum ſub ſpecie Religionis, planè ſacrilegum. Adeò Sanctis,cùm aliter non poſſit, per vmbram perfectionis , aut etiam pœnitentiæ Dæmon illudit.

c *vbi ſuprà.*

6. Crediderim præcidiſſe ſibi indicem hominem indiſcretum,non ſolùm in vindictam inuerſi Canonis, & repetitæ in tanto Sacramento , contra Chriſti inſtitutum,conſecrationis ; ſed vt ſe impotem miniſterio redderet,quo cenſebat indignum : quippe qui in eius admiranda confectione , tale , ac tantum flagitium perpetraſſet. Hæc Dæmonis plerunque aſtutia eſt attenuare facienda , facta attollere , & leuioribus culpis abluendis atrociores ſuggerere,& rurſus atrociores, quoúſque in abyſſum detrudat,quos formidabat. Leuioris culpæ admiſſæ condignam pœnam vt ipſe proponebat,ſeu præcautionem ſimilis , parricidium enorme perſuaſerat. Et ecce grauitatem eius proponens,forte & exaggerans,ſuggeſſit fugam,quaſi ad pedes Pontificis , qui ſolus tanto morbo mederi poſſet,niſi cœleſti auxilio præueniretur , ex fuga in apoſtaſiam,inde in omne flagitium tuituro. Præuenit tamen inſtans præcipitium diuina clementia , atque perductum ad pedes Innocentij,reduxit ad propria cum Litteris eiuſdem ad Abbatem , in quibus poſt narrationem facti ſubiunxit : *Nos autem ei præcepimus , vt a Miſſarum celebratione deinceps abſtineat : concedentes eidem , vt iniunctam ſibi pœnitentiam peragens,de indulgentia noſtra poſſit in aliis officiis miniſtrare : ipſumque tibi diximus remittendum per apoſtolica ſcripta mandamus,quatenus eum fraterna ſtudeas charitate tractare.Datum Later.2.Id.Octob.*

7. Hoc ipſo anno,quanuis in Decretalibus vulgatis video in antecedenti memorari , Abbati Bugerienſi, Eduorum Domp , cum ſuo Diœceſano pugnandum fuit,cùm ab eo auaritiæ,quaſi qui hæreditatem cuiuſdam Clerici per fraudem captiuaſſet , argueretur. Archipresbyterum territorij de Alario morti iam proximum , Monachum induiſſe , atque omnia ſua Monaſterio legaſſe,in comperto erat.Verùm Epiſcopus,mente prorſus impoti , Monachos illuſiſſe , & à ratione penitùs experti,nihil negatum,propoſitis indiciis diſceptabat : *Adeò vt cùm interrogatus à Monachis : Vis tu Habitum ſuſcipere monachalem?reſpondiſſet:Volo.ſtatim interrogatus ab alio : Vis eſſe aſinus? reſponderit ſimiliter : Volo. Sed nihilominùs præditi Monachi eum ad ſuum Monaſterium reportarunt. Quod nuncius Epiſcopi ſe obtulit probaturum.* Hæc pro Epiſcopo. Pro Abbate Bugeriæ plura : *Quod ad participationem orationum Monaſterio de Buxeria pietatis intuitu obtuliſſet,quibuſdam rebus ſuis ſibi ſuiſque ſimplici reſeruatis,& de manu cuiuſdam Fratris eiuſdem Cœnobij,argumentationem coronæ,in ſignum illius oblationis accepit,& quòd huic conceſſionem hoc modo feciſſet,& non ſuo nomine, ſed nomine Monaſterij poſſideat , & Monaſterio quidquid acquirebat, acquireret , ſæpè fuit in communi Capitulo proteſtatus. In hoc etiàm publicè per viginti annos ferè idem Archipresbyter,nullo contradicente,vel reclamante permanſit : ita quòd per publicam famam id omnibus notum fuerat. Nam Abbas de Buxeria,qui pro tempore fuerat,& ipſi Monachi rebus ipſius,non ſecùs quam aliis rebus propriis Monaſterij , ſciente Epiſcopo Eduenſi,qui pro tempore erat , & in nullo penitùs reclamante , publicè vtebatur. Id autem, quod mente compoti dictus Archipreſbyter fecerat inter viuos,in vltima voluntate mente ſanus, licèt ager corpore, confirmauit.*

8. Porrò ad maiorem vltimæ voluntatis deliberationem, atque ex vſu rationis præcedentem declarationem producti ſunt teſtes ; *Quibus auditis* , inquit Innoc. *& cognitis ſufficienter, intelleximus eſſe probatum,quod dictus Archipreſbyter agens in extremis,velut vltimam exprimens voluntatem , aſſeruit ſe,ac ſua Monaſterio de Buxeria contuliſſe. Vnde,cùm requiſitus eſſet,vt conderet teſtamentum,reſpondit,ſe non poſſe teſtari : quia ſe, & ſua contulerat Monaſterio ſæpedicto. Et licet vnus ſolus teſtis dixerit,ſe vidiſſe,quando præfatus Archipreſbyter ſe , & ſua obtulit Monaſterio ; quia tamen alij teſtes dixerunt,ſe audiſſe ipſum*

Archi

Archipresbyterum in Abbatis præsentia confitentem & quod prædictum est attestantem, non tamquam sufficienter probantes, sed tanquam vehementer adminiculantes assertionem Abbatis plurimùm adiuuabant.

9. Hæc vtriusque partis fundamenta, ex quibus facilè dirimi lis posset, si non Episcopus probationes alias, atque alias exceptiones obtulisset, quas æquum esset ante sententiam præstolari. Delegauit Innocentius causam Niuernensi Episcopo, atque Abbatibus Sancti Benigni, & Theoloci, alteri Cistercienſi. Nec recusauit Cistercienſem Iudicem Eduensis Episcopus, quanuis contra Cistercium litigaret. Adeò in nullo suspecti Cistercienſes, etiam cùm suspecti: nec dubitauit de æquitate Iudicis, qui litiganti fraudem imputabat. Hæc, & similia, quoties in manus veniunt, libenter vsurpo: quippe quia leuia grauiorum fastidium leuant, & aliàs multùm facere videntur ad illius ætui studia, moresque: tum in quibus eum nostris conuenirent, in quibusve differrent, dignoscenda.

Eodem anno Arnaldum Amalricum, quem in Abbatem Eccleſiæ Populetanæ ante biennium assumptum memoranimus, Grandiſſylua vocauit, inde in Abbatem Cistercij promouendum. Vtrùm autem, quod ipse recitauit, in Domo', in qua fuerat Abbas, contigisse Monacho illi sancto, atque feruenti in obsequio Matiæ Virginis, quem ipsa visitauit, dum moreretur, inter Choros sanctorum Angelorum animam egredientem exceptura; de quo late Cæsarius [d], & nos ex ipso [e], Populeti contigerit, an alibi; cùm ignoretur, an alibi præfuerit; aliorum ego relinquo discussioni. In Populeto subrogatur Petrus, eius nominis III. Petro Aragonio charus, vel inter primo- 10.

d *lib. 7. c. 52.*
e *An. 1202. c. 4. n. 7.*

---

1. *Sanctus Syluanus ex hac vita migrat, & quo anno:* 2. *eius encomia.* 3. *Extra propriam Domum moritur.* 4. *Authores, qui de ipso,* 5. *& plures Litteræ ad eum Summi Pontificis.* 6. *Dubium de successore.* 7. *Chronologia huius anni,* 8. *& dictum obiter de Monasteriis Syriæ, virorum, & mulierum.* 9. *Mons Principis,* 10. *& noua terra in Flandria,* 11. *& prima hoc anno notitia Montis Sanctæ Vualburgis.* 12. *Atque prima illius Abbatissæ.*

CAPVT VIII.

1. CERTAT hic Annus cum Anno nonagesimoquinto antecedenti de transitu glorioso Sancti Syluani Rievallensis Abbatis III. Quippe, si Nicolaüm Rievallensem in computo annorum, quibus prædecessores præfuerunt, sequi velimus, à prima Rievallis fundatione, quæ incidit in annum M.C.XXXI. vsque ad Syluani obitum, quatuor, & sexaginta annos numerabimus, ex quibus tredecim Vvillelmus rexit, Ailredus XVIII. Syluanus XXXIII. iuxta illos versus ab illo decantatos:

Claruit officio V. denis, & tribus annis:
Ter senis fuit A. Pastor Pius in Rievalle:
Ter denis, ternisque simul S. præfuit annis.

Qui omnes complent numerum quatuor, & sexaginta; atque ad annum nonagesimumquintum continuantur. Cæterùm, quia communis Anglorum sententia est, quam nos etiam superiùs sequuti sumus, Ailredum protraxisse vitam ad annum vsque centesimum sexagesimumsextum supra millesimum, si, qui eidem successit, in Præfectura, Sanctus Syluanus, tribus, atque triginta annis administrauit, consequitur, & ipsum peruenisse vsque ad hunc nonagesimumnonum, quem nunc describimus.

2. Quocunque obierit, feliciter migrauit, quamuis non inter filios, sed in Bellalanda, vbi & cineres eius conseruantur. Cecinit idem, qui suprà, Nicolaus, eiusdem Viri laudes docto Epigrammate, quod non pigebit ad litteram transcribere [a]:

a *idem Author Rievall. inscr. in suis Epigramm.*

Syluanus, mea prima salus: hic paupere vita
Anthonius fuit, aut Paulus simplex Eremita.
Illi victus erat, cibus aridus, aspera vestis,
Dorso virga, breuis somnus, durumque cubile;
In terra positus, in Cœlo Maire Beata.
Vixit in hoc Mundo peregrinatus corpore solo.
Lector, siste gradum, pretiosum cerne sapphirum:
Hunc silicina tegunt saxa, caprea sepia coarctant.
Gaude, Bellanda: tu dines es hospite tanto.
In te delegit mundissima gleba recondi.

Hactenus ille de vita, & meritis Sanctissimi Abbatis, déque eius in Bellalanda sepultura.

3. Quæ causa virum à propria Domo traxerit, in dubio est: neque potuit ad Bellalandam accedere, tanquàm ad filiam pater, propria authoritate eandem visitaturus. Quippe Bellalanda non filia Rievallis, sed Sauigniaci. Credibile est, accessisse ad visitandum, ex commissione Abbatis Sauigniacensis; quod olim frequens, vsúque receptum, maximè vbi distabant Monasteria, vt per Abbates proximorum, ex Patrum commissione, visitarentur. Insignis pietatis virum, nec inferiorem suis antecessoribus, traditio est; cui omnes Angliæ Authores, imò & exteri etiam adstipulantur. Quin Nicolaus superiorem vtroque facit, his quatuor versibus omnes comprehendens:

Primitias cepit Guillelmus: proximus illi
Ailredus maiora tulit: Syluanus adauxit.
Tres sint præcipuè meriti vix imparis: ille
Primus, & alter ei secundus, & iste supremus.

Non dubito ad tempus posse referri: sed, si quis vélit ad merita, quid prohibet?

Syluanum inter Sanctos multi recensent, Martyrologium monasticum Aprilis v. Arnoldus, Vvionius, Menardúsque in suis Notis. Menologium Aprilis XVI. vbi plures de eo agentes adducit. Aubertus Miræus in suis originibus [b]. Philippus Seguinus [c], Ioannes Pichardus in notis ad epistolas Sancti Patris Bernardi [d], atque alij antiqui, & recentiores. Qua die obierit, non omninò constat, quamuis in quodam antiquo Manuscripto diem quintam Aprilis notatam legi, quod fortè Hugo Menardus nactus est, quia ea die memoriam eius recensét. 4.

b *lib. 5. c. 14.*
c *citatus ab Henri.*
d *epistola 1.*

Vltra eas, quas superiùs dedimus Litteras, ad Syluanum directas, in negotio Archiepiscopatus Sancti-Andreani, extant & aliæ Alexandri Papæ III. tomo 3. Conciliorum, in appendice ad Concilium Lateranense, sub titulo de interpretatione verborum, & rescriptorum; in quibus magnum illud priuilegium de non comprehendendis Cistercienſibus sub quibuscumque clausulis, quibus non fiat eorum expressa mentio, specialiter Sylvano Abbati, atque eius Conuentui Rievallensi concessum video. Leguntur & in eodem Tomo aliæ sub titulo de dolo, & contumacia, & de calumnia alterius partium punienda; quibus 5.

Syluano

Syluano Abbati Rievallis, & Priori de Brodi committitur grauis cuiusdam litis decisio, quam alij Iudices priùs designati, nequaquam valuissent determinare. Extant & aliæ ad eundem Sanctum scriptæ, quas longum esset in præsenti recensere.

6. Non satis constat, quem successorem Syluanus sortitus fuerit, quamuis ingentis etiam fuisse meriti, ex aliis versibus eiusdem Nicolai colligi valeat; quippe non tantùm tres; sed quatuor memorat insignis pietatis Abbates in Rievalle: sic enim ait in quodam Epigrammate:

Bis duo sunt fratres meriti vix impariter vnus
Tres antecellit: alios sua laurea vestit.

Itaque, siue fuerit Ailtredus cæteris præferendus, siue Syluanus; tres alios superesse viros sanctos, & meritis æquales, satis demonstrat. Et quidem de Guillelmo compertum est, nec dubium, quin quartus successor Syluani sit, sicut in sede, ita in sanctitate. Atque hæc satis de Syluano, & Successore.

7. Duo hoc anno Monasteria fundata lego. Alterum Bredelare dictum, quod Heriùbithusen, in Vvestphalia genuit, Kalendis Iulij, in Aldenburgensi Diœcesi situm, vt habent Tabulæ Ecclesiarum Morimundensium. Alij Ardenusij Filiam esse tradunt, Paderbonensis Diœcesis, olim Monialium S. Augustini, sub cura, & visitatione Præmonstratensium, quibus parebant vsque ad præsentem annum, quo Adolphus ab Altena, Archiepiscopus Colonien sis, Monialibus translatis, Cistercienses induxit, per quos deinceps inhabitaretur. Extat diploma eiusdem mutationis ante triennium expeditum, quod vnà cum aliis eiusdem Monasterij, & Catalogo Abbatum, quorum primus Albertus, longelimus in suis notitiis publicauit. Alterum sub inuocatione Sancti Angeli iuxta Constantinopolim: (errat Miræus, quantùm possum coniectari, qui pro Constantinopoli, Constantiam legit:) nam & in Tabulis Ecclesiarum Claræuallensium Sanctum Angelum, Altæcumbæ Filiam lego, iuxta Constantinopolim; & in Cæsario, qui Sermones suos non multò pòst scripsit, notatum inuenio, quod [c] *ante annos paucos Henricus Flandrensis, qui post Balduinum fratrem suum Constantinopoli imperauit; de germine huius vineæ* (scilicet, Cistercien sis) *etiam in Græciam transtulit, formam nouæ Religionis illic plantaturus.* Ita Cæsarius, quem de hoc Cœnobio loquutum, vt non audeam asserere, ita meritò libet coniectari. Verùm hoc ipsum aliquantò recentius esse, quæ de Constantinopoli expugnata à Latinis infrà dicemus, manifestè conuincunt vt credi possit antiquiori sub Græcorum ritu Cœnobio indultum esse, vt eum aliqua exigua præcedentia inter alia Cistercij memoraretur. Hæc coniectando magis, quàm affirmando: & Iongel. Monasterium S. Angeli ex Altacumba Sabaudiæ Cœnobio natum, iuxta Constantiam ait, decipíque, qui iuxta Constantinopolim constituunt, contra omnes Cisterciensium Abbatiarum computationes.

[c] Serm. 8. post Epiph.

8. Cæterùm, plura alia Monasteria in Oriente fundata, quas dabimus inferiùs, Summorum Pontificum Bullæ satis docebunt. Certè in monte Thabor id Institutum suo, id est, hoc tempore floruisse, testatur Cardinalis Iacobus de Vitriaco in sua occidentali Historia his planè verbis [f]: *De Ordinibus etiam Cisterciensium, & Præmonstratensium in locis idoneis* (scilicet, eiusdem montis) *Monasteria construuere.* Atque hæc de Ecclesiis Monachorum: nam de Sanctimonialium paulò pòst subdit: *Multa Monasteria construi vidimus, & Monialibus sanctis*, (intellige, Cistercien sis Ordinis, de quo loquitur,) *tanquam violis, & liliis exornari, non solum autem in partibus Occidentis, sed & in orientalibus Prouinciis, in Constantinopoli, & Cypro, & Antiochia, & Tripoli, & Accon* (vbi ipse Vitriacus fuit Episcopus,) *nouis eiusdem Ordinis constructis fœminarum Monasteriis, prædicta Domini vinea propagines benedictionis extendit.* Ita Vitriacus de Vestalibus ad normam Cistercientium per Orientem, & Græciam habitantibus, quæ per hoc tempus, aut circiter cœpère.

[f] In Hist. occidentali. c. 5.

9. Cæterùm, tria alia Monasteria Sanctimonialium in Occidente, duo hoc anno fundata, alterum, cuius nunc primum memoria incidit, cui non constet annus fundationis, breuiter etiam nobis dicenda erunt. Primum sit Monasterium Montis Principis, Sancti Norberti opus, erectum alijs, sed tandem nostris Virginibus cessurum: de quo hæc habet Bruschij Epitome [g]: *Anno Domini M.C.XCIX. Mons Principis, Xantensibus vicinus, opera Norberti, Canonici sancti, post Episcopi Parthenopolitani (qui Præmonstratensis Disciplinæ est Author) exornatus, à Sigebergensibus Monachis inhabitatus, Monialibus aliquot ex Hoerst, (quod flammis fere absumptum erat) ad inhabitandum traditus est; quæ progressu temporis, e Benedictinis in Cistercienses mutatæ abiere. Qui Mons labefactus, & in ruinam perpensus, reformatione restauratur anno Domini M.CCCC.LXVII. a Principe Eliuensi, Ioanne præcipiente, & adiuuante.* Hæc Bruschius de Cœnobio Montis Principis, quod, quanto tempore absque Cistercio fuerit, nec ipse declarat, nec ego potui alibi inuenire.

[g] fol. mihi 1313.

10. Fuit & hoc anno constructum Monasterium Nouæterræ in Belgio, de quo Aubertus Miræus hæc pauca habet [h]: *Gela, mulier clara, ædificauit Vestalibus Cistercien sibus Sacetum in honorem Sancti Petri Apostoli, in Supis, loco dicto Hunegelriet. Hoc initium erat Monasterij Nouæterræ. Innocentius III. Pontifex Romanus confirmat hanc ædificationem, donationémque Gelæ, anno Pontificatus sui tertio, prid. Nonas Augusti, hoc est, anno Domini M.C. quarto die Augusti.*

[h] in Chronic. Cisterc.

Gregorius IX. Pontifex Romanus, & Ioanna Flandriæ, Comitissa, idem approbarunt anno M.CC.XXX. Moniales autem istæ, relicto Monasterio Nouæterræ, apud Hunbeuliet, quod ibi cœperant ædificare, anno M.CC.XLI. migrarunt in Parochiam Zuesele apud Brugas, vbi Ægidius de Brene, Canonicus D. Donatiani Brugensis, idemque Præpositus S. Saluatoris Haviebecensis, fundauit illis Monasterium in loco Sparmalia dicto, altero consensu Præpositi, & Capituli B. Mariæ Brugens. quorum in Patronatu locus ille situs est. Ægidius autem de Brene, vir erat nobilis, & Flandriæ Cancellarius, versatúsque Sparmaliam per annos 29. aut 30. dedit hoc nouo Monasterio in Sparmalia nomen, Monasterium Nouæ Ierusalem: sed quod apud Hunkeuliet erat inchoatum, nominabatur Monasterium Nouæterræ. Hactenus Miræus: sed de Ægidio de Brene plura inferiùs.

11. Demum hoc anno primùm memoria incidit Montis Sanctæ Vval-Burgis Sanctimonialium, cuius in multis locis Cæsarius meminit, & nos etiam ex ipso plura dicemus. Idem Cæsarius duobus milliaribus à Colonia distare tradit [i]: intellige Germanicis: nam, qui eius vitam collegit, præfixam Dialogis, trium horarum spatium scriptum habet, & quod olim Sanctimonialium extitisset, à Monachis iam hodie inhabitari. *Monasterium*, inquit, *Ordinis Cisterciensis, olim Monialium, nunc Monachorum, quod trium circiter horarum itinere distat a Colonia prope Bruelam.* In hoc haud paucas sanctitate illustres virgines, sub hoc tempus floruisse, insinuaui superiùs, & suis locis inferiùs memorabo.

[i] lib. 7. c. 11.

12. Interim noto, primam loci Abbatissam, Margaretam, illustrem fœminam, &, vt ferunt, Comitissam,

quæ,

Caput VIII.

quæ spretis mundi gloria, diuitiisque, dubium, an immediate de sæculo ad Cistercium conuolauerit: quod traditione, quàm scripto magis constat. Nouissimè, cùm indagandæ antiquitatis, Ægidius Galenius, Sancti Andreæ ad Coloniam Canonicus, Archiepiscopi Colonienſis iussu, monumenta loci curiosiùs perlustraret, veterem lapidem reperisse dicitur, qui creditur sepulcro eius impositus, cuius etsi corrosa superscriptio, & tempus præfecturæ, & sanctitatis, qua floruit, opinionem satis ostendit: sic autem habet, quantùm sculpendo, & lauando legi potuit:

Miræ Margareta, casto de corpore, Iatæ
Iam fruitur luce, Virgine Matre duce.
Illa magistra gregis en istius, quia legis
Complenit mater tempora tria ter

Itaque, cùm nouennio sanctè præfuisset, trabea carnis exuta, Cœlos conscendit, virtutum filiis post se exempla relinquês. Sic recens Author breue donans carmen, ab eodem Ægidio, vt ait, ad se transmissum.

ANNVS CHRISTI M.CC. CISTERCII C.III.

1. Syracusanus, & Lucas Sambucinensis prædicant Crucem: 2. ab Innocentio pontifice laudantur. 3. Lucas arbitria quædam alia addit, 4. quæ Innocentius approbat. 5. Dictum obiter de Constantia Imperatrice. 6. Indicta Ecclesiasticis collecta, 7. de quibus Litteræ datæ ad Cistercienses, 8. commendatione plena, 9: sed nihilominùs quinquagesimam reddituum partem petentes, 10 cùm ab aliis quadragesima exigeretur. 11. Consultatum, & dilatum vsque ad Capitulum.

CAPVT I.

1. DISCVRREBANT Apostolici Legati, Syracusanus, nimirum, Archipræsul, atque Abbas Sambucinæ per vtranque Siciliam, & expeditos, atque aptos Militiæ sacræ Cruce signantes, ab aliis commeatus, pecuniámque, neruos belli, & pacis, sollicitabant. Nulli ad hæc omnia tardiores, quàm Ecclesiastici, præcipuè Episcopi, qui turpe vitium, auaritiam, sub honesto immunitatis Ecclesiæ velo palliantes, quas eleemosynas offerre vltrò debuissent, odioso nimis exactionum vocabulo, quia ad eas inuitabantur, dehonestabant. Itaque hoc anno millesimo ducentesimo, qui fuit Cisterciо tertius, atque centesimus, Lucas Abbas Sambucinæ (nam Archiepiscopus omnem ei curam remiserat) Romanum Pontificem censuit consulendum. Addidit, & quod in his vrgentiis frequens, arbitria quædam congregandis subsidiis in Terram sanctam, commutationem, scilicet, votorum, præbendarum vacantium annuos redditus, atque id genus alia, quæ proculdubiò non exiguum fructum, si tamen manus Ministrorum euaderent; vbi plerunque hærent, afferre possent. Extant Litteræ Innocentij Papæ III. ad vtrunque Legatum hoc anno datæ, quibus eorum industriam, & laborem eximiè laudat, atque orationibus publicis præmissis, quas idem etiam Lucas proposuerat promouendo negotio, & pietati illius commendandæ, arbitria approbat, extenditque in aliquibus, atque obiter auaritiæ modum imponit. Sunt autem tales [a]:

a *in Regesto, fol. 246. & in vulgatis.*

2. *Syracusano Episcopo, & Abbati de Sambucina.*

De vestra discretione, ac sinceritate confisi, etsi negotium laboriosum, meritorium tamen, & (sicut credimus) vobis propter Christum acceptum, duximus committendum; sperantes, quòd illud tanto libentius impletis, quanto per ipsum (vt sic loquamur) & restitutio Iesu Christi exulis, & communis Christiani populi vtilitas, amplius procuratur. Vos autem mandati apostolici tenore suscepto, nec parcentes laboribus, nec expensis, proposuistis populis Siciliæ causam Christi; nec fuit labor vester inanis, cùm & multi de manibus vestris susceperint signum Crucis, & plures, tam in victualibus, quàm aliis parati sint, pro necessitatibus Signatorum congrua subsidia destinare.

3. *Verùm (sicut ex Litteris, quas tu, fili Abbas, ad Sedem apostolicam destinasti, didicimus) hi circa subsidium Terræ orientalis negligentiores existunt, qui subditos sibi populos ad id debent exemplo, & exhortationibus inuitare; & liberalitas laicorum, quos ad succursum Terræ orientalis mandauimus simpliciter commoneri, eos in deuotione præcedit, quibus id districtè præcepimus, certam pœnam eorum negligentiæ comminantes. Non enim (sicut per eosdem accepimus) Archiepiscopi, & Episcopi redditus suos ab aliis sustinent æstimari, nec ipsi eos aliquatenus taxare, ne secundum proprias facultates necessitatibus Ierosolymitanæ Prouinciæ, iuxta tenorem Litterarum nostrarum, congrua destinare subsidia iubeantur. Scripsisti etiam, quod de consilio Religiosorum Virorum procedit, vt in Missa, singulis diebus in singulis Ecclesiis, pro peregrinis dicatur oratio specialis, & semel in hebdomada, pro tribulatione Missa populo decantetur. Insuper, quòd multi Limina B. Iacobi Apostoli visitare se vouerint, intimasti, qui præter oblationem Altari B. Iacobi deputatam, quam illuc deuotè transmittent, vniuersas expensas itineris libenter impenderent, vel in stipendia Signatorum, vel in alias necessitates vltramarinæ Prouinciæ, dummodo à voto emisso, authoritate apostolica, soluerentur, & quòd de consilio procedit quorundam, vt redditus vacantium prebendarum, in vsum orientalis Prouintiæ, conuertantur vsque ad biennium, adiecisti: Salua Vicariis solita pensione, ne interim Ecclesiæ suæ seruitio defraudentur. Vt Monachi prætereà, & alij Religiosi extra Claustra vagantes, authoritate nostra reducantur ad Claustrum; & peculium, quod inuentum fuerit apud eos, erogetur in stipendia Signatorum, procedere dixisti de consilio non paucorum.*

4. *Volentes igitur, quod de subuentione Terræ orientalis incepimus, quantum in nobis fuerit (Domino concedente) complere, Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus tam Archiepiscopos, & Episcopos, quàm alios Ecclesiarum Prælatos, vt secundum proprias facultates Terræ sanctæ iusta æstimatione subueniant, diligenter inducere procuretis. Quòd si manitis vestris acquiescere forte noluerint, vos ipsi per viros idoneos, & discretos eorum faciatis redditus iusta æstimatione pensari: & nisi postmodum secundum facultates suas, & Discretionem vestram Terræ orientali curauerint subuenire, per vestras nobis*

Litteras inimetis. Volumus autem, vt per vniuersam Siciliam, singulis diebus in Missa pro peregrinis oratio Domino porrigatur: & semel in hebdomada pro tribulatione Missa decantetur. Eos autem, qui se visitaturos Limina Beati Beati Iacobi deuotè vouerunt, salua oblatione Altaris, reliquas expensas in Signatorum voluerint subsidium erogare, dummodo laborem etiam redimant, quem sustinerent in via, authoritate nostra suffulti, ab eo, quod vouerant, absoluatis. Redditus verò prabendarum vacantium, si de assensu Diocesani Episcopi, & Clericorum illius Ecclesia, in qua prabenda vacauerit, vt vsque ad biennium conuertantur in subsidium Terra sancta, saluis Vicariorum stipendiis, sustinemus. Volumus nihilominùs, & mandamus, vt Monachos, & alios Religiosos extra Claustra vagantes, ad Fratrum redire consortium, qui eos recipiant, salua Ordinis disciplina, cogatis; & proprium, quod inuentum fuerit apud ipsos, nisi eis ex ea causa, propter quam oporteat illud restitui, forsan peruenit, in Terra orientalis subsidium conuertatis. De his, qui manus iniecerint in Clericos temerè violentas, quia seueritatem canonicam nolumus enervare, nihil aliud vobis ad presens duximus concedendum, quàm per priores vobis Litteras est concessum. Super capitulis autem, pro quibus inclyta recordationis Constantia Imperatrici nos scribere postulastis, ipsa sublata de medio, votum vestrum non potuimus adimplere. Datum Laterani, Nonis Ianuarij. Hæc ad vtrunque Legatum.

5. Verùm, quod loquitur de Constantia Imperatrice, quasi tunc recens mortua; quam tamen præcedenti anno sublatam diximus; cùm ipse scribat, quinta die Ianuarij, hoc est, in ipsa Epiphania Domini, mirum non est: quippe Constantia post coronationem septennis filij, quæ vergente anno contigit, defuncta, non potuit à Ianuario sequentis multùm distare. Vnde Siculus Scriptor Thomas Fascellius coronationi filij subiungit matris interitum: sic enim ait [b]: *Interea Fridericus ad septimum ætatis annum prouectus, more maiorum, Panormi in Sicilia Regem coronatur: nec multò post eodem anno ipsa Constantia mater, filio Rege sub tutela Innocentij III Romani Pontificis relicto, naturæ cessit.* Ita Fascellius de coronatione Friderici, & de morte Constantiæ. Cæterùm, de pupillo Ecclesiæ (nam talis Fridericus) qualis euaserit, quamque in tutricem, etiam supra aquam atrox desæuierit, quia in nostros etiam tyrannidem exercuit, neque vnquam ferè repressus, nisi per nostros, suis temporibus veniet referendum.

[b] *decade 2. lib. 8. cap. 2.*

6. Inter hæc Litteræ Innocentij, Summi Pontificis, quas anno præcedenti, in ipsa die Sanctorum Innocentium scriptas diximus, ad Guidonem perlatæ, mox conuocatis ab eo quatuor Abbatibus, ad quos scribebantur, apertæ, & lectæ, animos omnium vehementer conturbarunt. Quantò enim minùs ab illo sibi timebant, quàm vt patrem haberent, quem sibi præ aliis addictum, ac se in cunctis vtentem experiebantur, eò incautos pontificiæ authoritatis pondere obrui; & descendentibus à fastigio Romanæ Sedis comminationibus, velut cadente, quam fugere non possent, ex alto, mole conteri, atque quassari facilius fuit. Verba epistolæ in principio, vt dixi, blanda; sed in fine mordentia, seueráque, prout habentur in Regesto Vaticano, ex quo primùm, qui Innocentij alias collegit, dein Abraham Bzouius euulgarunt, ita habebant. Iussis semel quotam soluere ecclesiasticis bonis Regni Siciliæ, Pontifex cunctis censuit imponendam: suis, nimirum, & Romanæ Ecclesiæ decimam; reliquis, quadragesimam: à nostris, quibus etiam Carthusianos, Præmonstratensésque censuit addendos, ne ab omnibus concessam immunitatem viderentur destruere, quinquagesimam tantùm exigebat. Honesto sanè in omnibus consilio, ne vel æqualitas inter inæquales, inæqualitas magis appareret, aut ipse videretur detrectare, quod alij subirent, aut grauia onera cæteris imponere, nisi grauiora ipse portaturus. Hæc eadem à Bzouio prius notata, sed diminutè ex ipso primùm, mox ex eisdem Litteris Innocentij Papæ, operæpretium erit, si proferamus. *Eam* (id est, Terram sanctam) *vt Christianis vendicaret, decimam redituum partem, à Romana Ecclesia in subsidia detraxit, atque assignauit. Cæterùm, vt etiam reliqui Ecclesiastici in partem aliquid conferrent, vtque seculares, tum Principes, tum Milites, ciues, & populi, eò ardentius rem Christianam iuuarent, illis quidem quadragesimam partem reddituum ecclesiasticorum in commune contribuere præcepit. Hos verò indulgentiis, & remissionibus peccatorum inuitauit, datis Litteris primùm Cistercienſi, Clarauallenſi, Pontiniacenſi, de Feritate, &c.* Hæc ille [c]. At nos eandem ipsissimam epistolam Innocentij ad nostros producamus.

[c] *Abraham Bzouius ad hunc an.* 7.

Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis Filiis Cistercienſi, Clarauallenſi, Pontiniacenſi, & de Feritate, (corrige, de Firmitate,) & vniuersis Abbatibus Cistercienſis Ordinis, Salutem, & apostolicam Benedictionem.

Nouit is, qui nihil ignorat, cui nihil absconditum, nihil est clausum, in cuius oculis omnia nuda sunt, & aperta, & qui renes, & corda scrutatur, quòd & Domos, & personas vestras tanto puriore affectione diligimus, & syncerioris charitatis, non tam brachiis, quàm visceribus amplexamur, quanto Religionis vestra fragrantia nos maioris suauitatis odore respersit; vtpote qui facti estis oder vita in vitam his, qui diligunt nomen Dei: sedentes enim sedetis secus pedes Domini, audientes verbum eius humiliter cum Maria, & Martha solicitudinem piis orationibus admiscetis, cum Moyse orantes in monte, vt nos cum Iosuè hostes Israëlitici populi, præsertim inuisibiles expugnemus. Affligitis etiam corpora vestra vigiliis quasi continuis, & assiduis ieiuniis maceratis: vacatis operibus charitatis, contenti paucis, vt plura pauperibus ministretis: agentes in vobis, & in aliis abundantes, tanquàm nihil habentes, & omnia possidentes. Thesaurizatis enim thesauros in Cœlo, vbi nec arugo, nec tinea demolitur, credentes Apostolo, quòd non habetis manentem ciuitatem in terris, sed futuram inquiritis. Vestra enim conuersatio est in Cœlis. Creditis enim, & pro certo tenetis, quod audistis in Euangelio, & legistis: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: & ideo temporalia ministratis aliis, vt sempiterna recipiatis ab ipso. 8.

Sed, nunquid non verius est, vel æquè verum, quod Christo facitis, ipsi facitis? Nunquid Dominus in se non acceptabit obsequium, quod acceptat in seruo? Nunquid non legistis, qualiter Christus tempore Passionis eorum represserit scandalum, qui dicebant: Potuit hoc vnguentum venundari plusquàm trecentis denariis, & dari pauperibus, dicens ad eos: Pauperes semper habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis. Nunquid non verum est verbum eius, vt pauperes non semper habeatis vobiscum, quibus, cum velitis, benefa- 9.

cere

terre valeatis ? Ipsum autem non semper habebitis peregrinum, exulem, & ejectum ; nec forsan de cetero ei poteritis in tanta necessitatis articulo subuenire. Ecce etenim stat ad ostium vestrum, & pulsat. Aperite celeriter illi ianuam, non tam aliis pro ipso, quam ipsi pro vobis, grata subsidia porrigentes. Ejectus enim de terra natiuitatis, & resurrectionis sua, de qua dicit Psalmo : Hæreditas mea præclara est mihi : & quasi captiuus detentus in Cruce, qua, secundùm Apostolum, est gloria nostra, clamat ad omnes, clamat ad singulos : Exurgite in adiutorium mihi, mihi exuli, & profugo subuenite, retribuentes saltem modicum mihi, qui vobis vniuersa concessi. Nec hoc dicimus, tanquàm eius omnipotentiæ derogemus, cùm eius voluntati nihil possit omninò resistere ; sed vt succursum huiusmodi demonstremus, sibi quasi propriè proprium exhiberi.

9. *Monemus igitur vniuersitatem vestram, & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus, ne sitis aliquibus perditionis occasio, ne maius scandalum in Ecclesia generetis ; ne Clericis, & laicis non subueniendi Terræ orientali, præbeatis exemplum, imò vt Christo subueniatis exuli, & qui rursus in membris suis crucifigitur, Crucifixo, & alios ad eius subsidium animetis, tollentes materiam scandali, quod ex hoc contra vestrum Ordinem est subortum ; aliquam certam, & competentem summam, quam nos meritò acceptare possimus, sine dilatione qualibet per vestras nobis litteras exprimatis, in Terræ sanctæ subsidium, si oblationem vestram probauerimus, conuertendam, vel saltem quinquagesimam omnium reddituum, & prouentuum vestrorum, æstimatione habita diligenti, collectam fideliter in vnum locum, sub aliquorum Episcoporum testimonio consignetis. Alioquin, ne si vos ceruices vestras excusseritis ab hoc iugo, illicitum reputent alij, eleemosynas pauperum in stipendia conuertere bellatorum, & patrimonium Christi effusione sanguinis defensare. Ne cæteri etiam scandalizentur in vobis, si quinquagesimam propter hoc nolueritis exhibere, cùm ab eis quadragesimam exigamus. Et nos præter alind subsidium, quod nobis Dominus inspirabit, decimam statuerimus exhibere per indignationem diuinam, & inobedientiæ culpam, quam propter hoc incurretis, suspendemus priuilegia vestra, & vniuersis Ecclesiarum Prælatis dabimus in mandatis, vt vobis non deferant eorum obtentu ; sed eis non obstantibus, à vobis iura sua, tam in decimis, quam in aliis plenè de cætero consequantur. Quòd si nec sic volueritis obedire, experiemur in vos, vtrum in Cistercienses Fratres plenam iurisdictionem, sicut in aliis, habeamus. Datum Laterani V. Kalendas Ianuarij.*

10. Hactenus Litteræ Innocentij ad nostros datæ si vltima perpendas, planè terribiles : quippe quæ omnem Pontificiæ authoritatis potentiam in Cistercium vibrare, non dubitarent. Et videbatur Innocentij zelus probandus omnibus, maximè cùm in opus etiam transiret, & quadragesima cæteris impositæ annualium reddituum, decimam tota Romana Ecclesia solueret, in quò Authores conueniunt ; ne grauia onera videretur aliis imponere, quàm nollet subire : quin, quò præcederet grauiùs ipsa oppressa, cæteris tanta ex parte exoneratis, necessariò, etsi nollent ; sed multò magis sponte sequendum foret. Quid, si aliis Ecclesiis quadragesima ; Cistercienſibus, Carthusiensibúsque, & paucis quibusdam, quinquagesima tantùm fuit imposita ? Quod in prædictis Litteris expressum, (quanuis Abraham Bzouius aliter legat) in aliis etiam, videtur insinuari, in quibus, *à quadragesima soluenda*, ait Innocentius, *Monachos Cistercienses, Canonicos Præmonstratenses, & Carthusienses excipimus, quibus super hoc mandatum dedimus speciale.*

11. Ergo perculsos pontificiis comminationibus, multò magis circunstantiæ arctabant. Nam, quando soli ipsi detrectant onus, quod omnes admittunt, sollis Christi sepulcrum, & loca sacra vilescant Cistercienſibus : cùm cæteri religiosè ad ea suspirent ? an imponere aliis tributa velint, quæ ipsi non soluant ? parati semper prædicare Crucem, colligere subsidia ; non erogare ? Auariores Romanis se ostendere, si vel quintam eorum, quæ ipsi soluunt partem, donare nolint : tum, si se aliis viderent permisceri, conquesturos fortasse, neque iniustè, quòd priuilegia à Patribus accepta, non infringi viderent, sed aboleri. Nunc cùm ab aliis Innocentij prouidentia discreuerit Cistercium, indemnia omnia, & dispensata ex vrgenti nimiùm causa ; non abrogata, aut subuersa videri posse. Hæc, & similia faciebant pro obedientia. Pro alia parte plura, & vrgentiora. Exactiones, si semel vsu veniant, nunquam remitti, pronis Principibus ad suam vtilitatem, & probata patientia subditorum : quæ nequeat imporentiam allegare, necessitatem nunquam non obtenturam : semper vrgentissimam esse, quæcunque instat. Sed neque semel violata priuilegia constare diutiùs posse : quandiu integra manent, reuerenda : si infringantur, contemptui omnibus fore. Hunc sibi titulum à Patribus relictum, conseruandum, si possent : neque obscurandam in ipsis auitam gloriam, notabili ignominia, atque ex ipsis ad filios transitura. Placuit tempori tempus subrogare ; atque rem ad Capitulum referre ; neque vt refugerent, differréntve imperata, sed, vt cunctos Abbates concementia, inter omnes collata, ab vniuersis exactiùs expedirentur. Id tunc responsum ad Innocentij Litteras datum à Guidone, & aliis. At quæ in Capitulo cunctorum sententia fuerit, & qualiter instantem tribulationem, Mariæ Virginis ope tandem euaserit, suo tempore, & loco infrà dicemus.

1. Richardo in Anglia Ioannes per vim succedit. 2. Defuncti in nostros varius affectus, 3. & in ipsos mordacitas haud leuis. 4. Eustachij in eam Insulam aduentus, 5. prædicatio, & miracula, 6. interrupta hoc anno. 7. Guidonis in Germaniam Legatia, 8. & qualiter Ottonem coronauerit, 9. eiusdem in Colonia institutiones, 10. exemplaque, 11. & quædam alia Leodij facta in transitu.

CAPVT II.

1. IN Anglia interim Richardo per mortem rapto, (fatò, an lethali vulnere sagittæ, nondum compertum, quippe post vulnus diu superuixerat,) Ioannes frater successit per violentiam, exhæredatis Arturo, sororéque, queis Regnum debebatur, vtpote filiis fratris maioris natu; incertum quo prætextu, nisi quòd ius regnandi in armis positum, potiores facit, quos habet potentiores. Constat annuisse Humbertum Cantuariensem, cuius hæc vna culpa, quam sciamus, sanctissimam aliàs vitam commaculauit. Mancipatus carceri exinde vterque nepos, & Arturus in breui ferro sublatus, vt funestum, & sacrilegum imperium peragendum à Ioannè, impia, & funesta initia præsagirent. *Decessit Richardus* (Polydorus Virgilius ait [a]) *octauo Idus Aprilis, annum agens ætatis tertium, & quadragesimum; qui decimus, ampliúsque mensis nouem, ac dies viginti fuit, cùm regnare cœperat; ac humanæ salutis M.CC.* Fuit Richardus in nostros vario animo, & penè effœminato: quippe verbis detrahere paratus, quos factis colebat, & sine quibus nihil vnquam aggrediebatur: siue id ingenij dicacis vitium esset, quòd nec amicis parceret, nec religione, aut pietate detineretur: seu sagacis versutia, quòd vel inuisis vti non recusaret. Referam extemporaneam responsionem nostros carpentem, dum qua plerunque diuites laborant, notarentur infamia cupiditatis. Referam autem verbis Matthæi Vvestmonasteriensis in suis Floribus [b].

[a] lib.14.in fine.

[b] lib.2.ad an. 1197.

2. *Illis quoque diebus surrexit quidam alter Propheta in Francia, Prædicator efficacissimus, scilicet, Magister Fulco, pro quo Dominus miracula manifestè dignatus est operari. Isto Fulco quadam die accessit ad Regem Richardum Anglia, & ait illi: Dico tibi, Rex, ex parte Omnipotentis Dei, vt tres filias tuas, quas habes pessimas, citiùs maritas, ne aliquid deterius tibi contingat. Cui fertur Regem respondisse: Hypocrita, mentitus es: quia filiam non habeo vllam. Ad quod Fulco: Certè non mentior: quia, vt dixi, tres habes filias pessimas quarum vna est superbia, altera cupiditas, altera luxuria. Conuocatis igitur ad se comitibus, & multis aliis, qui aderant, ait Rex: Audite, vniuersi, commonitionem huius hypocritæ, qui me dicit habere tres filias pessimas, scilicet, superbiam, cupiditatem, & luxuriam: & præcipit, vt eas maritem. Do igitur superbiam meam Templariis, & cupiditatem meam Monachis Cistercien sibus, & luxuriam meam Prælatis Ecclesiarum.* Hactenus ibi mordaciùs à Richardo dictum, quam religiosiùs.

3. Certè hac nota laboratum nostris illa ætate, non quòd aliena vltra modum concupiscerent, quod de viris sanctissimis quis credat? neque quòd sua retinerent immoderatè, qui semper largi in pauperes, in hospites hilares, quæ habebant, communicabant: sed, (in quo ego non abnuam excessisse, bono zelo fortasse, sed minùs cauto,) quòd multa non vitarent vltrò oblata, cùm supra, aut contra primitiuam pauperiem Cistercij stabilitam, à semitis maiorum degenerabant. Vt plùs, quàm decet, accepta retinere, auaritiæ imputandum: sic plùs accipere. Sit modus acquirendi viris perfectis, quem non transgrediantur: sit iustus terminus, quem non necessitate, sed voluntate præscripsisse maiores, tunc tandem ostendemus, cùm conseruabimus. Hic ille Fulco insignis Prædicator, cuius suprà meminimus, à quo & Eustachium Abbatem Cistercien sem, quem sibi associauisset ad opus verbi, hoc anno in Angliam missum, Rogerius Ovvedenius testis existit, prædicationis illius egregium fructum, atque illustria miracula describens, quæ sub hoc tempus ab ipso perpetrata, hîc etiam nobis veniunt recensenda. Sic autem habent [a]:

4. *Eodem anno, vnus de comitibus Beati Fulconis, Eustachius Abbas de Flay, seu de Florefia, Ordinis Cistercien sis, venit in Angliam à partibus Northmaniæ prædicare verbum Domini, fecitque mirabilia in vita sua, inter quæ vnum opus fecit, quòd est mirabile in oculis nostris. Venit non longè à Cantuaria ad villam, quæ dicitur Vuy: & benedixit ibi fontem quendam, cui Dominus tantam gratiam infudit, quòd cæci visum, claudi gressum, muti loquelam, surdi auditum, & quisque debilis, qui ex fonte benedicto biberet, sanitatem se recepisse gauisus est. Venit etiam quædam mulier ad Abbatem illum à Dæmonibus arrepta, & vltrà quàm credi fas est, crassa, quasi morbo hydropico inflata, & periit ab eo sibi restitui sanitatem. Cui Abbas ille respondit: Confide, filia, & vade ad natatoria fontis Vuy, cui benedixit Dominus: & bibe ex eo: & recipies inde sanitatem. Et abiit, & bibit, & vomuit, & exierunt ab ea duo bufones magni, & nigri, qui statim conuersi sunt in immensos, & nigerrimos canes, & paulò post conuersi sunt in asinos. Mulier autem stabat attonita, & aliquantò cucurrit post illos furibunda, volens eos apprehendere, si posset. Sed quidam vir, qui deputatus erat ad fontem illum custodiendum, asperfit aquam de fonte illo sumptam, inter mulierem, & monstra illa, qua statim abeuntia ascenderunt in altum, relinquentia post se fœda vestigia. Et mulier quidem ab illa hora sana facta est, magnificans Deum, qui talem potestatem dedit hominibus.* [a] Capud Bycanum ad hunc ann.

5. *Præterea prædictus Abbas veniens ad Rumenel, vbi erat aqua defectus, ad preces populi in Ecclesia eiusdem Villæ baculo suo petram percussit, & fluxerunt aquæ, quarum haustus languoribus diuersis medetur. Ipse etiam prædicatione sua corda multorum conuertit ad vsurarum relaxationem, & ad Crucem Ierosolymitanæ profectionis capiendam. Londoniis autem, & in aliis locis multis per Angliam prædicatione sua effecit, quòd de cætero in diebus Dominicis forum rerum venalium nunquam exercere præsumerent. Statuit etiam Londoniis, & in quibusdam aliis locis, quòd in singulis Ecclesiis, vbi facultas expedit, erit semper lampas ardens, vel aliud lumen indeficiens ante Corpus Domini. Et impetrauit prædicatione sua, quòd multi ex ciuibus, & ex aliis* 5.

viris

viris sapientibus habent quotidie in mensa sua discum eleemosynarium, in quo condunt aliquam partem cibariorum suorum ad opus indigentium, qui sibi nihil præparauerunt. Ita Rogerius, quæ eadem vterque Matthæus narrat, Vvest, & Paris [e], atque ex ipsis Nicolaus Arsfeldius in sua Historia ecclesiastica Anglicana [e].

d an. 1197. & 1200.
e sæculo 12. cap. 19.

6. Cæterùm hæc, & alia virtutum opera, quæ per eundem in Anglia patrabantur, quo anno cœpta, eodem intermissa, seminante zizania communi hoste; atque illos armante in seruum Dei, quos, aut authores, aut saltem promotores verbi debuisset habere, & quorum se præbebat coadiutorem. Certè Episcopos in eum concitatos, quasi non missus prædicationis officium vsurpauisset, idem qui suprà, Rogerius satis insinuat: sic enim subdit [f]: *His igitur, & aliis operibus misericordia inimicus humani generis inuidens, excitauit contra virum Dei Ministros iniquitatis, qui dixerunt ei: Non licet tibi mittere falcem in alienam messem. Quibus ille respondit: Messis quidem multa est; operarij verò pauci. Itaque præditus Abbas à Ministris Satanæ increpatus, noluit diutiùs Prælatos Angliæ sua prædicatione molestare: sed reuersus est in Northmaniam, ad locum suum, vnde venerat.* Hactenus gesta per Eustachium Florefiensem præsenti anno: nam, quæ sequenti, quo ex Gallia in Angliam rediit, eodem ipso à nobis dicenda erunt.

f Idem ibi suprà.

7. Crescebant interim bella, atque factiones Philippum inter Sueuum, Ottonémque de Imperio certantes, & totum penè Orbem diuidentes, dum alter potentia, iustitia alter prævalens, de neutro desperabant, qui promouebant. Multa à Philippo in Germania prosperè gesta inuenio apud Authores: sed nihilominùs causa cecidisse: missúmque ab Innocentio Summo Pontifice, qui Ottonem coronaret, Guidonem de Pare, ex Abbate Cistercij olim assumptum, quem sacra purpura donatum à Clemente, atque aliis Legationibus functum commemorauimus. Meminit huius Cæsarius in suis Dialogis, dum quoddam sanctæ simplicitatis exemplum, quod recens accidisset, ab eo narratum prodit verbis sequentibus [g]: *Dominus Vvido, Abbas Cisterciensis, postea Cardinalis, cùm missus fuisset Coloniam ad electionem confirmandam, qua facta fuerat contra Philippum in Ottonem, retulit ibidem quandam sanctæ simplicitatis historiam satis iucundam, satisque mirabilem, &c.* Alibi etiam Legationis huius meminit, narrans & alia ibidem ab eo gesta, quæ statim dabimus.

g lib. 6. c. 2.

8. Quæ gesserit in Comitiis generalibus pro coronatione Ottonis, ad quam specialius missus ab Innocentio, Abraham Bzouius perstringit totidem verbis [h]. Quanuis Prænestinum Episcopatum illi nimis anticipat, quo nondum ab Innocentio donatus esset: *Quid in Comitio egisset Guido Cardinalis Prænestinus Innocentio per litteras denunciauit; nimirum, quia partium nonnullas adhuc controuersias audisset, maturè considerasset, & ex præscripto apostolicæ Sedis Philippo, & Friderico reiectis, Regni Romanorum titulum coram omnibus Principibus Imperij, Ottoni electo à Sede apostolica delatum renunciasset, atque omnes, qui contradicere pergerent, anathemate percelluisset.* Hactenus ille. Epistolam nanciscì mihi non licuit: quippe nec circumfertur inter vulgatas, nec transmissa inter alias ex Vaticano, quod repetere nequaquam in promptu fuit. Habemus & ex Chronico magno Belgico in eisdem Comitiis, consecrasse Venerabilem Hugonem, huius nominis secundum, Leodiensem Episcopum, cùm Regalia accepisset ab Ottone tunc primùm exercente munus Imperij. *Venerabilis Hugo, ait, huius nominis secundus de Petro ponte, nobilis, & litteratus, Præpositus maior, & Archidiaconus Leodiensis, fit Episcopus Leodiensis anno Domini millesimo ducentesimo, qui receptus ab omnibus, à Rege Ottone Regalia recipit, & à Guidone Cardinali Legato confirmatur, & consecratur.* Hactenus ibi.

h Sot an. n. 3.

9. Porrò vltra hæc, & alia ab eo facta, ex his, quæ in Colonia, hæc laudabilia à Cæsario relata, ipsius verbis censui inferenda [i]: *Tempore schismatis inter Philippum, & Ottonem, Dominus Vvido Cardinalis, aliquando Abbas Cisterciensis, cùm missus fuisset Coloniam ad confirmandum electionem Ottonis, bonam illic consuetudinem instituit: præcepit enim, vt ad eleuationem Hostiæ, omnis populus in Ecclesia ad sonitum nolæ veniam peteret, sicque vsque ad calicis benedictionem prostratus iaceret. Præcepit etiam Cardinalis idem, vt quoties deferendum esset ad infirmum, scholaris, siue campanarius Sacerdotem præcedens per nolam illud proderet, sicque omnis populus, tam in stratis, quàm in domibus Christum adoraret.*

i lib. 9. c. 51.

10. *Retulit eis eodem tempore casum satis miraculosum. Miles quidam in Francia fuit tantæ deuotionis, vt quotiescunque Christi Corpus eleuari, siue deferri videret, prostratus illud adoraret. Contigit, vt die quadam vestibus suis pretiosis indutus iuraret ciuitatem, cùmque platea, in qua equitabat, nimis esset lutosa, ex improuiso obuium habuit Corpus Domini: quo viso, modicum intra se deliberans, ait: Quid faciesmodo? Si te in tanta profunditate prostraueris, perdita sunt vestimenta tua hæc delicata: si verò non descenderis, salubercima consuetudinis transgressorem te semper accusabit conscientia. Quid plura? prævalescente deuotione, de equo prosiliens, in lutum se misit, in quo flexis genibus, elevatis manibus, Christi Corpus adorauit. Et quia dulcissimus Dominus honorantes se, non solùm in futuro remunerat, imò etiam in præsenti nonnunquam rehonorat, hoc egit sua potentia, vt totius luti nec vna quidem guttula vestimentis eius adhæreret. Tunc equum cum multa admiratione reascendit, & amplius in fide confortatus Deum glorificauit.* His Guido prouocabat deuotionem Corporis Christi.

11. Hæc in Colonia. Cæterùm & Leodij etiam in transitu laudabilem memoriam sui reliquit: quam ex Placentio Authore Leodiensi, Aubertus Miræus refert ipsius verbis: [k] *Temporibus, ait, eiusdem Hugonis Episcopi, venit Leodium Guido Abbas, & Pontificis Maximi Legatus, & multa ibidem vtilia Ecclesiæ statuit, teste eodem Placentio. Guido, inquit, Abbas Cistercienſis, Pontificis Maximi Legatus, Leodium aduenions, ab Antistite humaniter acceptus est. Cuius ibi sollicitudine, Cathena vulgò solet vocari, hodie est Seminarium diœcesanum: Xenodochion D. Matthæo nuncupauit, & quotannis in Conuersione Apostoli Pauli inuisendum multis gratiis populo commendauit. In Sacerdotum, atque Canonicorum luxuriam multa fortiter asseruit, & veratis Collegiorum Præpositis, aliquot cautiones authoritate Pontificis Maximi promulgauit. Ne Canonici Horis diurnis pariter, & nocturnis, à templo abessent; qui & communi Refectorio, atque Dormitorio se continerent: ne mulierum strepitu impediti, mitius suo Instituto satisfacerent. Cæterùm tantum abest, vt hi in tractatu Collegiorum nullius authoritatis habe entur, donec sacris initiantur. Perinde Archidiaconi, nisi Diaconi essent,*

k in Chronic. Cister.

stipe, & honore, atque authoritate carerent: ambientes plura Sacerdotia, despicabiles Collegiis fierent: & cornuti, comámque calamistro rotantes, non priùs ecclesiastica immunitate gauderent, quàm coronam in capite deferrent. Qua Fredericus Imperator annuatus, in Namurcensi Collegio Sanctorum Petri, & Albani, quod ipse dotaverat, præcepit observari, Et nonnulla alia adiiciens, hoc modo vitiis Ecclesiasticorum prospexit. Hactenus Placentius de Guidone. Atque ex ipso Miræus eisdem verbis. Meminit harum omnium Constitutionum à Guidone editarum Magnum Chronicon Belgicum ad hunc eundem annum, simúlque Nosocomij dedicati, de quo addit & quædam specialiora: *Item*, ait, *hinc Guido quondam Abbas Cistercij, nunc Episcopus Legatus à Papa, Leodij nouum Hospitale benedicit, in Conuersione sancti Pauli, & in eo Capellam Sancto Matthæo consecrauit,* &c. *quod Hospitale situm super Mosam, maior Decanus Vualterus de Cauanui construxit, & in eo personas utriusque sexus, pauperes, & impotentes, congregauit; & eis Priorem constituit, qui præesset in spiritualibus, & temporalibus sub Regula Sancti Augustini.* Itaque Xenodochium non infirmis curandis, vt alia plura; sed impotentibus laborarè alendis; sed victuris sub Regula, & religiosam, qua possent, vitam acturis, destinabatur.

---

1. *Henrici de Soliaco, Bituricensis Præsulis, mors.* 2. *Dubitatum à Clero de Successore,* 3. *& vocatus ad Concilium Oddo, defuncti frater.* 4. *Quis ille, ac quantus. Conuenúmque, vt non alibunde, quàm ex Cistercio assumeretur.* 5. *Præmissa sacrificia,* 6. *& electus Guillelmus Abbas Caroli Loci,* 7. *publicationem præueniente communi voce.* 8. *Repugnantia ipsius:* 9. *& obedientia.* 10. *Consecratio in Pontificem,* 11. *& quantis statim virtutibus affulserit.*

CAPVT III.

1. VB idem tempus, Septembris die vndecima, viuere desiit Illustris Ecclesiæ Princeps Henricus Borbonius, siue de Soliaco, ex Abbate Loci Regij, Archiepiscopus Bituricensis primùm, mox Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, de quo superiùs. Sepultus in eodem Cœnobio Loci Regij, vnde ad Pontificatum assumptus fuerat. De eo in Catalogo Archiepiscoporum Bituricensium. *Obiit tertio Idus Septembris, anno M.CC. sepultus in dicta Abbatia Loci Regij, quam tenuerat. Super cuius tumulo hoc legitur epitaphium* [l]:

[l] apud Ioan. Chenu.

Hic bonus Henricus, vir nobilis, & Patriarcha:
Quondam Bituricus, tumuli iacet huius in arca.

Huius meminit idem Abbas de Monte, & de Nangis, Petrus Blesensis, *epist. C. XXVI.* Epistolæ Petri Blesensis verba statim dabo. Cæterùm ad eundem Henricum extant plures, tum Vrbani III in quibus virum prouidum, & discretum, moribúsque, ac genere conspicuum vocat; tum Lucij, & Cœlestini III. vtriusque; tum Innocentij III. in causa Episcopi, & Capituli Engolismensis. Item in causa Turonensis Archiepiscopi, quòd Abrincensem Episcopum, inconsulto Innocentio, in Andegauensem Ecclesiam promouisset, & memoratur in capite, *Inter corporalia.* 2. de translatione Episcopi. Item, contra Episcopum Dilapidatorem, & contra Abbatem Stirpensem, aliæque, quæ in libris Epistolarum Innocentij circunferuntur. *Instituit* (ait de eo Robertus Claudius) *vt Festum Assumptionis celebretur solenniter sub Officio Cantoris instar Pentecostes ... Eius præterea aduentus ad Claromontem sedauit discordiam inter Robertum Turrianum Episcopum 61. & Guidonem Episcopi fratrem, propter Comitatum Aruerniæ.*

2. Acceperat Bituricensis Ecclesia ab anno M.C.XXX VI. tres ex Cisterciо Præsules, Albericum, Guarinum, & Henricum, sanctos, & doctos. Sed quartum adhuc sanctiorem, doctiorémque sibi à Deo præparatum præstolabatur. Itaque in principio, cùm discordarent, Oddo de Soliaco, Parisiensis Episcopus, Henrici mortui frater, (ex Cantore Ecclesiæ Bituricensis assumptus) vocatus est, cuius omnes consilio obtemperarent. Dein ipso adueniente, auditoque, dudum probatis à Clero Cistercienſibus, atque inuentis fidelibus, ea omnium communis sententia fuit, vt non alibunde Pastor eligeretur, quàm ex Cistercio. Rem narrat Author Vitæ Sancti Guillelmi, coætanus, & grauis, licèt anonymus, quam suis tomis inseruit Laurentius Surius [m]:

[m] Ianu. 10.

3. *Cùm ex hac luce migrasset felicis memoriæ Henricus Bituricensis Archiepiscopus, qui inter nos degens erga Clerum, & populum summa semper vsus est mansuetudine, & humanitate, paucis post diebus Ecclesiæ illius Clerici, ad eligendum idoneum successorem conuenêre; sed cùm primùm inter se non concordarent, tandem ex instinctu Spiritus Sancti in eam pariter iêre sententiam, vt Ecclesiæ Parisiensis Antistitem, qui ex illorum Collegio ad id erat dignitatis assumptus, accerserent, eius in Episcopo eligendo, consilio, & prudentia vsuri. Erat enim vir magnus, & cunctis venerabilis, consiliis prouidus, iustus, ac timens Deum: cúmque erga alias Galliarum Ecclesias multa vteretur sollicitudine, æquum esse existimabant, vt matri suæ, id est, Ecclesiæ desolatæ, in qua à teneris annis fuisset enutritus, tam necessario tempore minimè deesset: ille verò nullas nectens moras, tanquam deuotus filius, afflictæ matri omnibus, quibus posset, modis consulturus vocatus mox aduenit. Itaque, vbi ad præfixum diem conuentum est, iterum ab eius Ecclesiæ Clericis, post multam deliberationem, id tandem omnibus vnanimiter placuit, vt ex Ordine Cistercienſi, cuius tum erat in Ecclesia Dei eximia sanctitas, Abbas aliquis in Pontificem deligeretur.* Hactenus Author Vitæ Sancti Guillelmi.

4. Portò, quod attinet ad Oddonem Parisiensem Episcopum (qui fuit in ordine Episcoporum LXXI.) extat epistola Petri Blesensis ad R. Abbatem Gloceſtriæ, quæ ita habet [n]: *Hic*, inquit, scilicet, Oddo, *ex Cantore, sub fratre suo Henrico Bituricensi Archiepiscopo, factus Episcopus Parisiensis, fuit consanguineus Henrici Regis Anglia: indéque Francorum Regem linea generis propinquiore contigit.* Et sequenti epistolà ad ipsum Oddonem: *Rex Anglia Henricus II. consanguineus vester, me primus in Angliam traxit.* Papyrius Massonius lib. 3. Annalium addit, quòd *reditus in Anglia vberes habebat; quos eo consilio distraxit,*

[n] epist. 126.

xit, vt pecuniam pauperibus daret. Ergo de huius tanti Viri consilio conuentum est, vt non aliunde, quàm ex Cistercienſi Familia Eccleſiæ Biturícenſi Paſtor, atque Aquitaniæ Primas prouideretur.

5. Pergit Author de electione Sancti Guillelmi, Caroli Loci Abbatis, cuius ſuprà meminimus, atque aliis, quæ ipſam præceſsère °: *Erat*, inquit, *ibi inter cæteros, quos morum ſanctitas commendabat, crebrò nominatus Guillelmus, id temporis Caroli Loci religioſiſſimus Abbas: qui, poſtquam arduum illud amplexus fuerat inſtitutum, in dies ad perfectiora contendebat. Et ſicut generis nobilitate, ita vitæ ſanctimonia cæteris antecellere videbatur. Tandem ex compromiſſo, & hunc, & alios ab ipſis nominatos, ad Pariſienſem Epiſcopum detulerunt ex eius arbitrio proculdubiò ſuum Antiſtitem habituri, quem ipſe eſſet indicaturus: quippe illorum omnium mores probè cognitos haberet. Sed quia iam hora tardior erat, Vir ille prudentiſſimus noluit in re tanti ponderis præcipitare ſententiam; ſed negotium omne in diem alterum diſtulit. Etſi autem inuitus admodum eam in ſe prouinciam recepit, nulla ratione recepturus, niſi ſchiſmatis certa diſcrimina impendere vidiſſet: at ceſſit tamen, decreuitque ea nocte ſolitis vigiliis, & precibus incumbere, & diuinum implorare auxilium, vt Dominus deſtituta Eccleſia Paſtorem idoneum daret.*

° apud Sur.

6. *Sequenti inde die, in Beatiſſimæ Mariæ Virginis templo, manè Sacrificium Miſſæ cum ingenti deuotione obtulit. Aderant verò illi duo eximiæ ſanctitatis, & prudentiæ viri, quorum vnus poſtea Tutonenſi, alter Meldenſi Eccleſiæ præfectus eſt. Sub horum conſpectu ſchedulas, in quibus cera obſignatis, Abbatum nominatorum erant inſcripta nomina, ſub Altaris palla repoſuit; penitus ignorans, quæ cuius nomen haberet. Abſoluto autem ſacrificio, cum lacrymis, & multo gemitu humi proſtratus orat Dominum Ieſum, & eius ſanctiſſimam Genitricem, vt qui ſolus corda noſſet omnium, oſtendere dignaretur, quem vellet, eius Eccleſiæ Paſtorem conſtitui. Expleta oratione, nihil iam hæſitans de miſericordia Dei, ſurrexit, & ex omnibus ſchedulis vnam ſolam apprehendens, nomen inuenit Domini Guillelmi Caroli Loci Abbatis; mixtoque rem duobus illis ſociis indicauit: atque vnà cum illis properat ad Clericos congregatos, & ipſius aduentum præſtolantes.*

7. *Interim rem apud ſe, & duos illos tacitam habet, dilaturus propalationem, donec certius aliquod diuinitùs indicium appareret. Et ecce non minima pars eorum, qui conuenerant, obuiam illi procedit. Viua voce clamitant omnes, Guillelmum Abbatem, vtpote Virum religioſum, iuſtum, ſanctis moribus conſpicuum, ſacris inſtructum litteris, illuſtri ortum proſapia, reliquis omnibus debere anteferri. Ita Dominus Ieſus, quem ipſe iam deſignaſſet Pontificem, illorum quoque animis inſpirauit. His verò auditis, & lætitia, & admiratio cepit Epiſcopum, ita vt lacrymas tenere non poſſet, videns rem diuinitùs geri, exclamauitque: A Domino factum eſt iſtud. ſimul Deum benedicens, mox properat cum illis ad reliquos pauces, qui in electionis loco permanſerant: atque inde cum omnibus ad Beati Stephani Metropolitanam acceſſit Eccleſiam, vbi ante aram proſtrati, cùm preces Domino fudiſſent, ex omnium Fratrum voluntate, & conſenſu, ipſo die Sancti Clementis, Guillelmus Abbas in Archiepiſcopum, & totius Aquitaniæ Primatem eligitur.* Hæc de concordi, & miraculoſa electione Viri ſanctiſſimi.

8. Nunc qualem ſe præbuerit eligentibus, atque electioni ipſi, quàm humilem, quàm fugientem honoris ſimul, & oneris, velut cui ſe imparem noſceret, illius, vt quem ſpernetet, quàm non niſi coactus tandem conſenſerit, idem qui ſuprà Author, qui viſa, atque comperta tantùm tradit, vt ex totius hiſtoriæ ſerie conſtat, pergit ſcribere P: *At illum quidem*, (id eſt, Guillelmum electum) *res tota latuit. Poſtquam verò illi innotuit, non eſt ſuperbia elatus, imò verò dolere cœpit, & mœſtus eſſe, quòd à ſublimi diuinarum rerum contemplatione animus, ad tractanda ſæcularia, & temporalia deinceps auocandus eſſet. Hinc ergo gemitus, hinc ex imo pectore ducta ſuſpiria? Sed, quanto ille à tanti honoris dignitate magis abhorrebat, tantò honor ipſe cum arctius complexus eſt, vt poſſit de illo quoque dici, quod de Sancto Paulo D. Hieronymus ait: Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem, quaſi vmbra ſequitur, & appetitores ſui deſerens, appetit contemptores.* Pergit Author:

P ubi ſuprà.

9. *Interea poſitus in deliberatione, quid potiſſimùm ſequi deberet, reciperéne tam moleſtum in ſe onus, an fugere potiùs? Videt ſolennes ad ſe venire nuncios Eccleſiæ Biturícenſis, obnixè rogantes, vt vocationi diuinæ obſecundet, & electioni de ipſo factæ aſſenſum præbeat. Et hi quidem, licèt cum veneratione multa ſuſcepti paſſi fuiſſent haud dubiè repulſam, niſi maior authoritas obſtitiſſet. Acceſſit igitur ad has preces Ciſtercienſis Abbatis mandatum, cui iam reluctari, niſi ſua profeſſionis vellet eſſe tranſgreſſor, non poterat. Et ne poſſet vlla ratione effugere, addidit grauius præceptum, etiam apoſtolicæ Sedis Legatus, qui id temporis in Gallijs erat. Scripſerat autem vterque epiſtolam ad illum plenam ponderis, admonentem illum, ne ſe diuinæ voluntati præberet refractarium: cogitaret verò quandoque reuerſurum Dominum, & talenta collata repetiturum cum vſuris. Ita igitur ille compulſus, licèt valdè initio retineretur, ſæpe indignum clamitaret, velle tandem cogitur, quod nolebat, ſciens meliorem eſſe obedientiam, quàm victimam.* Hactenus acceptatio Sancti Pontificis, obedientia cogente, velut extorta: nunc de diſceſſu eius à ſuis filiis, & acceſſu ad Bituriges, conſecratióneque, & reliquis ſequutis, ex eodem Authore pauca dicemus.

10. *Valedicens verò*, pergit q, *Fratribus, quibus præfuerat*, ſcilicet, Caliſianis (nam Caroli Locus Caliſium etiam dicitur,) *nec ſine multis lacrymis, multóque cordis gemitu (ſingulorum ſe precibus commendans) receſſit ab illis corpore tantùm, non animo. Per*, rò feſtinus iter habuit Bituriges: quò cùm peruenisſet, à populo & Clero, illi procedente obuiam, in primis reuerenter acceptus eſt: deinde ab Epiſcopis vitu ſolenni conſecratus, curam commiſſi ſibi gregis, non vt mercenarius, ſed vt verus Paſtor ſuſcepit. Et ne ſibi deeſſet, ſuique ipſius curam neglexiſſe videretur, omnes animi motus ita ſtudiit rationis continere imperio, adeóque omnia, quæ ſunt huius mundi contemnere, vt nihil in ipſo reprehenſione dignum, animaduerti poſſet à ſubditis: quibus ſe ipſum virtutis, & ſanctitatis, atque bonorum operum exemplar præbere volebat: non ignorans, quòd ſemper

q ibidem.

Componitur Orbis
Regis ad exemplum; nec ſic inflectere mentes
Humanas edicta valent, quàm vita regentis.

Domabat carnem, vt & antea conſueuerat, & qui cuiuslis animi perturbationibus, & affectibus à puero bellum indixerat, nunc acriùs indicebat, vt poſſet ex ſententia dicere cum Apoſtolo: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo; ne forte cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. *In opibus, & copijs, in honore, & dignitate eximia, qua ſolent permultos euertere, pauper eſſe ſpiritu ſtudebat: inter lautas epulas, & in ciborum apparatu nouerat eſurire: inter veſtitus mollibus, aſperrimo cilicio terebat corpus, monaſtice retenta habitu, vt non tam Pontifex, quàm Monachus videri poſſet. Veſtes habebat, quæ corpus tege-*

rent, non qua luxum, & pompam præseferrent: nec his quicquam, aut aspera hyeme adiici, aut feruente ætate detrahi sciuit, pondere illarum pressus potiùs, quam aduitus.

11. Pergit de abstinentia, humilitate, mansuetudine que, & misericordia: subiungens huius occasione virtutis, primum ipsius miraculum, quod multa comprehendit, & quod aliorum multorum initium fuit: *Nudos*, inquit [a], *pro cuiusque conditione, paucis admodum consciis vestiebat: non ab hominibus gloriam quærens, sed mercedem expectans a Domino. Ægrotos, & carceribus inclusos, & visitare, & consolari studuit; aduersus desperationem, & impatientiam, Scriptura diuina sententiis, & exemplis eos confirmans.*

[a] *Ibid.*

Erant in iis tertiana, & quartana febre vexati, qui concepta in Deum fiducia, quod per Sancti viri preces, & merita curari possent, rogabant eum, vt manus ipsis impositas, febrem discedere iuberet. At ille molestissime ferens se sanctum, vel appellari, vel existimari, eos silere iussit, & ad diuinam poscendam opem se conferre. Illis autem cum ingenti gemitu in sua prece persistentibus, vt erat mitis, & humilis corde, manus illis imponebat; & aliquidem quamprimum, alij paulò post integram recepere sanitatem. Ex iis sanè quosdam nos vidimus bona existimationis viros, qui hæc nobis ita, vt diximus, gesta testarentur. Cæterùm de miraculis eius plura infrà, nunc ad alia huius anni transeamus.

---

1. *Tarasia nupta Alfonso Legionensi, 2. post longam inobedientiam, tandem sciuncta, 3. Monasterium à Sancto patre petit. 4. Lorbani antiquitas. 5. Priuilegia Arabum. 6. Sanctitas prima, & sequuta dissolutio. 7. Tum desertum à Monachis Tarasiæ traditur, 8. in quo ipsa cum aliis, Deo dicat: 9. nec minori authoritate pollens, quàm pietate.*

CAPVT IV.

1. VBI idem tempus separata ab Alfonso Legionensi Tarasia vxor, Sancij Portugalensis Regis filia, longam, & scandalosam inobedientiam, admiranda pœnitentia tandem compensans; Cistercienses Moniales induxit in Lusitaniam, inter easdem, & ipsa Deo sacranda, in insigni Cœnobio Lorbanensi, quod in hoc capite venit describendum. Coniuncti sanguine, absque dispensatione Summi Pontificis, copulari coniugio, per multos annos in eo perseuerabant. Rogerius ab ingressu Cœlestini actum contra illos putat, vt mutuò secederent: quippe ad annum M.C.XCI. hæc habet verba [a]: *Eodem anno fuit laborandum eidem Cœlestino Papa in dissolutione matrimonij inter Reges Hispaniarum; cùm, videlicet, Sanctius Rex Portugallensis dedit Tarasiam filiam suam Aldefonso Regi Gallecia neposi suo in vxorem, de qua genuit tres filios: & licet post Clementem, Cœlestinus Papa multùm laborasset, vt separarentur: tamen tenuit ipsè eam contra Deum, & prohibitionem Domini Papæ per quinque annos: & Dominus Papa Cœlestinus præfatum Regem de Sancto Iacobo excommunicauit, & totam terram suam sub interdicto posuit: & ita permansit per quinque annos.* Ita Rogerius Regem Galleciæ nominans, & de Sancto Iacobo, quem Legionensem debuisset nominare. Sed & tempus, aut anticipat, aut breuiat: quippe non separati ante hunc annum; aut an. M.C.XCI. nondum contraxerant, aut vltra quinquennium in irito coniugio perseuerarunt.

[a] Baron. anno 1191.

2. Mariana ex Authoribus Hispanis rem propiùs hauriens, cœlestem iram incesti thori vindicem præcessisse anathema; ac demum stragem ab hostibus sequutam, & certum separationis dilatæ tempus præfigit: sic enim ait [b]: *Mortalium animos malis oppressos, metu sollicitos, prodigia multa suspensos habebant, pestem, famémque grauissima in Lusitania laboratum, alia in cælo signa visa, vulgus in deteriora pronum, Religionemque obstrictum, cœlestem vindictam interpretabatur, inimque Deis quod nuptiæ Alfonsi Legionensis, ac Tarasiæ Lusitanæ, vitio cohærentes, haudquaquam dissoluerentur, quamuis Innocentio Pontifici eius nominis III. qui Cœlestino subsitutus Romanam Ecclesiam obtinere cœperat, enixe curante: prorsus vt Lusitaniam vniuersam anathemati subiiceret, parentque recusantes, à fidelium societate amoueret. Auxerat terrorem vrbs Sylvensis amissa, oppidis, & agris eo tractu illata vastitas, Abeniuzephi vtrinque armis, acceptas à Rege Lusitano iniurias vindicantis.* Et subdit in initio sequentis capitis: *Diremptum id coniugium lege propinquitatis est; ægrè quidem, ac sero; sed diremptam, tandem, salutis anno millesimo ducentesimo.* Hactenus ille. Cui consonant Authores, & instrumenta.

[b] lib. 12. cap. 19.

Idem sed. lib. cap. 10.

3. Tharasia ab Alfonso separata, qui illi omnia, (adeò inter eos conformis thorus fuerat,) & Patri, ac Patriæ tandem restituta; quæ, nisi Deum sibi conciliaret, inferior compensatio boni amissi: siue existens Legione, Carrizum inter, Gradefésque, Monasteria vicina, & sibi nota imbibisset Cistercium; siue ipsa aliàs religiosam vitam arderet, post Alfonsum, quem vnicè dilexerat, solum Deum sponsum admissura: id vnum Patri censuit proponendum, vt exturbatam à solio Regni terreni, permitteret famulari Cœlorum Regi: ne Monasterium sibi denegaret, in quo cum his, quæ eam comitabantur, & si quæ aliæ accederent, Ordinem Cistercien sem, soli Deo vacatura, profiteretur. Hanc sibi vitam in votis ab incunabulis, quam nuptiis Regiis virgo præposuisset, ni paterna obedientia velut compulsa consensisset marito; cui semel tradita, matérque fœcunda, animo magis, quàm corpore adhæsisset. Hactenus impleuisse munia filiæ, implesse vxoris, demum & matris, trina prole emissa, liceret saltem cœlibi, seu viduæ aliquid in se iuris: nec vt haberet, sed vt resignaret: & quem ignorans offendisset incesto thoro, casta placaret, ac vitæ conuersione promereretur.

4. Distat secundo lapide à Conimbrica Monasterium Lorbani, vel tunc antiquitate venerandam, si non moribus magis, quàm ædificiis collapsum, & diruturn, solas ruinas informes præseferret. A tempore Sanctissimi nostri Legislatoris, eiusdem ibi Regulam viguisse probat fragmentum antiqui Manuscripti, quod vulgatum a Bernardo Brito Lusitano hæc habet verba [d]: *Domus nostra Lorbani constructa fuit, viuente Patre nostro Benedicto, & dedicata Sanctis Martyribus Mammeto, & Pelagio: illi enim qui venerant, deferebant reliquias illorum, propter*

[d] lib. 6. cap. 10. Chronic. Cister.

quod

quod assumpserunt illos in Patronos: & fuit dedicata Ecclesia illis, quarto Kalendas Iunij. Inde, quod paucis contigisse creditur, post inuasam Hispaniam à Saracenis, atque in ipsa oppressione, continuata obseruantia per Sanctos Monachos, venerantibus integritatem vitæ Barbaris, & concedentibus hominibus innoxiis, atque beneficis impunitatem, immunitatémque priuilegio firmatam: cuius vulgatum in Lusitana Monarchia fragmentum barbarum, etiam supra barbariem illius æui, non pigebit ad litteram transcribere [e]:

e lib. 7. cap. 7.

5. *Alboacem Iben Mahumet, Albamar Iben Tarif, bellator fortis, vincitur Hispaniarum, Dominator Canallaria Gothorum, & magna litis Roderici, &c.* Et infrà: *Monasterium de Montanis, qui dicitur Lorbano, non pechet nullo pesante, quoniam bona intemione monstrant mihi loca de suis venatis, e facium Saracenis bonam acolbenzam: & nunquam inueni falsum, nec malam animam in illis, qui morant ibi: & totas suas hereditates possideant cum pace, & bona quiete, sine rixa, & sine vexatione, nec forcia de Mauris, & veniam, & vadam ad Colimbriam cum libertate per diem, & per noctem, quando melius velint, aut nolint; emant, & vendant sine pecho, tali pacto, quod non vadam foras de nostras terras, sine nostro aprazmo, & boie velle. Facta charta Æra de Christianis D.CC. LXXVII. secundùm vero annos Arabum C.LXVII. Luna XIII. Dubium.* Hactenus ibi.

6. Bernardus Brito, Lorbanenses Monachos, quandiu inter Saracenos, sanctitate claruisse vsque ad miracula, quæ in Barbaros etiam redundarent, sanato filio Reguli, cùm iam de eius salute desperaretur, memoriæ prodit [f]. Quippe virtute crescente inter pericula, atque vires sumente ab ipsis hostibus, permansit obseruantia vitæ communis, & quæ inde plerúnque aut oriri, aut ali solet, pietas singulorum, vsque ad tempora Ioannis, cuius auspiciis infideles de terra pulsos, Montem maiorem captum, (adde & Conimbricam) dum initia Zeicæ traderemus, commemorauimus. At, postquàm ea Prouincia Christianis cessit, & Monachis inter suos inhabitantibus secura omnia, & vita in tuto fuit, inductus sub indulgentiæ nomine luxus, & monasticæ disciplinæ rigor languescens primùm, mox penitùs solutus: ad vltimum protumpentibus in vitia publica, atque scandalo obnoxia, vnicæ Monachatus reliquiæ, nomen, & vestes, quas non tam retinebant, quam conspurcabant. Haud vlla vnquam tam sancta Regula fuit, quæ non exposita vitiis transgressorum; qui nisi statim ad viam reducantur, quo ab altiori culmine descendunt, maiori impetu solent præcipitari.

f lib. 6. Chronic. cap. 29.

7. Hoc Monasterium Tarasiæ Reginæ datum à Patre Sancio, cedentibus Monachis, qui, siue Regiam Maiestatem reuererentur, seu potentiam timerent, seu tandem conscientia propriorum criminum (qua nihil timidius) quam sibi debitam pœnam cognouissent, anteiuêre obsequio; necessitatem voluntariè præuenêre. Igitur Domo alia abs Rege accepta, vulgò, *de Pedroso*, ad quam transmigrarent, sponte se discedere professi sunt; & Tarasiæ, sociabúsque relinquere: quasi faciliùs per eas reparandis temporalibus damnis, quæ Monasterium sub ipsis passum esset. Extant, leguntúrque apud Authores Lusitanos & B. Brito lib. 6. cap. 30. litteræ Petri, Conimbricensis Episcopi, ad Iulianum, Abbatem, Monachósque, acceptantis eorum renunciationem. Itémque aliæ ad Tarasiam Reginam, eodem anno datæ, concedentis Cœnobium, vt in eo Sanctimoniales Benedictinæ iuxta Cistercij normam, instituerentur.

8. Tum accersito Abbate Alcobacensi, qui noui Monasterij Patrem ageret, Guta, seu Goda, quondam Tarasiæ nutrix, prouectæ iam ætatis, prudentiæque in Abbatissam; cæteræ (& erant multæ egregiæ Virgines, ex prima Lusitaniæ nobilitate) in Moniales, assistentibus Rege, atque Principibus, non sine lacrymis omnium dedicantur, mutuò probandæ simul & probatutæ: nullis aliunde adductis, quod sciamus, à quibus docerentur: fortè quia Gradefienses & Carricianas habuissent Magistras, à quibus dudum Cistercium imbibissent, dum in Regno Legionis demorarentur. Tarasia ipsa dotata abs Sancio Patre Montis maioris oppido, aliísque; spreta Mundi pompa, atque diuitiis, humile sagum induit ante alias, reseruatis de licentia Summi Pontificis, sic credere par est, annuis redditibus, in sui Monasterij restaurationem, atque alios pios vsus insumendis. Porrò, quæ hæc dissidia pòst attulerint, fratre Alfonso, post mortem Sancij patris, cupidè nimis inuadente sororis bona; neque Tarasiæ tantùm, sed etiam Sanctiæ, quæ pariter Cistercio seruabatur, suis temporibus, locísque reddemus.

9. Interim adnoto ingentem, qua Tarasia pollebat, authoritatem, tam apud Innocentium, quàm apud Patrem: vt & piissima inter Principes Christianos, & digna, cuius opem implorarent Summus Ecclesiæ Pastor, iudicaretur: neque solùm fauore profutura, verùm consilio. Extat epistola Pontificis ad ipsam pro Visensi Episcopo, in qua hæc inter alia [g]: *Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, charissimæ in Christo filiæ Illustri Reginæ Tarasiæ, Salutem, & apostolicam Benedictionem. Innotuit nobis fervor sinceræ dilectionis, quam erga Ecclesiam; & ecclesiasticas personas etiam supra alios Principes Christianos habere dignosceris. Vnde eo fidentius apud Celsitudinem tuam pro illis intercedimus; maximè autem pro Episcopis Lusitaniæ; quamò ipsam pro eis intercessionem, gratiorem tibi esse non dubitamus.* Et infrà: *Commendamus ergo Celsitudini tuæ Visensem electum, cuius nos electionem de consilio Fratrum nostrorum ratam habuimus, vt in suis, aut Ecclesiæ suæ casibus, si qua emerserint, fauore simul, consilióque promoueas taliter, vt & apud Deum misericordiam, propitiationémque, & à nobis laudes Magnitudini tuæ debitas, consequaris.* Hactenus epistola, quæ non minùs potentiam, quàm pietatem; & supra vtranque arguit iudicium fœminæ, cuius consilio vterentur etiam Episcopi, & pro quo ipse Innocentius interpellaret.

g apud Brandaon. lib. 2. cap. 29.

1. *Beati Ioannis de Monte-mirabili pretiosa mors,* 2. *& probata vtcunque ratio temporis.* 3. *Discordantia Gononij confutata.* 4. *Duæ visiones* 5. *præcedentes glorioſum tranſitum,* 6. *in Longoponte factæ,* 7. *Alia in Northmania.* 8. *Funus, atque elevatio Corporis ſacri,* 9. *& miracula in ipſa elevatione* 10. *extenſa ad plurimos:* 11. *nec minora per os inde translatum:* 12. *& variæ aliæ geſtæ eiuſdem Sancti.*

CAPVT V.

1. PRETIOSAM mortem Venerabilis Ioannis Montis-mirabilis, quondam potentis Reguli, mox humilis in Longoponte Monachi, quem ſuprà memorauimus, quanuis multi anteponant, alij differant, in hunc annum, aut circa incidiſſe, teſtimonium Vualteri Abbatis mihi perſuadet, ſub quo Habitum ſuſcepit, ex quo viuente, ex hac vita migraſſe dicitur, antequàm ad Ciſtercium ex Longoponte, ex Filia ad Matrem, atque in totius Ordinis caput promoueretur. Porrò teſtimonium, quod nobis ex antiquo Manuſcripto Longipontis dudum tranſmiſſum, pòſt vidimus vulgatum ab Henriquez in Menologio, [a] tale eſt: *Teſtimonium Domini Vualteri de Ocbies, Abbatis Longipontis, qui Habitum Religionis S. Ioanni de Monte-mirabili dedit in die Aſcenſionis: & quo adhuc viuente Sanctus Ioannes migrauit ad Dominum: & pòſt idem Galterus aſſumptus eſt in Abbatem Ciſtercij.* Sub finem autem hæc habet verba: *Vnde ſecundum teſtimonia Scripturarum indubitanter credimus, eum aſſumptum in atria Domini, ſimilem factum in gloria Sanctorum. Tranſiit autem tertio Kalend. Octobris, die Sanctorum Angelorum, hora dici prima, anno Incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo.* Hactenus certius teſtimonium de morte viri.

[a] Septembr. 29.

2. Sed nihilominùs non omninò irrefragabile: quippe Vualterus non ante ad Ciſtercienſem Præfecturam aſſumptus eſt, quàm Conradus, qui illum anteceſſit, ad Dignitatem Cardinalitiam promoueretur, adeóque poſt annos, vt minùs, decem, & nouem. Quòd ſi adhuc præfuiſſet Longoponti, cùm Ioannes obiit, expreſſiſſet haud dubiè: ſicut expreſſit de ſuſcepti Habitus tempore. Quid, quòd nonnulla narrantur de Ioanne, quæ poſteriora hoc anno eſſe videntur? At Benedictus Gononius Cœleſtinus, qui noſtro ſæculo eiuſdem Sancti Viti, in Vitis Patrum Occidentis acta vulgauit, deſumpta, vt ait, ex quodam Manuſcripto ſui Cœnobij, longè antiquiorem eundem Sanctum facit, quippe Bernardi Parentis diſcipulum, & qui ipſo fundante Longumpontem, eius Domus initia in Probatione; mox etiam Monachus, & demum factus Abbas, incrementa, & progreſſus conſecrauerit. Qui, & poſt alia, concludit in hæc verba [b]: *Demum Beatus Ioannes ſanctitate, & miraculis conſpicuus, circiter decimoquarto ab obitu D. Bernardi anno, ſenio grauis apud Longipontis Cœnobium ex hac vita migrauit, cuius è tumulo liquor inſtar Lactis candidi, poſtea ad aegrotorum medelam manauit. Et nunc etiam die feſto eius abundanter emanat. Vnde multi aegroti, & obſeſſi ſanantur.* Hactenus ibi.

[b] In Vita ipſius.

3. Subdit, & in eorum, quæ ſcribit, confirmationem, vnde hauſit, exemplar, his planè verbis [c]: *Librum autem Vitæ eius aſſeruari didicimus in Monaſterij Cœleſtini Sueſſionenſis Bibliotheca, qui liber ducenta folia continet. A quodam autem Monacho eiuſdem Monaſterij hoc fragmentum recepi.* Hæc ille, quæ ſi vera eſſent, incidiſſet Venerabilis Viti mors in annum M.C.LXXVII. plùs, minúſve, altero ab obitu Aildredi Rieuallenſis, adeóque ante hunc tres, & triginta. Sed neque Ioannes à probato aliquo Authore Abbas aſſeritur, nec inter eos, qui Longoponti præfuerant, commemoratur, nec quæ de eo dicuntur in eius Vita, quam ex proprio Cœnobio Longipontis Fiterienſi tranſmiſſam, adeóque præferendam, apud me habeo, Bernardi tempori poſſunt adaptari. Verum eſt, nullum in ea tempus præfigi, nec conuerſioni viri, nec obitui: vnde ad ſolum Vualteri teſtimonium recurrendum cenſuimus; tum ad ea, quæ dicuntur de Sancto Viro, quæ proculdubiò huic tempori, quàm anteriori meliùs aptantur. Vita ipſa diſtincta eſt tribus libris, in quorum primo, geſta eius in ſæculo; in ſecundo, quæ geſſerit iam Monachus; in tertio tandem pretioſa Viri mors, & poſt mortem, miracula narrantur. Ex his nos aliqua hoc anno, quem prætulimus, (nam neque omnia poterimus,) reddemus.

[c] ibid.

4. Diſſentientes Authores in anno mortis B. Viri Ioannis, nihilominùs in die, & hora conueniunt: illo dicato Archangelo Michaëli; hac die prima, cùm Oriens Sol vniuerſum luſtraret Orbem, & velut faces præferret funeri ſacro. Inſtante tempore tranſitus glorioſi, coronandum in Cœlis, æternus ille retributor operum, præmiorum largitor, in terris etiam voluit manifeſtare, tum per reuelationes, tum per miracula: illas, ante, & poſt mortem Viri Dei: hæc adeò crebra ad eius ſepulturam, vt exæquaret curatorum numerus, numerum languentium, & priùs ægri miraculoſis ſanitatibus, quàm miracula ægris deeſſe comprobarentur. Referam ex reuelationibus nonnullas; ex miraculis pauca: vtraque autem eiſdem Actorum verbis, quæ Author Sancto coæuus concinnauit. Ergo, quæ Sancti obitum præceſſit Priori Hugoni facta reuelatio, viro deuoto, & pio, nec multò pòſt eiuſdem Domus Abbati, talis fuit [d]:

[d] lib. 3. cap. 13

5. *In Vigilia Sancti Michaëlis (cuius dies feſtus fuit tranſitus humilis Ioannis de Monte-mirabili) talis viſio Domino Hugoni, qui tempore illo Prioratus officio fungebatur, apparuiſſe aſſeritur manifeſtè. Ipſe quidem Prior, cùm vigiliis interfuiſſet, & paruus ſoporì laſſatos oculos acclinaſſet; videbat, quòd totus Chorus pſallentium Monachorum candelis igneis non paucis reſplenderet: in medio autem tot luminarium, quidam erat cereus cæteris procerior, cæteris ſplendidior, totum Chorum ſuis ſplendoribus clarificans, & illuſtrans. Priori verò, qui poſtmodum extitit Abbas Venerabilis dicti loci, videbatur, quòd ille maior cereus cum ſuo ſplendore ſuperiùs aſcendebat, ſuperiorémque Oratorij teſtudinem penetrabat, nec vlteriùs comparebat. In cuius aſcenſu dictus Prior plurimùm contriſtabatur. Nam in omni Choro obſcuritatem nimiam relinquebat, ita quòd in candelis cæteris ſplendor admodum exiguus remanſiſſe videretur. Tunc à ſomno ſuo Prior excitatus cogitare cœpit, quid viſio talis exprimeret: ſed, cuius rei foret indicium, penitùs ignorauit, quouſque cùm in eadem die Miſſarum ſolennia celebraret, pro Dei ſeruo Ioanne tabula pulſaretur. Tunc primùm occurrit*

eius

eius memoria visio præmissa, intellexitque, per cereum superiùs ascendentem, Spiritum Ioannis certissimè figurari.

6. Hæc prima visio præcedens obitum Sancti, quam tamen alia immediatè sequuta est, subiecto, quàm obiecto magis ab ea differens [c]: *Sub eodem temporis intervallo, dum canerentur Laudes, Vigiliis celebratis, quidam Conversus, nomine Girardus visionem ferè consimilem perhibet se vidisse. Videbatur enim eidem Converso, quòd utraque Chorus Monachorum, & Conversorum cereis immensis refulgebat; & in medio cereorum illorum, quidam cereus longior, atque sublimior supereminebat. Dum ita cerneret Conversus præfatus, visus est ei homo quidam reverendi vultus ab alto descendere, cuius forma talis esse videbatur, qualis à pictoribus in vitro depingi solet Domini nostri imago, qui maiorem cereum apprehendens, statim ipsum elevabat in cœlum. Dictus verò Conversus pro cerei absentia plurimùm contristatus, eò quòd Ecclesiæ claritas magna ex parte imminuta videretur, à sopore suo protinus est excitatus. Cereus igitur iste, sicut dictum est in alia visione, superiùs elevatus apertè denotat Spiritum humilis Ioannis, quem multis gratiis roborantem Iesus Christus, ad Civium supernorum consortia, ineffabili misericordia sublimavit.* Hactenus ibi.

[c] lib. 3. cap. 2.

7. Atque hæ visiones in ipso Monasterio, in quo Sanctus migravit, ante eius transitum. At in Northmania quædam Sanctimonialis egredientem iam animam à corpore, vidit ab Angelis in Cœlum deportari [f]: *Præterea* (tradunt Acta vitæ eius) *cùm in præsentia Abbatis Cisterciensis de Dei famulo Ioanne mentio fieret, his, qui præsentes aderam, virtutes eius, enarrantibus, Abbas quidam intererat, qui sic exorsus est, dicens: Mulier quædam sancta erat in partibus Northmaniæ, quæ cum cæteris virtutibus, quas habebat, crebris visitationibus, & revelationibus à Domino fovebatur: à qua cùm familiari colloquio de Sancti Viri Ioannis virtutibus requisissem, subintulit illa, & ait: Noveritis, Domine, quòd Vir ille Sanctus, qui fuit Monachus Langipontis, nobis familiarissimus habebatur. De cuius exitu taliter Dominus voluit ordinare. In Festivitate siquidem Beatissimi Archangeli Michaelis, cùm ageret in extremis, animam ipsius de corpore egressam, sicut ostendit mihi Dominus, Angeli susceperunt.* Hactenus in eo loco Acta Viri sanctissimi.

[f] lib. 3. cap. 21.

8. Corpus sacrum in terra sepultum primùm, mox signis crebrescentibus, decenter elevatum in muro Claustri. Portò in hac ipsius elevatione, mira quædam legunur contigisse, quæ non licet silentio præterire [g]: *Cùm corpus Venerabilis Ioannis de loco, in quo priùs fuerat inhumatum, ad alium decentiorem elevaretur, accidit adesse quosdam cessores lapidum, inter quos fuit quidam blasphemus. Cùm enim alij dicerent, quòd Sanctus in feretro locaretur, respondit dictus blasphemus, quòd nequaquam sic fieret; sed potiùs à Monachis Longipontis ipsius ossa exponerentur canibus ad rodendum. Quo dicto socij eius blasphemantem duriùs increpabant. Comminantes ei, quòd ex hoc divinam deberet incurrere ultionem. Eodem verò die circa noctem divina manus, quæ dictam blasphemiam præterire noluit impunitam, in membro, quo peccaverat, eam gravissimè flagellavit. Os enim eius, per quod blasphemaverat, in alteram partem deformiter est transversum, etiam intuitus sui propemodum lumine privatus. Ut cunctis cernentibus liquido constaret, quòd divina ultio punierat hunc blasphemum, in Dei servum Ioannem nequiter obloquutum. Hanc plagam tam deformem, atque cunctis cernentibus non minimum incutientem horrorem, ferè per mensem unum sustinuisse dignoscitur, in quo quidem spatio multas Sanctorum Reliquias visitavit; sed propter hoc non recepit aliquam sanitatem, quoadusque corde compunctus, semel, & secundò veniens ad tumbam Dei famuli Ioannis, ad contactum ossis unius memorati Sancti, de infirmitate sua ad plenum convaluit.*

[g] lib. 3. cap. 3.

9. Simile quid accidisse narratur cuidam Monacho, cui, sive ex familiaritate Sancti, contemptus, sive fortè ex virtutis æstimatione, omnia infra debitum; ad posterum, sive ex ignorantia, defectus leves, sine quibus, ne Sancti viuere valent, sanctitati officere videbantur: nam audi, quod sequitur [h]: *Supervenit etiam ibi quidam Monachus, cui cùm loqui non liceret, temere significare cœpit per signa sedes suprà monitas non debere amputari. Aliisque respondentibus, & dicentibus, hoc fieri ob reverentiam Domini Ioannis, minimè acquiescebat: sed signis contrariis rei gestæ detrahebat. Temeritatem cuius noluit Dominus impunitam præterire; sed voluit servi sui Ioannis monstrare merita. Eodem enim die intolerabili dolore cœpit Monachus cruciari, statimque præsumptionis suæ agnoscens reatum, ad memoriam Sancti rediit humiliato corde, & contrito, fundens preces, ut de ægritudine, quàm suis incurrerat meritis, eius orationibus reciperet sanitatem, & confestim doloris anxietatem, quam superba præsumptio meruerat, humilitas effugaret.*

h lib. 3. c. 5.

10. At, qui incredulos per morbos castigabat, vt ad fidem, pietatémque reduceret; devotos, atque in obsequium promptos fovebat [i]: *Cùm ossa servi Dei, de loco, in quo primùm posita fuerant, elevarentur in Claustro Monachorum, tumba ibidem in muro fabricata, Monachi improvidè ante eandem tumbam super sedes ligneas ad lectionem, more solito residebant. Quod cùm aliquibus videretur inhonestum, Monacho cuidam imperavit Prior, vt Conversum Carpentarium, Matibaum nomine, accersens, ad tumulum Sancti eum adduceret, quatenus coram illo memoratas sedes amputaret. Monachus igitur cùm ista Converso nunciasset, respondit ille, hoc libenter se facturum. Cúmque simul pergerent, & secum colloquerentur, inter cætera ait Conversus: Vtinam haberet tantum desiderium servus Dei Ioannes, precibus suis mihi à Domino impetrare sanitatem, quàm libenti animo ad honorem ipsius istud adimplere cupio mandatum. Ipse enim Conversus in pede gravis ægritudinis incommodo vexabatur. Qui cùm ad locum pervenissent, sedilia cœpit Conversus amputare. Necnon opere peracto, Deo gratias, (inquit,) & vero servo eius Ioanni, cuius intercessione de infirmitate mea convalui. Non sensit ab illa die angustiam, qua tempore non modico fuerat fatigatus.*

i lib. 3. cap. 4.

11. Longum esset miracula narrare, quæ ad Sancti Viri sepulcrum patrata sunt, cæcos, mutos, claudos, surdos, mancos, saluti redditos, apparitiones diversis viris factas, admonitiones, conversionésque, quæ plurimæ narrantur in eius Actis. Extat item processus iudicialis, in quo testes iurati multa deponunt, quæ in præsenti fastidium generarent [k]: *Cùm sacra eius ossa elevarentur, contigit, vt vnum ex ossibus ipsius, apud villam, quæ vocatur Pouties, deferretur; & ibidem cum honore debito servaretur. Cùm ergo innotuissent miracula, quæ ad tumbam Viri Sancti fiebant, convenit multitudo languentium in dicta villa; & loto osse famuli Dei, quod ibi custodiebatur, sacrosancti laticis haustu omnes curati sunt, à quacunque infirmitate tenebantur.*

k lib. 3. cap. 11.

12. Hæc satis nunc de Beato Viro Ioanne, quem inter Sanctos Cistercij memorant Martyrologium

mona

monasticum, ipsa, qua obiit die, vbi & Hugo Menardus, in suis Notis, ipsius vitæ epitomen inseruit, non eius, quæ extat apud Cœlestinos, ex qua Gononius; sed quæ apud Longumpontem, quam nos reddidimus. Menologium, & Aubertus Miræus eadem die. Extant Litteræ Gregorij Papæ IX. ad Episcopum, & Abbatem Sancti Victoris Parisiensis, super inquisitione vitæ, virtutúmque, & miraculorum Beati Viri Ioannis, in numerum Sanctorum adscribendi. Datæ Laterani, quarto Kalend. Iunij, Pontificatus illius anno decimo, quas in tempore dabimus. Nunc satis erit, easdem indicasse, ad alia properantibus, quæ specialiùs concernunt præsentem annum.

1 *Orig. monast. lib. cap.14.*

---

1. *Cadumiensis Cœnobij à Cistercio defectio, & reformatio.* 2. *Actum deinde de eius reformatione,* 3. *& vocato Abbate Pontigniacensi,* 4. *reuocata Cistercij disciplina,* 5. *quæ à Legato Sedis apostolicæ, dein ab Innocentio confirmata.* 6. *Eiusdem Papæ rescriptum ad Ioachimum,* 7. *& ad Abbatem Falera:* 8. *& Litteræ ad Episcopum quendam minùs modestum.* 9. *Demum diuersa causæ nostris iniunctæ.*

CAPVT VI.

1. SVB idem tempus Monasterium Caduini, siue Cadumij, Pontigniaco genitum circa annum M.C.XIX. fœcundum & ipsum: quippe quod Gondonium in Diœcesi Agenensi, anno M.C.XXIII. Bonam vallem in Pictauiensi sequenti anno, Sanctum Marcellum in Caturcensi, M.C.XXX. in Castrensi Ardurellum, M.C.XXXIII. & tandem in Burdegalésí Farsiam, vel Fasciam, M.C.XLVII. propagauisset: cùm impatiens strictioris obseruantiæ, declinans primùm, mox etiam descisceus, abiecisset Cistercium, & nostris ea iactura leuior foret, quàm si in Cistercio manens degeneratæ, non nisi per violentiam continendum: tandem, tangente Deo, fumigauit, atque ab igne cœlesti recalescens, vt filius prodigus, paternam repetiit domum, interuentu Innocentij, qui duos primùm Episcopos, Pictauiensem, & Petragoricensem, cum Petragoricensi Archidiacono, illuc misit, (Pictauiensem mandato mors exemit,) à quibus redditum Abbati Pontigniacensi, confirmante apostolico Legato Petro sactæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Diacono, tituli Sanctæ Mariæ in via lata. Demum, quod ab vtrisque factum fuerat, ipse postmodum gratum, & ratum habuit, Litteris datis super hoc negotio simul confirmatoriis, & historicis, quas, in totius rei gestæ clariorem lucem, præcedentibus censui subiungendas: sic autem habent[a]:

a in Regesto fol. 363.

2. *Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilecto Filio, Aimerico, Abbati Cadumiensi.*

Inter cæteras solicitudines, quæ nobis ex officio creditæ seruitutis incumbunt, animum nostrum solicitior cura perurget in eos, qui terrenas illecebras, sumendo Habitum Regularem, deberent penitus abdicasse, & obsequiis efficacius diuinis insistere, quos audimus esse inquinamentis malitiæ, atque dissolutionis vitiis irretitos, & ad eorum correctionem studium efficax, & promptam voluntatem nos conuenit adhibere. Nimirum, cùm per insinuationem tuam ad Apostolatus nostri audientiam peruenisset, zelo Dei conscientiam tuam, sicut credimus, excitante, quòd ab antiquo Abbatia Cadumiensis, non solùm Pastorem de Ordine Cisterciensi susceperit; sed etiam Habitum, & obseruantiam regularem, per quam, tam in corporalibus, quàm in spiritualibus, olim cœlestium donorum profecerat incrementis. Et tandem per quosdam indisciplinatos filios, voluntatis propriæ sectatores, qui ceruices suas indomitas ab illo iugo suaui, & salutari minùs licenter excutere præsumpserunt ad tanta dissolutionis miseriam, peccatis exigentibus iam deuenit, vt à malitia inhabitantium in ea, sicut etiam ex testimonio plurimorum didicimus, defectum minaretur pariter, & ruinam.

Propterea bonæ memoriæ A. Pictauiensi, & Venerabili Fratri nostro R. Petragoricensi Episcopis, & dilecto Filio Arnaldo, Archidiacono Petragoricensi, 3. *præcipiendo mandauimus, vt ad locum pariter accedentes, quidquid corrigendum inuenirent, tam in capite, quàm in membris, authoritate fieri apostolica, solum Deum habentes pra oculis, prauaricatione corrigerent, & Fratres ipsos diligentius commonentes, vt redirent ad Ordinem Cisterciensem, à quo formam Religionis sumpserunt, procederent ad emendationem ipsius loci, tam in capite, quàm in membris, prout expedire viderent; & quod statuerint, per censuram ecclesiasticam facerent firmiter obseruari. Conspirationes etiam, & vitium proprietatis penitùs extirpari, & Fratres, quos morientes in eo contingeret vitio deprehendi, Christiana sepultura carere. Adiectum fuit etiam, quòd si prædicti tres Iudices interesse non possent, reliqui duo præmissa exequi non differrent.*

Vnde prædicti Episcopus, & Archidiaconus Petragoricensis, 4. *sicut tenor Litterarum suarum nobis plenius intimauit, cùm dictus Episcopus Pictauiensis iam esset morte præuentus, ad tuum Monasterium accedentes, & intelligentes per famam publicam, Fratres eiusdem Monasterij, tam in propriis habendis, quàm in dissolutione vitæ suæ grauiter diffamatos, & eosdem propter nimiam dissolutionem, in qua erant, nimiùm obstinati, & admonitionem penitùs contemnebant, ad debitum Religionis statum, nullatenus aliter, nisi per Ordinem Cisterciensem posse reduci, adstantibus plurimis discretis viris, tam Clericis, quàm Baronibus, ad quos locus ille ratione fundationis dignoscitur pertinere, ipsum Monasterium Cadumiense decreuerunt ad Cisterciensem Ordinem reducendum. Et ipsum cum omnibus Abbatiis suis, Abbatiæ Pontigniacensi, præsente ipso G. Pontigniacensi Abbate, in perpetuum submiserunt: & quod ab eis statutum est, & decretum, dilectus Filius noster P. Sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis apostolicæ Sedis Legatus, sicut per suas Litteras nobis innotuit, authoritate sua Legationis postmodum confirmauit.*

Nos igitur tuis iustis postulationibus grate, & pio 5. *concurrentes assensu, quod ab ipsis Iudicibus, & prædicto Cardinali prouida deliberatione factum est, ratum, & firmum habentes, authoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Statuentes in prædicto Monasterio tuo, & aliis ei subiectis Cisterciensem Ordinem futuris temporibus inuiolabiliter*

inviolabiliter obseruandum, & eadem Pontiniacensi Abbatiæ, sicut superiùs est prælibatum, perpetuò deinceps fore subiecta. Decernimus ergo, &c. *Datum Laterani, X. Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.* Hactenus Innocentius in suis Litteris. Quibus constat cum Matre, deformes Filias cum eadem reformandas traditas fuisse G. Pontiniacensi, id est, Vtoredo Gerardo, eius loci Abbati nono in ordine: nam post Guarmundum, qui dudum obiisset, Petrus, Ioannes, Meinardúsque sequuti, nisi fortè G irrepsit pro alia littera. Certè Gerardum post non paucos annos ex Abbate Cœnobij Pontigniacensis ad cardinalitiam Dignitatem assumptum, suo tempore inferiùs memorabimus.

6. Hoc ipso anno consultus ab Abbate Ioachimo Pontifex Innocentius, super quibusdam quorundam professionibus, ante Habitus susceptionem factis, vrgente infirmitate, talem illi epistolam rescripsit [b]:

[b] *inter vulgatas anni antecedentis.*

Abbati de Flore.

Perrectum nobis ex parte tua petitorium continebat, quod Ioannes Canonicus Acheruntinus, infirmitate grauatus, votum, vt fieret Monachus, se asseruit emisisse. Vnde metuens, ne voto decederet non completo, iunctis manibus tibi se reddidit in Monachum, & in Fratrem. Alij quoque in absentia tua se se in Sacerdotum manibus Monachos fieri deuouentes, sani facti ad vomitum redierunt, & cùm familiares Monasterij tui antea extitissent, quia non fuerunt ad antiquam familiaritatem admissi, aduersarij facti sint, pro amicis. Vtrùm ergo talium facta dissimulare valeas, ne fiant deteriores, an compellendi sint, ad complenda promissa, per nos postulas edoceri. Nos ergo inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm Monachum faciat non Habitus; sed professio regularis, ex quo à conuertendo emittitur, & recipitur ab Abbate, vt talis fiat Monachus, & reddat Domino, quod promisit, erit vtique non immeritò compellendus. Ita Innocentius ad quæstionem sibi propositam: quippe ante Concilium, defectus Probationis professionem nequaquam annullabat. Quid verò modò in his, qui ex priuilegio in articulo mortis profitentur, Probatione non præuia, si superuiuant; adhuc subest Authorum opinionibus.

7. Sub idem tempus, subortam inter Episcopum Castellanensem, & nostros litem in Monasterio Faleræ, super defunctis in Ecclesiis Ordinis sepeliendis, taliter censuit Innocentius componendam [c]: *Vt Monachi* (Cistercienses) *nullum de cætero ad sepulturam recipiant, nisi sit eorum Oblatus, vel alius, qui secundùm institutionem Cisterciensis Ordinis apud eos valeat sepeliri. Porrò, tam de oblatis, quàm de aliis iussimus obseruandum, vt quarta testamentorum reddatur illis Ecclesiis, à quibus mortuorum corpora assumentur, nisi talis fuerit Oblatus, qui Habitum eorum susceperit ante mortem, vel antequàm infirmaretur, se offerens viuus, transeat ad eorum Monasterium tumulandus, fraudis omninò cessante figmento. Sicut ergo super his, quæ mandauimus, nullum Ecclesiæ volumus præiudicium irrogari: sic eidem Monasterio nullum grauamen inferre, saluis per omnia Cisterciensis Ordinis Institutis.* In hanc formam vtrique parti scriptum est, atque eadem decisio extensa pro toto Ordine.

[c] *ex Regestis lib. 3.*

8. Demum hoc ipso anno reprehensum ab Innocentio Papa lego Cisterciensem Episcopum, (nec constat, quis ille sit,) quòd contra sui Ordinis tenorem, & instituta, quin contra promissionem eidem Innocentio in Curia factam, fortè dum super confirmanda, aut informanda electione litigaretur, laxiori victu, & vestitu vti auderet, quasi promotus ad Episcopatum, Monachum exuisset, quod Pontifex non censuit dissimulandum. Litteræ (nam neque inter vulgatas, quas ego saltem vidi, circumferuntur) citantur hîc à Bzouio in suis Annalibus [d]: *Aliquis*, ait, *ex Ordine Cisterciensium ad Episcopatum assumptus, per id temporis obseruantia regularis oblitus, picturata sella, & chirotbecis fericeis vtebatur, amplo galero caput tegebat, & carnibus vsque ad saturitatem publicè vescebatur. Reprehendebat illum Innocentius Papa, quòd is religiosas consuetudines, & obseruantias reiecisset; maximè cùm & pontificalis Dignitas eum à voto non absolueret, & ipse in recessu suo à Curia eorum Cardinalibus sibi spopondisset, se nunquam à ratione viuendi, ex Regula Sancti Benedicti præscripta recessurum.* Hactenus Bzouius.

[d] *Bzouius ad hunc an.*

9. Extant & aliæ causæ nostris commissæ circa hoc idem tempus, quas recensere superuacaneum foret. In Lusitania Abbatibus de Alcobacia, de Salceda, de Mazanaria, de Zeiza, & de Burio, in causis Hospitalariorum, Templariorum, Canonicorum Sanctæ Crucis Conimbricensis; in qua etiam Prioti Alcobacensi multa iniuncta, & Fratribus Menendo, & Petro Fradiz, eiusdem Domus Monachis, haud dubiè scientia, & zelo præeminentibus. In Castella Abbati Saltus Noualis, & Priori Morerolæ, in causis Episcoporum Lucensis, & Legionensis, & Monachorum Nigrorum Sancti Facundi. In Gallia Abbatibus de Firmitate, de Tulley, Francharum Vallium, Vallisque Richerij, & Boscoduni, nunc in aliorum negotiis, & nunc in suis. In Italia Abbati de Cerreto, vt Mediolanensem Cletum componeret, super soluendis Legatorum procurationibus. In Belgio item Gerardo de Rupeforti: nam is tunc erat Abbas Aureæ vallis, pro defensione quorundam Canonicorum: cui etiam aliæ causæ antè commissæ, quarum meminit idem Innocentius in Litteris datis ad Episcopum Pictauiæ [e]: *Quod cùm olim in Monasterio Sancti Maxentij inordinata existerent per bonæ memoriæ Vvillelmum Episcopum, & dilectum filium G. tunc eleemosynarium Cellensem, nunc Abbatem Aureæ vallis, Indices à Sede apostolica designatos, fuerunt quadam pro reformatione eiusdem Monasterij prouidè constituta*, &c. Demum in Germania Venerabilibus Hermanno, Geruardóque Hemmenrodensi, atque Heisterbacensi Abbatibus, quædam alia negotia iniuncta legimus; sed, in quibus non licet immorari.

[e]

1. Ioachimus Abbas scriptis suis præcauens 2. scribit epistolam, 3. qua omnia iubet corrigenda Ecclesiæ tradi: 4. Ideò immunis à nota suæ doctrinæ: 5. alia eius præcautio aduersùs æmulos. 6. Ordines Mendicantes prædicit, 7. & quanto tempore. 8. Quid de Prædicatoribus, 9. quos suis commendauit, 10. & quàm specialia de ipsis annunciauerit. 11. Atque item de Minoribus, 12. neque minùs de Eremitis Augustinianis.

CAPVT VII.

1. IVVRI præscius, qua opinione pollebat per totum Orbem, an hominem se labilem, & errori cuicunque obnoxium noscens Ioachimus Abbas, cùm multa iam scripsisset, & plura adhuc in dies meditaretur, quæ seu reuerà discordare à fide posse, seu ab æmulis inuerti non dubitaret; maximè sub obscuro sibi stylo, eóque exposito, vt in varios sensus forte, & contrarios, ab aliis retorqueretur: ne vnquam posset Ecclesiæ suspectus esse, quam Matrem, quam Magistram veritatis, quam Spiritus Sancti organum prorsus indefectibile ad discernendas, asserendasque res fidei venerabatur; dictatis hactenus, dictandisque à se libris præcautionem adhibuit, quam eis omnibus voluit anteponi. Præsentauerat iam Concordiam Summo Pontifici, ab eo corrigendam, si quid forte inueniret, quod dissonaret; reliqua, si liceret, præsentaturus. At, quia vergens in senium, verebatur, ne omnia non posset, dum adhuc viueret, præsentanda obtestatur, vel post mortem à suis filiis, correctionem pro ipso subituris. Atque ecce exemplar illius protestationis, quæ à Francisco Peña [a], aliisque vulgata hæc habet verba:

[a] *lib. 1. in Hieremiam, schol. 1.*

2. *Vniuersis, quibus Littera ista ostensa fuerint, Frater Ioachim dictus Abbas de Flore, æternam in Domino Salutem.*

Sicut ex Litteris Domini Papæ quondam Clementis, quæ apud nos sunt, percipi potest: ex mandato Domini Papæ Lucij, & Domini Papæ Vrbani visus sum aliqua scriptitasse; & hucusque, quod occurrit ad gloriam Dei, scriptitare non desino. Denique librum Concordiæ quinque voluminibus comprehensum, expositionem Apocalypsis VIII. partium titulis insignitum, Psalterium decem chordarum tribus voluminibus incisum, prout Deus melius inspirauit, & facultas ingenij affuit, ad consummationem conduxi; præterea, quæ in paruis libellis, seu contra Iudeos, seu contra Catholicæ fidei aduersarios comprehendi: & dum sum in hoc corpore præseruatus ad ædificationem fidelium Christi, & maximè Monachorum, dare operam non postpono. Quia verò pro angustia temporum non potui hucusque Opuscula ipsa, præter librum Concordiæ apostolico Culmini præsentare, vt ab eo corrigerentur, si qua ibi (quod non abnuo, etsi mihi conscius non sim) occurrerint corrigenda; & incertus est homini numerus dierum suorum, si me contigerit prius egredi ex hac luce, quàm possim, secundùm quod accepi in mandatis: siquidem ea conditione suscepi dictanda, vt omnes quidem libros ei, cui datum est omnimodè Magisterium, præsentarem.

3. *Rogo ex parte Dei omnipotentis Coabbates meos, & Priores, & cæteros Fratres metuentes Deum, & ea, quæ posse videor, authoritate præcipio, quatenus præsens scriptum, aut exemplar habentes secum, ac si pro testamento Opuscula, quæ hactenus confeciſſe videor. Et si quid me de nouo vsque ad diem obitus mei contigerit scriptitare, quàm citiùs poterunt, collecta omnia, relictis in salua custodia exemplaribus, apostolico examini repræsentent, recipientes ab eadem Sede, vice mea, correctionem, & exponentes ei meam circa ipsam deuotionem, & fidem. Et quòd ea semper paratus sim, quæ ipsa statuit, vel statuerit, obseruare: nullámque meam opinionem contra eius defendere sanctam fidem: credens ad integrum, quæ ipsa credit; & tam in moribus, quàm in doctrina suscipiens correctionem eius abiciens, quod ipsa abiicit; suscipiens, quod suscipit ipsa: credens firmiter, non posse portas Inferi prænalere aduersùs eam, etsi ad horam turbari, & procellis agitari contingat, non deficere fidem eius vsque ad consummationem sæculi. Hoc scriptum feci ego Ioachim Abbas, & propria manu roborani, anno Dominicæ Incarnationis M. CC. & sic me tenere confiteor, sicut in eo continetur.* Hactenus Venerabilis Abbatis protestatio, vt loquitur Peña, siue epistolâ appellare mauis, seu testamentum.

Porrò hæc eius præcautio in causa fuit, vt quanuis posteà in Lateranensi Concilio quidam ab eo, in Magistrum Petrum Lombardum libellus conscriptus, apostolica authoritate condemnaretur; nihilominùs in Authorem nihil, nihil in Monasterium sanctum sit, eam rationem reddente Summo Pontifice [b]: *Maximè cùm ipse Ioachim omnia scripta sua nobis assignari mandauerit, apostolicæ Sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia: quæ (disponente Domino) cunctorum fidelium Mater est, & Magistra.* Ita Innocentius. Sed, & qui ei immediatè successit Honorius III. ad Archiepiscopum Cossentinum scribens, hæc habet verba [c]: *Quia tamen idem Ioachim omnia scripta sua Romano mandauit Pontifici assignari, apostolicæ Sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter est confessus, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ (disponente Domino) cunctorum fidelium Mater est, & Magistra, Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publicè nunciari, quòd eum virum Catholicum reputamus,* &c. Sed hæc in tempore fusiùs declarabimus.

4. [b] *in c. Damnamus. de Sum. Trinit. & Fide cathol.*

[c] *apud Aimericum idem schol. 1.*

Interim adnoto Ioachimi præcautionem, quod satis clarè ex ipsa constare potest, ita ad proprios errores respexisse, quibus se obnoxium fore non dubitabat, vt nihilominùs æmulos attenderet, queis nec post mortem caruit, si vellent, facilè exemplaria depraua turos. Vnde & prototypa salua custodiri notanter præcipit, vt eisdem collata, quæ proferrentur, à suppositis, si quæ forte irrepsissent, faciliùs possent, & certiùs vindicari. Quod vtrùm factum in Concilio sit, an incuria Filiorum prætermissum, quæ socordia hæredes plerunque tenet, etiam officiosos, seu forte in ipsa damnationis [illegible] consilium fugit, affirmare non ausim, cùm ab antiquis prætermissum omninò videam. Sunt [illegible] notatione dignum putent adhibitam a [illegible] cautelam sub eodem Pontifice, a [illegible]

5.

post mortem notandus foret. Velut, qui præscius euentuum futurorum, tacuisset sub aliis, à quibus nihil sibi timendum esset. At vbi venit Innocentius III. cuius sese iudicium subiturum præcognouisset, ab ipso initio illius Pontificatus adhibuisse cautelam, etsi non ante finem profuturam. Ego in miraculis, & in prophetiis ea solùm admitto, quæ non potuerunt aliter contingere. Cùm tamen hæc præcautio, aut casu fieri tempore Innocentij, aut probabili coniectura periculi sub eo magis instantis, adscribi possit.

6. Sub idem tempus, quanuis sint, qui anteponant, sint & qui differant, idem Venerabilis Abbas (quod neque casui tribuas, nec coniecturæ) duos instantes Mendicantium illustres Ordines dicitur prædixisse, Prædicatorum, nimirum, atque Minorum: adeò clarè, & distinctè, vt nisi raptum ante vtriusque ortum constaret, præterita, quàm futura magis loquutum haud immeritò cunctis videri posset. Certè instituta, & leges peculiares, atque vtriusque Familiæ vestes, & Habitum, quin genus hominum, per quos instituendæ, tum verbo, tum scripto delineasse, picturáque, Scriptores affirmant vtriusque Ordinis. Nisi, quòd tamen (nam & id fatebor) eorum aliqui, dum nimiùm Prophetiæ fauere curant, falsa intermiscent, eóque paulisper eneruant Historiæ fidem. Certè quod Guillelmus Pepinus, & Sedulius (Author Sermonis XVI. extraordinarij) apud Bernardum Senensem, prophetatum affirmant de his Ordinibus à Ioachimo Abbate, centum ante annos ab ortu conditorum; nempe, Sanctorum Francisci, atque Dominici, manifestè repugnat; cùm ne Ioachimus natus circa id tempus. Cæterùm verè de illis prophetasse, ferè viginti annis, antequàm essent, cùm adhuc de eorum institutione, ne ipsi quidem Sancti cogitassent, nequaquam potest in dubium reuocari. Quippe in Concordia, quam iam hoc anno scripserat, hæc habet [d]: *Erunt duo viri, vnus hinc, alius inde: qui duo Ordines interpretantur, vnus Italus, & alter Hispanus*, &c. Portò, dum hæc Ioachimus scribebat, Dominicus, & Franciscus, aut nondum nati, aut neuter ex ephœbis saltem excesserat.

d ::::

7. Hinc corrigendus venit Gabriel Barrus, qui longè adeò posteriora facit hæc vaticinia, vt rationem penè talium amittant: quippe incidentia in annum M. CC. XIII. hoc est, triennio ante Ordinis Prædicatorum confirmationem. Verùm, quæ in Concordia continentur, necesse fuit præcessisse, vel hunc annum, nempe, millesimum ducentesimúmque, vtpote in quo testatur idem Ioachimus, Concordiam se iam dudum præsentasse corrigendam Summo Pontifici. Rursùs picturas, si ipsius iussu, atque ipso viuente factæ sunt, antecessisse vt minimum annum ducentesimum vndecimúmque supra millesimum, non minùs manifestum Lectori fiat, cùm eo anno iam viuere desiisse, testimonio Innocentij comprobabimus: vt quantumcunque differre rem velimus, biennio anticipemus: adeóque ipsam Ioachimi Prophetiam eò magis distantem ab euentibus ipsis inueniamus. Sed ipsum Barrum loquentem proferre præstat [e]: *Pleraque*, ait, *est vaticinatus, quorum multa adimpleta sunt, cætera adimplenda supersunt. Nam, & Græciam ob perfidiam in Romanam Ecclesiam, gentibus dandam, & Prædicatorum, ac Minorum Ordinis initiatores mox futuros, quin etiam in ianuis Ecclesiæ prædixit. Et quidem cum hæc præfaginit, ipsi in Mundo erant; sed qui futuri essent, ignoti: Ordines autem initiarunt paucis pòst annis, quàm ille prædixerat, vtpote D. Dominicus tribus, D. Franciscus nouem. Quos vel Venetiis in D. Marci delubro, quod Salomonis Templi instar fieri cu-*

e in Vita Ioachimi.

rauit, effingi fecit. In cuius pauimento, parietibúsque, ac fornicibus, testudinibúsque simulacra alia pleraque effigiata emblemate, vermiculatoque opere, futura protendentia, quæ in dies exitus comprobat, formari, atque effingi fecit. Sic Gabriel Barrus: vbi non solos sanctos Patriarchas; sed & alia futura à Ioachimo descripta ibidem tradit, quæ non minùs euentus comprobasset.

8. Confirmant vtriusque Ordinis Authores, & quidem graues; neque minùs antiqui, quàm recentiores. Nam primò quidem in Chronico Magistrorum Generalium Ordinis Sancti Dominici sic scriptum lego [f]: *Venerabilis autem Abbas Ioachim, Florensis Ordinis Institutor, Fratribus suis Habitum, quem dictus Magister Reginaldus, a Beata Virgine acceperat, Prophetiæ dono demonstrans, in quodam Monasterio sui Ordinis, quod est in Calabria, depingi, & etiam in Ecclesia Marci Venetiarum vermiculato emblemate fieri fecit, dicens: Citò surget in Ecclesia Dei nouus Ordo docentium*, &c. Addit Humbertus in Vitis Fratrum Prædicatorum [g]: *Ioachimus etiam Abbas, & Institutor Florensis Ordinis, de ipso Prædicatorum Ordine, in multis libris, & multis locis scripsit, etiam describens Ordinem, & Habitum; & monuit Fratres suos, vt post mortem suam, cùm talis Ordo exurgeret, susciperent eum deuotè. Quod fecerunt, recipientes Fratres cum Cruce, & processione, quando primò venerunt ad eos.* Eadem ferè Sanctus Anthoninus, Theodoricus de Apoldia, aliíque, quos longum esset in præsenti commemorare.

f apud Binarium in Apolog. paragr. 6. num. 5.

g ad annum 1216.

9. Sed, qui rem cæteris altiùs repetitam, Stephanus de Salanacho nobis reliquit, vnum pro multis in medium proferre libet [h]. *Hunc*, ait, *Beatum Patrem Dominicum, quasi præsentem obtulit facto, & verbo, Venerabilis Abbas Ioachim, Florensis Ordinis Institutor. Facto quidem, quod Habitum, non quem primo, vt Canonicus Regularis Sanctus Dominicus tulit, sed, quem à Beata Virgine per Fratrem Reginaldum iniungente recepit, Fratribus suis ostendit, & in quodam Monasterio Ordinis sui in Calabria depinxit, dicens: Citò surrecturus est in Ecclesia Dei Ordo nouus docentium: cui præerit vnus maior, & cum eo, ac sub eo eorum, duodecim præfatum Ordinem regentes: qui, sicut Patriarcha Iacob cum duobus filiis ingressus est Ægyptum; sic ipse cum illis duodecim in illo Ordine pòst ipsum, maioribus ingredietur, & illuminabit Mundum. Cum venerit, illos cum honore excipite. Quod facium, & fecerunt. Nam, quando primò Fratres venerunt ad eos, exierunt eis obuiam cum Crucibus, & cum canticis spiritualibus, & in omnibus locis suis ipsos, sicut Fratres proprios, exhibent, & pertractant.* Hæc Stephanus

h apud Maluend. ibid.

10. Thomas de Maluenda hunc locum ad verbum reddens, eiusdem etiam adducit explicationem ex Iacobo Susato, quod attinet ad duodecim Regentes: nam cætera profectò clariora sunt, quàm vt aliqua indigeant explicatione. *Iacobus Susatus* (inquit [i]) *duodecim illos Maiores Ordinis nostri, intelligit duodecim Prouinciales, duodecim Prouinciis Ordinis impositos, qui numerus in Capitulo Generalissimo Parisiis, an. M. CC. XXVIII. statutus, diu postea mansit.* Hæc ille de duodecim Regentium declaratione. Pergit deinde de Ioachimo plura scribere, quæ aut suprà à nobis dicta, aut suis singula locis dicenda erunt. Atque hæc quidem de Prædicatoribus. Nisi quòd tamen in æde D. Marci, quæ summa est in Vrbe Venetiarum, non secus ac Franciscum, de quo statim, Beatum Dominicum ab eo etiam depictum musiuo opere, iidem Authores constanter asseuerant.

i in Annalib. Prædicator.

11. Nunc de Francisco, & sacra eius Familia, quid scripserint Authores, proferamus. Et quidem Robertus

de Licio, Episcopus Aquensis, grauis Author, non solùm eum a Ioachimo depictum ad Sanctum Marcum, in proprio Habitu suæ Religionis, verùm & insignitum stigmatibus Dominicæ Passionis, quibus posteà donandus, atque ex quibus noscendus, memoriæ prodit [k]: *Depingi eum fecit*, ait, *in Ecclesia Sancti Marci Venetiis, cum stigmatibus super ostium Sacristiæ, sicut hodierna die cernentibus patet.* Stigmata suppressit Petrus Radulphus; sed non picturam. Addítque fieri iussam à Ioachimo adhuc ante Beati Francisci natiuitatem [l]: *Ante Sancti huius*, scilicet, Francisci, *exortum, Abbas Ioachim Florensis, vir sanctitatis eximiæ, & spiritu Prophetiæ conspicuus, in Æde D. Marci Venetiis depingi fecit*, &c. Subdit autem & carmen non inelegans, de hac ipsa effigie Patris Seraphici:

Atque prius fuerat, quàm mundo exortus, in Æde,
Quæ Marci titulo nulli toto Orbe secunda est,
Extat apud Venetos, longis expressus ab annis.

Sed de his plura qui videre volet, consulat Reuerendum Patrem, mihique colendissimum Lucam Vvadingum, in suorum Annalium apparatu, qui, vt pleraque alia, non solùm grauiter; sed etiam eruditè, & qua pollet, pertractat authoritate. Atque hæc de hac duplici Familia, cantata multis. Verùm,

§ 2. Vt duos Ordines Prædicatorum, & Minorum, post eius obitum Orbi exorituros, sic & Eremitarum Sancti Augustini paulò pòst innouandum; & quidem meo, imò Antonij Possevini iudicio, clariùs prædixit, saltem satis aperta Propheria, quam videmus insertam ipsius scriptis. Quippe ad caput XII. Apocalypsis, quod iam ante hunc annum etiam scripserat, vt constat ex ipsa eius protestatione, hæc verba ab eo (propheticè, aut dubiè) scripta leguntur: *Surget Ordo, qui videtur nouus, & non est: induti nigris vestibus, & desuper zona pellicea, qui erit Ordo Eremitarum*, &c. Quibus verbis nihil clarius dici potuit. Quippe Ordo antiquus in Ecclesia, adeò tunc nouus cœpit apparere, vt Ordines Prædicatorum, atque Minorum, etiam nunc antiquiores iudicentur, & præferantur loco. Porrò nigra cuculla, zonáque, adeò Religionis huius sunt, vt nulli alteri quadrent, siue quòd nulla alia, qua insignitur, cucullam adstringat cingulo, siue quòd ipsam zonam (corrigiam vocant) velut proprium insigne, indulgentiis, & gratiis cumulatam, (non secùs atque alij scapulare,) & Religiosi præferant, & sæcularibus sibi addictis tradant: quod hodie frequens. Mitto, quæ alij ab eodem Abbate scripta, de aliis recentioribus Ordinibus interpretantur: neque reuerà ineptè: quanuis non negem, stylum obscuriorem hominis per ambages semper loquentis, & circuitus varios, & salebrosos: vt dum nihil clarè dicit, innuat omnia, & variis pateat interpretationibus, siue diuinationibus, facilè in quoscunque sensus pro interpretantium arbitrio pertrahendus. Sed de his satis. Nunc, quæ eidem Abbati Ioachimo, cum Cyrillo euenêre, & quanto ab ipso in honore habitus sit, ex vtriusque scriptis, atque etiam aliorum Authorum proferamus.

[k] *Serm. 45. de Sanctis.*

[l] *in Historia Seraphic.*

---

1. *Proposita materia præsentis Capitis.* 2. *Cyrilli visio, atque tabulæ argenteæ de Cœlo missæ.* 3. *Consultatus Ioachimus*, 4. *epistola familiari*, 5. *sed reuerentia plena ad eum scripta.* 6. *Epistolæ Prototypon:* 7. *& Ioachimus Cyrilli iussis obediens*, 8. *atque ad ipsum remittens, quam concinnasset*, 9. *Oraculi cœlestis expositionem.* 10. *Demum epistola ipsius ad Cyrillum.*

CAPVT VIII.

§. 1. HOc idem tempus, aut certè paulò antiquius, (nam Cyrillus hoc anno translatus dicitur,) concernere videntur epistolæ Cyrilli ad Ioachimum, & Ioachimi ad ipsum cum cœlesti Oraculo ad eundem Cyrillum misso per Angelum, & Ioachimiana illarum expositione, quæ inter Opera vtriusque recensita opinionem Ioachimi, veneratiónémque, etiam à Sanctis viris valdè commendant: sed & ipsius Historiam concernentes, ægrè possent à nobis pertransiri. De epistolis, & Oraculo transmisso, dubium nullum, quippe quæ inter Opera Ioachimi hodiéque extant, ex quibus nos fragmenta statim dabimus. De præcedentibus mira referuntur, quæ quia maiorem, tum eidem Oraculo, reuelationíve, tum Ioachimianæ illius explanationi, (cùm præsertim ad eam Venerabilis Abbas non vltrò se ingesserit; sed à longè quæsitus, rogatúsque, idque à Viro sanctissimo) conciliare videntur authoritatem, breuiter nobis venient perstringenda.

2. Ergo Cyrillus, natione Græcus, patria Constantinopolitanus, professione Carmelita, & tertius Generalis, vt ferunt, eiusdem Ordinis, antequàm per apostolicam Sedem approbaretur, doctrina, & pietate insignis, ac spiritu Prophetiæ illustris, fama vulgante, per totum Orientem; quinimò & Occidentem peruagante, celebrabatur. *Adeò*, ait Episcopus Equilinus, *corde deuoto, & mente pura, contemplationi vacabat, vt sæpiùs angelico foueretur aspectu, & diuinis reuelationibus illustraretur.* Pulchrè de eo Baptista Mantuanus, ex eadem & ipse Familia Carmelitana [b]:

[a] *De Sanctis nouiter canonizatis c. 3.*

[b] *in Fastis mense Martio.*

Non mora longa fuit, Diuûm consortia nactus
Euasit diuinus homo.

Die quadam (pergit Petrus Equilinus [c]) *huic* (id est, Cyrillo) *Missarum Solennia celebranti, in nubecula Angelus apparens virgam, & duas argenteas tabellas litteris Græcis, futuri statum sæculi continentes, attulit, sic loquens: Has tabulas misit tibi Deus omnipotens, tanquàm familiari suo, & fideli præconi; & cùm Sacramenta compleueris, has Scripturas transcribe in membrana: post hæc constans tabellas, formabis eas in Calicem, & thuribulum ad libanda, & adolenda in ara Sacrificii matutini: quas acceptas cum gratiarum actione, & reuerentia non modica, Cyrillus vir sanctus, conuocatis Fratribus, iuxta præceptum Angeli transcriptas constauit.* Hactenus reuelatio Cyrillo facta; illusioni phantasiæ, qua non semel laborare solent etiam Sancti, eò minùs exposita, quòd per tabulas ipsas, post visionem relictas in Altari, comprobabatur.

[c] *vbi suprà.*

3. Nescio quid latet in mentibus humanis Diuinitatis æmulum, quo & dominari, & futura nosse desiderant, quæ soli Deo propria, atque ad vtrunque aguntur naturæ impetu, vt Ioachimum, quo posse credebatur,

credebatur, Spiritus prophetiæ; ita Cyrillum frequenter Angelorum visitationes, reuelationésque, velut quos nihil penitùs lateret, admirandos reddebant cunctis hominibus. Frequentabantur, consolabantúrque super negotiis arduis: & quod mireris certè, quod suspicias, non ab aliis tantùm, sed à se ipsis, charitate inter eos non æmulante, prævalebat humilitas, & se vterque discipulum alterius, quamuis loco remoti, non tantùm non erubescebat, sed prædicabat. Exceptis tabulis, quæ Græcos characteres, Græca verba signantes continebant, cùm difficilis sensus appareret, atque absconsa mysteria, latentia adhuc sub cortice verborum, nequaquam illustrare valerent legentium mentes. Ioachimus, qui abscondita explanaret, aperiret arcana, consulendus occurrit, transmisso ad eum oraculo, atque epistola Oraculo præfixa, per Cyrillum scripta sub hoc tenore:

4. *Domino, ac totius diuinæ Sapientiæ septiformi columnæ, Sancti Spiritus, qui à Patre luminum ineffabiliter promanat, illustratione suffulto, Abbati Ioachim, pauper Cyrillus Presbyter, Eremita Montis Carmeli, se ipsum in Domino cum oratione, & obsecratione.*

Quod mihi detruso pauperculo Dominus meus Christus dignatus est aperire, tibi meo Patri, ac Domino, quem Deus multa sapientia illustrauit, referam pleno verbo, vt secundum scientiam tibi datam, transmittam ad posteros Deo deuotos & sanctos tibi charissimos, illos potissimùm, qui sacrarum Scripturarum scientiam deuotè, ac dulciter amplectuntur, & margaritas norunt à porcis subtrahere. Quæ futuris temporibus, Deo permittente, occurrent, prout inferiùs adnotata pratendunt, vt iuxta solatia sanctorum librorum, quibus Ecclesia indesinenter reficitur, clariùs se habeant ab vno Magistro, qui cathedram habet, de Cœlo dignanter demissam. Hæc, inquam, mea verbula quodammodo necessaria, vt sum ratus, his sermonibus Omnipotentis, à regalibus sedibus mirè vectis, præmisi, vt quæ cœlitùs missa sunt, clariùs per hæc præcedentia elucescant. Diligenter autem caueas, Lector doctissime, ne eloquiorum breuiter traditorum veritas aliqualiter corrumpatur, aut calami prauitate vitietur; sed, sicut diuinitùs ordinatissimè missa sunt, ita à peritis Scriptoribus conseruentur.

5. *Supplico quoque tibi, Venerande Pater, cui caulas suarum ouium prouidè credidit Author Orbis, vt tu, qui ex fonte purissimo pectoris Iesu Christi spiritum futurorum, & intelligentiam Scripturarum hausisse cum Ioanne videris, sicuti multorum relatione, & eloquiorum tuorum inspectione percepi, super hoc obscuro Oraculo commentariolum digneris conficere: quid excelsus Celorum Rex hoc compendioso tractatiuculo voluerit intelligere: quatenus abscondita producas in lucem, & nubem nebulosam profundissimi affatus conuertas in Solem splendentem clarissimi intellectus.* Hactenus, quæ Cyrillus in epistola: nam pergit statim ad apparitionem Angeli, oblationem argenteæ tabellæ, atque mandatum, tam de transcriptione, quàm de materiæ conflatione in Calicem, thuribulúmque ad adolendum Deo; quæ suprà à nobis ex aliis sunt relata.

6. Huius epistolæ fragmentum relatum video à Francisco Biuario in suo pro Abbate Ioachimo Apologetico, his, quæ sequuntur, verbis illi subiunctis: *Extat huiusmodi epistola cum Operibus ipsius Ioachimi in Vaticana Bibliotheca, & in altera Monasterij S. Fidis, Ordinis Cisterciensis, prope Cæsaraugustam, eámque refert Iacobus de Voragine in Vita Sancti Cyrilli.* Ita Biuarius. Nos epistolam in Iacobo de Voragine nequaquam inuenimus; ex Monasterio tamen Sanctæ Fidis transcribi curauimus, his Annalibus debitam: fidem eis in hac parte conciliaturam. Porrò huius visionis Sancto Cyrillo factæ, & Oraculi ad Ioachimum Abbatem missi, meminit etiam Baptista Mantuanus in suis Fastis: quanuis non tam ad vulgandum, quàm elucidandum magis transmissum, insinuare videtur sequenti carmine:

Cùm sacra litaret,
Manè sub Auroram sacra vestitus ab olla,
(Res mirandа!) puer fulgenti splendidus ore,
Adstitit ante virum, liquidis suspensus in auris,
Argentúmque docens, amorum fasta sequentum
Protulit, & manibus pronis demisit in aram,
Adiicions: Deus ista tibi secreta reuelat,
Sancte Pater: tu fac populis ea nota Latinis.
Continuò mutans Romanis Attica verbis
Nomina, ad Abbatem Siculum transmittit: & ille
Confestim in Latium, scholiis ad singula iunctis,
Quæ superant, & habentur adhuc, passimq; leguntur.

Hactenus Mantuanus in suis Fastis.

7. Oraculo, & epistola acceptis per Ioachimum Abbatem, nec cunctatus obedire Cyrillo, quamuis ardua iubenti, explanandas suscepit cœlestes tabulas, libello edito, atque haud dubiè ad Cyrillum etiam remisso; quem cum aliis, aliorum, vt puto, reuelationibus à Thelesphoro quodam Cossentino Eremita, & Presbytero Calabro collectis, Venetiis apud Bernardinum Venalium prodiisse, Anthonius Possevinus memoriæ prodit. Qui quamuis ibi dubitare videatur, an reuerà ille libet Ioachimi sit; tamen dum allegat, quæ dixerat superiùs de Cyrillo Presbytero Carmelita, vbi haud dubiè à Ioachimo scriptum tradit, magis videtur aliis consuluisse, quò tardiùs crederent, maturiúsque, quàm sibi ipsi. Nos, quod ad tabularum historiam attinet, integrum volumus esse Lectori nostro, in quam maluerit partem inclinaturo. Neque enim ab eiusdem ævi Authore scriptum video, cùm aliàs res, & magna, & admiranda, nec digna fuerit silentio prætiriti. At cùm Cyrillum adscriptum Sanctorum Canoni, ac de eo celebrari in suo Ordine, ex indulto Ecclesiæ, altiùs considero; non solùm Viro, quem cum Deo regnare credo; sed & his, quæ de ipso narrantur, reuerenter defero. Et vt de aliis sciam multa contingi, ac nunquam credam de Sanctis id auderi, maximè à Viris probis, & Religiosis, qui sciunt eos mendacia detestaturos.

8. Cæterùm laboratam explanationem (quæ tamen, vt verùm fatear, si ad Oraculum ipsum componatur, æquè obscura, quod erat semper Ioachimi Abbatis ingenium) ad Cyrillum remisit, cuius epistolæ longiorem aliam reddidit; sed, quæ adeò vitiata inueniatur in exemplaribus, vt vix, aut ne vix mereatur videre lucem, cùm maximè difficilem admittat castigationem multis in locis. Eam industria Reuerendi admodum Patris, Fratris Francisci de Sancta Maria, Carmelitæ excalceati, Viri docti, & grauis, atque de antiqua historia optimè meriti, transcriptam primùm, inox ex eodem Sanctæ Fidis Monasterio ad me transmissam, cùm corrigere posse desperarem, ne sine censu traderem, placuit omittere; initio tantùm, finéque productis, quæ correctiora, aut saltem corrigibiliora esse videntur. Ergo illius inscriptio hæc habet verba:

9. *Stella manenti in ordine sanctitatis, in formula honestatis, in nidulo paritatis, Orbem opacum, deformem, & squalidum virtutibus illustranti, moribus informanti, exemplis ornanti, Cyrillo Presbytero in Monte Carmeli, Monte vberrimo, pauperi quidem super-*

fluis opibus huius Mundi, quod bonum est; sed diuiti gratia Iesu Christi, quod optimum est, & rarum: Ioachim Abbas solum nomine, sed ethnicus opere, gratiam, & gloriam.

Charisma cœleste recipiens, quod misisti, latore Theolsphoro, casto, fideli, ac deuoto interprete, quoniam inueni, quanto gestierim gaudio, ipse tibi Litteris explicare nequiuerim. Quis enim insolito munere à Rege Regum, & Domino Dominantium piè perfecto, non ducet medullitùs exultandum? & si foret possibile in immensum? Puto autem hunc stylum, nouellè, ornatè, compendiosè, & obscurè scriptum, ac cœlesti Doctori demissum, vt ipse primùm ostendas diuitias plenitudinis scientiæ, tam futurorum, quàm præteritorum, quod ex multis aliis Scripturis collegimus.

10. Hactenus inscriptio epistolæ, & initium: nam cætera corrigenda aliis relinquo. In fine autem, postquàm proposuisset graues, atque difficiles quæstiones, quæ ex verbis Oraculi emergebant, tandem concludit: *Vale, vt & alij litterati in hac tenebrosa aqua natent, ac rerum experiantur: & hoc proculdubiò in locis aliquibus erit aliquando necessarium. Quoniam temporibus, quibus hæc impleta fuerint, acuti lectores quodammodo arctabuntur, cùm legendo cœperint iudicare interlineares, seu glossulas deforis Scripturæ. Verumtamen aliquas eius particulas, velut in marginibus, quas & † punctatas notaui, prout sciuero, lucidabo; eo dictante, qui scripsit. Ipse enim Spiritus multiplex, multiplices suggerit suæ scientiæ intellectus, quibus Glossulary sæpiùs autumantur errasse, cùm non ita accurrit, vt glossulis expresserim. Sed Spiritus, qui est verè Deus absconditus, vt memorat Isaïas, ita diuidit singulis, prout vult, sermonum suorum interpretationes, teste Apostolo, vt sit semper absconditus in se, non pallificans quidquid intenderit, ne gloriam suam taliter alteri tradere videatur. Nec tamen ex hoc fraudantur à desiderio suo Glossatores, cùm & Spiritus Sanctus vltra eius intentum, quod in sua posuit potestate, id ipsum intenderit, quod ipsi describunt. Vale, militiæ veræ Christi miles.* Ita Ioachimus, siue humilis, siue cautus, & sibi, & aliis prouidebat excusationes.

11. De huius libri, aut Oraculi materia, diuinare faciliùs, quàm asserere. Illud compertum, post annos fermè ducentos, cùm gemeret Ecclesia sub longo schismate, somniasse, an verè præceptum accepisse, quendam Theolsphorum, natione Cossentinum, dignitate Presbyterum, professione Eremitam, prope Thebas, vt hanc, & alias prophetias colligeret, ex quibus ad præsentia gradum faceret; extaréque perantiquum sanè libellum eiusdem Theolsphori, cum operibus Ioachimi vulgatum, sub hoc initio: *Vniuersis, & singulis fidelibus personis, ecclesiasticis, ac secularibus, humilis Frater Theolsphorus de Cossentia, pauper Presbyter, & Eremita prope Thebas. Humiliauit se sub diuina potentia maiestatis, & ipsius gratia, & gloria. Cùm tristis, & dolens de malis instantis futuri schismatis Ecclesiæ occurrentibus, & verisimiliter occursuris, mansuetissimum Dominum, cum magna ieiuniorum, & lacrymarum copia, sæpiùs humiliter exorassem, quatenus instantis schismatis causa, & quis ipse schismate durante, asserentium se Summos Pontifices, verus Pontifex sit: & quis Pseudopontifex extiterit: ipsiúsque schismatis, qualem finem habebit: & quo modo finito schismate, Dei Ecclesia, maximè cum Principibus secularibus regeretur; ipse Dominus mihi seruo suo ostendere dignaretur.*

Anno à Natiuitate Domini M.CCC.LXXXVI. 12. *circa auroram diei resurrectionis prædicti Domini nostri, mihi dormienti leuissimè, & quasi ex hoc stupenti, vnum videre extitit Angelum Domini, virginei vultus, & altitudinis cubitorum duorum, ornatum duabus alis valdè nitentibus; alba, lata, & talari veste amictum: mihique dulciter alloquentem in hac verba: Dominus exaudiuit preces tuas, dicens, quòd seruis tuis dilectis Cyrillo Presbytero, & Eremitæ in monte Carmelo, Ioachimo Abbati, & multis aliis seruis suis inflatus schisma futurum, & eius causas, & quis esset eorum Pontifex, & quis Pseudopontifex, finémque ipsius, & post ipsum schisma, futurum Ecclesiæ regimen, per Spiritum Sanctum, & Angelum iam dìu indicauit, & aperuit. Quæras igitur prædictorum libros, & scripturas, & tunc tua erit satisfactum voluntati; & quod in ipsis libris reperies scriptum, & aliis, pro tua, & ipsorum salute, indica, & reuela. Quibus dictis, & auditis, illicò Angelus disparuit. Ego autem timidus à somno surgens, vocaui socium meum dilectum Eusebium Vercellensem, cui omnia supradicta patefeci, cuius consilio, ipse, & ego cum maxima diligentia, in ciuitate Thebarum, & Cossentia, vbi ortus est prædictus Ioachim Sanctus Propheta, & in aliis locis vicinis ipsis ciuitatibus prædictorum virorum libros quæsiuimus, & tandem inuenimus, &c.* Hactenus Theolsphorus ille, quicunque sit, cuius liber excusus est Venetiis, cum aliis quibusdam, anno M.D.XVI. apud Lazarum de Soardis. Quod tamen quantæ authoritatis sit, aliorum linquo iudicio, atque prudentiæ discernendum. Verùm hæc pro nunc satis de Ioachimo.

---

1. Cunonis in Hemmenrodensi Cœnobio mors. 2. Equum sui Monasterij repetit. 3. Nolentem restituere ad tribunal Dei citat, 4. & sanctè moritur; equo interim Cœnobio restituto. Acta Capituli, 6. in quo etiam relatum de exactione ab Innocentio indicta, 7. & imploratus fauor Mariæ Virginis. 8. Fundationes virorum panca, & obscura, 9. & Bonauia fœminarum ad Lucemburgum.

CAPVT IX.

1. HOc ipso anno, nempe, cùm tres in Cistercio peregissent, ex hac vita migrauit magnus Cuno, Dominus Castri de Malburg, quem iam prouectæ ætatis, malitiæque, quæ non minùs quàm opibus pollebat, tandem in Monasterio Hemmenrodensi, sub Hermano Abbate, anno M.C.XCVII. Conuersum diximus. At, quæ acciderint in eius sancta morte digna Annalibus, Cæsarius iam tunc Ordinem professus, atque loco vicinus nobis scripta reliquit verbis sequentibus [a]:

a lib. 10. c. 17.

2. *Habebat de Conuersis*, scilicet, de Hemmenrode, *dextrarium pulcherrimum, quem equaricia sua propter fœtum nobilem deputaueras; quem cùm vir nobilis*

bilis Henricus de Isemburg concupisceret, nec pretio habere posset, hoc actum est, vt absconse subtractus ei transmitteretur: quem cùm minimè redderet, missus est predictus Cuno, qui eidem Henrico fuerat in seculo amicissimus: & cùm nihil proficeret, videns hominem obstinatum, irruente in se, vt post patuit, Spiritu Dei, ad diuinum eum iudicium appellauit, diem ei prefigens. Quid plura? Henricus appellationem contempsit, & Cuno Domum rediens, omnibus modis, quibus potuit, ad eundem diem se preparauit. Dicebat igitur Abbati: Domine, sexta feria Crucem accepi: sexta feria transfretaui: feria sexta in Capella mea me vobis tradidi: sexta feria Habitum indui regularem: Deus sexta feria laborum meorum mihi restituet mercedem. Expletis verò iam tribus annis in sancta conuersatione, febre correptus est, visitatus ab amicis, se dixit tertia die moriturum. Illi autem recedere volebant, eò quòd leuis esset eius infirmitas, & nulla adhuc signa mortis apparerent: sed ipse rogabat, ne Solennitati sua deessent. Et factum est, vt moreretur die tertio, hoc est, in vigilia sancti Iacobi, sicut ipse predixerat.

3. *Eo sanè tempore erat mulier obsessa in villa Meyne, qua hora mortis eiusdem Cunonis liberata est, & venit ad Sacerdotem suum, dicens, Dæmonem exiisse: post paululum verò rediens Diabolus, grauius vexare miseram cœpit: adducta est igitur ad Sacerdotem, qui quasi cancionando cum Diabolo, cœpit interrogare eum, & dicere: Miser, tu exieras? Ita est, inquit. Et vbi, ait, fuisti, infelix? Ad quod Diabolus: Cuno ibi super matrem iacebat, & debebat mori: ad cuius transitum festinantes, penè quindecim millia sociorum meorum, cum maximo tripudio hic transibant, & videbar mihi nunquam gaudium aliquod habiturus, nisi iuissem cum eis. Sciens autem, vas istud mihi traditum me amittere non posse, reliqui illud ad tempus, & iui cum eis. Dixitque Sacerdos: Quid actum est ibi? Respondit Diabolus: Superuenerunt maledicti tonsurati illi, & circumstantes cadauer, ita validè populari cœperunt, quòd nullus nostrùm propiùs accedere ausus fuit. Dixit iterum Sacerdos: Et vbi deuenit anima? Respondit Diabolus: Ad pedes Altissimi; & videte, boni homines, quanta nobis iniuria sit illata: homo iste nobis seruierat, plusquàm quadragesima annis, ad omnem voluntatem nostram nocte, ac die paratissimus: & modò tribus annis tantùm, alteri seruiuit Domino, & ille nobis abstulit eum. Cum igitur nobis anima auferretur, furore commoti in inimicem tota debacchatione grassati sumus: & ego modò non habeo, vbi me vindicem, nisi in hoc vasculo, quod mihi traditum est.*

4. *Transactis autem paucis diebus, postquàm res premissa comperta est in Claustro, Hertwicus quidam Monachus per partes illas transitum habebat, qui sciens, quia Diabolus mendax est, & pater mendacij, experiri voluit huius rei veritatem. Diuertens igitur ad obsessam mulierem, iudicium, quo credi posset, quæsiuit à Dæmone. At ille primò noluit confiteri: sed à Monacho iuramentis constrictus dixit: Quia Abbatulus tuus manum morientis in manu sua tenuit, cùius rei Monachus ille conscius, aliis eius verbis credi posse constitit. Henricus verò de Isemburch audiens eum prefixo die defunctum, pelli sua valdè pertimuit: & cum multa festinatione ad Claustrum veniens, dextrarium superbè vectum, nudis pedibus, manu propria, ad defuncti sepulcrum adduxit, pœnitentiam agens apud illum. Hæc mihi de obitu Monachorum Claustrensium comperta sunt.* Hactenus de felici morte Cunonis, quem suo etiam Menologio intulit Chrysostomus Henriquez ipsa, qua obiit die, nempe XXIV. mensis Iulij.

Quædam hoc anno in Capitulo sancita, quæ cultum Dei, & Sanctorum promouerent: indultum primò; nec enim in his cauſis præceptis opus: *Concedimus, quod in Antiphonis Beatæ Mariæ Virginis ad* Benedictus, *&* Magnificat, *& ad commemorationes eius, quæ ad Laudes, & ad Vesperas fiunt, ob reuerentiam & honorem eius, Monachi extra stallum stent. Concedimus*, inquam, non, iubemus. Quippe in obsequio Virginis Mariæ noſtris permiſſio pro præcepto ſemper fuit. Additum & in Bernardi Patris honorem, non tamen concedendo, ſed præcipiendo: *Vt commemoratio B. Bernardi fiat in Horis Beatæ Mariæ in Laudibus, & Vesperis. Antiphona ad Vesperas:* Benedictio Domini. *ad Benedictus*, Conſurgens. *Collecta:* Adeſto ſupplicationibus noſtris, omnipotens Deus. *Verſ.* Iuſtum deduxit. *& in Litaniis nominetur.* Hæc tunc Collecta Bernardo cantabatur, antequàm Innocentius dictaret, qua modò vtimur: quod ad Ioannis, Archiepiſcopi quondam Lugdunenſis, & reliquorum Clarævallenſium inſtantiam non multò pòſt feciſſe, infrà dicemus. Cæterùm, vt hæc preces inſtitutæ, quæ generales, communeſque pro omnibus: ſic ſpeciales pro arbitrio ſingulorum excluſæ penitùs; decretúmque in hoc eodem Capitulo: *Vt commemorationes Sanctorum, & Officia defunctorum non fiant in aliquibus Monasteriis, præter consuetudinem Ordinis, nisi per Capitulum generale, & sicubi aliter præsumptum fuerit; eadem die Conuentus sit in pane, & aqua.* Hæc in Capitulo. 5.

Actum etiam in hoc eodem Capitulo de Litteris Innocentij, Summi Pontificis, déque immunitate Ordinis violata, pia abſque dubio cauſa; ſed perniciosa: quippe quacumque alia occurrente, ſemel ſoluiſſe, in exemplum trahendum erat: id tributorum primum, & ſummum malum: continuò repeti, nunquam ſatiabili cupidine exigentium: neque audentibus ſubditis negare, quod ſemel conceſſiſſent; & cui ſe pares comprobauit externus annus. His addita indignatio Summi Pontificis in noſtros concepta: quos moras tantùm nectere, & obedientiam, qua poſſent, detrectare, per ſpeciem conſultantium arbitrabatur. Porrò eum in tantum incanduiſſe teſtatur Cæſarius [b], *Vt Dignitatibus sæcularibus indulgere proponeret, (quis id credere posset?) quatenus possessiones Ordinis vsurparent.* Terruit vtrunque malum viros ſanctos: & quid eligerent, prorſus ignorabant: degeneres, ſi cederent; ſi reſiſterent, fortè deſolandos. Et arctabantur ſcrupulis, an conſtantiam, & zelum obedientiæ; an conſtantiæ obedientiam anteponerent. At quibus armis Innocentio ſe oppoſuerint, idem Cæſarius pergit ita ſcribere [c]: 6.

[b] lib. 7. c. 6.

[c] vbi suprà. 7.

In proximo Generali Capitulo Abbates, qui conspiraverant, spem suam in Beata Dei Genitrice Maria, quæ Ordinis Patrona est, & Aduocata, ponentes, scientes sententiam malè conceptam, eius precibus, & meritis facile posse reuocari, speciales pro eadem necessitate vsque ad proximum Capitulum orationes iniunxerunt. Hoc etiam adiicientes, vt à capite Quadragesimæ nudis pedibus de Capitulo exeuntes, septem Psalmos cum Litania cantarent: quod & fecimus. Ergo Innocentio per omnia parituri, ſi in mandato perſiſteret, non tam ab eo ad Mariam appellarunt Ordinis Protectricem, Patronámque; quam vt illum à propoſito dimoueret, ſupplices, anxiique deprecabantur. Nec ſine fructu. Quippe Reginæ Cælorum intercedentibus, eximendi ab ea contributione, vt dicam ſub initio ſequentis anni. Nunc fundationes, quæ paucæ hoc anno, & dubiæ referamus.

8. *Anno M.CC. sexto Kalendas Octobris fundata est Abbatia de Voto.*

Eodem anno, Idib. Ianuarij, Abbatia de Hero insula.

Eodem anno, quinto Kalendas Februarij, Abbatia de Valle Crucis.

Eodem anno, Abbatia de Flumine Dei. Monasteria de Voto duo lego; sed quæ superiùs dicta: alterum in Northmania Rothomagensis Diœcesis: alterum in Hibernia, quod & Tinterna minor dici solet: tertium hactenus non potui inuenire. De Hero insula, in linea Claræuallis notatur, incerta Matre: in qua eadem visitur Vallis Crucis, & flumen Dei: illa Stratamergill Filia, hæc Mellifontis: & illam quidem Angliæ Domum dicunt, hanc Hiberniæ. De hac in Vvaræo hæc pauca lego: *Eodem anno*, scilicet, M. CC. *fundatur secundùm Annales nostros Monasterium de Flumine Dei, quod vulgò Monasterium Shrevulense appellatur, in Comitatu Longfordia. Sed opinionem sanioribus iudiciis submitto.* Hæc tantùm ille. De valle Crucis in Diœcesi Assafensi, hæc Iongelinus [c]: incertum vnde hausta: *Vallis Crucis, Filia Stræa Marcelli, alio nomine Lanqueſtenſe Cœnobium, fundatur anno Domini M.C. LXXX. aliis M.CC. per Madocum Abgryffiph, Dominum de Bronifeild; quod deinde decimis haustêre Episcopi Assafenses Reynerus IV. Hobuelus VI. Annianus VII. huius loci Abbas Robertus anno M. CD. X. XII. Kalendas Nouembris, consecratur Episcopus Assafensis per Ioannem XXIII. Pontificem Maximum.*

c lib. 8.

Sed Monasteriis virorum addendum censeo aliud Sanctimonialium ad Luxemburgum, de quo Aubertus Miræus ex Bertelio [d]: *Bonavia, apud Vrbem Luceburgensem sita est, de qua breuiter sic Bertelius: Monasterium istud non procul à Luxemburgo, ad partem eius occidentalem situm, cum adiacente pago Bonavia nuncupatur. Quod quidem à quadringentis plus minùs annis fundatum, multas sustinuit persecutionum procellas: adeò vt præter alia non pauca incommoda, tertiò funditùs exuri contigerit, & post singulos nihilominùs infaustos istos casus, studio, & opera Abbatissarum, vt nostro etiam tempore vidimus, est reparatum. Sic Ioannes Bertelius Abbas Epternacensis in sua Historia Luceburgensi.* Hactenus ille: & nos de gestis à nostris ad hunc annum. 9.

d in Chronico Cist. ad hunc ann.

ANNVS CHRISTI M. CCI. CISTERCII C. IV.

1. *Innocentij in nostros, quòd quinquagesimam soluere recusarent, indignatio.* 2. *Nostrorum humilis, & supplex renitentia:* 3. *afflictio, & preces.* 4. *Maria Virginis mina ad Innocentium, per Rainerum indicta:* 5. *atque Innocentij ex tunc resipiscentia.* 6. *Quis Rainerus.* 7. *Claræuallenses Innocentium rogant, vt orationes proprias Bernardi dictet.* 8. *Responsum Pontificis, orationésque,* 9. *& qualiter hæ etiam per Rainerum.*

CAPVT I.

1. GEBATVR annus ab Orbe reparato ducentesimus primus supra millesimum; à condito Cistercio centesimus quartus, cùm Innocentius in nostros exardescens, nostri in Mariam supplices: ille rebelles (sic enim appellabat) vexationibus crebris; hi Protectricem suam votis supplicibus indefessè pulsantes, præfixum colligendæ pecuniæ tempus; hi metum, & spem inter; ille nulli cessurus spei, vel metui, vt sibi videbatur, præstolabantur. Nec solùm Innocentius, sed Cardinales inuehebantur in nostros, etiam hi, quos Religio, pietásque, atque zelus virtutis commendabat. Nam, quod hominum genus in toto Orbe, quod publicas non sentiret necessitates? quod non compateretur patienti corpori, atque cæteris membris imminutis, solum vellet indemne permanere? Si priuilegiis insistant, maiora sibi, qui priuilegia condant; à quibus gratiæ, & indulta omnia dimanent: satis, supérque consultum Cisterciensibus, si cum Ecclesia Romana æquiparentur. An, qui præcedere alios debuissent, soli recusent sequi vel præcedentem? sed nec vestigiis inhærere iussi, à quibus quinquagesima tantùm exigebatur. An Ecclesia Romana soluente decimam, cæteris quadragesimam, vel quinquagesimam soli detrectarent? Potuisse olim aduersùs exactiones paupertatem opponere, cui supra alios mortales sublacerent: nunc diuites præ aliis, & abundantes, quo se prætextu valeant excusare? An ideò tantùm Christiani Orbis substantiam per centum annos, & ampliùs collegissent, vt detinerent? Non hanc hominum causam, sed Iesu Christi, per quem sacrata loca, quæ quærebantur, an soli velint deesse negotio Crucis, qui ei se semper magis adhæsuros, qui se magis deuinctos professi essent? Hæc Innocentius, Cardinalésque Ecclesiæ Romanæ.

2. Nostri è contrà. Esse in Ecclesia Dei diuersos gradus, diuersos Ordines, quibus diuersa conueniant ministeria: quæ si inuertantur, nulli vsui existent. Tradita à Christo seruis talenta varia, nec quenquam fusum operari, nisi in suis: sibi & orandi, & prædicandi munus iniunctum hactenus; contributiones ab aliis exigendas. Esse sibi rurales possessiones munere Principum, & fidelium eleemosynis: sed quas in vsus designatas debitos, si in alios conuertant, prænaricentur. Non victu se, aut vestitu tenuiori viuere posse; sago vili indutos ad nudam carnem, & leguminibus, herbísque refertos. Reliqua omnia pauperibus, hospitibus, atque aliis vsibus omninò necessariis, eatenus deputata, vt nihil prorsus demi, aut minui possit. Prodigos esse, præcipuè Religiosos, qui suis valeant sumptibus detrahere: si excusabilibus perperam insumptis; nec moderandis, si inexcusabilibus. Tum priuilegia nequaquam contemnenda, quando concessa non ex mera gratia, sed ex causa vrgenti vim iuris habeant: neque tam priuilegia censenda sint, quàm Iuris communis declarationes. An non eatenus aliæ expeditiones sub aliis Pontificibus pro eadem terra sancta recuperanda? At nullus vnquam Cisterciensi pecunia

vlus

vsus: nullus nostros grauauit exactionibus. Nec ideò deseruisse causam Christi, quam præ aliis promouerint; & cui velut addicti semper adstiterint. Nam, quid Bernardus Pater? Quid Henricus? Quid demum alij plures præstitêre? Quid in vtraque expeditione factum, quod non per ipsos? Iam si semel patiantur exactiones, à quibus liberi? si negent, offensionibus obnoxij: si concedant, cupidini exigentium: & semel concessisse palam est, vrgentia causæ in dubio, & pro arbitrio exigentis exaggeranda.

3. Ergo inter hæc afflicti, dubiique, & neque audentes resistere Innocentio, & nouum iugum ferre detrectantes, piissimam misericordiæ Matrem, Cistercij Protectricem, continuis precibus, vnicum eius Filium, ieiuniis, lacrymis, & si quæ alia placare Deum solent, sollicitabant. Et iam aduenerat tempus Quadragesimæ, & nudis pedibus per vniuersum Ordinem exeuntes de Capitulo, & per Claustra ad Ecclesiam properantes, ante Altare prostrati, clamantésque, Matris, & Filij clementiam, quò maior tunc imminebat eis necessitas, aduentante iam termino præfixo, eò fidentiùs, & feruentiùs deprecabantur: cùm ecce afflictorum consolatrix, sed præ aliis Aduocata Cistercij, Virgo piissima, per Virum Sanctum, Fratrem Rainerum, qui Innocentio è sacris confessionibus erat, Pontificem admonuit Cistercio parere, sibique consulere; ni faceret non diu superuicturo. Rem totam narrat Cæsarius, qui tunc viuebat, & Monachum agebat in Heisterbach [a], atque alij ex ipso [b] totidem verbis:

a *lib. 7. c. 6.*
b *Bzouius ad hunc an.*

4. *Interim*, ait, *Beata Dei Genitrix, Virgo Maria, cuidam Religioso, nomine Rainero, jam dicti Innocentij Confessori apparens, in hac verba eidem mandauit: Tu Ordinem Cisterciensem, cuius Aduocata sum ego, destruere conaris; sed non præualebis: & nisi citius de tuo malo proposito resipiscas, ego te, & omnem potestatem tuam conteram.* Hæc Rainerus: sic enim vocabatur, ad Innocentium ex parte Virginis, quæ non minori fauore filios prosequi, atque Ordinem sibi consecratum manutenere solita pietate dignata est, æternùm imprimenda cordibus nostris. Hanc eandem Historiam paucis perstringunt Flores Historiarum, atque ex ipsis Bzouius in hæc verba [c]: *Innocentius Papa, cùm ab Ordine Cisterciensium pecuniam ad iter Crucesignatorum, contra eorum priuilegia exigeret, à Beata Maria eiusdem Ordinis Aduocata nimis acriter correptus, ab hac quieuit exactione.* Quieuit, inquam: nam quæ Raineri linguam mouit ad annunciandum, aures, & cor Innocentij etiam aperuit, adeò vt non solùm iussis obtemperaret; sed alia etiam de nouo nostris concederet. Quin cuidam Cardinali renuenti, contradicentique comminaretur, amouendum loco, nisi subscriberet: quod idem qui suprà Cæsarius his narrat verbis [d]:

c *hoc in anno n. 7.*

d *ibid.*

5. *Huiusmodi nuncio Dominus Innocentius audito, sciens Rainerum Virum esse sanctum, ac veracem, timuit, in tantum de concepto peccato pœnitens, vt Ordinis priuilegia roboraret: hoc adiiciens, vt primo omnium negotia Ordinis in Curia expedirentur: quam indulgentiam, cum tam suæ Bullæ, quam omnium Cardinalium subscriptionibus confirmaret, & vnus tantum Nigri Ordinis Cardinalis contradiceret, ita in illum exarsit, vt statim eum amouere minaretur.* Hic tempestatem subortam exitus mansit, Innocentio salubris, nostris gloriosus: siue, quia à Virgine specialiter protecti; siue, quia illi deuincti vinculis nouis. Mirum est prætermissum hoc priuilegium ab Abbate Ioanne, qui cætera collegit; siue ex confirmatione præcedentium; siue ex nouo indulto, quod superaddit; seu tandem ex euentu, & circunstantiis, cæteris aliis longè præferendum. Certe coniuncta Historia concessioni, inter prima deberet numerari. Cæterùm, qua cœleste beneficium cum gratiarum actione, à nostris susceptum sit, quia Capituli Generalis acta concernit, suo tempore veniet referendum.

Interim adnoto, Rainerum, Virum sanctum, per quem virgo Pontificem admonuit, quantùm ex Bullis Innocentij licet colligere, eundem esse, quem ipse aliàs Legatum ad negotia grauissima, tum in Hispaniam, tum in Galliam destinauit; de quo in primis ad eum directis litteris, cùm ad Reges Castellæ, Legionisque, atque item Nauarræ mitteretur, hæc inter alia censuit scribenda [e]: 6.

e *lib. 1. epist. Innoc.*

Dilecto filio fratri Rainero, &c.

Author noui, & veteris testamenti Dominus Deus noster, vt confunderet fortia, humilia frequenter elegit, & Reges de pòst futuros assumens, & in Apostolis eligens piscatores. Qui, cùm Ecclesiam sponsam suam prole multiplici fœcundarit, nos quoque, licet immeritos, exaxit de stercore, & de puluere susitauit, & Petri voluit solium obtinere. Quamuis autem maioris authoritatis viros (vtpote, cui, tanquam capiti, vniuersa obsequuntur Ecclesiæ membra) in partes Hispaniarum ad pacem inter Principes reformandam, & dissonantes colligationes iniquitatis, destinare possemus; ibi tamen, exemplo eius, qui elegit humilia, hoc onus sollicitudinis duximus iniungendum, vt humiles humiliter foueas; & potentes fortiter contumaces, &c. Extant & aliæ plures ad ipsum litteræ, Legatiæque ad Regem Lusitaniæ, atque alios illustres Christianos Principes, vt inde facilè valeat iudicari, quantæ apud homines authoritatis fuerit, quem Beata Virgo nuncium destinauit ad Innocentium.

Hoc ipso anno, flagrante deuotione, quam Innocentius in Cistercium concepisset, ex intimata sibi protectione gloriosæ Virginis, Claræuallenses occasionem nacti opportunam, per Ioannem quondam Lugdunensem Archiepiscopum, tunc inter eos Monachum, cuius suprà meminimus, suggerendum putarunt, vt orationes in Missâ decantandas in honorem Bernardi ipse dictaret; & pro communibus, quibus hactenus vtebantur, proprias substitueret, quæ grauitatem, eloquentiámque sermonis, Innocentio innatas, authoritate supremæ dignitatis condecoraret, atque vtrinque argumenti summam implerent. Annuit supplicum votis Ecclesiæ Pastor, ac Bernardum admirans simul, & venerans, priùs Ecclesiæ Doctorem declarauit. Dein titulo Egregij decoratum, his orationibus censuit celebrandum, quibus hodiéque vtimur; quásque ipse etiam inseruit suis litteris ad Ioannem relatis in hunc tenorem [f]: 6.

f *in Regesto, fol. 61.*

Ioanni quondam Lugdunensi Archiepiscopo. 7.

Negare noluimus, quod petere voluisti, cùm ex eò, tam nobis, quam tibi fructus æternæ retributionis accrescat. Petisti namque rogatus à Fratribus, vt ad honorem Beati Bernardi, primi Claræuallensis Abbatis, quem apostolica Sedes Sanctorum adscribi fecit Catalogo venerandum, nos ipsi Collectam, & alias orationes ore proprio dictaremus. Tum propter authoritatem dictantis, tum propter stylum dictaminis, cum maiore deuotione dicendas. Et ecce, sicut potuimus, ad instantiam dilecti Filij Fratris Raineri, petitionem tuam curauimus exaudire.

Perfice, quæsumus, Domine, vitam in nobis sanctæ Religionis effectu: & ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem, Beatus Bernardus Abbas, & Doctor egregius suis apud te semper pro nobis meritis, & precibus intercedat. Per Dominum.

Grata tibi sit, Deus, hujus Oblatio Sacramenti, quod

quod in memoriam Dominicæ Passionis tuæ offerimus Maiestati.

Suum in nobis, omnipotens Deus, cibus, quem sumpsimus, operetur effectum: vt incorporet nos sibi eius edentes, qui tecum, &c. Datum Laterani, 6. Idus Iunij. Hactenus Pontifex.

9. Porrò, quod ait, ad instantiam dilecti Filij Fratris Raineri easdem orationes composuisse, argumento est, eundem Virum, qui ex parte Mariæ Virginis Innocentio iniunxerat, ne Ordinem grauaret noua exactione, intercessisse, vt in obsequium Patris, annueret faciliùs Filiorum votis; & quos sub tantæ Reginæ patrocinium esse cognouerat, sibi propitios semper exoptaret. Litteræ, atque orationes circumferuntur in tertio tomo nostrorum priuilegiorum 8, atque huius virtute declarationis dudum obtinuit, vt Euangelium nō quod pro Abbatibus, sed, quod pro Doctoribus designatum est, in S. Patris Solemniis decantetur. g Priuil. 23.

---

1. *Eustachius Floreſiensis Abbas in Angliam redit*, 2. *vt vult Rogerius, occasione epistolæ de Cælo missæ*, 3. *comminationum plena*, 4. *indignationisque*, 5. *contra Festorum prævaricatores.* 6. *Iudicium de epistola*, 7. *& multa dicta* 8. *de Eustachij prædicatione*, 9. *miraculisque*, 10. *quæ crebra per totam Angliam.* 11. *Aliud miraculum ex Matthæo Vvest:* 12. *& quædam alia notitiæ eiusdem Sancti.*

CAPVT II.

1. HOc ipso anno, qui præcedenti ab Anglia discessisset Eustachius Abbas, siue solo animarum zelo feruens, siue occasione epistolæ cuiusdam, quam ferebant, à Deo de Cœlo missam super obseruatione diei Dominicæ, iterum rediit in eadem virtute miraculorum, multa per eas Prouincias patratumus. Reditum narrat Roger. Ovvedenius, qui tunc viuebat, Author, his planè verbis [a]: a part. 2. *Eodem anno* (scilicet, M. CC. I.) *Eustachius, Abbas de Flay, rediit in Angliam, & prædicans in ea verbum Domini de ciuitate in ciuitatem, & de loco in locum, prohibuit, ne quis forum rerum venalium in diebus Dominicis exerceat.* Ita Rogerius de reditu Eustachij, & secunda eius per Angliam prædicatione.

2. Cæterùm, contigisse aduentum eius occasione epistolæ, quæ in Oriente, & ciuitate sancta tunc recèns dicebatur de Cœlo missa, hanc ipsam obseruantiam continente, & præceptum illius, idemmet Ovved. author est, qui & eandem epistolam transcribit, quam etsi nos apocryphum putemus, ne in aliquo desimus incepto operi, hic ex eodem censuimus transcribendam: priùs autem de apparitione eius hæc habet [b]: b vbi supra.

Mandatum sanctum Dominicæ diei, quod de Cœlo venit in Ierusalem, & inuentum est super Altare Sancti Simeonis, quod est in Golgotha, vbi Christus crucifixus est pro peccatis Mundi. Et mandauit Dominus hanc epistolam, qua apprehensa est super Altare Sancti Simeonis, quam per tres dies, & per tres noctes, homines aspicientes, corruerunt in terram, rogantes misericordiam Dei. Et post horam tertiam erexit se Patriarcha, & Azarius Episcopus, & expandentes manus, & sanctam acceperunt epistolam Dei; quam cum accepissent, inuenerunt superscriptum illud. Sequitur epistola [c]: c ibidem.

3. *Ego Dominus, qui præcepi vobis, vt obseruaretis diem sanctum Dominicum, & non custodistis eum, & de peccatis vestris non pœnituistis, sicut dixi per Euangelium meum. Cœlum, & terra transibunt: verba autem mea non transibunt. Feci autem prædicari vobis pœnitentiam vitæ, & non credidistis: & misi super vos paganos, qui effuderunt sanguinem vestrum in terra: nec tamen credidistis: & quia sanctum diem Dominicum non custodistis, per paucos dies habuistis famem, sed citò vobis saturitatem, & postea peius fecistis. Volo iterum, vt nemo ab hora nona Sabbathi, vsque ad Solem surgentem diei lunæ aliquid operetur, nisi quod bonum sit. Quod si quis fecerit, cum pœnitentia emendet. Et si huic mandato non obedieritis, amen dico vobis, & iuro vobis per sedem meam, & thronum meum, & Cherubin, qui custodiunt sanctam sedem meam, quia non mandabo vobis aliquid per aliam epistolam; sed aperiam cœlos, & pro pluuia pluam super vos lapides, & ligna, & aquam calidam per noctes, vt nemo præcauere possit, quin destruam omnes malos homines. Hoc dico vobis. Morte moriemini propter diem Dominicum sanctum, & alias Festiuitates Sanctorum meorum, quas non custodistis.*

4. *Mittam vobis bestias habentes capita leonum, capillos mulierum, caudas camelorum: & ita erunt famelica, quod carnes vestras deuorabunt, & vos desiderabitis fugere ad sepulcrum mortuorum, & abscondere vos propter metum bestiarum; & tollam lumen Solis ab oculis vestris; & mittam super vos tenebras, vt occidatis vos inuicem non videntes; & auferam à vobis faciem meam, & non faciam vobiscum misericordiam. Incendam enim corpora vestra, & corda, & omnium illorum, qui non custodiunt diem sanctum Dominicum. Audite vocem meam, ne pereatis in terra propter diem Dominicum sanctum. Recedite à malo, & pœnitentiam agite de malis vestris. Quod si non feceritis, quasi Sodoma & Gomorrha peribitis. Nunc scitote, quod salui estis per orationes Sanctissimæ Genitricis meæ Mariæ, & Sanctorum Angelorum meorum, qui erant pro vobis quotidie. Dedi vobis triticum, & vinum abundanter, & inde non obedistis mihi: nam viduæ, & orphani clamant ad vos quotidie, quibus nullam facitis misericordiam. Pagani habent misericordiam: vos autem non habetis. Arbores, quæ fructificant, siccari faciam pro peccatis vestris: fontes, & flumina non dabunt aquam.*

5. *Dedi vobis legem in monte Sinai, quam non custodistis. Dedi per me legem, quam non obseruastis. Pro vobis natus fui in Mundo, & Festiuitatem meam nesciuistis. Praui homines! diem Dominicum Resurrectionis meæ non custodistis. Iuro vobis per dexteram meam, nisi Dominicum diem, & Festiuitates Sanctorum meorum custodieritis, mittam vobis Paganas gentes, vt occidant vos. Tollitis etiam res alterius, & de hoc nullam considerationem habetis. Propter hoc mittam super vos bestias peiores, quæ deuorent mulierum vestrarum mamillas. Maledicam illis, qui in die Dominico aliquid mali fuerint operati. Maledicam illis, qui iniustè agunt contra fratres suos. Maledicam illis, qui malè pauperes, & orphanos indicant, quos terra portat. Me autem dereliquistis, & Principem huius sæculi frequen-*

tatis.

mini: Audite vocem meam, & habebitis misericordiam bonam. Vos autem non cessatis ab operibus malis, nec ab operibus Diaboli, quia facitis periuria, & adulteria. Ideò circumdabunt vos gentes, & deuorabunt vt bestia. Hactenus, quæ de Cœlo missa fertur, epistola; quam Seuerinus Vinius, Bzouiúsque, simul cum Eustachij nostri prædicatione, ille suis ad Concilia Ecclesiæ notis; hic Annalibus censuit inserendam.

6. Ego quidem Rogerium, Authorem grauem, & tunc viuentem, cùm ea, quibus ipse interfuit, scribit; aut quorum in eodem loco gestorum, ab his, qui viderant, potuit admoneri, habito testium delectu, atque iudicio, nequaquam omni fide dignum dubito, verè inter primos illius ævi Authores commorandum. At, cùm remota, quippe quæ in Oriente, & fama potiùs vulgante, ad eum perlata, quàm iusta veritatis inquisitione, minùs acquiesco; maximè in materia miraculorum, in qua superstitione, vulgò gliscente per speciem pietatis, crescere omnia, atque in maius augeri, etiam ab his, qui viderunt, consueuère. Nec solùm ex diuersis terrarum plagis, sed intra eandem vrbem, passim euentus fictos inualescere; atque ea constantia à multis affirmari, vt vel cordatos faciant assentiri. Iam nec stylus epistolæ, nec verba maiestatem humanam, nedum diuinum illud Numen præseferunt: quod in epistola, non per homines loquens, sed per se ipsum; vix erat, vnde ad eos loquendi modos humiles, & penè abiectos, demitteretur. Sed nec qui multifariè, multísque modis in Prophetis, & Filio suo loquutus, per epistolas loqui de Cœlo missas, hactenus consueuit vt adeò non sit facilè credendus nouus hic modus, recèns tunc inuentus, nulla sequuta Ecclesiæ approbatione. Sed de epistola satis. Nunc ad Eustachium, siue ea, siue alia occasione redierit in Angliam, reuertamur.

7. Pergit ergo Rogerius de eius reditu: *Peruenit Abbas Eustachius de Flay Eboracum, & à Gaufrido, Eboracensi Archiepiscopo, & Clero, & populo ciuitatis honorificè susceptus, prædicauit verbum Domini: & de transgressione diei Dominicæ, & aliarum Festiuitatum dedit populo pœnitentiam, & absolutionem, sub tali conditione, quod ipsi de cætero debitam impenderent Dominicæ diei, & aliis Sanctorum Festiuitatibus reuerentiam, non faciendo in eis quicquam operis seruilis: nec in diebus Dominicis exercerent forum rerum venalium; sed bonis operibus, & orationibus deuotè insisterent. Hæc seruanda constituit ab hora nona Sabbathi vsque ad ortum Solis in die Lunæ. Populus autem Deo deuotus ad prædicationem illius vouit Deo, quòd de cætero in diebus Dominicis, nec quicquam emerent, nec venderent, nisi forte cibum, & potum prætereuntibus.* d eadem par. 2. ad hūc an.

8. *Voluerunt etiam, quod de singulis quinque solidatis rerum, quascunque venderent, darent vnum quadrantem ad lumen Ecclesiæ emendum, & ad indigentium sepulturam. Et ad hoc colligendum statuit prædictus Abbas in singulis Parochialibus Ecclesiis fieri truncum concauum sub custodia duorum, vel trium hominum, vbi eas prænominatum populus iactaret. Statuit etiam præfatus Abbas, quod discus eleemosynarius haberetur quotidie in mensa diuitum, in quo partem ciborum suorum mitterent ad opus indigentium, qui sibi non præparauerunt. Prohibuit autem idem Abbas, ne quis in Ecclesiis, vel atriis earum venderet, vel emeret quicquam, aut placitaret. His ergo, & aliis Sancti huius Viri monitis inimicus humani generis inuidens, misit in cor Regis, & Principum tenebrarum, quod ipsi præceperint, vt omnes, qui præditas tradi-*

tiones custodirent, & maximè omnes, qui in diebus Dominicis forum rerum venalium deiecerant, ad regium examen, satisfacturi de obseruantia diei Dominicæ ducerentur. Sed Dominus noster Iesus Christus, cui obediendum est magis, quam hominibus; qui natiuitate, & resurrectione sua, & aduentu suo, & missione Spiritus Sancti in Discipulos suos, sibi hunc diem, quem Dominicum vocamus; illustrauit, & celeberrimum dedicauit; virtutis suæ miracula suscitauit, & in quosdam diei Dominicæ transgressores sic manifestauit.

9. *Quodam Sabbatho post nonam, quidam Carpentarius in Beuerlaco contra salubria vxoris suæ monita, clauum ligneum faciens, corruit in terram paralysi percussus: & quædam textrix post horam nonam in Sabbatho, cùm ad pertexendum partem telæ anxia insisteret, cadens in terram, percussa paralysi obmutuit. Et apud Nafferton, villam Magistri Rogerij Arundel, quidam homo fecit sibi panem subcinericium die Sabbathi post nonam, & inde comedit, & partem reseruauit sibi vsque mane: quem cùm die Dominica fregisset, exiuit sanguis: & qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et apud Vvalcefeld quodam Sabbatho, cùm Molendinarius post nonam operam daret, vt bladum suum moleret, subitò exiuit loco farinæ tantus impetus sanguinis, quod vas suppositum plenè impleretur sanguine; & rota molendini stetit immobilis contra vehementem impulsum aquæ. Et qui viderunt mirati sunt, dicentes: Parce, Domine, parce populo tuo. Item, in Linconiſtria parauerat quædam mulier pastam, quam deferens ad furnum post horam nonam Sabbathi, misit eam in furnum calidissimum: & cùm eam extraheret, inuenit crudam: & iterum misit eam in furnum valdè calidum, & in crastino, & in die Lunæ, cùm æstimaret se inuenire panes coctos, inuenit pastam crudam.*

10. *Item, in eadem Prouincia, cùm quædam mulier pastam suam præparasset, volens eam ad furnum portare, dixit ei vir suus: Sabbathum est, & hora nona iam præteriit: dimitte vsque ad diem Lunæ. Mulier autem obediens viro suo fecit, sicut præceperat; & inuoluit pastam suam linteaminibus mundis, & in crastino, cùm visitaret pastam suam, ne propter fermentum impositum vas excederet, inuenit panes inde, diuino nutu factos, & benè coctos sine igne materiali. Hæc est mutatio dextræ Excelsi. Et quamuis omnipotens Dominus, his, & aliis potentia suæ miraculis populum ad obseruationem diei Dominicæ inuitaret: tamen Anglicanus populus, plus timens regiam, & humanam potestatem, quàm diuinam, plusque timens illos, qui corpus occidunt, & quod vltra faciant, non habent, quàm illum, qui postquam corpus occiderit, animam potest mittere in gehennam; & plus timens terrena amittere, quam cœlestia, & transitoria, quàm æterna (proh dolor!) vt canis ad vomitum reuersus est ad forum rerum venalium exercendum in diebus Dominicis.* Hactenus Rogerius, atque eadem ex ipso Bzouius, & Vinius.

11. Addit Matthæus Vvest aliud miraculum, quod ad diuinas in epistola factas comminationes videtur alludere [c]. *Eodem tempore, inquit, mulier quædam de Prouincia Norfolkensi, Viri Dei monita spernens, vna die Sabbathi, post nonam, pannum lauare perrexit; quem cum laborioso conatu inchoatum primum opus instaret, Vir quidam reuerendæ ætatis, sibi penitus ignotus, accessit, sciscitans increpándo, quæ temeritate post Viri Dei prohibitionem ausa fuerit post nonam pannos lauare, & sanctum diem Sabbathi opere illicito violare. Addidit insuper, quod nisi celerius* [c] eius eodem anno.

ab

ab incepto desisteret, scivet se profectò iram Dei, cum Cœli vltione quamocyus incursuram. At illa Viro sibi sermocinanti, vrgentem prætendens inopiam, dixit, se huiusmodi habere vitam miseram eatenus perduxisse; & si ab opere consueto cessaret, periculum de vita subsidio non dubitaret. Denique, cum subitò Vir ille ab oculis eius euanuisset, propensius quam priùs fecerat, pannos suos lauare, & ad Solem siccare maturauit. Sed his omnibus vltio diuina non defuit. Nanque illicò mammille mulieris sinistræ, quasi porcellus colore nigerrimus, subitò adhærens, nullo conatu potuit euelli; sed assiduè sugendo sanguinem eliciens, totum ferè corpus miseræ mulieris in breui consumpsit. Tandem ad summam perducta inopiam, diu panem mendicare ostiatim compulsa est, quousque multis inuentibus, & diuinam vltionem admirantibus, vitam miseram miserabiliter terminauit. Ita Matthæus.

Occasione prædicationis Eustachij celebratum Concilium in Scotia post duos annos, Christi, nimirum, millesimo ducentesimotertio, tradit Severinus Vinius in suis, ad eandem Synodum, notis [f]: nullis alias Concilij Actis relatis; sed solis verbis Rogerij, quæ nos adduximus. Eustachium ipsum inter Sanctos memorant Arnoldus, Vvionius, Menardúsque in suis Martyrologiis, vterque in Appendice, vterque reticens Cistercien-sem Congregationem, quod Vvionio frequens; Menardus rarissimè vsurpauit. Henriquez Menologio suo inseruit ad duodecimum diem mensis Octobris. Miræus item in suis Originibus [g]. Multa de eo Nicolaus Arsfeldius in sua Anglia [h], & plures alij antiqui, & recentiores. Nos Virum non iam vltra hunc annum à nobis memorandum (neque enim aliam de eo notitiam habere potuimus) hac nota honoris censuimus dimittendum. 12.

f tomo 3. ad ann. 1203.

g lib. 5. c. 15.

h seculo 13. c. 15

---

1. Sanctus Guillelmus Philippum Regem primùm, 2. mox Canonicos suos sibi multùm rebelles, 3. pondere authoritatis ad se conuertit. 4. A Dæmone per cogitationes superbiæ patitur. 5. Vincit. 6. Vt auaritiam, 7. & crudelitatem à se abegerit. 8. Et quanto cum fructu. 9. Qualis in se, & ad Deum. 10. Qualis ad subditos. 11. Verus Pastor animarum simul, & corporum.

CAPVT III.

INTER hæc Venerabilem Guillelmum, Aquitaniæ Primatem, recèns electum, variæ pressuræ exercebant, & quò vehementiùs, iniuriosiúsque eum vrgebant, tantò amplius, constantiúsque supra firmam petram solidabant. Nam, & abs Rege Philippo, eiúsque Ministris, & à suis quoque Clericis; ab illis, quòd Ecclesiæ iura strenuè defenderet; ab his autem, quòd vitam, & mores eorum peruersos reprehenderet, & in meliorem statum reformare, ac restaurare conaretur, multa grauia perpessus: & nisi constantia, prudentiáque, proteruiam illorum, atque contumaciam vicisset, haud dubiè potuit, insurgentium multitudine, aut pondere authoritatis regiæ labefactari. Sed prævaluit in Sancto Viro zelus, virtúsque: & quos initio persecutores habuit, eùm primùm sanctam eius vitam, conuersationémque nouerunt, adeò obsequentes, imò & obsequiosos expertus est, vt omnes omnium rapuisse voluntates, atque in sui cultum, & venerationem conuertisse iudicaretur. Narrant hæc pluribus eiusdem Sancti Acta, quæ hìc inserere necessarium duxi: sic autem apud Surium habent [a]:

a Ian. 10.

In ipsis fanè Pontificatus sui initiis multas persecutiones, & infestationes pertulit, quibus etsi fortasse concuti potuit; deiici tamen, aut euerti nequaquam potuit. Regem Francorum alioqui Christianissimum, ob causas quasdam, quæ in ecclesiastici iuris detrimentum cederent, diu iratum patienter sustinuit. Non deerant enim, qui Regis, ex ignauia peccantis, iram, admotis facibus, magis, magisque inflammarent. Videre tunc licuit multos ex iis, qui serena tempore amici putabantur, inimicorum induisse animos, & quidem Regni Optimates. Erant & Satrapæ Regis plùs humani, quàm Deo placere appetentes, qui improbis sermonibus hortarentur eum, vt Regem insistè, vt mentiebantur, offensum sibi reconciliaret: quòd si cunctaretur, se illius facultates minarentur in fiscum regium redacturos; & illum, tanquam læsæ Maiestatis rerum, proscripturos. Sed Ecclesiæ columna, nec blanditiis enervatur, nec terroribus concutitur, sciens, Deo magis oportere, quàm hominibus obedire. Exiterunt autem, sua Zizania seminante omnis dissensionis satore Diabolo, etiam discordiæ grauissimæ inter ipsum, & Clericos Metropolitanæ Ecclesiæ, adeò vt quidam ex illis non leuibus eum contumeliis, & probris afficerent, quorum sanè ille furori cedere maluit, quàm maledictum reddere maledictis, & liti, atque contentioni inseruire.

1.

Verum omnipotens Deus quorundam bonorum Virorum opera, & intercessione, & Regem Pontifici, & filios Patri conciliauit, omni illa tempestate sedata. Sanctus autem Pontifex ex vtraque hac infestatione creuit existimatione, & gloria, vbi robustæ mentis eius constantia, & præclara apud Deum merita, quæ priùs homines latuerant, se se declarare cœperunt. Rex enim, auditis sanctitatis eius testimoniis, suo illum fauore complexus est; & Clerici punctì pœnitentia, Patrem suum, & amare ardentius, & maiori prosequi reuerentia, studem. Ille è diuerso rebelles priùs filios, amplius & veneratur, & diligit: & aliis, qui nunquam eum offenderant, etiam præferri, & anteponit. Nulla postmodum in illa Ecclesia exitit rebellio, omnia pro suo arbitratu statuit, cuius rei nos testes sumus oculati. Tum enim certis indiciis plenum eum esse Spiritu Sancto, crebrò comperimus, vt aliquid illi statuere volenti, si quis eo absente resistere deliberasset, illo præsente non posset: imò verò, quod plùs habet stuporis, & admirationis, cunctis omnium, non sine miraculo,

2.

in id consentientibus, vt ius conferendi Sacerdotia, quæ vulgò Prebendas vocant, in illum, & eius gratia in Successores illius transferrem, quod antèa semper ad totum eorum Collegium pertinuerat: ille hoc præsentiens ad Ecclesiæ damnum quandoque cessuram, sponte, & liberaliter hanc oblatam donationem, nullo pacto admittere voluit. Hactenus ibi. Pergunt Acta de alio viro potente, iura Ecclesiæ violenter vsurpante, cui non restiterit minori authoritate.

4. Iam quem per homines non potuit superare, per se ipsum aggressus hostis communis, cogitationum stimulo vexatum, cùm illecebris carnis non auderet, per superbiam adorsus, maiorem illi luctam concitauit. *Videns enim* (ait Author Vitæ ipsius [b]) *serpens tortuosus, antiquus nostræ salutis aduersarius, Virum sanctum multiplici gratia, & variis virtutum vernare floribus, multas, easdémque occultas contra eum instruit machinas: modò generis nobilitatem, modò sanctionis excellentiam, modò Ordinis Cisterciensis præstantiam, modò vitam in eodem Ordine ab adolescentia innocenter transactam ob oculos illi ſtatuens, vt tam multis vanæ gloriæ incitamentis, ad animi tumorem, & fastum eum impelleret, horiaretúrque pra se altos contemnere, nec omninò sui ferre contemptum; subditis imperare seueriter, insurgeros punire atrociter, cuncta sibi licita arbitrari, plus omnibus sibi sapere videri.* Hactenus lucta, quò occultior, periculosior; quò interna, diuturnior; & cui latenti per speciem gratitudinis, accepta à Deo beneficia commemorantis, facilior aditus, & difficilior repulsa foret.

[b] *ibidem.*

Verùm, quibus se Sanctus munierit armis, idem qui suprà, Author pergit scribere [c]; *At verò*, ait, *versuti hostis fraudes intelligens Vir sanctus, doctus ad prælia spiritus, inexpugnabili humilitatis scuto se munit, & superbi hostis callida machinamenta in illius caput retorquet: sicque fraus in se conuersa elidit ur. Nam, qua ille ad commouendam superbiam adhibuerat, Vir Sanctus Scripturæ diuinæ, & sententiis, & exemplis facilè profligauit. Simul autem ad fortissimum sanctarum precum præsidium confugiens, ita Dominum orabat: Domine Iesu Christe, qui ad te clamantes, à tua misericordia non repellis, quique dixisti: Ego sum lux Mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Praualui aduersùs eum. Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui. Non veniat mihi pes superbiæ; & manus peccatoris non moueat me.* Hactenus de superbiæ tentatione, qua quondam victus humani generis hostis, vincere cogitabat Sanctum Pontificem.

5. [c] *ibid.*

6. Sed maiora cum certamina manebant, quibus pro zelo Dei, auaritia; pro iustitia, crudelitas; etiam à viris magnis suggerebatur: nam audi, quod sequitur [d]: *Postquàm autem virulentus serpens suis se artibus nihil in Sancto Episcopo profeciſſe vidit, etsi turpiter pudefactum se doluit; at nec sic tamen à nocendi studio cessauit. Suggerebat animo illius, vt quos ob illorum scelera Communione priuasset, illis ex more totius Ecclesiæ Gallicanæ, mulctam pecuniariam irrogaret, præter illam satisfactionem, quam pro qualitate criminum imposuerat: vt vel sic à similibus admittendis coercerentur. Nec hic deerant viri magni nominis, qui dicerent, eiusmodi pecuniam posse eum in suos vsus conuertere: aut certè, si id mallet, pauperibus erogare. Sed in hac re Vir sanctus admirabili vsus est moderatione, & discretione, vt nec Deum offenderet, cui soli placere cupiebat; nec præ-*

[d] *ibid.*

ximis scandali materiam offerret, quos videbat non ita subitò ab hac consuetudine posse reuocari; nec æquo laturos animo, si ea pecunia priuarentur: imò potius hac occasione maioris quæstus rationes, & vias meditaturos, in sua salutis perniciem. Itaque media quadam incedens via, reorem patria, nec damnare planè voluit, nec approbare: sed accepta cautione de soluenda mulcta pecuniaria, congrua satisfactione pro criminum ratione imposita, excommunicatos clementer absoluit; gratias agens Deo, quòd rebelles filij ad sinum Matris Ecclesiæ se recepissent: pecuniam verò postea nullam ab eis accepit, licèt ob incutiendum salubrem timorem, sæpiùs se acceptaturum minaretur. Omnes enim Mundi huius opes, haud secùs atque stercora aspernabatur, thesauros suos in Cœlis collocans, vbi tota animi eius intentio versabatur.

7. *Eundem in modum, cùm illi persuaderetur, vt in malitia obstinatos, & incorrigibiles, collecto exercitu, debellaret, quò illis profligatis, tranquillitate, & pace Ecclesia frueretur, & liberiùs diuinis Officiis vacaret: quam ad rem confirmandam itidem adducebantur Patrum exempla, mos Regionis à Patribus institutus, à posteris obseruatus: ne quid properè Vir sanctus ageret, ad deliberandum, Deúmque obsecrandum temporis spatia accepit. Valdè enim ab effundendo abhorrebat sanguine; nec libebat militaribus accingi armis, hostilésque vastare terras, & prædas agere. Ne tamen, vel ritum patria temerè damnare, nec maiorum instituta explodere videretur; promisit quidem, se facturum, quæ illi suasissent: sed hostes non ferro, aut igni, sed spiritualiter oppugnandos suscepit. Obduratos igitur, & pertinaces seorsum ad se euocat, acriter obiurgat; gladio spiritus, quod est verbum Dei, prosternit: adhibet comminationes æstuantis gehennæ, illam fornacem picis, & sulphure semper arsuram ob oculos ponit: & ne parum efficax sit sermo, assiduis, & quotidianis se macerabat ieiuniis, orationibus, & vigiliis, vt Deus eorum duritiam emolliat.* Hactenus, quæ sanctissimos quosque vexare solent, dubitationes practicæ, quando voluntas in quodcunque bonum prompta, imò & in melius, sed vtrinque præpositis rationibus, vtrinque authoritatibus, hæret iudicium, nec discernit inter obiecta.

8. Porrò quam in his viam Sanctus elegit, finctus ipse sequutus comprobauit, quippe, *Non est spe frustratus sua, non sine stupore & admiratione multorum: subitò ex lupis agni, ex persecutoribus amici; ex alienis familiares fiunt: & quibus antea contemptibilis, & vilis habebatur, iam non modò Archiepiscopum, sed sanctum vocant Archiepiscopum: parent subditi suo Pastori, ad votum celeriter vota capessunt. Si qui autem, necdum obtemperare volunt, ab aliis non alio, quam Ethnicorum, & publicanorum loco habentur, felices putantur, quibus imperare dignatur, quibus obuiam procedentibus benè precatur, quibus vel fimbriam vestimenti eius contigerit attigisse. Sancta conuersatio eius omnium animos illi conciliabat, præsertim quòd ex signis haud obscuris animaduerterent, eum esse apud seipsum humilem, quem meritò deberent imitari: nec deesse illi authoritatem, quam non immeritò formidarent.* Hactenus ibi; nec plura nos de victoriis Sancti Pontificis: nam has omnes victorias meritò dixerim. Cæterùm, qualis in se, & ad Deum fuerit, qualis etiam ad suas oues, breuiter pandam [e]:

[e] *ibid.*

Crebras ad Deum fundebat preces, idque & secre-

9.

rò,& prolixè, *sciens dictum ab Apostolo* g: Sine intermissione orate. *Sub ipsis autem precibus, & Missæ Sacrificio, mirabili afficiebatur gratia compunctionis. Vidisses ex oculis, tanquàm ex fonte quodam indeficienti, vbertim manare lacrymas, pia quadam dulcedine,& sanctæ deuotionis ardore conditas. Si quæ se animo illius voluissent peregrinæ cogitationes ingerere, cum Sancto Abrahamo eas abigebat; nostræ Redemptionis mysteria in tanto Sacrificio, non sine maxima Spiritus delectatione, reuoluens, nec aliter illud peragens Sacrificium, quàm si Christum Dominum coram cerneret pati,& crucifigi. Erat eius animus totus in Cœlis, ardenti desiderio cupiens ad illam beatam patriam pertingere: sed interim tamen non sic vni vacabat sibi, vt suarum ouium obliuisceretur. Ab illis sublimibus animi exercitiis, ab illa cœlestium sublimi contemplatione dimittebat se ad consulendum subditis suis; ad defendendos pupillos, & viduas: ad subueniendum oppressis: ad tractanda multiuaria negotia crediti sibi gregis. Itaque & diuinis sic inhærebat studiis, vt curam populi sui non negligeret: sicque vacabat suorum procurandæ saluti, vt à cœlestibus appetendis,& consecrandis non auelleretur.*

g Thess. c. 4.

10. At, quanto affectu commissas sibi oues & curaret & pasceret, quæ sequuntur manifestiùs indicabunt h: *Si quos Vir Sanctus comperisset, in ecclesiastici Iuris,& libertatis iniuriam, carceri mancipatos, tandiu ante fores carceris sub dio persistebat, donec ei essent reditti illæsi. Exemplo autem Tobiæ prouocatus, non tantùm mortuos sepultura mandabat; sed etiam sine personarum acceptione fratrum funera prosequebatur: pauperum & peregrinorum humandis corporibus libens necessaria præbebat. Intererat autem huiusmodi tristibus spectaculis, vt inde in memoriam rediret conditionis humanæ, extremorúmque suorum, & hæc cogitatione aduersus peccata se muniret.*

h Ibidem.

Eadem autem misericordiæ opera etiam spiritaliter 11.
suis impendebat: esurientes pane verbi Dei pascebat: sitientes aqua sapientiæ salutaris, & doctrinæ cœlestis reficiebat; nudos secundum animam, ac bonorum operum indumentis destitutos, verbis,& exemplis optimis communiebat ad charitatis studium eos prouocans, quæ est vestis nuptialis. Christum Dominum ad sui cordis hospitium inuitabat, cœlestibus cogitationibus intentus, ne quid intra ipsum tantum hospitem offenderet: infirmos,& in carcere detentos visitabat: vitiorum æstu, tanquàm quibusdam febribus exagitatos salubberrimarum admonitionum medicamentis fouens,& curans; & peccatorum nexibus constrictos, & vinctos absoluens: mortuos sepeliebat, peccata mortifera oris confessione docens explicanda. Cùm enim sponte hîc nostra in confessione peccata detegimus; id efficimus, vt in suo Iudicio Christus ea tegat. Hactenus sumpta ex Actis Viri sanctissimi. Reliqua suis locis dicenda erunt.

---

1. *Vualterus Rothomagensis Archiepiscopus* 2. *eleemosynam annuam, neque exiguam Cistercio donat.* 3. *Rodericus mox Toletanus Præsul*, 4. *Parisiis existens, apud Hortenses sepulturam eligit.* 5. *Humbertus, Sabaudiæ Comes, in Habitu Cistercij moritur.* 6. *Thomas Cistercienſis, Claromontani Præsulis iussu Cantica explanat,* 7. *inter quæ Pontius ad cœlestes vocatur nuptias.* 8. *Rodulphus Meilrosensis Abbas consecratur Episcopus Dunensis,* 9. *Dictum de Ioanne Cardinali Legato, sub quo eius electio est celebrata.* 10. *Absalon Archiepiscopus Lundensis Sora ægrotat, obit, sepelitur:* 11. *& laudes eius succinctè memorantur.*

CAPVT IV.

1. HOc anno insignes donationes nostris factas lego, alteram Rothomagi, Parisiis alteram: priorem Monasterio Cisterciensi, Hortensi secundam: illam pretio æstimabilem, haud paruo; hanc supra omne pretium, quippe quæ insignem sanctitate Virum, doctrináque Rodericum Ximenium, futurum Toletanum Archiepiscopum, Hispaniarum Primatem, non multò pòst, (vt in vita Martino,& nostris addictum, sic nec post mortem ab eis separandum) confirmauit scripto, cui nulla ex causa liceret contraire: ingentem sanè Hortensibus thesaurum, quem hodiéque conseruant, venerantur, atque omnibus aliis anteponunt. Rothomagi Archiepiscopus Gualtensis, quem contra vterque Guido missus pro Rege Galliæ (Cistercij Abbas, nimirum, & Clarævallis) decem millia alectiorum (genus piscis, vt credo) Cistercio tribuit, in cius portu quotannis persoluenda. Extat & legitur scriptum donationis, confirmatum à Gregorio IX. post annos aliquot, atque confirmationi ipsi insertum, cuius hic tenor a:

a ex priuileg. Domus Cisterciens.

2. *Omnibus Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum peruenerit, Gualterius Dei gratia Rothomagensis Archiepiscopus, Salutem in Domino.*

Ad vniuersitatis vestræ notitiam volumus peruenire, nos diuinæ pietatis intuitu, assensu, & voluntate Capituli nostri, dedisse, & concessisse dilectis amicis nostris, Abbati, & Conuentui Cisterciensi in liberam, puram,& perpetuam eleemosynam, decem millia allectiorum annuatim in manerio, & portu nostro de Riepa, de redditu nostro soluenda, inter Festum omnium Sanctorum,& Festum S. Martini, libera ab omni consuetudine. Vt autem hæc nostra donatio rata, & inconcussa permaneat, eam præsenti scripto,& sigilli nostri munimine duximus roborandam; & ad maiorem securitatem sigillum Capituli nostri, nostris præsentibus Litteris fecimus apponi. Testibus Geraldo Pontigniacensi, Baldo Vrsicampi, Ioanne de Quinciaco Abbatibus, Domino Richardo Decano Rothomagensi, Magistro Ioanne de Villers: Magistro Roberto Balbo Canonicis Rothomagensibus. Datis per manum Roberti de Sancto Nicolao Capellani apud Rothomagum, anno Incarnationis Dominicæ M. CC. I. Calend Iulij. Hactenus Vualteri donatio Cistercio facta.

3. At Rodericus, cùm Parisiis moraretur, incertum, qua occasione; nam studia litterarum, quibus præeminuit, iam longè antè ibidem consummauerat; siue imminentis assumptionis suæ præscius, quod & litteræ indicant, & ipse etiam euentus demonstrauit; (quippe Oxomensem primùm, mox Toletanam Sedem occupauit breui interstitio) siue Martinum, & Hortam vbique cogitans, à quibus nunquam vellet separari; charitate in vtrumque sola vrgente: neque enim alium exactorem Parisiis habere potuit, si in Hispania decederet, sepulturam ex tunc Hortæ elegit, quacunque

eanque alia postposita Ecclesia, etiam cui præsideret, confirmans factum, quibus potuit modis, tum iuramento, tum scripto irrevocabili. Extant, leguntúrque Litteræ ipsæ, quas statim Hortam misit, quarúmque exemplar ad sacrum eius corpus, nam velut Sancti colitur per miracula à Deo manifestati, ante octuaginta annos repertum, plùs, minúsve, & pectori adhærent, quasi nihil magis in votis habuisset, fuit inuentum: est autem tale.[b]

b ex lib. prim. Horta.

4. *Notum sit omnibus, tam præsentibus, quàm futuris, quòd ego Rodericus Ximenij sepulturam mihi apud Hortam elegi, & hoc etiam Sacramento confirmaui; ita quòd si in Hispania obiero, Monachis prædicti Monasterij corpus nostrum requirentibus, etiamsi Prælatus fuerem, nullus eis valeat denegare. Hæc promissio facta est Parisiis anno ab Incarnatione Domini M.CC. Lxxxvi. Kalend. Maij: & ne in irritum vocari possit, manu propria conscripsi, & proprium sigillum apposui.* Hoc, suo tempore, Sancta Ecclesia Toletana instrumento præuenta, tandem concessit; & quem doctissimum, ac sanctissimum Pontificem, toto Orbe Christiano longe celebrem, per hæc tempora habuisset, à se alienari passo, Martino in vita, & morte fidelem assecla; Hortensibus exuuias sacri corporis habere permisit; non ante generalem resurrectionem ab illo loco; & ne tum quidem (ô faxit Summum Numen!) ne, inquam, tunc ab ipsis separandas.

5. Sub idem tempus Humbertus, Sabaudiæ Comes, cùm diu, & multùm desideratam prolem, ex Petronilla vxore suscepisset, Thomam, & Eleonoram, persuasa coniugi mutua continentia, atque ipsa, Thomáque abundè instructis, vt subditos in pace conseruarent, non multis ante mortem suam diebus, dicitur suscepisse Cistercij Habitum, in Cœnobio Altæcumbæ, quod ipse fundauerat. Vbi & feliciter in breui consumptus, sepultus est in ipso Habitu, quem viuens suscepisset; & per miracula post mortem claruisse fertur. Ita Bernardus Brito[c] ex Paradino: & ex Brito, Henriquez ad decimamsextam diem mensis Decembris. Hic ille Humbertus, Amædei Comitis filius, in quem Anselmus Bellicensis Præsul anathema vibrauit, vt latiùs narratur in eius Vita[d].

c lib. 6. c. 38.

d apud Surium, mense Iunio.

Eisdem temporibus explanasse Cantica creditur Thomas Cisterciensis: quippe qui dicitur ab Authoribus[e] floruisse, id est, ex hac ad meliorem vitam migrasse, circa annum Christi M. CC. XXX. Quare, vt multùm, scriptis sui superstes triginta annos durauerit, non potuit ante hunc Opus perficere. Sed neque diutiùs prorogasse credendus est, qui idem Opus Pontio dedicauit Claromontensi Episcopo ex Abbate Clarævallis assumpto circa ann. M. C. LXXI. id est, ante alios integros triginta, quos vltrà vir grandæuus vix credi potest vitam prolatasse. Ergo & scripta Thomæ, & Pontij obitus hoc tempus concementia, plùs, minúsve, hìc etiam nobis veniunt recensenda. Scripta Thomæ describit Sixtus Senensis[f], seu verius ipse Thomas, ex quo desumpsit: sic autem ait: *Thomas, Cisterciensis Monachus, eloquentiam D. Bernardi, & eiusdem in colligendis diuinæ Scripturæ floribus diligentiam affectans, scripsit ad Pontium, Claromontensem Episcopum, Commentariorum in Canticum Salomonis libros octo, non aspernandos, quorum methodum ipse in præfatione totius Operis in hunc modum expressit: Ego cum Ruth Moabitide, post Origenem, & alios præfatos messores, Gregorium, Bedam, & Bernardum, spicas, id est, sententias, palea litteræ inuolutas, satago colligere: verum singulos versiculos ab integumento palea absoluo breui, & compendiosa expositione: deinde modulatam sententiam multiformi dispono distinctione,*

e Benedictus Bernried, & alii.

f lib. 4. Biblioth. litera I.

postmodum quasi apis argumentosa percurrens, flosculos Scripturarum, quæ exposita sunt, & distincta, earum roboro attestatione. Operis initium est: Vehementer obstupesco, & vltrà quàm dici potest, admirari non desino. Ascensius excudit Parisiis anno M.D. XXI. Hæc de Thoma, & scriptis eius Sixtus Senensis. Addo vulgata ea cum Commentariis Cardinalis Ailgrini, qui non multò pòst scripsit, nempe, circa annum Christi Seruatoris M. CC. XXXIII. vt sub eorum finem adnotatur.

De Pontio multa à nobis superiùs dicta, cùm Grandis syluæ, cùm Clarævallis Abbatem ageret, cùm paci Ecclesiæ Episcopus iam factus, sub Alexandro III. prouideret. Ea obtenta in sponsi sinu quiescens, cùm senio fractus iam thalamum cœlestem præstolaretur, iniunxit Thomæ, quem sciret spiritualem, & eruditum, vt explanaret Cantica, cuius ipse frueretur meditationibus. Mandatum eius prodit idem Thomas ad eundem scribens in hæc verba[g]: *Vehementer obstupesco, & vltrà quàm dici potest, admirari non desino, quòd tam sublimis tam parum, tam disertus tam imperitum, tam spiritualis tam irreligiosum ad exprimendam de Canticis Canticorum spiritualem dulcedinem, non tam blandimentis inuitauerit, quàm flagello facto de funiculis charitatis coëgerit.* Et post pauca: *Coarctor enim, & è duobus quid eligam, ignoro: si enim hoc egero, timeo confusionem insufficientiæ: si autem non egero, non effugiam foueam inobedientiæ.* Ergo, dum nouas antiqui Epithalamij delicias congerit, vocatus ad nuptias, ad thalamum, quem suspirabat, cœlestem admissus est, æternis gaudiis cum sponso fruiturus. Eundem inter illustres sanctitate viros Cistercij memorant Ioannes Abbas,[h] & Missale Ordinis vetus[h], ex quibus hausit Henriquez[i], alíque, qui facilè apud ipsum videri possunt. In Catalogo Episcoporum Claromontensium apud Claud. Robertum, Pontij tum præsulatus, tum vita breuior: & dicitur ad Superos transiisse die secunda Aprilis M. C. LXXXIX. Quod minùs probo, ne Thomæ iuueni, aut vix adhuc pueritiam prætergresso abstrusissimi libri Commentarium, ab eodem iniunctum fateri cogar. Quòd si ad hunc annum vsque protraxit vitam, ei videntur scripsisse Clemens III. & Cœlestinus III. duas epistolas, quæ habentur in capite quarto, & in capite, *Quæsiuit.* de electione, in secunda compilatione. 7.

g in epistola nuncupator.

h in Menol. Marty 5.

i ....

8. Concernere etiam videtur præsentem annum, nisi tamen irrepsit error in numero, id, quod Thomas Demsterus adnotauit[k]: *Radulphus*, ait, *Abbatis authoritate Melrosiam regebat, dum in Scotiam appulit Ioannes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Sancti Stephani de Monte Celio, Legatus à latere per Scotiam, & Hiberniam; qui indicto Penbum Concilio dierum quatuor, mores Ecclesiasticorum reformauit. Tum in Hiberniam ex officio Legationis concessit, secúmque Radulphum Abbatem adduxit, & Ecclesiam Dunensem, ex morte sui Præsidis, Pastore destitutam, ei commisit; qui religiosè eam administrauit. Scripsit Acta Concilij Perthusani, lib. 1. Ad suos Melrosenses, librum vnum. Epistolarum ad Ioannem Legatum, librum vnum. Ex Scotia in Hiberniam Legatum apostolicum vt sequutus anno 1201. Scoti Chronicon lib. 8. cap. 61. quandiu federit, non inueni.* Ita Demsterus.

k Histor. de gent. Scotor. lib. 16.

9. Quæ si verè hoc anno gesta sunt, referenda fortassis ad Arnulfum Melrosensem Abbatem, & Glascuensis Episcopi Collegam, cuius suprà meminimus, in causa Archiepiscopatus Sanct-Andreani, quod timidè, & sub dubio tantùm dixerim. Certè hunc Ioannem Legatia in Hibernia functum per hoc tempus,

inuenio apud Chaconium, vbi de ipso, hoc est, in prima creatione facta per Cœlestinum, quæ incidit in annum M.C.XCI. sic enim habet [1]: *Ioannes Salernitanus Campanus, Presbyter Cardinalis tituli S. Stephani in Monte Cœlio, Cœlestini III. in Germaniam, Innocentij verò III. in Regnum Siciliæ Legatus, in cuius præsentia B. Comes Lunestæ Magister Iustitiarius iuranit, se Romanæ Ecclesiæ mandatis pariturum. Ad hunc in Angliam, & Hiberniam Legatum multas epistolas Innocentius III. scribit, monens inter cætera, vt eum in Hibernia abusum tollat, quo filij, & nepotes patribus, & auis in beneficiis succedebant. Moritur sub Innocentio III. eius Regest. an.* 1256. Ita Chaconius ex Regestis Vaticani de Ioanne Cardinali: vt palàm fiat, protraxisse vitam, vt minimum vsque ad sequentem, & subsequentem annos, Legatúmque egisse per Hiberniam circa hoc tempus. Reliqua siue Emulfi, siue Rodulfi ignota hactenus, vt multa alia nostrorum, quæ, ô vtinam! addant, quicunque nouerint.

[1] sub Cœlestino III.

10. Hic idem annus Sotaniæ in Dania, Ecclesiæ illustris & tristis, morte sui Fundatoris Absalonis, Lundensis Archiepiscopi, de quo multa superiùs memorauimus. Ne solum corpus illuc deferretur, religiosè prouidit, dum adhuc viueret: & seu præsensit instantem sibi mortem, seu impetrauit; quos ab infantia charos habuisset Cistercij Monachos, atque inter quos voluerat sepeliri, inter eosdem voluit consummari. Haud aliter S. Malachias in Claraualle, inter Bernardi fratres, filiósque, non solùm inhumari optauit, sed etiam moti. De Absalone Isaacius Pontanus ad hunc annum scribens, hæc habet verba: *Duodecimo Kalendas Aprilis eiusdem anni, Archiepiscopus Lundensis, Absalon, vita diem complenit apud Selandos in Monasterio, quod ipsemet ibi exadificare fecerat Sorano, vbi, & sepulturæ honore decoratus est. Epicedium, quod eius tumulo est inscisum, vitio longi æui hisce tantum primoribus characteribus legi hodie potest:*

Terrarum terror tegitur.

Interim virtus, ac res illius, domi, foríque, præclarè, ac feliciter gestæ, ex Annalibus, ac supra pro parte memoratis, sunt illustrissima. Ita Pontanus. Sed, nos de eiusdem Viri verè sancti, & de Cistercio perquàm optimè meriti, tum laudibus, tum morte, Arnoldum Lubecensem, antiquiorem Authorem, atque meliorem notæ proferamus [m]:

[m] lib. 4. c. 18.

11. *Hoc dierum curriculo, ex hac vita subtractus est Dominus Absalon, Lundensis Archiepiscopus, vir religiosus, & magni consilij, siue discretionis, & præcipuè honestatis. Huius industria omnes Ecclesiæ totius Daniæ priùs discordantes, vniformes in Officiis diuinis factæ sunt. In Cathedrali Sede Crucifixum super affigi præcepit, vt accedentibus, & recedentibus reuerentia Crucifixo magis, quàm sibi fieri videretur. Præterea largè suis Ecclesiis, & Monasteriis conferens, maximè Cathedralem Ecclesiam B. Laurentij Martyris Lundis ditare, & ornare studebat coronis pretiosis, & campanis maximis, vt nunc cernitur, & diuersis ornamentis. Et quia erat, vt dictum est, vir Religionis amator, Monasterium Cistercienſium Monachorum in Sora ædificare, & dotare satagebat: vbi etiam circa finem dierum suorum molestia corporis tractus ægrotabat. Ordinatis autem Ecclesiæ suæ rebus, in die B. Benedicti Abbatis diem clausit extremum. Cuius morte omnis Dania non parum indoluit; & quia multos discordantes ad pacem in vita sua reformauit, ipsius exitum Iesu Christo pacis Authori commendabat.* Hactenus de Absalone Lundensi Præsule, & successore Eskilli, quem vel in morte voluit imitari.

---

1. *Ratio temporis dicendorum in hoc capite.* 2. *Maria Virgo Villarienſem Godefridum vocat:* 3. *qui lubens sequitur.* 4. *Felix transitus viri, & apparitio.* 5. *Sepulcrum humile per reuelationem elatum:* 6. *& Cæsarius Villarij iam tunc Prior.* 7. *Mors Christiani Heisterbacensis Monachi:* 8. *& correctus Arnoldus, Fusionius.* 9. *Duorum iuuenum in nouo castro pia deuotio:* 10. *& Abbatibus Grandis-siluæ, & Bellapertica causa commissa.* 11. *In Vsaria subrogatur Garsiæ Laurentius, qui olim damnati apparitione socij conuersus fuerat.*

CAPVT V.

1. DVOS circa hunc annum, aut paulò antè insignes sanctitate viros obiisse constat, Godefridum Sacristam, Christianúmque: hunc in Heisterbacensi Monasterio; illum Villarij, vtrunque à nobis superiùs memoratum: sed vtrunque in hoc Capite absoluendum. Et quidem Godefridus in Villario Caroli Abbatis electioni superstes, sub quo, & vixit, & obiit, & cum quo legitur Heisterbacum aduenisse, cùm alius decesserit ante fundatum Monasterium Cameræ, quod dicemus statim: neque potuit hunc annum transilire, nec multùm antevertere; sed nec Christianus, qui iuuenis decessit in Heisterbach, vitam in longum valùt prolatare.

2. Igitur Godefridus circa hoc tempus multis meritis clarus, multis miraculis, tandem vocante Matre Misericordiæ, felicis migrationis suæ notam cognouit, de quo ista Cæsarius in suis Dialogis [1]: *Secunda feria post Palmas stans in Choro, cum Psalmus,* Eructauit cor meum. *deuotè à Conuentu decantaretur, ecce Gloriosa Dei Genitrix Maria, de Presbyterio descendens, & Chorum more Abbatis circumiens, Monachis benedixit: sicque inter Abbatis, & Prioris stallum exiens, quasi ad Conuersorum Chorum properauit. Exiuit ille post eam, vt videret, quò iret: sed eam videre non potuit. Statim, nescio, vtrum proxima, vel tertia die infirmari cœpit: & cum laboraret in acutis, vsque ad Pascha in Conuentu perseuerans, dorsúmque castigationibus lacerans, atque sacros pannos cum cæteris lauans, tandem infirmitate depressus, in Infirmatorio positus est.* Ita Cæsarius.

[1] lib. 1. c. 35.

3. Distinctiùs tabulæ Cœnobij Villarienſis, quarum hæc verba [b]: *Cùm in Annunciatione Beatæ Virginis, nocturnis vigiliis, solemniter decantarent, & maximè in coadstantium sibi Fratrum concentu condelectaretur, vidit Beatam Virginem Matrem Chorum circumeuntem, Fratres confortantem, & ex eadem parte Chori, qua intrauerat, exeuntem. Quantum, qui hoc viderit, sensérit cordis tranquillitatem, & in spiritu suauitatem, nan est homo, cuius lingua condignè possit enarrare. Subsequutus itaque de Choro exeuntem, à pia Iesu Matre amicabile responsum accepit: Reuertere ad Fratres*

[b] apud Henriquez Octobr. 3.

tres tuos, ne sequaris amplius me, quia citò ex toto me sequeris, recepturus tui laboris præmium. Hactenus ibi. Quæ verba cùm adducat Henriquez in Menologio; nescio, quo fundamento, pretiosam viri mortem, quæ statim contigit, distulerit in secundam diem mensis Octobris: in quo etiam errauit Arnoldus de Raisse in Natalitiis suis Sanctorum Belgij.

4. Iam Pater Sanctus in extremis positus, præmium suorum laborum præstolabatur; & Infirmarius, Cæsarij verba assumo [c], *Cùm instaret tempus prandendi, dixit ad eum: Invitus vado comedere, timens, ne interim moriamini. Vade, inquit, securus: antè videbo te. Qui cùm in mensa sederet, Godefridus ostium Refectorij aperuit, Monachum respexit, & benedixit: sicque versus Oratorium tetendit. Territus ille putabat miraculoso conualuisse; statimque percussa est ad exitum eius tabula, & recordatus est Infirmarius, quia hoc ei promiserat.* Sic Sanctus senex illudebat morti, dum moreretur; & quasi iam victoriam consequutus, congressu in ipso, de morte triumphabat.

[c] *vbi suprà.*

5. Idem, qui suprà Cæsarius Author est, cùm sacrum corpus lauandum denudaretur, inuentum dorsum ex virgarum ictibus liuidum, etiam vsque ad circumstantium, qui nouerant sanctitatem ipsius, admirationem. Funus viri deuotio totius populi, deuotionem miracula frequentia sequuta sunt: nec minus crebræ cœlestes reuelationes, quæ cùm crebrescerent, & durarent per annos aliquot, non multò antequàm idemmet Cæsarius suos Dialogos scriberet, hoc est, post duodeviginti annos à Sancti morte plùs, minúsve (nam Cæsarius scribebat circa annum Domini M. CC. XXII. vt sæpiùs repetiuimus) Villarienses per Oraculum admoniti, sacras eius exuuias terra effossas venerabiliùs, & decentiùs collocauerunt: quod idem ipse testatur eodem loco: sic enim ait: *Nuper per reuelationem leuata sunt ossa eius.* Atque hinc Author corrigendus venit Ioannes de Assigniis; siue is ille Author, quicumque sit, quem Gallicè reddendum sibi proposuit, quatenus ait, Godefrido, Infirmario, apparenti dum moreretur, adstitisse Cæsarium, qui in eadem Domo Prioris officio functus, dudum decesserat: quippe Cæsarius, qui Godefridi mortem scribit, & post mortem secutam eleuationem, non potuit ante ipsum decessisse.

6. Verum est tamen, quod Aubertus Miræus narrat, ex Chronico Villariensi sumptum, Cæsarium Godefrido perfamiliarem, cùm ibidem obiret Prioris munus. Quod si ita est, vt reuerà esse potuit, consequenter & nobis dicendum erit, Cæsarium Heisterbaci vix dum professum ad Villarium vocatum, vt ageret Priorem in ea Domo. Quippe quem Carolus dudum cognouisset in Heisterbach, nec dubitaret morum maturitate, iudicióque, defectum experientiæ compensaturum. Cæterùm in eadem Vita Beati Godefridi, quam Assignies vulgauit, multa & mira narrantur de Sancto Viro: extinctæ lampadi per ipsum accendendæ, missam de Cælo lucem; puerum Iesum apparuisse illi in Hostia manibus contrectandum, cernendum oculis, à quibus se non priùs occultauerit, quàm per sumptionem veniret degluciendus. Hæc, & similia, quæ Arnoldus de Raisse etiam adducit, vt non probent sanctiorem virum Dei, at illustriorem reddunt. Adde & alia miracula, nec pauca, per vestem eius facta, sequenti capite à nobis recensenda.

7. Sequitur mors Christiani Heisterbacensis, cuius, etsi annus certus ignoretur, haud tamen multùm ab hoc posse distare, præter discursum à nobis suprà factum, narratio ipsa Cæsarij manifestat: quippe scribentis de euentu non recenti; sed, qui ante aliquot annos euenisset: sic autem habet [e]: *Licèt semper debilis esset, & infirmus,* scilicet, Christianus, *tamen ante obitum suum per dies multos amplius in camino egritudinis excoctus & sicut aurum in igne probatus est. Nocte quadam in somnis Sancta Agatha, Martyr & Virgo, apparens illi dixit, inter ista consolatoria: Christiane, non sit tibi onerosa infirmitas hæc: quia isti sexaginta dies reputantur tibi pro sexaginta annis. Expergiscens, quia visionem intelligere non potuit, quibusdam eam reuelauit. Quam quidam ita interpretati sunt, quòd tantùm eum purgaret à peccatis infirmitatis illius acredo, quantùm sexaginta anni in Purgatorio. Aliis videbatur, quod verius fuit, quia infirmitas illorum sexaginta dierum, propter patientiam, esset ei pro merito sexaginta annorum: nam in nocte Sanctæ Agathæ spiritum reddidit, qui dies fuit sexagesimus ab ea nocte, qua hæc audiuit. Consummatus in breui, expleuit tempora multa.*

[e] *lib. 14. c. 30.*

8. Hæc de Christiano Cæsarius in suis Dialogis, ex quibus recentiores excerpsère Arnoldus, Vvionius, Hugo Menardus in suis Martyrologiis, [f] Aubertus item Miræus [g], & Chrysostomus Henriquez in Menologio [h]: Nisi, quod Vvionius, vt sæpè alios, Christianum hunc cum Hemmenrodensi confundit, atque ex duobus vnum tantùm facit, quod Henriquez notauit, atque correxit. Quippe vltra Cœnobiorum differentiam, alter iuuenis; alter senex obiit; alter in sæculo Clericus exiterat, Sacerdósque; alter merè laicus. Alter ante conuersionem filios suscepérat, quibus alter caruerat. Demum & tempore præcessit Hemmenrodensis, vt ipsa Historiæ series demonstrauit.

[f] *Februar. 4.*
[g] *Orig. Monast. lib. 3. c. 15.*
[h] *Septemb. 7.*

9. Circa idem tempus è Nouo Castro ad Cœlum migrauêre duo illi Nouitij, tertio superstite, quos idemmet Cæsarius etiam memorat [i]: *Tres, inquit, iuuenes de ciuitate Bonnensi, conuersionis gratia, ad Nouum Castrum, Domum Ordinis nostri venientes, omnes ibidem recepti sunt, ex quibus vnus Theodericus, alter Guntherus, tertius vocabatur Sigerus. Primo mortuo, Guntherus reminiscens sua peregrinationis, & superna beatitudinis, ad quam suum Comitem iam vocatum crediderat, quotidie ad illius tumulum flebat. Quem die quadam vox de sepulcro his verbis alloquuta est: Consolare, Frater, consolare: quia citiùs venies ad me. Cuius vultum cùm Abbas tristem cerneret, & tristitiæ causam ab eo requireret, & ille dicere renueret; vix ab eo, quæ dicta sunt, extorquere potuit. Paucis diebus elapsis, precibus, vt puto, Theoderici adiutus, & ipse vocatus est, illi coniunctus in Cœlo, cui post multas lacrymas, vt dictum est, associari desiderauit in mundo.* Ita Cæsarius.

[i] *lib. 12. cap. 51.*

10. Hoc ipso anno, Tolosana Sede vacante in Gallia Narbonensi, per obitum Fulcandri indigni Episcopi, & qui per ignorantiam, & remissionem, rebus fidei in Tolosa multùm offecit, vt infrà videbimus; electores diuisi, & quidam N. Conuennarum Episcopum, alij Raymundum, Archidiaconum Ageuensem, sibi in Pastorem elegerunt, aut postularunt. Agitata diu causa apud Pontificem, partibus assignatis, auditoribus Cardinali Albanensi, & Presbytero Cardinali Sancti Marcelli. Demum, cùm esset in eà procedendum, duobus, qui tunc maximè florebant Abbatibus Cistercij, Grandis syluæ, nimirum, Magno Arnaldo, & N. Bellæ Perticæ, exequenda commissa litteris ad eosdem directis in iure celebribus, quippe in illius corpus dudum insertis, in cap. *In causis*, 30. de electione, & electi potestate. Et quidem Litteræ expeditæ in fauorem Conuennarum Episcopi; quanuis siue illius renunciatione, siue alia occasione effectum fuerit,

vt Raimundus secundò eligeretur, vix melior Fulcrando, atque intra quadriennium amouendus, vt suis loco, & tempore videbimus.

11. Hic idem annus in Gallecia tristis, Abbatis Garsiæ morte, qui tertio loco Vtsarienſibus præfectus (nam Garsiam primum Sanctius, Sanctum Garsias secundus exceperant) regiam Domum eximiè promouisset: sed nihilominus Laurentij successione illustris fuit; illius, nimirum, iuuenis, quem ante nouem, & viginti annos Conuersum, cùm Toleti vacaret, consortio Dæmonum, apparitione, & consilio damnati socij, (quis crederet damnatum bene consulere?) Monachum induisse, tomo, ni fallor, præcedenti memorauimus [k]. Quippe verè contrito, & pœnitenti, ad Cistercium conuerti parum fuit, si non Ecclesia Sanctorum ferax (quod Famianus probabat) in vltimis Hispaniæ oris quæsita foret. Hunc ergo virum prouectæ iam ætatis, maturum consilio, & moribus præcipuum, doctrinaque, Vtsarienses in Patrem coopterunt: præfuturum ad annos x xii. non sine insigni laude, profectúque, quod ipsa Domus incrementa probant, quæ ad hanc vsque diem perseuerant. Multa in his illi negotia, grauiáve ab Innocentio iniuncta, atque ab Honorio, & Legatiæ ad Principes Christianos, de quibus nos inferiùs. Sed neque permanere in loco potuit, quanuis iam senex, & quietis appetens, tamen ad Claramvallem promouendus. Rationem temporis conuincit instrumentum, quod infrà tradam, ex quo corrigendus venit, vt mihi videtur, Catalogus Abbatum Vtsarienſium, rem quinquennio postponens, quam nos præcedenti tomo sequuti sumus [m]. Reliqua suis locis, iuuante Deo, dicenda erunt.

[k] anno 1172. cap. 7. n. 7.

cap. 7. n. 8. [m] anno illo 1178.

---

1. *Beata Iuliana ingenium, memoriáque, 2. & cum multa scientia, mira humilitas. 3. Deuotio in sacrum Altaris Sacramentum, 4. ab ineunte ætate, 5. vnà cum perceptione gemini fructus. 6. Gisla Benedictina Cistercium ambit: 7. Villarium petit, & Beati Godefridi cucullam accipit: 8. mox locum ab Henrico Brabantiæ Duce, 9. & confirmationes ab Episcopo Cameracensi. 10. Varia dein incrementa eiusdem Domus.*

CAPVT VI.

1. INTER hæc Iuliana Cornelienſis, ætate iam prouectior, prouectiores virtutes præseferebat, vnctione Magistra. Linguam Latinam adeò exactè didicit, vt libros Augustini, Bernardíque non secùs intelligeret, quàm si vulgari sermone scripti essent. Vtrunque Sanctum religioso amore colebat, atque in vtriusque scriptis delectabatur: Bernardi etiam memoria retinebat præcipuè illos altissimos Sermones, quos scripsit in Cantica. *Bernardi Scripta, quia ignita sibi videbantur,* (ait Author Vitæ ipsius apud Henriquez,) *& dulciora super mel, & fauum, legebat frequentius, & multa deuotione amplectebatur. Dedit igitur animam suam ad eloquia eius, & plusquam viginti Sermones super Cantica Canticorum, in quibus ipsè Beatissimus Pater humanam scientiam visus est excessisse, studiosè didicit, & memoriæ retinuit.* Sic inter alias, vt ingenio, memoriáque ab ipsa pueritia, præeminebat maturitate morum, & pietate.

[a] in Liliis, lib. 2. dist. 3. cap. 4.

2. At non ideò inflatior, tumidiórve; quod rarum illis dotibus: quin infra humilitatem penè abiecta, vilioribus se ministeriis mancipabat [b]: *Petiit a Superioribus Domus, & cum multis precibus obtinuit, vt mulgendis armentis deputaretur. Porro id agebat Iuliana tanto deuotius, quanto plures lacte, manibus suis extracto, alendos a se cognouerat.* Sic quæ in Sponsi sinu deliciis affluens, ad altiora conscenderat, atque inter lilia florum Paradisi, ingenio prompto, & mente in Deum absorpta detinebatur, ne magnitudine fauorum extolleretur, confugiebat ad vilia, despectaque; quæ carnis stimulum olim Paulo datum comprimendæ elationi, aut supplerent, si possent; aut si non possent, ex parte refrænarent, atque ipsam simul aliorum despectui exponerent, quò opinio euaneſceret, quam de dotibus eius concepissent. Ferunt, cùm Agnes soror inuenisset humi iacentem, & mulgentem vaccarum vbera, despexisse Iulianam, ac soli, sterquilinio natam, atque in eo morituram pronunciasse, non sine ingenti vtriusque confusione.

[b] ibid. c. 3.

3. Inter hæc, qui eandem prælegerat, Corporis, & Sanguinis sui festiuæ promouendæ Solemnitati, specialibus eiusdem Sacramenti & fauore præuenit, & deuotione. Quippe erga illud, vel ab ipsa pueritia mirè affecta, noua semper in eo noui feruoris inueniebat motiua, nouos quotidie cœlestis gratiæ modos participabat. *Præuenit*, ait [c], *ancillam suam Dominus in benedictionibus, cùm ad Sacrificium Missa præsens erat: ad vinificum enim illud Corporis Christi Sacramentum ab ætate puerili concipere cœpit non pueriles affectus; mirámque suauitatis interna dulcedinem, hora Sacrificij, in spiritu suo sentiens infundi, sicut aquam cor suum effundebat in conspectu Altissimi, eúmque deprecabatur, vt ad amplioris dulcedinis participationem peruenire mereretur. Et cùm de in diem per vehementes desiderium, ad sumendum, quod optauerat, capacior redderetur, adeò feruor deuotionis excreuit, vt cùm tempore Sacramenti conficiendi orationi incumberet, a torrente voluptatis sua posset euelli.* Hactenus Author in eo septimo capite. Et statim in octauo:

[c] cap. 7.

4. *Cùm autem affectio, quam habebat Iuliana ad vinifici Corporis, & Sanguinis Christi Sacramentum, per singulos dies cresceret in immensum, non requiescente aliter spiritu eius, vnum è duobus facere cogebatur, aut Missæ solemniis interesse, aut illo tempore orationi, vbi commodius poterat, incumbere. Et primum quidem sibi erat in feruenti desiderio, reliquum in solatio. Tantùm enim dulcedinis superna hauire consueuerat, cùm Missa adesset sacrificio, vt summo desiderio cuperet redire in id ipsum.* Et capite sequenti: *Cùm autem dilecti & electi sui non modò ex millibus, sed ex omnibus, qui in Cœlo sunt, & in terra, sanctissimum Corpus percipiebat, tanto, támque abundanti rore gratiæ, ac deuotionis adipe replebatur, vt ad instar cereæ ad ignem appositæ, anima ipsius liqueſceret, ac intra semetipsam spiritus eius deficeret. Tunc enim gustabat, & videbat, quoniam suauis est Dominus; acceptis vtique amplioris gratiæ muneribus, senſiebat in edulio huius Sacramenti omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis.* Hæc Author Vitæ Virginis.

5. Duo præterea, quæ in eodem nono capite notata inuenio,

immenio, præterire nequaquam silentio licet: alterum, quod ex illo cœlesti cibo exterior homo; alterum, quod interior experiebatur, nempe, in corpore tantam fortitudinem, vt abstinere per mensem ab aliis cibis, aut putaret, aut posset. In anima tantam mentis illustrationem, vt nunquam planè Corpus Christi sumeret, quin aliquod illi arcanum de cœlestibus mysteriis reuelaretur. Primum effectum fateri ipsa solebat, diceréque [d]: *Quòd per vnum mensem nullum ei cibum ministrarent, dummodo nec ipsa ad eam accederem; & ab aliis, si fortè quærerent ipsam, illam defenderem. Tantam namque fortitudinem esse in illo sacri Panis edulio sentiebat, vt per tantum temporis in fortitudine cibi istius, etiam corporaliter, se posse subsistere non timeret.* De secundo hæc habent ipsius Acta [e]: *Tam singulari prærogatiua gratia visitauit ancillam suam Christus in perceptione Corporis, & Sanguinis sui, quòd quoties sanctam Eucharistiam sumebat, Christus eidem aliquod nouum secretum de suis arcanis cœlestibus reuelabat.* Hæc satis nunc de Virgine incipiente, quæ iam tunc ab æterno destinata accidentali gloriæ Corporis Christi, ad eius promotionem præparabatur. Nam reliqua dicemus suis temporibus.

d ibidem.

e ibidem.

6. Inter hæc in Brabantia iuxta Bruxellam insigne Monasterium Cametæ surgit, deuotione Monialis Benedictinæ, nomine Gislæ, meritis Godefridi, quòdam in Villario Sacristæ, de quo suprà; largitate Henrici Brabantiæ Ducis, & Caroli Villariensis Abbatis sollicitudine, de quo Grammaius in suis Antiquitatibus [f]: *Erat Bruxelæ ad D. Benedicti præscriptum viuens, Gisla quædam, cum desiderio tamen Cisterciensis Instituum amplectendi, quod demum sub Carolo Villariensi Abbate perfecit, & vnà locum ab Henrico Duce ad extruendum Cœnobium impetrauit, anno M. CC. I. vt habetur ex Chronico Villariensi in XLVI. Abbatibus. Quod à tenibus, vt sit, initiis auctum pulcherrimis ædificiis exornatum, nuper incendio absumptum est, igne per milites Regios iniecto, eò quòd Virginibus iam ante egressis, hosti refugium, & præsidium perpetuum esset. Virgines autem, quæ centenarium tunc numerum excedebant, in vrbem per fugam, per annos plures multum cum paupertate, & iniquitate temporum colluctata, industria Barbaræ Thasiæ, Abbatissæ, ita conseruatæ sunt, vt ne vna quidem è tanto numero separaretur. Nuper autem ad suum postliminio reuersa Cœnobium, ruinas habitam, & paulatim restituum, & restituuntur.* Ita Grammaius.

f in tractatu Bruxela.

7. In Chronico Monasterij Villariensis, ista de Gisla, siue, vt alij malum, Gilda, & Monasterij Cameræ haud dubiè miraculosa fundatione [g]: *Sanctimonialis quædam Bruxellensis, Gisla nomine, sub Regula Sancti Benedicti Habitus nigri, sed multæ deuotionis, arctioris vitæ desiderio ad Ordinem Cisterciensem modis omnibus aspirabat, intuitu habens desiderij sui adiutorem præter Dominum Carolum, tunc temporis Villariensem Abbatem. Venit itaque ad portam Cœnobij Villariensis perturbata & anxia, Patri Vvigero, tunc temporis Vestiario, conquerens, quantus à Clericis sustineret tribulationes, qui minabantur ei excommunicationis sententiam, si Habitum Cisterciensem susciperet. Ait Monachus ad eam: Sanctimonialis es sub Regula Sancti Benedicti, nec per Clericos talis in te sententia procedere potest. Porrexitque illi cucullam, quam Domini Godefridi fuisse putabat: quam ipsa induit, & recessit: nec postea impedimenta sustinuit ab emulis. Audiui ab eadem, quòd attactu illius vestis multis infirmis & languentibus desideratæ restituta sit sanitas. Profecit itaque Sanctimonialis illa in desiderio suo, & adiutorio egregiæ memoriæ Domini Caroli Abbatis, Domum de Penebeke iuxta Bruxellam, quæ nunc Camera appellatur, fundauit, ac ædificauit.* Ita in Chronico. Porrò de largitate Henrici Ducis,

g hoc ex Annal. ibi.

8. Aubertus Miræus in suis Ecclesiarum Belgij Notitiis Exemplar fundationis adducit, [h] quod est tale: *Henricus*, ait, *primus Brabantiæ Dux, eiúsque coniux Mathildis anno M. CC. I. in sylua Sonia, prope Bruxellam, fundauit Cameram, Monialium Ordinis Cisterciensis Abbatiam.*

h fol. 512. c 185.

Ego Henricus Dei gratia Dux Lotharingiæ, assensu dilectæ consortis meæ Mathildis Ducissæ, contuli Religiosæ Sorori Gistæ locum iuxta Bruxellam, qui vocatur Penebeke ad construendum inibi Cœnobium Sanctimonialium in honore Dei, & Beatæ Virginis Mariæ: contuli etiam eidem Sorori iuxta prædictum locum tres mansos terræ inculæ, & nemoris de meo proprio, ab omni iure seculari liberrimos; & partem meam decimæ de Ruselbroecha, & viginti bonaria terræ cum censu, quem prædicta Gista emit à Vvalchero Kibus. Quod vt ratum habeatur, præsentem paginam sigilli nostri impressione signauimus, & testium subscriptione munimus, quorum ista sunt nomina. Sigerus Archidiaconus, Magister Michael, Almoldus Notarius, Godefridus Castellanus. Actum anno M. CC. I. Hæc ab Henrico facta donatio loci Venerabili Gislæ.

9. Quam tamen, aut non diu superuixisse, aut recusasse curam noui Cœnobij, argumento sunt Litteræ Ioannis, Episcopi Cameracensis, sequenti anno expeditæ: neque ad Gislam, sed ad Gertrudem Abbatissam eiusdem Domus, quarum hic tenor [i]:

i ibidem.

Ioannes, Dei gratia Cameracensis Episcopus, dilectis in Christo filiabus Gertrudi Abbatissæ, & Monialibus de Penebeke, obseruantiæ Ordinis Cisterciensis, professis in perpetuum.

Deuotionis vestræ precibus grato concurrentes assensu, locum ipsum, in quo secundum Institua Beati Benedicti, & professionem Cisterciensis Ordinis, diuino mancipati estis obsequio sub Dei Genitricis Mariæ, nostra, & Successorum nostrorum protectione suscipimus, statuentes, vt bona, quæ vobis ab illustri viro Henrico, Duce Lotharingiæ, cum assensu Serenissimæ consortis suæ Mathildis Ducissæ, collata sunt, siue quodcunque poteritis adipisci, firma vobis, & posteris illibata permaneant, necessitatibus vestri Collegij profutura. Actum anno gratiæ M. CC. II. Hæc prima Monasterij Cameræ fundatio, non semel nobis inferiùs repetenda; sed præcipuè in Alcide, & Bonifacio; illa Sanctimonialí; hoc ex Episcopo quondam Lausanensi, mox Capellano professo noui Cœnobij.

10. Cæterùm temporale incrementum eiusdem Domus duplex nobis se offert adnotandum ex eodem Miræo, quod præcedentibus censui subiiciendum. Alterum, ab Henrico II. Henrici primi Fundatoris filio, de quo hæc ille Author [k]: *Henricus, Henrici primi Brabantiæ Ducis filius primogenitus, & in Ducatu successor, dotat Cameram Ordinis Cisterciensis Abbatiam propè Bruxellas, anno M. CC. XXX. In qua dotatione tribuit præfato Monasterio LXXXV. bonaria terræ in quadam syluæ de Rilberdis incemiis, libera ab omni iure, & exactione. Item, XIII. bonaria terræ in memoratæ syluæ, quæ resignauit Dezo de Hircle miles, de feudo, quod habebat: quod vt ratum habeatur, signat suo sigillo, anno M. CC. XXX.* Alterum est Decani, atque Capituli Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Aquisgranensis, circa annum Christi M. CC. XLV. sub annuo censu firmato per instrumenta, quæ idem etiam Miræus evulgauit [l]. Hoc ipso anno in Vigi-

k fol. mihi 206.

l fol. 140. a 161.

11.

lia Epiphaniæ B. Gerardus, natione Burgundus, ex Claraualle ad Eberbacum missus, atque eius loci tertius ordine Abbas, expletis in regimine illius annis XIV. plenus dierum, ac bonorum operum, viam vniuersæ carnis ingressus est; sepultúsque iuxta Arboldum antecessorem, qui annis XXIV. non minori cum laude præfuisse dicitur, cùm primus omnium Ruthardus, de quo suprà, annis triginta duobus administrasset. Sic Author recens [m] ex monumentis Domus, quæ se euoluisse tradit; quamuis in Computo, ab anno fundationis, quatuor supersint, qui in omnibus veniunt detrahendi. Addit præterea, horum trium Abbatum corpora, dubium politico cultu, an religioso, non multò pòst leuata, & in eodem monumento condita fuisse, in ambitu, iuxta ostium Templi in pariete, vbi etiam nunc requiescunt sub tali titulo:

Abbatum lapis iste trium tenet ossa priorum
Istius Ecclesiæ, quæ flagrat amore Mariæ.
Ruthardus primus erat, Arnaldúsque secundus,
Tertius Gerardus, in quo dolus non fuit vllus:
Istorum vita virtutibus est redimita.

Sic Epitaphium. Ruthardi obitus incidisse dicitur in decimamnonam Kalendas Septembris: Arnaldi in XIV. Kalendas Octobris: & tandem Gerardi, in Nonas Ianuarij. Excepit omnes Theobaldus ordine quartus, non inferioris meriti, de quo Cæsarius [n], & ex eo Henriquez in Menologio [o].

m Iongel. lib. 1.

n lib. 6. cap. 4.

o Ianuary 24.

---

1. *In Capitulo grates acta Deo, & Virgini pro exemptione firmata ab Innocentio.* 2. *Chronologia, & Ripalta Lucionensis.* 3. *Brolium Golandi:* 4. *Mons ferus, antiquior Domus,* 5. *à tempore Alfonsi Imperatoris, cuius initia nobiles aulæ, & curiæ consecrarunt.* 6. *Dictum de aliquibus,* 7. *& coniectatum de statu Monasterij,* 8. *producta sententia, quæ Montem ferum adiudicat Superado:* 9 *& varia alia notitia eiusdem Domus.*

CAPVT VII.

1. IÆTA, si quæ alia huius anni Synodus nostris, atque albo semper designanda lapillo fuit: lectis in ea Innocentij Papæ Litteris, in quibus se Cistercio iam pacatum, atque indulgentem; neque solùm antiquas exemptiones, in quas egisset hactenus; sed nouas alias concedere paratum sponte coactum, quia ex Virginis præcepto, declarabat. Quippe in re grauí, lucrosa, & honorifica, euasisse post vltimos timores, compotes voti, vel Sanctos delectat: Virginis patrocinium expertos esse, & quod optabant, per ipsam consequutos, etiam Angelos potuisset delectare. Nec iam de parte bonorum temporalium, quæ sibi remansisset; non de gloria maiorum, quam conseruassent; sed, quòd se Deo, quòd Virgini acceptos, veluti comprobassent, quòd non ab eorum gratia cecidissent, si qua fides his signis, quasi de vnico bono gratulabantur. Cæsarius, qui rem totam memoriæ prodidit, de gratiarum actione hæc tantùm habet [a]: *Cùm hac in proximo Capitulo Patribus innotuissent, Christum, eiusque Genitricem Virginem Mariam, de tam inopinata mutatione* (scilicet, Innocentij Papæ) *glorificantes, gratiores iniuictas, in gratiarum actionem commutarunt.* Hæc hîc ille: nihil vltrà addens de his, quæ in gratiarum actionem sunt præcepta. Crediderim abstinuisse consultò Virum prudentem, quasi omnia infra beneficium arbitratum, ne panderet, minora, quæcunque essent, religioso silentio præteriisse. Eadémque occasione factum puto, vt nulla sint huius Capituli decreta, saltem quæ ad nos peruenerint. Quippe occupatis in gratiarum actione pro tanto beneficio, viluêre cætera; nec visum, de quo alio curandum foret.

a lib. 7. cap. 6.

2. Vltimum locum occupent, ex more, fundationes Monasteriorum, quas quatuor tantùm factas hoc anno lego.

Anno M. CC. I. decimooctauo Kalendas Septembris fundata est Abbatia de Dunbenille, sine Dunkenille, aut Dunkenlle.

Eodem anno mense Octobri, Abbatia de Ripalta in Apulia.

Eodem anno Abbatia Brolij Golandi.

Eodem anno Abbatia de Montefero in Gallecia.

Hactenus Chronologia fundationum, quæ nisi Montem ferum nobis produceret, facilè posset in aliis pertransiri. Dunkenille in Anglia Domum lego Filiam Fordæ, eóque augentem Cistercij lineam: nec quicquam aliud hactenus inueni. Ripam altam in Apulia Ciuitatensis Diœcesis, Casa noua produxit auctuam lineam Ecclesiarum Claræuallensium. Memoratur in Litteris Gregorij Papæ IX. ad Abbates de Ferraria, & de Ripalta, Cistercien sis Ordinis Theatinensis, & Ciuitatensis Diœcesis. Datis Viterbij, tertio Idus Aprilis, Pontificatus ipsius anno vndecimo.

3. Sequitur Brolium Golandi, siue Grolandi, Diœcesis Lucionensis, cuius meminit in sua Gallia Claudius Robert. licèt nulla notitia clariori [b]. Papyrius Massonius in descriptione fluminum Galliæ, eam se Domum ferè ad dimidium annum inhabitasse tradit, dum impetum timeret belli ciuilis [c]. *Idem,* ait, *scire possum, cùm ipse in eius fluminis ripa, apud Brolium, Ordinis Claraualensis Monasterium, quinque, aut sex menses habitauerim, ciuilia bella fugiens.* Ordo, inquam, Claræuallensis, quia Morolix Filia, quæ pertinet ad lineam Claræuallis. In libris Cameræ taxata inuenitur octuaginta florenis. Est & aliud Brolium Benedicti, Diœcesis Sagiensis, de quo suprà. Vtrùm autem illorum sit, cuius meminit Gregorius Papa IX. Litteris datis ad Abbatem Brolij, Conuentúmque Ordinis Cistercien sis, Latetani 5. & 10. Kalend. Ianuarij, Pontificatus ipsius anno vndecimo, cùm nec cognomen exprimant, nec Diœcesim, non de facili ausim determinare.

b in sua Gallia.

c fol. mihi 285.

Vltima omnium fundatio Hispana sequitur, siue potiùs adoptio: nam Mons ferus antiquius Monasterium sub Sancti Benedicti Patris Regula militans, ab anno M. C. XIV. quo ab Imperatore Alfonso fundatum legitur, Munioni, & Petro Osoris, atque Alfonso Bermudi viris illustribus, atque ex prima Regni nobilitate, quibus post longam, glorioſamque militiam sub signis Alfonsi aduersùs Saracenos, glorioſior adhuc manebat aduersùs

Dæmones

Dæmones. Stat prima donatio ipsius loci facta ab Imperatore, cuius hic tenor [d]:

d primum priuileg. Montis feri.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Cassa equidem, & debilis est potestas, quæ per diuinam non est gratiam roborata, quam reuera nos feliciter credimus adipisci, si sacra loca, personásque religiosas dignis honoribus, largis beneficiis, gratisque muneribus amplificemus: decorem enim Domus suæ dilexit Deus, & in eius cultoribus nosci tur gloriari. Liqueat ergo omnibus, quòd Ego Aldefonsus, Dei gratia Hispaniarum Imperator, vnà cum coniuge mea Imperatrice, Domina Berengaria, & filiis meis Sancio, & Ferdinando, dono Domino Deo, Dominóque Munioni Abbati Monasterij S. Mariæ Montis feri, & successoribus tuis, omnique Conuentui Monachorum, tam præsentium, quam futurorum, in eodem loco soli Deo seruientium, cautum de eodem Monasterio in perpetuum valiturum per suos terminos, videlicet, ab illo termino, qui dicitur Petra Madroza, &c. Et post latè præfixos terminos loci subdit vlteriùs:

5. *Cauto etiam omnes hæreditates prafati Monasterij, quas nunc habet, vel acquirere poterit in futurum, vbicunque fuerint, vt nullus eas de cætero inquietet, vel super eas aliquod malum irroget. Cæterum Monasterium ipsum meo auxilio, & consilio fundatū, & res vniuersas, quibus subsistit, Abbatem, videlicet, Domnum Munionem, aliósque illustres viros, & in Curia nostra emeritos, quos constructioni prædicti loci sub Regula S. Benedicti denuò pugnare volentes adiuuo, & ad petitionem eorum in cunctis faueo, cæteróque successores suos sub tuitione, & defensione meæ recipio. Sed & hoc Monasterium, suósque incolas, consulente, & consentiente Domino Didaco, Compostellana Sedis Archiepiscopo, pariter cum consensu omnium Canonicorum eiusdem Sedis, in cuius territorio itidem Cœnobium constituitur, tali libertate dono, vt nullius deinceps potestati, tam sæculari, quam ecclesiastica subiaceant, nulli Monasterio, nullíque personæ alterius Monasterij vnquam obediant, nisi Sanctæ Romanæ Sedi, &c. Facta charta in Palentia, Nonis Decemb. sub Æra* 1152.

6. Hactenus priuilegium Alfonsi Regis, quod plura alia eiusdem sunt sequuta. Porrò ex eodem manifestè constat, Monasterium fundatum à nobilibus, qui cùm militiæ, & curiæ deseruissent, tandem Deo elegerunt famulari: inter quos Petrum Osorium, atque Alfonsum Bermudez illustres Comites prodit aliud instrumentum non multò pòst confectum, in quo hæc inter alia scripta leguntur [e]:

e ex Archiuiis Montis feri.

Petrus Osoris, & Alfonsus Bermudi fundauerunt ipsam Ecclesiam de Monte fero, & miserunt sè sibi in Ordine, & dederunt ibi, quantas hæreditates habebant iuxta terminos Montis feri, &c. Hæc de primis initiis Monasterij, quod sub Habitu nigro septem, & octuaginta annos permansit sub diuersis Abbatibus, quorum, aut nulla, aut parua notitia subest. Visitur Domus iuxta sibi insitum nomen, in Monte sita aspero, inter duos fluuios Lambre, & Heume; ab hoc distantior, illi satis propinqua. Distat à mari tres leucas, plùs, minúsve, qua parte finem terræ antiqui dixerunt. Nec satis constat, an manserit exempta, atque soli subiecta Sedi apostolicæ, vt voluit Imperator, an sub alterius Domus correctione. Sic nec de anno, quo se Cistercio dedit, quicquam certum habemus, præter id, quod notatur in Chronologia.

7. Coniectura est, insigni Monasterio Carracetensi cuius in primo tomo multa mentio, & breui etiam maior habenda erit, Montem ferum subiectum, atque ab illo tunc primùm se exemisse, cùm admisit Cistercium sub Abbatis Superadi visitatione. Verùm Carracetensibus, cum cæteris Ecclesiis sibi subditis transeuntibus ad nostros intra triennium, quod suo loco videbimus, repetitam antiquam visitationem; atque postposita vbera recentia his, quæ dudum suxissent, seu nimius rigor in Superadensibus absterreret tyrones & inexpertos: seu pœnituisset desertæ prioris Matris, quam breuissima temporis iactura conseruare potuissent intra Cistercium. Constat, post annos XIII. litigatum inter vtranque Domum; & controuersiæ designatos à Papa Iudices, Laurentium Vrsariæ, (non multò antè promotum, sed quem iam Præsidem idemmet instrumentum planè conuincit,) & Ordonium Meiræ Abbates, qui litem dirimerent, & Montem ferum, cui verè deberetur, adiudicarent. Credidérim, electos in Capitulo, confirmandos oblatos Innocentio, quò minor locus maneret appellationibus. Demum eosdem veritate perspecta, protulisse sententiam, quam Archiepiscopo, & Episcopis vicinis, cæterísque intimarent in hunc tenorem [f]:

f ex Archiuiis Montis feri.

Dominis, & Patribus Reuerendis Petro Compostellana Ecclesia Archiepiscopo, Roderico Lucensi, & Munioni Mindonensi, Episcopis, & omnibus, ad quos Littera ista peruenerint, Frater Laurentius de Vrsaria, & Ordonius de Meira dicti Abbates, Salutem in salutis Authore.

Nouerint Vniuersitas vestra, nos apostolico statuto datos esse Iudices in causa, quæ vertebatur circa Abbatiam Superadi ex vna parte, & Abbatiam Carrazeti ex alia, super Abbatiam de Monte fero: & partibus ad nostram præsentiam conuocatis, auditis allegationibus, & rationibus hinc, & inde, & testibus receptis, attestationibus quoque diligenter inspectis, aperte constitit nobis, quòd Abbas, & Monachi, & Fratres Conuersi de Monte fero, facto solemniter voto, & professione in manibus Abbatis Superadi, sese Ordini strictiori obligabant, & Domum suam Domui Superadi in filiam assignabant; adiudicauimus possessiones ipsius Abbatiæ de Monte fero Abbati, & Domui Superadi, seruato tandem iure agendi de proprietate Abbati de Carrazeda, si voluerit. Vnde, si Abbas, & Monachi prædictæ Domus de Monte fero, secundùm formam Ordinis sui, recusauerint obedire, & Domum ipsam à filiatione suprædictæ Domus Superadi tentauerint solita temeritate subtrahere, nouerit is, eos alienos esse ab Ordine: & potestatem habet Abbas iam dicti Monasterij de Superado in eos excommunicationis sententiam promulgandi: quæ si lata fuerit, monemus vos attentius, vt eos tanquam excommunicatos vitetis, & aliis similiter vitandos denunciare curetis. Data in Capitulo Monasterij, vigesimo prima die mensis Maij, anno Domini M. CC. XIII.

Hæc ad Episcopos Laurentius, atque Ordonius, ex quibus obiter corrigendæ veniunt Tabulæ Vrsarienses, quæ Laurentium post quinquennium promotum tradunt.

Sic Monterenses, quantum colligi potest ex hoc scripto, quos habebant Prælatos, auertabantur; Carracetenses non priùs amplexati, quam abiecissent. Sed nec Superadenses amplexantes, nisi breui abiciendos, si ita possent. Taxatur Monasterium in libris Cameræ quadraginta florenis. Gaudet & multis aliis priuilegiis Ferdinandi, & Alfonsi Legionensium, Imperatoris filij, nepotísque, & multorum nobilium donationibus, quibus creuit in Domum haud contemnendam. Innouata ædificia hoc nostro sæculo, & restituta bona, & possessiones, quæ in intermediis amissa, sicut in aliis. Verum, quæ supra alias passa sit, vsque ad Monachorum etiam internecionem, suis locis commodiùs reddenda erunt. 3.

ANNVS

1. *Ioannes Lugdunensis quondam Pontifex, tunc Clarevallis Monachus,* 2. *Innocentio resolvendas proponit tres quæstiones* 3. *Rescripti inscriptio,* 4. *& laudes ipsius Ioannis.* 5. *Responsio ad primam,* 6. *docta, & erudita:* 7. *atque occasione eius quædam addita.* 8. *In secunda sententia tres propositæ.* 9. *Addita quarta, quæ aliis probabilior.*

CAPVT I.

1. AGREDIOR annum ducentesimum secundum suprà millesimum, Cistercij centesimumquintum, quo dudum cœpta consultatio Clarævallensium, super conversione aquæ vino in calice mixtæ, in Christi Sanguinem, iterum per eosdem repetita, perlatáque ad Innocentium Summum Pontificem, celebrem illam obtinuit responsionem, quæ in corpore Iuris inserta, manca licèt, & mutila, in cap. *Cùm Martha.* de celebratione Missarum, à multis viris doctis explicata, à paucis intellecta; hîc etiam nobis venit propalanda. Ergo, quæ olim Henrico Cardinali per Godefridum facta consultatio, quam anno Christi M. C. LXXXVIII. commemorauimus; cùm nullum adhuc responsum obtinuisset, aut saltem non rescriptum in forma publica, maiores controuersias excitabat; vires sumentibus vtriusque partis Doctoribus, ex ipsa Consultorum hæsitatione. Nam, cur non responderent, si certum aliquid? Vel si omnia incerta, cur ipsi cederent? Hinc factum est, vt siue eodem Gaufrido suggerente, si fortè supererat; siue discipulis, filiisque ipsius sollicitantibus; seu tandem ipse veritatis noscendæ auidus, qui eo anno, quo primùm quæstio mota, Archiepiscopi dignitate deposita, induisset Cistercium, Ioannes, Lugdunensis Ecclesiæ quondam Præsul, ad Pontificem scriberet, rogatéque, vt veritatem doceret, qui solus posset.

2. Cæterùm, ne contentionis magis adactus stimulis, quàm indagandæ veritatis studio videretur inquirere, siue quia verè hærebat etiam in aliis, duas diuersas addidit quæstiones; alteram de verbis consecrationis calicis; alteram de Secreta, quæ pro Beato Leone consueta dici, eo tempore mutata proferebatur. Itaque triplex ab eo quæstio proposita. Prima: Quis verbis consecrationis Calicis illa verba interposuit: *Mysterium fidei.* quæ à nullo narrantur Euangelista; non à Paulo, aut alio Authore canonico? Secunda quæstio: Vtrum aqua ex præcepto, vino miscenda, simul cum ipso transeat in Christi Sanguinem? Tertia, & vltima: Quare, cùm in codicibus antiquis, Beati Leonis Papæ Secreta habeat: *Annue nobis, Domine, vt anima famuli tui Leonis hæc prosit oblatio.* in recentioribus aliter diceretur: *Annue nobis, quæsumus, Domine, vt intercessione Beati Leonis hæc nobis prosit oblatio?* Porrò ad hæc tria quæsita suo ordine, laudata primùm sanctitate Ioannis, doctrináque, Innocentius respondit in hunc tenorem:

3. *Ioanni, quondam Archiepiscopo Lugdunensi*, ita in textu epistolæ inscriptio. Super quæ verba Cardinalis Zabarella, ne cui de Ioanne liceat dubitare (quamuis non alius Ioannes per hæc tempora, qui Lugdunensi Ecclesiæ renunciauerit) hæc habet verba: *Nota in suprascriptione, de dictione*, quondam, *de qua dixi in cap.* Cùm olim. *et primero, de officio delegati. Et in antiqua dicebatur, quòd ille hodie erat Monachus Clarevallis. Et quod renunciauerat officio Martha, & elegerat sollicitudinem Maria.* Ita Zabatella, sollicitudinem, pro quiete perperam ponens. Verùm de hac commutatione vitæ facta à Ioanne, de qua à nobis superiùs, ipsummet Innocentium, altè, vt solet, tonantem audiamus: sic enim incipit [a]:

4. *Cùm Martha circa plurima satagentis officio, in cura reginiinis pastoralis pro maiori parte renuncians, in domo Domini quasi abiectus elegeris habitare cum illis, qui partem optimam elegerunt, sedentes ad pedes Domini cum Maria, vt in lege eius ingiter meditentur, lippitudini Lie Rachelis pulchritudinem præferentes, eam in te vigere credimus intelligentiam Scripturarum, vt non solum parvulis frangere possis panem, sed proiectis etiam cibum solidum ministrare, ac nodos soluere difficilium quæstionum. Verùm, quoniam in Primatu Apostolorum Principis apostolicæ Sedis Magisterium recognoscens, ad eam credis maiores causas Ecclesiæ referendas; consultationibus tuis, quas non ob commodum vtilitatis terrenæ, cùm ciuilem non contineant quæstionem, sed animarum profectum, vt, videlicet, in lucem prodeant obscura Scripturarum, nouimus te monisse, libenter, quod nobis inspirat Dominus, respondemus.* Hactenus de Ioanne, & ad ipsum in præfatione: quod fragmentum extractum à Iuris corpore, neque in integris reperitur, nisi mendosum.

[a] de celebrat. Miss. cap. 6.

Pergit Pontifex ad quæsita respondere [b]: *Quæsiuistis, quis forma verborum, quam ipse Christus expressit, cùm in Corpus, & Sanguinem suum panem transsubstantiauit, & vinum illud in Canone Missæ, quo Ecclesia vtitur generalis, adiecerit; quod nullius Euangelistarum legitur expressisse. Cùm enim in Euangelio sic legatur* [c]: Accipiens calicem, gratias agens benedixit & dedit discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *in Canone Missæ sermo iste, videlicet:* Mysterium fidei. *verbis ipsis interpositus inuenitur. Vnde, cùm non Euangelista Christum hoc dixisse testetur, mirum est, quòd aliquis asseuerare tentauerit, eum aliquid plus dixisse, quam aliquis Euangelistarum asseueret. Verùm, si formam ipsius Canonis inspicias diligenter, præterhoc, de quo tua Fraternitas requisiuit, alia duo, videlicet,* eleuatis oculis in cœlum; & æterni testamenti; *poteris in ipso Canone reperire, quæ in Textu euangelico non leguntur. Sanè multa, tam de verbis, quam de factis Dominicis inuenimus ab Euangelistis omissa, quæ Apostoli, vel supplesse verbo, vel facto expressisse leguntur. Paulus enim in Actibus Apostolorum, sic ait* [d]: Meminisse nos oportet verbi Domini Iesu, qui dixit: Beatius est dare, quam accipere. *Hoc nullus quatuor Euangelistarum descripsit. Nullus etiam vo-*

[b] ibidem. [c] Matth. 6. [d] Act. 20.

rum

vim expressit, quod Paulus de Christo ad Corinthios
e 1.Cor.15. scribens, ait e: Visus est plusquàm quingentis fratribus simul: deinde visus est Iacobo: nouissimè autem, tanquàm abortiuo, visus est & mihi. *Ipsi etiam Euangelistæ mutuò inter se supplesse leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus sunt emissa, vnde cùm tres Euangelistæ posuerunt:* Hoc est Corpus meum. *solus Lucas adiecit*, quod pro vobis tradetur. *Et cùm Matthæus, & Marcus dicant*, pro multis. *Lucas dicit*, pro vobis, *Matthæus autem*, in remissionem peccatorum, *adiunxit.*

6. *Cæterùm, ea, quæ addantur in Canone Missæ, possunt ex aliis locis Euangelij comprobari. Ioannes enim in suscitatione Lazari Iesum sursum oculos leuasse asserit, & dixisse*: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. *& infrà. Si nunc igitur in cælum oculos leuauit ad Patrem, cùm ad corpus exanime animam Lazari reuocauit, probabilius esse videtur, quòd tunc oculos leuauerit ad Patrem in cælum, cùm panem, & vinum in Corpus, & Sanguinem proprium commutauit. Cæterùm, sicut superiùs est expressum, cùm in Textu euangelico*, noui testamenti, *penatur; hic interponitur*, & æterni: *nam vetus Testamentum, quod hircorum, & vitulorum fuit sanguine dedicatum, temporalia promittebat: nouum autem, quod est Christi Sanguine consecratum, promittit æterna: & ideò testamentum illud, fuit vetus, & transitorium; hoc autem nouum est æternum. Vel vt vtamur alia ratione, vnde nouum, id est, vltimum esse describitur: inde æternum, id est, perpetuum. nouissimum etenim hominis testamentum immobile perseuerat, quia testatoris obitu confirmatur, iuxta quod*
f Hebr.9. *Apostolus testamentum in morte asserit confirmatum: alioquin non valet, dum vixerit, qui testatur. Præterea non solùm Scriptura, sed etiam promissio dicitur*
h ibid. *testamentum, iuxta quod ipse Apostolus scribit* h: Ideò noui testamenti mediator est, vt repromissionem accipiant, qui vocati sunt, hæreditatis æternæ. *Sic ergo in ipso Canone reperitur:* Hic est enim Sanguis meus, noui, & æterni testamenti, *id est, noua, ac æterna promissionis, scilicet, confirmator: sic Dominus repromisit:* Qui manducat (*inquiens*) Carnem
7. meam, & Sanguinem meum bibit, habet vitam æternam,

Satis, superque per hæc ad primum dubium: sed, quia occasione verborum, in quibus erat, surrexerunt
h vbi suprà. Hæretici, qui vtinam non permansissent ad nostrum ætium! subdit vberiùs, eosdem compressurus h: *Ex eo autem verbo, de quo mouit tua Fraternitas quæstionem, videlicet, Mysterium fidei, nonnullum erroris quidam trahere putauerunt, dicentes, in Sacramento Altaris, non esse Corporis Christi, & Sanguinis veritatem, sed imaginem tantùm, & speciem, & figuram: pro eo, quòd Scriptura interdum commemorat id, quod in Altari susciptur, esse Sacramentum, & mysterium, & exemplum. Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt, quòd nec authoritates Scripturæ cõuenienter intelligunt, nec Sacramẽta Dei suscipiunt reuerenter. Si enim quasi figura est Sacramentum Altaris, veritas esse negatur: ergo, nec mors, nec resurrectio Christi (cùm figura sit) veritas est credenda: siquidem mortem, & resurrectionem Christi similitudinem, & imaginem esse Apostolus manifestat:* Christus, *inquiens* i, mortuus est pro
i Rom.4. delictis nostris, & resurrexit propter iustificationem
k 1.Petr.4. nostram. *Apostolorum etiam Princeps Petrus sic in epistola sua scribit* k: Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius. *Sic ergo tam mors Christi, quam eius resurrectio est exemplum, vt & nos peccato mortui, iustitiæ iam viuamus. Quare, si non fuit veritas, quia fuit exemplum: ergo nec verè mortuus fuit Christus, nec verè à mortuis resurrexit. Sed absit à fidelium corde error ille, cùm Propheta de ipso testetur, quòd* verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. *Dicitur tamen mysterium fidei, quoniam aliud ibi creditur, quàm cernatur; & aliud cernitur, quàm credatur. Cernitur species panis, & vini: & creditur veritas Carnis, & Sanguinis Christi, ac virtus vnitatis, & charitatis. Quod autem mysterium fidei dicitur in hoc loco, alibi secundùm Ioannem spiritus, & vita narratur: nam Spiritus est in mysterio, iuxta illud:* Littera occidit, Spiritus autem viuificat. *Fides, quæ est vita, secundùm quod legitur:* Iustus ex fide viuit. *propter quod dicit Dominus ipse:* Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt. Hactenus occasione primæ quæstionis; nunc quid secundæ responderit,
m ibidem. videamus m:

8. *Quæsisti etiam, vtrùm aqua cum vino in Sanguinem commutatur? Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur, quòd cùm de latere Christi duo præcipua fluxerint Sacramenta, Redemptionis in Sanguine, ac regenerationis in aqua: in illa duo vinum, & aqua, quæ commiscentur in calice, diuina virtute mutantur: vt in hoc Sacramento plenè sit veritas, & figura. Alij verò tenent, quòd aqua cum vino transsubstantiatur in Sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino: licèt Physici contrarium asseuerent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici quòd aqua non transit in Sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quòd vini saporem assumit: quod inde comincitur; quia si post calicis consecrationem, aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in Sanguinem, nec Sanguini commiscetur; sed accidentibus prioris vini commixtum corpori, quod sub eis latet, vndique circunfunditur, non madidans circumfusam: ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur efficere: quia, si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. Contingit igitur accidentia mutare subiectum, sicut & subiectum contingit accidentia permutare: cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Sed neque inconueniens creditur, aut absurdum, si aqua in Corpore Christi esse credatur, cùm legatur de ipsius latere processisse: illud autem est nefarium opinari, quod quidam dicere præsumpserunt; aquam, videlicet, in phlegma conuerti. Nam, & de latere Christi non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur exiisse, non attendentes, quòd de latere Christi duo fluxerunt Sacramenta; & quòd non baptizantur in phlegmate, sed in aqua, iuxta quod Dominus protestatur:* Nisi quis renatus fuerit in aqua, & Spiritu sancto, non introibit in Regnum Dei. Hactenus Pontifex diuersos dicendi modos eruditè, & doctè, probabiles sustinens, improbabilem condemnans.

9. Promit deinde ipse suam sententiam, quam licet non definiat; probabiliorem tamen omninò censet. Ea autem manifestè est, quæ Henrico quondam à Gaufrido fuit proposita, nempe, quòd, aqua immediatè transit in Sanguinem; sic enim sequitur n: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior indicatur, quæ asserit, aquam cum vino in San-*
n ibidem *guinem transmutari, vt expressius eluceat proprietas Sacramenti. Nam, cùm aquæ multæ sint populi multi, iuxta quod alibi legitur:* Beati, qui seminatis super omnes aquas. *ideò vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur; per hoc enim, quod suscepit ipse de nostro, & accepimus ipsi de suo: tam insolubili nexu coniungimur, vt qui est vnum cum Patre per ineffabilem vnitatem, fiat vnum nobiscum per admirabilem*

vnionem

vnionem : ac per hoc, ipso communiter mediante, cum Patre vnum efficimur : Pater, inquit, *Sancte, serua eos, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos : non pro his rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt & ipsi in nobis vnum sint, & Mundus credat, quia tu me misisti.* Hæc ad secundam quæstionem Innocentius, quibus verbis, si antecedentia perpendantur, nihil prorsus clarius potuit respondere. Verùm, quia multi, grauésque Authores contrarium putant, vt res ipsa facilius percipiatur, insequens caput libet reseruare : vbi etiam, & quid tertio quæsito Innocentius responderit, dicemus.

---

1. *Carpitur Cardinalis Baronius à Maluenda :* 2. *& mens Pontificis penitùs indagata, de aquæ (quæ miscetur vino in Calice) in Sanguinem Christi conuersione,* 3. *probatum multis immediatam tradidisse, tanquàm probabiliorem.* 4. *quod idem ex ratione eius ostensum.* 5. *Occasio deceptionis inter Authores,* 6. *explosa penitùs.* 7. *Responsio ad tertium quæsitum :* 8. *& breuiter in Bzouium animaduersum.*

CAPVT II.

1. *à Thomas Maluenda.*

RECENTIOR quidam ex Familia Dominicana [a], dum sui Ordinis Annales faustos texit, ad annum Christi M. C. LXXXVIII. Baronium carpit, quòd post recitatam epistolam Gaufredi ad Cardinalem Episcopum Albanensem super eodem dubio, quam nos etiam ibidem commemorauimus ; & in qua putat scopum eius fuisse [b], *vt probet aquam, necdum conuersam in vinum, sed in propria specie, & substantia manentem, in Sanguinem Christi transubstantiari,* quòd, inquam, post recitatam eam epistolam, hoc nihilominùs ipse Scholium addat [c], *Quid rescripserit ad petitam consultationem Cardinalis Episcopus Albanensis, non inuenimus : sed aliud rescribere non potuisse certum est, quàm quod credidit, & custodiuit semper Sancta Romana Ecclesia ; nimirum, aquam simul, & vinum transubstantiari in Sanguinem Christi.* Ita Baronius communem sententiam faciens, perpetuámque, quam Innocentius censuit probabiliorem. Porrò Maluenda in illum sic insurgit [d] : *At quàm hæc obscura, & implicata sint, ad enodationem quæstionis propositæ ? Nonne satius erat dicere, aquam prius in vinum conuersam transubstantiari in Sanguinem Christi ?* Ita Maluenda reprobans sententiam, quæ immediatum aquæ transitum adstruit. Alij Baronio plùs authoritatis in Historicis esse, quàm in Theologicis (quasi in his minùs sapiat) parum in eius Operibus versati, siue parum calentes scriptitarunt [e]. Quippe, vt suam tueantur opinionem, quam D. Thomæ esse [f], adeóque venerandam, non negabo, in obuios quosque impingere non dubitant.

[b] *ad ann. 1188.*

[c] *Baron. an. 1188.*

[d] *ad eund. annum.*

[e] *Magist. Aragoinfis à citatus.*

[f] *3. par. q. 74. art. 8.*

2. Mihi quidem Scholasticum agenti, vt neutra opinio certa, sic vtraque probabilis, facile omninò posset persuaderi ; maximè ea, quam adstruit Innocentius, non diffinita ; sed tantùm approbata, tanquàm probabiliori, adeóque opposita, vt probabili admissa (loquor de his duobus, quæ hodie etiam vocantur in controuersiam ; asserentibus transire in Christi Sanguinem vna immediatè, altera mediatè ; nec nisi priùs in vinum sit conuersa.) Verùm, cùm merum agam narratorem gestarum rerum, atque inter alias, apostolici rescripti, cuius & verba, & sensum debeo exponere ; nequaquam mihi possum temperare, quin Baronium defendam, ostendamque nihil ab eo dictum in illis verbis, quod non ab Innocentio, neque Innocentium aliud respondisse, quàm eam esse sententiam probabiliorem, quæ adstruit aquam immediate transire in Christi Sanguinem (quod volebat Gaufredus) nulla præuia in vinum conuersione.

Et primò quidem cùm secunda hæc consultatio ab eadem Domo prodierit, à qua prima, hoc est, à Claraualle, adeóque ab eodem consultantium sensu, vix, aut ne vix apparet verosimile, Pontificem in contrarium inclinasse, nulla, vel leui insinuata impugnatione sententiæ consulentium, aut responsione ad rationes, siue ad authoritates, quas allegabant. An aliis diuersimodè sentientibus, etiam his, quibus dicunt consensisse, plura opponeret, quasi ea ratione cunctis satisfacturus : solos omitteret illos, qui inquirebant, ad quos ipsum responsum dirigebatur ? At asserentibus transitum mediatum oppositum esse Meditorum doctrinam contrarium asserentium, compertum est : è contra verò immediatum adstruentibus, neque vllum verbum in epistola inueniretur quoquo modo contrarium, aut quod vel leuem dubitandi rationem præferat. Rursus quis dicat, doctissimum Pontificem prætulisse sententiam, quam impugnatam, nulla facta mentione impugnationis, nedum soluta, quæ ex ea consurgebat, difficultate ? Tertiò, cùm Pontifex reliquerit in dubio, an aqua mixta, in vinum conuertatur, an verò non ; imò cùm extra dubium omninò sit, non conuerti in instanti, sed in tempore : adeóque pro maiori, aut minori, & quantitate aquæ, & actiuitate vini, serius, aut citiùs fore conuertendam : vnde consequenter fit, non necessariò semper conuersam esse, eo tempore, quo verba proferuntur : nullatenus quæsito satisfeciisset, absolutè pronuncians, aquam cum vino in Sanguinem transmutari : potiùs debuisset sub distinctione loqui, & dicere : Si aqua in vinum, contra Physicorum opinionem, conuerti potest, & comingat, quòd de facto conuersa sit, cùm verba proferuntur ; tunc quidem transmutatur in Christi Sanguinem : secùs, si aut nequit ex aqua vinum fieri, aut tempore prolationis verborum nondum est factum : sed neque tunc aqua, quæ iam non existebat, simul cum vino in Sanguinem transiret, sed vinum solùm.

3. Addo rationem, qua Innocentius probat eam, quam docet, sententiam probabiliorem ; si transitus immediatus sit, efficacissimam : aliter futilem, & pene contemnendam. Ea est, *vt expressius elucescat proprietas Sacramenti.* quæ est ex Christo, & nobis vnum facere, cùm populi per aquam significentur. Ergo per hoc Sacramentum idem fiunt ; qui diuersi alias, iuxta Innocentium. At, si aqua transisset in vinum ante prolationem verborum, Sacramentum non faceret vnum è duobus ; sed ex vno vnum ; nempe, ex vino Sanguinem ; vnióque, quæ vtcunque antecessisset, non esset à Sacramento, quippe nondum existente,

existente,sed à natura. Si verò è contra non conuersa in vinum, simul cum ipso transit in Christi Sanguinem, optimè probat ratio Innocentiana; nempe, virtute Sacramenti fieri, vt quæ eatenus duo distincta forent, in vnum Sanguinem Christi coalescant: ergo quam Pontifex docuit probabiliorem non transitus mediatus aquæ in Sanguinem, sed immediatus est,sicut & vini: vnde & cum ipso simul conuerti docet;non in ipsum conuerti, & pòst in Sanguinem. Atque hæc mihi adeò certa sunt, vt quamuis in ipsis opinionibus probabilitatem admittere non renuam: at de mente Innocentij nequaquam ambigam: nec dubitem docuisse probabiliorem, quam Godefridus tenuit, & quam Baronius perpetuam in Ecclesia, non velut diffinitam, sed veluti certiorem propalauit.

5. Verùm cùm tot, ac tanti Doctores hactenus aliter Innocentium intellexerint,enitendum est nobis, vt explicemus, quæ illos causa mouit, ita sentire. Ea porrò in comperto sese offert,quòd præter errorem conuersionis aquæ in phlegma, quam condemnauit Pontifex [f], tres tantùm ab eo propositas sententias arbitrarentur,quod in Angelico Doctore, Sotóque [g], atque aliis videre licet. Primam, quæ asserit, transire vinum in Sanguinem; aquam in aquam,quæ fluxit de Christi latere. Secundam,quæ in Sanguinem vtrumque; sed aquam non,nisi priùs in vinum versam. Et tandem tertiam, quæ aquam non transire,sed accidentibus vini circunfusam, sua retenta substantia,manere putat,non secùs ac si post consecrationem admisceretur. Porrò ex his tribus elegisse vnam, velut probabiliorem; non quartam aliam de nouo proposuisse. Quod si ita est, consequenter conuincunt, quod contendunt, non posse esse aliam, quàm secundam: quippe verba Innocentij,cum ea aliquid; cum aliis nihil prorsus commune habent. Et videtur id conforme verbis Pontificis, qui suam tandem sententiam prolaturus, ad prædictas recurrit: nec tradit illis aliam probabiliorem:sed inter illas eam talem esse, quæ asserit transire in Christi Sanguinem. *Inter opiniones prædictas*,inquit,*illa probabilior iudicatur*,&c.

6. Ego non dubito,si semel admittamus tres tantùm sententias propositas ab Innocentio, consequenter etiam dicendum fore,electam secundam, quæ præsefert transitum mediatum aquæ in Sanguinem. Verùm non tres, sed quatuor ab eo positas, vel inde mihi facilè persuadeo, quòd cùm constans apud aduersarios sit, eam fuisse sententiam consulentium, quæ immediatum transitum admittit, quod de Gaufrido omninò euidens est, & de Ioanne plusquàm verosimile; non est putandum, narratis aliorum sensibus, eum solùm omissum ab Innocentio,qui consultantium esset: & pro quo tot, ac tanta proposuissent. Quin non in alio ei magis laborandum; saltem si ab eo forent dimouendi. Sentio ergo, imò verba ipsa loquuntur, quatuor sententias à Pontifice propositas, tres probabiles, aut saltem tunc ab eo non improbatas: quartam probabiliorem inter prædictas, non quòd vna ex prædictis illis sit; sed quòd illis collata omnes præcedat. Neque enim dicit, è prædictis vna: sed inter prædictas illa, quæ non minùs ad aliam proponendam de nouo, quàm ad vnam ex eis referri valet. Quæ cùm adeò perspicua, & clara sint,mirandum est,tot controuersiis ortis hoc nostro tempore super ea mutatione,de qua integri libri sunt conscripti [h], non vllum fuisse,qui mentem Innocentij penitùs indagaret: siue adducendam in suorem suæ sententiæ,seu pro contraria adductæ responsurus. Nec valet dicere,etsi ab eadem Domo,consultationē fortè fuisse diuersam: neque Innocentio propositam à Ioanne,vt Henrico,à Gaufredo; nempe,cum adhæsione ad eam partem,quæ immediatum aquæ transitum adstruit. Hoc, inquam, facilè videtur reiici posse:tum,quia,esto proposita non fuisset quarta illa sententia, vt minùs erat ea, quæ in controuersiam præcipuè vocabatur illis temporibus: quod in epistola Gaufredi suprà à nobis adducta videre licet. Nec credi potest,doctissimum Pontificem, omissa principali sententia,quæ tunc agitabatur, ad alias minùs celebres, & penè obliteratas diuertisse. Tum, quia etsi demus gratis eam omissam, nec quartam aliam diuersam à præmissis; sed secundam. ex eis fuisse approbatam: at ex duabus propositionibus in illa contentis, altera de transitu, altera de illius mediatione; cùm primam approbet, secundam verò omittat; ipsa omissione videtur reprobasse; aut saltem æquè,siue vera, siue falsa sit,transitum aquæ in Sangninem docuisse: maximè Medicis contra hanc partem obiectis,& nullo vel leui responso subindicato.

[f] *vbi suprà.*

[g] *in 4. dist. 9. q. 1. art. 6.*

[h] *Pauli Archiep. Senens. Episcopi Dertusensis. Basil. Legionens. & quidam ad litteram transcribit, Aranjo 3. parte, qu. 74. art. 8. dub. 2.*

Reliqua pars consultationis facilis,& quæ ex solo responso est per se nota. Verba Innocentij Pontificis hæc sunt:*Tertio loco,Fraternitas tua requisiuit, quare fuerit mutatum, quod in Secreta Beati Leonis, secundum antiquiores codices,continetur,sic,videlicet*: Annue nobis, Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc prosit Oblatio. *cùm in modernis Sacramentariis habeatur*: Annue nobis,quæsumus, Domine, vt intercessione Beati Leonis hæc nobis prosit oblatio. *Super quo respondemus,quod cùm sacra Scriptura dicat auctoritas, quòd iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, idem est ratione consimili de Sanctis aliis sentiendum: quia orationibus nostris non indigent,pro eo, quod cùm sint perfecti Beati, omnia eis ad vota succedunt: sed nos potiùs orationibus eorum indigemus, quos (cùm miseri simus) vndique mala nostra perturbant. Vnde, quod in plerisque orationibus cominetur*: Prosit, *vel*, Proficiat huic Sancto, vel illi,talis Oblatio ad gloriam, & honorem. *ita debet intelligi, vt ad hoc prosit, quòd magis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris: licèt plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam vsque ad Iudicium augmentari; & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare. Verùm vtrum in hoc articulo locum habeat illa distinctio, qua docetur, quòd defunctorum alij sunt valdè boni, alij sunt valdè mali; alij mediocriter boni, alij mediocriter mali: vnde suffragia,quæ fiunt à fidelibus in Ecclesia, pro valdè bonis, actiones sunt gratiarum, pro valdè malis, consolationes vinorum; expiationes verò pro mediocriter bonis: & propitiationes pro mediocriter malis: tua Discretio inuestiget.*

7.

8. Hactenus consultatio per Ioannem facta, atque responsum Innocentij Papæ, quod mutilum, & truncum Bzouius adducit, quippe duabus quæstionibus omissis, tertia,quia facili; secunda, quia difficili, & nimis implicata; maximè Scriptori Dominicano, & aliàs Cardinalis Baronij Continuatori; primam tantùm proponit, resoluitque,eiusdem Innocentij verba transcribens.Et quidem hodie secunda perneccessaria, vtpote in re grauissima, & supra modum controuersa nostris temporibus. Sed nobis dicta satis pro instituto: nunc ad alia huius anni transeamus.

1. Innocentius pro expeditione in Orientem Legatos creat. 2. Inter quos multi ex nostris, 3. qui recensiti ex Litteris : 4. & quædam certæ preces cunctis iniunctæ. 5. Martini Acta. 6. Et Innocentij acceptis Litteris, 7. Prædicatio : 8. ex qua multi Cruce signati : 9. Tum electus in Ducem à militibus, 10. Gaidonis, & aliorum Abbatum licentiam impetrat. 11. Legati ex nostris ad Gallia, & Anglia Reges.

CAPVT III.

1. ENTER hæc Innocentius classicum canens, Christiana arma in Oriente reformaturus, dispergebat Legatos per Prouincias, prædicaturos Crucem; atque milites, arma, commeatus, pecuniámque, & cætera necessaria ad bellum congregaturos. Ergo, qui per Siciliam, & Calabriam, Lucam Sambucinensem, ante biennium; idem hoc anno Euerardum Salernitanum, & P. quondam Abbatem Noui Castri, Cistercienſem vtrumque, per Moguntinam; Abbatem de Sichem, per Magdeburgensem, Bremensémque Prouincias; Martinum Parisiensem per Theutoniam; Abbatem Mellifontis per Hiberniam; Rieuallis, per Angliam, ac demum iterum per Italiam Sambucinensem, Legatos constituit, Litteris datis, quibus eis causa Christi, & totum promouendæ expeditionis negotium committebatur. Referam scriptas ad Abbates de Salem, & de Nouo Castro: nam reliquarum idem omninò tenor: sicut & aliarum, quæ ad alios extra Cistercium Episcopos, siue etiam Cardinales dirigebantur [a]:

a Epistol. Innoc. lib. 3. 2.

Dilectis Filiis de Salem, & P. quondam de Nouo Castro Abbatibus.

Pium, & sanctum propositum, quod de subuentione Terræ sanctæ pro communi salute, Deo inspirante, concepimus, & perducere satagimus ad effectum, ex generalibus Litteris poteritis aduertere manifestè. Cùm ergo de synceritate, & sollicitudine vestra geramus fiduciam pleniorem, vósque reputemus idoneos ad fungendum pro Christo Legationis officio in hac parte, Deuotionem vestram monemus, rogamus, & obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta districtè mandantes, & in remissionem peccatorum iniungentes, quatenus accensi zelo fidei Christianæ, per Moguntinam Prouinciam properetis in humilitate cordis, & corporis verbum Crucis, & ad vindicandam iniuriam Crucifixi fideles ipsius, prout in generalibus Litteris continetur, cura sollicita, & accurata sollicitudine inducatis, exequentes diligenter, & efficaciter vniuersa, quæ ad subsidium Terræ sanctæ in eisdem Litteris videbitis comprehensa; quæ à vobis volumus studiosè notari. Vt autem opera exhibitione monstretis, vos portare in cordibus vestris stigmata Iesu Christi, districtè præcipimus, quatenus excutiatis ab omni munere manus vestras, nec aliquid præter victum, & alia necessaria, à quoquam, quin etiam moderatè sumatis eundem, & modestè. Si quid autem pro Terra S. succursu vobis fuerit oblatum, faciatis illud apud aliquem religiosum locum studiosè reponi, significaturi nobis in fine anni processum, & profectum sollicitudinis vestræ, vt cognoscere valeamus, apud quos profeceritis in personis, aut rebus, ad hoc salutare negotium deputatis: nostrúmque vobis beneplacitum rescribamus, docentes qualiter in antea procedere debeatis.

3. Sic Innocentius. Pergunt verò in Regesto notitiæ aliorum, ad quos similes Litteræ sunt datæ, qui planè multi. Cæterùm inter alios ibi notantur: *In eundem modum scriptum est Episcopo quondam Alberstadensi, & F. quòdam Abbati de Sichem per Magdeburgensem, & Brenensem Prouincias: in eundem modum M. Abbati Parisiensi, per Theutoniam: in eundem modum Abbati Rieuallis, & Gualtero Loudinensi Archidiacono, per Angliam: in eundem modum Archiepiscopo Dublinensi, & Abbati Mellifontis per Hiberniam: in eundem modum Archiepiscopo Cossentino, & Abbati Sambucinensi.* His plures alios adiunxit Innocentius Apostolos dispersos per totum Orbem, queis omnibus prædicare Crucem iussit, quibusdam etiam sumere, & cum exercitu in Syriam transfretare: inter quos fuit Martinus Parisiensis, de quo multa in sequentibus dicemus. Sed, ne in humana fidere potentia, prætermissa diuina, aut non illam, vt asseclam huic dare, & velut putè cooperatricem, iudicaretur, publicas ante omnia preces statuit, quas, quia satis aptas, deuotásque, ex litteris generalibus desumptas, in gratiam mei Lectoris, hìc transcribam [b]:

b ex Regest. Innoc. in Vaticano.

4. *Verùm cùm longè plus de diuina clementia, quàm de humana potentia confidere debeamus, oportet vos in tali conflictu, non tam corporalibus armis, quàm spiritualibus dimicare. Ideóque statuimus, & mandamus, vt singulis mensibus semel fiat generalis processio, seorsum virorum, ac seorsum (vbi fieri poterit) mulierum, in humilitate mentis, & corporis, cum deuota orationum instantia postulantium, vt misereri Deus auferat hoc à nobis confusionis opprobrium: liberando terram illam, in qua vniuersa Redemptionis nostræ Sacramenta peregit, de manibus Paganorum, restituendo eam ad laudem, & gloriam nominis sui sancti, populo Christiano: prouisò prudenter, vt semper in ipsa processione verbum salutifera Crucis cum diligente exhortatione populo proponatur. Orationi verò ..... eleemosynas coniungant, vt his, quasi alis, facilius, & celerius ipsa volet oratio ad piissimas aures Dei, qui nos clementer exaudias in tempore opportuno. Singulis quoque diebus intra Missarum solennia, post pacis osculum, cùm iam pro peccatis Mundi offerenda, vel sumenda est Hostia salutaris, omnes tam viri, quam mulieres humiliter prosternantur ad terram, & à Clericis Psalmus iste:* Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. *alta voce cantetur, quo cum hoc versu finito deuotè:* Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant à facie eius, qui oderunt eum. *Sacerdos, qui celebrat, orationem super Altare decantet.* Hæc Innocentius.

5. Accinxêre se omnes iniuncto operi, & peragrantes Prouincias, Regnáque, aduersùs Saracenos orientales, ingentes Christianorum copias concitauerunt. Quid singuli in suis Prouinciis egerint, omisêre Scriptores: nec dubium, quin silentio multa inuoluerint, quæ hos Annales possent illustrare. Verùm vnius Martini Parisiensis, singularis haud dubiè prudentiæ Viri, quæ extant Acta, à Magistro Guntero transcripta, ab Hentico Canisio pòst vulgata, hanc nobis paginam, & sequentium annorum alias implere possunt. Portò Galterum, Monasterij eiusdem Monachum, Martini non subditum modò, sed familiarem,

liarem, nihil omninò scripsisse, nisi quod vidit, aut hausit ab eius ore, in præfatione libelli ipse testatur, dum alloquens Lectorem ita scribit: *Cuius nostræ narrationis pagina nihil falsum, vel ambiguum continebit; sed veram, ac certam rerum gestarum seriem prosequetur: sicut idem Vir, de quo plurima dicturi sumus, humiliter satis, ac verecunde puram nobis, ac simplicem enarrauit Historiam.* Hæc ille. Quare de tota hac expeditione, nedum de gestis Venerabilis Martini, non alius fide dignior Author haberi potest. Is ergo de Martino ita scribit [c]:

[c] Tom. 5. antiquar. lect. apud Canisium.

6. *Fuit* (ait) *Vir quidam in superiori Germania, Martinus vocabulo, Abbas cuiusdam Cœnobij de Ordine Cisterciensi, quod in Episcopio Basiliensi positum, Parisius appellatur.* Et post pauca: *Abbas igitur ille, quem dicimus, maurus quidem erat animo, sed facie iucundus, prudens consilio, familiaritate affabilis, eloquio gratiosus, inter Fratres suos mansuetus, & humilis, vt quilibet illorum; apud seculares authoritate præcipuus, apud vtrosque dilectus, atque tractabilis habebatur. Hic à Summo Pontifice Innocentio, qui tunc Sancta Romana Ecclesia tertius sub hoc nomine præsidebat, mandatum accepit, vt & ipse indubitanter signum Crucis acciperet, & hoc idem aliis, in partibus illis publicè prædicaret. Qui etiam mandato pontificali in vtroque obtemperans, confidenter, & impigrè verbum prædicationis arripuit, mirantibus cunctis, pro eo, quod pusillæ complexionis homo, tantique laboris impatiens, ab omnibus putabatur. Habuit itaque Sermonem ad Clerum, & populum, in ciuitate sua, quæ Græco vocabulo Basilica, id est, Regalis, dicta est, in celebri Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ, vbi magna vtriusque Ordinis, nouis excitata rumoribus, conuenerat multitudo. Audierant quippe iam dudum alias circumquaque Prouincias ad hanc Christi militiam celebribus prædicationibus excitari. In partibus autem illis nullus adhuc eiusdem rei fecerat mentionem. Vnde & earum quamplurimi parati animo, Christi castris se tradere, huiusmodi exhortationes totis desideriis expectabant. Adstabant igitur omnes auribus erectis, fixis in ipsum obtutibus, quid de hac re, vel præciperet, vel moneret, quidve obtemperanti de diuina bonitate promitteret, cupidissimè præstolantes.* Hactenus ille de obedientia prompta Martini, Theutonicorúmque, & paratis animis, tum ad audiendum, tum ad prædicandum; atque vtrisque ad sequendam militiam Crucis.

7. Primam Concionem Basileæ habitam simplicem, & incomptam; sed efficacem, & rebus magis, quàm verbis persuasuram, ab eodem Authore excerptam, descriptámque non grauabor transcribere. Fuit autem talis [d]: *Verbum mihi ad vos, Domini mei, & Fratres mei, verbum mihi ad vos: non meum vtique, sed Christi. Christus ipse verborum Author est: ego fragile instrumentum. Christus vos hodie per os meum suis alloquitur verbis, suas vobis deplorat iniurias. Expulsus est Christus de loco sancto suo, de sede sua, dejectus est de illa ciuitate, quam ipse sibi proprio Sanguine dedicauit. Prob dolor! vbi dudum Filius Dei venturus in carne à Sanctis Prophetis promissus est, vbi iam natus, & paruulus in templo voluit præsentari: vbi præsens prædicauit, & docuit, virtutes, & signa frequenter exhibuit: cœnans cum Discipulis suis, Sanctissimi Corporis, & Sanguinis instituit Sacramentum, passus, & mortuus; ac sepultus post triduum surrexit: cernentibus Discipulis in Cœlum assumptus est; & decima die Spiritum Sanctum in linguis igneis super eos infudit: ibi nunc profana gentis dominatur barbaries. O miseria! ô gemitus! ô calamitas! Terra sancta, quam Christus suis calcauit vestigiis, in qua infirmos curauit, cæcos illuminauit, leprosos mundauit, mortuos suscitauit: terra, ex quam, illa in manus impiorum data est. Subuersa sunt Ecclesia, polluta Sanctuaria, Regni sedes, & dignitas translata est ad gentes; sacrosanctum illud, & venerabile Crucis lignum, quod Christi Sanguine perfusum est ab his, quibus verbum Crucis stultitia est, ita suppressum occultatur, vt nemo Christianus, quid de illo actum sit, vel vnde requiri debeat, scire possit. Gens nostra, quæ fines illos habitare consueuerat, tota ferè vel hostili gladio, vel longa iam captiuitate consumpta est. Pauci, qui de clade illa euadere potuerunt, apud Haconem, vel in aliis tutioribus locis se receptant, ibique crebros à Barbaris patiuntur incursus. Hæc est illa Christi necessitas, quæ ipsum vobis hodie per os meum supplicare compellit.*

[d] Ibidem.

8. *Nunc itaque validi bellatores, succurrite Christo: date nomina vestra militiæ Christianæ, felicibus castris aggregari satagite. Vobis hodie causam Christi committo: vobis ipsum, vt ita loquar, in manus trado, vt eum in hereditatem suam, de qua crudeliter ejectus est, restituere studeatis. Ac ne vos illud terreat, quòd hoc tempore gentilis rabies super nostros adeò inualuit; verum precedentium vos cupio reminisci, eo tempore, quo celebris ista expeditio sub nobili duce Gothofredo, cæterisque Francorum, ac Theutonicorum Principibus facta est. Infidelis ille populus, ita vt nunc, Christianis omnibus occisis, vel captis, terram illam occupauerat, sanctámque Ciuitatem Ierusalem, & Tyrum, ac Sidonem, ipsámque Antiochiam, & alias vrbes munitas, imò totam terram vsque Constantinopolim securè, & absque vllo metu, annis quadraginta possederat. Quæ tamen omnia, volente Domino, per eundem exercitum brevissimo tempore, velut in transcursu accepta sunt. Nicæa, Iconium, Antiochia, Tripolis, aliæ ciuitates expugnatæ sunt. Ipsa etiam Sedes Regni Ierusalem populo nostro restituta. Nunc autem licet impia gens præcipuam illam Sedem, & maximam terræ partem violenter obtineat; nostra tamen est Achon, nostra est Antiochia, nostra sunt & adhuc aliæ quædam vrbes munitæ & validæ, quarum præsidio, diuino fauore, & viribus nostris, inclyti bellatores, etiam præclara Sedes illa tum omnibus aliis sub nostram poterit redigi potestatem. Si autem quæritis, quid à Deo certi stipendij pro labore sperare debeatis, certissimè vobis polliceor, quia quisquis signum Crucis acceperit, & puram fecerit Confessionem, ab omni prorsus mundabitur peccato; & quocunque loco, vel tempore, seu casu præsentem reliquerit vitam, æternam accipiet. Taceo nunc, quòd terra illa, quam petetis, longè hac terra opulentior est, atque fœcundior: & facilè fieri potest, vt multi etiam ex vobis, in rebus etiam temporalibus prosperiorem ibi fortunam inueniant, quàm hic se experti meminerunt. Nunc videte, Fratres, quanta sit in hac peregrinatione securitas, in qua & de Regno Cœlorum promissio certa est, & de temporali prosperitate spes amplior. Ego ipse me spondeo socium itineris, & laboris, & prout Deo placuerit, & prospera vobiscum, & aduersa partiri desidero. Nunc igitur, Fratres, lætis mentibus triumphale signum Crucis accipite, vt & causam Crucifixi fideliter exequentes pro labore brevi, & modico, magna & æterna percipere valeatis stipendia.* Hactenus verba Venerabilis Martini: quæ tanta omnium acclamatio sequuta est, tantus cunctorum animorum ardor pro Christi gloria, vt senes, iuuenes, nobiles, ignobiles, certatim Crucem haberent, & se Christi militiæ consecrarent. *Hac loquente Venerabili Viro, cunctis, qui aderant vehementer*

menter atterritis, videres lacrymas, tam per eius faciem, quàm per ora omnium largissimè defluentes. Audires gemitus, & singultus, atque suspiria; & alia huiusmodi signa, quæ interna compunctionis faciebant indicium.

9. Porrò adeundæ militiæ ea vna conditio cunctis petita, vt quem habuissent illius persuasorem, Rectorem haberent; atque vt intrepidi illius promissis animas, sic prouidentiæ corpora committerent; quem itineris non comitem, sed Ducem, & bello & pace sequendum destinarent. Pergit Author [e]: *Assensit denique Vir Dei precibus illorum: & qui (vt iam diximus) à Summo Pontifice curam animarum acceperat, exterioris quoque prouidentia rogatus accepit officium. Tunc confortans illos in Christo, cuius militiam professi erant, certum tempus constituit, quo, rebus suis dispositis, parati omnes ad eundem locum ei occurrerent, ibique secum iter sanctæ peregrinationis arriperent. Redeuntes autem ad propria diligenter admonuit, vt tempore medio caste, & innocuè se haberent, & se ipsos Christi totius puritatis amatori, milites exhiberent idoneos. Ipse verò cum honesto comitatu præcipua, & maximè populosa totius Regionis loca circumiens, crebras prædicando faciebat stationes, & plurimos ad eandem Christi militiam conuertebat. Quibus etiam illud curabat iniungere, vt qui possent, præfixo tempore ad locum prædictum aliis occurrerent, cum eis pariter profecturi. Qui verò propter temporis angustiam à negotiis suis expediri non possent, quàm celerrimè fieri posset, alios sequerentur.* Hæc ad hunc annum: nam, quæ plura egit, tum totius exercitus egressum, nauigationémque, & cætera, quæ illis contigerunt, digna Ecclesiæ Annalibus, suis singula annis dicenda erunt.

[e] vbi suprà.

10. Concernit tamen etiam præsentem annum, quod idemmet Martinus, cùm tempus profectionis iam instaret, *authoritate Pontificij mandati tutum se esse sciens; sed nihilominùs sancto Ordini suo reuerentiam exhibere cupiens, fontem totius Ordinis Cisterciensium adiit; ibique ab ipso loci eiusdem Abbate, aliisque præcipuis quibusdam Abbatibus, peregrinationis licentia, & benedictione accepta, ad Monasterium suum reuersus est. Vbi etiam Fratrum suorum se orationibus commendans, & eos mutua charitate diuinæ pietati committens, Basileam petiit,* &c. Sed hæc iam concernentia sequentem annum, in ipso nobis veniunt describenda. Certè Martinus electus in belli Ducem, Bernardum mihi reddit, cùm simili prædicationi Crucis intentus esset, nisi quòd ille milites deseruit, quos armauisset, hic antecessit.

11. Eodem anno ad Reges Galliæ, & Angliæ inter se dissidentes Legatos lego Abbates Casemarij, & Trium fontium, reformaturos inter eos pacem; vel si tenuerent, etiam per censuras Ecclesiæ compescituros. De quibus ita Vincentius in Speculo historiali, circa hunc annum [f]: *Inter hæc Innocentius Papa misit Abbatem de Casemariis ad Regem Francorum, & Regem Angliæ, pro reformanda inter eos pace: qui, adiuncto sibi Abbate Trium fontium, vtrique Regi, authoritate apostolica, præceperunt, vt conuocatis Episcopis, & Principibus Regni, salua vtriusque iustitia, pacem facerent, & Abbatias, cæteráque Ecclesias per gentes earum destructas in statum pristinum reformarent.* Porrò recentem bellorum occasionem Authores Angli pluribus, Arsfeldius paucis, ex antiquis collegit, *quod ob admissum parricidij scelus, necato Arturo, Gaufredi fratris filio, Rex Galliæ, Northmannia, aliisque præclaris transmarinis Regionibus, quas Angliæ Reges hactenus possederint, Ioannem spoliare non dubitaueris.* Non vnquam Reges efficaciùs aguntur iustitiæ zelo, quàm cum vindicta cedente sibi in commodum, & velut iure ad ipsos deuoluto, lucrum ex punitione captare possunt. Nonnullas alias causas, & quidem graues, Cisterciensibus Abbatibus commissas memorat Bzouius, quæ facilè apud ipsum videri possunt.

[f] Vinc. lib. ...

---

1. *Gerardus primùm Abbas Pontigniaci:* 2. *mox intra paucos dies illo extincto, Guido Abbas Cistercij, Prænestinus Episcopus creatur,* 3. *à Guidone antecessore distinctus,* 4. *ad Germaniam Legatus:* 5. *& quæ ibi admiranda satis inuenerit.* 6. *Subrogatus Arnaldus ex Abbate Grandis syluæ, & Populeti:* 7. *vbi & Monachos sanctos,* 8. *& reuelationibus illustres Cistercio genuit.* 9. *Egregia eius facta remissiuè,* 10. *& authoritas,* 11. *cui Innocentius Sermones suos dicat.* 12. *Et quædam alia notanda inde deducta.*

CAPVT IV.

1. INTER hæc Venerabilis Guillelmus, Theobaldi magni Campaniæ Comitis filius, Philippi Francorum Regis auunculus (nam soror eius Ludouico nupserat, vt suprà memorauimus) fato functus Rhemensem, atque Prænestinam Sedes reliquit vacuas: vtranque Cistercio, atque alteram continua successione insignes tres Abbates illustraturam; alteram Pontigniaci, Cistercij duos, quamuis non omnes immediate promouendos. Et quidem purpurata Sedes Prænestæ, quæ ex Innocentij voluntate sola pendebat, collata statim Gerardo Pontigniacensi, qui eam Ecclesiam cum laude administrasset XIV. annos. Excepit creationem plausus Romanæ Curiæ, atque totius Ecclesiæ Gallicanæ, quæ virum suspiciebant, venerabantúrque, prudentiam, ac doctrinam eius, & pietatem in multis expertæ, ex vsu rerum, augendas non dubitabant. Sed breuis tamen omnium lætitia fuit: quippe Gerardus immatura morte præuentus, infulas infulis, & Libitinam tiaræ copulauit: cum vix dum Romæ ab Innocentio sacratus esset. Hinc est, quòd à Chaconio, aliisque, breuis temporis Præsul omittatur, & nulla forsan eius memoria reliqua, ex qua notitiam desumere potuissent: promotum tamen, & functum dignitate, in comperto est, quippe haustum ex libro obituum Pontigniacensium, cui inconcussa fides; in quo hodiéque hæc verba scripta leguntur: *Quartodecimo Kalendas Iunij obiit Domnus Gerardus, octauus Abbas huius Monasterij, postea Cardinalis Episcopus Prænestinus.* Porrò, si hanc Dignitatem adeptus est, neque antè ab eo obtineri, nec pòst potuisse antecessores cominciuit, & successores.

2. Doluit Innocentius mortem insignis Viri, neque iacturam Cistercienſis Cardinalis aliunde reparare voluit, quàm ex Cistercio. Hoc ipso anno subrogauit Guidonem, tunc Cistercij Abbatem, cùm Româ adueniſſet, grates, vt creditur, eidè Innocentio, pro acceptis beneficiis redditurus. Sic factum est, vt quâ in fratre, vt voluerat, non potuisset charitatè ostendere, in Patre plenius demonstraret Cistercij filiis. Latuit etiam

Chaconium

Chaconium hæc promotio : sed præter Tabulas Ecclesiæ Rhemensis, quæ illam produnt, (nam ad eam aliam Sedem assumptus Guido,) concordant Authores : atque ex antiquis Magnum Chronicon Belgicum, qui inter alia hæc habet ad hunc annum [a] : *Item, anno Domini M. CC. II. Guido Abbas Cisterciensis, cum quibusdam Coabbatibus suis Romam proficiscitur ; & non multò post Papa Innocentius fecit eum Episcopum Cardinalem Prænestinum.* Cistercij Chronicon versibus descriptum Guidonem hunc, Rhemensem Archiepiscopum, non Cardinalem memorat; breui disticho difficilè potente vtranque Dignitatem satis exprimere. Vnde hæc tantùm:

Guido subit, vita cuius fulgebat, vt ensis,
Archimandrita factus fuit inde Rhemensis

Verùm Guidonem Rhemensem Archiepiscopum fuisse etiam Cardinalem Prænestinum, cæteri omnes Authores testificantur, & præcessisse Dignitatem Cardinalitiam, argumento est, quòd hoc anno subtractus Cistercio fuit, succedente Arnaldo, vt statim dicam; & tamen archiepiscopalem Rhemensem Sedem, ante sequentem conscendere non potuit, vt manifestis productis instrumentis ibidem nobis erit monstrandum.

a *Magnum Chron. Belg.*

3. Igitur per hoc tempus duo Guidones, Cistercienses vterque, ex Cistercij Abbate assumptus, Cardinalium Collegium exornabant : alter Romanus, creatus à Clemente, primùm Diaconus, mox Presbyter Cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tyberim, de quo multa superiùs; quem etiam demum Prænestina Sedes, sed non ante quadriennium præstolabatur : alter Gallus immediatus eius successor, qui hoc anno assumptus, eandem Prænestinam Sedem præoccupauit. Hinc factum est, vt vulgò confundantur ab Scriptoribus, identitate nominis, & immediata vtriusque successione; nunc in Cistercio, nunc vice versa in Prænestino Episcopatu; & pro vnico tantùm memorentur manifesto errore; cùm Guidonem secundum, Rhemensem Archipræsulem fuisse compertum sit : quam dignitatem primus non obtinuit, in quo omnes conueniunt; & aliàs alter Cistercio subtractus sit anno M. C. XC. alter hoc M. CC. II. quod omnes Tabulæ concordes asseuerant. Rursus, quod attinet ad Episcopatum Prænestinum, compertum est, si Guido Archiepiscopus Rhemensis, eum titulum habuit, vt omnes admittunt, & Tabulæ Archiepiscoporum Rhemensium probant; ante Guidonem primùm eam habuisse : aliàs cùm ante illum subtractus sit, nempe, infra quadriennium, primo superuiuente per longum tempus, non potuisset eo honore cohonestari.

4. Guidonem recèns creatum Cardinalem, in Germaniam missum ab Innocentio cum potestate Legati de latere, fortè vt Cruce Signatorum in Saracenos expeditionem, quà posset, maturaret; idem Chronicum Belgicum affirmat, vbi & memorat, quæ in illa ei Legatione contigerint : quæ, siue omninò, & vndequaque vera; siue, vt fieri solet, in maius aucta, quia singularia, & planè mirabilia, non putaui silentio præteunda. Referam autem ipsius Chronici verbis nam in Cæsario, quem Authorem citat, & quem ego libentiùs transcripsissem, nihil hactenus potui inuenire [b]. *Papa Innocentius, ait, fecit eum Cardinalem Episcopum Prænestinum, & misit in partes Alemanniæ Legatum, qui Cardinalis, vt Frater Cæsarius refert, veniens Coloniam, inuenit in partibus illis Clericum, nomine Thare, Dæmoniacum, qui Clericus erat Religiosus, & in singulis Dominicis communicabat. Benè verò poterat discerni, quando idem Clericus ex proprio motu loqueretur, & quando Dæmon per os eius loquebatur. Dicebat autem idem Dæmon Clerico Thare : Fuisti ad Confessionem? Etiam. Et quare non vidisti illud, & illud peccatum? Reuerteremelius confitere. Et adhuc adiiciebat : Ego parco tibi, Thare : quia benè est mihi propter te.*

b *vbi suprà.*

Cùm ergo venisset Clericus ad Cardinalem die Dominica, volens de manu eius communicare, dubitabat Cardinalis, vtrum deberet eum communicare. Et respondit Dæmon per os illius : Secure eum potes communicare, Domine Cardinalis : quia tua Communio cibus est animæ, non cibus corporis : at ego animam eius non habeo ; sed tantummodo corpus. Et cùm adiuuasset eum Cardinalis, vt recederet, dixit : Propter te non recedo : quia potestas hæc non est tibi concessa. Tandem Clericum communicauit. Vbi Dæmon per os eiusdem Clerici Sermonem faciebat optimum ad populum, & Theutonicè, & Latinè. Et cùm Episcopus in præsentia eius Sermonem alium fecisset, permittebat, vt totum absolueret. Tunc verò dicebat Dæmon Episcopo : Non benè prosequutus es : ego melius prosequor. Et ita faciebat Sermonem multò meliorem, quàm Episcopus fecisset. Cùm verò quæreretur, cur in Clericum illum intrasset ; causa prædicandi sè intrasse in illum, respondit, ad confusionem populi, ne haberet excusationem in die Iudicij. Interrogatus : Quod nomen est tibi? Belial, respondit, nuncupor : & semper vsque in finem sæculi corpus possidere debeo. Rursus quæsitus, quid sentiret de Monachis, qui habent proprietatem, respondit : Monachus, qui habet obolum, non valet obolum. Hactenus ibi.

5.

Guidoni in Cardinalem promoto Arnaldus Grandissyluæ Abbas subrogatur : de quo hæc Tabulæ, quas adducit Robertus Claudius [c] : *Arnaldus ex Abbate Grandissylvæ Legatus Pontificius contra Albigenses ; cuius tempore promulgata Ordinis statuta M. CC. II. Paramus libro 1 de origine Inquisitionis. Eligitur Narbonensis Archiepiscopus M. CC. XII. in epistola Innocentij III. quam edidit V. C. Philippus Dumas, Senator Diuionensis.* Ita Robertus paucis perstringens multa, quæ à nobis distinctiùs, & suis singula locis dicenda erunt. In Chronico eorumdem Abbatum metrico, hic ille Distichus:

6.

c *in Gallia Christiana.*

Arnoldum post hunc pietas diuina vocauit
Pontificem : sed eum subitè Narbona locauit.

Et quidem ad Narbonensem Ecclesiam promotum, compertum est, non tamen subitò, sed post decem annos ; quod & Claudius notauit, & suo loco à nobis dicendum erit.

Tres annos fecerat Arnaldus in Grandisylua, in Populeto totidem : nec constat adhuc, an priùs, quàm his Ecclesiis, minori alteri in Hispania præfectus fuerit. Quæcunque haud dubiè felix tanto Patre, qui ab ipso initio suæ Prælationis tot Sanctos ferè inuexitle Cœlis creditur, quot filios educauit; quot ad sui Magisterij normam instruxit. Referam in exemplum vnum ex pluribus, ipsius Arnaldi verbis, quæ Cæsarius recenset in suis Dialogis [d] : *In Domo quadam Hispaniæ Ordinis nostri, quæ Pumuana vocatur, duo adolescentes sum conuersi, & tam laudabiliter in ea conuersati, vt vita illorum esset aliis in exemplum ; ex quibus vnus in obsequium B. Virginis ita feruens extitit, ac deuotus ; ita in Horis eius decantandis morosus, & intentus, vt non solùm in singulis versibus, sed etiam in singulis verbis memoriam ipsius haberet ; sicque Horam Horæ cum maximis laboribus penè continuaret. Qui cùm annos decem, & septem fecisset in Ordine, grauiter infirmatus est, & ministrauit ei socius suus ex licentia Prioris, sciens cum Virum sanctum, & in seruitio Dei Genitricis deuotissimum, vt aliquid sibi diceret ad ædificationem, intuitu mutuæ charitatis, flagitauit. Cui cùm ille nihil negare posset, nec vellet, respondit : Heri Domina nostra visitauit me, & quia die septimo ad Dominum sum, migraturus, prædixit.*

d *lib. 7. c. 52.*

7.

Virginis prædictioni subsequutus euentus; & glo-

8.

riæ Monachi visio alia fidem fecit Priori ostensa, quam idem, qui suprà, Author ita prosequitur [e]: *Cum autem agonizaret die, & hora prædicta Vir Sanctus, Prior dormiens, Cellam, in qua iacebat, turbam candidatorum introire vidit, qui se propter animam illius deducendam aduenisse dicebant: statimque ad percussionem tabulæ excitatus, surrexit, & accurrit; & quia cœlestis esset exercitus, à quibus deuotus Genitricis Dei famulus foret deducendus, minimè dubitauit. Hoc Dominus Arnoldus Abbas Cistercienſis Treueri positus multis recitauit, dicens veraciter in Domo, in qua prius Abbas fuerat, gestum.* Hactenus ibi. Quibus clarè videas, quàm sanctos filios, Arnaldus Cistercio dederit; inter quos crebræ cœlestes reuelationes, visitationésque; & nouis semper visionibus visiones, atque omnes per euentus, aut alia externa signa comprobabantur.

[e] ubi suprà.

9. Multa hunc virum egregia facta commendant, quæ latè referemus suis temporibus. Interim adnoto, Innocentium Summum Pontificem tanti eum fecisse, vt suos illi Sermones dedicauerit, præmissa epistola, quam cum eisdem Sermonibus primùm illi transmissam per Nicolaum Cistercienſis Cœnobij Monachum, & Innocentij Capellanum: dein etiam vulgatam, insigne monumentum venerationis, hîc inserendam haud dubiè mihi persuasi. Videant omnes qualis, ac quantus fuerit, quem ipse Christi Vicarius, nec qualiscunque, sed Innocentius III. sanctitate, & doctrina, vel inter primos dignum censuerit, cui suas dedicaret lucubrationes. Portò epistola ipsa hæc habet verba [f]:

[f] Habetur inter Inn. Pont. Max. Opera.

10. *Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilecto filio Arnulpho, Abbati Ordinis Cistercienſis, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Propheticа docet authoritas, quòd beati sint illi, qui seminant super aquas. Semen enim est verbum Dei: & aqua multa sint populi multi. E contra maledictus est ille, qui frumentum abscondit in populo, & suffodit in terra talentum: quia supererogare debet aliquid stabularius, qui duos accepit à Samaritano denarios: & superlucrari debet aliquid seruus, cui Dominus duo talenta commisit. Nam à tunica hyacinthina dependebant aurea tintinnabula, ne Pontifex ingrediens absque sonitu Sanctuarium, moreretur. Inter cætera siquidem, quæ ad pastorale spectant officium, sanctæ prædicationis virtus excellit: iuxta quod docet egregius Prædicator: Non misit me Dominus, *inquit*, baptizare, sed prædicare. *Secundum illud*: Prædica verbum, insta opportunè: opus fac Euangelistæ. *Itémque*: Quàm speciosi pedes super montes euangelizantium bona. Clama, ne cesses: exalta quasi tuba vocem tuam. *Hoc enim officium iniungit Dominus principaliter Apostolis, dicens* [g]: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod auditis in aure, prædicate super tecta. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. *Tanta namque virtutis est prædicatio, quòd animam reuocet ab errore ad veritatem, & à vitiis ad virtutes: prava mutet in recta, aspera conuertit in plana: instruit fidem, erigit spem, & roborat charitatem: euellit nociua, plantat vtilia, fouet honesta: vna vitæ, scala salutis, & ianua Paradisi. Prædicator itaque debet habere aurum, argentum, & balsamum, videlicet, sapientiam, & eloquentiam, & honestatem: vt, quod dicat, intelligat; & quod dixerit, & intellexerit, agat. Nam*, Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in Regno Cœlorum. *Aliquin dicetur illi*: Medice, cura te ipsum. *Similis ficulneæ, quæ folia sine fructu producit.* Omnis verò Scriba doctus in Regno Cœlorum, de thesauro suo noua profert, & vetera. *Sine, quòd testimonia producit, tam de nouo, quàm de veteri testamento; siue quòd educit, tam de gratiæ nouitate, quàm de vetustate culpæ sermonem; siue, quod agit tam de præmiis, quam de supplicijs, qua innouatis in bono, vel inueteratis in malo debentur.*

[g] Matth. 10.

11. *De his autem pro diuersitate personarum, & rerum debet aliter, atque aliter loqui. Vnde ad Sponsam dicit in Canticis Canticorum*: Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. *Per aurum enim sapientia designatur, Salomone etiam testante*: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. *Per argentum autem intelligitur eloquentia, dicente Psalmista*: Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. *Decenter ergo per murænulas aureas, flores sapientiæ designantur, quibus collum, & pectus Ecclesiæ, vel Prædicatores, & Doctores ornantur. Vermiculatas autem, id est, distinctas, & variatas argento, scilicet, eloquentia, vt iuxta varietatem materiæ, vel personæ, stylus sermonis & varietur. Ait enim Apostolus*: Sapientiam loquimur inter perfectos: inter vos autem nihil iudicaui me scire, nisi Christum Iesum, & hunc Crucifixum. *Et iterum*: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquàm paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. *Sapientibus quoque, & perfectis ait veritas increata*: Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei: *E contra rudibus, & infirmis ait*: Multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. *Hinc ipsa prudenter iniungit*: Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas mittatis ante porcos. *Sed mundis animalibus esitote similes, qua ruminant pariter, & vngulam findunt. Debet enim Prædicator habere vinum, & oleum, virgam, & manna, ignem, & aquam, singula suo loco congruè proferenda. Principaliter autem ad eruditionem fidei, & ad informationem vitæ, tanquam ad fundamentum, & ad ædificium debet intendere Prædicator, confirmando, quod dicit, authoritatibus, rationibus, & exemplis, vt funiculus triplex difficilè dissoluatur. Quia verò puluis inanis gloriæ pedibus Prædicatorum frequenter adhæret, debet vtique Prædicator excutere pulueres de pedibus suis, ipsosque compunctionis aqua lauare, vt mundus sit totus, ne fortè cum aliis prædicauerit, ipse reprobus fiat. Vtinam autem in prædicationis officio fecerim ipse, quod dico! sed tot sum canarum impeditus incursibus, tot negotiorum nexibus irretitus, vt necesse sit diuisum ad singula, minorem in singulis inueniri. Contemplari quidem non sinor, sed neque respirare permittor: sic traditus aliis, vt penè penitus mihi videar esse subtractus. Ne verò pro sollicitudine temporalium, quæ temporis exigeme malitia valde me grauant, curam spiritualium omninò negligerem, qua mihi propter apostolicæ seruitutis officium magis incumbit, quosdam Sermones ad Clerum, & populum, nunc litteralí, nunc vulgari lingua proposui, & dictaui: quos ad tuæ petitionis instantiam, quam per communem Filium Fratrem Nicolaum Capellanum meum, & Monachum tuum, mihi fecisti, Deuotioni tuæ studui destinare, rogans, & obsecrans in Christo Iesu, quatenus in orationibus tuis apud Iustissimum Iudicem, & pijssimum Patrem me reddas spiritualiter commendatum.*

12. Hactenus Innocentius ad Arnaldum, quem nominat Arnulphum, inuersione vsitata per illud tempus, quibus & summa inter ipsos familiaritas, & Arnaldi fiducia, qui prouocauerit, & Innocentij dignatio, qui obedierit, haud obscurè dignoscitur. Tum Monachos haud inuisos illis temporibus, quibus Pontifices verentur pro Capellanis, omnia munia Ecclesiæ subituris. Quod adhuc perduraſſe per multum tempus, plures litteræ indicant, ex quibus aliquas in tempore reddemus.

1. *Beati*

1. *Beati Arnulphi Cornibentij Vita, per Gosuinum scripta, 2. patria, parentes, & lubrica iuuentus. 3. Resipiscentia, & religiosa vita in saculo: 4. tentatio vehemens, 5. & victoria consequuta: 6. saculum fugit, & in Villario Conuersum induit. 7. Rara alia in Probatione tentatio, 8. & victoria varior, 9. ac rigoribus rigores semper additi. 10. Dictum de prolongato eius martyrio.*

CAPVT V.

1. SVB idem tempus illustrauit Villarium in Brabantia Beatus Arnulphus, dictus de Bruxella, aliàs Cornibout, à Carolo Abbate donatus Conuersi Habitu. Eius Vitam, & Acta Gosuinus, eiusdem Domus Monachus, & Cantor adeò elegantèr, & fideliter scripsit, vt vix ei quicquam addere possimus, & ne vix demere: elegantiam stylus ipse prodet: quod verò attinet ad fidelitatem hæc ab eo præfata libet præmittere [a]: *Cùm adhuc*, ait, *in hac vita conuersaretur, & secreta conuersationis eius, partim scirentur, partim nescirentur, vnus Monachorum Villariensium, Vualterus nomine, qui ei valdè familiaris erat, multoties secretiùs roganit eum, vt de bonis Domini, quibus eum gratia Mater ditauerat, ei aliqua, causa ædificationis, intimaret: illo verò sapiùs reluctante, idem Monachus se nimiùm contristari, nec ab importunitate sua desistere se velle asseruit, nisi ei ab ipso aliqua intimarentur. Tandem ille roganti desiderij instantia, roganti satisfecit: & ei multa de secretis suis reseranit, quæ nos ab eiusdem Monachi ore rapientes, memoriæ commendauimus, vt scripto postmodum traderemus. Quadam, & personæ saculares probatæ Religionis, & quidem Fratres Domus Villariensis, aliqua de secretis Beati viri, quæ ab eius ore audierunt, nobis enarrauerunt: quorum testimonia credibilia facta sunt nobis, ad declarandam eius conuersationem. Vt igitur lucerna ponatur super candelabrum, & luceat fidelibus, qui sunt in Ecclesia Dei, mirabilem Iusti huius conuersationem, sicut à supradicto Monacho, vel ab aliis testibus veridicis nobis recitata est, breuiter elucidare cupientes, Spiritum Sanctum inuocamus adiutorem: quatenus eius gratia cor nostrum, & linguam nostram regente, aliqua tam præsentibus, quam posteris profutura scribere valeamus.* Hæc ille in Prologo. Porrò, quæ de Actis Sancti Viri narrat, vsque ad ingressum eius in Villarium, hoc, quo euenit anno; reliqua suis locis dicenda erunt [b].

a in Prefatione.

b lib. 1. cap. 1.

2. *Fuit in Episcopatu Cameracensi, in oppido Terra Brabantia, quod Bruxella dicitur, adolescens quidam Arnulphus nomine, quem à mediocribus parentibus duxisse originem ferunt. Hic in primo adolescentiæ suæ flore, nequaquam aduertens, quod ait Salomon:* Adolescentia, & voluptas vana sunt. *Nec etiam prænoscens, quanta Deus in posterum ei bona facturus esset, sponsionem, qua se in Baptismo promiserat, renunciaturum Diabolo, & operibus eius, minimè illibatam seruauit; sed leuis moribus, & verbis per tortuosa mortis itinera cæpit erraticus viator incedere: & in quantum libuit, carnis suæ voluptatibus deseruire. Cùm autem placuit Domino, qui eum segregauit ex vtero matris suæ, vt vocaret eum per gratiam suam, misit ei spiritum consilij salutaris, qui cordis eius tenebras illuminaret, & errantem ad viam veritatis reduceret. Ad cuius dulce susurrium à somno mortis excitatus, abiit ad Sacerdotem Vicarium Christi, & noxium peccatorum suorum virus in Confessione euomens, exuit veterem hominem cum actibus suis; & induit nouum, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.*

Deinde cum omni industria segregans se à maleuolo sæcularium contubernio, cæpit frequentare religiosas personas, & bonis viris se familiarem exhibere: vt eorum exhortationibus, & sanctis orationibus, tantò liberiùs ad meliora proficeret, quantò validiùs carnis illecebris, & vanitati mundanæ renunciaret. Quotiescunque autem poterat, sanctarum celebrationi Missarum intererat; Dominicisque noctibus, atque in Sanctorum Festiuitatibus, pulsatis ad Matutinas campanis impiger ad Ecclesiam cõuolabat. Si quando verò somnus eum diuturnior oppressisset, ita vt ad sonitum campanæ nequaquam surgeret, postmodum cum euigilans, Matutinis iam ex parte cantatis, tardiùs ad Ecclesiam veniret, tunc miro modo mœrens, & verecundus, non ante oculos hominum, sed Dei Ecclesiam ingredi, & ipsi Domino adstare recusabat: sed stabat foris in eo loco, vbi tecto Ecclesiæ descendebant stillicidia pluuiæ stillantia super terram: quod tamen ei rarò contingebat. 3.

Et quoniam scriptum est: Vasa figuli probat fornax: & homines iustos tentatio tribulationis. *quodam tempore instinctu Diaboli tentatus est: sed probatus. Cùm enim mulier quædam, ætate adolescentula, lasciua moribus, & saculariter viuens, videret eum adolescentem aspectu decorum, oculorum suorum capta laqueo exarsit in concupiscentiam eius. Sed, quia putidum cordis sui amorem libidinosæ commixtionis incentorem ei palam denudare erubescebat, eò quòd timoratum, & religiosæ vitæ deditum attenderet; cæpit cogitare, quali arte alliceret eum ad peccandum: & nacta opportunitatem, nocte quadam, cùm ille in cubili suo se collocasset ad pausandum, sub caligine noctis, ingressa latenter cameram, venit ad lectum eius: & iuxta eum se impudenter collocans, cæpit eum verbis prouocantibus incitare ad peccatum. Quod ille vt audiuit, statim de lecto exiliens fugit, sicque misera mulier spe sua frustratam se esse dolens, confusa recessit.* 4.

Porrò ea hora tam valida carnis tentatione correptus est, vt penè lapsus fuisset in peccati voraginem, nisi Dominus gratia sua manum ei porrexisset, qui seruos suos non patitur tentari supra quàm possint: sed facit cum tentatione prouentum, vt possint sustinere. Pro sua igitur ereptione gratiarum actionem Domino leuis rependens, ait: Spero in te, Domine Deus meus: quia, sicut nunc pro te, ab hoc igne mortifero liberatus sum: sic deinceps huiusmodi incendium, te protegente, mihi non dominabitur. Hæc Gosuinus de victoria sui tyronis, quam reportasse de muliere lasciua planè arduum: sed de se ipso, dum præteritæ occasionis recordaretur, supra hominem fuit. Quippe anhelantes ad culmen perfectionis multa ab opere retrahunt; consensus quò occultior, eò facilior; & quem alteri cedere pudebat, non pudet sibi. Hinc Draco ille magnus, serpens antiquus, qui pedibus sæculares homines calcat, prosternit corpore; stellas, id est, Sanctos, sola cau- 5.

da, id est, reliquiis occasionum præteritarum aggredi dicitur, tertiam eorum partem post se tractaturus. Sed redeo ad Historiam.

6. *Pugnans itaque de cætero novus athleta viriliter, præparavit animam suam ad tentationes: & in hoc statu Religionis, quasi duobus annis permansit, quantum potuit, se à peccatis, & vitiis custodivit. Sed timens, ne si fortè recidivum pateretur, fierent novissima eius peiora prioribus, proposuit transire ad Ordinem Cisterciensem: & tanquàm si responsum accepisset à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi priùs esset Conversus eiusdem Ordinis, & mirabiliter præ cæteris vineret, duos secum comites itineris sui sine dilatione assumens, timorem, scilicet, Domini, & spem venia, reliquit cognates, & abiens, valedixit sæculo in sæculum, & in sæculum sæculi.* Hactenus, quæ Arnulphus manens in Mundo, & peccator, & pœnitens. Nunc iam aduentum eius ad Villarium, & tyrocinij primordia, eiusdem Gosuini verbis pandamus: *Egressus igitur novus Christi tyrunculus cum Abraham, de terra, & de cognatione sua, vt iret in terram, quam monstraverat ei Deus, anno ætatis suæ vigesimosecundo venit ad Monasterium Villariense: vbi à Domino Carolo tunc temporis Abbate recipi petiit, & impetravit: sicque habitu sæculari depositio, & Habitu Ordinis assumpto, Fratrum Laicorum Conventui sociatus est.* Ita sub signis Cistercij, Duce Carolo, fortè & Magistro Cæsario Heisterbacensi, quem iam tunc in Villario Priorem agere dicebamus superiùs, spirituali militiæ nomen dedit, miras in ea victorias adepturus.

7. Verùm, quos primùm incursus inimici passus sit admirandos, quia raros; atque eò periculosiores, quò feruentiores, saltem in speciem, idemmet Author pergit ita scribere [d]: *Cum autem annus Probationis eius, necdum ex magna sui parte evolutus esset, cœpit tristari, eò quòd minùs laboris, & afflictionis, quàm arbitrabatur, reputabat, se invenisse; & tacitis intra se cogitationibus, sibi ipsi de se ipso conquerebatur, dicens: Ad quid veni ego ad Ordinem istum? Nunquid vt frustrà dies meos consumerem? Si foris remansissem in sæculo, multò plùs afflictionis corporaliter potuissem sustinere, quàm hic sustineam. Aliud est, quod me torquet interiùs, hoc, scilicet, quòd omnia corpori meo necessaria, tam in victu, quam vestitu, sine vlla sollicitudine mea mihi ministrantur, quibus abundo plusquàm corpori meo, & stomacho necesse sit. Ecce tempus meum perdo: & dies mei sine fructu mercedis pereunt.* Hæ primæ tentationes noui militis, per speciem pietatis, zelique, reuocaturæ hominem, nisi ipse in contrarium retorsisset. Neque enim ideò deserere Cistercium, in quod tendebat versutia communis hostis, sed magis Cisterciensi disciplinæ aliis non tolerandæ, rigores addere: nec diuertere à via, quam incepisset; sed in eadem, qua posset, & liceret, velociùs currere, ac sibi ipsi calcaria superaddere. Nam audi, quod sequitur [e]:

[d] ibidem.

8. *Cùm hæc, & similia mente tractaret, reputans secum, ne fortè pœnitentiales Ordinis afflictiones ei celarentur, cœpit cogitare, & recogitare, quid arctius, quidve pœnalius posset suæ carni superaddere: & invenit quoddam tormentum, quod satis corpori suo esset oneresum. Fecit namque sibi furtim duos funiculos de setis tortos, quas ei cauda ministravit equina; & circuncinxit se eis, strictim circa coxas suas, desuper genua, portans illos diebus multis, quoadvsque caro eius vehementer exinde laderetur: die vero quadam accidit ei, vt ex quodam defectu corporis factus velut exanimis corrueret in terram.* Ita quod modò velut lasciuiebat, iam sub onere gemens corpus caducum, non amplius de retrocessione deliberauit.

[e] ibidem.

At neque à superadditis rigoribus censuit sibi cessandum: quin insistendum eisdem, aliisque, quò tolerati (quæ nostra natura est) assuetudine leuiores efficerentur. Id vnum tantùm monitus adiecit, vt quod anteà velut minùs expertus miles, inordinatè faciebat, quia, duce inscio; ex tunc, obtenta Abbatis sui licentia, consultiùs faceret, & maiori cum lucro reportando: *Videns enim quidam Fratrum (Arnulphum laborantem defectu virium) timens, ne aliquam singularem corpori suo inferret afflictionem, post modicum, cùm ad se reuersus fuisset, alloquens eum seorsum, dixit ei: Frater Arnulphe, caue tibi, ne communes Ordinis Institutiones transgrediaris: néve tibi asperiores, non licentiatus, assumas singularitates: quia magnum inde corporis tui posses incurrere detrimentum. Ad quod verbum ille confusus in semetipso, accessit ad Monachum Confessorem, qui tunc temporis erat Magister Conversorum: & confessus est, se portasse funiculos ipsos absque licentia. Confessor verò increpans eum, & iniungens ei pœnitentiam, prohibuit, ne quid de cætero simile, sine licentia attentare auderet. Ille verò factus constantior ex increpatione Magistri sui, accepta licentia, fecit funiculum longiorem, cui multos inseruit nodos, vt citiùs, grauiúsque cutem cum carne secaret, & sibi maiorem daret hac medicina dolorem, & ex eo circuncinxit se per medium sui, adstringens eum fortiter corpori: quem similiter diebus multis portasse memoratur: quousque tandem funiculus idem cutem transfigens, carni eius tam validè immersus est, vt de carne eius putrefacta vermes ebullirent; & ipsa eadem caro magnum ex se fœtorem emeumeret. Timens igitur fortis athleta, ne fœtore, qui è putredine carnis eius procedebat, offensionem proximis generaret, curauit eundem funiculum carni suæ penitùs subtrahere, non ob defectum quidem tolerantiæ, sed propter charitatis affectum.*

9.

10. Hæc initia Arnulphi in Nouitiatu: nam prouentus quis narret? Certè in afflictione, atque maceratione corporis sui, vsque adeò eminuit, vt idem Author nequaquam dubitauerit eum vocare Martyrem. Et quidem aliis inimitabilem: sic enim ait [f]: *Sed si ita est, imò quia ita est, meritò priuilegianda est venerabilis conuersatio Fratris Arnulphi, noui Martyris nostri, qui tam mirabiliter vixit in hac vita mortali, vt vix hodie inueniatur, qui austeritatem vitæ eius, non dico per omnia sustinere, sed ne attentare quidem audeat.* Et paulò inferiùs tractatum eundem diuidens: *Et quia multa sunt afflictiones, quas vir Beatus corporaliter sustinuit, congruum nobis visum est in primo libro, non solùm corporales eius afflictiones, sed etiam instrumenta afflictionum tantummodo memorare, vt discant omnes, longe illum Martyrio fuisse coronatum: in secundo autem libro virtutes, & reuelationes, sine certa eius gesta, adiuuante Domino, describemus.* Hactenus ille. Nos ex vtroque libro inferiùs aliqua, sed pluribus omissis, transcribemus.

[f] in prologo.

1 Sanctum Vvillelmum Roskildensem, Esronensis Abbas, & Monachi sepeliunt. 2. Eius in eos deuotio, & è conuerso. 3. Beati Felicis Odulani sub dubio mors. 4. Dictum de Heileka recluſa Cisterciensi. 5. In Hemmenrode 6. admirandae visiones, 7. etiam his, quorum nomina ignoramus. 8. Laudensium, Vangrouecensiumque Monachorum triſtitia de morte Mieczeslai: & Hortae funus Petri Molina Comitis.

CAPVT VI.

1. CONSECRAVIT hunc annum Sancti Guillelmi, Roskildensis Abbatis, pretiosa mors, qui vt Habitu Cistercium non induerit, affectu induit, miraculis, & familiaritate fouit, & vel post mortem etiam honorauit: traditus sepulturæ per Cistercienses Esronensis Cœnobij, vt eius apud Surium Acta testificantur [a]: *Octauo*, inquiunt, *Idus Aprilis, anno Christi M. CC. II. ætatis suæ nonagesimo octauo, a suscepto vero Abbatis officio quadragesimo, Venerabilis Pater Vvillelmus, Roskildensis Abbas, feliciter emisit spiritum. Eius Religiosi filij sacrum corpus illius cum hymnis, & canticis, quibus permixtæ erant lacryma, & gemitus in Ecclesiam detulerunt: cúmque ad sedes suas se recepissent*, Te Deum laudamus, *inchoatum est, & matutinæ Laudes Dominicæ Resurrectionis, non quidem absque luctu, & lacrymis; sed tamen debita cum veneratione, absolutæ sunt. Vide hic, Lector, quam sit verè mirabilis Deus in Sanctis suis. Nam neque sine gloria fuit Patris huius vita, neque mors sine gratia, imò verè in conspectu Domini multùm pretiosa: quippe qui hodie receptus sit à Christo in Paradisum, quo ipse victor ab Inferis resurrexerat. Die secundo Paschæ humatum est corpus eius ante Altare S. Thomæ Apostoli, quod ipse ædificarat, Domino Abbate Turkillo Ecclesiæ B. Mariæ de Esrom cum suis Monachis funeri eius officia debita exhibente, multisque tum è Clero, tum è populo cum magna deuotione ac curreutibus, vt eius exequiis interessent. In eo autem loco Dominus noster Iesus Christus ad laudem, & gloriam nominis sui per Beati Viri suffragia vsque in præsens innumera præstat beneficia iis, qui toto corde ipsum quærunt: cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

a *Apud Surium Aprilis 6.*

2. Hic ille Sanctus Vvillelmus est, qui Sanctæ Genouefæ Ecclesia ex sæculari transeunte in regularem, Eugenij iussu, cuius mutationes præcedenti tomo meminimus, Habitum, sub Oddone primo Abbate, in ea Domo induit regularem: postmodum ab Absalone Roskildensi vocatus in Daniam, deformatum ibidem Monasterium iuxta Roskildiam, doctrina pariter, & exemplo reformaturus, circa annum Christi M. C. LXI. Abbas creatus, æquè virtutibus claruit, atque miraculis, quæ latè in eius Actis commemorantur. Monachos Esronenses frequentabat, Sanctorum contubernio delectatus, & pariter docturus, atque docendus. Inter miracula eius circunfertur, quòd [b] *Monachus quidam Cisterciensis Ordinis, Haquinus nomine, incola Monasterij, quod Esrom vocant, multis annis ex pectoris obstructione, & angustia, tanta laborauit rancedine: vt viv etiam ab adstantibus posset internosci, quid diceret. Multa quidem illi malo remedia adhibuerat, multas Medicarum potiones hauserat, sed frustrà. Incidit tamen illius animo, vt Abbatem Vvilhelmum adiret. Non cunctabatur ille, venit ad virum Dei, rauco murmure explicat pectoris vitium: precatur obnixe, velit manu sua contingere guttur languidum. Ille exprimens signum Crucis, tangit guttur, & ait: Sanet te Filius Dei. Monachus verò sensit cœleste remedium: nam sensim dilatata arteria anheli pectoris, organum vocis magis, magisque reformatur.* Plures in vita, & in morte Sancti Viri reuelationes, plura miracula in Actis eius legat, quicunque volet.

b *ibidem.*

3. Hoc item anno, si Vuræo fides, meritis plenus, miraculis coruscus Sanctus Felix Odulanus, Episcopus Osoriensis ex Monacho Cistercienſi migrat ad Cœlos, cùm sedisset annos XXIV. plùs, minúsve, in quibus Sedem episcopalem ex Aghenoa in Kilkeniam transtulisse, & ibidem fundamenta iecisse Ecclesiæ Cathedralis commemoratur. Sepultus denique in Monasterio Geripontis Ordinis Cistercienſis, à quo nec in morte voluit separari. *Porrò* (inquit Iacobus Vuræus) *ad eius tumulum, qui à septentrionali parte summi Altaris visitur, multa olim patrata miracula feruntur.* Sic Vuræus. Cæterùm in Annalibus Kilkeniæ, quos refert Henriquez ad vigesimam quartam diem mensis Ianuarij, qua eius memoriam recenset in Menologio, cùm dicatur, sub ipso factas fuisse Constitutiones Ecclesiæ Casiliensis, anno millesimo centesimo septuagesimo secundo, necessariò fit, vt aut vltrà triginta annos Episcopatum texerit, aut ante hunc, ex hac vita sublatus fuerit.

c *in Episcopi Osoriensibus.*

4. Sub idem tempus, quantùm ex verbis Cæsarij potest conijci, creditur in Colonia floruisse Beata Heyleca, Cistercienſis recluſa, quemadmodum de Iueta suprà diximus, de qua idem Cæsarius in Vita Venerabilis, Enffridij, Decani Colonienſis, hæc habet verba [d]: *Personas Deum timentes, vt ipse* (scilicet, Enffridius) *illarum meriti esset particeps, de suo stipendio pascere curauit. Vnde & Venerabilem illam inclusam Ordinis nostri Dominam Heylecam, secundum nomen suum, verè sanctam; cuius Cella Monasterio Sancti Andreæ adhærebat, de sua Prabenda, quoad vixit, sustentauit: aliorum enim eleemosynas beata illa recipere recusauit.* Heylecam memorat Henriquez in Menologio, sed nulla alia notitia, quàm ea, quæ ex eo loco Cæsarij sumitur. Vbi & verba illa explicat, secundùm nomen suum verè sanctam: *Quia* Heylek *Germanicè Sanctum significat, &* Heyleikeyt *sanctitatem.*

d *lib. 6. cap. 5*

5. Sub idem tempus in Cœnobio Hemmenrodensi sub Hermanno Abbate admiranda illa visio facta est Monacho cuidam Sancto, dubium, cui ex multis: quam idem, qui suprà, Author his verbis narrat [e]: *In Claustro, cuius sæpè memini, sicut mihi scripsit quidam ex Sacerdotibus Domus eiusdem, in quadam Solemnitate Nativitatis Domini, Fratres ad sacram Communionem se præparabant: cúmque paremiam accepturi post* Agnus Dei, *terræ, vt moris est, procumberent, vidit Frater quidam Puerum Iesum, non tamen quasi recenter natum, sed in Cruce quasi pasium, cuius omnia vulnera cruorem stillabant: quem tamen calix stans subter positus, totum recipiebat: vnde frater ille tantis sumendis Sacramentis se indignum reputans, ad superiora stalla diuertit, aliisque inuentibus,*

e *lib. 9. c. 42.*

nuentibus, vt procumberet, se non processurum signauit.

6. *Prima autem cantata, aliis ad Capitulum exeuntibus, ipse ad orationem faciendam, vt quidam facere solent, diuertit; veniensque ad Altare Sanctæ Crucis, orationi intendit, & videbatur ei tempus breue præ deuotionis magnitudine. Cumque orationem protraheret, & abire tempus non sentiret, apparuit ei Beata Dei Genitrix, & alloqui eum dignata est. Cur, inquit, hodie sacrosanctum Corpus, & Sanguinem dilecti Filij mei non sumpsisti? At ille: Non ore, sed corde se indignum clamabat. Ad quod Beata Virgo respondit: Tu te indignum cogitas: & quis, putas, sanctæ te dignus esse potest? Hæc igitur offensam tibi condonabo: sed vide, ne de cætero simile feceris. Igitur, cùm orationi intentus, & confabulatione Beatæ Virginis delectatus, quasi in ecstasi raptus esset, tandem ad se rediit, & ad Capitulum post alios occurrere festinabat. Ibat, & ecce occurrebant illi aliquanti Fratres, sacra Altaria circumeuntes; Capitulum verò finitum erat: ipse autem nesciens, & tempestiuè ad Capitulum occurrere existimans, adhuc orabat: sed subsequens Monachus signum Tertiæ pulsauit. Nunc demum intelligens, quæ circa se gerebantur, se ab hac noxa illi ad absoluendum commisit, qui eum sic absentauerat.* Hactenus Cæsarius de illo Monacho.

7. Qui etiam sequ. Cap. narrat, eodem Monacho accedente ad Communionem, in ipsa feria quinta Cœnæ Dominicæ, visum ab alio, qui illum sequebatur[f], *Speciosissimum Puerum manibus Sacerdotis super Altare accipi, & in os illius Fratris deponi: & cùm videret, terræ procumbens, ipsum, quem viderat, adorauit. Moti sunt autem super hac venia illius quidam, eò quòd inordinatè fecisse videretur: & conuenientes cum vno, in audientia plurimum minans, se eum proclamaturum. At ille causam ei, qui sciebat, commisit, vt ab hac eum verecundia tueretur: qui immisit ei spiritum silentij, & quietis, & non nouit illum. Porrò ille, qui Puerum Iesum susceperat, & portabat, incedabat, vel potiùs ferebatur in iubilo cordis, in ardore spiritus vehementis: & in tantam spiritus ebrietatem deuenerat, vt quasi à sensu alienatus propemodum se non sentiret; & vix ad stallum suum sine titubatione rediret.* Felix Domus, quæ tales habebat Monachos, vel ignoratos posteris! Quales putemus fuisse, qui noscuntur, quando, qui hæc meruerunt, ignorantur? 8.

[f] lib. 9. c. 42.

Hic idem annus nostris in Polonia, Laudensibus præcipuè, & Vangroueciensibus, morte sui Fundatoris, nimirum, Miezeslai Regis, funestus fuit, cùm maximè eadem Monasteria exteri tantùm, scilicet, Colonienses inhabitarent, quibus ab ipso condita, & triste haberent in aliena terra verlari, defuncto Principe, à quo illuc adducti essent. Meminit horum Bzouius in Annalibus: sed distinctiora ex Martino Cromero, accurato Scriptore rerum Poloniæ, accipiat Lector: is namque causam reddit totidem verbis 8: *Nam Laudense, & Vangrouecense Monasteria* (Miezeslaus) *iam inde appulso fratre Vladislao condiderat, & locupletauerat, & in ambobus Theutonas Cisterciensis Sodalitatis ex Monasterio Veteris montis, tertio à Colonia milliario deductos collocauit: edictóque perpetuo sanxit, vt non nisi Colonienses ad ea Monasteria cooptarentur, & reciperentur: propterea quòd honorificè à Colonensibus habitus esset, cùm eò adolescens Religionis causa venisset.*

g lib. 7 in vita Miezeslai.

9. In Hispania funestauit item Hortensem Domum Illustris Comitis Petri Mantiquij mors, & deductum ad illius Claustrum funus, insigni pompa, qualem ipsum decebat; viduámque Sanctiam Infantissam, Garciæ Regis Nauarræ filiam, Magni illius Roderici, quem *Cid* Hispani vocant, proneptem, quam sibi matrimonio copulauerat. Quæ Hortensibus beneficia contulisset, multa retulimus, plura subticemus: corpus in ipso muro Claustri conditum sub arcu lapideo, tali ad nos vsque producta inscriptione:

Lux patriæ, clypeus populi, gladiúsque malorum
Sub petra Petrus tegitur Comes inclytus ista.

Obiit quarto Idus Iunij, Æra millesima ducentesima quadragesima. Habet & aliud Hispanum epitaphium longè extensius, quod hûc transcribere supervacaneum duxi.

---

1. Obtentum priuilegium pro fugitiuis, 2. & contra quosdam ambientes Prælaturas. 3. Innocentij ad nostros 4. grauis epistola. 5. Promulgata statuta, & quædam addita. 6. Pereyenenses fœderati San-Iacobæi. 7. Nunij Quinonij, Calatraua quondam Magistri, mors, sepulcrum. 8. Chronologia, & Villa-noua Nannetensis: 9. tum Sagittarium, & Sanctus Thomas de Torallo, 10. Hochtanum, 11. & Aquiria in Belgio Virginum: 12. & Camberena, hodie Sancta Lucia in Aragonia.

CAPVT VII.

1. QVÆDAM hoc anno ad nostros emanarunt Innocentij decreta, quæ domestica mala concernentia, adeò nihil purum, & prorsus defæcatum in hac vita, à Guidone impetrata facilè credam. Quippe haud erubescente humili viro infirmitates prodere, vt eis conuenienti remedio subueniretur. Infugitiuos obtentum priuilegium, ne vltra modum in Regula præscriptum, etiam inuito apostolicatum Litteratum ad id impetratarum admitterentur: quas omnes Innocentius voluit intelligi [a]: *Salua Ordinis disciplina, vel si Regulare fuerit, & honestum, alias nullam habere firmitatem; neque earum obtentu, nostros ab aliquo, ad talium fugitiuorum receptionem posse compelli.* Ita prouisum repetitis fugitionibus; ne vel nimia admissionum facilitate, sperneretur delictum; vel mores iteratæ Apostasiæ plerunque perditi, etiam perseuerantes coinquinarent.

a In Regestis præsentis anni.

2. At non tam facilè occursum malis moribus, & perniciosioribus, quæ vel optimos quosque peruadentia, facilè vniuersos perturbabant. Spretæ hactenus Dignitates, & Præfecturæ: & se felices illi reputabant, qui non eligebantur: electi, aut recusabant, in quantum poterant, aut tantùm obediebant: & nullus ferè, qui ambiret aliis præesse: qui fugerent, innumeri: reliqui, nec ambiebant, nec detrectabant. Cætera vitia humana, atque terrena: superbiam Cœlo natam: quippe ab Angelis ortam; & Cistercienses, quò proximiores in vita Angelis, quò abstractiores ab aliis affectionibus; eò superbiæ

obnoxios

obnoxios magis esse, aliorum contemptus,& propriæ æstimatio virtutis,de quibus notabantur (iure, an iniuria, dubium) comprobabant. Nunc vsu rerum, & potentiæ magnitudine, cæterorum inuidiam obruentes, inter se decertasse, vt non multos, subiacuisse huic malo aliquos, probant Litteræ Innocentij Papæ III. ad Cistercienſem communem omnium Patrem, & quatuor reliquos scriptæ, quibus & in nonnullis vitium notat, & vt obuiam eatur,& paterna hortatur,&monet sollicitudine.Litteras ipsas plenas pietatis, & reuerentiæ in vniuersum Ordinem, in media increpatione, hîc subiungere necessarium duxi:sic autem habent [b]:

3. [b] in Bibliotheca Vaticana.

Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis Filiis Cisterciensi, de Firmitate, Pontigniacensi, Clarauallensi,& de Morimundo Abbatibus,Salutem, & apostolicam benedictionem.

Quia,qui ambulat simpliciter,ambulat confidenter; & Cistercienſem Ordinem credimus hactenus vsque adeò profeciſſe,vt a mari ad mare, propagines ſuæ Religionis extenderit, & in omnem terram fama honestatis eius exierit, rectè, purè,ac simpliciter hactenus ambulauerit;neque qui erant Superiores in eo,visi sunt tanquàm dominantes in Clero; sed forma facti gregis ex animo, nolebant de Prælatione contendere, aut sibi primos accubitus, aut primas, cathedras vindicare; vel suos exceſſus sub occasione defendere Prælaturæ. Legerant enim, quòd Principes gentium dominantur eorum; & qui potestatem habent super eos, benefici appellantur. Verùm Diſcipuli Chriſti non sic; sed, qui maior est inter eos,seruus omnium reputatur: & qui præcurſor, tanquam miniſtrator exiſtit. Vnde præesse, ac subesse quasi paria reputantes, Fratres se, non Domicos reputabant, nec præesse,sed subesse credebant; cùm sibi subiectis, & spirituales epulas, & corporales cibos cogebantur,ex iniuncta sibi dispensationis debito,miniſtrare.

Nuper autem ad nos rumores peruenêre siniſtri, 4. *quòd mutatus sit aliquantulùm color optimus, & natiuus,& aurum in scoriam sit conuerſum:cùm aliqui iam de Prælatione contendam; & ea, quæ ſua sunt, non, quæ Ieſu Chriſti quærentes, à ſua rectitudinis tramite, ac propriæ ſimplicitatis conſuetudine velle recedere videantur. Ne igitur temporibus noſtris, qui ſyncerè zelatus Cistercienſis Ordinis honestatem, alicuius diſſenſionis ſcrupulus oriatur, per quem, quod absit, fama veſtri nominis offuſcatur: Diſcretionem veſtram monemus,& exhortamur attentiùs, & per apoſtolica ſcripta mandamus, in ſimplicitatis, & puritatis veſtræ propoſito perſiſtentes, non retrahatis manum ab aratro; ſed ad anteriora vos iugiter extendatis,occaſionem ſcandali, & diſſenſionis materiam præcipuè fugientes, ne fortè, ſicut Grandimontenſes,in deriſum,& fabulam incidatis. Sànè cùm parati ſimus, cum Apoſtolo, inobedientiam omnem vlciſci, ſi quis vſurpando Prælationem indebitam, vel ſubiectionem debitam ſubtrahendo, quietem veſtri Ordinis turbare præſumeret, tanta præſumptionis exceſſum taliter puniremus in eo,quòd ipſe illud euangelicum verbum,quo dicitur: Væ illi, per quem ſcandalum venit. in ſe fruſtrà quereretur impletum. Eligeremus enim potius pauces offendi, quàm totum Ordinem aboleri. Datis Laterani,10. Kalendas Decembris.* Hactenus Litteræ Innocentij Summi Pontificis, quibus an satis obuiatum serpenti malo, vnde possim discernere, non video: certè ſopitum, occultatúmve magis, quàm extinctum, quæ infrà dabimus,satis manifeſtant.

Primum sub Arnaldo Concilium Cistercienſium 5. Abbatum hoc anno fuit, in quo ante omnia gratiæ iterum actæ Cistercij Prorectrici, quòd vltra ipſorum vota liberalis,talem ex tali innocentiam ſibi reddiderit. Tum verò,vt se gratiores exhiberent,obſeruantiæ incumbentes;quæ ſparſa hactenus,& quædam obliterata, alia mutila & manca ferebantur, collecta in vnum corpus, diſtinctáque promulganda curarunt Statuta, quò altiùs impreſſa mentibus omnium, inuiolata perſisterent, & ſine vlla differentia cuſtodirentur. Inde in Catalogo Abbatum, vt ſuprà vidimus: *Cuius*, id est, Arnoldi, *tempore, promulgata ſunt Statuta Ordinis, M.CC.II.* id est, hoc primo ipſius Præfecturæ. Promulgauerat,poſt Stephanum, Rainalnus Ordinis Statuta, colligens, quæ diſperſa hactenus fuiſſent. Poſt Rainaldum, Arnoldum primum lego, qui id ipſum præſtiterit, haud dubio, quin collectis à Rainaldo adiungens, quæ poſt eum alij tuliſſent. Statuta præterea de nouo quædam in Abbates præ nimio ſenio debiles, & in Nouitios, immatura ætate, ineptos rigori Ordinis. In illos: *Vt ſi propter nimium ſenium,vel corporis infirmitatem, officium ſuum implere non poſſint, nec venire ad Capitulum,cedant.* In hos lata ſeueriori prohibitione: *Capitulum generale grauiter admodum, & valdè agrè fert, quòd recipiantur pueri in Ordine infra octodecim annos. Ideò præcipit,vt omnes, qui ſcienter tales Nouitios in Monachos, vel Conuerſos receperint, à Patre Abbate ſine retractatione deponantur.* Hæc in Capitulo.

Quod attinet ad Militias ſacras, hoc item anno, 6. inter San-Iulianæos, & Iacobæos inita Fraternitas, atque ea firmata ſequenti ſcripto [c]: *Nos Dominus Gonſaluus Rodriquez, Dei gratia Magiſter Ordinis Sancti Iacobi;vna cum Fratribus noſtris: & Nos Dominus Benedictus Suarez, Magiſter Sancti Iuliani de Pereiro, Ordinis Cistercienſis, de conſilio Fratrum eiuſdem Militiæ, nulla vi, aut perſuaſione inducti, ponimus, atque etiam iuramus inter nos hoc pactum, quòd inuicem inuabimus, illi hos, & hi illos in omnibus rebus, bona fide, ſine fraude, contra omnes perſonas Mundi, excepta ſancta Religione noſtra, & Domino noſtro Rege Legionis, & Gallecia. Conuenimus præterea, quod quandocumque vna Militia bellum gerat contra Mauros, vel citra, vel vltra Tagum, altera Militia omninò teneatur eam adiuuare bona fide. Quin ſtatuimus, quòd ſi Dominum Regem Maurorum terras bello infeſtare, néſque intereſſe contigerit, prædam, quam Dominus Deus vni Militiæ conceſſerit,diuidendam eſſe æquè inter omnes vtriuſque Militiæ, etiamſi numero non ſint æquales. Inſuper ſancimus, quòd ſi Mauri veniant contra quamlibet villam, aut Arcem alicuius harum Militiarum, alij illam, velut propriam defendere teneantur. Et quòd nos vbique inſtar Fratrum diligemus, eò quòd religioſum Habitum deferamus, capillorúmque noſtrorum ſuperflua depoſuerimus pro ſeruitio Dei. Et ſic promittimus, & iuramus. Facta eſt Charta in Zamora,die quinta menſis Maij, Æra M.CC.XI.* Hactenus inſtrumentum Fraternitatis, quod non obſcurè indicat iam tunc San-Iulianæos, et ſi impares numero, virtute adeò proiectos, vt æquis legibus cum Iacobæis in cunctis paciſcerentur. Videas etiam capillorum tonſuram, quam modo dedignantur vel Sacerdotes, tunc in vſu Militibus, vt veros ſe Religioſos profiterentur Calatrauenſes, quia ſub alio Rege,nempe, Caſtellæ hanc eandem concordiam non inière.

[c] apud Roder. c. 3. & alibi.

Hoc item anno, longo ſenio fractus Nunius 7. Quinonius, Calatrauæ quondam Magiſter,ſublatus est, cùm quatuor annos vacaſſet ſibi, & Deo. Rades [d] vt ſemper abhorrens à Monachiſmo, vel mortuum nobis inuidet, & in Oppido vicino Mo-

[d] Rades c. 3.

naſterio

nasterio Montis Salutis, atque illi vassallitio iure subjecto sepultum tradit. Verùm, qui viuens Monachos reduxit ad Calatrauam, qui se, qui suum Ordinem, penè à morte Raymundi deuiãtem tanto labore Cistercio restituerat, atque subiecerat, qui cùm se Magistratu abdicauisset, deseruit Milites, vt inter Monachos, ad sepulcrum Sancti Raymundi reliquum vitæ in pace consummaret: nec mortuus voluit Monachos deserere. Quin in Monte Salutis sepultus est in Clausto Capituli, sub arcu lapideo in muro ipso cauato, tali inscriptione lapidi incisa vulgari, sed prisco sermone illius æui:

AQVI IACE DON NVNO PEREZ DE QVINONES, QVARTO MAESTRE DE CALATRAVA. FINO ERA DE M. CC. XL.

Hic iacet D. Nunius Perecius Quinonius, quartus Calatrauæ Magister: obiit Æra M. CC. XL. id est, anno M. CC. II.

8. Quatuor itidem Cœnobia nostris adaucta huius anni discursu perhibet Chronologia verbis sequentibus:

Anno M. CC. II. octauo Kalendas Aprilis, fundata est Abbatia Villæ nouæ de Buzeio.

Eodem anno, tertio Idus Martij, Abbatia de Lilenueld.

Eodem anno Abbatia de Sagittario.

Eodem anno Abbatia de Harez. Villæ nouæ notitiam supra consuetam Robertus Claudius tradidit in sua Gallia; paucis, & lineam, & Matrem, & Fundatricem, & Diœcesim Cœnobij, atque annum fundationis, vnum tantum præuentum, nobis exponens [e]: *Villa nouæ*, ait, *Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Nannetensis fundatur a Constantia, Britanniæ Ducissa, M. CC. I. dedicatur M. CC. XXI. à nouem, hoc est, omnibus Britanniæ Episcopis, estque Busai filia sub Claraualle.* Est & alia Villa noua dicta de Oscos, in Hispania, apud Astures, de qua anno sequenti sub Carraceto. Nannetensem inuenio in libris Cameræ, mediocri centum florenorum taxa præfixa: itémque in Litteris Gregorij Papæ IX. ad M. Comitissam Britanniæ. Datis Perusij, decimosexto Kalendas Septembris, Pontificatus ipsius anno nono. Sepulcra illustria Cœnobij Villæ-nouensis Iongelinus recenset, & facilè apud ipsum videri possunt.

[e] *Gallia sua Gallia.*

9. Reliquarum minor multò notitia subest: nam Lilenueld, & Harez, nec nominatas quidem inuenio alibi. Sagittarium Calabriæ Domum, in Diœcesi Anglonensi, Casamario productam, adeóque augentem lineam Claræuallis, illustrat Sanctus Ioannes de Caramola, suo tempore à nobis memorandus. Reliqua ignota, & quæ vtinam, qui nouerit, his addat. Inuenio & Monasterium Sancto Thomæ Apostolo dicatum in Italia, cuius item Gregorius Papa meminit, Litteris datis ad Archiepiscopos, aliósque Ecclesiarum Prælatos per Regnum Vngariæ, vbi & eius Abbatem (haud dubiè quin ad ipsos tunc Legatum) eximiè laudat [f]: *Dilectum filium Abbatem Sancti Thomæ de Torcillo, Cisterciensis Ordinis, virum prouidum, & discretum, nobisque & Fratribus nostris acceptum sua merito probitatis. Datum Viterbij pridie Idus Ianuarij, Pontificatus ipsius anno nono.* Porrò hoc Monasterium antèa Canonicorum Regularium, hoc anno nostris accessisse lego, in quodam Manuscripto Reuerendissimi P. Roberti Ruscæ, eius manu exarato, quod ex Italia ad nos dudum transmissum, aliorum item Cœnobiorum initia continet. Monachos ex Monasterio Roseriarum, Diœcesis Bisuntinæ, transmissos, sunt, qui affirment: quin Monasterium, fundarum pro Burgundionibus, atque ab eis appellari vulgò solitum, *San Thomaso delli Borgognoni.*

[f] *ex Regestis Gregor.*

Verùm vltra hæc virorum Monasteria, illustrant annum tria alia Sanctimonialium, duo in Belgio, tertium in Hispania. Priora duo Aubertus Miræus notat in suo Chronico [g]: *Tradit*, ait, *idem Placentius sub eodem Hugone Episcopo fundatum Monasterium Hochtanum, Virginum apud Traiectum Mosæ, Monialibus ex Monasterio S. Saluatoris, Montis Aquensis, euocatis.* Hæc ille. Quibus & Sancti Saluatoris Montis Aquensis, antiquius Monasterium, ignoto licèt anno fundationis, nobis pandit, de quo nihil aliud habemus quod proferamus. 10.

[g] *in Chronico.*

Aquitia sequitur celebrius multo Cœnobium, atque in hoc Opere multoties repetendum. *Quarto*, ait [h] *fere milliari à Bruxella sita est Aquirienses Virginum Abbatia: fuit ea primum fundata anno M. CC. II. in vico Aquiria, siue Auiria, nuncupato, secundo milliari ab vrbe Leodiensi. Cúmque annis ibi quatuor fluxissent, bellis inter Amilitem Leodiensem, & Comitem Namurcensem exortis, in Brabantiam tunc pacatam sese Moniales contulerunt, & in vico Allodiensi, vulgò, Aloux, primo à Niuella lapide, anno M. CC. X. domicilium collocarunt. Sed, cum aquarum ibi penuria laborarent, inde ad locum, quem hodieque obtinent, anno M. CC. XVII. commigrarunt. Subsúntque in spiritualibus Alnensi Abbati. Hæc ex monumentis eius loci.* Eadem, aut similia habet Grammaius in sua Gallo-Brabantia [i]: *Succedit*, inquit, *cultura S. Germani cum vicis Sarto Mariano, & Monte Ferarum, qua sacrum, qua temporale eius patet Abbatia Aquirensis peculium: illa quidem primò in Aquiria Principatus, & Diœcesis Leodinæ pago fundata; sed emergentibus cum Comite Namurceo bellis, in Gallicanam Brabantiam prope Niuellas, in pago Allodiensi primo, mox huc translata, confluente iusto Virginum numero, accedente nobilium vicinorum aliquot munificentia. Subiicitur Cœnobium Alnensi Prælato.* Grammaius ab annorum computo abstinet: Miræus, dum computat fundatum ad hunc annum, debuit, aut non transferre intra quadriennium, aut fateri translatum ante annum M. CC. X. Intra quadriennium illustrasse Cœnobium Sanctam Lutgardem, & post eam plures alias, aliósque, suis temporibus, locisque dicemus. 11.

[h] *Miraus, vbi supra.*

[i] *Grammaius fol 9.*

Vltimò sequitur Hispanum Monasterium in Aragonia, dictum de Caberone, vulgò, *del Cambrõ*, quod Petrus Rex ædificasse dicitur, atque amplè dotasse, tertiodecimo ab Vrbe regia lapide, idest, Cæsaraugusta, ad quam tandem translatum hoc nostro sæculo; addita aduocatione Sanctæ Luciæ, sub qua, & Sanctimonialium sanctitate, nobilitateque, & Monasterij ipsius possessionibus, nulli omninò secundum in toto Regno. Ad hoc Cœnobium, priusquàm transferretur, migrasse dicuntur Moniales Marcillenses ingruentibus bellis, pestéque in Regno Nauarræ, quod anno M. C. LXXXI. per Sanctiam, Nauarræ Reginam, fundatum fuerat. Hæc ex notitiis eiusdem Monasterij, quæ Fiterensis Abbas conquisierat; quas cùm ad nostras manus deuenissent, nequaquam duximus perire permittendas. Prima Camberonis, Camberonæve Abbatissa, Osenda Romeà. Reliqua hactenus ignota nobis; vel, si quæ, nota dicen da suis temporibus. 12.

Annus

1. Martinus Abbas cum suis Cruce signatis Basilea egressus, 2. Veronam primùm, 3. dein Venetias appellit. 4. Venetorum consilium in Iaderenses, 5. & Innocentij pro eis sollicitudo; 6. sed frustrata euentu, 7. excommunicatis oppugnatoribus, Martinus, aliique Romam mittuntur. 8. Alexius iuuenis Cruce signatorum auxilium implorans, 9. & cunctis adductis in illius restitutionem.

CAPVT I.

1. ANNVS sequitur à Christo in terris nato milleſimus ducenteſimustertius, qui fuit Ciſtercio ſextus, & centeſimus, expeditione Ieroſolymitana, ſeu verius Conſtantinopolitana, & multis titulis noſtris memorandus. Sed præcipuè ex Martino Pariſienſi, penes quem ingens rerum momentum fuit. Is, vbi ſe vltra apoſtolicum mandatum, & Ciſtercienſis Abbatis benedictione, & ſuorum orationibus munitum conſpexit, quod anno præcedenti dicebamus, *Basileam petiit* (ait Guntherus [a]:) *vbi iam Signatorum multitudo magna conuenerat, à quibus latissimè susceptus est. Ibi quoque sermone exhortationis habito, se ipsum, & socios Beatæ Virgini commendauit, humiliter rogans, vt ipsa Filio suo nouum conciliaret exercitum. Postea valedicens Clero, & populo eiusdem ciuitatis, à quibus plurimùm diligebatur, læto vultu, & mente impauida, sanctæ profectionis laborem cum sociis aggressus est. Qua ex re illud coniicere possumus, hominem Dei, nescio quid magni iam tunc in animo concepisse, & quæ Deus per ipsum facturus erat, certo iam mentis augurio præsagire. Profectus itaque de ciuitate Basilea Signatorum exercitus, relictis aliis, stratam illam arripuit, quæ per angustos Tridentinæ Vallis anfractus Veronam ducit, minori quidem labore, & maiori compendio. Erat quidem tam clara, & celebris fama, & præcurrens opinio, vt non solùm his, per quos eis transitus erat; verùm etiam de villis, & oppidis cæruatim occurrerent, & eos multo fauore, & gratia susciperent, victui necessaria iustis pretiis exhiberent. Martinum verò præcipuè mirabantur, quòd homo religiosi habitus, & vita admodum spiritualis, armatum duceret exercitum, séque ipsum tanti laboris officio tam strenuè coaptaret. Vnde & nomen eius inter se celeberrimè frequentantes, post illum Turonensem, qui in Sanctorum Confessorum Catalogo ferè primus, atque præcipuus est, quadam similitudinis ratione Martinum hunc alterum vocitabant.*

[a] tomo 3. antiquar. Lectionum apud Canisium.

2. Pergit Author Martinum Pariſienſem Turonenſi conferre, illum adhuc cùm miles, moribus Monachum; hunc, cùm iam Monachus, & Pater Monachorum, virtute animi militarium copiarum Ducem; illum in Chriſti pauperes beneficum; hunc adeò largum, *vt in duobus solummodo diebus* (Guntheri verba ſumo [b]) *centum viginti marchas in pios vsus liberaliter eroganerit: & in tertia die septuaginta marchas argenti.* Illum denique ex milite, & Monacho Epiſcopum creatum; hunc ex Monacho, & milite, quod maius quid videtur, Epiſcopatus oblatos reſpuentem, quod ſuo etiam loco referemus, & tandem concludit ad cœptum iter reuerſus: *Venientes itaque Veronam, Milites peregrini cum Duce suo, tam à populo ciuitatis, quàm ab alia multitudine maxima Signatorum, quæ illos de diuersis Mundi partibus ad eundem locum præuenerat, latissimè susceptisunt. Nam & ipsius Vrbis Episcopus Martinum in domum deuotè, atque reuerenter assumpsit, eique post octo ferè hebdomadas, stemptus, & obsequium benevolè ministrauit. Postea discedentes, Venetiam petierunt, ibi naues intrare decreuerant; & inde versus Alexandriam, ciuitatem Ægyptiam, recto impetu nauigare; pro eo, quòd tempore illo in partibus transmarinis, & inter nostros, & Barbaros inducia pacis erant, quas nostris salua fide, quam interposuerant, soluere non liceret.*

[b] vbi suprà.

3. *Erant autem in exercitu Signatorum famosi, & potentes viri quamplures, tam sæculares, quam ecclesiastici, inter quos Balduinus, Comes Flandrensis, & Bonifacius, Marchio de Momeferrato, authoritate, & viribus, atque consilio præcipuè habebantur, & siquidem omnes vno consensu in hoc conuenerant, vt petentes Alexandriam, & eam viriliter obsidentes, non tam belli fortunam, quam diuina virtutis experirentur potentiam. Quod vtique si fecissent, sperabile satis erat, tam ipsam magnificam ciuitatem, quàm & maximam totius Ægypti partem facili compendio, in eorum potestatem posse transferri, eò quòd totus ferè populus terræ, vel consumptus fame perierat, vel squalebat penuria, propter sterilitatem eiusdem, videlicet, terræ, cui Nilus frugiferas aquas, quibus eam rigare solet, annis, vt aiunt, iam quinque subtraxerat.* Hactenus ibi, plures alios in eo exercitu extitiſſe, atque inter eos Simonem Monfortium Comitem, de quo multa in ſequentibus, & ex noſtris, Abbates Locedienſem, & Valſarnienſem, hunc Gallum, illum Italum, magnum vtrunque virum, quanuis vtrunque breui diuidendum, tum Hugonem, Arandúmque Monachos Claræuallis, atque alios quoſdam ipſa ſeries Hiſtoriæ demonſtrabit. Pergit Guntherus.

4. *Impediebatur autem illud Principum nostrorum laudabile satis consilium fraude, & nequitia Venetorum; qui tanquam Domini nauium, & Principes Adriatici maris, eis nauigium penitùs abnegabant, nisi cum ipsis priùs celebrem Dalmaticæ ciuitatem Iaderis autem Hungarei Iaderam expugnarent. Dicebant enim, illam semper suis vtilitatibus fuisse contrariam, adeo vt sæpè ciues eiusdem Vrbis, naues illorum mercibus onustas, piraticis incursionibus expoliassent. Quæ vtique res nostris Principibus, tanquam Deum timentibus, crudelis, ac nefaria videbatur; tum, quia ciuitas illa Christianæ gentis erat; tum, quia ad Regem Hungariæ pertinebat; qui & ipse signo Crucis acceptо, vt moris erat, sub protectione Summi Pontificis se, & sua tradiderat. Illis ergo instanter vrgentibus, nostris autem obnixè negantibus, sub hac contentione, atque discordia plurimum temporis elapsum est. Putabant enim rem omninò detestabilem, & Christianis*

nis illicitam, Milites Crucis Christi in homines Christianos cade, rapina, & incendio degrassari; qualia in expugnandis vrbibus frequenter solent accidere. Vnde & multi pauperes, qui secum pauca detulerant, eisdem consumptis, non habentes vltrà viaticum, relicto exercitu, versis vestigiis ad propria regressi sunt. Sed & quidam potentes, & diuites viri, non sam rerum penuria laborantes, quàm perpetrandi flagitij horrore perterriti, inuiti, ac penè nolentes in reditum conuersi sunt. E quibus aliqui Romam petentes; vix à Pontifice summo redeundi licentiam impetrare potuerunt: ea tamen conditione prafixa, vt saltem post aliquot annos votum sua peregrinationis exsoluerent. Qui reditus peregrinorum non solum exercitum nostrum, illorum fraudauit absentia, verùm etiam multos, qui de Germania, ceterisque regionibus subsequi festinabant, ab illo, quem ceperant, animi feruore cohibuit, vt in locis suis impoti consisterent. Ita Guntherus de frustrata magna ex parte, atque ad tempus dilata expeditione.

5. Peruenium hæc ad Innocentij Papæ notitiam, atque ægrè ferens se, seu verius Christum tanti apparatus fructu defraudari, & priuatis diffidiis quarundam Gentium, communia bona cedere; insignem Virum Cardinalem Petrum Capuanum, non vt absolueret, vt falsò putat Bzouius, nondum incursos; sed vt ab incurrendo deterreret, ad Venetos, atque Cruce signatos Legatum mittit, curaturum omnimodis, vt Veneti præberent commeatus ad traiiciendum Militibus Christianis: nec quæ contra infideles arma sumpsissent, in Christianos conuerterent, aut Crucis assecla impugnarent Crucis cultores. Meminit huius Legatiæ idem Guntherus immediatè subiungens hæc ipsa verba: *Tempore autem illo missus est ad exercitum nostrum Cardinalis quidam Petrus, videlicet, Capuanus, quem Summus Pontifex ad hoc direxerat, vt præfatam sedaret controuersiam: agerétque cum Venetis, vt felici embole, id est, Christi Militia maturius, versum Alexandriam præstarent nauigium.*

6. Quid peregerit Cardinalis Capuanus, in dubio est. Petrus Sarmiensis, obediisse in fraude Venetos, insinuare videtur; quippe resilientes à conditione impugnationis Iadertæ; sed tanto prælio nautes conducentes, vt ex ipsa soluendi difficultate Cruce signatos haberent velut obnoxios; & nihil prorsus, quod ab eis peteretur, detrectaturos. Meierus addidisse etiam multam pecuniam accommodatam mutuò, quominùs debito se possent liberare. Guntherus contrà: *Nihil ab eis extorqueri potuisse*, ait, *nisi nostri propositam sibi conditionem implerent.* Vtcunque fuerit, facilè innotuit pretio Christiani sanguinis traduci Milites Christi. Pergit Guntherus loqui de Martino, cui nullum magis arduum negotium fuit: *Videns ergo Martinus noster non solum negotio Crucis moras inuelli; sed & toti exercitui nostro, fundendi sanguinis Christiani necessitatem incumbere, nesciens quò se verteret, quidve ageret, totus in se exhorruit, & de pluribus, quorum ei quodlibet displicebat, illud elegit, quod in tali articulo potissimum videbatur. Aggressus itaque præfatum Cardinalem, omnium precum instantia supplicitèr exorabat, vt eum à voto peregrinationis absolutum, ad solitam claustralis vitæ quietem transire permitteret. Ille verò, nisi prius expleta peregrinatione, omnem ei prorsus reditum denegabat. Et insuper maiorem imponens sarcinam, authoritate Summi Pontificis, omnes ei commisit Theutonicos, quos vel ipse adduxerat, vel ibi repererat, vel qui postmodum ad eundem exercitum essent venturi. Iniunxit etiam tam ei, quam quibusdam aliis Religiosis, qui aderant, vt per omnes casus, socios sequerentur, & eos à sanguine Christiano, quantum posset fieri, cohiberent.* Hactenus ille.

7. Non latuit Innocentium flagitium imminens, & quantum potuit, curauit præcauere, grauissimam excommunicationem promulgans, atque intimari faciens in omnes, & singulos Iaderæ impugnatores: sed destinata semel excidio vrbs, nullis cautionibus valuit præseruari. Solus Simon Monfortius, quem sciamus, crimini se subduxit, indemnem seruans Guidonem Vallesmiensem, cui à Venetis excidium imminebat, quòd litteras Innocentij Papæ Militibus signatis, atque excommunicationis sententiam intimauisset: quod nos latiùs inferiùs expediemus. Reliqui omnes sacrilegè Religiosi, si ita fari licet, vt Christi Crucis negotio subuenirent, expugnarunt Christianos, facitus detestantes, quod perpetrabant, à fidelibus aduersùs fideles sæuitum est; & neque ciuibus parcitum, neque Vrbi; sed hæc in Bzonio, & aliis videre licet. Plagitia quæuis etiam voluntaria pœnitudo subsequitur: quantò magis coacta, & quæ vel antequàm committerentur, exhorrebantur. Quæsita statim absolutio Summi Pontificis, & cùm ea facilis haudquaquam appareret, recenti contumacia, atque ægrè reparando damno illato: electi nuncij ex primis Cruce signatis, quorum authoritati Innocentius deferret; & quos omninò à scelere immunes, atque illud auersantes non dubitaret. Neque potuit præterire Martinum munus, quod innocentiæ, & authoritati subnitebatur, Pergit Guntherus [c]: *Visum est nostris ad eundem Summum Pontificem Nuncios destinare, vt coacta culpa misericorditer condescendens, eos ab illa sententia excommunicationis absolueret. Cui legationi prosequendæ, cùm persona vtilis, & idonea quæreretur, electus est Martinus Abbas, & cum eo Suessionensis Episcopus, vir magna sanctitatis, & dulcis facundiæ, & tertius Magister Ioannes Parisiensis, homo Francigena, nobiliter eruditus, & sermone affabilis; quorum interueniente præsentia, causa fauorabilis apud Summum Pontificem plenius fulciretur.* Ita diuisus Martinus à suis Theutonicis, ingenti eorum luctu; quanuis spes reditus mœrentes consolabatur. [c] *vbi supra.*

8. Contigit inter hæc, Alexium iuuenem, Isacij Angeli quondam Constantinopolitani Imperatoris filium, Alexij tyranni nepotem, contrà ius, contra pium, deiectum solio, ad exercitum Crucesignatorum venire, cum litteris Philippi Sueui Ducis, eorundem armis Regno restituendum. Rem breuiter Guntherus idem narrat totidem verbis [d]: *Regnante apud Graecos Isacio, frater eius Alexius, patruus Alexij, eius, de quo nunc loquimur, consilio quorundam pessimorum, maximè autem cuiusdam cognati sui, nobilis quidem viri; sed prorsus perfidi, eundem fratrem suum Isacium Regno eiecit: & ipse Regnum arripiens, filium eius nepotem suum, hunc, scilicet, de quo nunc agitur, Alexium, sub diligenti custodia carceri mancipauit. Qui tamen inuenta opportunitate latenter effugiens, occulta, & celeri fuga Theutoniam petiit, veniénsque ad Philippum Regem, qui sororem ipsius habebat vxorem, suas illi, patrisque miserias, & patruì crudelitatem fideliter conqueritus est. Qui præfatum iuuenem satis honestè suscipiens, cum apud se aliquanto tempore, magno dilectionis affectu detinuit, eique sumptus, & obsequia copiosè ac liberaliter ministrauit,* [d] *ibid.*

nistrauit. Audiens autem exercitum nostrum, Iadera expugnata, circa fines Gracia conuersari, sæpe dictum iuuenem cum nunciis, & epistolis suis direxit ad Principes, vt eum, si fieri posset, in Regnum patris sui reducere molirentur. Theutonicis autem, pro eo quòd sui iuris esse videbantur, hanc rem securius, & imperiosius iniungebat, Marchionem cognatum suum, eius, quæ inter eos erat, commonebat propinquitatis. Flandrenses, atque Francigenas, & aliarum Regionum homines, omni precum molimine sedulus exorabat, certissimè promittens, si ille auxilio ipsorum Sedem suam reciperet, peregrinis omnibus, tam per Theutoniam, quàm per totam Graciam, tutam, ac liberam in perpetuum patere viam. Accedebat etiam ad hæc, quòd idem iuuenis certissimè pollicebatur, si viribus eorum restitutus foret, eis in communi argenti trecenta marcharum millia se daturum. Hactenus super hac re idem Guntherus.

94

Hæc in exercitu, & præcessisse aduentum Alexij pueri nunciorum discessum inde coniector, quòd idem Alexius ad Pontificem pòst scribens, non multò antequàm solio restitueretur, inter alios, quorum consiliis prouenisse dicit, quæ facta hactenus, Suessionensem Episcopum commemoret, vnum ex tribus nunciis, qui mittebantur. *Ad hæc predicta*, ait, *inducti precipuè consiliis salutaribus, & monitis Venerabilium Patrum Suessionensis, Halberstatensis, & Trecensis Episcoporum, Abbatis de Locedio, & Magistri Ioannis Noniomensis. Datum in Vrbe Regia, VIII. Calendas Septembris.* nisi quòd tamen hæc eadem consilia in reditu Suessionensi ab vrbe (nam id etiam fatebor) referri possunt. Variis rationibus hinc inde res discussa; & provt quenque mouebat proprius affectus, ita consilium aut vertebat, aut inclinabat. Paucos egregia Alexij pueri indoles, & miserandus status; plures Philippi gratia, plurimos summa argenti promissa sollicitabat: & obtendebant omnes honestas causas, Iustitiæ zelum, pietatem in puerum, misericordiámque, odium in Tyrannum; in Ecclesiam Romanam religionem; cui Imperium Græcorum, dudum schismaticum, facilè hac via reducendum fore putabant. Et contrà aliis temeratium videbatur, paucos homines, & præsidiis destitutos, in populosam vrbem, & munitissima, peregrinos incolas præliari: stultum pro alieno negotio proprium amittere: & tandem sacrilegium, amisso sanctæ peregrinationis proposito, pro commodis terrenis decertare. Prævaluit huic secundæ, sententia prior; & post longa dissidia, tandem effectum est, vt omnes in fauorem iuuenis vnanimes venirent; & si quid possent, auxilium pollicerentur. Parabat Deus, præter spem vtriusque partis, imperium illud subdere Latinis, cui facilè erat mouere cunctorum corda, & in id, quod sibi benè placitum erat, inclinare. Ergo exercitus versùs Constantinopolim, in quo ex hostris Abbas Locedientis inter primores: Nuncij Romam versùs nauigauère. Cæterùm quid vtrobique vtrique agerent, sequenti Capite nobis dicendum erit,

---

1. *Legati exercitus, impetrata absolutione, iam, iámque dimittendi,* 2. *retardantur: & quam ob causam.* 3. *Martinus Abbas ad Aconem missus,* 4. *vbi peste, & bello laborantium,* 5. *animos simul curat, corporáque:* 6. *inde ad exercitum Cruce signatorum Legatus:* 7. *à quibus gratantissimè susceptus.* 8. *Absolutionis forma, atque exequutio:* 9. *& status Constantinopolitanæ obsidionis.*

CAPVT II.

1. NAVIGABAT exercitus Iconium, & Hellespontum, dum Nuncij eius missi ad Innocentium per Adriaticum mare versùs Italiam, per Italiam ad Curiam properabant. Portò de eorum ad Pontificem accessu, & responso Pontificis, idem, qui suprà, Guntherus ita scribit [a]: *Qui tres viri,* (scilicet, Episcopus Suessionensis, vt coniector, Heimardus de Prouino, Iacobi de Bazochiis, qui Sanctum Ludouicum coronauit, antecessor, Martinus Abbas, & Ioannes, de quibus suprà,) *cùm Romam venissent, admissi ab Innocentio, causam, quam attulerant, fideliter exponentes, Dominum Papam humillimè rogauerunt, vt coacto flagitio, quod Milites vestri ob Christi honorem, in Christianos commiserant, clementer ignosceret: & causa diligenter inspecta, illam excommunicationis relaxaret sententiam. Ille verò, tum fauore, quem necessitas excusabas, tum nostri exercitus humili supplicatione, tum etiam Nunciorum gratia, & authoritate permotus, habita secum deliberatione, petitæ indulgentiæ benignitas assensit, iussitque scribi formam absolutionis ad nostrum exercitum perferendam.* Sic his de rebus verba facit Guntherus.

[a] Tom. 6. antiquar.

Ita expedito feliciter negotio, pro quo venerant illi pietate insignes Viri Curiam, repedare exercitum parabant, cùm ecce rumor de noua Cruce signatorum expeditione, pro Imperio Græcorum restituendo, spoliato Alexio, per totam Vrbem sparsus, Innocentium, Cardinalésque turbauit. Non ideò, quòd Constantini vrbis miserarentur, quam longo schismate diuisam ab Ecclesia, quacunque clade dignam non dubitabant: sed quòd timerent, ne maligni hostis inuidia, ardua illa Prouincia à Cruce signatis suscepta temerè, vel illorum perniciem prorsùs afferret, vel saltem Crucis negotium, quod summè omnes optabant, impediret. *Oderat*, ait idem Author, *Summus Pontifex illam vrbem, tam ipse, quàm eius predecessores à multo tempore, quoniam iam diu Romanæ Ecclesiæ rebellis extiterat, & in quibusdam fidei articulis, veluti in processione Spiritus Sancti, quem Græci de Filio procedere negant; & in modo sacrificandi, quod illi in fermentato facere solent, a fide catholica dissidebant. Vnde & quendam Cardinalem, qui quodam tempore à Summo Pontifice ad eos corripiendos, & instruendos missus erat, versis sursum vestigiis, & capite deorsum*

2.

deorsum in aëre suspenderunt, donec communi morte, cum Petro spiritum exhalarent. Oderat igitur eam, vt diximus, & optabat, si fieri posset, eam à gente catholica sine sanguine expugnari, nisi nostri cladem exercitus formidaret. Hoc autem per nostros posse fieri non sperabat, dicens, eandem vrbem plùs in solis nauibus piscatorum abundare, quàm illos in toto navigio. Habebat enim mille sexcentas piscatorias naues, quarum qualibet per totum annum ad quatuordecim dies fisco regio persoluebat nummum aureum, qui perperam vocari solet Ferdoni, id est, quarta parti marchæ vnius æquivalens. Bellicas autem, siue mercatorias habebant infinitæ multitudinis, & porum tutissimum. Erat autem de consilio, & sententia eiusdem Summi Pontificis, qui de Crucis negotio maximè anxiebatur, vt recto cursu versùs Alexandriam navigarent. Permittebat etiam eis, vt de maritimis locis Romaniæ, quam alluit id mare, cibos ineptos, id est, absque pretio moderatè tollerent, qui eis ad anni dimidium possent sufficere. Quod sum consilium, quia mutari metuebat, & Crucis profectum terrenis occupationibus impediri, meritò tam ipse, quàm alij omnes nouis rumoribus turbabantur.

Hæ nouæ curæ Innocentij Summi Pontificis Nunciorum reditum paulisper retardauerant, dum secum confert, quid ex vsu magis, & qualiter, quibuscunque aliis postpositis, negotium Crucis Christi promoueretur. Tandem ex tribus, duos ad exercitum cum Litteris, & forma absolutionis redire iussit. Verùm *Martino*, ait Guntherus, *reditum negauit, nisi prius Terram sanctam, quam petere vouerat, attigisset.* Fortè tanta eum authoritate, & gratia pollere apud Theutones Innocentius credebat, vt quocunque iret, illum quæsituros, atque ei adhæsuros, non dubitaret. Sed ego à Domino factum nequaquam dubito, vt imminente peste apud Aconem, Martinus omnium Pater, & corporum, & animarum prouisor constitueretur. Vtcunque fuerit *egressus de Curia Martinus cum sociis, accepta pontificali benedictione, cum Litteris continentibus formam absolutionis, quæ vestro exercitui redderentur, Beneuentum petiit, reperitque ibi Petrum illum Capuanum, cuius suprà meminimus, versùs Aconem, recto cursu transnauigare cupientem. Cui Martinus adhærens pontificales epistolas per socios misit ad castra, per quos etiam Theutonica Coborti, quam priùs duxerat, verbis excusatoriis valedixit secundo Nonas Aprilis. Deinde apud Sypundem nauem ingressi, post laborem diuturni temporis portum Aconis tenuerunt. Vbi etiam ab omnibus celeberrimè susceptì sunt, septimo Kalendas Maij. Erat autem ibi Theutonica gentis magna frequentia, inter quos quidam nobiles, & potentes viri, qui Martinum in Germania priùs nouerant, atque dilexerant, eum deuotissimè susceperunt. Capuanus omnes ei Theutonicos, qui vel tunc aderant, vel postmodum superuenturi sperabantur, Summi Pontificis authoritate commisit.* Hactenus breuis itineris Martini ab Vrbe vsque ad Aconem: sed fida descriptio. Nunc iam, quàm necessarius illic fuerit, & quàm clarè constiterit, diuina prouidentia factum fuisse, vt ad eam regionem mitteretur, idem, qui suprà, Author prosequitur, sic scribens:

4. *Eadem æstate circa dies illos, qui propter feruoris malitiam, caniculares vocari solent, orta est ibi grauissima pestis, & corporum humanorum corruptio, in tantum, vt vno die plusquàm bis mille corporum mortuorum sepulta memorentur. Erat autem tam subita, & improuisa lues, vt quisquis corripisset ægritare, infra triduum mortem certissimus expectaret: vnde & multi subita ægritudine deprehensi, cùm de rebus suis disponere non valerent, vocato Abbate, omnia sua illi tradebant, vel retinenda in proprium, (si ipse vellet,) vel distribuenda sociis egenis. Quam rem ipse Martinus ita fideliter exequutus est, vt in duobus diebus, quod & paulò antè dictum est, centum viginti marchas in tales vsus expenderit, & in tertia septuaginta marchas. Quorundam etiam Virorum fortium arma, quæ illi ob rerum penuriam pignori supposuerunt, ipse gratuito pretio, satis liberaliter redimebat. Amplius autem per infirmos strenuæ pietatis discurrens, tam consilio, quàm rerum impensa, benevolè prouidebat; admoneus eos de puræ confessione, de certa spe æternitatis, de mortem breuem, & momentaneam formidarent, post illam continuò vitam interminabilem accepturi. Sanos etiam viriliter exhortabatur, ne terrores eos breuis illa, & citò transitura calamitas; sed promptis animis ad vtrumlibet parati essent: vel hanc vitam ad honorem Dei diutiùs prouidere, vel socios sequendo, æternam breui compendio feliciter adipisci.*

5. *Hac igitur peste in ciuitate illa, & finibus eius diu pernagante, maxima pars tam ciuium, quàm peregrinorum ibidem commorantium, eiusdem contagionis tabe consumpta est: nam & de sexdecim personis, quæ in Abbatis hospitio versabantur, vix ipse quartus mortem effugit: cæteri omnes periculo succubuerunt: sed & qui superstites erant, quasi responso mortis accepto, languidi, & exangues eam per singula momenta certissimè præstolabantur. Accessit autem ad hoc, & aliud incommodum, quoniam inducia pacis, quæ inter nostros, & Barbaros iuramento firmatæ fuerant fraude illorum, & nequitia solutæ sunt; captis, & spoliatis duabus nauibus nostræ gentis, & direptis omnibus, quæ in eis vehebantur. Quam tamen iniuriam nostri fortiter, ac celeriter vindicantes, sex illorum naues magnas annona, & mercibus, & aliis rebus onustas in mari deprehensas, tam ipsas, quàm omnia, quæ in eis erant, sibi prædam fecerunt, atque ita diuina virtute, & sua, fraudem illorum viriliter vlti sunt.*

6. *Renouato itaque bello, cœpit hostilis tabes solito vehementior nostris incumbere; tum propter numerum pauciorem; tum, quia & hi, qui residui erant, tanquàm morte vicina, imbecilles, & imualidi putabantur. Quapropter visum est his, qui inter eos præcipui habebantur, Nuncios ad Castra Peregrinorum dirigere, quos in Gracia versari acceperant, vt Ciuitati Aconitanæ, & illi portiunculæ Terræ sanctæ, quam adhuc nostri multo labore, & periculo possidebant, maturo subuenirent auxilio, & scirent eam vix iam posse diutiùs defensari. Hanc quoque legationem, rogantibus illis, suscepit Abbas Martinus cum alio quodam viro, Conrado, scilicet, Aduocato de Swatzenberg: cui idem Abbas testimonium perhibet tantæ integritatis, vt quoties se, vel ioco, vel seriò, vel casu mentitum recordaretur, tot venias in secreto petere consueuisset. Ex quo & illud satis patet, eum, qui leuibus, & his, quæ alij ferè omnes pro nihilo ducunt, tam prouidus erat, in maioribus nullatenus fuisse negligentem. Tertia ergo die ante Festum Sancti Martini, prafati duo viri nauem ingressi sunt, & in Circumcisione*

Domini,

Domini, iuxta Constantinopolim littora tenuerunt, vbi tunc exercitus noster non satis latus agebat; eò quòd magnum discrimen incurrisset negotiis implicitus alienis. Quod vtique Deum ita ordinasse credendum est, vt ciuitas illa, quæ pro sua magnitudine, atque potentia, iam multo tempore Romanæ Sedi rebellis fuerat, virtute nostrorum, & insperata victoria vnitati ecclesiastica redderetur.

7. *Venientes itaque ad nos Nuncij transmarina Christi Militia, reuerenter ab omnibus, ac benevolè susceptisunt: maximè autem à Theutonicis illis, quibus Abbas præesse consueuerat. Expositaautem causa sui aduentus, compassionem magnam vtique experti sunt, sed nullam omnino spem consilij, seu auxilij, à nostris acceperunt: quippe qui nec sibi ipsis posse satis utiliter videbantur. Erant autem in tanto extrema aduersitatis articulo, vt nec circa ciuitatem ipsam satis essem securi, propter inæstimabilem, hostilémque Græcæ plebis multitudinem; nec ab ea absque multo labore, ac periculo discedere possent, propter innumeras illorum naues, quibus, si fugerent, eos persequi, & expugnare satis hostiliter cogitabant. Vnde factum est illi, quod rarò solet accidere, vt nostri eidem ciuitati, de qua fugere non audebant, obsidionem ponere cogitabant.* Hactenus quæ à Martino gesta circa hunc annum: nunc iam sociorum aduentum ad exercitum, & exercitus ad Constantini vrbem, breuiter, & fideliter reddamus.

8. Reuersi Suessionum Præsul, & socius cum Litteris Pontificis beneficium absolutionis accipiunt, Cruce signati: sed, Venetis exceptis, quibus vel maius odium in Sadertinos, vel ablatorum restitutio semper difficilis; nam ea ante omnia facienda præcipiebantur, fores Ecclesiæ diutiùs præclusêre. Absolutionem Cardinali Capuano commissam Bzouius tradit: cæterùm ipso ad Aconem Vrbem profecto, cùm nuncij ad Cruce signatos nauigabant, vix stare potest. Fortè commissa illi, aliisque, à quibus in illius absentia data, ne tanto tempore exercitus Christianus præcisus ab Ecclesia permaneret. Quod attinet ad Venetos, sat constat, noluisse tunc absolui, ne restituerent. Vnde, ne cæteri pœnam reportarent ipsorum culpæ debitam, si pretio conductionis iam soluto, conductores vitare tenerentur, Pontifex dispensauit, *Vt si Veneti*, ait, *restituere noluerint, neque absolui (iuxta quod inter vos, & ipsos conuenit, aut honestè conuenerit) communicetis eidem. Cùm enim iam à vobis maiorem nauli receperint quantitatem, nec ad eam restituendam possint induci, aut etiam coarctari, si aliter fieret, videremini vos damnum experientia; ipsi verò præmium ex contumacia reportare.* Hæc Innocentius ad alios Cruce signatos. Addit Bzouius scripsisse etiam Legato: *Quòd si iidem Veneti non tantum renuerent beneficium absolutionis obtinere, verùm etiam persisterent contra Christianos arma sumere; & illum ipsum, tanquàm Sedis apostolicæ Legatum recusarent suscipere, illis ipsis in malitia, & perfidia relictis, transiret, quomodocunque posset, cum exercitu Christianorum in Terram sanctam, cuius liberationem tantoperè desideraret.* Hæc tum de Venetis; quos tamen absolutos non multò pòst, ipsi rerum euentus demonstrabunt. Is fructus Legatiæ missæ ad Pontificem.

9. At de tentata Alexij restitutione, tristior circa hoc tempus successus fuit. Quippe Alexius tyrannus vrbem munierat & ciues alias propensos in verum Dominum, per fraudes, per dolos, in eius odium, & Cruce signatorum concitauerat Audi, quid scripserit incertus quidam Author, sed ex primoribus Cruce signatorum ad Innocentium [b]: *Ad vrbem Regiam prater omnium spem prosperè applicuimus, & in breui: sed nec aduentantibus improuisi; qui vsque ad sexaginta millia equitum præter pedites in vrbe reperimus; & transilientes loca tutissima, pontes, turres, & flumina sine damno nostrorum, terra, & mari obsedimus ciuitatem, & tyrannum pariter, qui commisso in fratrem parricidio fasces Imperij diutina incubatione polluerat. Præter igitur omnium opinionem, vniuersorum ciuium mentes contra nos inuenimus obfirmatas: nec aliter contra Dominum suum ciuitatem muris, & machinis obseratam, quàm si aduentasset populus infidelis, qui loca sancta polluere, & Religionem propponeret inexorabiliter euellere Christianam. Imperij siquidem crudelissimus incubator, Domini sui, & fratris Imperatoris orbator, & proditor; quique eumdem carcere perpetuo, sine crimine condemnasset; idem filio eius illustri facturus Alexio, si non eundem à manibus eius felix eripuisset exilium. Sic præhabita in populo detestabili concione, potentes simul, & plebem sermonibus adeò infuscarat venenatis, vt ad subuersionem libertatis antiquæ Latinos assereret aduentare, qui Romano Pontifici locum, & gentem restituere properarent, & Latinorum legibus Imperium subiugare. Hæc profectò res sic omnes contra nos animauit pariter, & armauit, vt contra nos, & exitum nostrum viderentur omnes pariter coniurasse. Sapius ergo per nuncios nostros, imò per ipsum exitum nostrum, & Barones nostros à quibus postulantes audiri, nec aduentus nostri causam, nec petitionis modum potuimus explicare; sed quoties terra, vel mari, stantibus in muro sermones obtulimus, toties retulimus tela pro verbis. Considerantes igitur, quòd præter spem nostram cuncta contingerent, in eum statum necessitatis impacti, vt statim necesse haberemus, aut perire, aut vincere, cùm obsidionem ipsam, nulla ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualium omnium incredibilis vrgeret angustia.* Hic status rerum ad finem præsentis anni, quo Martinus peruenit ad exercitum, qui sileri non potuit: reliqua in sequentibus dicemus.

[b] apud Bzouium hoc anno.

1. *Postulatos in Rhemensem Sedem Philippus, Regis fratruelis* 2. *sed non pacificè.* 3. *Tum causa ad Pontificem delata,* 4. *accusatio admissa,* 5. *commissáque probanda,* 6. *& decidenda, sub certis conditionibus.* 7. *Abiudicatum Philippo: & Guido, Cistercij nuper Abbas, in concordia electus.* 8. *Legatus inde ad Reges Galliæ, & Anglia,* 9. *super quo etiam scriptum Guillelmo Bituricensi.* 10. *Eius miracula,* 11. *ex quibus scripta quædam,* 12. *atque ex eisdem accrescens illi authoritas.*

CAPVT III.

6. GVIDONEM ex Abbate Cistercij anno præterito, Cardinalem Episcopum Prænestinum ab Innocentio creatum, Legatúmque in Germaniam commemorauimus; in Ecclesiam Rhemensem non multò post, vt habent Tabulæ omnes, assumendum. At non sine præcedenti graui lite, quia nec sine alterius præcedenti postulatione, quam video prætermissam ab Authoribus: sed hoc anno millesimo ducentesimotertio controuersum, decisámque postulatione in irritum cadente, & tum demum Guidone assumpto per electionem; constat ex Litteris Innotentij Papæ III. ad Episcopos Cabilonensem, Siluanectensémque, atque Abbatem Trium fontium, quas mox adducam. Ergo mortuo Henrico ad albas manus, (sic enim vocabatur,) Rhemensis Clerus, siue in obsequium Philippi Francorum Regis, siue in maiorem splendorem suæ Ecclesiæ, quam regius sanguis dudum illustrasset, Philippum tunc Beluacensis Sedis Episcopum, Roberti Comitis, Ludouici Grossi fratris filium, Philippo Pulchro in secundo consanguinitatis gradu iunctum postulauêre. Hinc fauor Principis, & plausus Episcoporum; assentatione, aut iudicio? dubium adhuc, vt postulatio affectui manciparetur.

2. At non defuêre, qui zelo Dei accensi, siue contradicendi studio tumidi, (nam & hoc etiam malum multos inuadit,) & ex claritudine eius, cui resistebant, captantes gloriam, appellarent Pontificem; apud quem se plura adhuc obiecturos, & in postulationem, & in personam constantes, an proterui iactitabant. Missum vtrinque Romam est, & pro postulatione, & postulato, Capitulum Rhemense, atque Capitula Ecclesiarum Suffraganearum, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates: & qui alios mouebat, Philippus Rex, speciales adhuc Nuncios destinarunt, contrà pauci, & inualidi comparuêre. Ibi primùm de iure appellationis coram Pontifice: quod si sufficeret, frustrà alia tentarentur, quæ postulantes, aut forte postulatum commacularent. Verùm, cùm Pontifex Philippo fauorabilior, ius postulandi adhuc post appellationem illæsum pronunciasset, obiecta plura: quæ, cùm non possent Romæ comprobari, commissa causa tribus Coniudicibus Episcopis, nimirum, Cabilonensi, Siluanectensique, & ne Cistercium deesset tanto negotio, Abbati Trium fontium, Litteris ad eos datis in hæc verba[a]:

[a] *lib. 6. epist. 9. in Regesto.*

3. *Cabilonensi, & Siluanectensi Episcopis, & Abbati Trium fontium.*

Venientes ad apostolicam Sedem, dilecti Filij, Decanus, & alij quidam Rhemenses Canonici, litteras nobis Suffraganeorum Rhemensis Ecclesiæ, Cathedralium Capitulorum, necnon Archiepiscoporum quorundam, Abbatum etiam, & aliorum Religiosorum virorum humiliter præsentarunt, cum eis suppliciter implorantes, vt postulationem, quam fecerant de Venerabili Fratre nostro Philippo, Belluacensi Episcopo, ad Rhemensem Metropolim transferendo, propter euidentem vtilitatem, & vrgentem necessitatem eiusdem Ecclesiæ, misericorditer admittere dignaremur; ostendentes per postulationis decretum, Canonicorum subscriptionibus roboratum, quòd duæ partes Canonicorum, quantum ad numerum, & tres, quantum ad dignitatem, & longè plures, quantum ad Ordinem, in huiusmodi postulationis conuenêre consensum. Hoc ipsum charissimus in Christo Filius noster Philippus, Rex Francorum illustris, per dilectum Filium Aurelianensem Decanum, quem propter hoc cum Litteris suis, & multorum nobilium ad Romanam Ecclesiam specialiter destinauit, ex multo deuotionis affectu petebat.

4. *Postmodum autem dilectus Filius G. de Portico, Rhemensis Archidiaconus, cum quibusdam Canonicis eiusdem Ecclesiæ superuenit, proponens postulationem huiusmodi recipiendam non esse, quia post appellationes ad nos legitimè interpositas fuerat celebrata. Cúmque super appellationis iuribus, coram nobis, & Fratribus nostris aliquando disputassent, Nos, auditis, quæ fuerant hinc inde proposita, interloqui fuimus propter huiusmodi appellationis obiectum, non debere postulationis effectum impediri, cùm causa, propter quam fuerat appellatum, ostensa sint falsa secundum exhibita iuramenta. Verùm idem Archidiaconus consequenter, & in factum, & in personam quædam obiecit, & alia volebat obiicere; quæ quoniam coram nobis tunc probare non poterat, inquisitionem, & decisionem eiusdem negotij oportuit ex necessitate committi.*

5. *Quocirca Discretioni vestræ apostolico scripto præcipiendo, mandamus, quatenus partes ad pacem diligenter, & efficaciter inducatis: quòd si forte, quod absit, infra octo dies non poterit prouenire, vos ex tunc, vt vtrique parti ius suum per omnia conseruetur, ad locum conuenientes communem, audiatis, quæ hinc inde duxerint proponenda; & eis examinatis prudenter, nisi ex parte contradicentium aliquid canonicum fuerit sufficienter oppositum, propter quod huiusmodi postulatio admitti non debeat, authoritate nostra suffulti, omni contradictione, & appellatione remotâ, postulationem approbantes, præfatum Episcopum ad Rhemensem Metropolim transferentis, facientes ei reuerentiam, & obedientiam debitam exhiberi. Contradictores, si qui fuerint, per Discretionem ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescentes.*

6. *Alioquin, postulatione prædicta nequaquam obstante, veluimus eidem Ecclesiæ, de persona idonea secundum formam canonicam prouideri; si qua verò partium legitimè citata non venerit, vos, iuxta formam præscriptam nihilominùs procedatis. Attentius prouisuri, ne vltra Festum Apostolorum Petri, & Pauli, proximè venturum, mandatum apostolicum prorogetur. Quod si non omnes his exequendis valueritis interesse, duo vestrûm ea nihilominus exe-*

quantur,

quantur; ita quòd, si vel vos non conuenerit is in vnam sententiam, vel partes non consenserint, antequam sententiam proferatis, negotium sufficienter instructum ad Sedem apostolicam remittatis, præfigentes partibus terminum competentem, quo receptura sententiam, nostro se conspectui repræsentent: ad quem si forsan earum aliqua venire neglexerit; nos nihilominus, sicut iustum fuerit, procedemus. Datum Laterani, quinto Kalend. Martij, Pontificatus nostri anno sexto.

7. Hactenus Litteræ Innocentij Papæ III. quæ an primum effectum conuentionis, & pacis, an secundum Iustitiæ sortitæ sint, hactenus ignoramus: sicut nec constat, an per delegatos, an per Pontificem sententia lata fuerit, si res ipsa ad sententiam vsque peruenit. Illud compertum, posthabita potentia, fauoréque, postularionem in casum cecidisse: & Philippo in Belluacensi Sede relicto, cùm Rhemis ad electionem procederetur, iuxta tenorem apostolici mandati, electum Guidonem: vt qui dignus inuentus ab Innocentio, Vvillelmo succedere in apice, & dignitate Cardinalitia; si eidem in Archiepiscopatu Rhemensi sufficeretur, nequaquam posset indignus iudicari. Non aliter pacando Regis animo ex fratruelis repulsa, quàm si talis, ac tantus Cardinalis, quem ipse etiam eximiè verebatur, sufficeretur. Philippi in Tabulis Ecclesiæ Rhemensis nulla mentio; sed nec Sedis vacantis. Vnde mihi non leuis coniectura pacatam statim litem; imò ante litem, intra octo dierum spatium cessisse. Philippum, atque Guidonem ex ascensu cunctorum promotum esse.

8. Cæterùm, vbi tunc Guido existeret, in dubio est: nec satis constat, an redux ex Germania, an cum exercitu Cruce signatorum profectus fuerit. Bzouius hoc vltimum videtur approbare [b], quippe qui coniectatur ipsum fuisse, qui Pontifici scripsit, de Alexij Angeli iunioris in imperium Orientis, opera Cruce signatorum, restitutione. Verùm, dum alia in Gallia illi commissa non multò pòst recenset [c], eandem coniecturam prorsus eneruat. Verosimilius ex Germania reduci Rhemensem Sedem collatam communi plausu. Túnque eidem simul, ac Guillelmo Bituricensi, Cisterciensique, atque vtrique Principibus verendo, addito Senonensi, iniunxisse Pontificem, vt emergentes inter Philippum Galliæ, & Ioannem Angliæ Reges, lites sedarent, & pacem, vel inducias saltem componerent, Litteris ad eosdem datis de hoc negotio [d], de quibus idem Bzouius hæc in Annalibus [e]: *Philippus Galliarum, ac Ioannes, Angliæ Rex, nequaquam arma contra se inuicem sumpta deposuerant, ideoque paucissimi ex eorum Regnis, & Prouinciis, Cruce signabantur, intestino bello distracti. Vtrique Regi Innocentius scripsit, negotiumque Rhemensi, Senonensi, & Bituricensi Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis commisit, vt id, quicquid esset discordiarum causa, cognoscerent, pacemque inter eos, vel saltem inducias componerent: quibus si illi obtemperare contemnerent, ambos anathemate percellerent; & vtriusque Regna, ac Prouincias interdicto ecclesiastico supponerent. Eo fine, vt iis inuicem reconciliatis, arma, quæ intra se contra se sumpserant, contra hostes fidei conuerterent, & varijs oppressos à Saracenis Christianos eriperent.*

b num. 2.

c num. 6.

d lib. 6. epist. 163. & seqq. num. 6. ad hunc an.

Verùm, quin iam hoc tempore Vvillelmus cœperat valuisse multis miraculis, specialiùs ei censuit relcribendum, vt easdem inter Philippum, & Ioannem Reges subortas discordias pondere authoritatis suæ ad pacem reduceret; in quo & ipse non parùm laborauit: quin multa alia negotia illi commisit, quæ idem Bzouius memorat [f], quasi nihil negare homines possent, cui leges ipsæ naturæ, morbi, atque id genus alia subiiciebantur. Proferam vnum, aliúdve miraculum, velut sit exemplum, quando omnia omninò superfluum foret. Proferam autem ex Actis eiusdem Sancti Vvillelmi, verbis depromptis, quò maior dictis fides habenda venier [g]:

9.

f num. 11.

g apud Surium tom. 1. Ianuar. 10.

10. *Cùm more solito Vir Sanctus Diœcesim suam circumiret, & gregem sibi creditum paterna sollicitudine visitaret, suúmque munus fideliter exequeretur, concionando, sacros Ordines conferendo, Templa, & aras consecrando, discordes conciliando, baptizatos sacro Chrismate confirmando: puer quidam continuo capitis tremore iam menses tres, & eo amplius agitatus, apud Montem Falconis illi à parentibus offertur, quem cùm vidisset Vir pius, manus illi imposuit, & intra triduum ille se sensit incolumem.*

11. *Capellanus Sancti Germani de Podio, cuius Ecclesia duobus à nostra vrbe milliaribus abest, dimidio ferè anno sinistra manus officio priuatus, Missas celebrare non potuit. Ea re non mediocriter ille afflictus, & confusus, à Medicis petiit tanti mali medicinam: sed frustrà. Tandem ad Virum Dei venit, manum illi propè aridam ostendit. Susceptus ab illo benignè, hoc responsi accepit, vt humiliter peccata sua confiteretur. Abiit ille accepta prius Sancti Patris benedictione, & paulò pòst reddita sanitate, die tertio Missa Sacrificium obtulit.*

12. *Consecrauerat quodam die Vir Sanctus Ecclesiam quandam, & tanto defatigatus labore, cum Clericis, & aliis inde reuertens, in prato consedit, panem ibi cibi sumpturus. Illi prato coniuncta domus erat, ex qua egressa mulier, Huberta nomine, iam partui vicina, Sanctum Virum alloquitur; eique cum multis suspiriis, infelicitatis sua porrexit historiam; quòd iam quartò, aut quintò peperisset quidem; sed non nisi fœtum mortuum: se verò eo nomine accusans sua culpa id fieri aiebat. Cernens pius Pastor calamitatem oniculæ suæ, blandis eam verbis consolatur, similque iubet Sacerdoti sua peccata confiteri, ac deinde bono esse animo. Denique extensa manu benedixit illi, & de cibo, ac potu sua prabuit. Vbi illa cibo sumpto confortata est, abiit, & aduenientè partus tempore, prolem salvam & incolumem enixa est; nec vnquam postea abortum fecit, licèt crebrò deinde pepererit.* Hæc, & similia patrata per Seruum Dei, ingens pondus addebant ipsius verbis.

1. *Philippi Sueui Ducis in promouendo Leopoldo ad Moguntinam Sedem audacia. 2. Innocentij patientia. 3. Abbates de Salem, & Nouo Burgo ad ipsum Legati, 4. pariter vt monerent, & minarentur. 5. Lesmoriensis Episcopi ex Cistercio electio, 6. & Litteræ Innocentij de ipso. 7. Rebelles in mandata Sancti Guillelmi per Abbatem Pratea veniunt castigandi. 8. Legatiæ Ioannis Abbatis Casemarij. 9. & dictum dubiè de Petro Atrebatensi.*

CAPVT IV.

1. INTER hæc in Germania Philippus Dux de Imperio adhuc certans, nos sustinens prælatum sibi Ottonem, in omnes eius sequaces grassabatur; inter quos Moguntinum Archiepiscopum molestabat atrociùs, odio in personam, an vt eam dignitatem partibus adderet. Ergo, quo iure, quáve injuria factum, vt expulso de Sede vero Pastore, (sic Bzouius tradit, quamuis ex Litteris nihil tale constet,) Leopoldus Vvormaciensis, qui Philippo fauebat, sufficeretur. Solius Pontificis esse promouere, si non suspectus: verum odio in partes declarato, quis credat, expectandum eius arbitrium? Solos Ottonis fautores illi dignos, quoscunque alios alienos ab Ecclesia, nedum inutiles licere sibi naturali iure, quia potenti, repellere hanc injuriam; neque aliter, quàm facto repellendam. An omnes suos permittat præteriri, solùm quia suos, cæteros, quia aduersarios, sublimari? An Innocentio inuadente iura Imperij, quæ propria reputabat, ipse iura Innocentij non inuadat? Vim vi repellere omnibus permissum; & quamuis non liceret, indulgendum, maximè Principi, cui acquirere in gloria; nec quid de nouo possit, nisi alienum. Multa illicitè fieri in principio, quæ si præualeant, vsúque firmentur, facilè fiunt in honesta transitura; nec multùm fore, si quod tunc cum scandalo, postmodum in exemplum posteris esset.

2. Hæc, & similia Philippum iactitantem, faciensque Innocentius curauit reprimendum. Sed virum Principem imperio defraudatum, cicatrice recenti, necdum obducta, ferirę palam, paternum minùs indicare, per ambages reducere conatur. Igitur in Leopoldum Vvormaciensem anathematis primo, mox in rebellem depositionis sententiam fulminauit. Obliquè interim Philippum ipsum Ducem, aut admonens, aut feriens, vel vt fautorem, vel authorem magis flagitij, quod in Episcopo tam grauiter puniebat. Verùm, cùm nec hac via corrigeretur, duos insignes ex Cistercio electos viros Abbates de Salem, & de Nouo Burgo ad eundem direxit, qui vel rationibus hominem reducerent, vel authoritate vincirent; vel si, quod non sperabat, neutrum succederet, ecclesiasticum in eum, imò & in terram illius gladium distringerent, authoritate apostolica aggrauandum. Porrò exemplar Litterarum ad Abbates missarum ab Innocentio, ita habebat *:

lib. 6. epist. 160.

3. *De Nouo Burgo, & de Salem Abbatibus Cisterciensis Ordinis.*

Inauditæ præsumptionis excessum, quam nobilis Philippus Dux Sueuiæ in apostolicæ Sedis iniuriam attentauit, Leopoldum quondam Vvormaciensem Episcopum ad Moguntinam Ecclesiam, quantum in eo fuerat, transferendo, & fouendo eum in sua temeritatis excessum, etiam postquam illius postulatio à nobis iusto fuerat iudicio reprobata, in patientia toleranimus hactenus: credentes, quod errorem suum corrigeret per se ipsum, & idolum zeli, quod erexerat in Templo Domini, vel abominationem stantem in loco sancto, de ipso eliminare curaret; nec vsurparet sibi, quod nullus Imperatorum, vel Principum hactenus attentauit. Nouit enim vel potuit, aut debuit nosse, quòd apostolicæ Sedi tantum à Domino transferendi Episcopos est potestas indulta: ideóque in messem nostram non debuit mittere falcem suam; & nostrum sibi officium vendicare. Quod licèt fecerit; nos tamen, ne moueri communiter in eum, potiùs æstu amaritudinis, quàm zelo rectitudinis videremur, id dissimulauimus hactenus, & laboranimus sustinentes.

4. *Verùm præditus Leopoldus, quia nimis præsumpserat, nec monitus à sua præsumptione cessabat, excommunicationis primò, & postmodum sententiam depositionis accepit. Quam quia contumax non obseruat, & Dux ipse in contumacia fouet eum, iuxta Sanctorum Patrum decreta, eiusdem & notam, & noxam erroris inusserit. Nos autem adhuc eidem Duci deferre volentes, per vos eum duximus commonendum, si forsan ductus consilio saniori, ab huiusmodi præsumptione desistat; nec Deo, & Ecclesiæ se opponat; & apostolicam Sedem, quam ratione saltem Christianitatis debet humiliter reuereri, de cætero irreuerenter impugnet. Modò igitur Discretioni vestræ, de qua specialiter confidimus, per apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, vt ad eum personaliter accedentes, ipsum ex parte nostra moneatis attentiùs, & efficaciter inducatis, vt eidem Leopoldo nullum de cætero tribuat auxilium, vel fauorem; sed potiùs tanquàm depositum, illum abiiciat, & velut excommunicatum euitet. Aliequin denuncietis eidem, quòd in ipsum, & terram suam, ampliùs forsan quàm existimet, secundum officij nostri debitum manum nostram curabimus aggrauare; cum id vlteriùs non debeamus in patientia sustinere. Quod autem inueneritis apud eum, per litteras, & fidelem nuncium nobis quantocyùs poteritis, intimetis. Quod si non ambobus, altero, &c. Datum Anagniæ sexto Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno sexto.* 4.

Hactenus Litteræ Innocentij ad suos Abbates; quos tamen, quamuis cuncta strenuè impleuerint, nil profecisse in homine obstinato, nec quicquam aliud iustum reputante, nisi quod vtile ad Imperium expedissendum, infrà dicemus. Quid autem admonitus per eos Philippus fecerit, non video declaratum ab Authoribus.

5. Hoc ipso anno, cùm Ioannes Cardinalis Sancti Stephani in Cœlio Monte per Hiberniam discurreret, iniunctæ sibi Legatiæ munus adimplens, qui Lesmoriensi tunc Ecclesiæ præerat, liberè renunciauit, amore quietis, an tædio infestationum, quas ab Vvatafordensi Episcopo, Lesmoriensis Diœcesicos inuasore, perpessus fuerat. Porrò electores in vnum conuenientes M. (neque enim aliud constat de nomine) Cisterciensis Cœnobij tunc Abbatem, quod Sancto Patri Benedicto sacratum diximus, vnanimiter elegerunt sibi Pastorem, ac defensorem Iurium 5.

suæ Ecclesiæ. Cúmque eo præsentando Summo Pontifici, Archidiaconum, duosque Canonicos Lesmorienſis Ecclesiæ Romam miserunt, qui eius procurarent confirmationem. Ait Innocentius virum verè probum, idoneúmque non solùm confirmauit; sed consecrauit; & consecratum remisit in Hiberniam, Litteris datis ad Decanum, & Capitulum, quas ex Regesto extractas, hìc subiungo [b]:

b lib. 6. epist. 171.

6. *Decano, & Capitulo Lesmoriensi.*

Dilecti Filij Archidiaconus, & quidam Clerici Lesmoriensis, cum Litteris vestris ad Sedem apostolicam venientes, nostris auribus insinuarunt, quòd postquàm Ioannes, quondam Episcopus vester, in manibus dilecti filij I. &c. Sancti Stephani in Cœlio Monte Presbyteri Cardinalis, Sedem Episcopatus regere resignauit; vos conuenientes in vnum in Venerabilem Fratrem nostrum M. nunc Episcopum, tunc verò Abbatem S. Benedicti, Cisterciensis Ordinis, inuocata S. Spiritus gratia vnanimiter conuenistis, eum in vestrum Episcopum eligentes; quamquam Ecclesia vestra cum ipsa Diœcesi, ab Vvaterfordensi Episcopo detineretur iniusta. Nos autem tam per iuramenta, quàm etiam per instrumenta super canonico electionis processu, & idoneitate personæ à vobis electa, certiores effecti, confirmauimus electionem ipsius, & ei munere consecrationis impenso, ipsum cum plenitudine gratiæ nostræ, ad vestram Ecclesiam duximus remittendum: ideóque vobis per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ipsum Episcopum, tanquam Patrem, & Pastorem animarum vestrarum recipientes humiliter, & reuerentiam ei debitam, & obedientiam impendentes, salubria eius monita, & mandata irrefragabiliter obseruetis: alioquin sententiam, quam ipse in rebelles, & inobedientes rationabiliter promulgauerit, ratam faciemus haberi. Datum Anagn. Nonis Nouembris, anno sexto.

7. Eodem anno, cùm Episcopus, & Capitulum Claromontense, censuras per Bituricensem Archiepiscopum latas, Sanctum, nimirum, Guillelmum contempsissent, Innocentius Iustitiæ zelo feruens, necnon & zelans pro honore Sancti Pontificis, Abbatem de Pratea, cum duobus illuc Prioribus transmisit [c], *per apostolica scripta præcipiens, quatenus veritatem diligentiùs inquiratis, & si inueneritis, præfatum Episcopum, & Capitulum temerè venisse, & contra mandatum interdicti, atque in interdicta Ecclesia celebrasse, ipsum Episcopum à Pontificali officio, & Capitulum ab omni officio, & beneficio suspendatis, & faciatis tandiu manere suspensos, donec idem Episcopus in persona propria, vel saltem per idoneum Responsalem, & Capitulum per quatuor, aut tres de suis nomine vniuersitatis ad præsentiam nostram accedant, de tanto satisfacturi nobis excessu.*

c lib. 6. epist. 197.

8. Fuit etiam Innocentio, & Ecclesiæ non paruo vsui Ioannes secundus Abbas Casæmarij, (nam primum voco viuentem Bernardi tempore) iam anteà ab eo præfectus multis negotiis, nunc ad Bulgariam missus ad Calo-Ioannem, aliis etiam adiunctis, quæ Bzouius etiam inseruit suis Annalibus [d]: *In Regnum, inquit, Bosniæ & Bulgariæ, Ioannem Casemarium ad Calo-Ioannem Bulgarorum Regem destinauit: a quo in Insula Regia iuramentum coram Nuncio factum recepit, quo vna cum subditis vniuersis spondebat se obseruare Constitutiones, mandata, & imperata Sedis apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ. Vnde confidentiam nactus Calo-Ioannes ab Innocentio postulabat, vt ad eum aliquem Cardinalem delegaret, qui ei titulũ, & diadema regium cõferret, Patriarcham Bulgarorũ designaret, & Episcopales aliquot cathedras erigeret: cùm in solo Regno Bulgariæ plures, quam quatuor, possent Episcopatus instituì. Per eundem Ioannem Casemarium, pallium Archiepiscopo Zagorẽsi misit, & alia complura, tum ibi, tum alibi eodem anno egit, constituit, correxit, castigauit.* Hæc ille.

d sub Innoc. III n. 7.

9. Funestus annus, & Belgio, & nostris fuit morte duorum Pontificum illustrium, doctrina æquè pollentium, & religione: Petri, nimirum, Atrebatensis, & Stephani Tornacensis; alterius ex Abbate Pontigniacensi dudum assumpti, de quo multa à nobis in superioribus; alterius, vt non nostri, at nostris dediti, cuius epistolis non semel vsi sumus. Ferreolus solius Petri obitum notat his planè verbis [e]: *Anno M. CC. III. Petrus Atrebatium Episcopus vita defungitur, eique Radulphus, origine Gallus, atque Atrebatensis Ecclesiæ Archidiaconus successor renunciatur.* At Butzelinus vtrumque etiam commemorat [f]: *Duas verò, ait, interea Ecclesias suis mors Pontificibus in Belgio viduauit: exempti, scilicet, viuis apud Atrebates Petrus, & Stephanus apud Neruios, &c.* Pergit deinde vtriusque successore, & Petro quidem Radulphum substitutum: de Stephano dubitat, an Petrum Parisiensem Cantorem sortitus fuerit: quod suprà à nobis reiectum ex ipso Stephano. Non video hactenus huno Petrum memoratum inter illustres sanctitate viros apud nostrates; cùm tamen multis deberet anteponi. Quod inde puto contigisse, quòd omnes eum cum antecessore confundunt, neque distinguunt Abbatem Cistercienſem à Pontigniacensi, Atrebatium Episcopum vtrumque: quod tamen necessariò fatendum cunctis, latè à nobis ostensum in superioribus. Quòd si inserendus Menologio sit, pridie ante Petrum Cistercienſem Abbatem veniet commemorandus: quippe ea die notatur eius obitus in Pontigniacensi Martyrologio: *Decimoseptimo Kalend. Ianuarij obiit Dominus Petrus quintus Abbas huius Monasterij, postea Atrebatensis Episcopus.* Funus deductum vsque ad Pontigniacum, vbi hodiéque iacet intra maius Sacellum, ad latus Euangelij inter Hugonem Abbatem primum loci, & Garinum, qui tertius eidem præfuit, superposito lapide sepulcro, & lapidi incisa supersctiptione: *Hic iacet Dominus Petrus, Episcopus Atrebatensis, quintus Abbas huius Monasterij.* Huic, puto, Petro scripsit alius Petrus, nempe, Blesensis, Tractatum de transfig. Dom. qui inter Opera eius circunfertur.

e ad hunc ann.

f item ad hunc ann.

---

1. *Carracetum, antiquum Monasterium, 2. olim à Toldanensibus vitatum, 3. post longum tandem tempus Cistercio cedit. 4. Detectus in tempore error satis vulgaris. 5. Innocentius reformatis congratulatur. 6. Dein ne Filiæ degenerent à Matre, 7. datis Litteris prouidet. 8. Et multa Monasterio bona confirmat. 9. Variæ aliæ notitiæ eiusdem Domus.*

CAPVT V.

1. INTER hæc Monasterium Carraceti percelebre in Hispania, qua parte terminos Castellæ Gallecia claudit, Pontem ferratum inter, & Villamfrancam (Prouinciam illam *del Vierço* incolæ dicunt,) tandem cum aliis quatuor nostris accessit, & nigrum Habitum in album permutauit.

Antiquum

Antiquum illud,si quod aliud in toto Regno : quippe ante Hiſpaniam inuaſam à Saracenis.Ea calamitatum inundatione vaſtatum,& dirutum;fugati Monachi,qui ſanctam Regulam Parentis Benedicti,à prima fundatione profitebantur:& ſpeluncis Cœnobio ſuccedentibus,dum fidei hoſtes fugerent,inter aſpera montium,atque denſa ſyluarum inhabitabant : inde reſumptis Chriſtianorum viribus , exiguas primùm cellas , atque Oratorium dicatum Sanctæ Marinæ: mox Sede Regni in Legione Vrbe firmata ſub Beremundo huius nominis ſecundo,atque ipſo largiente noua ædificia,& Monaſterium extructum à fundamentis,quod ſibi fabricabat in ſepulturam.Hinc ſuccedente cæterorum Regum fauore , à Patribus ad filios Cœnobium creuit,non ſolùm ædificiis,& poſſeſſionibus , ſed etiam Monaſteriis ſibi ſubiectis , quæ per Caſtellam , Galleciam,Aſtureſque,longè , & latè diſperſa propagauit : & in Caſtella S. Martinum & Toldanos ; in Aſturibus Vallem Dei,Villam Nouam,Lapedúmque,aliàs Bellum Montem ; in Gallecia , putamus,Montem,ferum , & adhuc grangiam regebat Penam Maiorem, Hic proceſſus Hiſtoriæ Carraceti per inſtrumenta conſtans , priuſquàm Hiſpaniam Ciſtercium illuſtraret : quippe languente in aliis Monaſteriis diſciplina monaſtica , Carracetum obſeruans,vigénſque à multis in Magiſtrum aſſumebatur.

1. Ciſtercij aduentu , obſcurata minora lumina ; & quod cæteris hactenus præſtaret , Carraceti Cœnobium,vt non extinctum,deficiens apparebat. Hinc Toldanos,quod vidimus ſuperiùs,ſiue nouarum rerum cupiditate,quæ ſæpè fallit per ſpeciem Religionis;ſeu vero zelo ſtrictioris obſeruantiæ,ad Claramuallem tranſiens , multarum diſſenſionum occaſio fuit. Quippe Florentius , qui Carraceto præerat,vir planè ſanctus,& cuius hodiéque memoria piè recolitur,Ciſtercienſes amare,colere,& quà poterat etiam imitari paratus erat.At venerandam ſuæ Domus antiquitatem,nouitatibus cedere,atque in alienos mores,iuráque,velut,ſi tunc inciperet,tranſire,indignum planè, neque ad perfectionem conducens exiſtimabat. Poſſe ſe reformare,ſi quid deforme , ſiue in Filiis ; poſſe,& quæcunque placerent ex Ciſtercienſibus,& quæ meliora ex aliis,ſuis præſcribere ; quæcunque ſtatuat à paucis retinenda fortè , & perſeuerantiùs,quia in ingenti Ciſtercij multitudine , vbi longa interualla , diuerſa regna , contrarij plurium mores , difficultatem ; & numeroſitas patiat confuſionem.Vnius Monaſterij obſeruantiam facilè ruere; multorum difficulter conſeruari in paucis ; quæ ſubeſſent Carraceto , numerum eſſe,qui rerum omnium comprehenſionem admitteret;ſocietatis ſubſidia non excluderet.Demum,ſe velle Ciſtercium inſitari ; motibus reformatum , ſed & exemptum : adcóque nulli alij pariturum.

3. Hæc & ſimilia mouebant Sanctum Abbatem,ne Ciſtercium admitteret , & Toldanenſes,qui dudum admiſiſſent,ad ſuam obedientiam reuocaret. Quod vt nequaquam conſequi potuerit , potuit ſubiectas ſibi cæteras Eccleſias deterrere exemplo , ne quid ſimile auderet;neque ægrè tulit amittere vnam Filiam, quò quinque alias reliduas conſeruaret. Permanſit Domus ſub Abbate Florentio ad annum vſque M. CLVII. quo ipſe obiit : non ſine magna opinione ſanctitatis , vt eius Domus habet conſtans traditio, quanuis ſepulcrum prorſus ignoretur. Florentio dicitur Galterus ſucceſſiſſe , qui vitam cum Imperio continuauit per longum tempus. Cæterùm eo etiam per mortem rapto,(quo anno,nondum potui inuenire,)inſignis pietatis Vir,nomine Amicus,vetè Deo, & hominibus dilectus , diligénſque,communi omnium conſenſu electus eſt , qui quadraginta fermè annis adminiſtrauit ; nempe , vſque ad Chriſti M. CC. XVI. Huius tempore Vallis Dei in Aſturibus , vt diximus , admiſit Ciſtercium , neque impediuit , aut recalcitrauit. Quin ipſe Pater ſequutus exemplum filiæ,tradidit ſe Ciſtercio,non multò pòſt; ingenti cum totius Hiſpaniæ , imò & ipſius Pontificis Romani , quantumlibet diſtantis , gratulatione , quam teſtatam reliquit Innocentius , litteris datis ad Abbatem , & Conuentum eiuſdem Monaſterij , quas ſtatim reddam.

Lætum hoc Ciſtercienſibus,& fauſtum : quippe 4.
Carracetenſis Monaſterij ingens authoritas ; Amici Abbatis , aut æqua , aut maior fuit. Ergo acceptati ab Arnaldo libenti animo,dubium , an in Capitulo; delatúmque antiquitati Domus,delatum Religioni, delatum filiis,quos ſecum adducebat , vt immediatè Ciſtercio ſubiiceretur : nec niſi Patris communis totius Ordinis , alicuius alterius portaret iugum. Ex tunc patuit Hiſpania lineæ Ciſtercij , quæ hactenus ſoli Claræuallenſi,atque Morimundenſi patuit, Delatum inſuper,quod olim Sabiguiaco,& Obacinæ; imò ſupra vtranque : vt adoptata intra ſecundum ſæculum Domus,ſede , & ſuffragio ſub initium primi: & in Chronologia ad annum M. C.XXVII. ſex & ſeptuaginta anterior numeraretur. Hinc error ille noſtris vulgò irrepſit,Carracetum Ciſtercium admiſiſſe ſub Abbate Florentio , atque ipſum primum , qui nouas , leges & iura illuc induxerit , cùm tamen conſtet à Florentij morte vſque ad reformationem ſex & quadraginta annos , & totam Galterij Præfecturam , cum parte ſubſequentis interceſſiſſe. Conſtabunt hæc ex litteris Pontificis , quas reſcripſit Amico , Conuentuique , cùm ab eiſdem ſuam accepiſſet inuocationem. Sunt autem [a] lib. 6. epiſt. 172.
tales :

Abbati,& Conuentui de Carraceto. 5.

Licèt filia Regis circumamicta varietatibus deſcribatur , nec reprobentur in Eccleſiæ corpore multiplices diſtinctiones Ordinum , & gradus variæ Dignitatum , ſi quando tamen aliqui de virtute proficiunt , in virtutem , & eas ſe iungunt , qui artioris vitæ ſemitas , & ſanctioris vitæ propoſitum elegerunt ; gaudemus in eo , qui facit habitare fratres in vnum , & qui oues alias , quas habebat,in vnum adduxit , vt ſub vno Paſtore vnum ouile fieret: ipſe ſiquidem eſt faciens vtraque vnum , potens non ſolùm eos , qui recumbunt inferius , ad loci ſuperioris imitare conſeſſum , ſed de lapidibus etiam Abrahæ filios ſuſcitare. Sanè per veſtras nobis litteras intimaſtis , quod cùm Ordo veſter ab Ordine Ciſtercienſi diſtaret in paucis , Inſtituta Ciſtercij firmiter de aſſenſu Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi , & dilectorum filiorum Canonicorum Aſtoricenſium (ſicut exhibita nobis ipſius Epiſcopi littera continebat) humiliter recepiſtis : & vos incorporantes Ordini eorundem , vt fortiùs conuerteretis corda Patrum in filios , Monaſterium veſtrum in ſpecialem filiationem Ciſtercienſis Monaſterij adſcripſiſtis.Nos igitur mutationem dextera Excelſi reputantes , huiuſmodi nouitatem , & vnionem in Domino commendantes,præſentium authoritate ſtatuimus, vt Ordo Monaſticus , qui ſecundùm Deum , & Beati Benedicti Regulam in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur , perpetuis ibidem temporibus ſecundum Ciſtercienſis Ordinis Inſtituta ſtruatur ; & incorporatio huiuſmodi , vel vnio potius , inuiolabilem in poſterum obtineat firmitatem. Nulli ergo , &c. Datum Anagniæ,13. Kalend.Decemb. Pontificatus noſtri

anno

anno sexto. Extat epistola in Archiuiis Carracetensibus : atque eadem prorsus ad me, Roma transmissa ex Regestis desumpta totidem verbis.

6. Arduum planè multorum voluntates inuenire concordes, aliquibus iudicio dissentientibus, multis ex leuitate, passionéve : sed plurimis ex ardore contradicendi : quippe ducere vel in præcipitium, quàm duci ab aliis malunt ; nec probant aliquid, quod ipsi non inuenerint. Florentio olim cuixè laboratum, ne Carraceto in pristino instituto perseuerante, Ecclesiæ Filiæ ad Cistercium pertransirent. Sed non minor mox labor amico fuit, vt Carracetum, cùm Cistercium admisit, imitaretur : siue arctior timeretur disciplina, siue trahi puderet, etiam quò sponte ire ipsi elegissent. Constat prouidum senem, cùm id antea maturiùs consultasset, suasisse tque; sed minùs persuasisset ; litteras impetrasse ab Innocentio, directas ad Episcopos, in quorum Diœcesibus Monasteria subiecta continebantur, suggesturos Cistercium illis omnibus, vel si non possent, dispersuros Monachos per alia Monasteria ; vel saltem pro admittendis coacturos, vt non nisi sub Cistercij obseruantia reciperentur. Extat, & legitur exemplar Litterarum ad Suffraganeos Bracharensis Archiepiscopi (in qua eadem forma aliis scriptum) quod ita habet [b]:

b *lib. 6. epist.* 179.

7. *Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Bracharensi Archiepiscopo, & Suffraganeis eius, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Dilecti Filij Abbas, & Fratres de Carraceto per suas nobis litteras intimarunt, quòd cùm Cisterciensis Ordinis receperint Instituta, & ea in posterum promiserint obseruare ; Fratres in Monasteriis sibi subditis commorantes, nolunt eorum inhærere vestigiis, & se ad obseruanda eadem Instituta, eodem Professionis vinculo alligare. Nos igitur, ne pars à toto dissideat, & membrum capiti contradicat, Fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus Fratres in eorum Monasteriis, vestrarum Diœcesium constituros, qua tamen non sint in ciuitatibus, villis, vel oppidis sita (cùm in talibus Ordo monasticus secundum Cisterciensium Fratrum Institutа nequeat obseruari) ex parte Dei, & nostra monea tis, & diligentiùs inducatis, vt prædictorum Abbatis, & Fratrum de Carraceto sequantur, & exequantur propositum ; vel cedentes, ad alias transeant Abbatias. Quòd si forsitan ad neutrum horum potuerint inclinari, authoritate nostra prohibeatis, ne cedentibus, vel decedentibus ipsis, vllus penitùs subrogetur, nisi qui Beati Benedicti Regulam fuerit, secundum Cisterciensium Fratrum Instituta, professus. Interim autem Abbati, & Fratribus memoratis debitam reuerentiam, & obedientiam impendere non omittat. Datis Anagniæ, XII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno sexto. Hactenus Litteræ Innocentij Summi Pontificis.

8. Cæterùm ex eisdem sunt, qui colligant, Carracetum non solùm memorata ; sed alia etiam, cùm Cistercium admisit, in Lusitania habuisse Monasteria sibi subiecta : quæ tunc fortè occasione nouitatis, atque regnorum, & Regum distinctione, defciscentia à Matre primùm amissa, aut contempta studio pacis, mox in ignorationem transiêre. Illud compertum, cùm Carracetum accepit Cistercij iugum, vltra Cœnobia, filiationis iure subiecta, habuisse Prioratus septem sibi vnitos, grangias duas, & triginta, vltra innumeras aliàs possessiones, quæ longè, & latè per vtrunque Regnum, & Lusitaniæ, & Legionis extendebantur. Porrò id constat, ex aliis Innocentij Papæ Litteris, hoc ipso anno datis, quibus & recèns reformatum Cœnobium sub sua, & Beati Petri protectione suscipit, & bona omnia, & possessiones eius, quæ tunc cùm Instituta Cistercij susciperet, possidebat, propriis expressa nominibus confirmat ; quarum si hodie medietatem possideret, haud dubiè opulentissimum Cœnobium, ac multis Cathedralibus Hispaniæ, aut æquale, aut superius censendum foret. Litteræ ipsæ habentur in Regesto immediatè post eas, quæ de Cistercio admisso congratulantur sub hoc titulo [c] : *Amico Abbati Carraceti, eiúsque Fratribus, tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Datum Anagniæ, per manum Ioannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, & Notarij, vndecimo Kalendas Decembris, indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno M. CC. III. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno sexto.* Ergo congratulatio, & manutentio, vt ita dicam, Cœnobiorum subditorum, eadem die ; protectio, atque bonorum confirmatio, sequenti expeditæ esse noscuntur.

c *epist.* 173.

9. Est Carracetum in Asturicensi Diœcesi, quæ olim Bracharensi, nunc Compostellano Episcopo suffragatur. Vnde fortasis epistola directa ad Suffraganeos Bracharensis Archiepiscopi in libris Cameræ, Carastrum per errorem, non Carracetum, taxa permodica, nec excedente florenos sexaginta. Locus Cœnobij latus, lætus, pinguis, inter abrupta montium, qui longè dissiti, vallem velut coronant, & prospectantium visum terminant potiùs, quàm impediunt. Ex Ecclesiis, & villis, quas possidebat, nonnullas adhuc retinet, & in eis plenum cum vtroque regio, & episcopali iure dominium. Cæteræ tempore in alios transierunt. Sic Beremundus Carraceti olim sepultus, Legionem postmodum ad Sanctum Isidorum (Canonicorum regularium templum antiquum) translatum est, cum aliis Regibus ibidem sepeliendus. Ad templi portam, Imperatoris Alfonsi imago visitur impolita, & rudis ; sed, quæ miraculis dicitur claruisse : percusso cæcitate Pastore irreuerenti, & post sex dies, cùm facti resipisceret, pristinæ restituto sanitati. Ita Athanasius Lobera, Regius Chronographus, in charta quadam vulgata de hoc miraculo. Hæc de Matre seorsum, & intra annum : Filias sub finem, cum aliis describemus.

1. *Amandus*

1. Amandus, Coniúxque, & Margarita addicti Cistercio. 2. Occiduntur indignè. 3. Margarita miraculis coruscans: 4. Eliæ Dunensis Abbatis mors, 5. & Henrici conuersio miraculosa. 6. Alfonsi Regis Castellæ in nostros pietas. 7. Epistola ad Abbates in Capitulo: 8. & perpensa eius verba. 9. San-Prudentiani donati Regi Alfonso, 10. atque ab ipso acceptati, euadunt in Regiam Domum.

CAPVT VI.

1

HOc idem tempus concernere videtur Virginis Margaritæ martyrium, passióve; nam martyrium nec negem, nec affirmabo; atque Amandi, & vxoris indigna mors, cùm iam iam se Cistercio consecrassent. Refert Cæsarius Villarij tunc existens, vbi se illi victuros destinauissent [a]: *Circa eadem tempora, ait, ciuis quidam Louanensis cum vxore sua, rebus ordinatis, ad Villarium, Domum Ordinis nostri, se transferre disposuerat: erant autem ambo Religiosi, & Religiosorum susceptores deuoti. Habebant secum puellam adultam cognatam suam, quæ loco ancillæ tam ipsis, quàm hospitibus, sicut testes sunt Conuersi nostri, satis simpliciter, ac diligenter ministrabat, & nomen Virginis Margarita. Scientes homines quidam maligni, pecuniam illos habere collectam, eadem nocte, qua de mane erant profecturi, circiter octo domum illorum serò ingressi, quasi cum eis hospitaturi, dictam puellam pro vino miserunt. Interim Dominum, & Dominam, totámque familiam ibidem reperiam occidentes, & sublatis omnibus, puellam cum vino reuersam secum educentes, domum quandam satis à ciuitate remotam simul ingressi sunt. Quæ cùm tristis sederet, & hi, qui in domo erant, æstimantes, quòd vi rapta esset, duxerunt illam ad fluuium. Cui cùm quidam ex latronibus compateretur, & diceret aliis: Sinite eam viuere, & ego ducam illam vxorem, non consenserunt timentes per eam prodi; addentes portioni vnius decem marchas, vt eam occideret: ille agnam simplicem suscipiens, tanquàm crudelis carnifex, priùs delecto eius gutture, cultrum lateri moribundæ infixit, sicque Deo hostiam viuentem in fluuium proiecit. Hospita verò domus, quam intrauerant, latenter egressos secuta, quæ facta sunt, vidit.*

2

Mane tam execrabili facinore cognito, turbata est ciuitas, quæsiti sunt latrones; sed non inuenti. Consideratis occisorum corporibus, quæstio habita est de puella, cuius corpus cùm piscatores post dies aliquot inuenissent, nec tamen prodere præsumpsissent, timentes sibi crimen impingi, in littore sepelierunt. Circa cuius sepulcrum alij, tempore nocturno, luminaria videntes, effossam tulerunt Louanium, capellulam super eam fabricantes: & fiunt vsque hodie, meritis eius exigentibus, miracula, tam in loco occisionis illius, quàm in loco translationis. Sic pij viri, virgóque deuota Cistercio rapti, breui morte anteiuerunt prolongatum Religionis martyrium, quod suspirabant. Verùm felicem vtriusque coniugis statum, quanuis adhuc in ignibus lustralibus permaneret vterque, & Margaritæ vtriusque meritis merita superiora omninò, & gloriosam coronam, qua statim fruita, Monacho cuidam Sancto Villariensi Dominus reuelare dignatus est, visione ostensa, quam idem, qui suprà, Author his verbis narrat [b]:

[a] lib. 6. c. 34.

[b] vbi suprà

3

Supradictus Dominus eius, Amandus nomine, cum vxore, Monacho cuidam Villariensi apparens, cùm de statu eum interrogaret, respondit: Nondum habemus gloriam, nempe, donec lustralibus ignibus purgemur; queis vel Sanctorum, si quæ eis, ex humano coniuctu sentia accessit, maculæ minimæ veniunt expiandæ. Hæc de coniugibus. Pergit de Margarita: *Nouissimè requisitus de virgine, subintexit: Quidquid nobis impensum est gratiæ, meritis habemus Margaritæ nec audemus respicere ad gloriam, in qua illa est.* Hactenus visio. Pergit Author de Martyrio quædam disserere, vt probet Martyrem appellari posse Virginem Sanctam, & *Omnes quidem, ait, occisi sunt; sed non omnes miraculis claruerunt. Vnde patet, quòd non pœna facit Martyrem, sed causa.* Et infrà: *Diuersæ sunt species Martyrij: innocentia, videlicet, vt in Abel: iustitia, vt in Prophetis, & Ioanne Baptista: amor legis, vt in Machabæis: confessio fidei, vt in Apostolis.* Ita Cæsarius ingeniosè satis, & doctè.

4

Inter hæc Dunis moritur Elias, ingenti omnium luctu, non minòs Monachorum, quàm sæculatium; quippe omnes æquè virum suspiciebant, & velut Patrem communem venerabantur. Ægidius Romanus in Chronico ad hunc annum: *Dominus Elias, sextus Abbas, in Dunis, post quatuordecim annos sui regiminis, in pace quieuit, anno M. CC. III. cui successit Dominus Petrus, vir benè litteratus.* Hic ille Elias, quem charum cunctis Principibus; quem vt parentem veneratum à Duce Austriæ, & quo vsum Mathildem Imperatricem, ad filij sui Richardi liberationem, in præcedentibus latè memorauimus.

5

Eisdem temporibus in Germania, Conuersum lego Henricum Canonicum Sancti Cuniberti, de cuius miraculosa vocatione ita Cæsarius Scriptor eiusdem temporis [c]: *Canonicus quidam S. Cuniberti in Colonia, nomine Henricus, vita satis secularis, cùm die quadam solus equitaret, nubecula lucida viam ipsam, ea intuente, transuolauit, vocémque clarissimam de ipsa nube audiuit dicentem:* Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo, & in terra. *erásque vox eadem tanæ dulcedinis, vt quoties eius postea recordaretur, lacrymis infunderetur. Cúmque vocem hanc cœlitùs demissam minùs attenderet, vel potiùs non intelligeret, nocte quadam per visum se stare vidit in Capella Domus suæ ante Altare, cuius imagine Beatæ Dei Genitricis Mariæ. Quam cùm verbis angelicis solitò salutaret, respondit illa: Vt quid me salutas? Homo perditus es: & nisi vitam tuam emendaueris, citiùs peribis. Ego enim, & Sanctus Benedictus intercessimus pro te. Qui cùm & secundam hanc admonitionem, dulcedine vitæ secularis abstractus negligeret, circa tempus sex hebdomadarum, tam graui infirmitate correptus est, vt inungeretur, nec vlla esset spes vitæ eius. Tunc demum ad cor reuersus, & quid audierit, quidve viderit recordatus, Fratribus quibusdam Bergensibus, Ordinis Cisterciensis, ad se vocatis, se reddidit; qui in proximo Pascha Monachus factus est, meritísque, & precibus Beatæ Mariæ Virginis se illuminatum vsque hodie gloriatur.* Ita Cæsarius de Henrici conuersione, qui ipso hæc scribente adhuc viuebat.

[c] l. 7. cap. 8.

6

In Hispania Alfonsus Castellæ Rex cùm multa in

in nostros beneficia contulisset, multa, & illustria Monasteria ædificasset, cùm magnum illud Huelguense prope Burgos, totius Cistercij æmulum, & sexus fragilis illustre planè miraculum, nouis, ac magnis incrementis, augeret in dies; & iam tunc Xenochium ei vicinum, non minùs sumptuosum, prædiuésque à fundamentis strueret, per Cistercij Conuersos sub Abbatissæ obedientia adminiſtrandum, quasi hæc inferiora, quia singularia, peterent ampliora; siue pro Principum innata consuetudine, quibus dedisse, inter primas dandi causas haberi solet; maius adhuc beneficium excogitauit, quo omnia sui Regni Monasteria, etiam fundata ab aliis perfruerentur. Et à quibus non vllus Ecclesiasticus hactenus extitisset immunis, contributionibus, pro vicinis Paganis debellandis, à quibus ne intra proprias quidem vrbes secuti essent; vniuersum Cistercium exemptum voluit, Litteris datis ad Capitulum Generale plenas amotis, reuerentiæque, quas in Archiuiis Sancti Petri Gumilienſis authenticas repertas, operæpretium me facturum putaui, si hîc transcriberem: sunt autem huiusmodi:

7. *Sanctis, & Reuerendis Patribus, & amicis in Christo, Arnaldo Abbati Cistercienſi, & vniuersali Capitulo in honorem Dei ibidem congregato, Alfonsus eadem gratia Rex Castella, & Toleti, gaudia felicitatis æterna.*

Cùm ab antiquo apud nos inoleuerit consuetudo, quòd antecessores nostri à Monasteriis, pro voluntate sua munera exigentes, quasi de iure percipere viderentur, nos eandem antiquam consuetudinem sequentes frequenter fecimus illud idem; tum propter multiplicem, & variam guerram Maurorum; tum propter graues, & difficiles incursus vicinorum Regum, qui nos, & Regnum nostrum pro viribus impugnabant. Et præterea, quia Monasteria largitione Regum ex maiori parte constat esse fundata. Sed, licèt prædictis rationibus, atque necessitatibus, nos apud Deum excusari crederemus; tamen pro reuerentia, & speciali dilectione, quam erga vniuersum Cistercienſem Ordinem ea deuotione, qua possumus, in Domino gerimus priorem, omnes præstationes regias, & exactiones pro salute nostra, & filij nostri, necnon & Parentum nostrorum de cætero in perpetuum duximus remittendas, vt aliis Principibus exemplum salutabile præbeamus, & successoribus nostris necessitatem imponamus, ab Ordine vestro nihil amplius exigendi: affectuosius rogantes, & humilitate, & deuotione, qua possumus, supplicantes, quatenus nos, filium nostrum, & Regnum apud Deum vestris precibus commenderis, vt per orationes vestras sanctissimas, de quibus plurimùm confidimus, remissionem peccatorum, & vitam æternam apud Deum promereri valeamus. Facta charta apud Farizam, Æra milleſima, ducenteſima quadrageſimaprima, IX. Kalendis Auguſti.

8. Hactenus Litteræ Regis ad Capitulum, in quibus nullum pietatis genus omittit, nullum venerationis, & reuerentiæ, quo non apertè nostros prosequatur. Nam in primis Arnaldi, Abbatúmque regio nomini nomina præponit: deinde, Sanctos, & sibi reuerendos, atque amicos appellat: tertiò, hanc eandem reuerentiam, & deuotionem in Cistercium inculcat: quartò, vniuersos Cistercienſes eximit ab his, quas omnes soluebant, contributionibus: quintò, ad id mouet Principes Christianos, neque solùm exemplo, sed etiam verbo: sextò, successoribus suis legem indicit, quam vt ostendat omninò intransigibilem, necessitatem vocat: septimò, de orationibus eorum plurimùm se confidere: & tandem octauò eas-

dem orationes non imperiosè iniungit, sed poscit humiliter vsque ad supplices preces, quas expressas per verbum supplicandi eisdem præsentare non dedignatur. Vix vllum verbum est in tota epistola, seu priuilegium appellare mauis, quod non eximiam præseferat venerationem. Crediderim Indultum apud Farizam, secundo ab Hortæ lapide, Hortæ conceptum charitate in Martinum, Monachósque, qui regiam deuotionem in nos propensam recentibus exemplis excitauissent.

Eodem anno Sanct-Prudentiani in Riuogia Monachi, largitate Patroni, primùm liberi, mox in Alfonsi iura transierunt, nullo grauamine ipsis superaddito, sed regio nomine tantùm illustrandi, & velut proprij à Rege protegendi. Extat donatio Roderici Diacij Reguli Camerorum, Didaci Fundatoris illustris filij, quam piam æquè, generosámque, ac tanto Viro dignam, hîc subiungo: 9.

In Dei nomine, & eius gratia. Tam præsentibus, quàm futuris sit notum, quod Ego Rodericus Didaci facio chartam donationis, confirmationis, & roborationis Deo, & Ordini Cistercienſi de Monaſterio S. Prudentij cum omnibus pertinentiis suis, nihil mihi penitùs retinens, vel alicui de genere meo; sed totum liberè, & absolutè Deo, & prædicto Ordini dono, atque dimitto, & matri sua Sacrauenia, sicut mos est Ordinis, iure hereditario concedo. Insuper mitto illud in defensione, & potestate Domini Regis Castella Aldefonsi, & totius generis sui post se, vt habeat, & possideat, & defendat, sicut vnum de suis, quod melius in toto Regno suo possidet. Huius rei sunt testes & confirmatores Martinus Lupi, Archiepiscopus Toletanus, Hiſpaniarum Primas, Rodericus Seguntinus Episcopus, Didacus Oxomenſis Episcopus, Iulianus Conchenſis Episcopus, Vitalis, Abbas S. Petri de Gumiele, &c. Facta charta in Berlanga XIII. Kalendas Iunij. Æra M. CC. XL. I. Sic Rodericus cùm multa, quæ habuerat, contuliſſet Cœnobio, id vnum, quod non habuit, regium, nimirum, nomen, etiam dedit, translato in Regem iure patronatus, à quo in Domum, & locum deriuaretur. Tum verò Rex acceptatam donationem, tali cenſuit scripto roborandam. d ex Archiuiis Sti. Prudentianis.

Notum sit omnibus præsentibus, & futuris, quòd Ego Alfonsus, Dei gratia Rex Castella, & Toleti, vnà cum vxore mea Dona Aleonor, & filio meo Fernando Infante, accipio de manu Domini Roderici Didaci de Camberis, sub protectione mea, & commenda, & amparantia Monaſterium Sancti Prudentij, & omnes hæreditates, & possessiones, quas habet in toto Regno meo; scilicet, Grangiam de Ruib, quam dedit Petrus Ximenez de Iubera, & fuerat ibi Abbatia, cum pertinentiis suis, &c. . . . & villas suas de Laguuilla, Villamuua, & Riuafreyta, & omnes alias hæreditates, & bona; homines suos, res suas, & causas suas, &c. Et insuper Ego Alfonsus Rex Castella facio chartam libertatis, & concessionis, & absolutionis Deo, & Monaſterio Sancti Prudentij, & vobis Venerabili Abbati Adamaro, totique Conuentui Monachorum sub Cistercienſi Regula ibidem Deo seruientium. Absoluo itaque vos, & immunes facio ab omni facto, & posito, & ab omni regio grauamine. Datum in Berlanga XIII. Calendas Iunij, Æra M. CC. XLI. Sic Prudentianos regij iuris effectos Camerorum Domini non solùm illustrarunt; sed illustratos sibi deuinxerunt arctiori iure: quippe ex Patronis in Patres transeuntes affectu, & opere; quos antèa clientes, mox habuêre filios, eósque nunquam magis futuros suos, quam cùm non sui. 10. e ex eisdem.

1. *Sancta Heduviges Monasterium sibi, & filiæ construere deliberat.* 2. *Vnde hausta eius Vita.* 3. *Parentes, fratres,* 4. *pueritia, & studia.* 5. *Matrimonium, filiique.* 6. *Continentiæ studium:* 7. *& fuga, in quantum, potuit, totius fastus,* 8. *initia Trebniziensis Monasterij:* 9. *fabricæ sumptus:* 10. *ingensque dotatio.* 11. *Ducissæ pietas:* 12. *& Moniales (inter quas & Gertrudis) illuc inductæ.*

CAPVT VII.

1. HOc primùm anno sanctiorisne, an clariorisMagnæ Ducissæ Poloniæ, Silesiæque, Beatæ Heduuigis nobis memoria incidit, haud parum hos Annales illustraturæ. Quippe in eo cœptum Cœnobium Trebnicense per Henricum maritum, illius precibus,inquo & Gertrudis filia virginitatem,& ipsa continentiam,viuente adhuc marito, conseruarunt; vtraque degens ad Cistercij normam,quos ibi ritus voluit obseruari.Ergo,quibus Acta eius,vitáque,cùm induit Cistercium, narranda forent,anticipare visum, & tunc incipere, cùm sibi,& filiæ Cistercium fabricauit. Collegit eadem Engelbertus Cisterciensis, Author Sanctæ coætanus : tum alij viri graues, doctique,queis examen commissum,cùm Ecclesiæ Romanæ Sanctorum Canoni adscribenda præsentaretur. Porrò ex vtrisque collegit Author ille, quem Surius vulgasset, quod ipsemet scribit verbis sequentibus [a]:

a *tom. 5. in præfatione.*

2. *Ad Dei gloriam, ad ædificationem eorum, qui hæc audituri, & lecturi sunt, ad laudem quoque ipsius Sanctæ, de qua agimus,diligenter commemorabimus opera eius, & merita, virtutum exercitia, atque etiam miracula, quæ ob eius merita efficere dignatus est Altissimus : quemadmodum ea posit accuratam examinationem,diligentissimè conscripserim,& scripta fideliter Summo Pontifici obtulerim,quibus id negotij ab apostolica Sede datum erat. Quæ quidem scripta in Trebuicensi Cœnobio asseruata,cùm studiosè perlegissem,cum illis sæpè consuli,qui huius rei dicta, factáque nouerant. Atque ita benè comperta veritate, Historiam simplici stylo contexens,quanta potui diligentia coniunctim annotare studui, quæ eiusdem essent generis virtutes,& miracula,quæ illic sparsim,& diffusè habentur. Ex his etiam,quæ frater Engelbertus, Ordinis Cisterciensis, de hac Sancta scripsit, quædam notatu digna illis adiunxi; totámque Historiam in capita distinxi, quibus præfixi summaria, quæ paucis indicent, quid in his tractetur.* Ita in Prologo : in Vita hæc, quæ sequuntur, quanuis nos ordinem non nihil immutabimus,immutatis nonnulla interseremus pro more nostro [b].

b *apud Surium tom. 5. cap. 1.*

3. Genus illi præclarum inter clariores. *Fuit enim filia magnifici Principis Bertholdi, Marchionis Moraniæ, Comitis Tyrolensis. Matrem habuit Agnetem, non minori generis dignitate illustrem, vtpote filiam Marchionis, & Comitis de Rotlehes.* Ex his parentibus *quatuor habuit fratres, sorores tres : quarum vna Philippo Regi Francia nupsit: altera Andreæ Regi Hungariæ, cui peperit laudatissimam illam, & nunc in Cœlis gloriosam Elisabeth, Turingiæ Langraviam, cuius sanctissimum corpus Marspurgi quiescit. Tertia soror fuit Abbatissa Sanctimonialium, Ordinis Sancti Benedicti, in Lutzingensi Franconiæ Monasterio. Vnus fratrum eius Bertholdus fuit Aquileiensis Patriarcha : alter Elebertus, Rabembergensis Episcopus : reliqui duo Otho, & Henricus militiæ dediti, Patri in Principatu successerunt.* Hos fratres, hos parentes, Heduviges sortita est : nam de coniuge, & filiis mox dicemus.

4. Porrò de eius pueritia, studiisque, (nam literis supra sexum incubuit, vel in pueritia,) pergunt Acta in hunc modum : *Ab ipsa pueritia cor gerens senile, vitabat leuitates omnes, & bonis sese assuefaciebat moribus, insolentésque eius ætatis respuebat ineptias. Studebat innocentiæ vitæ puritati, sempérque honestati, & grauitati diligentem nauabat operam. In his vero omnibus, & aliis operibus suis, prater homines, quos eius parentes illi adhibuerant, vt bonis moribus ab eis institueretur, Doctorem habuit Spiritum Sanctum, qui ab infantia docuit eam timere Deum, & abstinere ab omni peccato, ita vt mundam seruarit animam suam ab omni concupiscentia:nec vnquam cum ludentibus culpabiliter se miscuerit,neque cum his,qui in leuitate ambulabant,participem se prebuerit : in puerili enim ætate in Monasterio Lutzingensi sacras Litteras didicit, quarum studio & tempus suæ iuuentutis expendit vtiliter, atque ex earum intelligentia postmodum interiarum consolationum, & deuotionis gratiam hausit excellenter.* Habuisse litterarum Magistram, Petrusam nomine, quam ipsa mox acciuit suo Cœnobio, primis eius initiis præficiendam, dicemus inferiùs. Verùm cùm ea Benedictina primùm, mox Cisterciensis fuerit, quæ Heduvigi grandæuæ superuixit, ante Cistercium docuisse credenda est, quanuis neque id omninò certum habeo.

5. Nunc sanctum eius thorum,filiósque, vitam, & mores nuptæ,ex eodem Authore describemus : *Heduuigis verò, cùm esset annos nata duodecim,præclaro Principi Henrico Duci Silesiæ,& Poloniæ collocata est: quem illa instar Sarræ cum timore Domini,non cum libidine sua consensit suscipere : in eo enim contrahendo matrimonio non tam suam, quàm parentum voluntatem creditur sequuta; id,quod abundè constare potest vel ex eo solo,quòd posteà mira quadam continentia sese constrinxit. Coniugali alligata vinculo studebat, secundum Apostoli doctrinam,honorabile connubium,& thorum immaculatum in omnibus custodire; leges,& iura matrimonij inuiolata conseruare; sperans per filiorum generationem se saluam fore. At nihilominus studio castitatis Deo placere desiderans,quãtum licuit,ex mariti consensu,continentiæ legem sibi indicebat. Nam simul atque se concepisse sentiuit, à viri thoro vsque ad puerperij completionem,sese reuerenter abstinuit. Atque huius sanctæ legis,& honestæ consuetudinis vsum, & cultum obseruandum suscepit à prima prolis suæ conceptu, anno ætatis suæ decimotertio : nec eum vnquam interruisit, donec parere desineret. Tres verò peperit filios Boleslaum,Conradum,& Henricum;totidemque filias Agnetem,Sophiam,& Gertrudem;quibus in lucem editis,deinceps perpetuæ se dedit continentiæ.*

6. Hæc series vitæ vsque ad annos triginta,plus,minúsve; nisi quòd tamen ipso medio tempore,de consensu mariti,quem sibi habuit per omnia obsequentissimum,multis aliis diebus continebat. Nam *salu-*

taribus

tariis consiliis, & exhortationibus suis generosum maritum suum eò adduxit, vt cum ipsa sponte studeret continentiæ singulis annis, toto Aduentu, & Quadragesima, diebus quatuor Temporum, & sextis feriis, in Vigiliis Sanctorum, & feriis eorum, atque diebus Dominicis: non enim puabat, gratam eam esse Sanctis venerationem, nec Deo acceptum ieiunium, quod cum carnis oblectamentis susciperetur.

7. Ex eiusdem etiam mariti sui consensu, quod attinet ad vestes, ornatúmque [e] *à iuuentute sua vestes coccineas, aut pannos magni pretij, vel elegantia habere noluit, tametsi cùm adhuc iuncula esset, satis bonis vteretur indumentis: sed neque in iis tamen mundi expetebat pompam, aut fastum; neque cultum corporis, neque mollitiem vllam; sed tantùm status sui decorem obseruabat. Quòd si verò cultiori quoque vestitu, aut exteriori ornatu, eóque modesto, & ipsi congruenti, quod tempus sic posceret, ipsam inter homines apparere contigisset; nec sic quidem cordis pietatem, & humilitatem deseruit. In eius capite non crocea, nec crispata cernebantur velamina; non in pectore monilia aurea, genanis radiantia; neque in digitis annuli pretiosi. Omne enim superbia, aut vanæ gloriæ signum cum Esther abominabatur, nec ferre voluit etiam in iuuentute.*

e apud Sur. cap. 2.

8. Iam continentiæ cultrix religiosissima, tempus sterilitatis suæ præstolabatur, in quo negata fœtui, veluti inutilis ad finem matrimonij, liberiùs posset dilectum sibi coniugem inducere, vt à thoro abstinerent, & vsui aliàs permisso renunciarent. Iam filiæ suæ Gertrudi natu minimæ, quam præ aliis amabat, fortè quia amantiorem, virginitatis, iam sibi Domum parare satagebat, in qua reiecta pompa sæculari, reiectis deliciis, inter Virgines Deo consecratas, illi soli vacaret, quem cunctis semper rebus præposuisset. Itaque, partim consilium suum celans, & partim detegens, vt conducere visum, maritum impulit, vt insigne illud opus, & verè regium Trebnicensis Cœnobij aggrederetur, quod Cistercienses Moniales inhabitarent. De hoc Cœnobio Cromerus hæc in Polonia non solùm fundationem, Authoresque; sed opulentiam etiam, & situm narrans [d]: *Henricus Barbatus, suprà citatus, rogatu Heduuigis Ducissæ, vxoris suæ, Trebnicense Monasterium, tertio à Vratislauia milliario, maximis sumptibus exædificauit, & puellis Cistercienſis sectæ attribuit: addixit autem Heduuigis, indulgente viro, illi Monasterio oppidum ipsum Trebniciam, & complures pagos suos dotales, ita vt in mille hominum alimenta reditus eius sufficturi esse viderentur.* Hæc ille. De nomine Henrici Barbati infrà dicemus.

d libro 7.

9. Eiusdem Monasterij fundationem, simul & tempus, pluribus tradit Historia illa Polonica, collecta ex Bibliotheca Ioannis Pistorij Nidani, quæ circunfertur, Basileæ excusa, his planè verbis [e]: *Anno*, inquit, *Domini M.CC.III. Henricus Dux frequentissimus precibus deuotissimæ fœminæ Heduuigis consortis suæ inductus fundauit Trebnicium Monasterium Sanctimonialium, Ordinis Cistercienſis, titulo Sancti Bartholomæi Apostoli, quod in quindecim annis perfectum octoginta millia marcharum Polonicarum peruenisse calculatum est. Pro dote Monasterij idem Dux Henricus donauit oppidum Trebnicense, & villas Lipniczam, Breiczowic, Cothowicze, Comestam Truyzmaydorff, Hartlipdorff, Strankawna, Tauuorek, Sadelno, & Rozothnicze, pluréſque alias villas, introitus, & census, qui pro mille personis sufficerent, donatione perpetua contulit, & donauit: Beata Heduuigi abdicante se iure dotalitij, quod in bonis Monasterio largitis habebat inscriptum.*

e libro 3. c. 30.

10. *Moniales ad incolendum illum locum ex Bambergensi Monasterio habitæ sunt: primáque Abbatissa fuit virgo Petrusa Almana: secunda Gertrudis, Henrici Ducis, & Beatæ Heduuigis filia. Nomen loco adaptatum ferunt ex responso Petrusæ Abbatissæ, & Sanctimonialium, quod Duci Henrico interroganti, an aliqua re ipsa, vel Monasterium amplius indigeret, respondérunt:* Trzebanic. *Inde nomen indidit loco* Trzebanyeza, *quod in Polonico sonat, nullius indigens.* Hactenus ibi. Quod attinet ad etymon dubia nonnihil fide: quippe ab antiquo id nomen loco inditum in oppidum, Cœnobiúmque transire faciliùs potuit. De Gertrudi Moniali eiusdem Domus, & Abbatissa, mox, & inferiùs: quin de Petrusa, quæ olim fuerat Magistra Sanctæ Heduuigis. De Monasterio verò Bambergensi, vnde adductæ Moniales, vix alia maior nobis notitia subest.

11. In Actis Sanctæ Heduuigis notatum lego, condemnatis ob aliqua flagitia piam Ducissam commutasse supplicium, quandiu durauit fabrica, in opus illud ad tempus subeundum [f]: *Fundatum est*, inquiunt, *hoc templum, & Monasterium ad honorem Omnipotentis Dei, & Gloriosissimæ Virginis Mariæ, atque Bartholomæi Apostoli, anno Domini millesimo ducentesimotertio: & dedicatum anno millesimo ducentesimo decimonono. Interim autem dum eius Monasterij structura fieret, nullum sinebat, cuiuscunque facinoris causa, sententia Principis, vel Curiæ eius, morti adiudicatum interfici; sed vita illi condonata ad eam structuram volebat eum suam conferre operam, donec ad præscriptum tempus pro facinore suo ex ratione satisfeciſſet, ita, prout quisque plùs, minúsve peccauerat, huic manciparus operi inseruiebat.* Hactenus de structura, & dote Cœnobij.

f apud Sur. cap. 6.

12. *Eodem constructo* (pergunt Acta alibi [g]) *multas illic collegit fœminas, & Virgines, quæ Domino seruirent in cordis, & corporis puritate, & castitate, ineffabilis gloriæ coronas recepturæ: inter quas suam quoque obtulit filiam Gertrudem, quæ illic postea Abbatissa creata est.* Porrò quàm breui Monasterium creuerit, ad centenarium pertingens Monialium numerum, atque vltrà progrediens, alibi narrant [h]: *A Bambergensi ciuitate, & Diœcesi, Monachas Cistercienſis institutí acciuit, eásque in hoc Monasterio degere voluit: in quo temporis successu Sanctimoniales centum inclusæ vixerunt in seruitio Christi, atque hodie illic viginti supra centum debere feruntur. Prima eius Abbatissa fuit Petrusa, quam Beata Heduuigis habuit magistram pueritiæ suæ, & à Babemberga cum aliis Monialibus accersiuit.* Hæc de initiis Monasterij Trebnicienſis, & Habitu Gertrudis, ad vltimum, & de Vita Matris vsque ad hoc tempus. Reliqua suis locis dicenda erunt.

g cap. 1.

h cap. 6.

1. Nulla Acta Capituli, & vnica fundatio in Chronologia. 2. Sancti Martini initia, 3. progressusque, 4. & donatio ab Imperatore facta Petro Christiano. 5. Reformatio ad Cistercium, 6. post Carracetum, 7. duo Sancti Monachi eiusdem Monasterij. 8. Villanouæ fundatio, 9. & progressus vsque ad Cistercium. 10. Bellus Mons, seu Lapedo, 11. & eius Abbates. 12. de Pena Maiori pauca, & obscura. 13. Demum de Sancto Michaële Cœnobio Virginum.

CAPVT VIII.

1. PRIMVS ille Reipublicæ status est, si nullæ actiones indigeant prohiberi, nullæ præcipi. An hunc habuerit Cistercium circa hoc tempus, in dubio est. Certum, non vllam legem inueniri, quæ lata sit hoc anno. Vnde facilè liceat coniectari, neque vlla vitia, queis foret occurrendum. Nec Chronologia negotium nobis facessit, vno tantùm Cœnobio numerato, quod ad hunc annum veniat referendum, Aqua longa in Diœcesi Papiensi, quod dicitur Ripa alta propagasse. Cætera ignota; nisi quod inuenitur in libris Cameræ, nulla taxa præfixa, saltem in exemplari, quod ego habeo. Cæterùm, quæ hoc anno sub Carraceto accepêre Cistercium, in eo nobis veniunt enodanda.

2. Occupat primum locum Sanctus Martinus, dictus de Castañeda, aliàs de Lacu in Diœcesi Asturicensi, qua parte Lusitani, Gallecíque Castellæ veteris finibus iunguntur: antiqua plane Domus, si quæ alia, quod Barbara inscriptio etiam supra consuetum illius ævi, incisa lapidi, ad portam Monasterij, hodiéque probat.

Hic locus antiquitùs Martinus Sanctus est honore dicatus:
Breui opere instructus, diu mansit diruius,
Donec Ioannes Abba à Corduba venit, & hic templum litauit:
Ædis ruinam à fundamine erexit, & aptè saxo exarauit.
Non Imperialibus iussis, sed fratrum vigilantia instanti,
Annis duo, & tribus mensibus, peracta sunt hac operibus.
Ordonius peragens sceptra. Æra nouies centena nona.

Verum est tamen, quòd hic vltimus versus in libro perantiquo aliter habet, & non nouies centenam nonam Æram signat, id est, annum D.CCC.LXXI. sed nonies centenam, & decies nonam, id est, annum D. CCCC.LII. vnum & octuaginta posteriorem. Sed hoc conuincitur ex Ramiri priuilegio, quod statim dabo. Ergo, quæ olim Domus longè antiquior, in solitudinem, ruinásque redacta per Ioannem Abbatem, qui de Corduba venisset, ante annum Christi nongentesimum dicitur instaurata, nullis subsidiis Principum; sed sola industria, & labore Monachorum.

3. Cæterùm, quanuis in principio nullos Reges beneficos, at in progressu plures experta fuit. Ramirus namque multa illi concessit sub Æra D. CCCC. LXXVIII. hoc est, sub annum D. CCCC. XL. quæ posteà auxerunt Beramundus, & Ordonius. Verùm, cùm tempore collapsa disciplina, & monasticus rigor tepuisset, quem constabat vigere Carraceti, Imperatore Alfonso procurante, Monachi inde acciti circa annum Christi M.C.L. Petrus dictus Christianus, aliíque, qui obseruantiæ vigorem instaurarent. Tunc primùm Domus subiecta Carraceto, & quæ laxè viuentes deseruissent priuilegia, obseruantibus firmata, instrumento confecto, eodem anno, in quo hæc inter alia scripta extant [a]: *Ego Alfonsus, totius Hiſpaniæ Imperator, vnà cum filiis, & filiabus meis, & omni successione mea, vobis Domino Petro Christiano, & omnibus, qui vobiscum voluerint habitare, & successoribus vestris facio chartam donationis, & textum firmitatis de illo Monasterio Sancti Martini de Castaneira, cum suo cauto, & cum omnibus suis terminis, & pertinentiis, qui sunt in ipso cauto, & iacet illud Monasterium in Sanabria, inter illum Montem de Suſpiaco, & illum lacum.* Loquitur autem de lacu Domui proximo, ingentis magnitudinis, à quo, & Cœnobium Sancti Martini de Lacu, vulgò dicitur. a ex Tabular. S. Martini.

Pergit deinde Alfonsus in priuilegio post loci terminos latè commemoratos: *Dono, atque concedo vobis supradicto Domino Petro Christiano Monacho, & illis, qui vobiscum sub Regula Sancti Benedicti in ipso Monasterio viuere voluerint, illud Monasterium suprà nominatum, vt habeatis eum in illa dignitate, atque libertate, in qua notum est hominibus fuisse à diebus Ramiri Regis, Beremundi Regis, & Regis Ordonij, vsque ad præsens, & seruiatis ibi Domino vsque in sempiternum. Facta charta in Toleto anno tertio, in quo fuit capta Baëcia, & Almeria, Æra millesima centesima octogesimaoctaua, & tertiodecimo Kalendarum Maij.* Hic ille Petrus Christianus non multò pòst Astoricensis Præsul, de quo in Vita Bernardi, cùm sancti pileo transmisso sibi ex Gallia, fugatus dolor, atque ipse restitutus saluti pristinæ. Hunc Sanctum Virum Cistercium præcessisse, & notauimus suprà, & ex computo annorum palam constat. Porrò, ipsi in Episcopum promoto successit Martinus, pariter illuc missus ex Carraceto: nec satis constat, an alij subsequuti sub nigro Habitu, antequàm Monasterium cum Carraceto in iura, & leges Cistercij pertransiret. 4.

Illud compertum, reformata ad Cistercij normam matre, filiam non statim subdidisse collum Cisterciį iugo: quinimò id detrectasse per multos annos, nempe, vsque ad M.CC.XLV. quo tandem sub Bibiano Abbate victi, seu sponte cedentes, & se Carracetensium prolem iam non degenerem, & Cisterciį obseruantiam ad instar matris, ex Innocentij Papæ mandato professi sunt, instrumento confecto, in quo à temporibus Alfonsi Imperatoris, nam cætera omittuntur, tota series Historiæ continetur, quod ita habet [b]: 5. b ex Archiuiis Carraceti.

Vniuersis fidelibus præsentes litteras inspecturis Frater Bibianus Abbas, & totus Conuentus Sancti Martini de Castaneira, tam Monachi, quàm Conuersi, Salutem, & fidem adhibere verbis scriptis.

Quoniam inhumanum est, & iniquum, Genitorem negare corporalem, iniquius verò Patrem nolle recognoscere spiritualem: nos, qui fideli relatione predecessorum nostrorum, & per documentum chartarum nostrarum certi sumus, quod Monachi de Carraceto, videlicet, Dominus Petrus, cognomine Christianus, & Dominus Martinus, nostri Monasterij primi

Abbates,

Abbates, concedente pia recordationis illustri Imperatore Alfonso, populauerunt Monasterium nostrum, & plantauerunt ibidem Ordinem, qui tunc temporis seruabatur in Monasterio Carraceti, recognoscimus, & habere volumus de cætero pro Patre, & Pastore Abbatem, qui pro tempore fuerit in dicto Monasterio Carraceti.

6. *Ad frugem etiam melioris vitæ, diuina gratia inspirante, nos conuertere cupientes, prout decreuit, & mandauit pia memoria Innocentius Papa III. sicut ex litteris ipsius cognouimus euidenter, mutationem, quam fecit sæpedictum Monasterium Carraceti suscipiendo Cisterciensis Ordinis instituta, sequi, & exequi modis omnibus eligentes, damus nos, & Monasterium nostrum Monasterio Carraceti, & Ordini Cisterciensi, tali modo, quòd Monasterium Carraceti habeat in Monasterio nostro, in nos, & in posteros nostros, eandem iurisdictionem instituendi, & destituendi Abbatem, visitandi, corrigendi, & reformandi, quam habet Cistercium in Abbatiis sibi immediatè subiectis. In cuius rei testimonium, sigilla nostra, Abbatis, videlicet, & Conuentus apposuimus huic chartæ. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimoquinto.* Hactenus instrumentum Sant-Martinensium. Ex quo obiter perpendere libet verba illa: *Populauerunt Monasterium nostrum, & plantauerunt in eo Ordinem, qui tunc temporis seruabatur in Monasterio Carraceti.* Vt planè constet, qui tunc obseruabatur, id est, circa annum M.C.L. diuersum esse ab eo, qui nunc vigebat; quémque post priorem illum admissum, à centum annis, nouissimè admittebant iuxta Innocentij III. constitutionem.

7. Præter Petrum Christianum, Virum Sanctum, quémque Henriquez Menologio suo adscribit, quanuis cum communi errore Cistercio dedat, in eodem Monasterio Sancti Martini floruisse feruntur duo alij viri, Ægidius, altérque, cuius nomen interiit, insignis sanctitatis, primùm Monachi, mox iam adulti in Vita cœnobitica, in eremo degentes, vbi ambo vsque ad mortem perseuerarunt: & socij quidem memoria parua extat: Ægidij celebris, erecto in honorem eius Sacello, ad oppidum Casaium, & multis illuc infirmis concurrentibus, præcipuè autem surdis sanitatem optatam recepturis. Extant, seruantúrque authenticè probata plura miracula, quæ Deus per hunc Sanctum operatur nostris adhuc temporibus. Henriquez Menologio suo adscribit Ægidium prima die Septembris; sed dum facit Abbatem primum Domus, à vera traditione; &, quod magis est, etiam ab instrumentis, longè abertat.

8. Sequitur Villanoua, dicta de Oscos, in Asturibus, sita in Diœcesi Ouetensi, qua parte illi Gallecis coniunguntur. Initia debet Alfonso Imperatori, vltrò offerenti locum Cœnobio aptum, non huic, aut illi, qui anteà petiuisset; sed cuicunque volenti ibidem degere, sub Sancti Patris Regula; quæ erat pietas eximij illius Principis. Obtulit autem circa annum Christi M.C.XXXVII. oblatione firmata hoc instrumento.

Ego Alfonsus, Dei gratia, totius Hispaniæ Imperator, vnà cum vxore mea Imperatrice, Domna Berengaria, filiisque Sanctio, & Ferdinando Regibus, facio scriptum donationis in perpetuum valiturum. Do itaque, & concedo pro Dei amore, peccatorumque meorum remissione, atque parentum: offero Deo, & omnibus hominibus, qui sub Regula Beati Benedicti viuere, & Deo seruire voluerint, hæreditatem meam, scilicet, Villam Nouam, quæ vocatur de Oscos, cum suis terminis, pascuis, pratis, terris, &c. Facto donationis scripto in Valaolid sub Æra M.C.LXXV.

9. Habitabant non longè duo Eremitæ, Pelagius, & Alfonsus, quibus se alij quidam adiunxerunt; qui ædificio cœpto sequenti anno, vt habent Manuscripta eiusdem Domus, post annos quatuor, & viginti, plùs, minúsve, Christi, nimirum, M.C.LXII. perfectis omnibus adeuntes Carracetum, quod recenti Florentij sanctitate, ac Galterij prudentia, opinione florebat, vel inter paucos, Abbatem, Monachósque sibi impetrarunt, à quibus Monachatum edocerentur. Hic Monasterij status vsque ad hunc annum; quo Carraceto nostris accedente, recalcitasse creditur. Certè non statim suscepisse Cistercij iuta. Illud compertum post annos adhuc vnum, & viginti, agitatam litem inter Episcopum Ouetensem, & Abbatem Carraceti, super Cœnobij Villænouæ visitatione: quæ si statim Cistercium admisisset, aut nulla esset, aut saltem non duraſſet ad illum annum. Sedata tamen in fauorem Carraceti[c]: *Et memorati Episcopus, & Capitulum Ouetense* (ait instrumentum confectum eodem anno) *cognouerunt, & etiam concesserunt, quòd prælibatum Monasterium de Villanoua de Oscos, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, prædicto Monasterio Carraceti, de cætero subiaceat, pleno iure; & Abbati Carraceti, tanquàm suo maiori in omnibus obediat.* Habet Cœnobium donatione Ferdinandi Regis Legionis, Imperatoris filij, multos vasallos nobiles (*hijos dalgo*, Hispania nostra appellat) vt reuerà in aliis tenuis Domus, in hoc pingues excedat, quod non parum ei addit splendoris.

[c] *Ex tabulario Domus.*

10. Tertium in Ordine Monasterium de Lapedo, dictum à rupibus, quæ ea voce ab Asturibus vocantur: quippe inter altas rupes, & penè inaccessas sita Domus; sed peramœnas, & multo arbore consitas: vnde non multò pòst in Bellum-Montem nomen commutauit. Fundatores habuit Petrum Analsum, siue Alfonsum, Asturum quendam Consulem (ignota hodie dignitas) & Matiam Froilaceam ipsius coniugem. De hoc Petro in Historia Imperatoris habentur carmina, quæ Sandoualius vulgauit in suis Regibus:

Dux fuit illustris istis Petrus Aldefonsi:
Nondum Consul erat; meritis tamen omnibus est par.
Et nulli mæstus, in cunctis extat honestus.
Fulget honestate; superátque pares probitate.
Pulcher vt Absalon, virtute potens vt Samson.
Instructúsque bonis, documenta tenet Salomonis.
In reditu factus Consul, sic Consulis actus
Obtinuit meritis, magno ditatus honore.
Inter consortes veneratur ab Imperatore:
Regalique pia fulget vxore Maria.
Nata fuit Comitis, meritò fiet Comitissa.

Hi fundatores, Monachi adducti etiam ex Carraceto, præsidente Galtero, quem diximus successisse Sancto Florentio. Annus fundationis post captam Villam-Nouam, nempe, M.C.LII. sed antequàm accepisset Carracetenses.

11. Primus Abbas ex Carraceto missus, dictus Alfonsus, cui facta à Fundatore donatio loci; quam etiam Imperator confirmauit. Secundus Garsias, cuius tempore Ecclesiam dedicatam, circa annum Christi M.C.LXXXVII. perhibent versus lapideo inciſi muro, qui penè pertigerunt ad nostrum ævum.

Hoc in honorem Dei templum, Sanctæq; Mariæ
Virginis, & Matris, Abbas Garsia peregit;
Abbas insignis, prudens, discretus, honestus
Extitit, in cunctis larga probitate modestus.
Dedicat Ecclesiam Rodericus Pastor Ouetì:
Ad cuius veniunt populi solemnia læti.
Abbates, Clerus, sæculares, sexus vterque

Conueniunt sacri celebrantes gaudia templi,
Æra ducentena post mille XXV.

Garsiæ successit Petrus, quem hoc anno tenuisse clauum constat: an autem statim cum Matre Carraceto admiserit Cistercium, an distulerit, non potui hactenus alicubi inuenire. Chronologia ad annum M. CC. VI. eandem Domum notat, vbi de ea obiter agemus.

12. Vltima Carraceti filia Pena maior, siue, vt ego sentio, Rupis-Maior: à rupe enim, quæ Hispanis *Pena* dicitur, non à pœna vocatam, situs demonstrat. Traduntq; vicinam Monasterio rupem altiorem cæteris, quæ visuntur in toto Regno. De tempore fundationis eius non constat, & credo, post hunc annum incepisse; quippe in eo non vt Abbatia, sed inter Grangias Carraceti connumeratur, quas diximus confirmatas ab Innocentio. At post aliquot annos orto dissidio inter Abbates Carraceti, & Villæ-Nouæ, lego causam delegatam à Capitulo Abbatibus Montis Feti, & Penæ Maioris, vt iam tunc constet mutatam in Abbatiam, quam Carracetum genuerit sub Cistercio, nec solùm spirituali, sed etiam temporali generatione: quippe non solùm Monachis transmissis, qui plantarent Cistercium; sed loco etiam donato, quem habitarent. Hodie Domus exigua, tenuisque Abbatia suppressa, tres habet Monachos, qui temporalia curent, communibus Congregationis sumptibus (nam ad id applicata) profutura. Hactenus de filiabus Carraceti: nam Montem Ferum superiùs latè tradidimus.

His Cœnobiis virorum addendum censeo aliud Sanctimonialium, quod etiam creditur admisisse Cistercium sub Carraceto. Dicatum illud Archangelo Michaëli Sanctia, Hispaniarum Infans, insignis fœmina, (Alphonsi Imperatoris soror, ad quam Bernardum Parentem scripsisse pro Fratribus de Toldanos, & de Spina, & extant litteræ adhuc, memorauimus;) dicatum ergo Archangelo Michaëli Infans Sanctia condiderat, atque amplis redditibus dotatum Florentio Abbati regendum commendauerat, leniendo forsan dolori, quem concepisset ex defectione Monasterij de Toldanos, quod tunc primò ad Cistercium reformatum, mox à nostris dimissum; sed ne sic quidem Carraceto restituendum commemorauimus. Ergo à Monialibus nigris inhabitatum sub Carraceti Abbate, à tempore Florentij, hoc anno creditur; simul cum Carraceto, sub Abbate Amico in iura, & leges Cistercij transiisse. Iacet Cœnobium ad ripas fluuij Borza, altero à Pontis Ferrati oppido lapide, à Carraceto tertio, in Diœcesi Asturiensi. Qualiter autem à fœminis ad viros translatum fuerit, & inde temporum successu ad Moniales denuò restitutum; rursus autem de Monasterio Sancti Guillelmi illi vnito, atque aliis, quibus subiacuit mutationibus, propter quas fuit à Carracetensibus exemptum, & Congregationi Hispaniæ ad præsens tempus subiectum reperitur, subéstque eius generali Reformatori; dicenda nobis reseruamus suis temporibus. 13.

ANNVS CHRISTI M. CC. IV. CISTERCII C. VII.

1. *Ampla materia Historia præsentis anni.* 2. *Albigensium errores repullulantes,* 3. *de quibus plures Authores subobscurè:* 4. *sed clarissimè Petrus Vallsarniensis ad Innocentium.* 5. *Duplicem Creatorem bonum, & malum,* 6. *blasphema in Christum,* 7. *de Sacramentis sacrilega, de animabus inepta,* 8. *de salute ridicula,* 9. *de peccatis pudenda, disceptabant.* 10. *Quid de animarum transmigratione ex Cæsario.* 11. *De Vualdensibus, ex eodem Petro dictum.* 12. *Demum de ritibus, quibus ad suam perfidiam admittebantur.*

CAPVT I.

1. ANNVS nobis ab Orbe reparato ducentesimusquartus supra millesimum, à condito Cistercio centesimusseptimus, Historiæ insignem materiam subministrat: repullulantes Albigensium hæreses, serpentes errores, quos contra nostri ab initio destinati: atque institutum sanctæ Inquisitionis sanctum Tribunal, morbo ingruenti medicinam efficacissimam: sublata Episcopis in foro saltem externo, an extensa ad alios potestate, qua in eis Prouinciis abuterentur; ac delegata Abbati Cistercienſi, ac Petro de Castronouo, Radulfóque, Monachis Fontis frigidi, qui primi fuêre Ministri tanti negotij. Rem adhuc inuenis in nostra Laurea euangelica, vtcunque præliabamur, quibusdam tantùm productis testimoniis, paucis è pluribus, sed quæ potuerunt diuidere Authores, & concitare litem (vtinam in præsenti dirimendam!) quibusdam in eisdem eludendis collaborantibus [b], quibusdam nostram sententiam adstruentibus [c], & pro illa constanter pugnaturis. Nec tanti fuit, quòd ibidem, non vt Historici, sed vt Concionatores supposuimus magis, quàm probauimus. Nunc ex professo productis instrumentis, ea luce perfundere conabimur, vt de re nulli liceat dubitare, (aut fallimur omninò,) nisi proteruo: de nomine, vnicuique liberum sit aliter hos, aut illos appellare: nam neque inuidia, æmulationéve in sacram Dominicanam Familiam moueri possumus, quam summè veneramur, & de qua multa in sequentibus dicemus: sed studio veritatis indagandæ; & vt sua laus cuique æternùm constet: Cistercienſibus, incepti tanti operis continuati, & promoti, Prædicatoribus:

Nec minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

Nunc ingruens malum, & longè, ac latè serpens altiùs repetito principio proferamus.

vig. Aubert. Miræ, Anthon. Brandaonio, Hugo Menard. & alij, de quibus infrà.

2. Albigensium Hæreticorum Historiam tetigêre complures. Vix vllus est Scriptorum illius temporis, qui non eos commemoret, sed commemoret tantùm: & magis fuisse, atque Hæreticos tradat, quàm qui, aut quales. Vt non immeritò Nauclerus [d], Gaguinúsque [e] eisdem ferè verbis, de eis scribant: *Quorum tamen dogmata, nemo ad hanc diem nouus Scriptor expressit: & cùm Hæreticos eos omnes vocem, atque ob eam causam exterminatos fuisse, Authores tradant: genus tamen hæreseos prætermittunt.* Hactenus illi. Hugo, Roberti Antisiodorensis Continuator, in appendice hæc de eisdem [f]: *Per idem tempus Bulgarorum hæresis execranda, errorum omnium fax extrema, multis serpebat*

b *Alfons Plac. Magist. Franc. Aranzo. Ludouic. de Sosa, & alii.*
c *Chrys. Hen-*
d *Generatione 11. ad an. 1412.*
e *lib 6. sub fin.*
f *ad ann. 1207.*

serpebat in locis, tantò nocentiùs, quantò latentiùs: sed inualuerat maximè in terra Comitis Tolosani, & Principum vicinorum; vbi dum suum publicè profitentur errorem, Primatum, & iudicium Romanæ Ecclesiæ spernunt, & communionem Christianorum sub ea positorum declinant, dicentes, nullum sub ea, vel in ipsius fide posse saluari: omnésque fidei articulos, aut denegant, aut peruertunt; omnem omninò Religionem, & cultum, & gradum, pietatémque Ecclesiæ Catholicæ blasphemantes; damnantes omne genus hominum præter se solos, fugiúntque conuenticula Catholicam Ecclesiam iactantes. Hæc Author ille.

3. Neque multò distinctiùs Matthæus Paris, impudentia in Ecclesiam, sicut Hugo, atque singulorum errorum sentina, magis expressa 8: *Circa dies istos, Hæreticorum prauitas, qui Albigenses appellantur, in Vuasconia, Arumpnia, & Albigesio, in partibus Tolosanis, & Aragonum Regno adeo inualuit, vt iam non in occulto, sicut alibi, nequitiam suam exercerent; sed errorem suum publicè proponentes, ad consensum suum simplices attraherent, & infirmos. Dicuntur autem Albigenses ab Alba ciuitate, vbi error ille dicitur sumpsisse exordium. Tandem illorum peruersitas adeò diuinam contempsit sanctitatem, vt videntibus Episcopis, & Presbyteris, libros Euangeliorum in sentinas proiicerent, & calices cum vasis sacris in dedecus Corporis & Sanguinis Christi, enormiter deturpatos haberent.* His consimilia tradidêre cæteri, quæ congerere, cùm parum, aut nihil addant, molestum nobis, Lectori infructuosum omninò esset.

ad an. 1213. sub Ioanne Rege.

4. Cæterùm in hac rerum confusione prouidit Deus Petrum Vallium Sarnay prope Parisios, haud contemnendæ eruditionis Monachum, qui cunctis interfuit, dum auunculi simul, & Abbatis sui Guidonis adhæret vestigiis, cùm has Prouincias, prædicaturus fidem cum aliis ex Cistercio, perlustrabat. Porrò ea omnia, siue, vt euenerant, siue, vt detegebantur, stylo excepit, quæ postmodum Innocentio Papæ misit, vt non minùs ex scribentis veracitate, notitiáque, quàm ex eius, ad quem scribebat, authoritate, constaret fides, à qua non vllus prudenter resiliret. Addit nihilominùs se nihil scripsisse, nisi quod viderit, aut certò comprobauerit: hæc inter alia dictans ad Innocentium [b]: *Firmum igitur habeat, Pater bone, vestra dignatio Sanctitatis, quod etsi ad omnia, quæ in hoc fasciculo congerimus scribenda, per ordinem non potuerimus pertingere, vera sunt illa, quæ scripsi; cùm nihil vnquam apposuerim, nisi quod viderim oculis meis, vel audierim à magnæ authoritatis personis, & plenissimæ fidei dignis.* Ergo quod attinet ad errores hominum, ex Petro Vallsarnensi, Cæsarióque, (qui viuebat hoc tempore, & iam Priorem agebat in Villario,) Historiam ex eisdem, aliísque eiusdem authoritatis; sed multò magis ex ipsis instrumentis ex Vaticano exceptis, eruemus.

b in epist. ad Innoc.

5. Antiquiores Albigensium errores, quos hactenus docuimus (nam ea terra ab antiquo subiecta hæresi) in superioribus à nobis latè traditi, cùm Bernardum patentem, cùm Henricum, cùm plures alios eisdem confutandis, ex Cistercio transmissos diximus. Quos auxisse leguntur circa hæc tempora, nempe, abyssus abyssum inuocante, Petrus Vallium Sarnay his verbis tradit [1]: *Primò sciendum, quòd Hæretici* (scilicet, Albigenses) *duos constituebant Creatores; inuisibilium, scilicet, quem vocabant benignum Deum; & visibilium, quem malignum Deum nuncupabant. Nouum Testamentum benigno Deo, vetus verò maligno attribuebant: & illud omninò repudiabant, præter quasdam authoritates, quæ de veteri Testamento, nouo sunt inserte, quas ob nouæ reuerentiam Testamenti, recipere dignum æstimabant. Auctorem veteris Testamenti mendacem asserebant: quia Protoplastis dixit: Quacunque die comederitis de ligno scientiæ boni, & mali, morte morieminl. Vos sicut dicebat, post comestionem mortui sunt; cùm tamen reuerà post gustum pomi vetiti, mortis miseria fuerint subiecti. Homicidam quoque ipsum nominabant; eum, quia Sodomitas, & Gomorrhæos incinerauit, & aquis diluuij Mundum deleuit; eum quia Pharaonem, & Ægyptios mari obruit.*

1 Histor. Albig. cap. 2.

6. *Omnes veteris Testamenti Patres, damnatos affirmabant: Ioannem Baptistam vnum esse de maioribus Dæmonibus asserebant. Dicebant etiam in secreto suo, quòd Christus ille, qui natus est in Bethlehem terrestri, & visibili, & in Ierusalem crucifixus, malus fuit; & quòd Maria Magdalena fuit eius concubina, & ipsa fuit mulier in adulterio deprehensa, de qua legitur in Euangelio. Bonus enim Christus (sicut dicebant) nunquam comedit, vel bibit, nec veram carnem assumpsit, nec vnquam fuit in hoc mundo, nisi spiritualiter in corpore Pauli. Ideò autem diximus in Bethlehem terrestri, & inuisibili: quia Hæretici fingebant esse aliam terram nouam, & inuisibilem, & in illa terra secundum quosdam, bonus Christus suis natus, & crucifixus. Item dicebant Hæretici, bonum Deum duas habuisse vxores, Colam, & Colibam, & ex ipsis filios, & filias procreasse. Erant alij Hæretici, qui dicebant, quòd vnus est Creator; sed habuit filios, Christum, & Diabolum. Dicebant & isti omnes creaturas bonas fuisse; sed per filios, de quibus legitur in Apocalypsi, omnia fuisse corrupta.*

7. *Hi omnes membra Antichristi, primogeniti Satanæ, semen nequam, filij scelerati, in hypocrisi loquentes, mendacio corda simplicium seducentes, Prouinciam Nabornensem venena sua perfidiæ infecerant. Ferè totam Romanam Ecclesiam spelunca latronum esse dicebant; & quia ipsa erat meretrix illa, de qua legitur in Apocalypsi. Sacramenta Ecclesiæ vsque adeò annullabant, vt sacri Baptismatis vndam, ab aqua fluuiali non distare: Sacrosancti Corporis Christi Hostiam, à pane laico non differre, publicè dogmatizarent: simplicium auribus hanc instillantes blasphemiam, quod Christi Corpus, etsi magnitudinem Alpium in se contineret, iamdudum consumptum à comedentibus, & annihilatum fuisset. Confirmationem, Confessionem friuolas esse, & inanes omninò reputabant. Sacrum Matrimonium, meretricium esse, nec aliquem in ipso saluari posse prædicabant, filios, & filias generando. Resurrectionem quoque carnis diffitentes, quasdam adinuentiones confingebant inauditas: dicentes, animas nostras esse Spiritus, illas angelicos, qui per superbiæ apostasiam præcipitati de Cœlo, corpora sua glorificata in aëre reliquerunt; & ipsas animas post successiuam qualiumcunque corporum sepem, & terrenorum inhabitationem, quasi tunc demum pœnitentia peracta, ad illa relicta corpora reuenire.*

8. *Sciendum autem, quod quidam inter Hæreticos dicebantur perfecti, siue boni homines, alij credentes Hæreticorum. Qui dicebantur perfecti, nigrum Habitum præferebant: castitatem se tenere mentiebantur: esum carnium, ouorum, casei, omninò detestabantur: non mentientes videri volebant, cùm ipsi maximè de Deo, quasi continuè mentirentur. Dicebant etiam, quòd nulla vnquam ratione debeam iurare. Credentes autem Hæreticorum dicebantur illi, qui sæculariter viuentes, licèt ad vitam perfectorum imitandam non pertingerent, in fide tamen illorum se saluari sperabant: diuisi siquidem erant in viuendi modo; sed in fide, & infidelitate vnii erant. Qui dicebantur credentes*

dentes Hæreticorum, dediti erant vsuris, rapinis, homicidiis, & carnis illecebris, periuriis, & peruersitatibus vniuersis. Isti siquidem ideò securiùs, & effrenatius peccabant; quia credebant sine restitutione ablatorum, sine Confessione, & pœnitentia se esse saluandos, dummodò in supremo mortis articulo Patrem nostrum *dicere, & manuum impositionem recipere à Magistris suis potuissent. De perfectis verò Hæreticis, Magistratus habebant, quos vocabant Diaconos, & Episcopos, sine quorum manuum impositione, nullus inter credentes moriturus, se saluari posse credebat. Verùm, si morienti cuilibet, quantumcunque flagitioso, manus imposuissent, dummodò* Patrem nostrum *dicere posset, ita saluatum, & secundùm eorum vulgare consolatum æstimabant, vt absque omni satisfactione, absque omni alio remedio statim euolaret ad Cœlum. Vnde ridiculum, quod super hoc audiuimus, duximus inserendum.*

9. *Quidam credens Hæreticorum, in supremo mortis articulo per manuum impositionem à Magistro suo consolationem tum accepit; sed* Patrem nostrum *dicere non potuit, & sic expiranit. Consolator eius, quid de ipso diceret, nesciebat: saluatus videbatur per receptam manuum impositionem: damnatus, quia non dixerat Dominicam orationem. Quid plura? Consuluerunt Hæretici quendam militem, nomine Bertrandum de Saxiaco, qui erat Hæreticus, quid de illo iudicare deberent: miles autem tale dedit consilium, & responsum: De isto sustinebimus, & dicemus, quòd saluus sit; omnes alios, nisi* Patrem nostrum *dixerint in fine, damnatos iudicamus.* Et paucis interiectis [k]; *Non credimus autem silendum, quòd & quidam Hæretici dicebant, quòd nullus poterat peccare ab vmbilico, & inferiùs. Imagines, quæ sunt in Ecclesiis dicebant idololatriam; campanas earum, turbas Dæmonum affirmabant. Item dicebant, quòd non peccabat quis grauiùs dormiendo cum matre, vel sorore sua, quam cum qualibet alia. Illud & inter supremas fatuitates dicebant, quòd si quis de perfectis peccaret mortaliter, comedendo, videlicet, modicissimum carnium, vel casei, seu oui, vel alicuius rei sibi inhibitæ, omnes consolati ab illo, amittebant Spiritum Sanctum, & oportebat eum iterum reconsolari: & etiam saluati, pro peccato consolatoris cadebant de Cœlo.*

[k] ibidem.

10. Hactenus hæreses Albigensium Hæreticorum ex Petro Vallsarnensi, in quibus certant blasphemiæ cum fatuitatibus, vt mirum sit, potuisse homines decipi, nisi illecebris carnis, & vana spe salutis absque interuentu pœnitentiæ, excæcarentur. Addit Cæsarius de transmigratione animarum ad varia corpora [l], quam idem Petrus haud ita clarè expressit: *Quidam Monachus, cernens quendam militem in equo sedentem, loqui cum aratore suo, Hæreticum illum æstimans, sicut fuit, propiùs accedens, ait: Dicite mihi, probe vir, cuius est ager iste? Respondente illo, Meus est, subiecit: Et quid de fructu illius facitis? Ego, inquit, & familia mea de eo viuimus: aliquid etiam erogo pauperibus. Dicente Monacho: Quid boni speratis de eleemosyna illa? respondit mi-*

[l] lib. 5. c. 21.

les hoc verbum: Vt spiritus meus gloriosè pergat post mortem. Tunc Monachus: Quò perget? Ait miles: Secundùm meritum suum, si benè vixit, & hoc apud Deum meruit, exiens de corpore meo, intrabit corpus alicuius futuri Principis, siue Regis, siue alterius cuiuslibet illustris personæ, in quo delicietur. Si autem malè, corpus intrabit miseri, pauperisque, in quo tribuletur. Credidit stultus, sicut & cæteri Albigenses, quòd anima secundùm meritum per diuersa transeat corpora, etiam animalium, atque serpentium. Hæc deliria docebant dogmatizantes: &, quod mireris, adeò prævaluerunt, vt integras Prouincias post se traherent. *In tantum*, ait Cæsarius eodem loco [m], *Albigensium error inualuit, vt breui interuallo temporis, infecerit vsque ad mille ciuitates: &, si non fuisset gladiis fidelium repressus, puto, quòd totam Europam corrupisset.*

[m] ibid.

11. Nunc aliam Sectariorum differentiam, etsi minùs nociuam, impiam tamen, atque execrandos ritus, & cæremonias proferamus in medium, quibus discipulos de nouo ad se venientes hæreticæ perfidiæ mancipabant. Et quidem de sectariis aliis, [n] *Historia Albigens. c. 2.* Vvaldensibus dictis, hæc habet Petrus [n]: *Erant præterea alij Hæretici, qui Vvaldenses dicebantur, à quodam Vvaldio nomine, Lugdunensi. Hi quidem mali erant; sed comparatione aliorum Hæreticorum, longè minùs peruersi: in multis enim nobiscum conueniebant, in aliquibus dissentiebant. Vt autem plurima de infidelitatibus eorum amittamus, in quatuor præcipuè consistebat error eorum: in portandis, scilicet, sandaliis more Apostolorum; & in eo, quòd dicebant, nulla ratione iurandum, vel occidendum: in hoc insuper, quòd asserebant, quemlibet eorum in necessitate, dummodo haberet sandalia, absque Ordinibus ab Episcopo acceptis, posse conficere Corpus Christi.* Hæc de secunda specie Sectariorum.

12. Verùm de ritibus, cæremoniisque, quibus discipuli; dubium, an vtrorunque, quanuis priorum certum, initiabantur; hæc idem Author sub finem eiusdem capitis [o]: *Quando aliquis se reddit Hæreticis, ille dicit, qui recipit illum: Amice, si vis esse de nostris, oportet, vt renuncies toti fidei, quam tenet Ecclesia Romana? Respondet: Abrenuncio. Ergò accipe Spiritum Sanctum à bonis hominibus, & tunc aspirat ei septies in ore. Item dicit illi: Abrenuncias Cruci illi, quam tibi fecit Sacerdos in Baptismo, in pectore, & in scapulis, & in capite, de oleo, & chrismate? Respondet: Abrenuncio. Credis, quòd aqua illa operetur tibi salutem. Respondit: Non credo. Abrenuncias verò illi, quod tibi baptizato Sacerdos posuit in capite? Respondit: Abrenuncio. Ita accipit ille Baptismum Hæreticorum, & abnegat Baptismum Ecclesiæ. Tunc ponunt omnes manus super caputeius, & osculantur eum, & induunt eum veste nigra, & ex illa hora est quasi vnus ex ipsis.* Hæc satis nobis de perfidis dogmatibus, ritibúsque; déque hæresum statu circa hæc tempora. Verùm, qui de his plura videre volet, atque multiplices eorum diuisiones, subdiuisionésque, consulat Spondanum hoc ipso anno num. 25. & sequentibus.

[o] ibidem.

1. Petrus de Castro Nouo, Radulphúsque ad Albigenses missi, 2. docentes primùm, 3. mox etiam minantes, publicam petulantiam gentis compescunt. 4. Forma iuramenti Tolosanorum. 5. Sed occultatis magis, quàm depositis eorundem erroribus, 6. Innocentius Cistercienſem Abbatem addit, 7. præmissa in litteris malorum relatione, 8. Episcoporum ascitantia, 9. & laude eximia Familiæ Cistercienſis. 10. Hæreticæ prauitati extirpandæ præficit viros, 11. cum omnimoda, & plena potestate: 12. eiusdem ad Francorum Regem epistola, 13 saculare auxilium eis implorans. 14. Quid de his Bzouius. 15. Et detectus illius error.

CAPVT II.

1. HVNC statum rerum habebant Prouinciæ miseræ, dogmatizantium perfidia, leuitate credentium; &, quod non minùs cunctis dolendum erat, Episcoporum ignaua remissione: cùm Innocentius in primos indignatus, secundis condolens, & tertios à torporis souno excitaturus, nuncios ad omnes statuit transmittendos, viros doctos, & sanctos, qui serpenti se malo opponerent, arcerent lupos, oues reuocarent, & à pastoribus oscitantiam fœdam excuterent. Erant in Monasterio Fontis frigidi, Ordinis Cistercienſis, Monachi duo; Petrus de Castro Nouo, Radulphúsque, vterque in lege Dei exercitatus, vterque zelo feruidus; Petrus, ex Archidiacono Magalonenſi (Ecclesia Cathedrali Canonicorum Regularium Sancti Augustini, quæ posteà ad sæculares, & ad Montem Pessulanum translata dicitur,) quod in epistolis Innocentij Papæ videre licet [a], cui idem Innocentius, vel nondum Monacho, quædam alia iniunxisset grauia negotia [b]; Radulphus, dubium vnde; qui ad hoc opus idonei omninò viri, prudentes, iusti, docti, & nulli prorsus labori parcituri, quo errantes reducerent; & quod magis ex vsu videbatur, Episcoporum somnolentiam, aut dissimulationem, reliquorum Ecclesiasticorum licentiam, (nam inde credebatur oriri malum, vt constabat ex litteris,) hanc, iudiciaria potestate compescerent; illam, clamoribus continuis excitarent. Igitur missi ab eo non multò antè, circuière Prouincias, arguentes, obsecrantes, increpantes in omni patientia, doctrináque; sed & in omni zelo, in quo, etsi simulatam, aliquam tamen extorserant à multis; nec dubium, quin ab aliis omninò vetam, prætextorum errorum tesipiscentiam. Rem promam primùm ex Petro Vallsarnensi; quam tamen statim Litteræ pontificiæ, licèt posteriores. nanque primæ non extant, confirmabunt.

[a] *lib. 1. in vulgatis.*
[b] *lib. 7. epist. 74. & 75. in Regestis.*

2. *In Prouincia*, ait [c], *Narbonensi, vbi quondam fides floruerat, cœpit inimicus fidei superseminare zizania: desipuit populus, Christi Sacramenta, qui est Dei sapor, & sapientia, profanans, factus insipiens, a vera desipiens theosenia, vagus, & vagans per errores in ima factus in imo, & non in via. Monachi duo Cistercienſes, zelo fidei succensi, Frater Petrus, videlicet, de Castro Nouo, & Frater Radulphus, authoritate Summi Pontificis, contra pestem infidelitatis, instituti Legati, negligentiam omnem relegantes, legatione sibi indicta officiosè fungentes, vrbem Tolosam ingressi sunt, & aggressi, a qua venenum principaliter emanabat, plebes inficiens: sicque deficere faciens à Christi cognitione, à veridico splendore, à Deifica charitate. Radix amaritudinis sursum germinans, profundius in cordibus hominum conualuerat, nec sine multa difficultate potuit explantari. Suasum est Tolosanis sæpe, & multum, vt hæresim abiurarent, & Hæreticos relegarent. Suasum fuit eis à Viris apostolicis, sed minimè persuasum. Adeò siquidem morti inhæserant, qui recesserant à vita; affecti, & infecti nequam sapientia, animali, terrenali, diabolica: expertes illius sapientiæ, quæ desursum est, suadibilis est, bonis consentiens.*

[c] *in Histor. Albig. c. 1.*

3. *Tandem illæ duæ oliuæ, illa duo candelabra lucentia ante Dominum, seruile seruilem incutientes timorem, minantes eis rerum depradationem, Regum, ac Principum dedignationem iuronantes, hæreseos abiurationem, Hæreticorum expulsionem eis persuaserunt. Sicque ipsi, non virtutis amore, sed secundùm Poëtam:* Oderunt peccare mali, formidine pœnæ. *quod manifestis indiciis demonstrarunt: nam statim periuri effecti, & miseria sua recidiuum patientes, in Conuenticulis suis, ipso noctis medio, predicantes Hæreticos occultabant.* Hactenus prima missio Petri, Radulphíque, quos quamvis maior Hæreticorum pars, desiderato fructu defraudassent: nihilominùs multos conuertisse, Innocentius ipse affirmat inferiùs dandus: quin coërcuisse petulantiam dogmatizantium, & publica eorum conuenticula detrusisse ad tenebras, nequaquam pro exiguo fructu censendum fuit.

4. Extat apud Guillelmum Katell forma iuramenti, à Tolosanis præstiti, ad vtriusque instantiam anno præterito: quod tamen, ne Historiam truncaremus, in hunc remisimus consultò transcribendum [c]: *Notum sit cunctis præsentibus, atque futuris, quòd Frater P. de Castro Nouo, & Magister Radulphus, Legati Domini Apostolici Innocentij, in præsentia Tolosanorum Consulum, ac multorum aliorum Virorum, & proberum hominum, antequàm Tolosani Consules, nec populus, nec alij probi homines Tolosæ communiter pro fide Catholica Romana facerent sacramentum, & priusquàm sacramentum ab ipsis Consulibus, causa Dei, & amore Religionis eis fuit factum, & similiter ab omnibus aliis hominibus Tolosæ concessum pro ipsis Consulibus, scilicet, quòd vnusquisque Romanam fidem Catholicam curaret: prædicti Legati sua sponte concesserunt, atque in perpetuum propter illud posse, quod Summus Pontifex eis dederat, confirmauerunt omnes illas libertates, vsatica, & omnes illos mores, qui in Tolosa erant, vel constituti habebantur vllo modo, antequàm illa eis facta fuissent sacramenta: & ne propter hæc sacramenta, libertates, vel consuetudines, siue vsatica Tolosæ in aliquo vllo tempore laderentur, vel minuerentur: & hoc idem pro se, & pro omnibus habitatoribus Tolosæ, pro præsentibus, & futuris Consules sacramentum facientes, prædictorum Legatorum assensu, & voluntate, integrè sibi reinuerunt; præterea prædicti Legati mandando Consulibus concesserunt, vt omnes, quicunque facerent sacramentum pro fide Catholica Romana, pro fidelibus Christianis habeantur, & si*

[c] *Guillelm. Katell in Histor. Comit. Tolosæ.*

dentes Hæreticorum, dediti erant vsuris, rapinis, homicidiis, & carnis illecebris, periuriis, & peruersitatibus omnibus. Isti siquidem ideò securiùs, & effrenatius peccabant; quia credebant sine restitutione ablatorum, sine Confessione, & pœnitentia se esse saluandos, dummodo in supremo mortis articulo Pater noster *dicere, & manuum impositionem recipere à Magistris suis potuissent. De perfectis verò Hæreticis, Magistratus habebant, quos vocabant Diaconos, & Episcopos, sine quorum manuum impositione, nullus inter credentes moriturus, se saluari posse credebat. Verùm, si morienti cuilibet, quantumcunque flagitioso, manus imposuissent, dummodò* Pater noster *dicere posset, ita saluatum, & secundùm eorum vulgare consolatum æstimabant, vt absque omni satisfactione, absque omni alio remedio statim euolaret ad Cœlum. Vnde ridiculum, quod super hoc audiuimus, duximus inserendum.*

9. *Quidam credens Hæreticorum, in supremo mortis articulo per manuum impositionem à Magistro suo consolationem tum accepit; sed* Pater noster *dicere non potuit, & sic expirauit. Consolator eius, quid de ipso diceret, nesciebat: saluatus videbatur per receptam manuum impositionem: damnatus, quia non dixerat Dominicam orationem. Quid plura? Consuluerunt Hæretici quendam militem, nomine Bertrandum de Saxiaco, qui erat Hæreticus, quid de illo iudicare deberent: miles autem tale dedit consilium, & responsum: De isto sustinebimus, & dicemus, quòd saluus sit; omnes alios, nisi* Pater noster *dixerint in fine, damnatos iudicamus.* Et paucis interiectis [k]: *Non credimus autem silendum, quòd & quidam Hæretici dicebant, quòd nullus poterat peccare ab vmbilico, & inferiùs. Imagines, quæ sunt in Ecclesiis dicebant idololatriam; campanas earum, turbas Dæmonum affirmabant. Item dicebant, quòd non peccabat quis grauiùs dormiendo cum matre, vel sorore sua, quàm cum qualibet alia. Illud & inter supremas fatuitates dicebant, quòd si quis de perfectis peccaret mortaliter, comedendo, videlicet, modicissimum carnium, vel casei, seu oui, vel alicuius rei sibi inhibitæ, omnes consolati ab illo, amittebant Spiritum Sanctum, & oportebat eum iterum reconsolari: & etiam saluati, pro peccato consolatoris cadebant de Cœlo.*

[k] *ibidem.*

10. Hactenus hæreses Albigensium Hæreticorum ex Petro Vallsarnensi, in quibus certant blasphemiæ cum fatuitatibus, vt mirum sit, potuisse homines decipi, nisi illecebris carnis, & vana spe salutis absque interuentu pœnitentiæ, excæcarentur. Addit Cæsarius de transmigratione animarum ad varia corpora [l], quam idem Petrus haud ita clarè expressit: *Quidam Monachus, cernens quendam militem in equo sedentem, loqui cum arratore suo, Hæreticum illum æstimans, sicut fuit, propiùs accedens, ait: Dicite mihi, probe vir, cuius est ager iste? Respondente illo, Meus est, subiecit: Et quid de fructu illius facitis? Ego, inquit, & familia mea de eo vinimus: aliquid etiam ergo pauperibus. Dicente Monacho: Quid boni speratis de eleemosyna illa? respondit mihi hoc verbum: Vt spiritus meus gloriosè pergat post mortem. Tunc Monachus: Quò perget? Ait miles: Secundùm meritum suum, si benè vixit, & hoc apud Deum meruit, exiens de corpore meo, intrabit corpus alicuius futuri Principis, siue Regis, siue alterius cuiuslibet illustris personæ, in quo delicietur. Si autem malè, corpus intrabit miseri, pauperisque, in quo tribuletur. Credidit stultus, sicut & cæteri Albigenses, quòd anima secundùm meritum per diuersa transeat corpora, etiam animalium, atque serpentium.* Hæc deliria docebant dogmatizantes: &, quod miris, adeò prævaluerunt, vt integras Prouincias post se traherent. *In tantum*, ait Cæsarius eodem loco [m], *Albigensium error inualuit, vt breui intervallo temporis, infecerit vsque ad mille ciuitates: & si non fuisset gladiis fidelium repressus, puto, quòd totam Europam corrupisset.*

[l] lib. 5. c. 21.

[m] *ibid.*

11. Nunc aliam Sectariorum differentiam, etsi minùs nociuam, impiam tamen, atque execrandos ritus, & cæremonias proferamus in medium, quibus discipulos de nouo ad se venientes hæreticæ perfidiæ mancipabant. Et quidem de sectariis aliis, a Vvaldensibus dictis, hæc habet Petrus [n]: *Erant præterea alij Hæretici, qui Vvaldenses dicebantur, à quodam Vvaldio nomine, Lugdunensi. Hi quidem mali erant; sed comparatione aliorum Hæreticorum, longè minùs peruersi: in multis enim nobiscum conueniebant, in aliquibus dissentiebant. Vt autem plurima de infidelitatibus eorum omittamus, in quatuor præcipuè consistebat error eorum: in pertundis, scilicet, sandaliis more Apostolorum: & in eo, quòd dicebant, nulla ratione iurandum, vel occidendum: in hoc insuper, quòd asserebant, quemlibet eorum in necessitate, dummodo haberet sandalia, absque Ordinibus ab Episcopo acceptis, posse conficere Corpus Christi.* Hæc de secunda specie Sectariorum.

[n] *Historia Albigens. c. 2.*

12. Verùm de ritibus, cæremoniisque, quibus discipuli; dubium, an vtrorumque, quamuis priorum certum, initiabantur; hæc idem Author sub finem eiusdem capitis [o]: *Quando aliquis se reddit Hæreticis, ille dicit, qui recipit illum: Amice, si vis esse de nostris, oportet, vt renuncies tali fidei, quam tenet Ecclesia Romana? Respondet: Abrenuncio. Ergò accipe Spiritum Sanctum à bonis hominibus, & tunc aspirat ei septies in ore. Item dicit illi: Abrenuncias Cruci illi, quam tibi fecit Sacerdos in Baptismo, in pectore, & in scapulis, & in capite, de oleo, & chrismate? Respondet: Abrenuncio. Credis, quòd aqua illa operetur tibi salutem. Respondit: Non credo. Abrenuncias verò illi, quod tibi baptizato Sacerdos posuit in capite? Respondit: Abrenuncio. Ita accipit ille Baptismum Hæreticorum, & abnegat Baptismum Ecclesiæ. Tunc ponunt omnes manus super caputeius, & osculantur eum, & induunt eum veste nigra, & ex illa hora est quasi vnus ex ipsis.* Hæc satis nobis de perfidis dogmatibus, ritibúsque; déque hæresum statu circa hæc tempora. Verùm, qui de his plura videre volet, atque multiplices eorum diuisiones, subdiuisionésque, consulat Spondanum hoc ipso anno num. 25. & sequentibus.

[o] *ibidem.*

1. Petrus de Castro Nouo, Radulphúsque ad Albigenses missi, 2. docentes primùm, 3. mox etiam minantes, publicam petulantiam gentis compescunt. 4. Forma iuramenti Tolosanorum. 5. Sed occultatis magis, quàm depositis eorundem erroribus, 6. Innocentius Cistercienſem Abbatem addit, 7. præmissa in litteris malorum relatione, 8. Episcoporum ascitantia, 9. & laude eximia Familiæ Cistercienſis. 10. Hæreticæ prauitati extirpandæ præficit viros, 11. cum omnimoda, & plena potestate: 12. eiusdem ad Francorum Regem epistola, 13 secularē auxilium eis implorans. 14. Quid de his Bzouius. 15. Et detectus illius error.

CAPVT II.

1. HVNC statum rerum habebant Prouinciæ miseræ, dogmatizantium perfidia, leuitate credentium; &, quod non minùs cunctis dolendum erat, Episcoporum ignaua remissione: cùm Innocentius in primos indignatus, secundis condolens, & tertios à torporis sopore excitaturus, nuncios ad omnes statuit transmittendos, viros doctos, & sanctos, qui serpenti se malo opponerent, arcerent lupos, oues reuocarent, & à pastoribus ascitantiam fœdam excuterent. Erant in Monasterio Fontis frigidi, Ordinis Cistercienſis, Monachi duo; Petrus de Castro Nouo, Radulphúsque, vterque in lege Dei exercitatus, vterque zelo feruidus; Petrus, ex Archidiacono Magalonensi (Ecclesia Cathedrali Canonicorum Regularium Sancti Augustini, quæ posteà ad sæculares, & ad Montem Pessulanum translata dicitur,) quod in epistolis Innocentij Papæ videre licet [a], cui idem Innocentius, vel nondum Monacho, quædam alia iniunxisset grauia negotia [b]; Radulphus, dubium vnde; qui ad hoc opus idonei omninò viri, prudentes, iusti, docti, & nulli prorsus labori parcituri, quo errantes reducerent; & quod magis ex vsu videbatur, Episcoporum somnolentiam, aut dissimulationem, reliquorum Ecclesiasticorum licentiam, (nam inde credebatur oriri malum, vt constabat ex litteris,) hanc, iudiciaria potestate compescerent; illam, clamoribus continuis excitarent. Igitur missi ab eo non multò antè, circuière Prouincias, arguentes, obsecrantes, increpantes in omni patientia, doctrináque; sed & in omni zelo, in quo, etsi simulatam, aliquam tamen extorserant à multis; nec dubium, quin ab aliis omninò veram, prætteritorum errorum resipiscentiam. Rem promam primùm ex Petro Vallsarnensi; quam tamen statim Litteræ pontificiæ, licèt posteriores, nanque primæ non extant, confirmabunt.

[a] *lib. 1. in vulgatis.*
[b] *lib. 7. epist. 74. & 75. in Regestis.*

2. *In Prouincia*, ait [c], *Narbonensi, vbi quondam fides floruerat, cœpit inimicus fidei superseminare zizania: desipuit populus, Christi Sacramenta, qui est Dei sapor, & sapientia, profanans, factus insipiens, à vera desipiens theosentia, vagus, & vagans per errores in ima factus in imo, & non in via. Monachi duo Cistercienses, zelo fidei succensi, Frater Petrus, videlicet, de Castro Nouo, & Frater Radulphus, auctoritate Summi Pontificis, contra pestem infidelitatis, instituti Legati, negligentiam omnem relegantes, legatione sibi indicta officioſè fungentes, vrbem Tolosam ingressi sunt, & aggressi, à qua venenum principaliter emanabat, plebes inficiens: sicque deficere faciens à Christi cognitione, à veridico splendere, à Deifica charitate. Radix amaritudinis sursum germinans, profundiùs in cordibus hominum conualuerat, nec sine multa difficultate potuit explantari. Suasum est Tolosanis sæpè, & multùm, vt hæresim abiurarent, & Hæreticos relegarent. Suasum fuit eis à Viris apostolicis, sed minimè persuasum. Adeò siquidem morti inhæserant, qui recesserant à vita; affecti, & infecti nequam sapientia, animali, terrenali, diabolica: expertes illius sapientiæ, quæ desursum est, suadibilis, est, bonis consentiens.*

[c] *in Histor. Albig. c. 1.*

3. *Tandem ille duæ oliuæ, illa duo candelabra lucentia ante Dominum, seruiis seruilem incutientes timorem, minantes eis rerum depradationem, Regum, ac Principum dedignationem intonantes, hæreseos abiurationem, Hæreticorum expulsionem eis persuaserunt. Sicque ipsi, non virtutis amore, sed secundùm Poëtam: Oderunt peccare mali, formidine pœnæ. quod manifestis indiciis demonstrarunt: nam statim periuri effecti, & miseriæ suæ recidiuum patientes, in Conuenticulis suis, ipsò noctis medio, prædicantes Hæreticos occultabant.* Hactenus prima missio Petri, Radulphíque, quos quamuis maior Hæreticorum pars, desiderato fructu defraudassent: nihilominùs multos conuertisse, Innocentius ipse affirmat inferiùs dandus: quin coërcuisse petulantiam dogmatizantium, & publica eorum conuenticula detrusisse ad tenebras, nequaquam pro exiguo fructu censendum fuit.

4. Extat apud Guillelmum Katell forma iuramenti, à Tolosanis præstiti, ad vtriusque instantiam anno præterito: quod tamen, ne Historiam truncaremus, in hunc remissimus consultò transcribendum [c]: *Notum sit cunctis præsentibus, atque futuris, quòd Frater P. de Castro Nouo, & Magister Radulphus, Legati Domini Apostolici Innocentij, in præsentia Tolosanorum Consulum, ac multorum aliorum Virorum, & proborum hominum, antequàm Tolosani Consules, nec populus, nec alij probi homines Tolosæ communiter pro fide Catholica Romana facerent sacramentum, & priusquàm sacramentum ab ipsis Consulibus, causa Dei, & amore Religionis eis fuit factum, & similiter ab omnibus aliis hominibus Tolosæ concessum pro ipsis Consulibus, scilicet, quòd vnusquisque Romanam fidem Catholicam curaret: prædicti Legati sua sponte concesserunt, atque in perpetuum propter illud posse, quod Summus Pontifex eis dederat, confirmauerunt omnes illas libertates, vsatica, & omnes illos mores, qui in Tolosa erant, vel constituti habebantur vllo modo, antequam illa eis facta fuissent sacramenta: & ne propter hæc sacramenta, libertates, vel consuetudines, siue vsatica Tolosæ in aliquo vllo tempore laderentur, vel minuerentur: & hoc idem pro se, & pro omnibus habitatoribus Tolosæ, pro præsentibus, & futuris Consules sacramentum facientes, prædictorum Legatorum assensu, & voluntate, integrè sibi retinuerunt; præterea prædicti Legati mandando Consulibus concesserunt, vt omnes, quicunque facerent sacramentum pro fide Catholica Romana, pro fidelibus Christianis habeantur, & si*

[c] *Guillelm. Katell in Histor. Comit. Tolosæ.*

& si fortè aliquis, vel aliqui de iurantibus, priusquàm faceret sacramentum, de hæresi fuerint accusati, in aliquo; rebus, vel personis eorum officere non possint. Quæ omnia prefati Legati promiserunt à Summo Pontifice confirmari. Veruntamen, si qui fuerint rebelles, & sacramento resistentes, & similiter in illos, & non alios sententiam excommunicationis ponere debuerunt; nam ita præscripti Legati hæc omnia superiùs determinata sub pallione Consulibus mandauerunt, ac concesserunt in præsentia Raymundi, Tolosani Episcopi, & Vvillelmi de Lanesio, Abbatis Sancti Saturnini, & Raymundi de Realte, &c. Qui omnes pro se ipsis, & pro omnibus eorum sociis, qui tunc erant de Capitulo, & pro vniuersis hominibus, & fœminis Tolosæ præsentibus, & futuris, hoc mandatum, confirmationem, & laudationem à prefatis Legatis receperunt. Ad hæc omnia fuit præsens Petrus Santius, qui est de toto testis, & scripsit chartam istam vndecimo die exitus mensis Martij, regnante Philippo Rege Francorum, & Raymundo Tolosano Comite, & Raymundo Episcopo, anno milleſimo ducenteſimotertio ab Incarnatione Domini. Hactenus Acta Tolosæ per Petrum, & Radulphum à Papa missos.

5. At Innocentius, qui in ouium sibi commissarum promouenda salute, nihil factum putabat, quandiu non omnia: neque publica tantùm mala vitanda sibi; sed priuata, & occulta non dubitabat: cùm in Episcopos, aut vniuersam culpam, aut maiorem illius partem coniiceret, qui ne canum ab ipso præmissorum latratibus potuissent excitati: quam illi haberent ordinatiam potestatem, delegare decreuit selectis viris, quos ad hoc opus specialiter destinauit; Arnaldum, scilicet, Abbatem Cisterciensem, qui dudum assumptus ad Cistercium, ex Grandisylua, & Tolosanos nouerat, & ab eis nouerat, venerabatúrque; & duos illos Petrum, atque Radulphum, quos in paucis probatos eiusdem causæ, & fideles inuentos, iuxta patrisfamiliàs documentum supra multa putauit constituendos. Ergo his tribus delegata iurisdictione, quæ Episcoporum erat iure communi, ad inquirendum, procedendúmque contra Hæreticos, atque eosdem puniendos, tam per censuras, quàm per confiscationem bonorum, & per alias pœnas; inuocato etiam, si opus fuisset, Principum sæcularium auxilio, quod nunc vocamus, brachium sæcular. lib. 7. epist. 72. cular, hoc ipso anno litteras transmisit, in hunc tenorem [d]:

6. *Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis Filiis, Abbati Cistercienſi, & Petro, & Radulpho Monachis Fontis frigidi, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Etsi nostra nauicula viscateris interdum iactetur fluctibus, & ventorum impulsus patiatur, cùm ab his, qui foris existunt, persecutiones patitur, & pressuras: de illius tamen protectione confisa, qui Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & promissione secura, qua ait: Porta Inferi non praualebunt aduersùs eam, exteriùs non timet naufragium, sed interiùs periculum in falsis Fratribus plùs veretur. Ecce etenim inconsutilis vestis Christi, cui manus crucifigentium pepercerat, per eos rumpitur, qui eum in membris suis iterum crucifigunt: & non præ multitudine, sed præ malitia piscium, scinditur rete Petri, dum conuersi, qui oues putabantur, oues rapiunt, & dispergunt, & exeuntes à nobis, qui non erant ex nobis, nos tanto grauiùs persequuntur, quanto familiaris nocet ampliùs inimicus; & minùs lupi vitantur ab ouibus in ouium vestimentis.

7. *Ecce reptilia, quorum non est numerus, qua olim insidiabantur calcaneo, vt cum equo prosternerem ascensorem: occultè tamen repentia in puluere latitabant, nunc insurgunt in faciem, & apertas insidias molientur. Animalia quoque pusilla, quæ suas fouentes foueas, vineam Domini latenter consueuerant demoliri, nunc messem Dei facibus ad caudas ligatis potenter exurunt; & non sicut catulus leonis in abditis latitans, sed sicut leo paratus ad prædam, animalia magna circuierunt, & quærunt, quos deuorent, concepta fiducia, quòd Iordanis in ora influas eorundem. Ecce frumentum, quod paterfamilias euangelicus conseminauerat ex creſcentibus ZIZaniis, quas inimicus homo superseminauerat, suffocatur: & bruchus, & locusta consumunt, quæ videbantur fructum centesimum polliceri: & Dathan, & Abiron in Moysem, & Aaron impudenter insurgunt: & oues, præter vestigia gregum, abeunt, & vnicum vnius pastoris ouile contemnunt, diuersa sibi tabernacula facientes.*

Et licèt sic quodammodo innouari videantur tempora Dominicæ Passionis, cùm rursùs in necem Christi Herodes conueniant, & Pilatus: Simon tamen, tanquàm grauentur somno eius oculi, adhuc dormit; nec exerit in malum gladium; sed torpere ipsum patitur in vagina, dum his, quos in partem sollicitudinis euocauit, vt Israël populum custodirent, super gregem suum vigilias noctis vigilant; sed dormiunt potius, & dormitant, & prohibent à sanguine manus suas, licèt in eorum oculis cum Madianitide ceëat vir Iudæus. In mercenarium ergo pastor degenerat, dum pascens, non populum, sed se ipsum, quærit in ouibus lac, & lanam; nec lupis in ouile insurgentibus se opponit, nec se obiicit obicem, aut murum pro Domo Domini ascendentibus ex aduerso; sed, quia mercenarius est conuersus in fugam, cùm possit perturbare peruersos, & negligat, eorum committitur iniquitatis fauere. Cúmque declinauerint ferè omnes, & facti simul inutiles sint quamplures, vix est, qui cum Moysè causam Dei gladio in populo exequatur, & causam populi alleget precibus apud Deum, vel cum Phinees sanguine proximi Deum placet, & in populis faciat vltionem. 8.

Gaudemus autem, & bonorum omnium largitori, quas passionis, gratiarum exoluimus actiones, quòd in Ordine vestro multi reperiantur habentes zelum Dei secundùm scientiam, potentes in opere, & sermone, ac parati de ea, quæ in nobis est, fide, & spe, omni poscenti reddere rationem, in quibus etiam eam vigere credimus charitatem, vt animas suas pro fratribus suis ponant, si necessitas Ecclesiæ postulauerit, qui tantò sunt ad confutandos fabricatores peruersorum dogmatum aptiores, quantò minùs in eis, quid reprehendere valeat, valebit emulus inuenire. Cùm bonum testimonium habeam ab his etiam, qui sunt foris, quòd in eis vita Sanctorum sana doctrinæ concordet, & non minùs vinificet vita doctrinam, & sit, videlicet, sermo eorum viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; quàm doctrina vitam informet, vt hoc in eorum legatur moribus, quod sermonibus explicatur. Licèt igitur ad comerendum caput reptilium, vulpes parvulas capiendas, & sæuientis lupi, & rugientis leonis, maxillas in freno cohibendas, & chamo, ne lacerarent de cætero vestem Christi, & Ecclesiam laniarent, vos filij R. P. ad verbum exhortationis nostræ duxeritis laborandum, nec fuerit labor vester inanis, cùm Dominus direxerit gressus vestros. 9.

Quia tamen messis est multa, operarij autem pauci: tibi, fili Abbas, omnis sollicitudinis huius in remissionem tuorum peccaminum, de consilio Fratrum nostrorum pondus imponimus, Discretioni vestræ, per apostolica scripta mandantes, quatenus omnes pariter ad extirpandam hæreticam prauitatem, in nomine Domini procedatis, vt ad ouile Christi oues reducatis errantes; & si 10.

si quæ in contumacia sua fortè persistant, quæ vocem pastoris illius, qui Beato Petro successit in officio pastorali, non audeant, nec redire valeant ad ecclesiasticam unitatem, Satanæ in interitum traditas nuncietis, & expositas personas eorum exilio, & iudicio seculari, & bona confiscationi subiecta, ad confiscationem bonorum ipsorum, & præscriptionem perpetuam personarum, tam charissimum in Christo filium nostrum Philippum, Regem Francorum illustrem, & Ludouicum natum ipsius, quàm Comites, Vicecomites, & Barones ex ipsis partibus constitutos ad id ex parte nostra propensiùs commonentes, & iniungentes eis in remissionem omnium peccatorum. Cùm illos, qui contra Hæreticos fideliter laborarint, eadem indulgentia gaudere velimus, quam in Terra sancta subsidium transfretantibus indulgemus.

II. *Vt autem iniuncta vobis, non tam nostra, quàm diuinæ legationis imperio, officium possitis melius, & liberius exercere, plenam vobis in Aquensi, Arelatensi, & Narbonensi Prouinciis, & vicinis etiam Diœcesibus, si qua sunt Hæreticorum labe polluta, concedimus facultatem destruendi, disperdendi & vellendi, qua dèstruenda, disperdenda, & euellenda noueritis; & ædificandi, & plantandi, quæ ædificanda fuerint, & plantanda: illos, qui contra prohibitionem vestram venire præsumpserint, canonicè puniturí: si qui verò pro violenta manuum impositione, in lata sententia canonem inciderit, authoritate nostra suffulti, ei absolutionis beneficium impendatis: iniungentes eisdem, vt contra Hæreticos accingantur. Si quid difficile vobis occurrerit, quod consilium apostolica Sedis expetat, nos super eo per vestras litteras consuletis. Taliter autem vos præcedere volumus, & monemus, vt modestia vestra, cùm nota fuerit vniuersis, obmutescere faciat imprudentium hominum ignorantiam, nec appareat quicquam in verbo, vel actibus vestris, quod Hæreticus etiam valeat reprobare. Quòd si non omnes, duo vestrùm, &c. Datum Laterani, quarto Kalend. Iunij, Pontificatus nostri anno septimo.* Hactenus Litteræ Innocentij Papæ ad tres ab eo creatos Inquisitores. Porrò ad Philippum Francorum Regem Augustum, eadem die alias destinauit, quæ ita habent [c]:

c lib. 7. ep. 79.

12. *Perillustri Regi Francorum.*

Ad Sponsa sua vniuersalis Ecclesia munimentum, pontificalem, & regiam Dominus instituit Dignitatem; vnam, qua foueret filios; aliam, qua aduersarios expugnaret: vnam, qua subditorum vitam verbis instrueret, & exemplo; aliam, qua iniquorum maxillas infreno cohiberet, & chamo, ne pacem Ecclesiæ perturbarent: vnam, qua inimicos diligeret, & pro persecutoribus etiam exoraret; aliam, qua ad vindictam malefactorum, & laudem bonorum gladium materialem exereret, & armis quietem ecclesiasticam tueretur. Expedit igitur, vt spiritualis authoritas, & secularis potestas sua causam institutionis attendentes concurram ad Ecclesiæ defensionem in vnum, & vtraque alteri suffragetur: vt quos à malo Ecclesiæ non reuocat, disciplina brachij secularis compescat; & eos, quos de feritate propria confidentes, gladius materialis non timet, spiritualis vltio subsequatur: ne igitur sine causa portare gladium videaris, oportet, vt apprehendas arma, & scutum, & in adiutorium eius potenter exurgas, cuius vestis, quod delentes referimus, in Regno Francorum scissuram patitur, cuius vineam vulpes parvula demolitur, & cuius oues luporum insultibus exponuntur. Intrant etenim Regnum ipsum lupi rapaces, & ouium vestimenta, qui oues rapiunt, & dispergunt; & cùm ecclesiasticam non teneant disciplinam, vtpote ab Ecclesia separati, tanto in ouile Christi licentiùs debacchantur, quanto minùs inuenerunt hactenus, qui temporaliter ipsis resisteret, & causam Dei apud eos gladiis allegaret.

Monemus igitur Serenitatem tuam; & exhortamur in Domino, & in remissionem peccatorum, quatenus vel per te ipsum, si fieri poterit, vel per charissimum nobis in Christo filium tuum Ludouicum, aut alium virum prudentem, peruersitatem eorum potenter oppugnans, quantùm ecclesiasticam diligas vnitatem, patenter ostendas, & tam Comites, quàm Barones, vt eorum bona confiscent, & priùs præscribant, tradita tibi cœlitùs potestate, compellas communiter: quia non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, vt facientes, & consentientes par pœna constringat: si qui Comitum, Baronum, vel Ciuium eos de terra sua eliminare noluerint, aut eos recipere præsumpserint, aut ausi fuerint confouere, ipsorum bona confiscies, & totam terram eorum Regio Fisco non differas applicare. Dilecto quoque filio Cisterciensi Abbati, & P. & R. Monachis Fontis Frigidi, apostolicæ Sedis Legatis, quos ad hoc specialiter destinamus, sic assistat regia magnitudo, vt gladij spiritualis profectum, materialis supplere gladius comprobetur: & tu, præter gloriam temporalem, quam tam pio, & laudabili opere consequeris, eam obtineas veniam peccatorum, quam in Terra sancta subsidium transfretantibus indulgemus. Dat. Later. 4. Kal. Iunij. Ita ad Regem Innocentius. 13.

Porrò vtrarumque istarum Litterarum meminit Bzouius, hoc ipso anno scribens in hæc verba [f]: 14.

f num. 11. hoc anno.

Præcipuè verò negotium fidei ab Hæreticis Albigensibus periclitantis, summo studio curauit (scilicet, Innocentius) *pertractandum. Hoc enim anno Cisterciensem Abbatem vnà cùm duobus Monachis Fontis frigidi, apostolicæ Sedis Legatos cum plenaria facultate, & amplissimis facultatibus Legatorum, ad extirpandos illos misit, & tum Aquensi, tum Senonensi, Arelatensi, & Narbonensi Archiepiscopis, eorúmque Suffraganeis Episcopis, authoritate apostolica præcepit, vt laborantibus contra Hæreticos Legatis omnem operam exhiberent. In eandem rem Philippo Regi Galliarum scripsit, vt aduersùs eosdem Hæreticos sui Regni arma susciperet, atque ad eos debellandos sese accingeret, ne videretur eorum errori participare, si illorum manifesto errori desineret obuiare.* Hactenus Bzouius, prouido consilio; ne vel Historiæ, si penitùs omitteret, vel, si transcriberet, familiæ suæ deesset, quæ primas Litteras inquirendi contra Hæreticos parenti suo traditas gloriatur.

Illud tamen, vt puto, minùs prouidè ab hoc Authore factum, quòd aduentum Episcopi Oxomensis, atque Sancti Dominici ad Montem Pessulanum per biennium anticipato [g]; quippe ne nostros incumbentes muneri sine ipso agnosceret, hoc anno illis occurrisse ait; quos tamen constat, non transgressos Castellæ fines, nedum in reditu à Romana Curia, pertransiisse Vasconiam, vsque ad annum M. CC. VI. vt in eo manifestè demonstrabimus. Nec potuit ignorare Bzouius rationem temporis, quæ & à suis Authoribus agnoscitur, & ab eodem Petro Vallisarnensi, quem non semel transcribit, vtpote oculatum omninò testem, speciali etiam de aduentu virorum facto capitulo, verbis satis expressis commemoretur [h]: *Anno*, inquit, *Verbi incarnati millesimo ducentesimo sexto, Oxomensis Episcopus, Diegus nomine, vir magnus, & magnificè extollendus ad Curiam Romanam accessit*, &c. Et paulò inferiùs: *Factum est igitur, dum rediret à Curia, & esset apud Montem Pessulanum, inuenit ibi Venerabilem Virum Arnaldum Abbatem Cisterciensem, & Fratrem Petrum de Castro Nouo, & Fratrem Radulphum Monachos Cistercienses*, &c. Sed de his suo loco. Nunc quæ de initio officij Inquisitionis cœpta est agitari nostris temporibus, ex dictis, Controuersiam proponamus. 15.

g num. 32.

h Histor. Albig. cap. 3.

1. *Initium Sanctæ Inquisitionis à nobis olim, 2. & quo motiuo: relatum in Cistercienses, 3. plures sequaces habuit: 4. atque aliquos, ex Dominicana Familia impugnatores. 5. Fundamenta illorum, 6. deinde nostra, 7. ex instrumentis firma; 8. qualia nulla producunt Dominicani, 9. Quid de tempore, 10. & quo anno declarata, à Clemente, permanentia Officij, seu perpetuitas. 11. Perpensi Authores, qui oppositum affirmant, 12. & dictum, qui, & quales. 13. Quam vim obtineat Bulla Sixti V. 14. Demum resolutio, & conclusio totius dubij.*

CAPVT III.

1. PRIVSQVAM has Litteras, aliásque complures eiusdem argumenti, quas inferiùs adducam, ex Regesto Vaticano desumptas, nanciscerémur, cùm Lauream nostram ante sex, & triginta annos vulgatam, scholasticarum disputationum tædio subleuando, quibus iam præeramus, scriberemus; sacrosanctæ Inquisitionis Tribunal incepisse à nostris asseuerauimus: ea præcipuè ratione, quòd hoc anno milleſimo ducenteſimoquarto, quo sacra Dominicana Familia nondum exorta; atque eius illustrissimus Parens Sanctus Dominicus, Oxomensis Canonicus, intra suæ Cathedralis Ecclesiæ clauſtra (nam erat regularis) continebatur; iam Arnaldus, iam Petrus, Radulphúsque extirpandis hæresibus, & compescendis Hæreticis præfecti; non ordinaria, quæ propria Episcoporum; sed delegata vterentur authoritate. Nec quicquam aliud constituit Sanctum Tribunal, quàm delegata quibusdam iurisdictio super negotiis fidei, quæ aliàs ad Episcopos, tanquàm ad successores Apostolorum, & nequaquam ad alios spectaret. Porrò hanc exercentes iurisdictionem Abbatem, & Monachos, inuentos post biennium à Sancto Patre, cùm redeuntem à Romana Curia, per Galliam Narbonensem, Ecclesiæ suæ Venerabilem Episcopum, Didacum de Acebes, comitaretur. Demum Arnaldi mandato, & commissione, eundem Sanctum subiisse id munus, officiúmque, quòd ipsemet testatur in suis Litteris, quas velut indices obtentæ Dignitatis, [a] Dominicani Authores pro se adducunt [a]: *Authoritate*, inquiunt, *Domini Abbatis Cistercienſis, apostolicæ Sedis Legati, qui hoc nobis iniunxit officium*, &c.

[a] *apud Ferdinand. del Castillo, & alios.*

2. Addidi etiam hoc ipsum ante me, à Paramo traditum, libro de origine, & progressu Sanctæ Inquisitionis, dum ipsa Historiæ serie, & contexturæ velut cogente, in hæc verba prorumpit satis aperta: *Sanctissimæ ergo Inquisitionis officium eo tempore sumpsit exordium, quo impijs erroribus, & blasphemijs execrabilibus Albigensium, Comitatus Tolosanus infectus, & penè extinctus erat. Tunc enim glorioſus Deus Innocentio III. Summo Pontifici eam mentem iniecit, vt Petrum de Castro Nouo Monachum virtutis, & sanctitatis gloria florentem, crearet Legatum, & ad illam Prouinciam ad Christum Seruatorem nostrum reducendam mitteret.* Ita Ludouicus de Paramo: quibus verbis, siue tempus initij pandam, siue initium, siue vtrumque, vt apparet probabilius; omnia in hunc annum, & in nostros refert: quippe tunc ait officium incepisse, cùm Petrus Legatus; neque aliam inceptionis, siue exordij causam assignat, quàm quia ad hoc munus destinatus ab Innocentio: eam nanque vim habet, aduerbium, *enim*, vt causam reddat præcedentis propositionis,

3. Hæc à nobis insinuata illic vtcunque, atque grauiora ex Dominicana Familia Scriptorum authoritate firmata, mouerunt multos, non vt crederent tantùm; sed vt traderent, incepti officij Sanctæ Inquisitionis, siue gloriam, seu laudem, in Cistercienses fore referendam. Ita ex nostris Chrysostomus Henriquez libro primo Fasciculi, distinctione 22. à cap. 3. & deinceps: & libro 2. distinctione 35. cap. 8. latè, & qua solet eruditione, Anthonius Brandaonius, Regius in Lusitania Archichronologus, libro 12. Monarchiæ Lusitanæ cap. 23. & 24. idem qui suprà Henriquez in Menologio, ad quartamdecimam diem mensis Martij; Laurentius de Zamora Monarchiæ mysticæ, par. 6. in Vita Sancti Dominici; & alij. Ex exteris, Aubertus Miræus, Bruxellensis, vir æquè pius, eruditúsque, ac de ecclesiastica antiquitate optimè meritus, libro 5. Originum, cap. 16. quod est, *De Beato Petro de Castro Nouo Martyre, primóque Inquisitore hæreticæ prauitatis.* Sub finem autem capitis hæc habet: *Hæc visum fuit paulò latiùs deducere, vt contra vulgi opinionem ostenderemus, non Dominicanis, sed Cistercienſibus primùm institutæ aduersùs hæreſes Inquisitionis officium deberi acceptum.* Et paulò inferiùs: *Plura qui de his volet, Angelum Manricum consulat in Laurea euangelica, Salmantina anno* 1620. *Hiſpanicè edita.* Hæc Vir insignis, & cunctis suspiciendus. Miræum imitatur Hugo Menardus, Benedictinus Monachus, libro 2. suarum obseruationum ad Martyrologium monasticum, ad diem quintam Martij, vitiato nostro nomine, quippe Franciscum, non Angelum appellat: sed producta Innocentij III. Bulla de glorioso Martyrio Beati Petri, quam suo tempore nos etiam proferemus. Vtrique consonant eruditi Viri, Robertus Claudius in sua Gallia Christiana, sub titulo, *Archiepiscopi Narbonenſes*, folio mihi 92. *Arnaldus* (inquit) *ex Abbate Cistercienſi* 16. *primus Inquisitor fidei in Gallia*, &c. Illustrissimus Apamiarum Episcopus, Henricus Spondanus, ad annum M.CC.VIII. num. 4. Et multis mihi titulis colendus R.P. Paulus Sherlogus, Societatis Iesu, tomo 3. in Cantica, vestigatione 34. num. 31. aliique, quos longum esset omnes recensere.

4. Cæterùm, quanuis hos omnes Authores pro nobis habuerimus; haud tamen alij nonnulli defuêre, (quos viderim, ex Dominicana Familia omnes,) qui se opponerent: nec gloriam suis, communi ferè calculo delatam per multa tempora, transferri ad alios æquanimiter paterentur. Hi sunt Frater Alfonsus Placentinus, in sua concertatione prædicatoria, ad annum Christi M.CC.XVI. §. 2. & 3. Frater Ludouicus de Sosa, in sui Ordinis Historia Lusitana, lib. 1. cap. 3. & 4. & nouissimè perdoctus sanè Magister Frater Franciscus de Arauxo, Sacræ Theologiæ in hac Salmanticensi Academia Primarius pro Familia sua, Professor, in Commentariis super secundam secundæ D. Thomæ, quæst. 12. artic. 1. & 2. dubio 4. Fundamentum eorum omnium duplex; euasio vnica, (nam euasiones non vereor nominare,) illud

6. Hæc à nobis insinuata illic vtcunque, atque grauiora ex Dominicana Familia Scriptorum authoritate

desumptum ex communi traditione, & Sixti V. Pontificis Maximi, in Litteris quibusdam, authoritate: hæc, quæ, vt verum fatear, in verbis hæret; & quam de re instituimus quæstionem, de solo nomine, censet agitari. Ordiar à responsione, quæ proprior dictis, & faciliorem dicendis viam sternet. Inde ad vtrunque fundamentum gradiar; neque vt eludam, aut fugiam; sed vt perpendam.

5. Ergo alios esse Legatos apostolicos, alios Inquisitores contra Hæreticos; illos, qui vices Pontificis exerceant per totam terram suæ Legationis, velut vice Pontifices: hos, quibus vnicum fidei negotium specialiùs curandum committatur: illos, qui multa cæteris iniungant, quæ per se ipsos nequeant exercere; hos, qui exerceant iudiciariam potestatem aduersùs Hæreticos; per censuras, & pœnas temporales omninò exterminandos, vel conuertendos: illos, si non de latere legentur, sed ad specialem caulam, qui statim expirent, causa peracta: hos, quorum maneat diuturnior iurisdictio, atque ad similes causas perseueret. Ita ferè Franciscus de Arauxo, qui doctiùs cæteris. His porrò distinctionibus præmissis, respondere conatur in hunc modum. Iniunctum nostris legationis munus, quod passim aliis; Inquisitionis (eatenus non visum) nequaquam ipsis, sed Dominico Parenti; primum quidem ab ipsis, tanquàm à Sedis apostolicæ Legatis (nam hoc non negant, neque ipso Sancto fatente, negare possunt) mox immediatè ab Innocentio fuisse impositum; confirmata, quam à nostris accepisset, seu maius immediatè accepta iurisdictione. Potuisse nostros committere id munus, atque aliis delegare, non exercere. Exinde nunquam vocatos Inquisitores, sed Legatos; quam dignitatem neque habuit Sanctus Dominicus: nec, si habuisset, primus credendus foret, ante quem, non soli Arnaldus, Petrúsque, ac Rodulphus; sed tot alij quotidie Legati essent. Hinc porrò inquiunt (quæ præcipua habent fundamina) constans omnium Scriptorum opinio est, id primum munus exercuisse in Ecclesia Patriarcham Sanctum: quod Camillus Campegius, Franciscus Peña, Zanchinus Hugolinus, Petr. Matthæus, Lucius Marinæus Sicul. Blondus, Azor, Ignatius Salycet. Aimericus, Bernard. aliique, quos refert Ludou. de Sosa [a], testificantur. Hinc demum Xisti V. Summi Pontificis, veluti definitio, Litteris datis anno M. D. LXXXVI. super celebranda B. Petri Veronensis, ex facta Prædicatorum Familia, Solemnitate: in quibus, inter alia hæc habet verba [b]: *Imò vero imitatione accensus* (scilicet, B. Petrus) *Sancti Patris Dominici, vt ille perpetuis, & concionibus, & disputationum congressibus, Officioque Inquisitoris, quod ei primùm prædecessores nostri Innocentius III. & Honorius III. commiserant contra Hæreticos, mirabiliter se gessit, &c.* Et paulò inferiùs: *Quamobrem post Beatum Dominicum non immeritò Princeps appellari debet sacrosancti Officij Inquisitionis; cum ipse primus illud suo sanguine consecrauerit, &c.* Hæc fundamenta sententiæ Aduersariorum (si tamen ita licet nominare) nam reliqua, aut futilia, (ingenuè dicam,) aut ipsa Historia adeò defectuosa, vt non mereantur à nobis memorari.

[a] *loco supra.*

[b] *Hist. Dominic. lib. 1. cap. 3.*

6. Ego sanè, si Arnaldum Cistercienser, si Radulphum, si Petrum absolutè institutos Legatos legerem; qui vices Innocentij, Summi Pontificis, siue omnes, siue aliquas in eisdem Prouinciis exercerent; haudquaquam pertinax sententiæ primæ obstrictus, aut in ea abundans perseuerarem: quippe qui, vt alibi etiam professus sum, in his Cistercij Annalibus non laudatorem agam, sed Historicum; qui vera, quàm placentia, aut illustrantia semper anteferam. Verùm, cùm primùm Pontificis Litteras vidi, id vnum mihi penitùs persuasi, aut nullos vnquam institutos Inquisitores in causis Fidei, aut Arnaldum, & Petrum, Radulphúmque, his Litteris creatos ab Innocentio; quod ex eisdem lectori meo ostendere, nequaquam graue, aut arduum reputabo. In primis namque nulla illis potestas ad alias causas; nulla alia iurisdictio concessa est; sed præcisè mittuntur contra Hæreticos [c]: *Discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes, quatenus omnes pariter ad extirpandam hæreticam pranitatem, in nomine Domini procedatis, vt ad ouile Christi oues reducatis errantes, & si quæ in contumacia sua fortè persistant, &c. Sanctæ in interitum traditas nuncietis; & expositas personas eorum exilio; & bona confiscationi, &c.* Et in Litteris ad Philippum Francorum Regem: *Dilecto quoque Filio Cisterciensi Abbati, & Petro, & Radulpho Monachis Fontis Frigidi apostolicæ Sedis Legatis, quos ad hoc specialiter destinamus.*

[c] *lib. 7. epist. 76. & sup. c. precedan. n. 10.*

Deinde ad procedendum in causa Fidei, & Hæreticos, aut puniendos, aut compescendos, omnem eis indulget authoritatem, nec exercendam per alios; sed per se ipsos [d]: *Vt autem iniuncta vobis, non tam nostra, quam diuina legationis imperio, officium possitis melius, & liberius exercere, plenam vobis in Aquensi, Arelatensi, & Narbonensi Prouinciis, & vicinis etiam Diœcesibus, si qua sunt Hæreticorum labe pollutæ, concedimus facultatem destruendi, dispergendi, euellendi, qua destruenda, dispergenda, & euellenda nouerit is; & ædificandi, & plantandi, qua ædificanda fuerint, & plantanda. Illos, qui contra prohibitionem nostram venire præsumpserint, canonicè puniturus.* Tertiò, quod Inquisitorum proprium est, implorare iubentur, cùm opus fuerit, auxilium brachij sæcularis: proscribitur, & pœnæ confiscationis, aliæque, quæ quo & Regi propriæ Hæreticorum, præscribuntur. Et quartò tandem assignatur causa, ob quam potestas hæc, & iurisdictio, quæ propria Episcoporum, alijs ab ipsis à Papa delegetur: eorum oscitantia, atque remissio, ibi: *Dum tamen quos in partem sollicitudinis euocauit, vt Israël populum custodirent, super gregem suum, vigilias noctis non vigilant, sed dormiunt potius, & dormitant, &c.* Haud dubiè credo, nullas datas Litteras, siue antè, siue pòst, quæ magis exprimant Officium Inquisitionis. Porrò commissam per eas potestatem ad nullas alias penitùs patere, prætercquàm causas Fidei, non solùm ipsa illarum continentia manifestè declarat, sed plures aliæ Litteræ conuincunt, ad eosdem directæ non multò pòst, quas capite sequenti, & infrà etiam in tempore reddemus. Quippe ad alia negotia pertractanda, quæ multa illis iniuncta, diuersæ semper, & nouam delegantes iurisdictionem. Qua quando indiguissent, si Sedis apostolicæ Legati cum plena potestate creati essent? Haud aliter, qui hodie exercent munus Inquisitorum, ad causas fidei, nullis. sed si quas alias tractaturi sunt, nouis Litteris egent; quæ tamen pro eis, quos Nuncios appellamus, quia plenaria legatione funguntur, superfluæ essent.

[d] *ibidem.*

7.

Sed age iam, & gratis admittamus; nostros aliàs extitisse Legatos Summi Pontificis, cum plenissima etiam facultate Legatorum à latere: quod tamen, si negetur, vnde possit probari, nequaquam video: ánne ideò in speciali causa Fidei, quæ ad Episcopos pertinebat iure ordinario, sed ipsis, specialibus his Litteris, & speciali mandato committebatur, Legatorum generali potestate, & non magis delegata vterentur iurisdictione? Certè, si alius quicumque Legatus esset, & ipsi harum virtute litterarum in negotio procederent, impediri

8.

ab eo, siue etiam præueniri, minimè possent. Cap. *Studuisti.* cum vulgatis. de officio Legati. Ergo neque si ipsi Legati essent, procedebant vt tales: sed merè vt delegati ad causas Fidei, adeóque vt veri, & proprij Inquisitores, quales hodiéque habet Sacrum Tribunal, quos nihil aliud esse, quàm delegatos ad eiusmodi causas, imò neque alio nomine appellari, adeò vulgare est, vt nulla ferè indigeat probatione. Cap. *Accusatus.* 8. de hæret. lib. 6. *Cum negotium fidei per occupationes alias non debeat impediri, pestis Inquisitores hæretica, à Sede apostolica delegati, de diuinationibus, aut sortilegiis intromittere se non debent.* Cap. *Per hoc.* 17. eod. tit. *Per hoc, quòd negotium hæretica prauitatis alicui, vel aliquibus in aliqua prouincia delegatur, Diœcesanis Episcopis, quin ipsi authoritate ordinaria, vel delegata, si eam habuerint, procedant, nolumus denegare.* Litteræ Regum in fauorem Inquisitorum, apud Heimericum part. 3. in principio: *Cùm Religiosus, & dilectus noster Inquisitor hæretica prauitatis, in Regnis, & terris dominio nostro subiectis à sancta Sede apostolica delegatus, &c.* Quin & Authores, qui Sanctum Dominicum Inquisitorem vocant, quanuis recentes, vtuntur eisdem verbis. Paramo de origine Inquisitionis, lib. 2. tit. 1. cap. 3. *Extant Litteræ eiusdem Sancti Patris,* (nempe Dominici,) *cùm nondum delegati Inquisitors apostolica authoritate munus obiret.* Quod item passim apud alios videre licet. Non ergo solùm constat de re officij, sed de nomine etiam: neque aliud, aut diuersum sortitos fuisse nostros Inquisitores, ab eo, quo hi, qui hodie tales sunt, & qui eos præcesserunt, condecorantur.

9. Iam quod obiicitur, in Litteris nostrorum permanentiam Officij subtriceri; quippe non exprimunt, an finita causa, iurisdictio expiraret, aut lapsu temporis, seu morte eius, qui eam delegauisset: mirum est, ab Authoribus doctis potuisse obiici. Etenim, quandiu nullæ proferuntur, quibus id munus iniunctum S. Dominico, ab Innocentio, aut Honorio probari possit (nedum cum ea clausula speciali, quæ signet permanentiam iurisdictionis) iniustè penitùs in nostris desideratur. Satis, supérque vrbanitati damus, pietatíque, si aliquas credamus extitisse, quæ ab aliquo ex his duobus Pontificibus immediatè manauerint, cùm, sicut diximus, nullæ proferantur; cùm Bzouius, cui Regesta omnia patuerunt, Annalibus Ecclesiæ continuandis, nullas inuenerit, etiamsi nostras cõstet inuenisse, vt ipsemet testatur [d]; cùm nullus antiquorum Scriptorum tales litteras datas testificetur: adeò, vt idemmet Bzouius [e], cùm eam ipsam Parenti suo gloriam vellet asserere ad annum Christi M. CC. XV. vni tantùm nitatur fundamento, litteris Sixti V. quæ post annos trecentos septuaginta, nullo examine prævio, datæ fuerunt. Demum, cùm idem Sanctus, qui expressit, exercere se munus authoritate Abbatis Cistercien sis, non alibi exprimere inueniatur, authoritate Innocentij, Honoriúve, illud, aut exercuisse, aut continuasse. An minùs dignũ Innocentij nomẽ, Honoriive instrumentis præponi? aut exprimenti Legati authoritatẽ, authoritas legantis, si ea vsus fuisset, subticeretur? Credamus tamen, si volunt, suis Authoribus, quanuis recẽtibus, variis, suspectísque, (quod statim annotabo,) Litteras expeditas, quas nullus vidit, nullus ab his, qui viderunt, haurire potuit: sed clausulas, quas ne vnus quidem illorum hactenus somniauit, non pro libito nostro confingamus, maximè contra morem totius æui.

10. Et quidem eam clausulam contentam in aliquibus Litteris ante tempora Clementis Papæ IV. nullus dicere audebit, nisi ignorantia iuris, factíque, quod bona venia dicam, deceptus errat. Idcirco enim sub ipso dubitatur, id est, quadraginta, & eis amplius annis, ab obitu glorioso Sancti Dominici: dubitatur, inquam, de tempore durationis huius officij, vtpote eatenus in Litteris non expressa. Ad quam dubitationem respondet Pontifex, edita Decretali, quæ in corpore Iuris continetur, in cap. *Ne aliqui.* 10. de hæret. lib. 6. *Præsenti,* ait, *declaramus edicto, ipsum Officium* (scilicet, *Inquisitorum*) *non solùm quoad negotia, viuente mandatore incepta; sed etiam quoad integra, & non cœpta; & quod plus est, ad ea, quæ tunc non emerserant, in fauorem fidei, post commissionis obitum perdurare.* Sic Clemens IV. quæ tamen nunquam dicere potuisset, si tempus durationis Officij in Litteris creationis Inquisitorum exprimi ante illud tempus in vsu esset. Quòd si in nullis aliorum expressum fuit, quos alias veros fuisse Inquisitores non solùm confitentur, sed cõtendunt: cur in Arnaldi, Petri, Radulphíque, qui omnes præcesserunt, eiusmodi expressio desideretur? Aut qualiter dicamus, Litteris Sancti durationem appositam, si vel post ipsum quadraginta annis, nondum stylus ferebat eam apponi?

11. Hinc, qui obiicitur cumulus Authorum, gloriosa initia Sancti Tribunalis in Sacram Prædicatorum Familiam, atque ipsius Parentem referentium, parum, aut nihil facit contra nos. Quippe quotquot ab ipsis proferuntur recentes omnes, & intra proximum huic nostro sæculo nati, scribentésque, nisi antiquos producant, quos nullos habent, de rebus ante quadringentos annos gestis, vt terreant numero, pondere non grauant: sed neque terrebuntur, nisi pusilli. Antiquissimus omnium Heimericus, nobis, quàm Albigensibus proximior, Sancto Patre vltra ducentos, & viginti annos posterior fuit. Quippe scribebat post annum M. CCCC. LXVIII. vt ipsemet testatur [f]: cùm Sanctus Pater ad Superos transiisset, anno M. CC. XXI. vt nos etiam inferiùs annotabimus. Atque huic Authori, quanuis longè distanti ab his temporibus, quanuis Dominicano, credendum foret, si tamen quid dixisset, quod ad rem faceret. Verùm in Directorio, omninò nihil: vbi citatur, id est, *in Serm. de Sancto Petro Martyre,* aut non extat, aut si alicubi extat, non inuenitur: nec verba eius transcribunt, qui pro se allegant. Reliqui omnes adhuc recentiores ab anno M. D. numerandi, præter vastissimam temporis distãtiam trecentorum, & quadringentorum annorum (tot enim vsque ad eos intercessêre,) aut suspecti reddũtur, quia domestici, (quippe Campegius, Leander Albertus, Olmedo, Peña, Marieta, Flaminius, alíque, omnes ex sacra Familia Dominicana,) aut nihil tale scribunt, si requirantur. Etenim Peña, & eum penè transcribens Ignatius Salycetus, primum Inquisitorem Sanctum Dominicum, non absolutè vocant, sed in Hispania. *Officiũ,* inquit Peña [g], *delegata Inquisitionis, vt obiter illud hic dicam, exploratum est, in Hispania primùm Beato Dominico fuisse commissum; ab eóque circa annum M.CC. sumpsisse exordium.* Ita Franciscus Peña: at Salycet. *Fuit,* ait [h], *vt hoc obiter recenseam, sanctissima Inquisitionis Officium primùm in Hispania B. Dominico commissum; ab eóque, prima exordia sumpsit anno Domini M. CC.* Vterque, inquam, cum hac limitatione; sed non ideò verius, vt statim dicam. Similiter Azor. non absolutè, sed quadam tantùm ex parte primum vocat [i]. *Ex Historiis ecclesiasticis didicimus, hoc muneris,* (nimirum, Inquisitorum) *quadam ex parte primum B. Dominico fuisse mandatum:* Blondus non primum Inquisitorem dicit: sed tunc primùm in Orbe noscí cœptum, cùm Albigensium errores impugnauit [k]. *Cùm in Tolosana, Albiensique Gallorum*

d in Præfat. t. 13. Tom. c num. 11.

f part. 3. qu. 47.

g part. 1. fabel. 43.

h cap. 114. litera F.

i lib. 8. c. 18.

k Decad. 2. li. 2.

Gallorum regione hæresis pullulasset, Beatus Dominicus tunc primùm fama noscì cœpit, ad eam extirpandam se contulit. Tali fide citantur, vt nos deterreant. Marinæus Siculus plùs ei aliquid tribuit; sed primatus non meminit, & aliàs falsitatis, vt alij, planè conuincitur. *Procurante*, inquit [l], *Innocentio III. Pontifice Maximo, Beatus Dominicus hæresim apud Tolosam nuper obortam, mira celeritate compescuit.* Hæc Marinæus. Verùm, neque hæresis Albiensis, & Tolosana, quæ tot annos durauit, summa celeritate extincta est; neque in ea extirpanda laborauit Sanctus Dominicus, procurante Innocentio, qui, à Sancto cognito, breui supernixit; sed Arnaldo iniungente, vt idem Sanctus Pater testatum habet. Hugolinus, neque vllum verbum profert, saltem cap. 20. in quo citatur: de Paramo superiùs à nobis dictum [m], nec potuit clariùs loqui pro veritate. Petrus Matthæus nonnihil illis fauet, Iurisperitus magis, quàm Historicus, nec discutiens, aut tractans ex professo; sed obiter, vt alij, rem attingens: & quæ vtcunque accepit aliis tradens, seu bona fide, seu morbo transcribendi, quo in ea facultate, multi laborant. Et putandus dixisse, cùm primùm dixit, quod vulgò in ratiociniis dici solet: *Quenta errada, que no valga*: & se primum dixisse Virum Sanctum, quo nullum alium priorem agnouisset; vbi agnoscat, in illum transiturum. Atque hæc exceptio communis cunctis aliis, quanuis rem expressissent, eorum euacuaret authoritatẽ. Quippe omnes obiter; cùm tamen, qui ex professo rem non tractant, vt tradunt Canonistæ. Mantica de coniect. lib. 11. tit. 3. n. 4. Alciat. & alij, non valeant allegari: quia nihil probant.

[l] de vitis Hisp. lib. 5.

[m] num. 2.

12. Sanè gementibus nostris sub Commendis, contradictores nulli: vnde non mirum, si vnus, aliúsve, quam vnicam putabant, nullo iudicio viam ingrediebantur, nullo delectu. Nunc vbi semel patuit, vel parua semita (quippe nondum inuentis, neque productis Litteris pontificiis) quam veritatis compendium agnouerunt, plures etiam ex exteris ingressi, dilatarunt iter; & viam regiam, velut præuenerunt, quam per has, atque alias (nam multæ adhuc supersunt) Litteras damus. Ergo, ex antiquis etiam Dominicanis, Theoderico de Apoldia, Vincentio Belluacensi, cæterisque, nullus omninò refertur, neque potest, qui Sanctum Patrem, non dico primum; sed ne Inquisitorem quidem, aut Legatum affirmet ad causas fidei. Recentes, ex Familia Sancti omnes, adeò varij inueniuntur, atque adeò ab antiquis etiam deuiant, vt facilè falsitatis conuinci possint. Nam sunt qui, vt vidimus, ad annum M.CC. quo Sanctus Pater ab Hispania nondum exierat, & forsan Albigenses nondum nouerat: alij ad M.CC.IX. & M.CC.XI. Legationem iniunctam ipsi referunt: quibus, vt iam contra Hæreticos pugnaret, ex Abbatis Cistercij delegatione, nondum notus Pontifici, nedum ab ipso Inquisitor creatus fuerat. Alij ad annum M.CC.XV. quo per Fulconem Pontifici innotuit; sed quo haud dubiè instituendæ suæ Familiæ, & quam seruaret Regulæ eligendæ Sanctus intentus, & Pontifex remissus, nihil aliud vacauit pertractare. Sed nec, qui referunt, quæ cum eo colloquia habuit, minutiora narrantes, glorioſam Legationem subticuissent, si ea tunc Sancto à Pontifice iniuncta esset. Ingens itaque cumulus Authorum in pauciſsimos tantùm redactus est; eósque, quanuis verè aliàs grauiſsimos, minùs idoneos testes, quia partes: quia inter se dissidentes: quia in his ipsis conuicti falsitatis: quia eorum, quæ narrant prorsus ignari, vtpote tot annorum Centuriis dissiti: neque probant, aut discutiunt; sed dicunt obiter.

13. Vna nobis Sixti V. authoritas incutit reuerentiam, & incuteret metum, si nesciremus, materiam hanc, omninò ex illis esse, in quibus Successores Petri nunquam asserere, nedum diffinire; sed præcisè ad communem, & plerunque ad petentium mentem loqui, in vsu habeant: velut qui sensum suum illis permittant, non adstruentes, sed condescendentes sibi propositis. Posset quidem Pontificis sententia, etiam in his, exequibilem habere authoritatem, vt non diffinitiuam, iudicialem, si partibus citatis, auditísque; & probationibus, atque instrumentis vtriusque perpensis, prolata esset. At parte, neque audita, neque citata; quid, siue potuit, seu voluit iudicare, quod nobis noceat? Maximè, cùm specialia hæc instrumenta, quæ extra corpus Iuris circunferuntur, nedum quæ in solis Archiuiis Vaticanis abdita latent, in scrinio pectoris habere non censeantur: quare nec eis derogatum vult, quoties de eis non facit mentionem. Quid, quòd in eisdem Litteris habetur, Sanctum Petrum Veronę primùm Martyrem occisum ab Hæreticis, ob munus inquirendi in eos illis commissum? & tamen Petrum nostrum de Castro Nouo longè antè ab eisdem occubuisse, propter eandem causam, ne ipsi quidem Authores, contra quos disputamus, negare possunt. Sic Casinenses, Floriacensésque de pretioso thesauro corporis Sancti Patris Benedicti inuicem decertantes, pontificias pro se producunt Litteras; quæ dum vtrisque officiunt, neutris fauent, atque æquè ab vtrisque repelluntur. Sic Guillelmitæ, tum Benedictini, tum Augustiniani, de Sancto Guillelmo quondam Duce Aquitaniæ, similes proferunt: sic & sacra Familia Montis Carmeli duobus Summorum Pontificum instrumentis, altero Pij IV, Gregorij XIII. altero, hæreditariam successionem ab Elia, & Eliseo, vsque ad hæc nostra tempora confirmant: non tamen ideò communem omnium plausum, assensúmve, nedum indubitatam fidem consequi valent. Quin priores, ab ipsa oppositione, parum, aut nihil probant; ex posterioribus, facile esset nobis redarguere Authores, contra quos agimus; quippe qui in illam ipsam successionem acriter inuehuntur [m]: nec tamen minùs Pius, Gregoriúsque ei adstipulantur, quàm Sixtus ipsis. Certe hæc, & alia, velut dicta obiter, & ex aliorum mente magis, quàm propria; ne in materia omninò definibili, diffinitionem faciunt, vt Theologi communiter admittunt. Quantò minùs in his, quæ historiam recentiorem, atque à Pagina sacra prorsus alienam, merè concernunt? Grauior materia, & diffinitioni proximior est Sancti Iacobi aduentus in Hispaniam; grauior, haud dubiè, immediatus Petri successor, & designatio illius ab ipso facta: & primum, quatuor Summis Pontificibus, Innocentio II. Leone III. & duobus Calixtis ferè asserentibus; secundum verò a Ioanne III. & quod mireris, ab ipso Clemente traditum, & postmodum relatum in corpus iuris, in Can. *Si Petrus.* & in Can. *Simon.* 8. q. 1. nihilominùs negant graues Authores.

[m] *Araujo* t. 2. q. 99. *disp.* 4. *fol.* 4.

Hæc satis nobis, vt quantumuis moniti, nam id debemus quibusdam Recentioribus [n]; sententiam nihilominùs nostram non retractemus: cùm maximè per multos ab hoc annos, continuatam videamus in nostris extirpandarum hæresum, & puniendorum Hæreticorum curam, & potestatem, multis Litteris vltrò, citróque, ad Innocentium datis, & acceptis super hoc ipso; quas in tempore dabimus: nullis penitùs ad Sanctiſsimum Patriarcham: quas tamen in Regestis Vaticanis exquiti, si fortè inuenirentur, multo labore, & sumptu, non secùs atque nostras, procurauimus. Nec dubium, quin tota ipsa Historiæ series, quàm non retractare debuerimus, palàm faciet. Fortè, & ostendet, potuisse

14. [n] *Sosa, & qui eum in Latinum sermonem vertit, Araujo, vbi suprà.*

Caput III.

non immeritò idem consilium, in ipsos retorquere: monetéque, vt quam hactenus gloriam, velut pro derelicto à nostris habitam, bona, vt putamus, fide sibi appropriarunt; à veris dominis tandem repetitam, sponte restituant, nec sine debito fœnore gratiarum. Certè Sanctum Patriarcham Dominicum, inter alios ex nostris, Inquisitorem creatum ab Arnaldo, (vt hodiéque inferiores, & priuati in Hispania nostra, ab Inquisitore Generali, & supremo creati solent,) atque eius nomine officium exercuisse; & suprà notauimus; & infrà latè ad calcem huius Tomi, anno, scilicet, M.C.C.X. quo credimus assumptum, ostendemus: productis instrumentis eiusdem Sancti, ne quis possit de ipsis dubitare. Atque hæc omnia, nam hoc etiam addiderim, propalandæ, ex officio, veritati, non obseruandæ luci fulgentissimi totius Ecclesiæ Solis, Hispaniæ nostræ gloriæ, dicta, seu scripta velim; paratus semper, si quis aliud demonstret, (nam solis verbis, fateor, non mouebor,) hæc, & quæcunque alia recantare: nec enim nostros puto tales esse, qui fictis indigeant; nec si indigerent, acciperent à nobis, saltem scientibus; qui, vt propriis, & veris nunquam parcimus, sic ab alienis omninò temperamus. Sed de his satis: neque enim, quid hoc anno factum sit, ab Arnaldo Abbate, atque eius sociis, in causa Fidei, potui inuenire: in sequenti postulasse missionem Petrum, quanuis non impetrauerit, dicemus. Nunc quæ alia eisdem sint iniuncta, sed Litteris diuersis, quò magis constet, quàm fuerint speciales, quæ præcesserunt, ex eisdem Innocentij Regestis, proferamus.

---

1. In diffamatum Narbonensem Archiepiscopum 2. noua Innocentij Littera, 3. ad Arnaldum Abbatem, sociósque: 4. in quibus eius crimina, 5. & excessus, 6. de quibus accusatus, 7. continebantur: 8. ampla eisdem concessa potestate, non solùm inquirendi, sed iudicandi, 9. appellante Archiepiscopo; nec tamen prosequente appellationem. 10. Noua citatio, 11. iteratis inserta Literis. 12. Adempta ei Abbatia Montis Aragonis, 13. & commissa, celebratáque electione, 14. Ferdinandus Populetanus, Alphonsi Regis filius suffectus fuit.

CAPVT IV.

1. EODEM anno, & penè eadem die, qua Innocentius Arnaldum Cistercienſem, Petrúmque, ac Radulphum destinauit extirpandis hæresibus, quæ per Vasconiam, & prouinciam Tolosinam grassabantur, eisdem etiam commisisse lego, vt vitam, mores, & acta visitarent Narbonensis Archiepiscopi, qui de multis criminibus diffamatus, dudum malè audiebat apud Pontificem; concessa illis plenaria potestate, non solùm inquirendi, sed procedendi vsque ad depositionem, atque digniorem pro ipso subrogandi. Extant Litteræ in Regesto Vaticano, quas hic duplici ex causa libet inserere: tum, vt appareat retrò datis Litteris nostros præcisè missos contra Hæreticos; extra quorum causas, nihil omninò possent, nisi ex speciali mandato Summi Pontificis: tum, vt ostendam potestatem ordinariam Episcoporum non translatam ad alios ab Innocentio, sine vrgente ratione, quæ vt non omnes, aliquos comprehenderet; & vt minimum Prouinciæ Metropolitam, etiam vsque ad infamiam dehonestaret. Sunt autem tales [a]:

lib.7.ep.79.

2. *Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis Filiis Abbati Cisterciensi, & P. & R. Monachis Fontis Frigidi apostolicæ Sedis Legatis.*

Quia omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas, vt prophetica vox testatur; non est mirum, si membra, capite languente, languescunt, & ad subditos deriuatur corruptio Prælatorum. Præsertim, cùm canes muti non valentes latrare, ad vomitum redeant, vel quæ vomuisse debuerant, amplexantur; & pastores pascentes potiùs semetipsos, nec voce, nec baculo fugant lupos, in ouile Dominicum sæuientes. Sanè, si Sacerdos peccauerit, faciet delinquere populum: & cùm fuerit Sacerdos, vt populus; Pastore, tam in mente, quàm in lingua percusso; dispergentur oues, ac prodantur: & cùm non habeant Doctorem in biuio, declinant ad dogmata seductorum, & insidiantium prædæ. Sicut enim nostris est auribus intimatum, Archiepiscopus Narbonensis in tantum est in Pontificalis officij executione remissus, vt non immeritò videatur, tanquam arbor sterilis, terram inutiliter occupare: cùm Narbonensem Ecclesiam iam per tredecim annos tenuerit occupatam, & nec semel etiam Narbonensem Prouinciam, vel Diœcesim visitauerit.

Vnde cùm non sit, qui pro domo Domini se murum opponat, ascendentibus ex aduerso, eiusdem Archiepiscopi negligentia faciente, in partibus illis hæretica prauitas plurimùm pullulauit, ita vt Hæretici passim, & publicè dogmatizarent, seducàm incautos, quos tanto facilius post se trahunt, quantò ex vita ipsius Archiepiscopi, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ sumunt pernicioſius argumentum, & aliquorum crimina refundunt in Ecclesiam generalem. Nam idem Archiepiscopus, tanquam qui non nouit, qualem se debeat Episcopus exhibere, neglecta pontificalis officij honestate, quasi ad idololatriam se conuertit, dum seruit auaritiæ, non doctrinæ: & docere præsumit, quòd non sapiat hæresim simoniæ: quod ipse non saperet, si quid super hoc semel Canones sapuissent. 3.

Præterea, cùm in Lateranensi Concilio sit statutum, vt qui Brabantiones, Aragonenses, Nauarros, Basclos, & Cotarellos conducere præsumpserint, vel fouere, per Ecclesias in diebus Dominicis, & aliis Solemnitatibus excommunicati publicè nuncientur: & eisdem omninò cum eis sententia, ac pœnitentia subiaceant, nec ad cognitionem recipiantur Ecclesiæ, nisi societate illa pessima, & hæresi abiurata. Archiepiscopus ipse non solùm huiusmodi non euitat, sed Nicol Ducem Aragonensem, & Populatorem Patriæ, & Monasteriorum, & Ecclesiarum quasi assiduum destructorem, & quem bonæ memoriæ prædecessor, ipsius Archiepiscopi excommunicatum publicè nuncianit in duobus castris suis, videlicet, Capitis Stagni, & de Cruscadas, vbi de nouo pedagium statuit, villicum stabilitit, qui Archiepiscopo præsenti, præda, quam de quodam Castro Catholicorum adduxerat, ad vnum Castrorum ipsorum ducere non expauit. 4.

Cùm

5. *Cùm insuper iuxta verbum Apostoli, Episcopum esse oporteat hospitalem; hospitalitatem non exhibet, neque eleemosynam elargitur: & corpore sæpè sano, per vnam, vel duas hebdomadas ad Ecclesiam non accedit: unde à quibusdam hæreticus reputatur. Insuper Ecclesias Capitis Stagni, & de Montell, cùm dudum vacauerint, in manu sua, contra canonicas detinet sanctiones. Similiter etiam à quondam Magalonensi Episcopo, priusquàm ei consecrationis munus impenderet, exegit, & accepit solidos quadringentos: prout Magalonenses Canonici parati fuerunt, coram Venerabili Fratre nostro, tunc Massilienſi Præposito, nunc Episcopo Forolivienſi probare. Præterea, cùm decem, & octo Canonici antiquitùs esse soleant in Ecclesia Narbonensi, nunc per negligentiam, vel malitiam potiùs Archiepiscopi memorati, dimidiatus est numerus; cùm iam non sint Canonici, nisi nouem; quorum tres licèt alibi suas habeant dignitates, & prebendas; tamen ibidem detinere præsumit in Ecclesia detrimentum, quæ defectum maximum patitur Ministrorum.*

6. *In tantum autem idem Archiepiscopus se in spiritualibus exhibet negligentem, licèt sit in temporalibus circumspectus, vt non solùm non inhibeat, sed permittat, vt Berengarius de Monan, licèt sit Canonicus Regularis, imò à biennio iam relatus sit Canonicus Regularibus in Abbatem; Archidiaconatus nihilominùs, tam locum, quàm redditus detineat in Ecclesia Narbonensi, & quatuor, vel quinque parochiales Ecclesias, & Canonicam Biterrensem. Similiter & Magister P. licèt Abbas sit in Ecclesia S. Pauli, & in eadem maiorem obtineat Sacristiam; Archidiaconatum tamen detinet Narbonensem: cùmque ratione Abbatiæ debeat esse Sacerdos; nondum tamen in Presbyterum est promotus: & quamuis annus integer sit elapsus, quod Magister B. quondam Archidiaconus Narbonensis, viam fuit vniuersæ carnis ingressus; nulli tamen adhuc Archidiaconatus, quem ipse habuerat, est collatus. V. etiam de Boiam, licèt fornicariam publicè teneat, ex qua filios, & filias, populo sciente, suscepit, Canonicam detinet Narbonensem.*

7. *Tantam autem ex infirmitate capitis, membra contrahunt corruptelam, vt multi Monachi, & Canonici Regulares, & alij Viri religiosi, Habitu Religionis abiecto, fornicarias publicè teneant, quarum quasdam subtraxerint ab amplexibus maritorum, vsuras exerceant, aleis, & venationibus vacent: aduocati, assessores, & Iudices in causis secularibus, prædicta pecuniæ summa fiant, sententias in sè ioculatorum assumant, & vsurpent officium Medicorum. Ex hoc quoque perditionis exemplum ad laicos deriuant, cùm populares vinentibus vxoribus propriis, adulteras superducant, quas persæpe quadam ecclesiastica, in scandalum populi, & insultationem Hæreticorum, ad processionem recipere non verentur; neque, quod peius est, Prælati Ecclesias suas Hæreticorum fauoribus committere formidant.*

8. *Quia igitur tanta temeritatis, & enormitatis excessus dissimulare non volumus, nec debemus. Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad Narbonensem Ecclesiam accedentes, inquiratis super his, & aliis, quæ fuerint inquirenda, plenius veritatem: & si vobis constiterit de præmissis, vel de aliquibus prædictorum, propter quæ idem Archiepiscopus sit meritò deponendus; ponentes ad radicem arboris infructuosæ securim, ipsum, auctoritate nostra suffulti, sub apostolica obedientia deponatis: mandentes his, ad quos ius pertinet eligendi, vt de consilio vestro personam idoneam sibi eligant in Pastorem. Quod si consiliis vestris acquiescere forte noluerint infra tem-*

9. Inquisitione facta per Legatos, quod ex aliis Litteris Innocentij Papæ constat, Archiepiscopus eundem appellauit; siue maiorem indulgentiam inde sperans, vbi maior authoritas; siue in quo minor notitia delictorum, minor rigor Iustitiæ; eóque faciliùs quæcunque excusationes admitterentur; seu tandem eludendæ pœnæ per dilationes, quod sæpè malum Iura ipsa permittunt. Constat, appellationem interpositam: sed nihil vltrà factum ab appellante, quousque cùm timeret procedendum ad cognitionem causæ, velut desertæ, nuncium ad Summum Pontificem direxit: verùm non prosequendæ appellationi; sed excusandæ moræ: quod idem Pontifex Innocentius grauiter ferens, talem ad eum post annum scripsit epistolam [c]: c *lib. 8. epist. 160.*

10. *Cùm super his, quæ contra te nobis denunciata fuêre, Legati nostri diligenter inquirerent veritatem, sicut accepimus, ad nostram audientiam appellasti, vt canonicam eluderes disciplinam: ipsi vero malentes appellationi deferre, quàm ad sententiam properare, inquisitionem fideliter factam, sub suis nobis transmisêre sigillis, vt de vultu nostro prodiret indicium æquitatis. Expectantes igitur expectauimus, si fortè, vel per te ipsum accederes, vel saltem idoneum dirigeres responsalem, ad appellationem interpositam prosequendam. Sed tu neutrum facere curauisti: qui, etsi quendam ad nos nuncium destinaueris; illum tamen non ad prosequendam appellationem, sed ad tuam excusandam moram misisti. Vnde, si iuris voluissemus sequi rigorem, potuissemus vtique secundùm inquisitionis fidem, in te canonicam exercere censuram. Verùm, vt omnem omninò tibi murmurandi materiam auferamus, de gratuita benignitate concedimus, vt vsque ad Septuagesimam proximè venturam nostro te conspectui personaliter representes: defensiuas te ipsum, & iustam sententiam recepturus.*

11. *Quòd si propter infirmitatis incommodum, vel ætatis defectum, aut aliam iustam causam nequiueris in propria venire persona; postquam de iusto impedimento feceris nobis fidem, nos ipsum negotium viris discretis examinandum, ac definiendum sub certa forma curabimus delegare, coram quibus tuæ possis proponere rationes, ne iudicium subeas indefensus.* Et paulò inferiùs de Abbatia dimittenda, quam retinebat: *Mandatum autem, quod super Abbatia Montis Aragonum dimittenda, nos tibi fecisse meminimus, districtè iteramus, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sexto Kalendas Iulij, Pontificatus nostri anno octauo.* id est, hoc ipso M. CC. IV. quem modò damus.

12. Romæne, per se ipsum comparuerit, an Legatorum subierit iudicium, in dubio est; & credibile in aliquibus inuentum minùs culpabilem, quamuis in aliis dyscolum; tamen non dignum, qui deponeretur. Constat post tredecim Præsulatus exactos annos, quos Innocentius numerat, octo alios præfuisse, nempe, vsque ad M. CC. XII. plùs, minúsve, quo Arnaldum Abbatem Cisterciensem eidem subroga-

rum, dicam in tempore. Certè hunc esse Bertrandum, de quo suprà, promotum ex Abbate Montis Aragonis, atque eandem Ecclesiam detinentem vsque ad hoc tempus, duo nobis indicia manifestant. Alterum, quòd in Catalogo Archiepiscoporum Narbonensium [d], electus dicitur anno M.CC.XCI. à quo, si ad eum, in quo Innocentius scripsit, nempe, hunc M.CC.IV. cui nunc incumbimus, calculum deducas, tredecim illos inuenies permansisse, quibus ab eo occupatam Sedem Pontifex narrat. Alterum, quòd eodem anno penè, & die, antecedenter ad Arnaldi, & sociorum inquisitionem, nedum sententiam, priuatus legitur ab eodem Innocentio Abbatia suprædicta, Litteris aliis ad ipsum destinatis, quas mox subiungo.

d apud Ioan. Chenu.

13. Igitur, quod hîc etiam addendum censeo, hoc ipso anno Ferdinandus Aragonius, Alfonsi Regis filius, Petri frater, quem dudum Monachum Cistercien sem in Populeto diximus induisse, post octo annos peractos in Monachatu, Archiepiscopo Tarraconensi agente, cui id munus iniunctum ab Innocentio, ea, quæ Regis fratrem decebat, acclamatione, in Abbatem Montis Aragonis promotus est; cùm priùs Pontifex Bertrandum depositisset; Litteris datis ad eum, in quibus ista: *Quia occasione Abbatiæ Montis Aragonis, super qua olim tecum Sedes apostolica dispensauit, debitum officij pastoralis subtrahis, tam Ecclesiæ, quam Prouinciæ Narbonensi: et, dum præesse cupis vtrique; quod dolentes dicimus, neutri prosis: vtpote qui vix vni sufficis prouidere. Nos iam pridem volentes incommodis, quæ ex hoc sequuntur, occurrere, ne commissus tibi grex Dominicus, luporum pateret morsibus, & hæretica prauitas in Prouincia Narbonensi amplius pullularet, tibi dedimus in mandatis, vt relicta penitus Abbatia, contentus esses Ecclesia Narbonensi, cui sic tamè posses melius prouidere, quamò te de cætero minùs sollicitudo traheret Abbatiæ. Quia nondum verò est adhuc mandatum apostolicum executum, attendentes sollicitè, quòd*

e ex Regestis Vaticanis.

priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate: nos ipsi eadem te Abbatia priuamus: mandantes Canonicis constitutis in ea, vt personam idoneam canonicè sibi eligant in Abbatem. Venerabili quoque Fratri nostro Archiepiscopo Tarraconensi mandamus, vt nisi illi mandatum nostrum executi fuerint, infra mensem, ipse illis idoneam personam præficias, qua ipsis non tam præesse noueris, quàm prodesse. Datum Laterani, 4. Kalendas Iunij.

14. Hæc de Abbatia Archiepiscopo sublata. Porrò de Ferdinandi in eiusdem Bertrandi locum substitutione, concordant omnes Scriptores Aragonenses: & nos multa de ipso inferiùs dabimus, cùm frater mortuo, regnum nepotis ambiat. Notior, ex quo Cistercium egressus est: sed non ideò laudatior: certè feliciùs latuit, vt ex infrà dicendis apparebit. Verùm autem Bertrandi depositio, aliàs iusta, & debita, in gratiam tamen Petri facta sit, vt frater eius Ferdinandus subrogaretur, neque negare ausim, neque asserere. Constat [f], hoc anno Petrum intrasse Romam superbo comitatu, pompáque, ab Innocentio III. coronandum. Porrò ab eo coronatum ritu solenni, tot, ac tanta Ecclesiæ contulisse, vt & sibi Catholici cognomen, & posteris memoriam haud contemnendam in Curia permansuram comparuerit: nempe, vt insignia Aragonensium Regum (quatuor fasciæ rubræ in campo aureo) præuiæ Cruci suppositæ, itinerantem Pontificem præcedant. Quin sunt, qui velint, quòd in Bullis pontificiis, siue cera, siue plumbo consignentur, fila pendentia rubra, & aurea sint, eademmet insignia, & eorum colores præseferre. Ita Anthonius Beuter in sua Historia [g], & alij Aragonenses Scriptores. Ergo, quo tempore quærebat Innocentius nouos honores, quibus benefico in Ecclesiam Regi gratiam rependeret, nil mirum, si quam dudum debuisset expedire Ecclesiam à detentore, tunc demum expedierit, vt ad eam Ferdinandus promoueretur.

f *vide Bzou. hoc ann. n. 10.*

g *lib. 2. c. 10.*

---

1. *Querelis Ioannis Angli de Philippo*, 2. *Innocentio propositis*, 3. *ipse Iudex violatæ Religionis*, 4. *Ioannem, Casemarij Abbatem, Legatum mittit, qui Episcopos Galliæ Meldis congregat.* 5. *Acta in eo Concilio.* 6. *Nostri inter primos Liuoniæ Prædicatores.* 7. *Innocentij in eosdem ostensa charitas.* 8. *Perpensa occasio decisionis eius*, 9. *in cap.* Dilecti Filij. *de arbitris*: 10. *& Adolphus Conuersus in Campo veteri.*

CAPVT V.

1. INTERIM inter Reges Gallorum, Anglorúmque, Philippum, & Ioannem, continua odia; & Philippus, tum opibus superior, tum fide, & charitate subditorum, quæ Principibus arma potentissima; ius, & æquum ex potentia computabat: siue fortè in violentum detentorem Regni reportum, nihil sibi credebat fore illicitum. Conuenerat iam dudum inter vtrumque in causa Comitatus Pictauiensis, quem Ioannes Anglus in feudum accepisset Pactis, etsi vtrinque firmatis per iuramentum, Philippus non stetit: sed eundem Comitatum armis inuadens, contra fidem, contra Religionem, vi occupauit. Ioannes, quod armis efficere non poterat, precibus primùm, obtestationibúsque: inde, cùm neque per illas quicquam proficeret, negotium Innocentio denunciauit: siue præueniens Iudicem, seu faciens, vt eius sibi gratiam conciliaret. Verùm, quæ in hoc negotio gesta sint, quia per Ioannem, Abbatem Casemarij, primùm ex Bzouio, qui pauca, & diminuta; reliqua ex Litteris Innocentij Papæ pandamus. *Innocentius*, ait [a], *ad se pertinere existimans crimina quorumcunque Christianorum corrigere, & castigare: vniuersis Prælatis Galliarum scripsit, vt Regem Philippum ad restitutionem Comitatus, & ad iuramentum seruandum inducerent. Quòd si contemneres pactis stare, & continuates peierare, anathemate consumacem percellerent, & interdicto totum Regnum subiicerent. Caterùm, quia aliquis potuisset Innocentio imponere: quasi is iurisdictioni regiæ, in cognoscendo feudo derogaret, excusabat, atque ius vindicandi crimina etiam in Regibus asserebat, ista memoranda epistola.* Sic Bzouius, epistolam subiungens, quam nos statim, sed mutilam, & mancam, etiam in his, quæ ad Historiam facere possunt: adeóque multa reticentem, quæ prodit integra. Ergo Innocentius, vt negotium aliàs arduum (quippe in quo de totius Pictauiæ iure, neque inter homines

a num. 16.

homines stare iuri solitos, sed inter Reges, quibus ius in armis, & vires pro iustitia, disceptabantur,) expediret facilius, potentiusque; atque ita oppresso Regi prospiceret, vt aduersarium, quanuis opprimentem, inauditum omninò non condemnaret; prudentem virum, & probatum longa experientia Ioannem, Casemarij Abbatem, in Franciam misit, reuocaturum ad semitas iustitiæ, & Christianæ obedientiæ deuium Regem, vt vel cessaret ab iniusta detentione Comitatus Pictauiæ; vel, si placeret iudicium experiri, ab eodem Abbate, simul & ab Archiepiscopo Bituricensi, S. Guillelmo ex Cistercio etiam assumpto, (quem ad hoc solum Legatiæ socium addebat,) expectaret sententiam, cui ab vtroque Rege standum foret. Quòd si forassis vtrunque recusaret; gladium Abbas exereret, atque ipsum anathemati subiiceret, & interdicto Regnum, quoadusque Pictauia restituta, Rex tandem seriò Ecclesiæ restitueretur. Porrò hanc sententiam ab Abbate promulgandam, si ita euentus ferret, vt Archiepiscopi, & Episcopi obseruarent, & obseruari facerent, talem ad eos epistolam scripsit.

2. *Nouit ille, qui nihil ignorat, qui scrutator est cordium, ac conscius secretorum, quòd charissimum in Christo Filium nostrum, Philippum Regem Francorum, Illustrem, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta diligimus, & ad honorem, & profectum, & incrementum ipsius efficaciter aspiramus; exultationem regni Francorum, sublimationem apostolicæ Sedis reputantes. Cùm hoc regnum benedictum à Deo, semper in ipsius deuotione permanserit, & ab eius deuotione nullo vnquam, sicut credimus, sit tempore discessurum: quia, licèt interdum hinc inde fiant immissiones per Angelos malos: Nos tamen, qui Satanæ non ignoramus astutias, circumuentiones ipsius studebimus euitare: credentes, quòd idem Rex illius seduci se fallaciis non permittet. Non ergo putet aliquis, quòd iurisdictionem, aut potestatem ipsius minuere, aut perturbare velimus; cùm ipse iurisdictionem nostram, & potestatem non debeat, aut velit etiam coarctare. Cùmque iurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam vsurpare velimus? Sed cum* [b] *Dominus dicat in Euangelio* [b]: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum; quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. *Et Rex Anglis, sicut asserit, sit paratus sufficienter ostendere, quod Rex Francorum peccat in eum: & ipse circa eum in correctione processit secundum regulam euangelicam: & tandem, quia nullo modo profecit, dicit Ecclesiæ: quomodo nos, qui sumus ad regimen vniuersalis Ecclesiæ superna dispositione vocati, & mandatum diuinum possimus exaudire, vt procedamus secundùm formam ipsius; nisi forsan ipse coram nobis, vel delegato nostro sufficientem in contrarium rationem ostendat? Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, nisi forte iuri communi per speciale priuilegium, vel contrarium consuetudinem, aliquid sit detractum; sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quolibet possumus, & debemus.*

3. *Non igitur iniuriosum sibi debet regia Dignitas reputare, si super hoc apostolico iudicio se communiat: cùm Valentinianus, inclytus Imperator, Mediolanensibus Suffraganeis Ecclesiæ dixisse legatur*: Talem in pontificali Sede constituere prouitate, cui & nos, qui gubernamus imperium, syncerè nostra Capita submittamus, & eius monita, dum tanquàm homines deliquerimus, suscipiamus necessariò, velut medicamenta curantis. *Vt illud humiliter omittamus, quod Theodosius fatuit, & Carolus inuocauit, de cuius genere Rex ipse nosci tur descendisse*: Quicunque, *videlicet*, litem habens, siue petitor fuerit, vel initio litis, vel discursis temporum curriculis, siue cùm negotium perorator, siue cùm iam cœperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ Sedis Antistitis, illicò sine aliqua dubitatione, etsi pars aliqua refragauerit, ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. *Cùm non humanæ constitutioni, sed diuinæ legi potiùs innitamur: quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo: nullus enim, qui sit sanæ mentis, ignorat, quia ad officium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum; & si correptionem contempserit, ipsum per districtionem ecclesiasticam coercere. Quod enim debeamus corripere, & possimus, ex vtriusque patet pagina Testamenti, cùm clames Dominus per Prophetam* [c], Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam; & annuncia populo meo scelera eorum. *& subiungat ibidem*: Nisi annunciaueris impio impietatem suam; ipse in iniquitate, quam operatus est, morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. *Apostolus quoque nos monet* [d]: Corripe inquietos. *Et alibi dicit idem*: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. *Quòd autem possimus, & debeamus coercere, patet ex eo, quod inquit Dominus ad Prophetam, qui fuit de Sacerdotibus Anathot* [f]: Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, ædifices, & plantes. *Constat verò, quod euellendum, destruendum, & disperdendum est mortale peccatum. Præterea, cùm Dominus claues cœlorum regni Petro tradidit dicens ei* [g]: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis. *Verum nullus dubitat, quin omnis mortaliter peccans apud Dominum sit ligatus. Vt ergo Petrus diuinum iudicium imitetur, ligare debet & in terris, quos ligatos esse constat in Cœlis. Sed forsan dicetur, quòd aliter cum Regibus, & aliter cum aliis est agendum. Caterùm scriptum nouimus in lege diuina* [h]: Ita magnum iudicabis, vt paruum: nec erit apud te acceptio personarum, *quam Beatus Iacobus intervenire testatur* [i]: Si dixeris ei, qui indutus, est veste præclara: Tu sede hic benè, pauperi autem dicas: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum. *Et licèt hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocemus ab errore ad veritatem, & à vitio ad virtutem; præcipuè tamen, cùm contra pacem peccauit, quod est vinculum charitatis. Et infra* [k]: Numquid apud nos debet esse pondus, & pondus, mensura, & mensura, quorum vtrumque est abominabile apud Deum? *Postremò, cùm inter Reges ipsos formata fuerint pacis fœdera, & vtrinque præstito iuramento firmata, quæ tamen seruata vsque ad præfixum terminum non fuerunt, nunquid non poterimus de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium Ecclesiæ non est dubium pertinere, vt rupta pacis fœdera reformentur? Ne igitur tantam discordiam videamur, sub dissimulatione fouere, dissimulare religiosorum locorum excidium, stragem negligere populi Christiani, dilecto Filio Abbati Casemarij, dedimus in præceptis, vt nisi Rex ipse, vel solidam pacem cum prædicto Rege reformet, vel treugas ineat competentes, vel saltem humiliter patiatur, vt idem Abbas, & Venerabilis Frater noster Archiepiscopus Bituricensis de*

[c] Isaiæ 58.
[d] 1. Thess. 5. 2. Tim. 4.
[f] Ierem. 1.
[g] Matth. 16.
[h] Deut. 1.
[i] Iacobi 2.
[k] Prou. 20.

plura cognoscant, verùm iusta sit querimonia, quam contra eum proponit coram Ecclesia Rex Anglorum, vel eius exceptio sit legitima, quam contra eum per suas nobis duxit literas exprimendam; iuxta formam sibi datam à nobis, procedere non omittat. Ideoque Vniversitati vestræ per apostolicam Sedem mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus, postquàm idem Abbas super hoc mandatum fuerit apostolicum executus, sententiam eius, imò nostram verius recipiatis humiliter, & vos ipsi servetis, & faciatis ab aliis servari; scituri, quòd si secus egeritis, inobedientiam vestram graviter puniemus. Hactenus Innocentius in epistola, quæ magna ex parte inserta Corpori iuris, habetur in cap. *Novit ille.* 13. de iudiciis. Integra autem vulgata est ab Anthonio Augustina in suorum Decretalium collectione.

Portò ex illius verbis facilè videas, negotium totum Abbati soli commissum, qui Regem moneret, obsequentem iudicaret, & in non obedientem ferret sententiam; non Archiepiscopis, Episcopisque, vt falsò asserit Bzouius; quibus sola obseruantia, & (excepto Guillelmo) nulla omninò potestas iniuncta fuit. Adieritne Regem immediatè, cùm primùm Alpes transiit, in dubio est: constat Ioannem, cùm ipsum conuenisset per litteras vt minimùm, nec satis obsequentem expertus esset, congregasse Concilium apud Meldas, legendis in eo Innocentij Papæ Litteris, & siue consulendis Galliæ Patribus, super pace tractanda, & Regis animum ad obsequium inducendo; seu promulgandæ, maiori authoritate, in rebellem sententiæ; atque intimandæ cunctis, vt ipsi saltem Legato semper assisterent, & mandata Pontificis, in his, quæ iubebantur, exequerentur. Prælati vt erant in Regem suum fidi; sed nihilominùs obsequentes Summo Pontifici, timentes forsan non sibi, sed toti Regno, quod proculdubiò turbandum, turbato Rege; dum Ioannem Anglum præuaricatorem pactorum non minùs allegant, antequàm obedirent, Innocentium putarunt consulendum. Cæterùm, ne Legato imputaretur, quòd minùs parebant, appellationis remedium intentarunt, præfixa die, de communi omnium consensu, qua se conspectui Innocentij præsentarent. Constant hæc omnia ex Litteris eiusdem occurrentis paremnè, viæ incommodis; atque indulgentiis, vt appellationem prosequerentur indemnes à grauamine, prout Regno pariret, Sacerdotióque magis putarent expedire. Litteræ autem expeditæ mense Augusto, tales erant [d]:

d lib. 8. epist. 134.

Archiepiscopis, & Episcopis per Galliam constitutis.

Ad nostram noueritis audientiam peruenisse, quod cùm dilectus Filius, Abbas Casemarij, Nuncius noster, vos Meldis ad colloquium conuocasset, exhibitis Litteris, quæ vobis pro reformanda pace inter charissimos in Christo filios nostros Philippum Francorum, & Ioannem Anglorum, Reges illustres, à Sede apostolica mitrebantur, habito consilio, respondistis, quòd cùm prædictus Rex Anglia, iuxta nostrarum constantiam Litterarum, minimè processisset, vos propter perplexitates multas, & magnas, quas imminere verebamini Ecclesiæ Gallicanæ, nos consulere decreuistis; & ne interim prefatus Abbas procederet, ad nostram audientiam appellastis, certum appellationi terminum præfigentes, ad quam prosequendam data fide, in manu eiusdem Abbatis, vos per pacis osculum adstrinxistis: ita quòd post terminum esset ab officio pontificali suspensus, si quis appellationem ipsam in termino prosequi non curaret, præsentibus Nuncijs Regis vestri, qui hoc ipsum vobiscum pariter approbarunt. Verùm autem prefatus Abbas exegerit huiusmodi cautionem, an vos spontanèo obtulistis, ignoramus. Commendamus tamen in illo zelum, si gratis recepit oblatam; & in vobis deuotionem, si spontaneam obtulistis. Verùm quia fidem, & obedientiam vestram nos, & prædecessores nostri sumus frequenter experti, vt ostendamus affectum, quem non solùm ad vos, & Ecclesias Gallicanas; verùm etiam ad ipsum Regem, & Regnum Francorum habemus: nolumus vos hoc titulo tenere ligatos; sed appellationem interpositam prosequamini, prout Regno, & Sacerdotio noueritis expedire: quia nos ita volumus. Sacerdotij iura integra conservare, vt etiam Regni iura custodiamus illæsa. Datum Laterani septimo Idus Augusti. Hæc Innocentius. Portò autem prima executione semel dilata, varij incidêre in vtroque Regno casus: sed præcipue in Anglia, per quos suspensa: de quibus, quia Cistercium etiam tangunt, nos adhuc plura in sequentibus dicemus.

Ab eodem Abrahamo Bzouio notatum lego, hoc item anno Innocentium, Summum Pontificem, de continuata Liboniæ conuersione, à Bertoldi Martyrio, per eius successorem certiorem factum, nouos illuc misisse Prædicatores, ex Cistercio præcipuè; tum, quòd præ aliis, Cistercienses desiderarent, qui operi insistebant: tum, vt ab his, qui cœpissent, & promouissent, glorioso fine, vt sperabat, consummaretur. Quare etiam ad Bremensem Archiepiscopum, & Suffraganeos illius litteras dedit, vt transmittendis in vineam operariis, ex suis quisque Prouinciis, omnem operam dare non desisterent; assignata ratione in ipsis Litteris, quòd *Venerabilis Frater noster A. Liboniorum Episcopus, ad conuersionem illorum operam tribuens efficacem, tres Religiosorum Ordinum fructuosos expertus, Cistercium, videlicet, Monachorum, & Canonicorum Regularium, qui disciplina insistentes pariter, & doctrina, spiritualibus armis contra bestias terræ pugnent, & fidelium laicorum, qui sub Templariorum Habitu Barbaris infestantibus ibi nouellam plantationem, resistant viriliter, & pariter studuit ordinare.* Ergo à Beato Bertoldo gentis Apostolo, velut deducta serie, vsque ad omnimodam eius reductionem, non vnquam Cistercienses defuêre.

Verùm, qui nostris sine vlla intermissione, differentiáve, iniungebat negotia Christi, & Ecclesiæ, eorum interim, quæ passim emergebant, officiosus, negotia procurabat; & quantùm poterat, etiam promouebat. Nam & hoc anno litigante in Burgundia cum Clataualle, Ecclesia Sancti Benigni Diuionensis, & decisionem litis retardante, velut quæ posset deteriorari; Eduensi Episcopo causam delegauit, præcepitque [f], *Vt inquisita diligentius veritate, si ipsos Diuionenses constiterit adeò contumaces, vt etiam infra annum nullam obtulerint cautionem, Clarauallenses constitutas authoritate apostolica possessores, &c. Datum Romæ, anno 7.* & in Hibernia, pro Ecclesia Meilrosensi, in quam nobiles quidam surrexisse, delegatis Iudicibus iniunxit [g], *quatenus authoritate nostra suffulti, ad sententiam pro Monasterio proferendam, non obstante appellatione, procedatis, &c.* Atque huius generis multæ aliæ Litteræ extant, ad diuersos per diuersas Prouincias hoc anno datæ ab eodem Innocentio, in quibus sempor Cistercium prætaluisse, vt multùm arguat ipsius circunspectionem, quòd nunquam litigaret pro causis dubiis; nonnihil tamen commendare etiam videtur affectum Iudicis, qui in iustis nunquam pateretur periclitari.

f lib. 7. epist. 183.

g epist. 191.

Has inter omnes, celebriorem vnam, nec quia maiorem, difficiliorémve: sed, quia occasionem dedit:

dedit vulgari textui, in cap. *Dilecti Filij.* 4. de arbitris, cùm hunc eundem annum etiam concernat, nequaquam libet silentio pertransire. Litigabat in Gallia quædam Domus, *Scardunam* vulgati Codices legunt: sed perperam, vt alia, cùm *Escurrejan* magis legendum foret; cum Fratribus Hospitalis Ierololymitani, de vsufructu cuiusdam vicini nemoris. Istis expensis, molestiisque fugiendis, placuit per arbitros rem determinare: sed inter partes tantæ authoritatis, potentiæque; quis nisi magnus auderet sententiam ferre? Regina Agnes (Bertoldi, vt puto, filia, quarti Moraviæ Ducis, quam, repudiata Ingelberga, Philippus duxerat, quanuis iam tunc ab ea separatus, & legitimo thoro redditus erat) hæc, inquam, Agnes, ni fallor, electa est, cuius arbitrio controuersia dirimeretur. Illa vocatis vicinis Pontificibus, quorum consilio rem determinaret, pro Monachis, contra Hospitalarios sententiam protulit, quam non suo solùm, sed Episcoporum sigillis munitam, vtrique parti fecit intimari. Vnde litibus obuiam iri posse creditum est, nouæ litis materia pullulauit. Hospitalarij impatientes æquitatis, iustitiæque, cùm in sententiam dicere non possent, in Iudicem actionem intentarunt, Reginámque incapacem ex sexu, totius iurisdictionis; nec solùm quicquid ab ipsâ iudicatum, sed compromissum iritum esse, multis productis argumentis disceptabant. Quippe à solio exturbatam, non sunt veriti, quam paulò antè Philippo conregnantem, vltrò etiam placitantem formidauissent. Tum verò res delata ad Innocentium, atque auditis vtrinque allegationibus, per delegatos Iudices, Cancellarium, & Magistrum Lotharium Parisienses; tandem ab ipso pro Reginæ facto, adeóque etiam pro nostris, iudicium prodiit, Litteris ad eosdem Iudices datis, quæ in corpore Iuris, mancæ, & mutilæ; supplenda tamen, ex integris, lacuna, eáque satis exigua, quæ ita habent, [b]:

h *epist.* 122.

9. *Cancellario, & Magistro Lotharío Canonico, Parisiensibus.*

Dilecti Filij Abbas, & Conuentus de Scarduno, Cisterciensis Ordinis, sua nobis querela monstrarunt, quòd cùm inter eos ex vna parte, ac Hospitalarios ex altera, super vsuario cuiusdam nemoris quæstio verteretur, in A. Reginam Francorum fuit compromissum vtrinque. Quæ causa meritis intellectis, arbitrium duxit per diffinitiuam sententiam promulgandum: & redactum in scripto proprio, & Episcoporum, qui ibi interfuerunt, fecit firmari sigillis. Contra cuius sententiam Hospitalarij temerè venire non timent. Quamuis autem, secundùm regulam Iuris ciuilis, fœminæ à publicis officiis sint remotæ; & alibi dicatur, quòd, licèt summæ opinionis existant, si arbitrium in se susceperint, vel si patrona inter libertos suos interposuerint audientiam, ab omni sint iudiciali examine separandæ; vt ex earum prolatione nulla pœna aduersùs earum contemptores, nullúque pacti exceptio habeatur: quia tamen iuxta consuetudinem approbatam, quæ pro lege seruatur, in partibus Gallicanis, fœminæ præcellentes, in subditos suos ordinariam iurisdictionem habere noscuntur: mandamus, quatenus Hospitalarios, vt arbitrium ipsum, præsertim cùm Episcoporum fuerit præsentia, & consilio roboratum, sicut prouidè latum est, & ab vtraque parte sponte receptum, obseruent, per pœnam in compromisso statutam, appellatione postpositâ, compellatis. Sic Innocentius in celebri illo textu, ob cuius-nos notitiam ista adduximus.

Circa hoc idem tempus, plùs, minúsve, in Monasterio Veteris campi Monachum induit nobilis adolescens, Adolphus nomine, antiqua quadam compunctus cæremonia, quam non alibi expressam hactenus vidi, de qua, & de ipso Adolpho ita Cæsarius [i]: *Nobilis adolescens, Dominus Adolphus, nunc Episcopus Osnaburgensis, Canonicus fuerat maioris Ecclesiæ in Colonia. Hic cùm tempore quodam ad Campum, Domum Ordinis nostri, venisset, & post Missam ad orationem in Oratorio staret, vidit, quomodo Monachi, tam senes, quàm iuuenes, ad vniuersa currentes Altaria, ad disciplinas suscipiendas nudabant dorsa sua, humiliter confitentes peccata sua. Quæ visio, sicut mihi quidam eius familiaris narrauit, tantùm boni operata est in corde adolescentis, vt abire non posset; sed sæculi pompam contemnens, & totum se ad Deum conuertens, ibidem manens, sacrum Religionis Habitum susciperet: in quo tantùm profecit, vt non multo tempore post, tum propter nobilitatem, tum propter religiositatem in prædicta Ecclesia apicem conscenderet episcopalem.* Quo tempore assumptus in Episcopum, hactenus ignotum. Certè viuente, scribentéque Cæsario, id est, post annos adhuc decem, & octo, viuebat, & regebat suam Ecclesiam. Sed iam me vocat Cruce signatorum exercitus Constantinopolitanæ vrbi incumbens; & dum Alexium, quod solùm intendebat, restituit solio, imperium sibi vendicans Græcorum, quod nunquam putasset; ac Græcam, (quòd ô vtinam diutiùs permansisset!) Ecclesiam Latinæ vniens.

10. i *lib.* 12. 26.

---

1. *Alexius patruus campestri prælio victus, fugatúsque,* 2. *& nepos restitutus auito solio,* 3. *& in eo coronatus solenni pompa.* 4. *Ratio temporis:* 5. *& epistola noui Imperatoris ad Innocentium.* 6. *Seditio populi in Alexium, Latinósque:* 7. *ac Mirtill, aut Morcisti impia proditio,* 8. *ex Sabellico amplius explicata.* 9. *Tentata alia in Latinos Cruce signatos, & exequenda, nisi Veneti Ducis prudentia, detecta esset.*

CAPVT VI.

1. DESPERATIONE magis, an fortitudine Cruce signati Græcos expugnauerint, in dubio est: constat victoria potitos præter spem; & Iuuenem Alexium, viuente patre, & solum non vidente, (quia vtroque lumine orbato, fratris flagitio,) auito solio, & imperio restituisse. Conflictum belli Scriptores paucis narrant, quia re vera resistentia Græcorum exigua fuit. Guntherus hæc tantùm [a]: *Cui* (id est, Cruce signatorum exercitui) *cum magna multitudine armatorum occurrit illi fraterne fœdis insuper, & possessor Alexius, qui breui conflictu virtutem militum vix expertus, diffidens causæ suæ, & ignauis sociorum, quos nec sibi, propter perpetrata flagitia satis fidos arbitrabatur, mox in fugam turpiter conuersus est.* Meierus eadem, sed distinctiùs aliquantulùm [b]: *Constantinopolim*, ait, *cursus dirigitur.*

a *Antiquat. lect. tom.* 5.

b *lib.* 7.

gitur: eò postquàm est peruentum, cum hoste mox decertatum: nanque Alexius tyrannus, ac gener eius Theodorus Lascaris, cum LX. armatorum millibus, nostros appulsu arcere conabatur: at tanta virtute à nostris pugnatum est, vt parum absfuerit, quin primo die vrbs caperetur; tantúsque est iniectus Alexy timor, vt nocte, quæ insecuta est, desperatis rebus, clam vrbe profugeret. Demum qui Innocentio scripsit, non multò plura [c]: *Ad conflictum sæpius ordinati inæstimabilem multitudinem, fuga, in vrbe, ignominiosa concluximus. Aptatis igitur interim terra, & mari bellicis instrumentis, die obsidionis octauo, violenter ciuitas intratur; grassatur incendium; disponit in campo contra nos acies Imperator: & paratis nobis excipere ventemes, constantiam nostram cum paucitate miratus, ignominiosè frena reflexit, in vrbem retrogressus ardentem, ipsa nocte fugam cum paucis aggreditur, suámque in vrbe relinquit vxorem, & parualam prolem.* Hæc prima Latinorum de Græcis victoria fuit: haud dubium quin conducente multùm ad eam aduentu Martini, quem noluit Deus abesse suorum gloriæ.

[c] apud Bzouium.

2. Alexij fugam Isacij senis libertas, quanuis orbi luminibus, & pueri Alexij cum ipso coronatio sequuta est: de qua, & solutione partis promissi pretij, statim subsequuta, ita Guntherus [d]: *Ciues itaque magnifica vrbis, territi fuga Regis sui, quem etiam plerique, nec priùs, propter scelera perpetrata non satis dilexerant, simúlque per nuncios à iuniore Alexio promissis, & precibus frequenter attentati: nostris quoque, contra spem suam, comminantibus excidium vrbis, nisi illum legitimum hæredem Regni in Regem susciperent: patentibus portis, illum, cum toto exercitu, infra mœnia pacifice admiserunt. Qui etiam ornatus regalibus ornatus indumentis, in sede Regni, vt decuit, absque mora collocatus, dimidiam promissæ pecuniæ partem Principibus nostris benenolè, ac liberaliter numerari iussit, sperans se id, quod reliquum erat, breuissimo tempore redditurum.* Ita ille. Meierus Isacij senis, & orbi, à carcere educti, ac restituti, sed breui vita functi, fortè ex gaudio insperato, etiam meminit [e]: *Cuius*, id est, Alexij tyranni, *cognita fuga Isacius à ciuibus custodiæ eductus est, Imperióque, quanuis amissis oculis, cum Alexio filio, in vrbem iam recepto, restitutus: iámque melior aliquantò misera ciuitati affulsit spes. At mox Isacio sene morte absumpto, turbata rursus omnia, ingens comitatus tota vrbe tumultus.* Hæc ille, ex antiquis haud dubiè Flandriæ Annalibus. Cæterùm, qui Innocentio Papæ scripsit, hæc eadem distinctiùs, & plura addens [f], quæ interuenta Ogleri Locediensis, ne quid sine Cistercio, consequuta, victoriam effecêre gloriosiorem.

[d] vbi suprà.

[e] vbi suprà.

[f] apud Bzouium.

3. *Eadem re*, id est, Alexij Tyranni fuga *comperta, nescientibus nobis, Proceres in Palatio congregantur: & exulis nostri solennis celebratur electio, seu potius restitutio declaratur, insperatámque lætitiam copiosa in Palatio lumina protestantur. Manè facto prodit in castra copiosa Græcorum Procerum multitudo, suúmque cum gaudio inæstimabili, subleuatum de carcere caput patris Isacy, quondam Imperatoris ostendunt. Præordinatis itaque, quæ necessaria videbantur, ad Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, nouus Imperator, cum solemni processione deducitur: & exuli nostro sine omni contradictione imperiale restituitur diadema cum plenitudine potestatis. His peractis, ad solutionem promissorum profilis Imperator, & promissa rebus accumulat. Victualia seruitio Domini profutura nobis omnibus præbet in annum. Ducenta marcharum millia nobis soluere pergit; & Venetiis, sumptibus suis stolium prolongat in annum, séque iuramento adstringit, quod exigere nobiscum debeat regale vexillum, sumptibus suis, & in passagio Martij nobiscum, ad seruitium Domini proficisci, cum quantis poterit mil libus armatorum, & sub eadem promissione concludit, quòd eam reuerentiam præstare debeat Romano Pontifici, quam antecessores sui Imperatores Catholici prædecessoribus suis Pontificibus, pridem impendisse noscuntur; & orientalem Ecclesiam ad hoc idem pro viribus inclinare: ac toto tempore vitæ suæ milites quingentos, cum sumptibus suis, in terra sanctæ honorificè prouisorum ad seruitium Redemptoris.* Hactenus ex epistola illi ad Innocentium, quam Bzouius adducit anno præterito, cùm in hunc tamen censeat referendam: quippe scriptam aperta ipsa victoria: quæ Martini aduentum, qui incidit in diem Circuncisionis, vt dixi, subsequuta, non potuit non ad hunc annum spectare. Potrò quæcunque in obsequium Christi, & Ecclesiæ præstitit Imperator nouus, promisitve, de consilio Ogleri prouenisse, cum paucis allis, idem Alexius scripsit ad Innocentium, litteris statim à nobis referendis.

4. Interim tamen, an hoc eodem anno, quæ immediatè sequuntur, gesta sint; an sub initium anni subsequentis, non sine scrupulo audeam diffinire. Neque enim credo tanto tempore ibidem commoratum Christi exercitum, vt alium annum potuerit præstolari. Cùm maximè omnes ferè Scriptores Baldouini Imperium in hunc referant: & aliàs vix inueniam tempus aptum epistolæ Alexij iunioris iam solio restituti ad Innocentium Papam, quam idem Bzouius transcriptam ex Vaticano, atque & Kalendas Septembris datam memorat. Sanè Constantinopolim, post huius iunioris Alexij indignam cædem, venisse iterum in Cruce signatorum potestatem, Dominica in Ramis palmarum, statim dicemus: quo tempore, sublatis de medio Græcis, Balduinus in Imperatorem electus est, ordine, & modo inferiùs memorandis. Quod si dicamus, hoc anno contigisse, non peruenit Alexius ad Septembrem, in quo Innocentio scriberet, Si verò in sequentem differamus, vltra omnium Scriptorum authoritatem, quæ in contrarium conspirat, incredibile apparet, tandiu ibi commoratum Latinorum exercitum: neque interim Christianis tulisse opem, qui apud Aconem periclitabantur, quorum negotio promouendo præcipuè venerat: à quibus vocabatur, & ad quos petrecturus ab eodem Alexio victualia accepisset, de quibus posset ad annum sustentari. Crediderim epistolæ scriptæ in alio mense (fortè Februario) per errorem Septembrem irrepsisse. Vtcunque fuerit, ea digna est, vt pro totius huius primæ victoriæ complemento, & gestorum Ogleri, quæ promisimus, nostris Annalibus veniat transcribenda: mutila quannis, vt eam Bzouius adducit. Sic autem habet [g]:

[g] apud eundem.

5. *Hæc, fateor, causa potissimùm ad subsidium nostrorum peregrinorum animos inclinauit, quod promissione spontanea sub iurisiurandi Religione Christiana, sumus deuotione pollicti, totius Christianitatis ecclesiasticum caput, Romanum, videlicet, Pontificem Apostolorum Principis Petri catholicum successorem, nos humiliter agnituros; & ad hoc ipsum orientalem Ecclesiam pro viribus inducturos, si debitum nobis diuina miseratio restituisset Imperium. Intelligentes profectò, quòd accidere debeat plurimùm honoris, & vtilitatis Imperio, & nomini nostro decus æternum, si tunica Domini inconsutilis, suam nostris temporibus, & operibus, recipiat vnitatem: & hoc quidem, vt dictum est, tam peregrinis vestris sub iuramento promisimus, quam P. V. exhibere plenius præoptamus, omnem vobis, & successoribus vestris canonicè substituendis deuotionem per præsentes litteras promittentes, quam antecessores nostri Imperatores Catholici, prædecessoribus vestris Patribus ortho-*

doxis

thodoxis Romanis Pontificibus antiquis exhibuisse noscuntur. Illud pariter promittentes, quod opportunitate nobis à Domino præstita salutari, ad idem orientalem Ecclesiam tam prudenter inclinabimus, quàm potenter: super quo prudentiæ vestræ consilio desideramus imitis. Ad hæc præcepta, inducti præcipuè consiliis salutaribus, & monitis Venerabilium Patrum, Suessionensis, Alberstadensis, & Trecensis Episcoporum, Abbatis de Locedio, & Magistri Ioannis Noviomensis. Datum in Vrbe Regia, 8. Kalendas Septembris. Ita puer Alexius ad Innocentium; vt vere multa sperari bona possent, ex eius ad Imperium Græcorum restitutione.

6. Hunc rerum statum felicem proculdubiò, stare diu nescia, turbauit sors; siue morte Isacij, vt vult Meierus; siue solutæ, soluendæque pecuniæ caritate, & timore exactionum, quæ imminebant ad eius collectionem, quæ populos plerunque labefactant; seu tandem ipsa rerum humanarum inconstantia, quæ vel sine occasione mutari solent: & tamen hæc mutatio Græcis in peius, contra ipsorum spem; Latinis præter omnem expectationem Constantinopolitanum Imperium comparauit. Rem ex Gunthero priùs breuiori stylo, si quid defuerit, ex aliis propalabo [b]: *Manserunt* (ait) *nostri in ipsa ciuitate per aliquot dies: & tam noui Regis, quàm ciuium ipsorum obsequio moderatè vtentes, id maximè cauebant, ne cui oneroſi hospites viderentur. Sed quoniam ciuitas ipsa, licèt magna, & spatiosa duobus populis, tam diuersis linguâ, & moribus, nec satis mutua dilectione consentientibus, tantæque hominum, & equorum multitudini sufficere non valebat; placuit his, vt relicta vrbe in locum planum, atque diffusum sese reciperent: vbi positis castris, promissa Regis commodius expectarent. Quibus vrbem egressis, cæpit oriri quædam ciuium aduersùs Regem seditio, plerisque murmurantibus, quòd ipse hominibus peregrinos, & à moribus suis alienos tam foueret effectu, & iam ferè totius opes Græciæ sine causa ad eos transtulisset: & adhuc tantumdem, vel forte plura, spoliato Regno suo, eis largiri proponeret. Quam rem cum omnes ferè quererentur, assi sunt etiam ipsum Regem potenter arguere, publicè prohibentes, ne Regnum suum pro commodis spoliaret alienis: nec suorum inopiam præda facere aliorum: sed eos, tanquàm rerum alienarum cupidissimos imasores, pariter cum ipsis persequeretur, & perderet. Quæ illorum seditio nouum Regem vehementer exterruit: tum propter ciuium eorum perfidiam, qui eum coacti susceperant: tum propter illam, quam in nostros habebat, dilectionem: tum propter iuramentum, quod de reddenda pecunia, bona fide præstiterat. Videres eum graniter anxiari, quasi medium inter suorum nequitiam, & amorem nostrorum; & gratiam Philippi Regis: quem, si nostros vel falleret, vel laderet, grauiter metuebat offendere.* Hactenus ille.

[b] apud Canisium.

7. Addit Sabellicus [h], *Alexium, dum à plebe sibi timet, consilio supra ætatem vsum, alta voce pronunciasse, futurum se ipsorum ciuium potestate; atque hac voce compressisse furentem populum.* Verùm, qui se ab infimæ vulgi furore, à proditione non potuit liberari, eò minùs timenda cuicunque bono, quò magis pater eius Isacius proditorem beneficiis sibi deuinxerat: sed, quæ hominum plerunque conditio est, eò frequentiùs, & promptiùs exequenda. *Cùm ergo Alexius puer* (ait Guntherus [i]) *ad tantum facinus* (scilicet, in Cruce signatos perpetrandum, quod populus suadebat) *non facilè posset impelli: Murcisius ille, cuius fecimus mentionem, cuius consilio pater eius excæcatus, & in carcerem retrusus fuerat, eum propriis manibus suffocauit, dicens: Minus esse malum, si solus ipse præsentis vitæ foret exemptus, quam si totius Græciæ opes ad ignotos quosdam homines, eius stultitia transferrentur. Quo sublato de medio, ipse tanquàm homo Regij generis, & ipse quoque sanguine purpureus, diadema sibi imposuit, & regiam sedem tam audacter, quam impudenter occupans, cæpit de Regni negotiis, & nostrorum perditione crudeliter cogitare.* Hæc paucis ille: sed nos totius proditionis progressum verbis Sabellici, quæ & Bzouius adducit, paulò distinctiùs, & fusiùs declaremus [k].

h Æneade 9. lib. 5.

i vbi suprà.

k Sabellicus vbi suprà.

8. *Sedato tumultu* (populi, scilicet) *Alexius Princeps postridie, consilio paucis amicorum communicato ad Bonifacium propinquum suum misit, vt tertia proxima noctis vigilia, cum expeditis cohortibus, auxilio sibi veniret: magnum sibi vitæ periculum instare à ciuibus dicens; ac nisi maturè adesset, fore vt breui actum de se, de Imperioque audiret. Orare proinde, obtestarique, vt sibi puero, consanguineoque consiliorum indigo, in aperto discrimine subueniret, datarum se operam, vt porta, qua vrbem ingressurus esset, ad tempus pateret. Fuit in his, qui eius consilij participes erant, Alexius, cognomento Myrtillus, licèt alij Murcillum scripsêre. Hunc Isacius ex infima plebe, multis, & magnis honoribus, ad dignitatem euexerat. Homo igitur ambitiosus, & ad omne terrarum facinus promptus, Alexij pueri consilium aperuit paucis aduersùs factionis: iniunxitque his negotium, vt eadem hora, qua priore nocte, recentem excitarent tumultum. Quo ex composito, cæterum præter bonorum opinionem, exorto, Myrtillus trepidanti Alexio author fuit, sese in abditissimam partem domus illatebrandi. Hortando itaque, periculi admonendo eò perpulit, vt infelix puer funesto hominis consilio acquieuerit: & ad locum deinde perductus asseruari iussus est. Inde ipse consilij author in publicum egressus, per speciem sedandi motus, ita pro concione verba fecit, vt cùm præsentem rerum statum questus docuisset, quantum periculi immineret ciuitati ab his, qui terra, & equis eam circumsederent, non puero opus esse diceret, sed viro aliquo prudentia non vulgari, atque eodem fortissimo, qui ciuitatem, & res Imperij manifesto periculo labantes, virtute, & consilio erigeret. Est itaque, quod maximè optabat, consecutus, vt pars vna multitudinis eum Præfectum vrbis, alteráque belli Ducem, tertia Imperatorem declararit. Vnde ipse ab ea declaratione confestim satellitum, propinquorúmque caterua stipatus, sese ex publico proripuit in Alexij domum, ac puerum, quem antea venenò petitum necare non potuit, elisò gutture, propria nocauit manu: homo tam perfidus, quàm ingratus, à quo summum Isacij beneficium summa ingratitudine dissolutum est.* Hactenus ex Sabellico, recentiore Authore, sed fide digno, & qui omnia distinctiùs cæteris promit.

9. Pergit Guntherus nouas ingenij Graij fraudes aduersùs nostros, quas alij omnes Authores præterière [l]: *Crudelis igitur* (ait) *parricida, postquam iuuene suffocato, Regnum inuasit, & tenuit, iussit ad tempus rumorem huius sceleris veticeri, ac suppriminо statim ad castra perueniens, nostrorum auribus insonaret, antequàm ipse concepta fraudis experirentur molimina. Misitque continuò nuncios sub nomine iunioris Alexij, qui Principes exercitus nostri, de castris ad ipsum euocarent, quasi promissam pecuniam, & insuper ampliora munera regia liberalitatis accepturos. Quod cùm ad ipsos perlatum esset, ipsi tanquàm homines Christianæ simplicitatis, nullam ibi fraudem suspicantes, vrbem ingredi festinabant: quippe, qui nihil minùs metuebant, quàm nouum Regem, quem ipsi creauerant, tam breuis temporis articulo de medio esse sublatum. Erat autem Vir quidam, prudentissimus, Dux, videlicet, Venetorum, cæcus quidem,*

l apud Canisium, tom. 1.

in facie, sed perspicacissimus in mente, qui corporis cacitatem, animi robore, atque prudentia optimè compensabat. Hunc alij semper in rebus antiquis omni diligentia consulebant, & ad manum eius, publica negotia solebant disponere. A quo cùm alij more solito quæsissent, quid ei de hac re videretur, dissuasit, ne se amore pecuniæ, Græcorum dolis exponerent; dicens, se id ipsum timere, quod euenerat; id est, ne inuenis Alexius, vel à suis peremptus esset, vel tanquàm Græcus genere, ab eis corruptus, nostram cum illis machinaretur perniciem. Dum ergo Principes super hac re diutiùs consultassent; Nuncij verò perurgerent instantiùs, erupit rumor ille de medio ciuitatis, & vniuersum exercitum graui terrore concussit. Videbant, se in terra hostili deprehensos, in medio pessimæ nationis; & illum vapesum è vita, quem ipsi eis in manu potenti, & magno terrore, Regem induxerant: qui vtique, si viueret, posset, & illorum vecordiam reprimere, & nostros plurimùm consolari, eósque securos, ac locupletes, de Regno suo, ad explendum iter suæ peregrinationis emittere. Quibus omnibus se nunc frustratos penitùs agnoscebant, adeò vt nihil aliud, quàm mortem à Rege nouo, & ciuibus certissimè expectarent. Hic statu rerum penè desperatus. At, qualiter in desperatium gloriam, diuina manu agente, conuersus sit; atque ipsa vrbs, & cum illa Imperium Graium, hactenus semper Latinis exitiale, illi eorum dominium, atque potestatem tandem transierit, & quis tanto Imperio destinatus, quia neque id sine nostris, sequenti capite fusiùs referemus.

---

1. *Cruce signati medios inter hostes penè desperant:* 2. *sed nihilominùs erumpentes de muris superant,* 3. *Descriptio vrbis,* 4. *& Latinorum ex vtraque parte insultus.* 5. *Salutare consilium Ducis Veneti,* 6. *atque eius exequutio.* 7. *Inuasa vrbs,* 8. *& fugati vndique ciues.* 9. *Ingens præda, lamenta miserorum:* 10. *& expugnatio ab antiquo petræ incisa.*

CAPVT VII.

1. CIRCVNDABANT exercitum Latinum angustiæ vndique: nec facilis electio inter pericula, quæ nil infra exterminium, & cædem comminabantur: *Quid enim spei* (prosequitur Guntherus [a]) *habere poterant homines peregrini in tali articulo deprehensi, nec habentes vllum securitatis receptaculum, quo vel ad horam possent ab incursu hostium respirare? Indicerent eis bellum, vt eos publicè in suam persecutionem excitarent, quos sciebant, & antea latenter sibi esse inimicos? At verò illorum infinitus erat numerus, & qui quotidianis crescerent supplementis; & in terra propria, vbi eis omnia copiosè suppeterent: nostri autem pauci, & inopes, in medio inimicorum, à quibus nihil aliud sperare poterant, nisi quantùm, vt ita loquar, suis possent ab eis gladiis exsecari. Sed & eos plurimùm contristabat, quòd promissa pecunia magna ex parte frustrati erant, cuius spe ipsi iter suum distulerant, & viaticum peregrinationis suæ, negotiis insumpserant alienis. Elegerant tamen illud, quod in tali casu optimum putabatur, consilium: dissimulato metu, sine quo vtique esse non poterant, minaciter obsessis hostibus imminere: & in vindictam suffocati Regis, quem ipsi instituerant, totam Vrbem cum ciuibus suis, & illo execrabili parricida, hanc quidem ad excidium; illos verò ad certam mortis pœnam reposuêre. Quibus ita insultando, tantum eis terrorem incusserant, vt illi de mœnibus suis egredi vix auderent: maximè autem propter balistas nostrorum, quorum vsus, quantò est rarior apud illos, tantò etiam terribilior, & periculosior æstimabatur.*

[a] apud Canisium tom. 5.

2. *Interim autem nostri confirmatis animis, ad vtrumque parati erant, vel ad recedendum, si se honesta, & vtilis præberet occasio; vel ad cædendos hostes, & subeundam ab eis, & cum eis mortem, si illi de latebris suis, ad conflictum auderent erumpere. Nam de victoria tantæ multitudinis obtinenda, sine de expugnatione vrbis, nulla eis spes poterat arridere, pro eo, quòd ea munitissima erat: illorum autem numerus inæstimabilis quotidie succrescebat. Sed, quanto studio noster exercitus optabat confligere, & mori cum hostibus; tanto illi refugiebant victoriam de nostris, suis moribus comparare. Videntes iam illos in terra hostili laborare penuria; se autem in loco suo, bonis omnibus abundare.* Igitur nostris mori iam paratis, ne inulti morerentur, quod aliquale morientium solatium est, vel ipsam mortem Græci denegabant. Erupêre tamen demum de suis Claustris, & facto impetu inuaserunt terrestres acies; vt non virtute, nec enim hoc præsumebant, at multitudine nostros obruituri. Et præcucurrit Morcisius, seu Mitthyllus, Religionis speciem, seu daret Virginem Ducem suis militibus, seu nostros vellet iniecta Religione, ab insultu in eosdem retardare. In fronte posuit Sacerdotes sacris amictos, & Beatæ Mariæ Icones, quas portabant, veluti obiicientes nostrorum iaculis [b]: *Fuit* (ait Bzouius) *satis acris pugna. Deinde, cùm omni parte castrorum clamatum ad arma esset, ac vndique concursus in hostem factus, Græci fusi, fugati, inque vrbem compulsi, Icon Dinæ Matris Virginis Græcis adempta est: id in bonum omen Itali, & Galli acceperunt, verterúntque, rati certam sibi ex eo portendi victoriam, quòd Numen cælicolis, & mortalibus populare, a Græcis ad se transiuisset.*

[b] hoc ann. n. 1.

3. Hinc noua spes Latinis capiendæ vrbis, quamuis supra spem esse videretur: neque enim Virginem ad eos transituram, nisi beneficam: nec negaturam vrbem, quæ sese ipsam vltrò tradidisset, proprio loco ab ipsis reducendam. *Est Constantinopolis* (ait Guntherus [c]) *vrbs triangula, habens in qualibet latere magnum milliare, vel amplius, ex ea parte, qua terram attingit, vasto aggere & muro firmissimè triplicitèr clausa: turres habens per circuitum sui excelsas, & fortes; adeò sibi inuicem propinquas, vt puer septennis de vna turri ad alteram pomum valeat iaculari. Structuram autem ædificiorum in corpore ciuitatis, in Ecclesijs, videlicet, & turribus, & domibus magnarum, vix vllus, vel scribere posset, vel credere describenti, nisi qui ea oculata fide cognouerit. Ex ea vero parte, qua ipsam vrbem alluit Hellespontiacum mare, quod separat Asiam ab Europa, quibusdam in locis adeò angustum, vt de vna in alteram transmitti aspectum, ex*

[c] vbi suprà.

ea

ea (inquam) parte, quoniam aggeri esse non potuit, propter frequentiam portus, quem habet tutissimum, & celeberrimum, muri sunt alti, ac miranda spissitudinis, & turres densæ, eductæ ad tantam celsitudinem, vt quinis in culmen ipsarum aspectum dirigere perhorrescat. Ita Guntherus de situ, & ambitu vrbis.

4. Igitur eam à parte terræ primùm aggrediuntur: verùm, cùm inde aut parum, aut nihil facerent, adeundum sibi mare persuasi sunt, atque ea ex parte vrbem aggrediendam. Hæc vna via victoriæ nostris patuit, quæ promota consiliis Ducis Veneti, Græcorum tunc Imperium Latinis dedit, vtinam diutiùs penes ipsos permansurum. Cæterùm, qua ratione hæc gesta sint, quo ordine exequuta, quia ex his, quos vidi, solus Guntherus narrat, ipsius tantùm verbis describemus: *Placuit*, ait [d], *ex altera parte, qua mari clauditur, non tam fortunam, quàm diuinæ virtutis potentiam, sine qua illud nullatenus fieri posse nouerant, suo magno periculo experiri. Insilientes itaque naues suas, velut quodam indignationis impetu ad terrorem inimicorum, traiecto mari, quod ibidem angustum est, in littore oppositi ciuitati cuncti viriliter consederunt; ibique, mutato proposito, ceperunt de explendo negotio per murum, aut victoriam solertiùs consultare. Sed & de nauibus illis, quarum infinita erat multitudo, frequenter aliqua leuiores, ac celeriores ad lacessendos eos, & virtutem illorum experiendam subitò erumpebam. Quibus illi occurrentes iaculis, & sagittis, & maximè terrore balistarum, eos facilè abigebam.*

[d] vbi suprà.

5. *Consuleutes itaque Ducem illum Venetorum, cuius paulò antè meminimus, hominem, videlicet, vacuum vultu; sed animo perspicacissimum, id habuerunt consilij; vt per singulas naues suas, iuxta malum ipsius nauis, alias quoque arbores longas valdè, & fortes, hinc inde erigerent, & eas carina fortiter, tam cum ipso malo, quàm sibi inuicem tam vasto collaquearent connexu, vt eis, tanquàm lignea turres, quasi propugnacula præsidium exhiberent. Quibus etiam arboribus aliquanto spatio ab inuicem distantibus, velut quosdam scalarum gradus infigerent, per quos animosi iuuenes; ad tuendas naues, hostésque desuper expugnandos, quaterni, aut seni velociter ascendere possent, & descendere. Quod & factum est. Et turres illæ, siue scalas vocare malueris, in tantum culmen altitudinis eductæ sunt, vt magna sui parte omnes turres, & fabricas Græcorum excederent. Quas etiam cum totis nauibus tali vndique artificio munierunt, vt nec tela, nec lapides, nec ignem, vel communem, nec illum, qui Græcus dicitur, formidarent.*

6. *Structis ergo nauibus, & ad vrbem applicitis, placuit eis priùs in expugnatione portus, & nauium Dei gratiam experiri; vt ab illa parte securi, eos, qui in muro, & turribus erant, tanto securiùs, quanto faciliùs expugnarent. Erat autem clausus ille portus tutissimo quodam recessu, & catenis ferreis immensæ magnitudinis, qua ab vna fronte portus ad alteram extensæ, naues omnes, velut sub vna clausula coërcebant. Quæ pòst, quoniam à nostris multo labore ruptæ sunt, fugientes Græci maximè terrore balistarum, quas ferre non poterant, captiuas naues suis ductoribus reliquerunt, quas illi cupidè rapientes in suos vsus, velut quædam belli spolia grauissima transtulerunt. Deinde turrigeris nauibus, quantùm fieri potuit, ad murum admotis, & turribus quibusque per scalas ascendentibus, præconis voce clamatum est, eum, qui primus hostiles muros insiliret, centum marchas in præmium accepturum. Videres omnes vehementer appetere, quod vni tantùm seruabatur; non tam amore promissæ pecuniæ, quàm ob Dei honorem, & causæ communis vtilitatem, & incepti laboris compendium. Qui, postquam scalarum summum tenuerunt, alij ita festinanter eos sequuti sunt, ac si eos in medios hostes propellere, & ij, si eos subsequi properarent.*

Tunc verò cerneres nos ex alto subiectis hostibus, hastis, iaculis, & sagittis odiosum inibrem impluere: illos autem turbatos, ac trepidos, nec habentes, quod contrà facerent, grauissimè coarctari. Balistarum tamen horror, & impetus, eò quòd gens illa naturaliter timida est, eos maximè reddebat exanimes. Postquàm verò vnus inuentus est, qui primus muros insiluit, & illum alij celerrimè sequerentur, continuò cines exangues, & trepidi, videntes iam hostem sibi immixtum, discurrentes per murum, vbicunque possunt, sese in fugam præripiunt, quasi muris amissis, sui possent in sua ciuitate consistere, qui eorum præsidio nequiuerant defensari. At nostri nihilominus per murum discurrendo, turres illorum alacriter occupabant. Iámque ex eis quindecim vel plures inuaserant, cùm hostes, velut resumpto spiritu, tum pudore, tum periculo impulsi, ceperunt in quandam respirare audaciam, & se ipsos mutuo exhortantes, clamore simul, & omni genere telorum, eos vehementissimè perurgebant. Quod videns quidam Comes Theutonicus, iussit vrbem in quadam parte succendi, vt Greci duplici laborantes incommodo, belli, scilicet, atque incendij, faciliùs vincerentur. Quod & factum est: & hoc illi consilio victi penitùs, in fugam conuersi sunt. Qui autem è nostris iam infra muros recepti erant, portas, quas multo lignorum, lapidúmve obiectu diligenter Greci obstruxerant, remoto omni obice, vel exciderunt, vel fregerunt; & his, qui adhuc in nauibus erant, optatum patefecerunt ingressum. Actum est hoc circa Ramis Palmarum, Deo (vt fallimur) ita disponente, vt eodem die Christi exercitus triumphaliter perfidam vrbem irrumperet, quo Christus venicus ad triumphum Passionis, sanctam ingressus est ciuitatem.

7.

Patentibus itaque portis, hi, qui in nauibus erant, latis clamoribus irruentes, territis hostibus, hastis, gladiis, balistis, & sagittis, & omni genere telorum mortem specie tenus imentantes, sed nullam prorsùs fundendi sanguinem habentes voluntatem, tanquam oues dispersas, eos per omnes plateas ciuitatis abigebant, in tanta multitudine fugientes, vt ipsa platearum spatiosa capacitas, vix posset eis ad fugam sufficere: instabant enim eis tanto terrore, & impetu, vt nec eos respirare, nec respicere paterentur. Cúmque tantam haberent cædis copiam, quantam ipsi nunquam sperare potuerant; paucissimi tamen ab eis perempti sunt; ipsis vtrò parcentibus, quippe qui à viris Religiosis secum in castris agentibus, Martino, videlicet, & aliis, frequenter erant admoniti, vt quantùm fieri posset, manus suas à sanguine continerent. Ceciderunt tamen in illa die ciuium quasi duo millia, non vtique à nostris, sed à quibusdam Francis, Italis, Venetis, Theutonicis, & aliorum nationum hominibus, qui priùs cum eis in ipsa vrbe habitare consueuerunt; sed tempore obsidionis expulsi, pro eo, quòd de proditione suspecti ciuibus habebantur, nostris adhæserant. Cuius iniuriæ memores illi, grauissimam in Graecos plagam vltionis crudeliter exercebant. De nostris autem nullus omninò ibi cecidisse reperitur, excepto milite quodam nobili admodum, & famoso, qui dum hostes vehementiùs perurgeret, incautus ipse pariter cum equo, 8.

cui insidebat, in foueam quandam repente absorptus, sociis omnibus in tanto rebus dolorem magnum immisit.

9. *Victis igitur omnibus, & perfugatis hostibus, & de tota vrbe satis miserabiliter exclusis, foribus etiam diligenter obtrusis, tum demum victoribus ad prædam currere permissum est. Nam anteà quasi sub periculo capitis erat prohibitum, ne quis ante plenam victoriam, de præda cogitare præsumeret. Inuenerunt itaque passim, & copiosè tantam auri, argentique pecuniam, tantum splendorem gemmarum, ac vestium, tantam pretiosarum mercium exuberantiam; tantam rerum victualium vbertatem, domos adeò egregias, & bonis omnibus plenas, vt omnes repentè de aduenis, & pauperibus, ciues ditissimi redderentur. Vastauerat autem incendium interim supradictum ferè tertiam partem ciuitatis, cum omnibus tam ciuibus, quàm peregrinis, qui grauiori occupati periculo, nulli erant, qui flammas libere perrumpentes possent extinguere. Mulieres verò, & parauli, ac decrepiti senes, qui fugere non valentes, in vrbe remanserant, in occursum nostrorum digitum digito in formam Crucis implicantes satis flebiliter, Agios, Basileos; Marchios, decantabant: quod Latinè, Sanctus, Rex, Marchio, interpretatur. Quod ideò faciebant: quia Marchionem, quem maximè Graeci nouerant, & idcircò inter nostros maximum reputabant, capta Vrbis Regem haud dubiè cogitabant: quod tamen Deus aliter disponebat.* Hactenus Guntherus, qui rem aliis exactiùs, distinctiúsque. Cæterùm alias huius victoriæ circunstantias, non contemnendas; Tyranni fugam, Religiosorum preces, & his similia scire qui volet, consulat Brouium, vel Sabellicum magis, vnde is hausit. Nobis per occasionem hæc narrantibus, satis, supérque dicta pro instituto.

Narrat Guntherus, *in eadem vrbe extitisse à multo tempore altissimam columnam, siue pyramidem, cuiusdam olim solitarij habitationem, cui diuersa rerum imagines sculptæ, nauium etiam figuram, atque scalarum de nauibus surgentium, & homines armatos, qui vrbem expugnabant per eas, repræsentarent: quam sculpturam Graecos contempsisse, quasi nil minùs possibile putarent, quam id suæ vrbi posset accidere. At, vbi vidissent scalas in nauibus, à nostris erectas; tunc demùm sculpturæ recordatos quamocyùs, quòd diu spreuerant, serò formidasse. Vnde & quidam lapidibus, & malleis ferreis, easdem imagines comminuentes, plurimùm deformauerant; arbitrantes, si hoc modo infaustum in nostros auspicium retorquere.* Hactenus ille. Atque hæc illa ingens columna est, ex qua Myrtillum, seu Murcilum nauis. præcipitatum in suæ proditionis supplicium, dicturi sumus. Sed iam nos ad victores Cruce signatos præcipites in spolia, quæ nostros supra alios ditarunt, quis id credere posset? redeamus. 10.

---

1. *Martinus Abbas etiam inter prædantes*, 2. *Ecclesiam intrat.* 3. *ingentem Reliquiarum sacrarum thesaurum portat.* 4. *Balduinus in Imperatorem electus*, 5. *& quibus electoribus, inter quos & Oglerus, Locedij Abbas.* 6. *Dictum de Patriarcha*, 7. *& de modo electionis, seu sacra sortis.* 8. *Diuisa terra*, 9. *& vindicatum* 10. *in authorem totius cladis.*

CAPVT VIII.

1. AGEBATVR in prædam victor exercitus, & in opulentissima vrbe totius Græciæ ab ipsa multitudine rerum, & varietate, vt non impediretur, distrahebatur. Nam, vt aliquid rapere in promptu: sic, quid vtilius, quid minùs onerosum, quid faciliùs seruari, siue venundari, etiam qui plùs sapiebant, dubitabant; & nec vacabat reportare ad naues, neque interim habebant, vbi reponerent. Vilescebant victualia, & solùm aurum, argentum, gemmæve, & si quæ alia id genus, inquirebantur. Nec abstinuêre à præda nostri, qui in exercitu, præcipuè Martinus, nisi quòd tamen diuersam suspirabat: neque in corruptibilibus auro, argentóve, sed sacris Sanctorum Reliquiis (quarum ingens thesaurus in ea vrbe) ditandum se, aut voluit, aut putauit, ex eisdem Theutoniam vniuersam, sed suum præcipuè Cœnobium ditaturus. Ergo, quæ illi præda petita sit, & qualiter obtenta, dum alij aliis incubant, idem, qui suprà, Gunterus his verbis narrat [a]:

[a] apud Canisium, tom. 5.

2. *Cùm ergo victores vrbem victam, quam iure belli suam fecerant, alacriter spoliarent, capit Martinus Abbas de sua etiam præda cogitare, ac, ne aliis omnibus ditatis, ipse vacuus remaneret, proposuit & ipse sacratas manus suas ad rapinam extendere. Sed, quoniam prædam rerum sæcularium eisdem manibus attrectare putabat indignum, illud agere cœpit, vt de Reliquiis Sanctorum, quarum magnam ibi sciebat esse copiam, aliquam sibi corraderet portionem. Assumpto ergo secum altero è duobus Capellanis, (nescio quid grande præsagiens,) quandam petit Ecclesiam, quæ in magna veneratione habebatur, ex eo, quod mater famosissimi Imperatoris Emmanuelis ibi nobilem habebat sepulturam. Ibi de tota circumposita regione plurimum pecuniæ repositum seruabatur; necnon & Reliquiæ pretiosæ, quas de vicinis Ecclesiis, atque Cœnobiis, ad eum locum spes vana securitatis fecerat congregari. Quod etiam nostri, ante vrbis expugnationem, ab his, quos Graci expulerant, fuerat intimatum. Quam Ecclesiam cùm multi peregrinorum simul irrumperent, & aliy circa res alias, aurum, scilicet, & argentum, & pretiosa quæque diripienda cupide occuparentur: Martinus indignum ducens sacrilegium, nisi in re sacra, committere, locum petit secretiorem, vbi ea, quæ maximè affectabat, reperiri posse, ipsa loci religio promittere videbatur. Inuenit ibi senem quendam venusta facie, barbáque prolixa, & cana, Sacerdotem vtique, sed nostris Sacerdotibus ipso corporis habitu valdè dissimilem. Vnde & Abbas laicum ratus, placido quidem animo, sed voce quidem terribili vehementer increpitans, Age, inquit, perfide senex: ostende mihi, quas potiores seruas Reliquias: vel scias, te statim mortis supplicio puniendum. Ille verò clamore potiùs, quàm verbis territus, quippe qui clamorem audiens, verba intelligere non valebat, sciens nec illum Graci sermonis habere*

communem-

commercium, Romana lingua, quam ex patre nouerat, cœpit hominem mitigare, & iram eius, qua nulla erat, blanditiis emollire. Ad hæc verò Abbas in pauca eiusdem lingua verba erumpens, aperuit eidem sensi, quid ab eo exigeret.

3. *Tunc ille, vultum eius, habitúmque considerans, & illud tolerabilius iudicans, si homo Religiosus sacras Reliquias cum timore, ac reuerentia contrectaret, quàm si seculares viri fortassis, cruentis manibus funestarent, ferratam ei arcam aperuit, ostendens thesaurum desiderabilem, quem super omnes gazas Græcia Martinus Abbas sibi gratum, & desiderabilem iudicabat. Quem videns Abbas festinanter, & cupidè vtrasque manus immersit, & vti strenuè succinctus erat, sacro sacrilegio sinus suos implens, tam ipse, quàm Capellanus, ea, qua sibi potissima videbantur, sagaciter occultauit, & protinus egressus est. Quæ autem sint, & quanta veneratione illa, quas sibi prædo sanctus mancipauit, Reliquiæ, postea competentius exponetur. Cum ergo (vt ita loquar) ad nares ita fussarcinatus properaret, videntes eum, qui nauerant, & amabant, de nauibus & ipsi properantes ad gradum, ani ipse aliqua rapuisset, aut quibus rebus ipse ita onustus incederet, lato animo requirebant. Ille verò lato, vt semper erat, vultu, & verbis iucundis, Benè nobiscum actum est, aiebat. Quibus, Deo gratias, respondentibus, ipse festinanter transiens, & omnem retardationis causam molestè ferens, ad nauem reuersus est; ibique in cubiculo suo, quod habebat honestum, & mundum, vestimenta illa sua militia spolia collocauit, donec ille tumultuosus in vrbe strepitus resideret. Vbi etiam postea triduo mansit in nulla deuotionis obsequio, nullo sibi huius rei conscio, præter alterum è duobus Capellanis, & illum senem, qui ei res eosdem sacras tradiderat; qui etiam videns eum hominem benevolum, ac liberalem, iam ei satis familiariter adhærebat: cuius etiam ministerio interim apud quandam eiusdem vrbis Ecclesiam, honestum satis, & commodum sua professioni conuenientem præparauit hospitium.* Hæc tunc Martinus ex eisdem thesauris locupletatus, Hartmdum, & Hugonem, Claræuallis vtrumque, alterum Monachum dudum iam professum, alterum à reditu statim professurum, Claramuallem ditasse non multò pòst, ex inuentario Reliquiarum eiusdem Domus, propriis locis inferiùs memorabimus.

4. Nunc ad noui electionem Imperatoris, quia neque ea sine nostris, quippe Oglero Abbate Locedienſi, vno ex compromissariis, procedamus. Prosequar autem eiusdem Guntheri verbis, nisi vbi alia ex aliis addenda erunt: *Capta igitur Vrbe, ac spoliata, & ipsis ædificiis nouis ciuibus distributis, ne absque Principe, quasi acephali remanerent, cœpit de Rege statuendo inter eos quæstio agitari: erant autem duo viri opinatissimi, & celebres in exercitu nostro, Marchio, videlicet, de Monte Ferrato, Bonifacius, & Flandriæ Comes Balduinus, è quibus alterutrum in Regem eligi, & res ipsa videbatur exigere, & vniuersus exercitus acclamabat. Et quoniam vterque multorum fauoribus, atque suffragiis nitebatur, nec facilè alter alteri præferri poterat, proco, quòd ambo satis idonei viri putabantur: visum est omnibus transferre curam, & arbitrium electionis in duodecim viros, qui maxima inter omnes integritatis, & potioris consilij, apud alios habebantur. Qui, postquàm habita multa deliberatione Flandrensem Comitem nominauerunt, collatus est in sedem Regni, & capiti eius diadema impressum.* Hactenus Guntherus: quem tamen constat electorum minuisse numerum; & pro quindecim, duodecim posuisse; propria obliuione, an errore amanuensium: nam in quindecim fuisse compromissum, omnes alij Authores asseuerant. Porrò, qui fuerint, & qualiter inter eos Locedij Abbas, Beatus Oglerus, quem in exercitu superiùs fuisse diximus, Meyerus Author Flander.; qui Flandriæ Comitis ad Imperium promotionem accuratè describit, his verbis narrat [b]: b *lib. 7. in fine.*

5. *Et confecto negotio, indictum statim de creando nouo Augusto Concilium, in quo quindecim instituti Electores summo consensu Balduinum Flandriæ, Hanoniaque Comitem Augustum renunciauerunt; quòd hic inter Gallos vniuersos, & vir fortissimus, nobilissimúsque, & Dux summus haberetur; simul quòd Flandrorum, ac reliquorum Belgarum iam inde ab initio eius expeditionis omnibus in præliis præcipua, ac multò omnium maxima fuisset virtus. Hac sexto Kalendas Maias M.CC.IV. Nam in diem septimum Calendas Maij, qui Dino Marcò sacer est, incidit tum Pascha. Fuere autem quindecim illi Electores Bethlehemiticus, Ptolemaidis, Suessionum, ac Tricasium Episcopi, cum Abbate Locedij: Flandrus præterea, Blesensis, Monferratensis, Fani Pauli, ac Brenæ Comites, cum quinque Viris, ex nobilitate Veneta.* Ita Meyerus. Cui alij omnes concordant. Itaque quinque Ecclesiastici Electores, è quibus vnus Oglerus Locedienſis; quinque ex Principibus, & ex Venetis quinque alij designati sunt, per quos Balduinus Imperator est renunciatus.

6. *Eisdem, siue Electoribus, siue Compromissoribus,* (pergit Meierus [c],) *adeóque etiam Oglero intercedente creatus est Patriarcha ex Venetis, Thomas, cognomento Mauroceus, qui Romam mox profectus, Græcanicam cum Romana vniuit Ecclesiam: statimque reuersus Constantinopolim, Balduinum Augustum corona, aliisque Imperij insignibus, decorauit decimoseptimo Kalendas Iunias.* Hactenus ille. Ita nihil fere in tota expeditione factum est, quod non per nostros magna ex parte factum, in nostros etiam veniat referendum. Allatam tunc ad Pontificem gemmam pretiosam satis, ex præcipuis spoliis magnæ vrbis, quam à mercatoribus Genuensibus interceptam, ab eisdem Innocentius posteà repetierit, memorat Abraham Bzouius ad hunc annum, vbi & de reconciliatione Venetorum, aliisque, quæ facilè apud ipsum videri possunt. c *vbi supra.*

7. Cæterùm est, quem non censeo prætereundum, electionis Imperatoris modus, quia singularis, & quia Oglerus Elector cum aliis fuit, sorti quidem similior, sed sacratissimæ: quem Niceras Choniates, suæ Historiæ inseruit in hac verba [d]: *Quatuor calices pro tanto numero candidatorum, ordine collocarunt; quorum vnus incruentam victimam continebat, cæteris vacuis. Eos calices totidem Sacerdotibus tradidère, vt ad cuiuscunque Principis nomen vnum tollerent, & eis redderent; Imperium verò penes eum futurum erat, qui eum calicem accepisset, in quo diuinum Corpus, & Sanguis Christi esset. Imperij fors Balduino, Flandriæ Comiti, obtigit, qui nondum annum trigesimum secundum excesserat; & alioquin vir erat pius, & modestus, ne impudicè quidem aspectu mulierem inuitus, quandiu a coniuge sua abfuerat. Vacabat insuper diuinis laudibus, necessitatibus conflictatos sublenabat, suæ sententiæ aduersantes æquo animo audiebat; & quod maximum est, bis qualibet hebdomade vesperi proclamari iubebat, ne quis in suo Palatio recumberet, qui alienam mulierem attigisset.* Hactenus Author ille Græcus de electo, & electione: vnde, vt puto, ortum habuit, vt Balduinus, non d *apud Pagium n. 3.*

tam se ab hominibus electum, quàm à Deo putaret, & publicis instrumentis ita subscriberet: *Balduinus, Romanorum Imperator semper Augustus, à Deo electus.*

8. Electo Imperatore, quod primum erat, dominia Imperij, Prouinciæ, arces, castráque distributa per omnes, debita singulis seruata proportione. *Nam Prouincia eius Regni* (ait Gunther.[c]) *in tres partes diuisa sunt: vnam, qua ad fiscum Regis specialiter pertineret: alteram, quam Veneti possiderent: & & tertiam, qua data est Marchioni, Thessalonia, videlicet, & eius fines ampliſſimi. Minores possessiones, velut castella, villa, & municipia, & qua huiusmodi sunt alia, in illas personas, qua ad hoc magis idonea putabantur, distributa sunt. Leges autem, & iura, & cætera institutiones, qua ab antiquo, tam in vrbe, quàm in Prouincia laudabiles habebantur, ita vt priùs fuerant, consistere permissa sunt: qua verò reprobabiles videbantur, vel correcta, in melius, vel penitùs immutata.* Nec dubium, quòd hæc omnia Balduinus eorum consilio egerit, quos habuit ad Imperium promotores.

[c] ubi suprà.

9. Sequutum statim perfidi Myrtilli, siue Murcilli dignum supplicium, quod Guntherus præ aliis, distinctiùs narrat[f]: *Interim*, ait, *Pestifer ille Murcisius grauissimi sceleris perpetrator, & breuissimi temporis Imperator, qui suorum sibi malorum conscius, etiam pœnam timens, ante expugnationem ex vrbe profugerat, nesciens quò se verteret, aut quid spei in aliquo, vel homine, vel loco habere posset; ad Alexium seniorem se contulit: cui Principes nostri in diuisione Regni, quamuis homini nefario, tamen quia regij sanguinis erat, quandam terræ portiunculam habendam concesserant. Qui videns hominem sceleratum ad se venientem, quamuis nec ipse multò dissimilis, vix à suis prohibitus, quominus eum extremo mortis punirent supplicio: tamen cæcari iussit, & expulit, recolens eum tantæ cladis auctorem, qui sibi fratrem cæcare, & nepotem incarcerare; & vtrunque regno spoliare persuasisset; & postremò ad augmentum sceleris eundem nepotem suum manu propria suffocasset. Ille verò turpiter expulsus, & qui dudum animo cæcatus fuerat, nunc etiam corporeo lumine priuatus, pauper, & miser, & omnibus odiosus, cum illis in partibus fugibundus miseram ageret vitam, audientes nostri miserunt, qui raperent eum, & eorum aspectibus exhiberent.*

[f] apud Canisium vbi suprà.

Quod cùm factum esset, cæperunt, tam omnes nostri, quàm Græci, qui in vrbe relicti erant, misero probris, & iurgiis, & conuiciis insultare, parricidam, & patriæ subuersorem, & dignum supplicio conclamare. Cúmque de morte ipsius certa omnium esset sententia; de genere tamen mortis multa erat inter eos disceptatio: quibusdam censentibus eum laqueo suffocari, quemadmodum ipse Dominum suum peremerat: aliis verò viuum flammis immitti; vel saxo alligato, pelago immergi, vel terræ infodi; vel detracta pelle totius corporis, viscera denudari; vel truncari omnibus membris; vel, si quid aliud atrocioris pœnæ in hominem sceleratum posset ab aliquo reperiri. Quid putas misero tunc animi fuisse, cùm audiret eos de morte sua tam subtiliter disputantes? nisi quòd luminis dolor amissi, mortis vicina fere mitigabat. 10. *Placuit tandem Principibus pro eo, quòd licèt homo nefarius, alti tamen sanguinis erat, eum super altissimam pyramidem duci, & inde longo asseri alligatum præcipitem iaculando deri: vt, qui de alto Regni statu subitæ deiectione corruerat, nihilominùs ab alto cadens mortem miserrimam quidem; sed non turpissimam inueniret. Quod vbi factum est, toto corpore conquassatus, cum dolore, & miseria infelicem spiritum exhalauit.* Hactenus Guntherus.

---

1. *Martinus Constantinopoli detentus, & quas ob causas,* 2. *tandem cùm in Episcopum Thessalonicensem quereretur,* 3. *ad Aconem cum suo thesauro nauigat.* 4. *& quanto tempore ibidem moratus fuerit.* 5. *In Hemmenrode insignia duo miracula:* 6. *alterum Euerhardi Conuersi:* 7. *alterius alterum.* 8. *Innocentij in Laudenses priuilegium expeditum hoc anno.* 9. *Deinde intra septennium declaratum,* 10. *cùm perperam à quibusdam coarctaretur.*

CAPVT IX.

1. SVPERSVNT nobis ex hac expeditione insignes duo Viri, vterque Abbas, alter Locedij, Parisiensis alter, Oglerus, & Martinus incolumes ad propria reducendi: sed Ogleri diuturnior mora fuit, vtpote quem grauia alia negotia, à Pontifice iniungenda, præstolabantur. Interim tamen donatum in Thessalonica insigni, & opulento Monasterio Sanctæ Mariæ de Cortaco, ab illustri Marchione Montisferrati, quòd Græci Monachi desertam reliquissent: ibique Abbatem ex Monachis Locedij Gaufredum instituisse, Litteræ quædam Innocentij Papæ post decem annos datæ testificantur, quas inferiùs adducam; vtinam continentes meliora de noui Abbatis actis, & qui dignum se filium exhibuisset tanti Parentis. *At Martinus*, vt de eo Guntherus ait [a], *cum illo, quem diximus, Capellano, suum sibi secretum assumens, paratam sibi petiit mansionem: vbi tota æstate commoratus, sacras illas Reliquias indesinenter amplectens, occulto quidem, sed magno venerabatur affectu; & quod minus erat in exteriori obsequio, interiùs deuotionis affectu supplebat.* Cur tota illa æstate ibi permanserit, multæ rationes possunt assignari; è quibus idem Author has recenset. *Quòd inducias pacis, quas Pagani violauerant, apud Aconem renouatas acceperat:* (*quare, cùm pestis dudum defæuiisset, non adeò ibidem necessarius videbatur:*) *tum, quia per illud mare non erat satis tuta nauigatio, propter magnam, & nouam rerum mutationem: tum etiam detentus amore sociorum, simúlque expectans debitum statum ciuitatis, & Regni, vt his, qui eum miserant, rerum istarum formam posset exprimere.* Crediderim accelerasse reditum, vt insulas fugeret, cùm primùm se ad eas vocatum censuit.

[a] apud Canisium antiq. lect. tom. 5.

Iniunxerat Innocentius nouis Principibus, vt Ecclesiam Græcam Romanæ conformare, quantum possent, satagerent; vt vnum, ex vtroque, ouile sub eodem Pastore, eisdem legibus veniret gubernandum. Hoc nisi per Ecclesiæ Latinæ nouos Pontifices, 2.

vt

vt non omnes, primores Prouinciarum, vix posse fieri cuncti arbitrabantur. Quare, vt nouum Patriarcham Constantinopoli, sic Thessalonicæ nouum Archiepiscopum, censuêre creandum, per quem ritus Romanos reliquæ Ecclesiæ, atque mores Latinos edocerentur. Qui congruerat tanto ministerio, inter omnes quæsitus: præcipuè à Bonifacio Monferratensi, nouo Thessaliæ Rege, quem noui Regni cura, atque obsequium Ecclesiæ sollicitabant. Et prælatus Martinus cæteris aliis: velut in quo doctrina cum pietate, cum vtraque prudentia, & cum his omnibus zelus decertaret. Ergo illum præsentare visum Summo Pontifici, compellendum ab ipso, nisi per fugam imperium euasisset. Sed, qui diu implicatus officio Matthæi, suspirabat Mariam, timuit, se nouis curis obligari. Meminit huius electionis idem Guntherus, & *Rex*, ait, *Sanctum virum (nempe, Martinum) sicut mihi certissimè comprobatum est, secum ducere, & Pontificem creare volebat: ille tamen sibi votorum suorum conscius, cum gratiarum actione recusauit, malens ad Fratres suos, si Deus donaret, priuatus, & humilis redire, quam nouis curis se ipsum implicare.* Igitur, cùm ei esset discedendum, *videns exercitum nostrum* (eiusdem iterum Authoris verba resumo) *circa Regni negotia studiis ingentibus occupari, vt intra multa tempora suscepta peregrinationis iter exequi non valeret; ac per hoc principalem Crucis causam variis casibus impediri; totam suæ mentis intentionem in hoc contulerat, vt rediens ad Fratres suos claustrali se redderet disciplinæ; quam in tanto rerum strepitu, itarè vellet, non poterat obseruare. Cúmque de loco, in quo tunc erat, vsque Venetiam facili posset transnauigare compendio, maluit cum his, quæ Deus ei præstiterat, ad eos priùs redire, qui miserant, vt eis de statu illius Regni, & de omnibus, quæ præsens audierat, & viderat, Nuncius fidelis existeret; & tunc demum valedicens omnibus, de Terra sancta, quam ex voto petierat, sui quoque reditus cursum faciliter inchoaret.*

3. *Ingressus itaque nauem circa Natiuitatem Sanctæ Mariæ, quasi volens, & volens, securus, & timidus, non sine metu, & sollicitudine multa, prima die Octobris apud Acconem appulit; vbi à sociis suis, maximè autem à Theutonicis, qui eum specialiter diligebant, latissimè susceptus, de statu Regni, & de his omnibus, quorum ipse præsens testis adfuerat, vel ab aliis indubitanter audierat, fideliter enarrauit. Secretum autem illud suum nulli voluit aperire, nisi cuidam honestissimo, & forti viro, nomine Bernhero, qui cùm esset natione Theutonicus, patria verò Elsacensis, sanguine generosus, & (quod perspicuum est) virtute conspicuus, grande sibi nomen in terra illa comparauerat, adeò vt ipsius Regis consilia maxima ex parte in ipsum declinarentur. Hic Abbati nostro semper familiaris exiterat, qui eum, & in terra sua nouerat, atque dilexerat, & ibi maiore dilectione amplexus, præ cæteris omnibus excolebat. Huic ergo cùm Abbas ille Dei munera, quæ secum attulerat, ostendisset, ille statim lato timore correptus expauit, & cœpit gratiam illam, quam Deus seruo suo contulerat, vehementiùs admirari. Cùm autem audiuisset eiusdem Abbatis de reditu suo propositum, obnixè studuit deterrere, dicens, vix vnquam fieri posse, vt tanta res tam pretiosa, inter tot terræ, & maris pericula, inter tot piratas, & latrones, inter tot casus, qui frequenter occurrere solent, indempta ad terram Theutonicam peruenirent.*

Mansit Martinus perlustratis loca sancta per menses sex, totidem fere, quot fecisset Constantinopoli, in quibus nullum pietatis erga Deum, nullum misericordiæ erga fideles; sed neque vllum doctrinæ erga Paganos, qui illam admittebant, prætermisit officium: velut qui vitam semel Deo sacratàm, cuperet per Martyrium consummare: & nisi chara sibi sacra Pignora, quæ semel suo Cœnobio destinasset, hominem detinuissent, haud dubiè, sicvt Crucem Christianis prædicans, in Saracenos eosdem antè armauerat: sic Saracenos armasset in se ipsum, dum illis persuaderet mysteria Crucis. Sed vicit tandem Filiorum suorum, & totius Parisiensis Ecclesiæ amor, quos sibi filios, quam sibi Sponsam Christus tradidisset. Vt verè crederet præferendos agnos lupis; quos pascendos susceperat, his, qui non pertinebant ad Christi caulas. Qualiter autem elapso prædicto tempore, nullis potuerit persuasionibus detineri, nullis promissis; & tandem mare, terrásque peragrans, cum suo thesauro ad propria remeauerit; tum, quàm amanter, reuerentérque, ab omnibus susceptus, Matricem etiam Ecclesiam, & alias Basileæ locupletaueris, anno sequenti, quo euenit, dicemus. Nunc duorum Sanctorum Conuersorum per hoc tempus florentium in Hemmenrode, Euerhardi, & Anonymi alterius, duo insignia miracula pandamus. 4.

Fuit in Hemmenrode (ait Cæsarius [b]) *Conuersus quidam bonus, Euerhardus nomine, custos mediæ portæ. Is aliquando egressu cum Fratribus carpentariis tempore hyemis in syluam, eorum vtensilia custodiebat, & cibaria præparabat. Vna dierum, cùm solito tardiùs surrexisset ad Vigilias, egressis Fratribus ad laborem, ipse orationes suas accelerabat, vt illis pulmentaria tempestiuiùs præparare posset. Inter orandum apposuit ollam aream foco: sed aquam oblitus est infundere: post horam, olera impositurus, inuenit ollam candentem, subitóque turbatus, & factus sine consilio, vt subueniret ollæ, aquam frigidam infudit: at illa, vt sua natura est, statim dissiliendo confracta est: aliam verò ollam, in qua laborantibus cibum procuraret, non habens, genua ad orationem flexit, & cum lacrymis Deum suppliciter implorauit, vt misericordiam, & consilium sibi daret, quatenus pro nomine suo laborantes expectato non priuarentur edulio.* 5.

[b] lib. 10. c. 14.

Pius Dominus humilitatem ministerij eius attendens, orationem eius exaudiuit: qui surgens ab oratione ollam candentem iuxta se integram conspexit stantem. Gratias igitur agens Deo, ollam arripuit, aquam infudit, ignibus admouit, olera imposuit, & ea, quam velociùs potuit, coxit. Quibus sufficienter decoctis, Horam Tertiam significauit; & Fratres oratione completa, ad reficiendum consederunt. Post refectionem autem professi sunt, quia toto illo tempore, quo ibidem demorati fuerant, tam bona olera non comedissent: simul & mirati sunt, quòd citiùs solito Tertiam significasset, cùm ille ex diuerso ipsos indignantes putasset, quòd tardiùs solito eam pulsasset. Nimirum, in decoctione illam horam sibi plurimùm præteriisse credidérat, quia diuinæ cooperationis inæstimabilem dispensationem non plenè sentiebat. Hactenus Euerhardi ingens miraculum: quod proculdubiò, miraculo collatum Sanctissimi Parentis Benedicti, cùm fractum capisterium resolidauit, nequaquam potuit infestius inueniri. 6.

Sed dabo aliud dubium, an alterius, an eiusdem Conuersi, nam sine nomine: quod idem Author 7.

scribit totidem verbis [c]: *In prefata Domo Conuersi pisa messuerant, quæ, dum ad siccandum sparsa iacerent in agro, venerunt illidem Conuersi ad Priorem, dicentes: Nisi totus Conuentus ocyus exeat, necnon & infirmi, pisæque vertant, tota peribunt: timebant enim pluuiam imminentem. Et præcepit Prior omnibus, qui ire possent, vt se præpararent. Mox ex Infirmatorio Conuersorum Frater quidam simplex exiens ex multo feruore obedientiæ, ante omnes festinabat. Et cùm agro, in quo pisa iacebam, propinquasset, illa mirum in modum in oculis eius per diuersa loca se vertebant. Quod vbi vidit, gratias agens Deo rediit. Cui Prior occurrens ait: Cur reuerteris, Frater? Respondit ille: Domine, non est necesse, vt procedatis, quia pisa tot aliter versa sunt. Quis, inquit, vertit illa? Respondente humiliter Conuerso: Ille, qui benefacere potuit. Prior, vt ita esse comperit, non absque multa admiratione cum Conuentu reuersus est.* Euerhardum inseruit Menologio Chrysostomus Henriquez ad decimamoctauam diem mensis Aprilis. Alterius non inuenio ab eo mentionem factam, nisi forte præterij, quod non difficile.

[c] lib. 10. cap 15.

8. Hoc ipso anno indultum ab Innocentio Stephano Abbati, & Fratribus Laudensis Monasterij iuxta insulam Flandriæ, quòd Ioannes Buzelinus ad litteram transcribit in Gallo-Flandria, in quo ferè omnia concessa Cistercien sibus ad illud vsque tempus continebantur [d]: *Datum Rome apud Sanctum Petrum, per manum Ioannis Sancte Romane Ecclesie Subdiaconi, & Notarij, XV. Kalendas Decembris, Indictione octaua, Incarnationis Dominice anno M.CC. IV. Pontificatus verò Domini Innocentij Pape III. anno septimo.* Subdit autem idem Ioannes Buzelinus [d]: *Postquàm sacrum hoc Diploma scriptum fuisset Innocentius, nonnulli homines eò temeritatis, & audaciæ proiecti fuêre, vt quoad labores huius Monasterij, quorum is Pontifex mentionem facit, eius verba sinistrè sint de noualibus interpretati: atque ideò ab Monachis Laudensibus decimas extorquere contenderint. Quod cùm grauiter pientissimo, sanctissimóque Præsuli displiceret, has pro dictis Religiosis, Litteras vt ganit.*

[d] lib. 2. cap. 18.

9. *Innocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Rhemensi, Suffraganeis eius, & dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, per Rhemensem Prouinciam constitutis, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Audiuimus, & audientes mirati sumus, quòd cùm dilectis Filiis, Abbati, & Conuentui de Laude, Cistercien sis Ordinis, à Patribus, & prædecessoribus nostris concessum sit, & à nobis postmodum indultum, & etiam confirmatum, vt de laboribus, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, nemini soluere decimas teneantur: quidam ab eis nihilominus contra apostolicæ Sedis indulgentiam, decimas exigere, ac extorquere præsumunt; & prauæ, ac sinistræ interpretationi, apostolicorum priuilegiorum capitulum peruertentes, asserunt de noualibus debere intelligi, vbi nesciunt de laboribus esse scriptum.

10. *Quoniam igitur manifestum est omnibus, qui rectè sapiunt, interpretationem huiusmodi peruersam esse, & intellectui sano contrariam, cùm secundùm capitulum illud à solutione decimarum, tam de terris illis, quas dedixerunt, vel deducunt ad cultum, quàm de terris, etiam cultis, quas propriis manibus, vel sumptibus excolunt, liberi sint penitùs, & immunes, ne vllas contra nos materiam habeat malignandi: Vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus omnibus Parochianis vestris, authoritate apostolica prohibere curetis, ne à memoratis Fratribus de noualibus, vel de aliis terris, quas propriis manibus, vel sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium nullatenus decimas exigere præsumant, vel quomodolibet extorquere. Quia verò non est conueniens, vel honestum, vt contra Sedis apostolicæ indulgentias temerè veniatur, quæ obtinere debent inuiolabilem firmitatem, mandamus vobis, firmitérque præcipimus, vt si qui Monachi, Canonici, Clerici, vel laici, contra priuilegia Sedis apostolicæ memoratos Fratres super decimarum exactione grauauerint, laicos excommunicationis sententia percellentes, Monachos, Canonicos, siue Clericos, contradictione, dilatione, appellatione cessantibus, ab officio suspendatis; & tam excommunicationis, quàm suspensionis sententiam faciatis vsque ad dignam satisfactionem inuiolabiliter obseruari. Ad hæc præsentium authoritate vobis præcipimus, quatenus si quis eorundem Parochianorum vestrorum insuper dictos Fratres violentas manus iniecerit, eum candelis accensis excommunicatum publicè nuncietis, & tanquàm excommunicatum faciatis ab omnibus cautiùs euitari, donec eisdem Fratribus satisfaciat competenter, & cum litteris Diœcesani Episcopi rei veritatem continentibus apostolico se conspectui repræsentet. Datum Later. II. Kalend. Nouemb. Pontificatus nostri anno XIV.* Hactenus Innocentius. Sed, ne hoc priuilegium illis sufficeret, Honorius III. aliud instauravit, quod idem Author subdit eodem loco.

---

1. *Venerabilis Arnulphi Bruxellensis rigor supra consuetum, 2. continua verbera, 3. crebra, & multiplicia. 4. Nouum virgarum genus, 5. & miraculum in ipso continuatum: 6. cilicia ad carnem, crura, pedésque: 7. & hactenus inaudita cilicij forma. 8 catena tres: 9. itémque aliud de pellibus ericiorum: 10. lectus, & victus: 11. & qualiter hæc ei permitterentur.*

CAPVT X.

1. ENTER hæc in Villario Beatus Arnulphus de virtute in virtutem quotidie crescens; sed præcipuè in seipsum sæuus vindex, per corporis tormenta, cruciatúsque, ad spiritus gloriam suspirabat. Fumibus, quos ne nemos offenderet, subtraxit corpori, virgarum verbera crebra subrogauit: verùm, cùm ne hæc illi satis essent, adiecit aculeos, & si quæ alia tormentorum genera, industria, aut experientia suppeditabant. *Non sufficiebat ei*, ait Gosuinus [a], *quòd verberibus carnem suam affligebat: nisi etiam nouos afflictionum modos excogitaret. Interdum siquidem pungitiua rosarum folia accipiens, subtus tunicam, ad carnem in summo ponebat. Interdum etiam aculeatarum congeriem ramorum, in modum lectuli sibi in terra sternens, nudum se in eis volutabat.*

[a] lib. 1. cap. 5

Quadam die, cùm Monachus quidam veniisset ad Grangiam, vbi idem Vir Domini morabatur, inter-

2. *rogauit*

regauit Fratrem ſi habularium, nomine Nicolaum, vbinam ille eſſet. Qui reſpondens, dixit, eum eſſe in Purgatorio. Ad quod verbum, cùm Monachus miraretur, & interrogaret, cuiuſmodi eſſet illud Purgatorium, prædictus Frater ſubintulit dicens: Quia ille more ſolito verberibus purgatoriis corpus ſuum affligebat. Tum Monachus, O quàm libenter, inquit, colloquerer ei, ſi id mihi ab ipſo concederetur. Sed, vt arbitror, tali prapeditus negotio, foras ad me modo non egrederetur. Imo, ait ille, ſi veſter ei aduentus innotuerit, ſine mora proceder. Statimque pulſans ad oſtium celle euocauit Virum Dei: nuncians ex nomine Monachum aduenisse, qui eius ſanctum, & familiare exoptabat colloquium. Confeſtim ille tunica ſe rurſum circumamictans, caputiumque reſumens, egreſſus eſt. Cùm autem Monachus videret tunicam eius ſanguine cruentam, riuulis ſanguinis de corpore eius recenter flagellati decurrentibus, pra dolore cordis lacrymatus eſt: ita vt Vir Domini cauſam lacrymarum eius ſciſcitaretur. Qui reſpondens ait: Tactus ſum dolore cordis intrinſecus, attendens mirabile martyrium tuum. Et quare, chariſſime, interficis temetipſum? Ad quod verbum ille Monacho locutè ſatisfaciens, non ſe ſui ipſius, ſed peccatorum interfectorem eſſe reſpondit. Nec mirum: acerrima enim, & frequens carnis afflictio ſæpè adimit ſeruis Dei, ex parte non modica, peccandi occaſiones.

3. *Quadam iterum vice, cùm intra cellam ſuam ſe more ſolito caderet, Frater quidam ſteterit foris ſecus parietem, Beato Viro hoc ignorante, vt verberum eius modum exploraret: & mille nongentos ictus eum carni ſua dediſſe, eoſdem ictus numerando, agnouit, antequam à verberibus ceſſaret. Res mira! quis ſuper iis non obſtupeſcat? O amice Dei omnipotentis. Quid eſt, quod agis? Alij ſua quærunt commoda, carnem ſuam fouentes: & milites huius mundi præliantur non contra ſe ipſos, ſed contra hoſtes ſuos: tu verſa vice, contra carnem tuam pugnas: & quaſi miles furibundus ei nouum bellum indicis. Obſecramus pro Chriſto miſerere carnis tua, carnis pauperis, & fragilis: ſine qua viuere non potes. Si verò eam affligere cupis, conſule ſaltem nutricem virtutum Diſcretionem: ab illa enim doceri poteris, quantum oneris iumento carnis tua imponere debeas. Nequaquam, inquit ille, nequaquam ad effectum perduceretur huiuſmodi ſuaſio, cùm caro mea hoſtis meus ſit; tanto magis mihi formidandus, quanto magis mihi vicinior eſt; iumentum carnis mea, ſtimulis pungi, & arctari neceſſe eſt, ne laſciuiat, & me pertrahat in mortis voraginem: & ideò nona adhuc illa bella ſuſcitare propono.*

4. *Igitur miles fortiſſimus perſeuerans in ſancto propoſito impugnandi carnem ſuam, vt in tormentis corpori ſuo adhibitis, vel adhibendis ſimilis efficeretur leoni, qui ad nullius pauet occurſum, inuenit quoddam genus flagelli, cuius ictus non tantùm importabiles multis hodie viderentur; ſed & intuentes horrere nimis concuterent. Fecit nanque ſibi ferulam ligneam, agglutinans illi pellem ericij, multis aculeatam ſpinis: & in virtute ſanctæ Crucis ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus arripiens illam, flagellauit ſe, vbi caro eius denſior habebatur, vel vbicunque manus ferientis imeniſſet locum: vt nequaquam ſibi parcens, & manibus propriis ſe ipſum cædens, & tormentum tormento addens, maius aliquid ageret, quam Martyres antiqui, qui alienis manibus torquerentur. Et cùm talibus corpus ſuum ſtimulis immiſericorditer perforaret, tanta ſanguinis abundantia de foraminibus effluebat, vt manus eius ſuperficie tenus tegeretur.*

5. His, & ſimilibus carnem ſuam domabat inuictus Miles, vt non immeritò Martyribus æquandus, qui in ſe ipſum tam atrociter ſæuiebat. Sed neque defuit illi gloria multorum Martyrum; comprobata miraculo continuo cauſa paſſionis, quam miſſa medicina de Cœlo ſubſequebatur. Nam audi, quod ſequitur [b]: *Quotieſcunque autem, iam virgis, quam roſeo, ſiue ferula carnem ſuam tam furibundè cecidiſſet, die ſequenti, ſe curatum diuinitus reperiebat: excepto, quòd quadam nigredinis macula ex vulneribus, & foraminibus, in carne eius apparebant. Quanquam etiam recenter flagellatus nudum ſe volutabat in orticis: ita vt dolor, quem mordaces illa vrtica pariebant, acrior ei, & intolerabilior, ſicut ipſe perhibebat, ſuper omnes dolores, quos antea ſuſtinuerat, videretur.* Hæc de verberibus, & miraculoſa eorum, quoties verberabatur, curatione. At de ciliciis, ne quod Martyrij genus Sanctus amitteret, idem, qui ſuprà, Author talia ſubdit [c]:

[b] ibidem.

[c] lib. 1 cap. 7

6. *Prælibatis itaque exaratus, cruentatúſque flagellis Arnulphus noſter, & permanens inuictus, ſubtus ad carnem induit cilicium: ne quid minus Beato Arnulpho, Metenſi Epiſcopo, in hoc parte feciſſe dicatur, qui ſicut in geſtis eius legitur, cilicio induebatur, non tamen caligas cilicinas in cruribus, & pedules cilicinos geſtaſſe deſcribitur: cùm Martyri noſtro, neque caligæ, nec pedules huiuſmodi definiſſe certiſſimè comprobentur. Quoties autem de Grangia, vbi morabatur, Dominicis noctibus, vel etiam in Sanctorum Feſtiuitatibus ad Monaſterium pedes ire voluiſſet: non tamen ideò omittebat, quin pedules portaret in pedibus, quanuis in ambulando pedes eius aſperitate eorum non modicè lederentur. Cùm verò cilicio ſatis aſpero, quod ſubtilioribus ſetarum funiculis erat conexum primitùs vti conſueuiſſet, cœpit eiuſdem cilicij aſperitatem pro nihilo ducere, eò quòd ad patiendum quodammodo ſuaue, & minùs pungens ſibi videbatur, commotúſque indignatione magna aduersus carnem ſuam, cogitauit, vt acrioribus exacerbaret iniuriis.*

7. *Et cùm ab huiuſmodi cogitationibus deſiſtere noluiſſet, ne feruor cordis eius vel ad modicum tepeſcere videretur, accepit ſetas equinas, & furtim groſſos ex eis contorquens funiculos, calligatum inſtitit, aſperum nimis, & viſu horribile corpori ſuo fecit indumentum. Quo dum indutus eſſet, tam rigidum, & inflexibile circa corpus ſuum, vt ita dicam, ſtabat idem indumentum, vt nequaquam in alteram partem ſe flectere, vel deorſum inclinare poſſet. Quod dum comperiſſet Magiſter Grangiæ, vir Religioſus, & omnium bonorum amicus, Sigerus nomine, timens, ne iumentum corporis illius ſub tanto onere deficeret: calliditate quadam illectum ſeduxit, & ei tormentum importabile abſtulit. Ille autem dolens, dulce ſibi abtactum eſſe cilicium, à die illa, & in reliquum eiſdem ciliciis, quibus antè vti conſueuerat, vſus eſt. Porrò, ſi quis quærat qualiter & quoties, ſi crebrò, an raro cilicio, caligis, & pedulibus vſus fuerit, agnoſcat, quòd huiuſmodi indumenta tam indiſſolubili fœdere carni ſuæ copulauit, vt eis ferè quaſi omni tempore vteretur. Non enim difficile fuit ei habere ad manum hæc cilicina indumenta, quoniam à quodam viro religioſo, qui ſibi familiaris erat, eadem contexta ſæpiùs ei miniſtrabantur.*

8. *Cogitans autem miles inuictus, quid adhuc carni ſuæ ad cumulandum tormentum applicare poſſet, tres catenas ferreas ſibi acquiſiuit, & in nomine Sanctæ Trinitatis, trinitati ſupradictæ, id eſt, cilicio, caligis, & pedulibus, trinitatem catenarum ſocians; primam catenam per medias ſcapulas, & ſub aſcellis ex vtraque parte, per ante pectus ſuum circumflexis, & ex ea ſe cinxit: ſecunda autem catena à dorſo per medium ventrem ſe quaſi quodam cingulo cinxit: tertia verò circumpoſita renibus, ſuum etiam officium impleuit. Hæ autem*

autem catenas carni sue, prove libuit, vel fortiùs, vel remissiùs adstrinxit. Vidit Ioannes in sua Apocalypsi hominem præcinctum circa pectus corona aurea: nos verò oculata fide, maius aliquid inspeximus: hominem mirabilem fortiter accinctum supra pectus catena ferrea, ad reprimendas cogitationes noxias, quæ ex corde eriuntur. Circa ventrem secunda catena figebatur, vt gulæ concupiscentiam reprimeret. Tertia circa renes, vt luxuriæ motus refrenaret. Hic est funiculus triplex, non lineus, sed ferreus, qui quanto fortior, tanto ad rumpendum difficilior.

9. Restabat adhuc nouum cilicij genus, hactenus inauditum, quod sciamus, sed ab eodem Sancto excogitatum, de pellibus ericiorum: & neque illo voluit defraudari. Vnde idem, qui suprà, Author, prosequitur [d]: *Post præcedentium tormentorum triumphos, cupiens adhuc miles Christi in operibus militiæ sue innouare signa, & mutare mirabilia, ausus est magnum quiddam acceptare: quod inter cætera eius gesta multis præconiis attollendum est. Quæsiuit namque sibi pelles ericiorum, nec plures, nec vero pauciores, secundum quod eas habere ad manum potuit, quibus tam mirabiliter vsus est, vt ipsarum aculeos carni sua sine cunctatione applicans, multis eam punctionibus perforaret. Et ne caro eius præditarum pellium punctionibus diutiùs fraudaretur, rogabat pastores suos, vt quotiescunque ericias vel in syluis, vel in domestis, seu alibi inuenissent, excoriantes eas, pelles ei pro munere afferrent. Vnus etiam ex familiaribus eius huiusmodi pelles quandoque ei comparabat. Et quamuis certum non designauerimus numerum pellium, agnoscant tamen præsentes, & futuri, undecim eum pelles habuisse, de quibus insimul ligatis, quasi quoddam pellicium faciens, sex in pectore, & vtroque latere, quinque verò in dorso fixas baiulabat: cilicium desuper induens, & cingula illud corpori adstringens: ne fortè pelles à carne laxarentur.*

10. Lectus viro Dei nequaquam mollior [e], *De lapidibus planis, & magnis, vt in eo pausaret, extruxit & desuper lapides illos, baculos quosdam duros posuit, & sic demum super baculos sagum lateum, vt corporis sui tormentum celaret, expandit. Et ne caput eius etiam aliquo incommoditatis participio fraudaretur, ad caput lecticuli lapidem grandem posuit, nullum omninò cervical sub capite suo habens, quemadmodum cæteri Fratres eius.* Hic lectus Sancti. Verùm victus qualis? Idem Author ait [f]: *Panis niger, & asperrimus, quem soli canes edere consueuerant; & pulmentum biduò, vel triduò reseruatum, eóque non insipidum tantùm, sed etiam fœtidum.* Demùm vestitus naturæ ipsi contrarius, ne quod sibi solatium exhiberet. Quippe hyeme, sola tunica, & cilicio; medio calore cunctis, quæ habebat, quo corpus suum domaret, operiebatur.

11. Dubitat Author, & quidem non immeritò, qualiter, qui Arnulpho præfuerunt Sancti Abbates, Carolus, Conradus, Galterus, Guillelmúsque, passi sunt eum tot tormentis affici, tot se ipsum cruciatibus vrgere. Ad quod tamen respondet apte satis cuncta in Deum refundens, qui vt Author, consilij, sic & prouisor [g]: *Ij demum Abbates licentiam adhibendorum corpori eius tormentorum dederunt: sed ei rursum quadam interdixerunt, timentes, ne sub tanto martyrio deficeret: sed ille fortem se ad omnia asserens, opportunè, & importunè licentiam sibi subtractam, iterum ab eis extorquebat. Videbant enim in eo priuilegiatam quodammodo naturam: nec poterant eum à se repellere, & contradicere feruentibus instituto quod roborabatur a Deo in diebus certaminis sui, nec vllatenus deficiebat.* Hæc satis nunc de admirando rigore vitæ Arnulphi, quem vsque ad mortem constanter conseruauit, & per quem ad contemptum sui primùm, inde ad Dei amorem, & reliquas virtutes strauit viam. Nam de virtutibus ipsis, & miraculis, quibus in ipso earum exercitio legitur illustratus, dicam in tempore.

d lib. 1. cap. 6.

e lib. 1. cap. 7.

f lib. eod. c. 8.

g lib. 1. c. 6.

---

1. *Acta Capituli cupidinis expertia:* 2. *tum aliud dubium vtcunque interpretatum.* 3. *Chronologia, & dictum de Bello Loco Regis,* 4. *illustri Ioannis Angli fundatione,* 5 *in pœnitentiam iniuncta pro peccatis,* 6. *quam filius eius Henricus consummauit.* 7. *Vallis Saluatoris, & Fons Danielis,* 8. *& qui huius Fundatores, & Dotatores.* 9. *Sanctus Christophorus penitùs ignotus,* 10. *Dedicatio Montis Sancti Georgij.* 11. *Fundatio Monasterij* 12. *Sancti Hilarij.*

CAPVT XI.

1. IN Capitulo hoc anno paucæ leges, fortè quia obseruandæ, atque eò sanctiores, quòd ab omni cupidine alienæ. Prima: *Ne in posterum Ecclesiarum trunci, aut gazophylacia haberentur: ne fierent quæstus Prædicatorum, vel Confraternitatum.* Pulchrè sanè & ex vsu pietatis; ne, videlicet, Religio quæstuosa, aut vilesceret extetis, aut nostris in ruinam conuerteretur. Secunda aduersùs tenues Conuenticulos: *Consultum est*, ait, *& indultum; vt Abbatiæ, quæ minus habent à duodecim Monachis, vel expirent penitus, vt redigantur in Grangias: vel si abundant possessionibus, vt dictum numerum possint suscipere, prouideat Pater Abbas.* Nihil nocentius his paruis Conuenticulis: in quibus plures, quàm ad anachoreticam; pauciores, quàm ad cœnobiticam vitam requiruntur: & destitutæ actiones Communitatis debita grauitate; aut exercitæ tædium, contemptúmque; aut prætermissæ otiositatem pariunt, quæ mater, & sentina omnium vitiorum.

Accessit tertia lex, quæ Grangias respicit, abdita mihi, & incognita ratione: *Ne in Grangiis nostris diuina celebrentur, nec Altaria habeantur: & omnia Missa necessaria à Grangiis amoueantur.* Fortè ne vnquam Sacerdotes adspirarent ad eam cutam: aut Mariæ officio prætermisso, Martham, maximè in Grangiis, æmulari, putarent licitum: & Conuersis Conuentus frequentandi, vsi ipsa factorum indigentia imponeret habitualem, vt ita dicam, & velut permanentem necessitatem. Illud notandum, quo anno Grangiis diuina interdicuntur, eodem ipso Conuentus non numerosos in Grangias redigi, quasi ab eis etiam relegandis sacris, quæ vix, nisi profanè, saltem non condecenter tractari possunt.

Sequitur Chronologia Monasteriorum, quæ quatuor tantùm hoc anno nata tradit. 2. *Anno*, inquit, *M.CC.IV. decimoseptimo Calendas Iunij, fundata est Abbatia de Bello Loco Regis in Anglia.*

Eodem anno, tertio Calendas Augusti, Abbatia de Valle Saluatoris in Hibernia.

Eodem

Eodem anno, quarto Nonas Augusti, Abbatia Fontis Danielis.

Eodem anno Abbatia Sancti Christophori. Hæc Chronologia. Bellum Locum Regis, in Vvintoniensi Diœceſi, Ioannes Rex, ſeu tyrannus Angliæ condidit, Monachis ex Ciſtercio eò accitis: adeò nullus tam malus, eſt, à quo non aliquod bonum fieri poſſit. Memorat Nicolaus Arsfeldius fundationem, & ante eum Matthæus Paris, his planè verbis: *Duo vero Ioannes Cœnobia conſtruxit: alterum Ciſtercienſis diſciplina, quod Bellum Locum appellant in Vvintonienſi Diœceſi: alterum ſacrarum Virginum apud Godſtoun in Lincolnienſi.* Ita Arsfeldius, Paris, aliique. Quibus tamen addendum, quod ipſi tacent, & nec fortitan adhuc alius ſcripſit: nequaquam eam vltroneam fundationem; ſed magis Ioanni iniunctam in pœnitentiam, eum omnia ſua peccata Humberto Cantuarienſi confeſſus eſſet. Produnt id Litteræ Innocentij Papæ ad ipſum, ſequenti anno expeditæ, quæ inter alia hæc verba expreſſa continent [a]:

a *lib. 8. epiſt. 57.*

4. *Sicut Venerabilis Frater noſter, Cantuarienſis Archiepiſcopus, nobis intimare curauit, Serenitas Regia, quæ prædiximus, diligenter attendens, peccata ſua, quæ ab ætate inerme commiſit, humiliter eſt confeſſa: & iuxta conſilium eius, Deo ſanctificare repromiſit. Idem autem Archiepiſcopus ſaluti tuæ cupiens prouidere, inter alia tibi diligenter conſuluit, ac prudenter iniunxit, vt centum milites dirigas in ſubſidium Terræ ſanctæ, in obſequio Crucifixi, per annum integrum moraturos: & Monaſterium conſtruas, in quo Conuentus, ſecundum Ciſtercienſem Ordinem ſtatuatur. Monemus igitur Serenitatem Regiam, & exhortamur in Domino, quatenus præteritorum oblitus, ad anteriora ingiter te extendas; nec retrorſum reſpicias; ſed de cætero vaces operibus pietatis, & ſic ſatisfacias de commiſſis, vt caueas cautius committenda.* Hæc Innocentius, confirmans ea, quæ Ioanni iniunxiſſet Humbertus Pontifex.

5. Cæterùm hanc eandem fundationem vlteriùs conſtat adeò ſuperbam à Ioanne cœptam eſſe, vt cùm nondum ab ipſo conſummatam filius eius Henricus proſequi vellet, neque id poſſet ſine ingenti ſumptu facere, Gregorium IX. Innocentij ſucceſſorem ſupplex orauit, vt quarundam Eccleſiarum fructus illi vniret: qua de re extat eiuſdem Papæ Bulla Reati expedita, ſub hoc tenore [b]:

b *lib. 2. epiſt. 279.*

Abbati, & Conuentui Monaſterij Belli Loci Regis, Ciſtercienſis Ordinis. Pia poſtulatio voluntatis effectu debet proſequenti compleri, vt deuotionis ſyncera laudabiliter emiteſcat, & vtilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Sicut ergo littera chariſſimi in Chriſto Filij noſtri Henrici, illuſtris Regis Angliæ, nobis exhibita continebant, clara memoriæ Ioannes, Rex Angliæ, pater eius prudenter attendens, quòd nihil ſuis viribus homo poteſt vtiliùs applicare, quàm quod in beneplacitis erogat Redemptoris: & ſciens, quòd multùm valet oratio inſtorum aſſidua, quia oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum; ac pro hoc ſperans inuari veſtris aſſiduis orationum ſuffragiis apud Dominum, pro ſua, & parentum ſuorum animarum ſalute Monaſterium veſtrum adeò magnificè inchoauit, quòd reliquam huiuſmodi operis quatuor millium marcharum, & amplius ſummam expoſcit.

6. *Idem Rex proſequens pium propoſitum patris ſui, nobis humiliter ſupplicauit, vt cum ad conſummationem ipſius dicti Monaſterij, regij redditus non ſufficiant, de Sulfuns, & de Inglesham Eccleſias cum Capella de Chocheſeul, quæ viginti quatuor librarum valentiam vix excedunt, in quibus ius patronatus habetis, retinendas in vſus proprios vobis, & eidem Monaſterio concedere dignaremur. Nos igitur ipſius Regis precibus benignum impertientes aſſenſum, vobis, & ſucceſſoribus veſtris, authoritate vobis præſentium indulgemus; vt prædictas Eccleſias cum Capella, & ipſarum pertinentiis, cedentibus, vel decedentibus Rectoribus earundem retinere in vſus proprios libere valeatis: prouiſioque ipſarum Eccleſiarum per idoneos Vicarios ſeruetur, vt debito diminutum obſequio defraudentur: ac reſeruata eis de ipſarum prouentibus congrua portione ad debita procurationum Epiſcoporum, & Archidiaconorum onera ſubeunda. In aliis Diœceſani Epiſcopi iure ſaluo. Nulli ergo noſtræ conceſſionis, &c. Datum Reati, quarto Idus Februarij, anno quinto.* Hactenus Bulla Gregorij Papæ IX. ex qua, & Ioannis fundatio permagnifica, & filij erga fundationem patris pius affectus, haud obſcuris indiciis comprobantur. Reliqua huius Cœnobij, ſi quæ occurrerint, ſuis locis reddemus.

7. Sequitur Vallis Saluatoris in Hibernia, Stanleyæ Filia, in Diœceſi Oſorienſi, ad cuius Abbatem ſimul, & Geripontis extant Litteræ Gregorij Papæ IX. datæ Laterani, decimoſeptimo Kalendas Decembris, Pontificatus ipſius anno XIV. quæ ſuo tempore à nobis reddendæ erunt. Fons Danielis Cœnomanenſis, Filia Clarimontis, adeóque adaugens lineam Clarævallis. Fundatores Drogo, atque Iſabella coniuges Domini Lochanenſes, & Meduenſes, ſi non corrupit Scriptor locorum nomina, pingui Cœnobio conceſſa dotatione, quam video ab Innocentio IV. firmatam, Litteris datis ad Abbatem, & Conuentum Fontis Danielis, Ciſtercienſis Ordinis, Cœnomanenſis Diœceſis, quæ ita habent [c]: c *lib. 7. epiſt. 459.*

8. *Cùm à nobis petitur, &c. Eapropter, dilecti in Domino Filij, veſtris iuſtis poſtulationibus, grato concurrentes aſſenſu, omne ius, quod dilectus Filius nobilis vir Drogo Lochanim, & Meduana Dominus, ac Iſabella vxor eius, Patroni Monaſterij veſtri, Cœnomanenſis Diœceſis, ſpectans ad ipſos, in hominibus, poſſeſſionibus, molendinis, & cæteris bonis eiuſdem, pia liberalitate iam dicto Monaſterio conceſſerunt: necnon libertates, & immunitates ſæcularium exactionum, ab eiſdem rationabiliter vobis indultas, prout in Litteris inde confectis plenius dicitur contineri, ſicut ea iuſtè, ac pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Monaſterio authoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. Datum Lugduni, ſeptimo Idus Martij, anno tertio.*

9. Hactenus Innocentius Papa IV. qui & aliud indulget priuilegium, Lugduni item, octauo Kalendas Maij, eodem anno. Memoratur Monaſterium Fontis Danielis in libris Cameræ, vbi notatur in Cœnomanenſi Diœceſi ſex & ſexaginta, ac centum florenorum taxa præfixa. Notitiæ Abbatiarum recèns vulgatæ, in Fundatore variant; & quendam Equitem, nomine Iuheley Dominum fluminis Mainenſis, qui anno M. CC. XX. viriliter contra Albigenſes pugnans occubuit, atque in eodem Cœnobio ſepultus iacet, fuiſſe affirmant. Sancti Chriſtophori Abbatia prorſus ignota: nam, quam Hiſpaniam Aubertus Miræus putat in Luſitania ſita, longè antiquior, de qua in primo tomo: nec ſatis conſtat de alia in noſtris finibus.

10. Hoc item anno conſecratum lego Monaſterium Montis Sancti Georgij, Vvigulæo Hundio in Catalogo Epiſcoporum Brixienſium, ita ſcribente [d]: *Idem*, id eſt, *Conradus, Epiſcopus quadrageſimus ſecundus, anno Domini milleſimo ducenteſimo quarto, dedicauit, & conſecrauit Monaſterium Montis Sancti Georgij, in inferiori Oeni valle.* Hactenus ille. De Monte Sancti Georgij ſuperiùs dictum. Iam ad annum ſequentem progrediamur, d *in Conrado, Epiſc. 42.*

Si

11. Si tamen priùs Hispanam Abbatiam Sanctimonialium, in Cathalonia, & Diœcesi Illerdensi, quæ hoc anno surrexit, propalemus. Fundatrix Comitilla Vrgelitana, nomine Eluira, locus ab ipsa Illerda non distans fuit, in petantiqua Ecclesia S. Hilarij, (cuius nomen retinuit,) quam in Cœnobium Cistercien-sium Virginum, intercedente Petro Rege Aragonum, ab Episcopo, & Capitulo Illerdensi dono accepit. Moniales ex Monasterio de Casuas adductæ sunt, sub prima Abbatissa Domina Ermesenda, quæ omnia, & alia constant ex instrumento in eodem Cœnobio conseruato, quod ita habet:

Venerabilis Eluira, Dei gratia Vrgelensis inclyta Comitissa, cùm Monasterium in honorem Dei, & propagationem Monastica Religionis, pro anima suæ remedio edificare disponeret, apud nos Gombaldum, Dei miseratione Illerdensem Episcopum, tam per se, quam per virum inclytum Petrum illustrem Regem Aragonum, & alios Regni nostri Barones, & Religiosos viros, precibus pietate suffultis instituit vehementer, vt Ecclesiam Sancti Hilarij, iuxta ciuitatem Illerdensem, quæ pleno iure ad nostram noscitur Ecclesiam pertinere, concederemus ei, ad Monasterium in ea Sanctimonialium Cistercien-sis Ordinis statuendum: ita tamen, quod ex hoc facto illæsa, & indemnis in omnibus, & per omnia conseruetur Ecclesia Illerdensis. De nostra igitur, & totius nostri Capituli deliberatione communi, pietatis instinctu, & fauore Religionis, honestis ipsius Comitissæ precibus facilem præbentes assensum, præfatam Sancti Hilary Ecclesiam cum his tantùm adiacentibus, quæ in circuitu suo eadem Ecclesia hodie possidere dignoscitur, eidem Comitissæ tali tenore concedimus, vt Monasterium ædificans ibidem Sanctimoniales in eo statuat, quæ sub Regula Sancti Benedicti, & professione Cisterciensis Ordinis Creatori suo studeant ingeminis famulari. Hactenus suo, & Capituli nomine Episcopus.

12. Subdit verò deinceps femina nobilis: *Et ego Eluira, Dei miseratione Vrgelensis Comitissa, præfatam concessionem, seu donationem a vestro Domino Gombaldo, Episcopo, & Ecclesia Illerdensi factam, sub eo tenore, qui superius continetur, deuote suscipio, & vniuersa, & singula, quæ a vobis superius posita sunt, affectuose, ac humiliter amplexans, de consilio, & assensu Abbatum, ac Monachorum, & aliarum personarum Cistercien-sis Ordinis roborari, & à Summo Pontifice confirmari, subscriptionibus quoque Abbatissæ, & Monialium eius loci, statim cùm eas ibi Deo auctore induxero, ipsum instrumentum, absque dilatione aliqua faciam confirmari. Quodsi forte ea, vel aliquid eorum, quæ superius sunt posita, expressa, non fuerint suo tempore adimpleta, vel si etiam Conuentum Monialium exinde transferri, vel quomodolibet abesse contigerit; liceat vobis authoritate vestra eandem Ecclesiam apprehendere, & eam pleno iure in potestatem vestram, absque contradictione aliqua vendicare. Quod est actum XII. Kalendas Ianuarij, anno ab Incarnatione Domini M. CC. IV. Signum Gombaldi Illerdensis Episcopi. Ego R. Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus confirmo. Signum Francengaudij, Comitis Vrgelensis. Signum Eluira Vrgelensis Comitissæ.* Sequuntur subscriptiones Capitularium Illerdensis Ecclesiæ, & tandem Hermesendis Abbatissæ, & XII. Monialium, quæ ex Monasterio de Casuas illuc aduenerant.

ANNVS CHRISTI M.CC.V. CISTERCII C.VIII.

1. Episcopis auersantibus Legatos in causa fidei, 2. Petrus de Castro Nouo missionem petit. 3. Innocentius eidem denuò scribit, 4. & confirmatum in suscepto munere, 5. perseuerare omnimodis persuadet. 6. Tum Regem Franciæ per litteras hortatur, 7. vt eidem assistat, 8. & in vltionem inimicorum Christi gladium exerat, 9. & pœnas omnes à Legatis, Hæreticis inuictas exequi faciat.

CAPVT I.

1. SEQVITVR Annus à Christo in terris nato millesimus ducentesimus quintus, à condito Cistercio octauus supra centesimum, quo tres Legati missi ab Innocentio, Arnoldus, nempe, Petrus, Rádulphúsque, discurrentes per Galliam Narbonensem, rebelles Hæreticos, Catholicos timidos, suspectos Ecclesiasticos, &, quod caput malorum omnium erat, Pastores desides, parcentes lupis, contemnentes oues, atque earum latratus auersantes experiebantur. Non illis ab Episcopis auxilium, consiliúmve, non aliquod solatium, non societas in Ecclesiæ, & Christi causa: sed, qui magis zelare debuissent, Inquisitorum zelo velut oppositi, contrarios se per omnia declarabant. Narbonensis præcipuè, & Biterrensis: ille dissimulantior, vt qui multorum criminum conscientiam, aut saltem infamiam incurrisset: & eosdem Legatos haberet Iudices, à quibus deponendum se, si palàm Euangelio contrairet, non dubitabat. Hic paulò audacior, siue reuerà minùs sibi in aliis conscius, siue mente corruptior, & minùs reuerens suæ Dignitatis. Constat, cùm ab eisdem rogaretur, vt Raymundum, Tolosanum Comitem, cum eis simul adiret, recusasse proteruè. Quin neque Consules vrbis Biterrensis, requisitum, inducere voluisse ad abiurandas hæreses, & Hæreticos relegandos à suis finibus.

2. An Arnaldus discesserit ad tempus, affuturus Capitulo, & sui Ordinis negotia prouisurus; in dubio est: & videntur remansisse soli Rádulphus, & Petrus. Certè hic vltimus cùm totius rei statum exfide retulisset Summo Pontifici, ac se, quandiu non alij Pastores substituerentur, aut illis Deus feruentiorem zelum infunderet; aut tandem ecclesiasticis gladiis iam tunc districtis, gladij etiam temporales, rebellibus compescendis adiungerentur, desperare de fructu professus esset, postulauit missionem, & se iam Monasterio suo permitti, fratrum quiete, quam exquisierat: vt qui aliena errata corrigere, aut omninò nesciret, aut non valeret, sua saltem, quod à Deo sperabat, deploraret, ne dum aliis inutiliter laborat, sit

ipsius

ipsius detrimentum pateretur. Esse sibi promptum quidem spiritum ad subeundos pro fide Christi labores : neque in hac parte carnem multùm infirmam: at vires animi prorsus defectuosas, quod probabat euentus, & siue in ipso consisteret defectus, siue in Episcopis, siue in vtrisque simul ; seu arma etiam deficerent externa pernicaciæ rebellium coërcendæ : his immutatis frustrà laborari. Quin plùs audaciæ Hæreticis accrescere, plus desidiæ Præsulibus ; torporisque ex ipsa immunitate : illis nihil iam vlteriùs non ausuris, quibus hactenus facta permitterentur : his hausturis torporem ex assuetudine ; neque immutandis malis, quæ non semel, sed sæpiùs experti essent.

3. Hæc, & similia Petrus ad Innocentium, seu quietis cupidus, seu specie recusantis, efficacius remedium rebus exposcens : cùm Summus Pontifex hoc secundum credens, aut magis volens, ipsi vt persueteret in Officio sibi iuncto ; Episcopis, vt à somno torporis excitarentur, ac Legatis adesset ; & tandem Regi Franciæ Philippo, vt per se, vel per filium Ludouicum, arreptis armis, compesceret rebelles, animosè scripsit, ad eos omnes litteris directis, & quidem specialibus ad singulos, quas ex ipso Regesto Vaticano, & libro septimo epistolarum Innocentij fideliter transcriptas accipiat Lector [a]:

a lib. 7. epist. 201.

Fratri Petro de Castro Nouo, apostolicæ Sedis Legato.

Debitum charitatis, quod non, quæ sua sunt, quærit, exposcit, vt is, qui Rachelem amplectitur, contemplationis speculam ascendendo, in necessitatis articulo Liæ, quamis lippæ, non refutet amplexus, actionis onera subeundo : quare, licèt illa sit pulchra ; hæc tamen est vtilis propter gratiam filiorum sibi, & aliis commodum afferens, & profectum. Licèt enim Maria sedentis secus pedes Domini otium, Martha ministerio præferatur, eò quòd sit status ille securior, vtpote à secularium strepitu segregatus : actiua tamen potest vtilior iudicari, eò quòd sibi proficiens, & aliis, tribulationes sustinet, & pressuras, per quas virtutes suscipiunt incrementum : quoniam sic ait Apostolus : Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem : spes autem non confundit. *Et plerunque contingit, quòd, sicut virtus in infirmitate perficitur, & auditui præstet vexatio intellectum ; sic eadem ex tranquillitate tepescit. Nam Abel esse desinit, quem Caim non exercet ; & Dauid, quem bella non vicerant, otium superauit.*

4. *Cùm igitur, exigente necessitate, te à contemplationis otio, quod elegeras, ad tempus duximus euocandum, vt in ministerium missus pro nobis, imò pro Christo, legatione fungaris, quatenus obsecres eos reconciliari Domino, quorum intellectum Angelus tenebrarum excæcans reddidit alienos, non debes recusare laborem, licèt gens, ad quam missus es, dura, & incorrigibilis videatur :* Quia potens est Dominus ex lapidibus, Abrahæ filios suscitare. *Licèt autem adhuc in gentem illam, secundum tuam, non perfeceris voluntatem ; non tamen minorem potes expectare mercedem : quia Deus non profectum remunerat, sed laborem ; iuxta quod Scriptura testatur :* Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum. *labori, non profectui præmium repromittens. Vnde Apostolus non se profecisse plùs omnibus gloriatur, sed plus omnibus laborasse.*

5. *Quia igitur firmiter speramus in Domino, cuius est incrementum prebere, quod labori tuo dabit profectum: deuotionem tuam monemus, & exhortamur in Domino, per hæc apostolica scripta mandantes, quatenus opportunè, importunè instans, arguens, & obsecrans, in operando in omni patientia, & doctrina opus Euangelistæ, ac ministerium tibi commissum studeas adimplere : firmiter sperans in Domino Iesu Christo, quòd ipse, qui affectum tibi præstitit laborandi, ne tuus labor inutilis habeatur, effectum tribuet, & profectum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, septimo Kalendas Februarij.* Hæc ad Petrum, ne desisteret à cœptis, Ecclesiæ Pastor. At ad Philippum Regem, & Episcopos non multò pòst, actiores adhuc, neque minùs graues, & feruentes Dei zelo, Litteras dedit. Priores autem ad Philippum Regem Francorum misit totidem verbis [b]: b lib. 7. epist. 212.

6. *Perillustri Regi Francorum.*

Ne populus Israël in Ierusalem ascenderet Dominum oraturus, Ieroboam, filius Nabath, in Bethel vitulum aureum statuit, adorans fanum, & Altare constituens in Excelsis, compellendo præditum populum ad peccandum. Cùm autem Solemnitatem, prout in corde finxerat, fecisset filiis Israël, & ascendisset super Altare, vt adoleret incensum ; in sermone Domini vir Dei accessit ad eum, vt ipsum ab huiusmodi scelere reuocaret. Sed, quia id per Prophetam commonitus, corrigere noluit, quod commisit : suscitauit Dominus spiritum Iosiæ, Regis Iudæ, qui Altare, quod Ieroboam fecerat in Bethel, omninò destruxit, & lucum, quem plantauerat, ex toto succidit. Ieroboam siquidem imitantes vestigia quidam filij Belial, cùm sint lupi rapaces, Regnum tuum in vestimentis ouium intrauerunt : qui vt populus renatus fonte Baptismatis exuat, quem in ipso Baptismate induit Iesum Christum, & in Ierusalem de cætero non ascendat, vitulum in Bethel, in eos, videlicet, quos inhabitauerat Dominus, constituunt, adorantes pro ipso dogmate, qui Altare constructo per superbiam in Excelsis, immolant oues Christi, quas extraxerat ab ouili. Nos igitur affectu paterno compatientes eisdem, & ad lucem ipsos volentes à tenebris, prout ad nostrum officium pertinet, reuocare : dilectos filios Cistercienses Abbatem, & P. & R. Monachos Fontis Frigidi, apostolicæ Sedis Legatos, ad illos in sermone Domini duximus destinatos, vt instantes opportunè arguerent, obsecrarent, & increparent eosdem in omni patientia, & doctrina.

7. *Verùm, sicut dicti Legati per suas nobis litteras intimarunt, iidem sanam doctrinam nequaquam recipientes, sed ad sua desideria coacernantes sibi Magistros auribus prurientes, à veritate auditum auerterunt, in ouile Christi tantò licentiùs debacchantes, quantò sibi amputari dexteram auriculam non formidant, eò quòd gladium, quem Petrus per se ipsum exercet, non metuunt, qui sunt extra ouile Domini constituti. Quia igitur hi, qui lanient vestem inconsutilem Iesu Christi, deteriores sunt Pilati militibus, qui tunicam ipsam scindere minimè attentarunt, obturantes, sicut aspides, aures suas, ne vocet sapienter audiant incantantium, expedit, vt secularet gladius potestatis, ad malefactorum vindictam à Regibus, & Principibus, ad vindicandam euaginetur, iniuriam Saluatoris. Et qui Domini est, accingat gladium super femur, & cum Iosia euertere properet Altare à Ieroboam constitutum ; & excidere lucum contra prohibitionem Domini complantatum.*

8. *Vt igitur gladium, quem Dominus tibi tradidit, à quo est omnis potestas, non videaris sine causa portare ; sed patienti capiti compati te demonstres ; oportet, vt apprehensis armis, & scuto, causam Dei alleges gladiis apud eos, qui habentes caudas, quasi vulpecule colligatas,*

Digitized by Google

ligatas, messes in Regno Francorum comburere inceperunt, dum pugnant filij contra Matrem, Serenitatem tuam, quanto possumus affectu monemus, & exhortamur in Domino, in remissionem tuorum peccatorum iniungentes, quòd si fieri possit, per te ipsum, vel per charissimum in Christo filium nostrum Ludouicum natum tuum, aut etiam alium virum idoneum, contra prefatas belluas potenter assurgas, quatenus filiam Regis assistentem, ad dexteram Sponsi varietate circumamictam, vt Catholicus filius, sinceritatis brachijs amplexeris per exhibitionem operis manifestus, tam Comites, quàm Barones, vt illorum bona confiscent, & proscribant per potestatem tibi cœlitùs traditam compellendo.

9. *Quoniam autem facinus, quos coinquinat, aquat, cùm error, cui non resistitur, approbetur; vt par pœna facientibus, & consentientibus infligatur: si qui Comitum, vel Baronum, vel etiam ciuium huiusmodi nefandi dogmatis professores de terra sua noluerint expellere, aut eos receptare præsumpserint, vel fouere; confiscare bona ipsorum, & totam terram dominio regio applicare, nullatenus verearis. Vt autem defectus gladij spiritualis per materialem accipiat supplementum, memoratis Legatis tua Regalis Sublimitas auxilium potenter exhibeat, & fauorem: vt prætè hoc, quod ex tam commendabili opere apud homines consequeris gloriam, & honorem, eam obtinere peccatorum veniam merearis, quam euntibus in Terra sancta subsidium duximus indulgendam. Datum Rome apud Sanctum Petrum, septimo Idus Februarij.* Hactenus Innocentius ad Philippum, vt Legatis assisteret, & pœnas ab eis, Hæreticis iunctas exequi faceret; aut ipse etiam in remuentes, quod vltimum omnium erat, exequeretur.

---

1. Committit Pontifex Episcopo Agatensi, vt in Biterrensem procedat, 2. ob denegatam Legatis obedientiam, 3. atque eorum per omnia mandata exequi faciat. 4. Cùm Narbonensem anteà reprehendisset, 5. ob eisdem auxilium denegatum: 6. super quo multa, 7. & seuera illis scribit. 8. Perpensa verba epistolarum omnium, 9 commissa nostris visitatio Ecclesiæ Viuariensis: 10. & quid in ea ab eisdem gestum sit, 11. vsque ad Episcopi depositionem, 12. qua approbata; atque ipsis commissa noua electio.

CAPVT II.

1. AVD satis fuit Pontifici Innocentio hærentem Petrum, & respuentem munus sibi iniunctum, animare per litteras; & tribunali ad extirpandas hæteses à se recèns erecto, confirmare vitum, cuius sanguine foret consectandum; non satis scripsisse Philippo Regi, auxilium ei, & sociis præbituro: nisi Episcopis etiam acriùs scriberet, qui censam Dei retardarent, aut non fouerent. Et quidem Narbonensem, qui minùs contumax, per se ipsum corrigere dignatus; in Biterrensem, Agatensi simul, & Sancti Pontij Abbati potestatem concessit, litteris ad eos datis in hunc tenorem [a]:

a lib. 7. epist. 141.

2. *Episcopo Agatensi, & Abbati Sancti Pontij.*

Sicut ex tenore litterarum dilectorum filiorum Petri de Castro Nouo, & Radulphi, Monachorum Fontis frigidi nobis innotuit, cùm de mandato nostro ad extirpandos Hæreticos de Prouincia Narbonensi, sicut viri discreti, & Dei zelum habentes, & pro fide Christiani nominis apprehendentes arma, & scutum diligenter, & sollicitè laborarent, Biterrensis Episcopus requisitus ab illis cum eis ire noluit, ad commonendum super hoc negotio, nostra authoritate, Comitem Tolosanum. Deinde rogatus ab eisdem, vt Consules ciuitatis Biterrensis ad hæresim abiurandam, & ad defendendam contra Hæreticos, Ecclesiam Dei, cum eis pariter adnoneret, non solùm non acquieuit eorum monitionibus; sed id fieri penitùs impedijt, Christi se constituens inimicum; cùm ipse ad hoc per se, pro debito sui officij teneretur. Et cùm authoritate nostra, conuocato Clero, iniunxissent eidem, vt nisi vsque ad diem prefixum hæresim dicti Consules abiurassent, ipsos non differret excommunicationis vinculo innodare. Et licèt hoc promiserit se facturum; id tamen effectui minimè mancipauit. Propter quod dicti Petrus, & Radulphus ipsum ab administratione, necnon & episcopali officio suspenderunt, donec se nostro conspectui præsentaret: Clero Biterrensi, ne interim sibi obediret in aliquo, in virtute obedientia, & sub excommunicationis pœna districtiùs inhibentes.

Licèt igitur quamplures enormitates de ipso audierimus, quas non possumus, nec debemus sub dissimulatione transire: quoniam ad extirpandum crimen hæreseos, per quod blasphematur diuina Maiestas, se non solùm negligentem, sed & contumacem ostendit, predictam suspensionis sententiam ratam habentes, Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus eam denuncietis, & faciatis per omnes Ecclesias Diœcesis Biterrensis suspensum ab omni officio, & beneficio apostolica authoritate publicè nunciari, donec ad præsentiam nostram cum litteris earundem Monachorum, suspensus accedat, vniuerso Clero, & populo Biterrensis Diœcesis, ne illi obedientiam aliquam exhibeant, authoritate nostra firmiter iniungentes. Ne verò Biterrensis Ecclesia dispendium patiatur, aliquibus personis, quas ad hoc idoneas esse nouerit is, administrationem ipsius, authoritate nostra suffulti, sublato appellationis obstaculo, interim committatis. Datum Anagniæ, XII. Kalend. Martij. Sic Innocentius aduersùs non parentem Legatorum mandatis, qui hæreticæ prauitati extirpandæ præfecti essent. 3.

Verùm ad Narbonensem Archiepiscopum, cuius non vsque adeò culpa constabat, talem epistolam, quamuis aliquam eius partem omittam, quia nimis longam, & multa in ea tantùm generalia, ante mensem censuerat scribenda [b]: 4.

b Epist. 145.

Narbonensi Archiepiscopo.

Mirabilis Architectus Christus, Dei virtus, & sapientia, Domum sibi, excisis columnis septem ædificauit, &c. & post longam de ea Domo doctrinam, tandem subdit: *Pastores autem semetipsos pascentes gregi Dominico pabula non ministrant: quod est infirmum, consolidare non student; nec sanare, quod est ægrotum: non alligant, quod est fractum; & quod perit, non requirunt: gladium verum suum à sanguine prohibent, & opus Dei facium negligenter.*

ter. Facta est autem fames in terra, & parvuli quærunt panem; sed, qui frangat eis, vix aliquis invenitur.

5. Labe igitur hæretica pravitatis Provincia tua infecta, non solùm superseminata Zizania de agro tuo, sicut audivimus, eradicare non studes, qui deberes Naboth exemplo, morti potiùs exponere temetipsum, quàm hortum olerum, vineam tuam facere permitteres Achab Regem: verùm etiam dilectis Filiis, Fratri Radulpho, & Fratri Petro de Castro Novo, Monachis Fontis Frigidi, qui ad extirpandas hæreticas pravitates illuc à Sede apostolica sunt transmissi, tuum denegas auxilium, & favorem; nolens eis in suis necessitatibus subvenire, cùm os boni triturantis non debeat alligari; nec iis, qui non, quæ sua quærentes; sed, quæ sunt potiùs Iesu Christi, verbo insistunt pariter, & doctrina, minimè te deceat denegare: quod etiam etsi à nobis missi non essent, ex injuncto tibi officio deberes amplecti, & recipere in visceribus charitatis.

6. Rogatus autem ab eis, vt cum ipsis ad dilectum Filium nobilem M. Comitem accederes, vt tam tua, quàm ipsorum persuasione posset induci ad jurandum, quòd Hæreticos expugnaret in defensionem ecclesiasticæ unitatis, eis acquiescere nullo modo voluisti: cùm tu ipse rogare deberes potiùs, quàm rogari. Sed nec etiam unam eis saltem equitaturam, tunc voluisti concedere ad opus, quod inceperant peragendum: licèt postmodum ad multam instantiam, & importunitatem ipsorum, unam sibi duxeris concedendam.

7. Cùm igitur his, qui dant psalmum, tympanum non debeat denegari, nec prohiberi carnalia metere, qui student spiritualia seminare, Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus cùm dictos Monachos ad te venire contigerit, eos benignè suscipiens, tam in equitaturis, quam in aliis necessariis ipsis honestè studeas providere. Nihilominùs contra ipsos Hæreticos taliter assistas eisdem, vt & ipsi opus inceptum laudabiliter valeant consummare, ac tu non possis de negligentia ulteriùs reprehendi. Quòd si secùs, quod non credimus, egeris, indignationem nostram poteris formidare. Datum Anagniæ, quarto Calendas Februarij. Hactenus Innocentius ad Archiepiscopum. Nec dubium, quin his litteris confusus promptiorem se exhibuerit deinceps negotiis fidei.

8. Has epistolas, si addat præcedentibus, subsequentibúsque, (nam plures alias in hac causa expeditas daturi sumus,) facilè possit Lector penetrare, quàm specialiter ad extirpandas hæreses, convellendos Hæreticos, puniendósque Abbas Cistercij, & socij missi fuerint, plenaria potestate sibi concessa, ad inquirendum, procedendúmque per censuras, per pœnas temporales, per confiscationem bonorum, cum omnibus requisitis, & adminiculis, quæ nunc habet Tribunal illud sanctum. Vt mirum sit, in ipsis sui primordiis adeò perfectum, vt vix quid ei potuerit superaddi per quatuor sæcula. Verum est tamen, dum huic muneri incumberent, nonnullas alias causas illis commissas, nunc duobus, nunc tribus, provt ex usu: maximè in Clerum, quod Hæretici, illius dissolutionem, luxúmque, velut excusationem illis obtenderent; quasi se ideò ab Ecclesia separarent, cujus ministros dyscolos (eóque ipsam suspectam) experirentur. Sed inde magis acceptam potestatem tantùm in causis fidei planè convincitur; quando ad quascunque alias cognoscendas, speciali indigebant delegatione. Quippe aliud erat, ad quod illuc transmissi, velut ex munere: aliud, quod eis incidenter, & quasi orta occasione, committebatur. Sic anno præcedenti in Narbonensem, sequentibus in Regem Aragonum, aliósque sic in præsenti Ecclesiam Viuarien sem duo ex ipsis visitare iussi, cùm Episcopus dyscolus, & membra capiti omninò consimilia infamiam paterentur apud Pontificem.

Igitur inter hæc, ex Narbonensi, in Viennensem 9.
Provinciam missi sunt Radulphus, & Petrus; velut qui dum Arnaldus absens esset, minùs feraciè peracturi forent in causa fidei. Missionis occasio, ministerium, quem dixi, rumor de Viennensi Provincia, sed maximè de Ecclesia Viuarien si: quæ à capite in barbam, & à barba vsque in oram vestimenti descendente, non vnguento, sed malitia, per totam Galliam, & vltra Alpes diffamabatur. Hinc Innocentius zelo Dei actus, exemplo Moysis ductus (nam sic ipse testatur) per viros prouidos censuit discutiendum. Missi ad hoc opus Radulphus, Petrúsque, qui in capite, & membris visitarent, vsque ad depositionem processuri, si opus esset. Porrò quid egerint in ea visitatione, non aliunde commodiùs referemus, quàm ex litteris eiusdem Innocentij ad Capitulum Ecclesiæ Viuarien sis, cùm post cessionem, deponendi aliàs, Episcopi de successione ageret, qui in locum cedentis subrogaretur: sunt autem huiusmodi [c], c lib. 2. epist. 209.

Capitulo Viuarien si.

Accepta, Moysis ministri Domini, cura, & sollicitudine totius populi, quia solus laborem non poterat sustinere, de omni populo elegit viros Deum timentes, quos Principes populi constituit, &c. Et infrà: *Nos igitur, licèt immeriti ad huiusmodi onus, disponente Deo, vocati, Officij nostri debitum exequi cupientes, quoniam Provinciam Viennensem, & quasdam alias infectas esse accepimus scabie, & rubigine vetustatis, dilectos Filios Fratrem Radulphum, & Fratrem Petrum de Castro Novo, Monachos Fontis Frigidi, apostolicæ Sedis Legatos, ad eas duximus destinandos, vt vice nostra corrigerent corrigenda; & secundùm Deum ordinanda cognoscerent, statuentes. Ipsi verò, sicut per suas nobis Litteras intimarunt, ad Viuarien sem Ecclesiam accedentes, vt iuxta mandati nostri tenorem, tam in capite, quam in membris, apostolica authoritate corrigenda corrigerent, à quondam Episcopo vestro, vobis, & Clericis civitatis receperunt corporaliter juramentum, vt plenam de ipsius Episcopi, & vestris excessibus, tam vos, quàm illi dicerent veritatem. Tunc verò, cùm quidam Canonicorum vestrorum multa gravia contra Episcopum proposuissent, cúmque, & de eis, tum per confessionem ipsius, tum per depositiones testium juratorum, pro parte non modica constaret eisdem, Venerabilis Frater noster, Archiepiscopus Viennensis, ad Ecclesiam vestram accedens, ipsis Legatis humiliter supplicavit, vt non ad depositionem dirigeretur ipsorum intentio, sed ad ipsius Episcopi potiùs cessionem.* 10.

At ipsi considerantes, quòd hoc vilitati Viuarien sis Ecclesiæ potiùs expediret: cùm dictus Episcopus potens esset, & nobilis: & Episcopatus totus periclitari sub ipsius posset potentia, & per eum expensis gravibus onerari, causámque in longum protrahere, non sine gravi damno ecclesiasticæ honestatis: preces duxerunt memorati Episcopi admittendas: & idem Episcopus eiusdem acquiescens consilio, loco cessit: pontificali sibi officio reservato. Eo verò cedente, cùm vos ad eligendum vobis Pastorem velletis in Capitulo convenire, ipsi vobis authoritate apostolica inhibere curarunt, ne in electione attentare sic procedere, donec per litteras nostras constaret, nos approbasse ipsius Episcopi cessionem: sicut viri providi, & discreti ardua indicia Sedis apostolicæ reservantes, eò quòd nullus Episcoporum loco, vel officio potest cedere, nisi de licentia Sedis apostolicæ. 11.

Verùm, quia ex Pastoris absentia, Ecclesia dicta periculum non modicè noscitur immunere, ne tyranni terra ipsius in patrimonium eiusdem Ecclesiæ liberè valeant debacchari, nobis humiliter supplicarunt, vt concedere dignaremur vobis virum idoneum in Pastorem. Nos igitur, eorum sollicitudinem, & zelum rectitudinis in Domino commendantes, & quod ab eis pro vtilitate Ecclesiæ vestræ super cessione ipsius factum est, ratum habentes, & gratum; Vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus solum Deum habentes pra oculis, cum consilio prædictorum Legatorum nostrorum, infra octo dies virum idoneum, qui non tam præesse, quam prodesse velit, & possit, vobis concorditer, ac canonicè in Pontificem eligatis: alioquin Legatis eisdem, nostris damus Litteris in mandatis, vt ipsi ex tunc vobis personam idoneam apostolica authoritate præficiant in Pastorem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum decimotertio Kalendas Februarij. Hactenus quæ in Ecclesia Viuariensi: nam, quæ in Tolosana, eisdem, & Abbati Arnaldo commissa, sequenti capite veniet referenda.

---

1. *Visitata per Abbatem Cistercij, sociósque Tolosana Ecclesia:* 2. *& electio Raymundi reprobata,* 3. *dataque littera contra criminum participes.* 4. *Qualis ille, atque eius antecessor.* 5. *Repetita electio noui Pontificis.* 6. *Promotus ad eandem Sedem Fulco, Floresia Abbas.* 7. *Qua die, & qualiter Ecclesiam ingressus sit.* 8. *Qualem eam inuenerit* 9. *Quis ille in sæculo:* 10. *& qualis eius conuersio.* 11. *Demum Litteræ Innocentij datæ ad nostros.*

CAPVT III.

1. EX aliis Litteris Innocentij Papæ constat, visitationem Ecclesiæ Tolosanæ, commissam etiam eisdem duobus Viris, addito tertio, Abbate Cistercienſi, cum omnimoda, & plena iurisdictione. Depositus Raymundus ab eisdem Tolosanus Episcopus; an voluntaria cessione, præuenerit sententiam, in dubio est. Constat, super illius electione inquisitionem factam, atque damnatam, aliquorum depositionibus. Constat item, hoc anno, vacante Sede, subrogatum Fulconem, virum apprimè doctum, sanctúmque, ex Abbate Floresiæ, seu Toroneti, Cistercienſis Familiæ, in illis partibus, cuius non semel fecimus mentionem. Vacuam hoc anno Sedem Tolosanam, quæsitúmque de electione Raymundi, ostendunt Litteræ Innocentij Papæ III. ad Legatos datæ, mense Iulio; cùm vnus ex testibus, qui electionem condemnauisset, velut criminis complex, in Præpositum Tolosanum promotus esset. Tenor autem litterarum hic est [a]:

a epist. 116.

2. *Abbati Cisterciensi, & Radulpho, & Petro Monachis Fontis Frigidi, apostolicæ Sedis Inquisitoribus.*

Per inquisitionem, quam de mandato nostro fecistis super statu, & Episcopatu Episcopi Tolosani, perspicaciter intellexinus, quod Masaron Cellerarius iuratus asseruit, se sciuisse pro certo, Raymundum olim Tolosanum Episcopum, & amicos ipsius ante suam electionem habuisse colloquium cum quibusdam Canonicis nominatim expressis, eósque sollicitasse precibus, vt ipsum eligerent in Episcopum; teque vidisse pariter, & audiisse, quoniam prædictus Episcopus existens in Domo Sancti Petri, de Coquinio, recognouerit in quorundam Canonicorum præsentia, se Canonicis illis, qui aduersati fuerant suæ primæ electioni, iuramentum in Domo Attonis de Montibus præstitisse, creatum pro certo, quòd iuramentum illud illicitum fuit; & factum, vt idem Raymundus eligeretur ex pacto. Et quòd ipsemet fatetur, quòd post primam ipsius electionem cassatam, Domum episcopalem, eius nomine, detinebat; recipiens quosdam redditus, & prouentus, quos de ipsius conscientia, & consensu, in eisdem negotiis expendebat.

3. *Cùm igitur talem scienter in Episcopum eligendo, sicut ipse suo iuramento firmauit, ecclesiasticis beneficiis reddiderit se indignum, graue gerimus, & molestum, quòd dilecto Filio, Præpositi Tolosano, in Episcopum Conuenarum electo, idem Masaron in Præpositum asseritur substitutus: quocirca Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Masaronem ab officio Præpositura protinus amouentes, faciatis virum idoneum ad officium illud assumi, Contradictores, &c. Datum II. Nonas Iulij.* Hactenus Innocentius: quibus, & primam Raymundi electionem cassatam videas, quæ incidit in annum M. CC. I. vt statim dicam; & inquisitum etiam contra secundam nequaquam firmiorem: idque hoc anno, aut sub finem præcedentis: demùm eiusdem anni mense Iulio, iam non Episcopum; seu sententia, seu spontanea cessione sublatus fuerit. Hinc sumptus celebris inter Inquisitores textus in cap. *Per inquisitionem.* de electione, & electi potestate.

4. Verùm Authores, Tolosanæ Prouinciæ luem, quantumuis criminosus Raymundus fuerit, non tam in ipsum, quàm in antecessorem eius Fulcandrum referunt, cuius inscitia, negligentiáque ingruentium hæresum pestis inualuisset. Ita Magister Guillelmus de Podio Laurentij, eius temporis Author, in ea, quam textuit, Historia de Albigensibus: *Non erat*, inquit [b], *excusabilis Fulcander, quòd Hæreticos multum radicatos in terra, siue aduersantium sibi voluntate potenter extirpare: nec erat ad excusationem sui sufficiens, qui etsi non posset ad alia, ad hoc saltem sufficientia multa habere consilia, & auxilia potuisset. Sed ecce, siue propter eius simplicitatem, seu negligentiam, id de ipso dici poterat, quod legitur in sacra Scriptura:* Per agrum pigri hominis transiui: sed totum impleuerunt vrticæ. *Hæretici venerà inutiles, & vrentes, cuius rei culpa fortè pro magna parte refundi poterat in Prælatos, vtpote qui saltem latrare poterant, reprehendere, & mordere. Defuncto Fulcandro Episcopo circiter annum M. CC. I. eligitur Raymundus &c.* Hactenus ille.

b *sub eius tit.*

5. Siue igitur culpa maior in Fulcandro, siue in Raymundo fuerit, desolata Ecclesia Tolosana, sed iam tunc vitiua, ex successore remedium præstolabatur. At semel sueta pati diuisionem, non facilè ad concordiam reduci poterat. Constat ex alia Innocentij Decretali ad duos alios Cistercienses Abbates missa, (fortè, quòd primos Hæretici occupabant,)

occupabant,) & habetur in cap. *In cunctis.* eod. tit. Constat, inquam, Canonicos diuisos; & quosdam Conuenarum Episcopum, ex Præposito Ecclesiæ Tolosanæ olim assumptum, quosdam Archidiaconum quendam elegisse, pro quibus pertinaciter pugnauerunt. Cùm interim Tolosana vrbs, & prouincia, a perfidis Hæreticis, qui dudum, *negligentia Episcoporum*, (vt ait Summus Pontifex.) *miserabiliter, & damnabiliter pullulassent*, grauissima, atque innumera mala experiretur. Ita Innocentius ad Abbates Grandis Syluæ, & Bellæ Perticæ, quibus rem exequendam delegauit. Tum verò Deus miseratus tandem Tolosam, & siue mortuo, siue onus recusante, cui se imparem esse iudicabat, Conuenarum Episcopo, pro quo Innocentius sententiam pronunciauerat, notæ adhuc electioni viam aperuit, per quam, & electores ad vnitatem, & Hæretici ad fidem, & res Ecclesiæ ad meliorem omninò statum, & demùm ad salutem perducerentur.

6. Florebat tunc opinione sanctitatis Fulco Massilienſis, ex aulico olim acutissimi ingenij, ad Cistercium conuersus, & tunc Abbas Floreſiæ, seu Toroneti, fortè in locum Eustachij subrogatus: & sanctitatem doctrina; vtranque zelo, & prudentia decorabat, proprio marte, an consilio Inquisitorum, non video declaratur apud Authores: & saltem Petrus impeditus infirmitate, præsens non fuit. Constat Fulconem electum à Tolosanis, qui a Rymundum excipiens, vtriusque antecessoris torporem, eximia compensare valeret sollicitudine. Porrò de hac illius promotione, atque Petri lætitia, cùm primùm Virum Dei suffectum nouit, idem qui suprà Guillelmus hæc habet verba [c]: *Cùm igitur terra ipsa* (scilicet, Tolosana) *apud Sedem apostolicam, tam sicut hæretica prauitate, quàm rapina, mirabili, & miserabili infamia laborare: eisdem temporibus missus est Legatus à Summo Pontifice, Frater Petrus de Castro Nouo, Ordinis Cisterciensis, vir prouidus, & discretus, cui & Magister Radulphus persona litterata, & multum honesta adductus est Collega; qui comitem Tolosanum ad expellendos Hæreticos, ac raptarios de terra sua, & pacem conseruandam monuerunt, & adstrinxerunt etiam iuramento. Factúmque est eodem tempore, quòd, Deo inspirante, Venerabilis, & Religiosus vir, Dominus Fulco, Abbas Floreſia, siue Toroneti, Ordinis Cisterciensis, eligitur in Episcopum Tolosanum: cuius promotionem cum audiuit dictus Legatus, qui optimè eum nouerat, vt iacebat in lecto infirmus, elevatis manibus in Cælum, gratias egit Deo, quòd de tali persona prouidisset Ecclesia Tolosana.* Hæc de electione, quam iam tunc factam fuisse, quando Innocentius scribebat Inquisitoribus, nam sic eos appellat in illis Litteris, indicabunt sequentia, quæ primùm eius in Ecclesiam Tolosanam ingressum pandunt.

c *sub tit. de Fratre Petro de Castro Nouo, &c.*

7. Igitur pergit Guillelmus hæc verba subdens [d]: *Qui*, id est, Fulco, *ingressus est prius Ecclesiam suam in Festo S. Agathæ, quæ die Dominica erat in Quadragesima; & cùm orasset, conuertit se ad populum, Sermonem inchoans de Euangelio, quod legitur ipsa die*: Exiit, qui seminat, seminare semen suum. *cum quo optimè suo principio congruebat, quòd missum ad Episcopatum mortuum suscitandum; velut alterum Eliseum, iam nemo debebat dubitare. Agebatur autem, quando intrauit Tolosam, annus gratiæ M.CC.V.* Itaque Raymundus 5. Februarij, quæ Agathæ Virgini sacra dies est, iam Fulconem habebat successorem, prouisum sanè à Deo calamitoso tempori, quod Tolosam premebat, vt eò speciosior appareret misericordia, quò maior tribulatio: & felix posset quodammodo censeri, quæ talem habere meruit reparatorem. Haud aliter Manichæis Augustinum, Arrianis Athanasium; atque alios aliis opponere consueuit, Doctores Hæresibus.

d ibid.

8. Verùm, qualem Tolosanam Sedem Fulco inuenerit, & quid ei præstiterit, pergit Author differere in hunc modum [e]: *Quod autem dixi, Episcopatum mortuum, non est mirum: nam ipsum audiui dicentem, etiam in sermone; quòd quando intrauit Episcopatum, à terra vsque ad cælum nihil expeditum, quod ipse posset percipere, inuenisset; nisi centum minùs quatuor solidos Tolosanos, qui etiam quatuor mulos, quos adduxerat, nisi qui datos ad annonam conuiuium adaquatum mittere non audebat, sed aquam bibebant putei infra domum. Et ipse a creditoribus vrgebatur coram Capitulo respondere, terrámque extraxerant Arriani, Manichæi Hæretici, & Valdenses, sicut forte Dominus ordinabat, qui in primitiua Ecclesia non multos nobiles, aut potentes secundùm carnem, sed infirma Mundi elegit, vt fortia quæque destrueret. Vt Episcopus pauper prodiret, & pedes, ad expurgandam hæreticam prauitatem.* Hactenus ille.

e ibid.

9. De hoc Fulcone in sequentibus multa, quippe sine quo, in tota Historia Albigensium, &, quod magis est, neque in tota fundatione illustrissimæ Familiæ Dominicanæ, vix quicquam factum; quem Innocentius, quem Cardinales omnes, quem vniuersa Gallia, Italiáque eximiè coluerint. Interim adnoto, vocatum Massilienſem, forte a patria, quanuis non desint, qui à Sede Massilienſi, cui præfederit antèà, vocatum dicant [f]. Porrò, dum adhuc in sæculo maneret; virum apprimè doctum, & inter cætera Poëtam elegantissimum, quem inter summos Galliæ, Petrarcha, Dantes, atque alij plures, non solùm gentiles, verùm exteri etiam memoratunt. De eo Massonius hæc scribit [g]: *Petrarcha in Apologia Poeta huius meminit* (scilicet, Rigordi,) *& alio in loco Fulconis, cognomine Massilienſis, ingeniosissimi etiam Poetæ. Sed qui dimissis poëticis studiis, transierit ad Cistercienſes; tandémque in Archiepiscopum Tolosanum electus, Albigensium acerrimus impugnator fuerit. Hic est ille Fulco, in cuius gratiam Innocentius annuit Dominico Sectam suam instituere meditanti, quam Honorius posteà confirmauit, &c.* Iacobus de Vitriaco Cardinalis Beatissimum Fulconem, sic enim nominat [h], tradit, discipulum fuisse Petri Cantoris Parisiensis, Doctoris insignis, quem suprà consummatum in Longo-Ponte commemorauimus; quod recentiores ad Fulconem nostrum referunt. Verùm non de hoc loquutum, sed de alio Fulcone, quem Eustachij Magistrum fuisse diximus, facilè ex ipso contextu potest conici.

f ....

g *in Annal. Franc. lib. 3. pa. mihi 311.*

h *Hist. Occident. cap. 19*

10. Vincentius Belluacensis Conuersum tradit cogitantem de æternitate pœnæ, quæ proculdubiò, si altiùs consideretur, efficacissimè appetitus quoscunque nostros frænare valet: *Cogitando*, inquit, *de æternitate pœnæ, dicitur in summa de virtutibus, conuersus fuisse Fulco, Episcopus Tolosanus; qui cùm esset primo ioculator, incepit cogitare, quòd si daretur ei in pœnitentia, quòd semper iaceret in pulcherrimo, & mollissimo lecto, ita quòd nunquam pro aliquo recederet, non posset hoc sustinere; quantò minùs ergo in pœna inæstimabili. Et factus est Monachus Cisterciensis, & post Episcopus Tolosanus.* Qua verò in Domo ad Habitum admissus, in dubio est. Sunt, qui eam gloriam attribuant Grandi-Syluæ, quod minùs probo: quia, nec probatum, alicubi inueni: & Floreſia, nequaquam ad Grandi-Syluam, imò nec ad totam lineam Clarevallis spectare videtur, sed ad Mansiadem, quæ est de linea Cistercij per Bonam Vallem. Certè, cùm in Pontificem assumptus, Floreſiæ Abbas; vt inde etiam colligere valeamus, iam antea Eustachium cessisse, aut decessisse; nisi

i *in speculo moral par. 3. dist. 3.*

k *Fitzienſis ad l. 2. Exod. cap. 24. & Vincentius. in lig. vita.*

not noſtra fefellit ſuſpicio, qua Abbatem extitiſſe Floreſiæ coniectabamur. Hæc de Fulcone.

11. Quod attinet ad Legatos Inquiſitores, vt quæ hunc annum concernere videntur, eorum commiſſiones expediamus, id etiam eis ab Innocentio iniunctum ſpecialibus Litteris datis Romæ tertio Nonas Iulij [l]: *Quatenus Chriſtianiſſimo in Chriſto Filio noſtro Petro illuſtri Regi Aragonum, Caſtrum Scurræ, cùm illud ab Hæreticis recuperaſſet, Domino permittente, perſonaliter concederent in feudum; ita tamen, quòd fidelitatem ex eo Eccleſia Romana faceret; & in recognitionem, quòd eiuſdem Caſtri proprietas ad ius Beati Petri pertinebat, certum cenſum ſtatueret perſoluendum.* Memorat has Litteras Bzouius in Annalibus [m], quod planè mirum, cùm tot alias grauiores, & maioris momenti, ad eoſdem directas præterierit.

l epiſt. 99.

m num. 10.

---

1. *Abbas Caſemarij ab Innocentio Legatus ad Regem Angliæ, 2. pro ſolutione dotis Reginæ viduæ, 3. in qua multùm laborat: 4. & pro Archiepiſcopi Dublinenſis, à Sede ſua exulantis, reſtitutione. 4. Quid in Oriente interea Locedij Abbas 6. in Armeniam miſſus, 7. cum litteris eiuſdem Summi Pontificis, 8. ſedandæ liti inter Regem, & Tripolitanum Comitem, 9. ſuper Principatu Antiochiæ: 10. ſuper quo etiam ad Regem datæ ſunt litteræ: 11. & Monachi poſtulati à Balduino, Romanis ritibus in Græciam inducendis.*

CAPVT IV.

1. HOc ipſo anno Caſematij Abbas, Ioannes, inſignis authoritatis homo, de quo ſuperiùs ad Regem Angliæ Legatus ab Innocentio, duplex illi mandatum intimauit: alterum de reſtitutione Archiepiſcopi Dublinienſis, quem dudum exulare faciebat à ſua Sede: alterum, ſuper ſolutione dotis Reginæ viduæ, quæ à Richardo relicta, ſine liberis, ſuis orbata bonis, penè in domo ſororis (Comitiſſæ Campaniæ) mendicabat. Extant Litteræ Innocentij Papæ ad Regem ſuper hoc vltimo, quas non abs re facturum me putabo, ſi hic tranſcribam [a]:

a lib. 1. epiſt. 174.

2. *Illuſtri Regi Anglorum.*

Quantò perſonam tuam feruentiori charitate diligimus, tantò maiori dolore turbamur, quoties ea de Regia Serenitate nos audire contingit, quæ tuam famam obnubilant apud homines, & conſcientiam maculant apud Deum. Inter cætera ſiquidem, quod dolentes referimus, noſtris eſt auribus intimatum, quòd cùm olim inclytæ recordationis Rege Richardo fratre tuo viam vniuerſæ carnis ingreſſo, chariſſima nobis in Chriſto filia B. quondam Regina Anglorum, relicta eius, ſuper dote, ac medietate mobilium, quæ ipſam de iure, & conſuetudine contingebant, noſtras Litteras impetraſſet, tu de his amicabilem compoſitionem iniſti cum ea; ita tamen quòd ſi tu, vel tui hæredes ipſam inviolabiliter non ſeruarent, eidem Regina ad dotem, & alia repetenda liber pateret regreſſus. Quam poſtmodum compoſitionem obtinuiſti apoſtolico munimine roborari: ſed tamen illibatam noluiſti eandem, prout regiam decuit manſuetudinem, cuſtodire, iniurioſus exiſtens prædictæ Reginæ multipliciter, & moleſtus.

3. *Vnde, cùm memorata Regina ſubtractis redditibus à te in ipſa compoſitione conceſſis, de quibus ſuſtentari valeat, non haberet, coacta eſt egredi terram tuam, & apud nobilem mulierem B. Comitiſſam Trecenſem, ſororem ſuam, quaſi abiecta, & paupercula mendicare, in quo, & Deum graviter offendere videris, & apud homines infamiam incurriſſe: cùm non deberes eſſe viduarum oppreſſor, ſed mœrentium conſolator. Quocirca Serenitatem tuam rogamus, & monemus, & in remiſſionem tuorum iniungimus peccatorum, quatenus diuinæ pietatis intuitu, & noſtrarum precum obtentu ſæpè dictæ Reginæ ablata reſtituas vniuerſa, eidem ſuper his aliter ſatisfacias, quòd Maieſtatem diuinam, quam per hæc graviter offendiſti, valeas complacere, & laudem, & gloriam in conſpectu hominum promereri. Alioqui, quia viduis, & orphanis ſpecialiter ſumus in ſua iuſtitia debitores, tua ſaluti potiùs conſulentes, dilectis Filiis Caſemarij, & Maioris Monaſterij Abbatibus dedimus in mandatis, vt ipſi te ad reſtitutionem omnium ablatorum, & ad iuſtitiam ſuper dote, medietate mobilium, damnis aliis, & iniuriis irrogatis, coram eis plenariam exhibendam authoritate apoſtolica compellant. Datum Anagniæ, ſecundo Nonas Ianuarij.*

Hæc Innocentius ad Regem Anagniæ ſuper altera parte Legationis.

4. In qua quidem Abbatem Caſemarij plurimùm laboraſſe, & quæ egiſſet, ſcripſiſſe ad Innocentium, idem Pontifex narrat in aliis Litteris, quas ad Humbertum Archiepiſcopum Cantuariæ, & Elienſem, atque Vvigornienſem Epiſcopos non multò pòſt ſcripſit ſuper hoc ipſo [b]: *Verùm, licèt prædictus Abbas Caſemarij ipſum ad id monuerit, & plurimùm cum eo laborauerit, &c.* Cæterùm ſuper Dublinienſis reſtitutione, quæ ſoli Caſemarij Abbati pertractanda commiſſa fuerat, conſtat monitis eius, neque minùs conſtanti increpatione perſuaſum Regem, eundem Archiepiſcopum ad ſe vocaſſe, atque deuotè, & gratanter ſuſcepiſſe; ſi non innata animi inconſtantia, ſeu leuitate à propoſito ſtatim reſiliiſſet. Narrat vtrunque idem Summus Pontifex ad Regem ipſum ſcribens, atque ipſius redarguens inobedientiam: *Nuper*, ait [c], *cùm te dilectus Filius Abbas Caſemarij ex parte noſtra monuerit coram multis, & magnis viris, & etiam corripuerit, quia mandatum noſtrum non adimpleueras in hac parte; tu ei emendaturum omnia te firmiter promiſiſti: ſed, cùm idem Archiepiſcopus de tua promiſſione confidens, reuerti vellet ad propria, & tecum fecerit per aliquot dies moram, ac tu ipſum de die in diem protraxeris vanis verbis, nec velles ei, quod promiſeras, adimplere; triſtis, ac vacuus ab ſpe ſua, coactus eſt Pariſios remeare.* Hactenus Legatiæ Caſemarienſis.

b epiſt. 180.

c epiſt. 171.

5. Inter hæc in Oriente, qui dudum Balduino aſſiſtebat Locedij Abbas, mittitur in Armeniam cum aliis tribus; grauem ibidem ſubortam quæſtionem, inter ſororem Regis, nepotémque, & Comitem Tripolitanum, nomine Innocentij compoſitorus. Procuratum id anteà per Legatos ſactæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales! Verùm, cùm nihil in cauſa peregiſſent, Rex Armeniorum Innocentio primùm ſcripſit: dubium, an a liquos, & quos Legatos poſtulans: ſed rem totam ſubmittens eius arbitrio. Inde Innocentius, Iudicibus ſelectis, Abbatibus Locedij, & Montis Tabor, ac duobus aliis ſæcularibus Principibus,

has

has censuit litteras, Regi ipsi subsequentes transmittendas. Ergo, quæ scriptæ ad Iudices, sic habent [d]:

[d] lib. 8. ep. 1.

6. *De Locedio, & de Monte Tabor Abbatibus, & nobilibus viris Comiti Bertoldo, & G. de Foravalle.*

Etsi odium inter eos, qui tenentur amare proximos, vt se ipsos, & etiam diligere propter Deum, mortale sit; hoc tamen tempore discordia inter nominis Christiani cultores, constitutos præsertim in partibus transmarinis, non solùm ipsis, sed Ecclesiæ generali tanto amplius est damnosa, quantò per eam negotium Terræ sanctæ potius impeditur: vsque adeò enim inimici nominis Christiani, qui nunc peccatis exigentibus detinent, & coinquinant Templum Dei, vrbes, castra, quæ se de Christianorum manibus extorsisse in gladio gloriantur; vt vel id solum deberet sufficere, dispersionis nostræ reliquiis, vt coniuratis manibus, vno animo, & pari desiderio, deferrent in hostes, si possent, Crucis iniuriam aliquatenus vindicare; ac hæreditatem Christi liberare de manibus Paganorum. Verùm ipsi hoc minùs, quàm deceat attendentes, qui neglecta prorsus iniuria Crucifixi, propriis iniurias prosequuntur, & vtilitati communi voluntates priuatas in totius Christianitatis dispendium anteponunt: sicque se odio persequuntur iniquo, & sic ab inuicem sunt diuisi, vt propter eorum discordias verbum sit euangelicum non modicùm formidandum, quo dicitur: Omne Regnum in se ipsum diuisum desolabitur, & domus concidet supra domum.

7. *Ecce etenim, occasione eius, quæ inter Christianissimum in Christo Filium N. L. Regem Armeniorum, illustrem, nomine sororis suæ viduæ, & nepotis orphani ex vna parte; ac nobilem Virum, Comitem Tripolitanum ex altera super Principatu Antiochiæ vertitur quæstio, impeditur penitùs Terræ sanctæ profectus: cùm ipsi pugnantes ad inuicem hostes Crucis nequeant impugnare: aliisque fauentibus sibi, & quæstionem illorum reputantibus causam suam, reliqui laborant in cassum, vt inter discordantes concordiam valeant reformare. Nos autem iam pridem his malis obuiare volentes, causam super hoc dilectis Filiis S. tituli Sanctæ Praxedis, & P. tituli Sancti Marcelli, Presbyteris Cardinalibus, apostolicæ Sedis Legatis commisimus terminandum. Sed ipsi, licèt nec labores propter hoc vitauerint, nec expensas, imò vterque per se, & ambo pariter diutiùs laborassent; in nullo tamen apud partes, quia datum non fuerat desuper, profecerè.*

8. *Nuper idem Rex per suas nobis litteras intimauit, quòd per Legatos nostros non potuerat iustitiam obtinere, licèt eam sæpiùs postulauerit, & semper paratus fuerit stare iuri. Verùm, cùm ipse mandatis Legatorum ipsorum, qui eum pro multò minori negotio excommunicauerant, & interdixerant terram eius, tandem humiliter paruisset, postulabat, ne repelleremus ipsum pulsantem ad apostolicæ Sedis ianuam, & iustitiam postulantem, cùm simus omnibus in iustitia debitores. Nos igitur attendentes, quòd apud nos esse non debeat acceptio personarum, & quòd inter virum, & virum facere Iustitiam teneamur, Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus partem conuenientes vtranque, diligenter commonere curetis, vt vel inter se super eodem Principatu conueniant, vel in arbitros compromittant, qui vsque ad tres menses, post commonitionem vestram debeant arbitrari.*

9. *Alioquin vos ex tunc, partibus conuocatis, audiatis vtrinque proposita, & causam ipsam apostolica authoritate, si partes consenserint; terminetis: alioquin remittatis nobis causam sufficienter instructam, partibus terminum præfigentes, quo per responsales idoneos nostro se conspectui representent, sententiam recepture. Verùm, ne iudicio interim simul experiantur, & bello, partes ad treugas, vel firmandam authoritate apostolicâ compellatis. Quod si alterutra partium se exhibuerit contumacem, in casu spirituali-ter, & temporaliter per vos, & omnes Christianos, qui in partibus illis existunt, quanto diutiùs poteritis, procedatis: inhibentes, tam Christianissimo in Christo Filio nostro Regi Ierosolymorum illustri, quam Hospitalariis, & Templariis & omnibus communiter Christianis, ne parti contumaci auxilium, vel fauorem impendant, sed subtrahant potiùs: & parti, quæ parata fuerit stare iuri, fauorabiliter assistant. Quòd si non omnes, tres vestrùm, vel duo saltem, quorum vnus sit laicus, & alter Clericus, mandatum apostolicum exequantur. Veruntamen mandamus, & volumus, vt si quis interim in Patriarcham Ierosolymitanum fuerit institutus, is, vobiscum exequendis interfit. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum tertio Nonas Martij, Pontificatus nostri anno octauo.*

Hæc ad Abbates, & eorum Collegos Pontifex. 10.

Ast ad eundem Regem Armeniorum, hæc quæ sequuntur, digna tanto Pontifice [e]: [e] ibid. ep. 2.

Regi Armeniorum illustri.

Gratum gerimus, & acceptum, quòd authoritatem Sedis apostolicæ recognoscens, eius iudicio humiliter te exponis, & per eam tibi postulas nomine sororis tuæ viduæ, ac nepotis tui orphani, Iustitiam exhiberi. Nos autem, licèt simus singulis in iustitia debitores, tantò tamen amplius super hoc tibi fauorem apostolicum exhibemus, quanto deuotionem tuam circa nos, & Romanam Ecclesiam iugiter experimur, & opera tua testimonium perhibent veritati, quòd in deuotione Sedis apostolicæ sis fortiter radicatus: qualiter autem super hoc olim dilectis filiis S. tituli sanctæ Praxedis, & P. tituli Sancti Marcelli, Presbyteris Cardinalibus, apostolicæ Sedis Legatis scripserimus, & qualiter processum fuerit ab eisdem, superfluum esset litteris explicare, cùm id plenius ipse noueris, & totum rei gestæ processum per eorum nobis litteras intimauerint: quia verò per eos etsi laboratum fuerit multipliciter, vt dicitur; non fuit tamen in causa processum: petitioni tuæ satisfacere cupientes dilectis Filiis de Locodio, & de Monte Tabor Abbatibus, & nobilibus viris Comiti Bertoldo, & G. de Foravalle mandamus, vt ipsi partem conuenientes, vtranque diligenter commonere procurent, vt vel tu, & pars aduersa super eodem Principatu conueniatis, vel compromittatis in arbitros, qui vsque ad tres menses post commonitiones eorum debeant arbitrari. Alioquin ipsi ex tunc partibus conuocatis, audiant vtrinque proposita. Nam repetit ea, quæ Legatis antè mandauerat. Meminit Bzouius huius Legatiæ [f], sed tacitis Legatis: subditque, Regem Leonem obsequutum mandatis Summi Pontificis, & Antiochena negotia certis pactis cum Tripolitano Comite compoluisse. Hanc igitur exercuit Legatiam Locedij Abbas Oglerus, priusquam ad Occidentem reuerteretur. [f] num. 11.

Verùm & priusquàm discederet à Baldoino, persuasit eidem, vt pro Ecclesiæ Romanæ ritibus, cæremoniisque in Græcia introducendis à Pontifice peteret viros religiosos, præcipuè Cistercienses, qui gentiles in eis possent instruere, cuius rei extat adhuc monumentum in quadam Innocentij III. epistola, tam ad Episcopos, quàm ad Abbates Galliæ, in qua post debitam congratulationem de Ecclesiæ Græcæ ad Latinam vnione, hæc inter alia elegantissimè scribit [g]: *Accedit etiam ad affluentiam gaudiorum,* 11. [g] lib. eod. ep. 70.

quòd vir Christianissimus & charissimus in Christo Filius noster B. Imperator Constantinopolitanus illustris; ad ea totis viribus satagit, & intendit, per quæ possit, & debeat Christiana Religio propagari: & vt ædificium iam ex magna parte constitutum non corruat, ardenti laborat studio, & sollicitudine diligenti. Nuper siquidem deuotionem suo plantatam in pectore, in ramos bona operationis diffundens, nobis humiliter supplicauit, vt viros Religiosos, & prouidos de Ordine Cisterciensi, ad fundandam fidei Catholicæ veritatem, & perpetuò firmandam ad partes Constantinopolitanas faceremus transmitti, & vt illuc valeant peruenire, à suis Prælatis in necessariis prouideri. Postulauêre, vt ..... Missalia, Breuiaria, cæteráque libros, in quibus Officium ecclesiasticum secundum instituta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ continetur, saltem pro exemplaribus, ad partes illas faceremus transmitti, &c. Sic Innocentius. Ergo quo tempore Inquisitores in Gallia, Prædicatores per Italiam, Theutoniámque; per Liuoniam Apostoli; Legati per Angliam, Germaniámque, quod statim aperiam, Magistri per Græciam, arbitri per Armeniam, atque omnes ex Cistercio diffundebantur.

---

1. *Schisma Imperij Ecclesias etiam turbat, Moguntinam præcipuè tunc bicipitem.* 2. *Graues Litteræ Innocentij ad duos Legatos,* 3. *de potestate clauium,* 4. *& de Episcoporum translatione.* 5. *Contumacia Philippi Ducis Sueuiæ:* 6. *indignitas personæ, cui fauebat.* 7. *Contemptus clauium:* 8. *exempla recentia.* 9. *Abbas Salemitanus ad ipsum primò:* 10. *dein cum Patriarcha Achyleyano, Castrononensis, ex Cistercio vterque.* 11. *Demum, quæ summa totius Legationis.*

CAPVT V.

1. HOc ipso anno, cùm Germania flagraret bellis ciuilibus, ac Philippus, & Otto de Imperio adhuc certantes, Orbem diuiderent; factionibus in Ecclesias transeuntibus, Moguntina gemebat sub Luitpoldo, olim Vvormacien-si, tunc Moguntiæ intruso: atque à Philippo, quòd eius partes foueret, violenter consecrato contra Innocentium: reiectóque Sifrido vero Pontifice, qui faueret Ottoni, vtpote declarato per Pontificem pro legitimo, & vero Imperatore. Missi ab eo ad Suouum Ducem Legati, duo Abbates Cistercij, Salernitanus, Euerhardus ille, quem toties repetunt, & inculcant nostri Annales, & Nouocastrensis, viri prudentes, & magnæ authoritatis. Ex quibus hic cùm litteras Innocentij (incertum qua occasione) non recepisset; ille solus aggressus violentiam Ducis, multa constantia, & zelo redarguit virum. Cæterùm, cùm apud obduratum, & effrænem cupidine, & inuidia, nihil proficeret, quin vitæ magis periculum subiret: & Philippus, veluti iam totius Religionis vinculis ruptis, eundem Luitpoldum, quem fouebat, Pseudo-Archiepiscopum, Ducem etiam creatum mitteret ad Italiam cum exercitu, Ecclesiæ patrimonium inuasurum; Innocentius, ne iterum exponeret, non eundem Abbatem Salernitanum, sed socium eius Abbatem de Nouo Castro, qui nondum esset id munus exequutus, & cum eo Patriarcham Achyleyensem illuc transmisit, cohibituros effrænem petulantiam Philippi Ducis; aut, si contemneret, exerturos Ecclesiæ gladium; atque omnem illius ditionem sacris mysteriis, ipsum communicatione fidelium interdicturos. Bzouius, & primam omninò legationem, & in secunda Nouo-Castrensem Abbatem reticet [a]: sed produnt ipsæ Litteræ, quæ graues nimiùm, & negotij arduitatem, atque gestorum seriem continentes omninò dignæ nobis visæ sunt, quæ hoc caput implerent: sic autem habent [b]:

a *hoc anno, n.17.*

b *lib.8 epist. 83.*

2. *Patriarcha Achyleyensi, & Abbati de Nouo Castro, Cisterciensis Ordinis.*

Si Filij estis Ecclesiæ, imò, quia Filij eius estis, non potest vos non comedere zelus eius: nec potestis opprobria illi exprobrantium, & vsurpantium iura eius æquanimiter sustinere: vsque adeò enim estis in timore diuini Nominis, & ecclesiastica Dignitatis reuerentia radicati, vt de vobis nullatenus dubitemus, quod si Ecclesiæ causa præsertim, qua tantùm ecclesiastica sit, agatur, non persequutio, aut gladius, præsentia, vel futura vos possint ab Ecclesia separare, quominùs in die prælij opponatis vos pro domo Domini ascendentibus ex aduerso: & iuxta Damascenum vos ipsos in turrim fortitudinis erigatis.

Non potestis siquidem, nec debetis illam tempore necessitatis relinquere, qua vos regenerauit in Christo, & in partem sollicitudinis euocauit, suscitans vos de puluere, vt cum terræ Principibus sedeatis ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis exercendas, scientes, quòd Deo debetis magis, quàm homini obedire, neque in causa eius, in qua ipse vobis cooperator, & coadiutor exstitit, timere potestis, quid faciat vobis homo. Quòd si hostes contra vos persequutiones vllas succenderent, & ad probandum, vel comprimendam fortitudinem vestram, elementa etiam commouerem, quia non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quam in nobis prædicit Apostolus reuelandam; propter iustitiam deberetis persequutionem amplecti; etsi oporteret pro clauibus Ecclesiæ, ac fide catholica Martyrium sustinere: vtpote quibus mors momentanea initium vitæ fieret sempiternæ. Sanè didicisse vos credimus ex euangelica lectione, quòd is, qui Ecclesiam suam super se petram fundauit, claues Regni Cœlorum Beato Petro concessit, inquiens ad eundem: Quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, solutum erit in cœlis. 3.

Quòd autem Luitpoldus quondam Vvormatiensis Episcopus, iustè fuerit ligatus à nobis, nullus dubitat, qui Petri priuilegium non ignorat. Nam, cùm ipse, vocatis cæteris in partem sollicitudinis, in solos successores suos transfuderis, collata sibi à Domino plenitudinem potestatis, per quam Episcoporum translatio ad Romanum Pontificem tantùm spectat: idem Luitpoldus non solùm absque licentia nostra, fauore nobilis viri Philippi Ducis Sueuiæ, imò eo illum, quantùm in ipso erat, temerè transferente, ad Ecclesiam se transtulit Moguntinam. Verùm etiam, cum tandem ipsius postulatio iustè fuisset iudicio reprobata, quippe appellatione ad nos legitimè interposita, in discordia postulatus, sine licentia nostra translatus, eidem incubare præsumpsit. Et cùm iuxta canonicas sanctiones, vtraque merueritque 4.

spoliari,

spoliari; non attendens gratiam sibi factam, per quam ipsi concessimus, vt Wormatiensem Ecclesiam retineret, vtrâque detinuit, & adhuc detinet occupatam.

5. Quia igitur per Litteras, & delegatos nostros super hoc non semel tantùm monitus, sed frequenter, nullis mandatis nostris paruit, nec monitis acquieuit: manifestam eius contumaciam attendentes, quoniam deposito corde carneo, lapideum cor assumpserat, & obturauerat aures suas, ne intelligeret, vt benè ageret; nec adiiceret, vt à sua præsumptione resurgens satisfaceret de contemptu: primò, excommunicationis sententia, & tandem depositionis censuram meritò sua iniquitatis excepit, quibus qualiter deferat, satis est omnibus manifestum. Cæterùm idem Dux, cùm debuisset excommunicatum vitasse, ac depositum abiecisse; tanquàm de clauibus Ecclesiæ non rectè sentiret, ex eo tempore ampliùs illum fouit: & non solùm in errore suo, tanquàm primus, & præcipuus actor, participauit eidem; sed in argumentum gratiæ plenioris, in Italiam officium ei suæ Legationis indulsit; & ad impugnandum Beati Petri patrimonium, hostem Ecclesiæ destinauit.

6. Ecce qualiter idem Dux Romanum honorat Ecclesiam! qualiter claues Ecclesiæ reuerétur! Cùm, quantùm in se est, Petri priuilegio violato, quod nulli Principum, nulli etiam Imperatorum hactenus attentatum, translationem Episcoporum sibi præsumpserit vsurpare: ac hominem excommunicatum à nobis, tanquàm non credat testimonio veritatis in collatione clauium, & ipsarum iuribus, quod protulit ipse Christus, fouere publicè, ac honoribus studuerit ampliare. Cùm enim lepra iudicium, secundum legem diuinam, ad solos pertineat Sacerdotes, quibus, vt inter lepram, & lepram diiudicent, est concessum; non debuerat leprosum contingere, aut sacerdotale sibi officium vendicare, ne cum Ozia Rege lepra percuteretur in fronte, fieréque nota omnibus eius culpa.

7. Verùm, si virum Religione conspicuum, litteraturæ præclarum, præditum honestate, ac damnatum iniustè foueret, licèt eius non esset de nostro iudicio iudicare; aliquibus tamen excusabilis forsitan videretur. Sed, cùm faueat homini pestilenti, cuius crimina, neque peritia litterarum extenuat, neque suorum minorat honestas, neque Religio palliat, nec pœna excusat iniusta excessus eius. Præterea super hoc eum ignorantia non excusat, cùm etsi forsan canonicum ius ignoret; recentia tamen exempla, & ea, quæ in eius oculis, modernis temporibus accidere, eautum eum reddere potuerint, & instructum.

8. Nouit enim, & per totam fuit Theutoniam diuulgatum, qualiter, quia Venerabilis Frater noster Salizburgensis ad Ecclesiam Salisburgensem Archiepiscopus postulatus sine licentia nostra transiit, eius fuerit postulatio reprobata; & ipse proprium recognoscens, & damnans errorem, redierit ad Ecclesiam Brixinensem, qui, licèt intellecto mandato nostro nobis humiliter paruerit, & deuotè; non tamen prius translationis gratiam potuit obtinere, quàm Salizburgensis Ecclesia eum demùm concorditer postulasset: quam postulationem ad presentiam nostram personaliter adducere laborauit. Nec etiam ignorare potuit Dux prædictus, cùm in partibus illis fuerit publicatum, quòd cùm bonæ memoriæ O. Imperialis aula Cancellarius, occasionem indulgentiæ, quam à felicis recordationis C. Papa, prædecessore vestro, se impetrasse dicebat, per quam vicinque apud aliquos excusabilis videbatur, ad Herbipolensem Ecclesiam ab Hildesemensi transiisset: quia monitus errorem proprium non correxit; non solùm excommunicatus fuerit; sed tam Herbipolensi, quàm Hildesemensi Ecclesia spoliatus, licèt tandem ad mandatum nostrum humiliter, & deuotè reuersus, gratiam nostram meruerit obtinere.

9. Nos autem, etsi diù duxerimus expectandum, vt Dux idem errorem suum corrigeret per se ipsum, tandem, tam per te, Fili Abbas, quàm per dilectum Filium Abbatem de Salem, cùm super hoc mandauimus commoneri. Et licèt Abbas de Salem (cùm tibi Littera nostra non fuerint, sicut accepimus, præsentata) ipsum monuerit diligenter, cùm tamen non potuit emollire, aut flectere mentem eius, & ab eiusdem damnati, & excommunicati fauore, ac participio reuocare.

10. Licèt igitur ex eo, quòd eiusdem Ducis notorius est excessus, & ipse iam monitus noluerit ab huiusmodi præsumptione cessare, possemus grauius procedere contra eum; adhuc tamen experiri volentes, an saltem vir Catholicus, aut etiam Christianus Beato Petro cœlestis Regni clauigero magisterium vniuersale Ecclesiæ, ac nobis in eo claues Regni Cœlorum fideliter recognoscat, Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus ad eum, dilatione, ac excusatione cessantibus, personaliter accedentes, ipsum secretò primò, & tandem publicè, in audientia, tam Ecclesiasticorum, quàm secularium Principum, quos contigerit interesse, diligentius, & instantius moneatis, vt sæpè dicto excommunicato nullum de cætero tribuat auxilium, vel fauorem: sed potius tanquàm depositum illum abiiciat, & velut damnatum euitet; ac idolum zeli, quod in templo Dei velut abominationem in loco sancto stantem erexit, de ipso prorsus eliminare procuret.

11. Alioquin publicè nuncietis eidem, quod si non vsque ad tres menses post commonitionem vestram, monitis vestris acquieuerit humiliter, & deuotè, in eum, & terram eius manus nostras curabimus fortius forsan, quàm æstimet, aggrauare. Cùm id non possimus vlteriùs æquanimiter sustinere. Imò, cùm pro iustitia Sedis apostolicæ defendenda, non solùm persequutionem pati, sed animam ponere, licèt nihil tale nos oporteat formidare, parati simus, si necessitas postularet. Vniuersis quoque Principibus Regni Theutonici, tam Ecclesiasticis, quàm mundanis, meram, & plenam super iis veritatem diligenter, ac fideliter intimetis: vt, cùm vtriusque partis meritum intellexerint, de tenebris falsitatis, ad lucem veritatis accedant. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Iulij.

Has Litteras, vt dixi, quia grauissimas; quia feruenti Dei zelo, & constantia prudenti plenas; quia vtranque nostrorum Legationem, imò & totam Historiam apertè narrant, à Bzouio prætermissas, nequaquam nobis omittendas fore putauimus. Qualiter autem vtroque laborante, agentéque, sed neutro peragente negotium arduum; tandem ab Archiepiscopo Rhemensi, Cisterciensi & ipso, peractum sit, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

1. *Martinus Abbas ad suos redire parat, 2. non vllis precibus, aut promissis retinendus. 3. Visio Clerico cuidam Bohemo facta: 4. atque alia eidem. 5. Qua confirmatus tandem iter aggreditur. 6. & mari, & terra pericula euadit. 7. Basileam, & Parisiensem Ecclesiam tutus ingreditur, 8. Catalogus sacrarum Reliquiarum longè copiosius: 9. earundem, 10. Martinique notitia ex Authoribus exteris: 11. & Tabula Philippo Regi donata.*

CAPVT VI.

1. INTER hæc cogitantem iam de reditu Parisiensem Martinum, instantia multa Orientales omnes Principes, sed præcipuè Vbernetus retardabant; & siue virum, siue exuuias sacras (à quibus iam sciebant non diuidendum) ambiret cupiditas, siue verius vtrunque; vtrunque per congruentias, precésque, atque ingentia promissa sollicitabat. *Monebat eum* (de Vbernero ait Guntherus [a]) *vt ipse rebus eisdem* (sacris, nimirum, Reliquiis, quas attulerat) *Terram sanctam deuotè, & humiliter honoraret: in qua etiam cum eis permansurus, vel episcopatum, vel quas vellet alias ecclesiasticas Dignitates a Rege, cæterisque Principibus non recusaret accipere. Quòd si secretiorem, & monastica professioni magis congruam vellet agere vitam, hoc quoque ipse apud Regem, cui familiarissimus erat, pro libito Abbatiis plenissimè prouideret. Est enim in partibus illis territorium, quod tam moderno vsu, quam apud veteres scripturas, Mons Carmeli nominatur, locus omnibus bonis vberrimus, fertilis frugum, vestitus optimè vinetis, oleis, & alijs arborum generibus eleganter consitus, pascuis etiam copiosis exuberans. In hoc monte tria sunt Monachorum Cœnobia, distincta ab inuicem, & latas possessiones habentia, quibus Cœnobiis, vel singulis vteretur; vel in vnum redactis ipse Abbas, & Dominus præsideret. At verò si magis vellet sui Ordinis Fratribus, quàm aliis præesse, Cœnobita illi ad alia loca satis commodè transferretur. Abbas verò assumptis sui Ordinis hominibus, quibus vellet, & quanto vellet numero, totum præfati montis territorium, tam ipse, quàm eius successores perpetua ditione, liberrimè possiderent. Postremò, si nihil horum acceptaret, acciperet à Rege, & Principibus tantam auri, argentique pecuniam, quantam ipse nunquam vel posteri præsumerent, vel sperarent; quam & commodius secum deferre, & secretiùs occultare, & eandem Ecclesiam suam ditare facili posset impendio.* Hactenus ibi Guntherus.

[a] apud Canis. tom. 5.

2. Non miror hominem verè Religiosum, verè suæ professionis amatorem, Episcopatus, Dignitates ecclesiasticas, possessiones, pecunias, atque id genus alia contempsisse: at sui Ordinis insignem fundationem, quæ prisci Monachatus primam originem, Carmelum, Prophetarum mansionem olim, aggregaret Cistercio, & Sanctos illos Testamenti antiqui Patres nostris obiiceret, respuisse constanter, ingentis (penè supra statum mortalem) animi est, atque immunis ab omni etiam dissimulata labe cupidinis. Talem se tamen præbuit Martinus noster, quem neque propria commoda, nec quæ per speciem pietatis plerosque fallunt, Religionis communia inescare aliquatenus, aut à proposito potuerunt retardare. Et confirmauit Deus alias firmum duplici visione satis mirabili, quarum altera Bohemo cuidam Clerico, altera ipsi facta, & pretiosum thesaurum, quem deferebat, & locum, cui destinabatur, manifestarunt. Vtranque autem ab ipsius ore acceptam, idem Guntherus prodit verbis sequentibus [b]:

[b] vbi suprà.

Libet hoc loco huic nostræ narrationi quædam inserere, quæ sola, si alia deessent, satis possent adstruere ea, quæ per Abbatem Martinum, vel iam gesta diximus, vel adhuc dicenda restant, de fonte diuinæ dispensationis, Ordinem accepisse. Tertia siquidem nocte, antequam ipse Martinus sui reditus iter arriperet, quidam Clericus admodum ei familiaris, Ægidius nomine, natus de Bohemia, cuius nullum verbum, nisi Latinè prolatum, Abbas ipse intelligere poterat, qui & ipse cum Abbate, in eadem naui redire proponebat; non dormiens quidem, sed vigilans certissimè, sicut ipse penitùs affirmabat, vidit Angelos duos in eodem loco, vbi sacra seruabantur Reliquiæ: vbi etiam tam ipse, quam Abbas cubiculum habere consueuerant. Abbas quidem ob sacrarum rerum diligentem custodiam: ille verò, quid ibidem seruaretur, penitus ignorabat. Qui Angeli circa scrinium, in quo sacra Dei munera claudebantur, mirè deuotionis officium satagere videbantur, & Deum, qui hoc famulo suo contulisset, omni reuerentia collaudare: facto autem illo diuinæ venerationis officio, alter alterum exhortantes, Deum obnixè precabantur, vt eundem virum, cui tanta bona præstantur, cum omnibus, qui ei familiariter adhærebant, sua defensione protegeret. Quam vtique certissimam visionem, cùm ipse, facto mane, Abbati recitaret, subitò inter ipsa verba, ex multa cordis compunctione erupit in lacrymas. Nescio, inquiens, qui sis, aut vnde veneris, aut quid in illo scrinio tuo custodias: sed illud verissimè scio, quia manus Domini tecum est. Quapropter in hac maris transfretatione à tua sanctitatis non recedam consortio, certissimè credens me in illa nauì, qua tu vehendus es, periclitari non posse. 3.

Cuius sanctæ visionis Abbas perculsus miraculo, præsertim propter hominis fidem, quem Sanctum, & veracem esse nouerat, retulit & ipse aliam visionem, quæ ipsi dormienti, eadem ipsa nocte occurrerat. Videbatur ei siquidem ab eo loco, vbi tunc erat, Acone, videlicet, vsque ad villam proximam Claustro suo, nomine Sigoltsheim, *nil aliud esse, quàm mare: sed adeò securum, & tenue, vt in eo, nec etiam nauicula, quantumlibet parua, naufragium formidaret. Præterea ab eodem loco vsque ad Villam præfatam, facta videbantur esse desuper in directum, velut quædam tectorum umbracula, vt nec ventus, nec pluuia, nec aliud maris, aëriúe incommodum Abbati nauigature nocere nullatenus præualeret. Quam Abbatis visionem nos modò sic possumus interpretari, quòd ab illo loco vsque ad Cœnobium suum, licèt inter multa terræ, marisque pericula, diuina tamen protectione in reditu suo tutum iter habiturus esset, & præfata Villa populus, viri, scilicet, ac mulieres, primi ex omnibus apud Claustrum Parisiense sacris esiem occursuri Reliquiis, sicut postmodum expressa rei veritas hoc ipsum approbauit.* Hactenus ibi. 4.

Hac duplici visione confirmatus Martinus Abbas, nec dubitans, diuina prouidentia, sacras illas Reliquias, quas asportauerat, ad Parisiense Cœnobium peruenturas, Regem, Principes, atque alios quos- 5.

que

que salutans, sed præcipuè Vbernerum, ab eisdem ad portum deductus est: *Vbi*, ait Author, *mutua charitate, dicto, & accepto vale, feria tertia ante Palmas, illi ad sua redierunt: Martinus autem expansis velis, optatæ nauigationis cursum aggressus est.* Hæc ibi de discessu. At de euidenti diuina protectione, quam in ipsa nauigatione, atque terrestri itinere prolixis, inter media pericula, tam ipse, quàm propter eum, qui alij ipsi adhærebant, experti sunt; non multò pòst hæc idem Guntherus: *Non est facile casus omnes atque pericula memorare, quibus & Abbas ipse, & hi qui cum ipso in eadem naui ferebantur, frequentiùs expauerunt: & ipse tantò ampliùs, quantò plùs amabat ea, quæ perdere metuebat. Sed in tanto timore, & periculo Dominus ei maiorem ferè, quàm ipse sperare poterat, gratiam suæ protectionis exhibuit. Occurrebant ei frequenter naues piraticæ, quæ vel aliis spoliatis, vel alios spoliare cupientes, hac visa subitâ mansuetudine nitescebant; & eam cum omni reuerentia pacificè salutantes, illæsam abire, non tam sinebant, quàm sinere cogebantur: virtus enim Dei erat, quæ & alios poterat coërcere, & istam securo cursu ad portum perducere.*

6. *Post multos itaque labores, & pericula non pauca, nauis illa Martini, vel potius Dei, & sanctarum eius Reliquiarum, ad portum Venetiæ perducta est in vigilia Pentecostes. Vbi cùm applicuisset Abbas, & de statu terræ satis dissimulanter inquireret, comperit, non minus periculi, & timoris in terra supereße, quàm in mari præcesserat. Totam quippe Italiam, per quam ei transitus erat in feruore, ac strepitu bellorum positam asserebant. Ipse verò sciens, quia idem Deus potens est in terra, & in mari; & qui eum in mari saluauerat, saluare poterat & in terra; paratis equis sibi, & suis sarcinis deferendis, confidenter quidem; sed tamen non absque metu, & sollicitudine versus Alpes iter arripuit. Cùm autem ei frequenter armatorum cohortes occurrerent, quæ ad nihil aliud, nisi ad prædandum, & rapiendum venerant, subito quodam terrore compulsi, oblatam sibi prædam inæstimabilem, tanquàm ea indigni, timidè abhorrebant, & cedentes de via, sumario, qui scrinia cum sacris ferebat Reliquiis, per medium sui transitum præstabant innocuum. Transiens itaque Martinus noster totam Italiam, & post illam Alpes asperrimas, post quas etiam loca multa periculosa, & plena latronibus, vrbem Basileam, de qua primum suæ peregrinationis iter inchoauerat, lætissimè ingressus est; ac primò omnium Beatæ Virginis Ecclesiam petens, cui & peregrè proficiscens deuotè se commendarat, quantas potuit ei gratiarum retulit actiones, quòd eum apud dilectum Filium suum, eiusdem Filij sui Reliquiis honoraßet, & de tot, & tantis periculis exceptum, latum, & incolumem reduxisset. Vnde & Altare ipsius, quod in ipsa Ecclesia celeberrimum habet, palla nobili decorauit.*

7. *Episcopus quoque eiusdem Vrbis Domino Lutholdo, & aliis quibusdam personis, & Ecclesiis eiusdem loci, donaria sua satis liberaliter erogauit. Mansit autem in loco paucis diebus, donec ei Fratres sui, qui iam reditum eius acceperant, reuerenter, vt dignum erat, occurrerent; cum quibus ipse, assumptis quoque aliis de ciuitate quampluribus, qui eum gratissimè prosequebantur, ad Parisiense Monasterium egregiè quidem; sed cum multa deuotionis humilitate se contulit. Vbi etiam, toto Fratrum Conuentu, tam ei, quàm sacris, quas asferebat, Reliquiis ad portam humiliter recurrente, in Natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ, ante horam tertiam, triumphales illas sacræ prædæ manubias, gaudentibus cunctis, & Deum corde, & voce laudantibus, in ipsam inuexit Ecclesiam: & in ipso Altari maiori, qua potuit reuerentia, collocauit. Benedictus itaque sit Deus, qui facit mirabilia magna solus, qui per ineffabilem virtutem, & misericordiam suam Parisiensem respexit, & illustrauit Ecclesiam, per quadam sua gratia donatiua; qua per Venerabilem Virum iam sæpè dictum Martinum Abbatem, ad nos transmittere dignatus est. Quorum præsentia, & præsens exultat Ecclesia, & ipsorum patrociniis qualibet anima fidelis apud Deum adiuuatur, & proficit; de quibus, vt legentibus certior fides astruatur, quadam ex ipsis, propriis duximus titulis exprimenda.*

Primum igitur, & generalissimum, imò in omni 8.
veneratione dignissimum vestigium Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, qui pro redemptione totius generis humani effusus est. Secundum verò lignum est Dominicæ Crucis, in quo Filius Patri pro nobis immolatus, veteris Adæ nouus Adam debitum exoluit. Tertium est non modica portio Sancti Ioannis Præcursoris Domini. Quartum verò, brachium Sancti Iacobi Apostoli, cuius memoria per vniuersam venerabilis habetur Ecclesiam. Sunt etiam aliorum Sanctorum Reliquiæ, quorum nomina subsequuntur:

Christophori, Martyris.
Georgij, Martyris.
Item, pes Sancti Cosmæ, Martyris.
Item, de capite Cypriani, Martyris.
Item, Pantaleonis, Martyris.
Item, dens Sancti Laurentij.
Item, Demetrij, Martyris.
Ioannis, & Pauli, Martyrum.
Item, Stephani, Protomartyris.
Item, Vincentij, Adiuti, Mauritij, & Sociorum eius.
Chrysanthij & Dariæ, Martyrum.
Item, Gerualij & Prothasij, Martyrum.
Primi, Martyris.
Sergij, & Bacchij, Martyrum.
Proti, Martyris.

Item, de loco Natiuitatis Domini, de loco Caluariæ, de Sepulcro Domini, de lapide reuoluto, de loco 9.
Dominicæ Ascensionis, de lapide, vbi Ioannes stetit, quando Dominum baptizauit. De loco, vbi Christus Lazarum suscitauit. De lapide, super quem Christus in templo est præsentatus. De lapide, super quo Iacob obdormiit. De lapide, vbi Christus orauit. De tabula, super qua Christus cœnauit. De loco, vbi captus est. De loco, vbi Mater Domini migrauit de sepulchro eius; de sepulcro S. Petri Apostoli; de Reliquiis SS. Apostolorum, Andreæ & Philippi; de loco, vbi Dominus Moysi legem dedit; & de Sanctis Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob. item, Sancti Nicolai, Episcopi. Item, Adelphi, Episcopi. Item, Agrecij, Episcopi, Item, Ioannis Chrysostomi. Item, Ioannis Eleemosynarij: de lacte Matris Domini. Item Margaritæ, Perpetuæ, Agathæ, Agnetis, Luciæ, Cæciliæ, Adelgundis, & Euphemiæ Virginum: factum, & actum est hoc, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinto, Dominicæ Incarnationis: regnante Philippo Romano, Præsidente sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Innocentio, Summo Pontifice, sub Episcopis Lutholdo Basilienſi, & Henrico Argentinenſi. Ita Guntherus, qui hanc Historiam scripsit: quam, cum pluribus aliis luci datis, hæc nostra ætas Henrico Canisio debet.

Martinianæ in Græciam nauigationis, remeationisque, & pretiosi thesauri sacrorum pignorum, quem secum in Alsatiam reportauit, meminit etiam Otto de Sancto Blasio: asserens ex eiusdem prædæ exu- 10.

uiis

uiis vniuersàm Germaniam locupletatam. *Anno*, ait, *Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimoquinto, Abbas quidam, nomine Martinus, Cisterciensis Ordinis, de Monasterio Parisio, quod situm est in Alsatia, eandem expeditionem* (scilicet, Constantinopolitanam) *cum Duce Venetorum, & Marchione de Monteferrato, & aliis, tempore Innocentij III. aggressus, expugnationi Constantinopoleos interfuit; indèque maximam partem vinifica Crucis, aliarúmque Reliquiarum Dominicarum, cum multis Sanctorum Reliquiis, ornatis auro, & argento, & lapidibus pretiosis in patriam transtulit, hisque totam Germaniam in Alsatia admodum nobilitauit.* Hæc Author ille.

11. Cæterùm, quòd eàsdem Reliquias sacras, non adeò nudas Martinus reportauerit, quin multo auro, argentóque inclusas, atque gemmis ornatas, retulisse, argumento est Tabula quædam donata Philippo Regi, siue Duci Sueciæ, (Imperatoris Constantinopolitani olim insigne, quo vti consuetisset diebus festis,) de qua, qui suprà, Guntherus hæc habet verba: *De his autem ipsis cœlestis gratiæ donis, quæ Dominus iam sapissimè dicto famulo suo Abbati Martino, & per ipsum Ecclesiæ Parisiensi contulerat, eadem Ecclesia ad honorem Dei, & totius Romani Imperij Domino Philippo Serenissimo Imperatori laudabilem valdè contulit portionem, Tabulam, videlicet, quandam inæstimabilis ferè pretij, auro, & gemmis pretiosis operosissimè exornatam, & plurima sanctarum Reliquiarum genera longè auro, & gemmis pretiosiora, ubi diligenter recondita, continentem. Quam Tabulam Græcorum Imperator in solennibus Festis, velut quoddam certum pignus Imperij, gestare consueuerat, de collo suo catena aurea dependentem. Cui Tabulæ, præter aurum, & alias gemmas quamplurimas, iaspis vnius mirę magnitudinis infixus est, Passionem Domini sibi insculptam, & Beatæ Virginis, & Ioannis Euangelistæ imagines hinc inde assistentes. Est autem sapphirus ibi quidam admirandæ quantitatis, cui diuina Maiestas, quæ nulla prorsùs imagine propriè repræsentari valet; artificiosè tamen, quantum fieri potuit, insculpta est. Quod vtique munus inuictissimus Rex Philippus, iuuenis quidem ætate; sed in Dei timore, & omnium morum honestate maturus, tanta mentis benevolentia, & gratiarum actione suscepit, vt ipsam etiam Parisiensem Ecclesiam cum omnibus possessionibus suis in suam susciperet protectionem, & alias omnes Reliquias, quas Martinus attulerat, es perpetuò possidendas imperiali priuilegio confirmaret.* Hæc de Martino, & Reliquiis Parisiensibus, quæ totam etiam Germaniam illustrarunt. De prædæ ipsa, quæ alios plures inuoluit, & qualiter, tum ipso iure belli, tum Religione in eàsdem exuuias sacras honestata sit, atque apostolica indulta authoritate, quia iterum de eo fortè redibit, anno sequenti, Deo dante, dicendum erit. Quod verò attinet ad Philippum Imperatorem, quem tot Guntherus laudibus extollit, sciendum est, ipsum, excepto schismate Imperij; in quo tamen nec deerant ei iura, neque fautores, ab omnibus laudatum, talémque, de quo sperari posset, si prævaluisset, & prævaluisset fortàn, si non indigna cæde subtractus esset: Ottone haud dubiè meliorem euasurum, (nam deterior, vix potuit,) & qui si Imperium à Pontifice accepisset, non vnquam rebellasset contra Ecclesiam. Sed hæc aliàs, nunc ad alia huius anni transeamus.

---

1. *Religiosi inter ipsa Sacramenta vexati à Dæmonibus, Innocentio propositi.* 2. *Quid de his sentiat,* 3. *& quas in ea re inueniat,* 4. *ex Scriptura formatas difficultates.* 5. *Idem eosdem examinat per se ipsum, & mox remittit Episcopo Ferrariensi, & Abbati Columnæ.* 6. *Alfonsi Regis pro Huelguensi Cœnobio sollicitudo.* 7. *Lis Melonensibus mota,* 8. *sedatáque,* 9. *& quibus conditionibus.* 10. *Mors Christiani in Valle S. Petri,* 11. *& duorum Principum funus in aliis locis.* 12. *Robertus ex Priore Nepomungi, Episcopus Olomucensis consecratur.*

CAPVT VII.

1. HOc item anno, quod ferè reuocauit sæculum præsens, inauditum eatenus, si credimus Innocentio, Summo Pontifici [a], ipsum turbauit, nostrósque exercuit, quorum tandem iudicio remissum fuit: *videlicet, quòd postquàm Fratres, & Sorores cuiusdam Monasterij, qui vitam austeriorem professabantur, excessus proprios, corde contrito, humiliter confitentes, eos studens per pœnitentia opera expiare, arripiuntur corporaliter à Dæmonibus, & vexantur, & voces profanas, & blasphemas emittunt; & torpent ad tempus circa opera pietatis, & cultum intermittunt diuinum: quódque deterius reputamus, de huiusmodi flagello non dolent, sed gaudent potiùs, & vexatos materia Religionis, & meriti reputantes, in huiusmodi vexationibus gloriantur.* Sic idem Pontifex de euentu tunc recenti, támque stupendo, qui non leuiter ipsum conturbauisset.

a *lib. 8. epist. 157.*

2. Porrò, quid de his sentiat, vt non diffiniat, pertinatim tamen profert verbis sequentibus [b]: *Nouimus ex diuina Scriptura lectione, quòd aduersarius noster Diabolus, qui, tanquàm leo, rugiens circuit quærens quem deuoret, non solùm aduersùs incipientes assuescere iugo Domini, vitia sua tendit; sed interdum etiam manum mittit ad fortia, vt in errorem, si fieri possit, inducat electos, fiduciam habens, quòd Iordanis influat in os eius. Vnde ab eius insidiis Salomon nos admonet præcauere, cùm inquit:* Fili, accedens ad seruitutem Dei, præpara cor tuum ad tentationem. *Nouimus, & quòd filij Israël Ægypto egressi, affectauerunt Ægypti delicias in deserto, in quo ab Amalecitis fuerunt grauissimè impugnati. Nouimus, quod Iob, vir iustus, & simplex, ac timens Deminum, & recedens à malo, tentationes Dæmonis non euasit; & quòd Satan non solùm Apostolos expetiit ad cribrandum; sed post Baptismum, & ieiunium, tentauit etiam ipsum Christum. Verùm, aliquem post veram pœnitentiam, operibus deditum pietatis, corporaliter vexatum fuisse, non nouimus, nec meminimus nos legisse.*

b *ibid.*

3. *Legimus siquidem multos prius obsessos à Dæmonibus, a Domino liberatos: nouimus contra vexationis huiusmodi certum remedium, exorcismorum, videlicet,*

aut,

elei infirmorum, & aqua benedicta in Ecclesia institutum. Quis igitur crederet, quòd post amaram contritionem cordis, veram oris confessionem, & fructuosam satisfactionem operis, quæ maximè in ieiunio, & oratione consistit, aliquis à Dæmone corporaliter vexaretur? Cùm etiam veritas in Euangelio protestetur, quòd hoc genus Dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio. *Absit hoc à fide catholica: absit, vt templum Dei, habitaculum sit Diaboli; & sacrarium Sancti Spiritus sit Dæmonis antrum. Cùm non sit societas lucis ad tenebras; neque conuentio Christi ad Belial.*

4. *Fatemur igitur, Viros Sanctos interdum, vt Iob, exteriùs à Dæmonibus infestari, sed vexari eos interiùs, tanquàm arreptitios diffitemur. Verum est enim testimonium Veritatis, nec às mendacio redargui potest ille, qui peccatum non fecit, nec dolus in ore eius repertus est. Ipse quidem in Euangelio protestatur: Si quis, inquiens, diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus. Qualiter ergo Dæmon eum inhabitare præsumeret, in quo Pater, & Filius eligerent, vt facerent mansionem? Figmentum igitur, quod dicitur, reputamus: nisi forsan huiusmodi homines eo ipso vexentur, quòd in huiusmodi vexationibus gloriantur: vel, nisi ex eo, quòd arctissimam vitam ducunt, effecti maniaci pro vexatione dæmoniaca, maniacam reputent passionem.* Hæc Innocentius: quæ vt non debeant censeri infallibilia, quia priuatim dicta: at negari non potest dicta grauissimè: & tanti ponderis rem esse putauit, vt dignum statim crediderit, de qua immediatè per ipsum inquireretur. Vnde immediatè in eisdem Litteris ait: *Nos igitur, inspectis depositionibus, ab Abbate receptis, vt ipsa veritas clariùs eluceret, eos examinauimus per nos ipsos: illosque apud Sedem apostolicam aliquandiu fecimus expectare.*

5. Expectabatur proditurum Iudicium in re grauissima de vultu Innocentij, qui quæ in principio vt Doctor tradidisset, diffiniret vt Pontifex, atque vltimam sententiam pronunciaret. Verùm, cùm res vtrinque ventilata, atque vtrinque discussa, non facilem haberet solutionem: nec videretur vrgere diffinitio: placuit Iudicibus causam delegare. Lecti sunt ex Italia duo viri, pietate præcipui, doctrináque, Ferrariensis Episcopus, nimirum, atque Abbas Columbæ (auspicatæ, nimirum, illius Domus, Filiæ Clatæ vallis, quam primo tomo latè memorauimus) atque illis iniunctum ab Innocentio, *Quatenus accedentes ad locum, certam ibi Regulam statuatis, approbantes ibidem, quod approbandum; & corrigentes, quod videritis corrigendum: & inter alia specialiter statuentes, ne sorores cum fratribus simul habitent, sed seorsum potiùs commorentur. Et vt vexatio talis cesset, singulis diebus oratio fiat ad Dominum specialis. Hoc quoque statui præcipimus: vt, si quis de cætero à Dæmone corporaliter vexatus fuerit, aut dixerit se vexari, de loco illo confestim amotus, alibi ad agendam pœnitentiam collocetur. Quòd si nec sic curati fuerint, vel correcti, hoc nobis per vestras litteras intimetis, vt huiusmodi Collegium diuidamus.* Hactenus Innocentius in illo casu ad Abbatem Columbæ, Collegámque, quæ adeò nobis non licuit præterire. Sed an ad similes extendenda sint, aliorum linquo iudicio discernendum.

6. In Hispania interim Alfonsum Castellæ Regem, incrementa Huelguensis Monasterij, inter bella, & hostes, ac si nullæ aliæ curæ, sollicitabant. Nihil medium in Regiis cupidinibus: & Alfonso vltra charitatem in nostros, ostentum illud potentiæ, seu pietatis, quod semel concepisset, ad posteros transferre in votis erat. Vbi profani sumptus defecissent, ad Ecclesias conuersus; sponte oblatas, an obtentas per potentiam, (nam per vim nunquam putem,) integras applicabat in dotem dilectæ Domus. Extant tamen, leguntúrque querelæ Burgensis Episcopi, ad Innocentium Papam hoc anno datæ, cùm propositæ priùs apud Arnaldum Cisterciensem Abbatem, (nam & hoc constat,) ipso Rege impediente, frustratæ essent. Atque ecce verba Episcopi Burgensis, prout in Regestis: *Quod diuiorem Ecclesiam, quæ in eius Diœcesi habebatur, cum omnibus pertinentibus ad eam, vsurpatam à Rege, cuidam Abbatissæ Cistercien sis Ordinis (nec dubium quin Huelguensi) tradidisset.* Et paulò inferiùs: *Porrò, cùm idem Episcopus Burgensis apud Abbatem Cistercien sem contra eandem Abbatissam, super eadem Ecclesia mouisset quæstionem; tam ipsum Episcopum, quam Canonicos eius, ad ipsius Ecclesiæ concessionem inductos minis, Regiisque terroribus.* Hæc tunc Episcopus: quæ tamen Innocentius, an vera essent, duobus aliis commisit inquirenda: sed extero vtrique, Tornacensi, nimirum, Oscensique, qui sic Regi deferrent, vt nihilominùs illius potentiam sub alio constituti, non formidarent: & creditur mansisse factum Alfonsi: adiudicata Ecclesia Monasterio, quam Canonici sponte concessissent, aut quo metu concesserant, eodem se nulli merui subiacuisse, neque tunc subiacere profitebantur.

Eodem anno exercuit in Gallecia Melonensem 7.
Ecclesiam noua quæstio (nam neque hanc tacebo) super Abbatia de Canalibus, quam suprà ei vnitam memorauimus. Mota autem per Patronos eiusdem loci, Petrum Crispum, & fratres; post mortem Petri, qui se, & domum Melonensibus tradiderat. Sibi suum Patronatum valdè imminui, quòd in Grangiam transisset, ex Monasterio; nec licuisse Petro olim Abbati tradere se cum alieno præiudicio: reforment mores, & sequantur Cistercij leges, si ita visum. Verùm adsit Conuentus, qui reformetur, nec detrectare, quòd subsint Melonensibus, quos semel admisissent: id vnum tamen sibi concedendum, ne in Melonenses transeant, extincta penitùs prioris memoria loci, & defraudata suorum fundatione, imò & se ipsis, & eorum successoribus, sacrificiis, orationibúsque, quorum introitu, quorum intuitu Domus surrexisset. Hæc, & similia Fratres allegabant, cùm talis inter eos concordia subiit, quam monumentum egregium antiquitatis non pigebit ad litteram transcribi. *ex Archiuiis Melonensibus.*

Notum sit omnibus, præsentibus, & futuris, quòd 8.
post mortem Petri Contine de Canalibus, qui se, & Domum suam misit in manus Giraldi Abbatis de Melon, Petrus Crispus calumniatus est eundem locum dicens, quòd Abbatia deberet esse: & facta est contentio inter ipsum, & Fratres de Melone, quæ tamen per concordiam hoc modo terminata est. Considerauerunt ex vna parte, quoniam locus angustus erat, & minùs sufficiens ad Abbatiam faciendam: vnde & Petrus Crispus cum germanis suis, Arius Petri, & Gemezius Petri, totam illam calumniam remiserunt, & quidquid reclamabant, in Canalibus concesserunt Deo, & Sanctæ Mariæ de Melone; ita vt Abbas de Melone Domum de Canalibus liberam, & absolutam possideat, sicut vnam de Grangiis suis, tali, videlicet, conditione, vt Petrus Crispus cum germanis suis sint Confratres, & familiares de Melone, sicut Petrus Pelagij, & Pelagius Curuus, excepta sepultura, & quicquid pro familiaribus debet fieri, fiat pro ipsis in vita, & morte. Et ipsi pariter erunt parati in auxilium, & seruitium de Melone, corde bono, & animo volenti, sicut

sicut Fratres, & familiares: sed & illi omnes, qui ad eandem hæreditatem pertinent, participes erunt omnium beneficiorum.

Si verò per alios hæredes calumnia de eodem loco emerserit, Petrus Crispus cum germanis suis eam pacificabunt, pro posse suo. Statutum est etiam, vt in honore Sancti Michaelis Altare construatur in Altare de Melone, & parentes illorum participes fiant tam Missarum, quàm orationum, quæ in Ecclesia eadem celebrabuntur. Si autem Abbas Clarevallensis aut per se, aut per alium cognouerit, quòd in supradicto loco possit fieri Abbatia, erit in voluntate, & in arbitrio ipsius, quid inde fieri debeat. Si quis placitum istud infringere voluerit, reum se cognoscat in tremendo Iudicio diuina vltione, fiat, fiat. Rex Alfonsus placitum istud laudauit, & confirmauit, & confirmatum in manu Comitis Velasci commendauit. Ego Isidorus Tudensis Episcopus placitum istud laudo, & confirmo. Testes Pelagius Alnus, Menendus Bogen. Magister Petrus Netus, Petrus Mentirus. Ego Petrus Crispus vnà cum Fratribus meis supranominatis in hoc placito manus proprias robero. Æra M. CC. XL III. tertio Kalendas Maij. Hactenus ibiquæ nobilem concordiam continentia, non debuerunt silentio præteriri. Sed venio ad maiora.

10. Hoc item anno in nocte Sanctæ Agathæ, in cuius die intrasse Tolosanam Ecclesiam Fulconem diximus, ad Superos translatum credo Sanctum Christianum, Heisterbacensem Monachum, cuius reuelationes, & Acta suprà dedimus. Fuit autem mors per omnia vitæ respondens, quam Cæsarius eiusdem Domus Monachus in suis Dialogis describit his planè verbis [k]: *Licèt semper debilis esset, & infirmus; tamen ante obitum suum per dies multos amplius in camino agritudinis exercitus, & sicut aurum in igne probatus est. Nocte quadam in somnis S. Agatha Martyr, & Virgo, apparens illi, dixit: Inter ista consolatoria, Christiane, non sit tibi onerosa infirmitas hæc: quia isti sexaginta dies reputabuntur tibi pro sexaginta annis. Expergiscens, quia visionem intelligere non potuit, quibusdam eam reuelauit. Quam quidam ita interpretati sunt, quòd tantum eum purgaret à peccatis infirmitatis illius acredo, quantùm sexaginta anni in Purgatorio. Aliis videbatur, quod verius fuit, quia infirmitas illorum sexaginta dierum, propter patientiam, esset ei pro merito sexaginta annorum: nam in nocte Sancta Agatha spiritum reddidit, qui dies fuit sexagesimus ab ea nocte, qua hæc audiuit. Consummatus in breui, complenit tempora multa.* Memorat virum inter Ordinis Beatos Menologium, eadem, qua obiit, die, aliique recentiores ex Cæsario, nisi quòd aliqui, vt suprà notabamus, Christianum hunc cum Hemmenrodensi confundunt, cùm sint longè diuersi, vt iam ostendimus. 11.

Eodem tempore, si credimus Vincentio Bellua- 1 *lib. 29. cap.* censi [l], *Adela, Regis Philippi mater, apud Parisios* 92.
obiit, & in Burgundia sepulta est, apud Pontigniacum iuxta patrem suum Theobaldum, Comitem Crescentium, atque Blesensium, qui prædictum, vt dicitur, Monasterium fundauit. Quo item anno, ait Ferreolus Locrius, *Hugo Campanensis, Sancti Pauli Comes, Constantinopoli moritur: e quo ex oppido, per Caricampenses Monachos, in Artesiam relatus, in eorum Cœnobio, à Maioribus suis constructo, iuxta Capituli limen, sub marmoreo lapide sepultus esse creditur.*

Sub idem tempus, certè non multò antè, Vene- 12.
rabilis Robertus, natione Anglus, sed multis annis versatus inter Bohemos, egregiæ indolis adolescens, cùm spes fallaces mundi contemplisset, & sæculo relicto, in Nepomungo, Cisterciī Cœnobio, de quo suprà, Nouitius primùm, mox Monachus, & Sacerdos, ac demum Prior institutus esset; in Episcopum Olomucensem promotus est, ad instantiam Vladislai, Marchionis Moraviæ, Bohemiæ Regum filij, fratrisque, qui virum probè nouerat, nec dubitabat, quod euentus docuit, Ecclesiam eam eximiè promoturum. De viro, & electione, hæc apud Ioannem Dubrauium scripta lego [m]: *Hic Britannus erat; sed multis annis inter Bohemos versatus in contubernio sodalium Cisterciensium, qui Cœnobio Bohemiæ Nepomungo commorabantur, quibus Præpositi etiam* (id est, Prioris) *nomine Præfectus fuit, antequam ad Episcopatum postularetur; ipsius Vladislai testimonio, vt dignus approbatus, qui deberet ad eum locum prouehi, &c.* Hæc de Roberti initiis, & promotione, quibus & alij Authores, & Catalogus Episcoporum Olomucensium planè concordant. Verùm de tempore, quod paulò ante hunc annum fuisse coniector, argumento est, Cœnobium Belligradi hoc ipso anno fundatum, ipso Episcopo, vt capite sequenti demonstrabo: & tamen constat, protraxisse vitam ad annum M. CC. XXXII. vt si communem rerum cursum spectes, vltra XXVII. annos Pontificatus, vix multos alios ei liceat superaddere.

[m] *Histor. Bohem. lib. 15.*

[k] *lib. 4. c. 30.*

---

1. *Iordani Cardinalis mors*, 2. *atque de eo post mortem tristis visio.* 3. *Calatrauenses Xenodochium fundant.* 4. *Litteras ab Innocentio Papa accipiunt*, 5. *vt Petro Aragonensium Regi assistant.* 6. *Magistri ad Petrum iter, & eius causa.* 7. *Sancti-Iulianei feudatarij Summi Pontificis.* 8. *Chronologia Surgentium Cœnobiorum*, 9. *de Padulis*, 10. *de Bellegrado, Regia Domo*, 11. *& de Roca Amatoris notitia clarior.* 12. *Bequinarum Cœnobium Carolo Villarienſi Abbati commissum*, 13. *qua secta Virginum.* 14. *Varia de earum initio traditione.*

CAPVT VIII.

1. AD hunc vsque annum pertingere comperio Iordani Cardinalis de Cecano, alias de Fossa noua, notitiam in Vaticano, subscriptis Litteris Innocentij Papæ III. ad Episcopum Hidrosiensem in Norwegia, quarum Chaconius meminit, dum agit de ipsius creatione: de quo item hæc habet, quæ nos omisimus [a]: *Ab Innocentio III. Legatus in agrum Picenum magna largitione, nobilium Prouincia animos à Marinaldi factione ad Ecclesiæ partes traduxit, & totam Prouinciam in fide Romanæ Sedis confirmauit. Ad Curiam rediens sub Innocentio III. excessit.* Quibus verbis videtur indicare, haud multum tempus a reditu vsque ad mortem intercessisse. Certè anno sequenti, mense Decembri iam fato functum probat titulus Sanctæ Pudentianæ, Petro Saxoni datus ab Innocentio, cuius

[a] *in Clemente II.*

cuius memoria, hodiéque legitur Romæ, subscripta operi, quod ipse fabricauit:

Petrus Saxonis, S. Pudentiana Cardinalis,
Anno XII. Innocentis III. Papæ:
Tertio verò sui Cardinalatus anno,
Fecit opus hoc.

Fuit igitur duodecimus annus Innocentij, Petri Saxonis tertius, nempe, creati nono ipsius anno, qui incidit in annum Christi M.CC.VI. quo proculdubiò Iordanus iam obierat. Vnde corrigendus venit Ferdinandus Hugellus in suis Tabulis, qui vitam eius producit quinquennio altero.

2. Laborauit auaritiæ infamia Iordanus, quandiu vixit. Post mortem verò pauenda visione, sed non penitùs desperata dicitur apparuisse Notario suo, nomine Pandolpho, quam Cæsarius Heisterbacensis, eius temporis Author, scriptam reliquit. Sic autem habet [b]: *Ante annos paucos Romæ quidam Cardinalis defunctus est, nomine Iordanus. De Ordine quidem Cisterciensi assumptus fuerat; sed vita Ordini in eo minimè concordabat. Erat enim auarus valde, sicut à quodam Abbate audiui. Habebat autem Notarium, nomine Pandolphum: hunc cùm pro quodam negotio, nescio quo misisset, interim expirauit. Eadem hora, cùm ille expleto negotio rediret, manè ante lucem, caternam miserabilem in agro contemplatus est: sedebant homines in iumentis, in ore caudas habentes, versis dorsis ad capita illorum: quos Iordanus, cuculla indutus, nudis pedibus sequebatur, duobus Dæmonibus se ducentibus. In quorum aspectu dum Notarius nimis horreret, clamauit Cardinalis: Pandolphe, Pandolphe. Subsistente Clerico, & dicente: Quis es, aut quid clamas? Respondit ille: Ego sum Iordanus Dominus tuus: & mortuus sum. Dicente illo: Quò ducimini? Respondit: Ante tribunal Christi. Et ille: Nostis, quid de vobis sit futurum? Non noui, inquit: Deus scit. Sed cùm illuc venero, Beatus Petrus de Cardinalia mea pro me redditurus est rationem: Sanctus verò Benedictus de cuculla. Quòd si illam mihi obtinere poterit, saluabor: sin autem, damnabor. Sicque oculis eius subtractus est.* Hæc nobis transcribenda esse putaui, ne quid omitterem: cùm maximè Historia eò respiciat, vt homines prudentes, & cautos faciat, dum exempla, & scandala æquè pandit: illa, quæ imitemur; hæc, quæ caueamus.

[b] lib. 12. cap. 22.

3. Quod attinet ad Militias sacras, Calatrauenses, qui Saluaterram incolebant, hoc anno lego fundos accepisse apud Sanctam Eulaliam, Xenodochio fundando, in quo militibus sauciis prouideretur. Possessiones donarunt Petrus Ferdinandi, dictus de Castro, & Ximena Gomezia, nobiles coniuges, filiique eius Almarus, & Esso, (siue Ellam mauis dicere, nam fœmina,) vterque Perezius, more patriæ, ex parente sumpto cognomine. Possessionibus à Magistro Militiæ acceptis, adiunctæ aliæ; & constructum Xenodochium, quod etsi hodie non extet; perseuerare tamen eius memoriam in multis instrumentis, testatur Rades in sua Historia Militiæ Calatrauæ [c], vnde hæc hausimus.

[c] cap. 14.

4. Addam & Litteras hunc annum concernentes Innocentij ad ipsos, ad petitionem Regis Aragonum: cum Calatrauenses abstinerent à bello aduersùs Saracenos, quòd Rex Alfonsus, in cuius Regno essent, cum eisdem pepigisset inducias ad certum tempus. Molestum id Aragonensium Regi, qui Mauros infestabat, & ab eis vicissim infestabatur. Neque tutum rebatur sibi prælium, quod tanto auxilio subiret destitutus. Ergo ipse ad Pontificem conquestus. Porrò Innocentius, lectis eius litteris, has ad Calatrauenses dandas censuit; in quarum tamen titulo, additionem inuenio positam, cuius occasionem, causámve, lectori meo relinquo perscrutandam [d]:

[d] lib. 2. epist. 96.

Fratribus de Calatraua, & de Velez.

5. *Proposuit coram nobis charissimus in Christo Filius noster, Petrus, Aragonensium Rex Illustris, quòd cùm charissimus in Christo Filius noster Illustris Rex Castellæ cum Saracenis treugas inierit, vos eisdem de regno eius guerram facere non audetis: postulans, vt vobis scribere dignaremur, quatenus in ipsius fronteriam veniretis, & ibidem Saracenos eosdem curaretis viriliter expugnare. Monemus igitur Discretionem vestram, & per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, & videritis expedire, ad expugnandos Saracenos prædictos, in ipsius fronteriam veniatis. Datum III. Nonas Iunij.* Sic Innocentius, vt palam fit, quanti, vel exules, & propria domo pulsi, Milites Calatrauæ omnibus essent.

6. His Litteris permotus Magister Equitum, simul vt Garciam Lupecium, dictum de Mouenta, Alcañicensem Præfectum, quem minùs obsequentem experiebatur, sibi subiiceret; commendato regimine Militiæ, egregio Militi Didaco Diazio, in Regnum Aragonum profectus est, suppetias Regi; supplicium Garsiæ Lupecio, si fortè rebellaret, collaturus. Quid fecerit in Mauros, incertum est: cum Garzia compositum, interueniente Petro Aragonensi; non Alfonso, vt vult Rades [e], quem longè antè obiisse commemorauimus. Sed Rades hæc, & alia minùs ex fide. Vt mirum sit, quantùm illi deferatur, etiam à viris doctis, cùm reuerà in multis exciderit. Hoc ipsum iter aggressum Martinum tradit Æra M.CC.V. qui eadem pagina, capite sequenti, ante annum obiisse, & successorem sortitum fuisse memorat Æra M.CC.XLIV. Atque id genus in eo multa repetio.

[e] Hist. Calatr. c. 14.

7. Sanct-Iulianæi priuilegio muniti, hoc eodem anno, facti sunt feudatarij Romanæ Sedis. Quippe Innocentius priuilegium Lucij, quo ab omni Diœcesani iurisdictione eximebantur, ad litteram transcripsit, & confirmauit: additis aliis & recensitis Militiæ possessionibus, quæ iam hoc tempore, neque paucæ, nec exiguæ; subiecta tamen sub finem tali clausula [f]: *Ad indicium tamen percepta huius à Romana Ecclesia libertatis, marapetinum vnum singulis annis nobis, nostrisque successoribus persoluetis, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, per manum Ioannis S. Mariæ in via lata, Diaconi Cardin. XVI. Kal. Iulij, indict. VIII. Incarnat. Dominicæ anno M.CC.V. Pontif. verò Innocent. PP. III. anno 8.* Porrò Honorius, successor Innocentij, eandem loco confirmans exemptionem, eandem subdit clausulam: vt non immeritò inde colligamus, solutum reuerà feudum per annos aliquot, licèt pòst exoleuerit, quod etiam contigisse videmus in multis aliis.

[f] Priuil. Alcant. f. 1. 8.

8. In Capitulo nihil ferè historia dignum: adeò aut Arnaldus abhorrebat à nouis legibus, aut nullis morbis in Fratribus detectis, nulla noua remedia præparabantur. Adiunctæ Ecclesiæ nostris vsque ad sex, quas hoc ordine recensèt Chronologia.

Anno M.CC.V. decimo Kalendas Octobris, fundata est Abbatia de Padulis, in Sardinia.

Eodem anno, tertio Idus Nouembris, Abbatia de Bello Gradu.

Eodem anno, Abbatia de Villa Noua de Oscos, in Hispania.

Eodem anno, vndecimo Kalendas Aprilis, Abbatia de Hibernia Vetheray (aliàs Vvetheni).

Eodem anno Abbatia de Fosp.

Eodem anno Abbatia de Roca Maurâ (aliàs de Roca Amatorit in Sicilia.) Hęc Chronologia. De Villa Noua de Oscos, aliàs Lapedo, Filia Cartaceti, superiùs dictum: de reliquis dicemus, si quid habebimus.

De Padulis, siue vt habent taxarum libri, de Padulo in Sardinia, Diœcesis Turritanæ haud opulentam

sicut Fratres, & familiares: sed & illi omnes, qui ad eandem hæreditatem pertinent, participes erunt omnium beneficiorum.

9. *Si verò per alios hæredes calumnia de eodem loco emerserit, Petrus Crispus cum germanis suis eam pacificabunt, pro posse suo. Statutum est etiam, vt in honore Sancti Michaelis Altare construatur in Altare de Melone, & parentes illorum participes fiant tam Missarum, quàm orationum, quæ in Ecclesia eadem celebrabuntur. Si autem Abbas Clarevallensis aut per se, aut per alium cognouerit, quòd in supradicto loco possit fieri Abbatia, erit in voluntate, & in arbitrio ipsius, quid inde fieri debeat. Si quis placitum istud infringere voluerit, reum se cognoscat in tremendo Iudicio diuinæ vltionis, fiat, fiat. Rex Alfonsus placitum istud laudauit, & confirmauit, & confirmatum in manu Comitis Velasci commendauit. Ego Isidorus Tudensis Episcopus placitum istud laudo, & confirmo. Testes Pelagius Almus, Menendus Bogan. Magister Petrus Netus, Petrus Mentirus. Ego Petrus Crispus vnà cum Fratribus meis supranominatis in hoc placito manus propriàs robora. Æra M.CC.XL III. tertio Kalendas Maij.* Hactenus ibiquæ nobilem concordiam continentia, non debuerunt silentio præteriri. Sed venio ad maiora.

10. Hoc item anno in nocte Sanctæ Agathæ, in cuius die intrasse Tolosanam Ecclesiam Fulconem diximus, ad Superos translatum credo Sanctum Christianum, Heisterbacensem Monachum, cuius reuelationes, & Acta suprà dedimus. Fuit autem mors per omnia vitæ respondens, quam Cæsarius eiusdem Domus Monachus in suis Dialogis describit, his planè verbis [k]: *Licèt semper debilis esset, & infirmus; tamen ante obitum suum per dies multos amplius in camino ægritudinis exercitus, & sicut aurum in igne probatus est. Nocte quadam in somnis S. Agatha Martyr, & Virgo, apparens illi, dixit: Inter ista consolatoria, Christiane, non sit tibi onerosa infirmitas hæc: quia isti sexaginta dies reputabuntur tibi pro sexaginta annis. Expergiscens, quia visionem intelligere non potuit, quibusdam eam reuelauit. Quam quidam ita interpretati sunt, quòd tantum eum purgaret à peccatis infirmitatis illius acredo, quantùm sexaginta anni in Purgatorio. Aliis videbatur, quod verius fuit, quia infirmitas illorum sexaginta dierum, propter patientiam, esset ei pro merito sexaginta annorum: nam in nocte Sanctæ Agathæ spiritum reddidit, qui dies fuit sexagesimus ab ea nocte, qua hæc audiuit. Consummatus in breui, complenit tempora multa.* Memorat virum inter Ordinis Beatos Menologium, eadem, qua obiit, die, aliique recentiores ex Cæsario, nisi quòd aliqui, vt suprà notabamus, Christianum hunc cum Hemmenrodensi confundunt, cùm sint longè diuersi, vt iam ostendimus. 11.

Eodem tempore, si credimus Vincentio Bellua- l *lib.29.cap.* censi [l], *Adela, Regis Philippi mater, apud Parisios* 92.
obiit, & in Burgundia sepulta est, apud Pontigniacum iuxta patrem suum Theobaldum, Comitem Crescentium, atque Blesensium, qui prædictum, vt dicitur, Monasterium fundauit. Quo item anno, ait Ferreolus Locrius, *Hugo Campanensis, Sancti Pauli Comes, Constantinopoli moritur: e quo ex oppido, per Caricampenses Monachos, in Artesiam relatus, in eorum Cœnobio, à Maioribus suis constructo, iuxta Capituli limen, sub marmoreo lapide sepultus esse creditur.*

12. Sub idem tempus, certè non multò antè, Venerabilis Robertus, natione Anglus, sed multis annis versatus inter Bohemos, egregiæ indolis adolescens, cùm spes fallaces mundi contemplisset, & sæculo relicto, in Nepomungo, Cistercij Cœnobio, de quo suprà, Nouitius primùm, mox Monachus, & Sacerdos, ac demum Prior institutus esset; in Episcopum Olomucensem promotus est, ad instantiam Vladislai, Marchionis Moraviæ, Bohemiæ Regum filij, fratrisque, qui virum probè nouerat, nec dubitabat, quod euentus docuit, Ecclesiam eam eximiè promoturum. De viro, & electione, hæc apud Ioannem Dubrauium scripta lego [m]: *Hic Britannus erat; sed multis annis inter Bohemos versatus in contubernio sodalium Cisterciensium, qui Cœnobio Bohemiæ Nepomungo commorabantur, quibus Præpositi etiam (id est, Prioris) nomine Præfectus fuit, antequam ad Episcopatum postularetur; ipsius Vladislai testimonio, vt dignus approbatus, qui deberet ad eum locum promoueri, &c.* Hæc de Roberti initiis, & promotione, quibus & alij Authores, & Catalogus Episcoporum Olomucensium planè concordant. Verùm de tempore, quod paulò ante hunc annum fuisse coniector, argumento est, Cœnobium Belligradi hoc ipso anno fundatum; ipso Episcopo, vt capite sequenti demonstrabo: & tamen constat, protraxisse vitam ad annum M. CC. XXXII. vt si communem rerum cursum spectes, vlta XXVII. annos Pontificatus, vix multos alios ei liceat superaddere. m *Histor. Bohem. lib.15.*

---

1. *Iordani Cardinalis mors*, 2. *atque de eo post mortem tristis visio.* 3. *Calatrauenses Xenodochium fundant.* 4. *Litteras ab Innocentio Papa accipiunt*, 5. *vt Petro Aragonensium Regi assistant.* 6. *Magistri ad Petrum iter, & eius causa.* 7. *Sancti-Iulianei feudatarij Summi Pontificis.* 8. *Chronologia Jurgentium Cœnobiorum*, 9. *de Padulis*, 10. *de Bellegrado, Regia Domo*, 11. *& de Roca Amatoris notitia clarior.* 12. *Bequinarum Cœnobium Carolo Villarensi Abbati commissum*, 13. *qua secta Virginum.* 14. *Varia de earum initio traditione.*

CAPVT VIII.

1. AD hunc vsque annum pertingere competit Iordani Cardinalis de Ceccano, alias de Fossa nous, notitiam in Vaticano, subscriptis Litteris Innocentij Papæ III. ad Episcopum Hidrosiensem in Norwegia, quarum Chaconius meminit, dum agit de ipsius creatione: de quo item hæc habet, quæ nos omisimus [a]: *Ab Innocentio III. Legatus in agrum Picenum magna largitione, nobilium Prouincia animos à Marualdi factione ad Ecclesiæ partes traduxit, & totam Prouinciam in fide Romanæ Sedis confirmauit. Ad Curiam rediens sub Innocentio III. excessit.* Quibus verbis videtur indicare, haud multum tempus a reditu vsque ad mortem intercessisse. Certè anno sequenti, mense Decembri iam fato functum probat titulus Sanctæ Pudentianæ, Petro Saxoni datus ab Innocentio, cuius

a in Clemente II.

cuius memoria, hodiéque legitur Romæ, subscripta operi, quod ipse fabricauit:

Petrus Saxonis, S. Pudentiana Cardinalis,
Anno XII. Innocentij III. Papæ:
Tertio verò sui Cardinalatus anno,
Fecit opus hoc.

Fuit igitur duodecimus annus Innocentij, Petri Saxonis tertius, nempe, creati nono ipsius anno, qui incidit in annum Christi M.CC.VI. quo proculdubiò Iordanus iam obierat. Vnde corrigendus venit Ferdinandus Hugellus in suis Tabulis, qui vitam eius producit quinquennio altero.

2. Laborauit auaritiæ infamia Iordanus, quandiu vixit. Post mortem verò pauenda visione, sed non penitùs desperata dicitur apparuisse Notario suo, nomine Pandolpho, quam Cæsarius Heisterbacensis, eius temporis Author, scriptam reliquit. Sic autem habet [b]: *Ante annos paucos Romæ quidam Cardinalis defunctus est, nomine Iordanus. De Ordine quidem Cisterciensi assumptus fuerat; sed vita Ordini in eo minimè concordabat. Erat enim auarus valdè, sicut à quodam Abbate audiui. Habebat autem Notarium, nomine Pandolphum: hunc cùm pro quodam negotio, nescio quo misisset, interim expirauit. Eadem hora, cùm ille expleto negotio rediret, manè ante lucem, cæternam miserabilem in agro contemplatus est: sedebant homines in iumentis, in ove caudas habentes, versis dorsis ad capita illorum: quos Iordanus, cuculla indutus, nudis pedibus sequebatur, duobus Dæmonibus se ducentibus. In quorum aspectu dum Notarius nimis horreret, clamauit Cardinalis: Pandolphe, Pandolphe. Subsistente Clerico, & dicente: Quis es, aut quid clamas? Respondit ille: Ego sum Iordanus Dominus tuus: & mortuus sum. Dicente illo: Quo ducimini? Respondit: Ante tribunal Christi. Et ille: Nostis, quid de vobis sit futurum? Non noui, inquit: Deus scit. Sed cùm illuc venero, Beatus Petrus de Cardinalia mea pro me redditurus est rationem: Sanctus verò Benedictus de cuculla. Quod si illam mihi obtinere poterit, saluabor: sin autem, damnabor. Sicque oculis eius subtractus est.* Hæc nobis transcribenda esse putaui, ne quid omitterem: cùm maximè Historia eò respiciat, vt homines prudentes, & cautos faciat, dum exempla, & scandala æquè pandit: illa, quæ imitemur; hæc, quæ caueamus.

[b] lib. 12. cap. 22.

3. Quod attinet ad Militias sactas, Calatrauenses, qui Saluaterram incolebant, hoc anno lego fundos accepisse apud Sanctam Eulaliam, Xenodochio fundando, in quo militibus sauciis prouideretur. Possessiones donarunt Petrus Ferdinandi, dictus de Castro, & Ximena Gomezia, nobiles coniuges, filiique eius Aluarus, & Esso, (siue Ellam mauis dicere, nam fœmina,) vterque Perezius, more patriæ, ex parente sumpto cognomine. Possessionibus à Magistro Militiæ acceptis, adiunctæ aliæ; & constructum Xenodochium, quod etsi hodie non extet; perseuerare tamen eius memoriam in multis instrumentis, testatur Rades in sua Historia Militiæ Calatrauæ [c], vnde hæc hausimus.

[c] cap. 14.

4. Addam & Litteras hunc annum concernentes Innocentij ad ipsos, ad petitionem Regis Aragonum: cum Calatrauenses abstinerent à bello aduersùs Saracenos, quòd Rex Alfonsus, in cuius Regno essent, cum eisdem pepigisset inducias ad certum tempus. Molestum id Aragonensium Regi, qui Mauros infestabat, & ab eis vicissim infestabatur. Neque tutum rebatur sibi prælium, quod tanto auxilio subiret destitutus. Ergo ipse ad Pontificem conquestus. Portò Innocentius, lectis eius litteris, has ad Calatrauenses dandas censuit; in quarum tamen titulo, additionem inuenio positam, cuius occasionem, causámve, lectori meo relinquo perscrutandam [d]:

[d] lib. 2. epist. 96.

Fratribus de Calatraua, & de Velez.

5. *Proposuit coram nobis charissimus in Christo Filius noster, Petrus, Aragonensium Rex Illustris, quòd cùm charissimus in Christo Filius noster Illustris Rex Castellæ cum Saracenis treugas inierit, vos eisdem de regno eius guerram facere non audetis: postulans, vt vobis scribere dignaremur, quatenus in ipsius fronteriam veniretis, & ibidem Saracenos eosdem curaretis viriliter expugnare. Monemus igitur Discretionem vestram, & per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, & videritis expedire, ad expugnandos Saracenos prædictos, in ipsius fronteriam veniatis. Datum III. Nonas Iunij.* Sic Innocentius, vt palam sit, quanti, vel exules, & propria domo pulsi, Milites Calatrauæ omnibus essent.

6. His Litteris permotus Magister Equitum, simul vt Garciam Lupecium, dictum de Mouenta, Alcañicensem Præfectum, quem minùs obsequentem experiebatur, sibi subiiceret; commendato regimine Militiæ, egregio Militi Didaco Diazio, in Regnum Aragonum profectus est, suppetias Regi; supplicium Garsiæ Lupecio, si fortè rebellaret, collaturus. Quid fecerit in Mauros, incertum est: cum Garzia composuit, interueniente Petro Aragonensi; non Alfonso, vt vult Rades [e], quem longè antè obiisse commemorauimus. Sed Rades hæc, & alia minùs ex fide. Vt mirum sit, quantùm illi deferatur, etiam à viris doctis, cùm reuerà in multis cæcutierit. Hoc ipsum itet aggressum Martinum tradit Æta M.CC.V. qui eadem pagina, capite sequenti, ante annum obiisse, & successorem sortitum fuisse memorat Æta M.CC.XLIV. Atque id genus in eo multa repetio.

[e] Hist. Calatr. c. 14.

7. Sanct-Iulianæi priuilegio muniti, hoc eodem anno, facti sunt feudatarij Romanæ Sedis. Quippe Innocentius priuilegium Lucij, quo ab omni Diœcesani iurisdictione eximebantur, ad litteram transcripsit, & confirmauit: additis aliis & recensitis Militiæ possessionibus, quæ iam hoc tempore, neque paucæ, nec exiguæ; subiecta tamen sub finem tali clausula [f]: *Ad indicium tamen percepta huius à Romana Ecclesia libertatis, marapetinum vnum singulis annis nobis, nostrisque successoribus persoluetis*, &c. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum, per manum Ioannis S. Mariæ in via lata, Diaconi Cardin. XVI. Kal. Iulij, indict. VIII. Incarnat. Domin. anno M.CC.V. Pontif. verò Innocent. PP. III. anno 8.* Portò Honorius, successor Innocentij, eandem loco confirmans exemptionem, eandem subdit clausulam: vt non immeritò inde coniectemur, solutum reuerà feudum per annos aliquot, licèt pòst exoleuerit, quod etiam contigisse videmus in multis aliis.

[f] Priuil. Alcant. f. 1. 8.

8. In Capitulo nihil ferè historia dignum: adeò aut Arnaldus abhorrebat à nouis legibus, aut nullis morbis in Fratribus detectis, nulla noua remedia præparabantur. Adauctæ Ecclesiæ nostris vsque ad sex, quas hoc ordine recensèt Chronologia.

Anno M.C.V. decimo Kalendas Octobris, fundata est Abbatia de Padulis, in Sardinia.

Eodem anno, tertio Idus Nouembris, Abbatia de Bello Gradu.

Eodem anno, Abbatia de Villa Noua de Ostos, in Hispania.

Eodem anno, vndecimo Kalendas Aprilis, Abbatia de Hibernia Vetheray (alias Vvetheni).

Eodem anno Abbatia de Fosp.

Eodem anno Abbatia de Roca Matura (aliàs de Roca Amatoris in Sicilia.) Hęc Chronologia. De Villa Noua de Ostos, aliàs Lapedo, Filia Carraceti, superiùs dictum: de reliquis dicemus, si quid habebimus.

De Padulis, siue vt habent taxarum libri, de Padulo in Sardinia, Diœcesis Turritanæ haud opulentam

Domum,tribus, & triginta florenis taxatam video. Memoratur inter Filias Clarævallis, nec quicquam aliud de ea notatum reperi. Bellumgradum,siue Bellegradum,Placensis Domus Filiam sequenti numero, quia regiam fundationem,seorsim dabo.Fops hactenus ignota.De Vvethenij Hiberniæ,hæc Vvaræus g: *Vvonei Cœnobium hoc olim Vvetheny, & Vvodeny dictum,situm est in Comitatu Limericensi, à Theobaldo Vvalter Hibernia Pincerna fundatum, & multis prædiis dotatum. Filius is fuit Heruai Vvalter,& frater Huberti Vvalter dignissimi illius Cantuariensis Archiepiscopi,vt liquet,tum ex fundationis charta,tum ex Registro Monasterij S.Thomæ Dublin. Ab illo stemma ducit nobilissima Butlerorum in Hibernia, Familia.* Sic ille.Nec occurrit, quid aliud,quod possim addere.

g *in Cœnobiis Hiberniæ ad hunc an.*

10. Bellegradum in Morauia Olomucensis Diœcesis Vladislaus Morauiæ Marchio, vir totius pietatis, & gloriæ condidit,Regis Bohemiæ fratris sui auxilio,& consilio,ac consensu Roberti Episcopi, quem paulò antè promotum memorauimus. Condidit autem in eodem loco, vbi S. Cyrillus multos ante annos primum Morauiæ templum, iuxta ritus Christianos consecrauisset. Ioannes Dubrauius de Vladislao loquens,hæc scribit verba h:*Cùm locus ille Bellegradensis animo Vladislai valdè arrideret,propterea quod felix auspicium Moravis ad Christianissimum dederit,extaréque in illo primum Christiano ritu à D.Cyrillo consecratum templum,non cultu, non amplitudine,non situ conspicuum: vetus dirui, & nouum haud procul inde, assensu Roberti Olomucensis Antistitis ædificari iussit in hanc,quam hodie quoque conspicimus,amplitudinem,& dignitatem.* Extat diploma Ottocari Bohemiæ Regis, Vladislai fratris,expeditum anno M.CC.XXVIII.quo & Belgradensis Ecclesia dedicata est,cùm iam Vladislaus defunctus esset,sub hoc initio:*Noverint Vniuersi,Nos ex consilio, & petitione Fratris nostri Vladislai, quondam illustris Marchionis Moraviæ,necnon Reverendissimi Patris nostri Ruperti Episcopi Olomucēsis assensu, domum Cisterciensis Ordinis in Bellegrad construxisse, & prout potuimus,ditauisse,& dotauisse,*&c. Et infrà: *Acta sunt hæc publicè anno ab Incarnat.Dom. M.CC. XXVIII. mense Nou. Indict.1. in consecratione ipsius Ecclesiæ,quæ fuit 5. Kal.Dec.Regni nostri an.XXXIII.* &c. In huius Cœnobij Ecclesia Vladislaum Principem, & Robertum Episcopum sepultos, Tomo sequenti,Deo dante,dicturi sumus,vbi de vtroque; sed præcipuè de Roberto,quia Cisterciensi,quæ digniora memoria propalabimus.

h *Histor.Bohem.lib.15.*

11. Roca Matura,aliàs Roca Amatoris, notior Siciliæ Domus,vel ex Sylvestro Mauruli,aut Maurolico, eius loci Abbate,qui de originibus omnium Religionum librum composuit, quem Oceanum voluit appellari. Authores Siculi antiquiorem faciunt ad annos octo:quippe fundatam M.C.XCVII.Nos Chronologiæ ordinem sequuti, in præsenti seruauimus tradendam. Thomas Fascellius in descriptione Vrbis Messanæ, cui Domus proxima,de eadem,& situ hæc habet verba i: *Caliptera,Pistumna*, (qui omnes adiacentes Messanæ pagi,) *Rocca Amatoris,vbi alia est Abbatia,pagi nomen communicans,ann. M.C.XCVII, ex consensu Henrici VI. Cæsaris, Siciliæ tum Regis,& Constantiæ Reginæ,eius vxoris,à Bartholomæo de Luce Paternionis eo tempore Comite,à fundamentis excitata.* Clariùs, distinctiúsque antiquum Manuscriptum, quod refert Maurolicus, eiusdem loci Abbas,quem modò diximus k:

i *Decadis 1. lib.2.c.2.*

k *lib. 2. fol. mihi 148.*

In Narbonensi Gallia Regione Carsi,mira deuotionis templum,sub nomine D. Mariæ Roccæ, Amatoris ex Ordine Cisterciensi visitur. Sumptum quidem nomen à præruptæ rupe,in qua est positum: atque à Sancto Amatore,qui & eiusdem Fundator, & locorum iuxta positorum,à venenatis anguibus,expurgator extitit. Ad cuius exemplum Dominus Bartholomæus à Luce, Messanensis,Paternionis,Comes eiusdem nominis,& Ordinis, Cœnobium Messanæ Sicilia ad quartum lapidem extruxit,& illud amplo prouentu dotauit,anno Domini M.C.XCVII. Inuenio Domum taxatam in libris Cameræ florenis c.XXXIII. Monachi missi creduntur ex Nuata,Nucariáve,ex discipulis,& filiis Sancti Hugonis.Reliqua,si quæ occurrerint,dicenda,suis à nobis locis tradenda erunt.

12. Innuere videtur Ioannes Grammaius, hoc item anno commissum fuisse Carolo Abbati Villariensi Beguinarum Cœnobium (sacratum Virginum genus in Belgio frequens) iuxta Louanium,quod Curiam maiorem,ad differentiam alterius in eadem Prouincia,dictum perhibet. Eiusdem, meo more,verba proram,dum diuersos Conuentus Virginum memorat: *Curia,Beguinarum maior,quæ cœpit anno M.CC. V. Templum autem primatis earum epibus extrui cœptum est anno M.CC.XXXIV.* Et paulò inferiùs: *Curia Beguina de Houis,Leodij à Duce olim commissa Abbati Villariensi, quam puto esse maiorem, porta Houensi vicinam.* Hæc ille.Quæ an hoc modo intelligenda sint,nempe,vt inceperint sub Abbatis Villarij cura, an cœptæ aliter, commissæ postea fuerint, aliorum linquo iudicio discernendum.

13. Cæterùm,quod ad Beguinas pertinet,quia nostris commissæ,variam originem, sed profectum certum, breuiter ex Auberto Miræo libet describere l: *Beguinas,siue Begginas Virgines,quarum apud Belgas plurimi,bodiéque pij Conuentus perdurant,à S.Begga,Pipini Landensis (quem primum Ducem Brabantiæ nuncupant) filia, & S. Gertrudis sorore,nomen,& institutum accepisse nonnulli existimant. Habuit autem Begga coniugem Ansigisum: quo defuncto,Romam, Religionis ergò,se contulit:inde reuersa se,& sua Deo mancipans,Andennæ ad Mosam fluuium in agro Namurcensi, Basilicas septem,in memoriam septem Basilicarum Romanarum struxit:ibidémque anno D C.LXXXVI. Virginum Monasterium excitauit,ac dotauit,quod nobilium hodie Virginum Canonicarum est Collegium: quibus, vt & aliis passim apud Belgas, ac Germanos, Virginibus Canonicis,illustri loco natis,itémque Begginis Belgicis,ad nuptias transuolare licet. Obiit porrò S. Begga anno D C.LXXXIX. teste Sigeberto in Chronico,Martyrologij Romani tabulis,ad diem XVII. Decembris,adscripta.*

l *in Chronico Cist. pag.mihi 196.*

14. *Alij tamen Begginas,Lamberto Begio,siue Beguio, pio Sacerdoti,qui anno M. C. L X X. apud Leodienses floruit,initia sua debere arbitrantur.* Ægidius certè *Leodicensis, Aureæ vallis Monachus,atque Historicus Leodicensis,ipsum velut Autorem prædicare videtur. Temporibus,inquit,Radulphi,Episcopi Leodicensis,cùm Simoniacis erroribus irretita teneretur Legia,& iisdem contaminata fuisset,suscitauit Deus spiritum cuiusdam Sancti Viri Sacerdotis,& Religiosi, qui Lambertus le Begue de S.Christophoro dicebatur, cuius cognomine mulieres,& puellæ,quæ castè viuere proponunt*, Beguinæ *Gallicè cognominantur:quia ipse primus extitit,qui eis propositum castitatis verbo,& exemplo prædicauit. Vt vt sit,id mihi constat,Canonicas & Virgines nobiles Niuellenses nuncupari Beginas, in vetustis Pontificum Romanorum diplomatibus, quæ etiamnum Niuellis in Brabantia asseruantur.* Plura Miræus: verùm hæc satis nobis pro instituto.

1. *Didacus Oxomensis in Marchiam primùm*, 2. *deinde Romam pergit*: 3. *& quo anno.* 3. *Genus, patria, & virtutes Sancti Viri.* 4. *Ecclesiam suam Regularem facit*, 5. *& S. Dominicum in Canonicum admittit*, 6. *quem & itineri suo socium adhibet.* 7. *Quid in itinere.* 8. *In reditu Cisterciensem Habitum induit.* 9. *Inde in Abbatem Cistercij, & socios incidens*, 10 *salutare, & apostolicum eis consilium præbet*, 11. *quod ipsi statim exequuntur eius exemplo.*

CAPVT I.

1. HOc tandem anno, ab Orbe reparato, millesimo ducentesimosexto; à condito Cistercio, centesimonono; atque ab iniuncta Arnaldo, sociisque potestate inquirendi contra Hæreticos, tertio, cum plenaria in eosdem iurisdictione; egregium illud totius Ecclesiæ Lumen, Hispaniæ decus, Dominicus Guzmanius, simul cum Beato Didaco Accuesio, Oxomensi Episcopo, ab Hispania egressi; dein ab vrbe, in Hispaniam redeuntes, nostris se primùm Legatis associarunt. Didacus Cistercienſis & ipse factus, cùm Burgundiam adiisset, & Monachum in Cistercio professus est. Dominicus associandus Inquisitoribus, prædicaturus de ipsorum mandato verbum; & contra Hæreticos Prouinciæ Tolosanæ, quæ ab eisdem sibi iniungerentur, accuratè, & exactè peracturus. Rem sanè grauem, à multis narratam hactenus, sed à nullo, quem viderim, distinctè, & plena omninò fide; quia hos Annales concernit ex omni parte, altiùs repetito principio, conabor pandere: nihil ex recentioribus admiscens, vnde errores, & tenebræ; sed omnia ex his, qui affuerunt rebus, quas narrant.

2. Primò autem, quod ad rationem temporis attinet, quam velut basim, fundamentúmque totius Historici ædificij debemus præmittere, qui cunctis interfuit Petrus Vallsarnensis ad Innocentium Pontificem scribens, hæc habet verba [a]: *Anno Verbi incarnati M.CC.VI. Oxomensis Episcopus, Diegues nomine, vir magnus, & magnificè extollendus, ad Curiam Romanam accessit, summo desiderio desiderans Episcopatum suum resignare; quo posset liberius ad Paganos causa prædicandi Christi Euangelium, se transferre. Sed Dominus Papa Innocentius noluit acquiescere desiderio Viri Sancti: imò præcepit ei, vt ad Sedem propriam remearet. Factum est igitur, dum rediret à Curia, & esset apud Montem Pessulanum, inuenit ibi Venerabilem Virum Arnaldum Abbatem Cistercienſem, F. Petrum de Castro Nouo, & F. Radulphum, Monachos Cistercienſes, apostolicæ Sedis Legatos.* Hæc de tempore, vt palam videas, deceptos recentiores; Bzouius [b], dum anteponit biennio integro: & anno M.CC.IV. quo vidit nostris iniunctam eam curam ab Innocentio, vtriusque Sancti Viri promit aduentum: cæteros penè omnes etiam antiquos, dum postponunt, & post Abbates ab Arnaldo adductos venisse traduntiquòd non minùs abhorrere à veritate, ipsa series Historiæ demonstrabit. Nunc de Episcopo, vt Cistercium ingressuro, & de causa itineris, quod tantos viros nostros associauit, quæ pauca subsunt, breuiter trademus.

[a] *Hist. Albig. cap. 3.*

[b] *ann. 1204. num....*

3. Didaci patriam, quam reticent Authores in Manuscripto Oxomensis Ecclesiæ notatam legi; ortúmque Virum, totius Hispaniæ glorium, in ea parte veteris Castellæ, quam *Campos* vocant. Genus, & indolem Theodoricus de Apoldia, Dominicanus, obiter tangit; sanctitatem, doctrinam, mórésque ex professo describit, in ea, quam edidit, Vita Sancti Dominici [c]: *Per id tempus*, ait, *erat Vir vitæ venerabilis, Didacus nomine, Ecclesiæ Oxonienſis Episcopus, quem & sacrarum peritia Litterarum, & generis nobilitas, & in primis morum insignis honestas ornarent. Is adeò totus, amore inhærebat Deo; vt se ipsum contemnens, & sola, quæ sunt Iesu Christi quærens, in id summispere cura, & cogitatione esset intentus; quemadmodum multos Domino animas lucrifaciens, talentum sibi creditum cum vsura multiplici, ad illum reportaret. Quamobrem vbicunque reperire potuit viros vitæ, & morum integritate conspicuos, eos, quibus poterat, modis ad se adiungebat, & in Ecclesia, cui præerat, ecclesiasticis beneficiis donabat. Porrò subditos illos suos, quorum esset propensa in virtutem, & sanctitatem voluntas, animus a mundo abhorrens, vt Religiosorum hominum institutum complecterentur, & verbis hortabatur, & exemplis inuitabat.* Hæc Theodoricus.

[c] *apud Sur. tom. 4. lib. 1. cap. 3.*

4. Non legi hactenus, quo anno creatus sit Oxomensis Episcopus, neque in Catalogo Episcoporum Oxomensium notatum video: illud compertum, fæculatem Ecclesiam à se inuentam, salutaribus monitis, & quæ longè efficaciùs persuadent, propriæ vitæ exemplis, Augustinianæ subiisse Regulæ iugum. Inde è Palentia vocatum Sanctum Dominicum (non Valentia, vt irrepsit per errorem, quæ tunc ciuitas à Saracenis possidebatur) aggregatum Collegio Regulari, cuius cæteri omnes conuersatione, consortióque, in primitiuo feruore conseruarentur. Vtrunque refert idem, qui suprà, Author, his planè verbis [d]: *Inde adeò accidit, vt Canonicus suis crebris id adhortationibus persuadere niteretur, vt ad præscriptum Regulæ Beati Augustini, in canonica Religionis obseruantiam consentirent. Tanta verò cura, & diligentia id egit, vt eorum animos, tametsi non deessent, qui obluctarentur, ad suam voluntatem inclinarit. Ad eius autem notitiam pervenit celebris, & odorifera Beati Dominici fama; & cùm accuratè de illo esset percunctatus, rémque certam comperisset; accersitum eum fecit in sua Ecclesia Canonicum Regularem: ex hoc ipso Beatum se putans, quòd & sibi de tali Filio, & Ecclesiæ suæ de Ministro tam idoneo prouidisset.*

[d] *apud Sur. lib. 1. cap. 4.*

5. Hæc mihi summa illustris Viri laus, quòd talem, sibi discipulum acciuit, adoptauit filium, haud multò pòst futurum in gentem magnam: adoptatum Subpriorem instituit suæ Ecclesiæ, (errant, qui Archidiaconum appellant, aut fallunt Tabulæ Oxomensium Episcoporum,) quanuis eius electio non ad

ipsum, sed ad totum Capitulum spectaret. Sed monuit omnes, & sanctitas Dominici, & Episcopi fauor ob sanctitatem. *Miramur omnes tam subitam Religionis perfectionem*, (ait idem, qui suprà, Theodoricus [c]:) *& licèt inuitum, suum eum esse faciunt Subpriorem.* Porrò de gratia Episcopi erga ipsum, hæc, quæ sequuntur [f]: *Cùm verò tot, tantisque virtutum floreret ornamentis Angelicus Dominicus, à Venerabili Didaco, Episcopo suo, viro diligebatur affectu. Erat enim in animis eorum quadam spiritus similitudo, & charismatum consonantia: siquidem pari zelo Domus Dei, ad procurandam animarum salutem Sancto eos Spiritu impellente, ferebantur.* Creuit autem ab officio Subpriotis, amor Pontificis, eò magis Dominico adhærentis, quò ex maiori notitia virtutum eius, plùs in eo inueniebat dignum amari.

[c] lib. 1. c. 4.

[f] lib. 1. cap. 5.

6. Non conuenit inter antiquos Scriptores, an Didacus vocatus à Pontifice, an magis ab Alfonso Rege in Marchiam missus, Castellæ primùm, dein Hispaniæ fines transgressus sit, & Galliam, atque Italiam penetrauerit. In libro illo Oxomensi Manuscriptò, non ex primaria intentione in Marchiam missus: sed cùm à Romano Pontifice, Innocentio, vniuersalis Ecclesiæ negotiis cum viro sancto, & docto pertractandis vocatus esset; ituto aliàs iniunxisse Alfonsus legitur, vt per Marchiam declinans, vnicè sibi filiam dilectam Blancham, Ludouici vxorem, (Philippi primogeniti,) atque ipsum Ludouicum generum suum, ibidem tunc agentes, visitaret. Theodoricus, & alij è contra dicunt, abs Rege primò missum, legatione functurum ad Ludouicum: siue, vt tradit Vincentius in Speculo [g], *Vt filio Ferdinando, puella nobilis connubia conciliaret.* Inde vltrò ipsum Alpes transmeasse, visitaturum loca sacræ Vrbis, atque cum Innocentio collaturum de his, quæ sibi, & Ecclesiæ suæ congruerent. Vtcunque fuerit, ait Theodoricus [h], *Profecturus prudens Antistes, dilectum Dominicum sibi comitem adiunxit, vt & ex societate eius ornamentum, & ex sanctis colloquiis solatium haberet.*

[g] lib. 29. cap. 95.

[h] lib. 2. cap. 5.

7. Feciisse per Tolosam iter Authores tradunt; & quanuis tunc Legatos non inuenerint (quippe per alia loca prædicantes, & cum Hæreticis disputantes detinebantur) inueniisse Hæreticos: indéque concepisse feruentem zelum, homines excæcatos (si possent) & tot errorum tenebris obnoxios illuminandi [i]. *Ventum est ad Tolosam*, ait Apoldia, *& Sanctus Dominicus, vt cognouit Hæreticorum fraudibus Ciues depranatos, spiritu turbatur. Vt verò etiam Hospitem suum Hæreticum sensit, multa tum affabilitate, tum ratione hominem conuicit erroris, & ad Catholicæ fidei veritatem reduxit.* Et post pauca: *Expeditis tandem apud Marchiam regiis negotiis, & per nuncium ad Regem responso remisso, Episcopus cum suis ad Romani Pontificis Curiam profectus est. Expositóque Pontifici suo desiderio, petiit ab Episcopi functione absolui, vt animabus conuertendis se posset impendere. Sed non impetrauit.* Reliqua, quæ cum Innocentio Didacus, siue è contra cum Didaco Innocentius tractauêre negotia, prætermittunt Authores, properantes ad reditum, ad quem & ipse proculdubiò properabat.

[i] ibid.

8. An sola deuotione Cistercij actus, venerandum illud adierit Sanctuarium toto Orbe percelebre: an inuisendi Arnaldi Abbatis gratia, cum quo pro Hæreticis illis extirpandis, zelo animarum feruens, miscoret consilia; & sanctum illi impositum officium ab Innocentio promoueret, quà posset; in dubio est: an demum iam tunc mente concepisset, quod mox perfecit. Constat, non priùs ad Hispaniam reuersurum, ad partes Tolosanas declinasse, quàm Cistercium inuiserit: vbi more consueto illius sæculi, & Thomæ Cantuariensis, aliorúmque exemplum sequutus, & Monachum induit, & secum aliquos Monachos adduxit, per quos, quæ in transitu addiscere non potuit, edoceretur. Narrat hæc idem, qui suprà, Theodoricus Dominicanus, verbis, quæ ad litteram sunt nobis transcribenda [k]: *Est ergo*, ait, *redire compulsus: suis quidem frustratus precibus: sed obedientia, & charitatis gratia plenus: nec quidquam de salutari proposito remittens. Reuertens autem Cistercienſe Cœnobium inuisit, vbi multorum seruorum Dei sancta conuersatione, & Religionis sublimitate illectus, Habitum monasticum accepit: atque inde Monachos aliquot secum abduxit, è quibus disceret mores illius Instituti, & Ordinis disciplinam. Equidem felicem dixerim electum Dei Dominicum, qui tanti Pontificis, & Viri apostolici meruerit societate, & amicitia decorari: à quo dubium non sit, illum sanctitatis exempla, & Religionis institutiones hausisse.* Hactenus Theodoricus, & cum eo omnes antiqui, & recentiores. Vt facilè appareat, Sanctum Episcopum non aliter, aut anteà promouisse extirpationem hæresum, atque Hæreticorum impugnationem, quàm Cistercium assumpserit: nec quid ab eo in hac causa factum esse, quod non Cistercio veniat referendum.

[k] ....

[l] Ioan. Gaet. Flaminius, Thom. Malueenda, & alij.

9. Discedens à Cistercio Sanctus Præsul, seu magis secum Cistercium (neque minùs exteriùs, quàm interiùs) in patriam deferens, seu inuisurus, quem tam reuerebatur, velut proprium Abbatem, Venerabilem Arnaldum; seu de negotiis fidei collaturus cum ipso, & sociis; ad vltimum, seu, quia iter id poscebat, cùm Montem Pessulanum aduenisset, inuenit Legatos, vt ex Petro Vallium Sarnay suprà retulimus. Cæterùm, quid ibidem ab eis omnibus, communicato consilio factum sit, cùm se parum proficere viderent; qui rursus obex profectum impediret: demum, quid contrà opponere sit visum; ex eodem Authore proferamus [m]: *Parum*, inquit, *cum illis proficiebant: quotiescunque enim vellent ipsis Hæreticis prædicare, obiiciebant eis Hæretici conuersationem pessimam Clericorum: & ita nisi vellent Clericorum vitam corrigere, oporteret eos à prædicatione desistere.* Hæc petra scandali, in quam collisi Hæretici; ob quam Ecclesiarum visitationes nostris iniunctæ: nec tamen adhuc potuisset eliminari. Verùm quod, contrà, consilium Sanctus Præsul, non solùm dederit, sed exequutus fuerit, ex eodem Authore proferamus [n]:

[m] ibid.

[n] ibid.

10. *Memoratus autem Episcopus aduersùs huiusmodi perplexitatem salubre dedit consilium, monens, & consulens, vt cæteris omissis, prædicationi ardentius insudarent: & vt possent ora obstruere malignorum in humilitate præcedentes, exemplo pij Magistri facerent, & docerent: irent pedites, sine auro, & argento, per omnia formam apostolicam imitantes.* Hoc consilium Sanctissimi, atque sapientissimi Episcopi, haud prima facie facile; non ob difficultatem vitæ insolitæ, & verè laboriosæ: nihil enim arduum his, qui corpus suum Hæreticorum gladiis, atque animas Christo consecrauerant: sed ob contemptum, seu suspicionem ex ipsa nouitate irrisuris Hæreticis, quos arte magis contra se armatos, externáque affectatæ virtutis ostentatione, quàm veritate possent proclamare: non tamen ideò derelictum est; sed

sed quæsitum exemplum : idque inuentum in ipso, à quo consilium ; ne vel hoc aliunde, quàm ex Cisterciо. Nam audi, quod sequitur [o]:

o ibid. 11. *Dicti verò Legati hæc omnia, quasi quandam nouitatem, per se arripere non valentes dixerunt, quòd si quis fauorabilis authoritatis eos sub hac forma vellet precedere, ipsum libentissimè sequerentur. Quid plura? Obtulit se vir Deo plenus; móxque familiam suam Oxonum transmittens, vno comite contentus, cum duobus sæpè dictis Monachis, Petro, videlicet, & Radulpho, Montem ingreditur Pessulanum. Abbas autem Cisterciensis Cistercium perrexit; tum, quia in proximo celebrandum erat Cisterciense Capitulum; tum, quia post celebratum Capitulum, quosdam de Abbatibus suis volebat secum adducere; qui eum in exequendo iniuncto sibi prædicationis officio, adiuuarent.* Hactenus ibi. Quibus clarè videas, & detentionis, ante exemplum, causam; & post exemplum, obsequij promptitudinem: tùm etiam Didacum occurrisse nostris, ante aduentum duodecim Abbatum, atque ante eundem, consilium præstitisse: quod statim admissum, eos præuenit, ne nisi pedites, & apostolicam præferentes formam illuc venirent. Vt meritò indignari nobis liceat contra Authores, qui ex cerebro suo fingentes, quæ scribunt; quæ somniant, magis tradunt, quàm quæ inueniunt. Sed de his satis. Iam quid Petrus, Radulphúsque cum Didaco Oxomensi in negotio præstiterint, dum abesset Arnaldus, proferamus.

---

1. *Petrus, Radulphúsque cum nouis sociis in Castro Carmano,* 2. *cum Hæreticis disputant* : 3. *mox in Viridi folio.* 4. *Consultum Petro, vt secederet ab eis* : 5. *& in eius absentia ingens miraculum.* 6. *Tertia disputatio apud Montem Regalem, præsente Petro.* 7. *Hæretici in ea porrò conuicti, & multi conuersi.* 8. *Petrus ad procurandam pacem Principum pergit,* 9. *cui resistit Raymundus Tolosanus,* 10. *Hæreticorum fautor,* 11. *atque Hæreticus.* 12. *Quo fine ille.* 13. *Et qualiter à Beato Petro sit coërcitus.*

CAPVT II.

1. QVID duo Legati, Petrus, & Radulphus, in causa fidei egerint, comitante eos Venerabili Episcopo, necnon Sancto Dominico, quem vnum socium sibi reseruasset, non aliis verbis meliùs referemus, quàm Petri Vallsarnensis, & Guillelmi de Podio, quorum primus negotio toti interfuit, alter ab his, qui interfuerunt, haurire potuit. Igitur Petrus ordiatur narrationem [a]: *Exeuntes autem de Monte Pessulano, Oxomensis Episcopus, & prædicti Monachi, venerunt ad Castrum quoddam Carmanum, vbi inuenerunt quendam Hæresiarcham, Balduinum nomine, & Theodoricum quendam filium perditionis, & stipulam incendij. Iste de Gallia vriundus, erat quidem nobilis genere, & Canonicus fuerat Niuernensis. Postea verò cum quidam Miles, qui erat auunculus ipsius, & Hæreticus pessimus, in Parisiensi Concilio, coram Octauiano Cardinale, & apostolicæ Sedis Legato, fuisset de Hæresi condemnatus, videns iste, quòd diutius latere non valeret, ad partes se transtulit Narbonenses: vbi ab Hæreticis in maximo amore, & veneratione est habitus: tum, quia aliquantulum cæteris acutior videretur: tum, quia gloriabatur, se habuisse de Francia, vbi esset fons scientiæ, & Religionis Christianæ, sue iniquitatis socium, sue nequitiæ defensorem. Nec prætereundum, quòd Theodoricum faciebat se vocari, cum Guillelmus antea vocaretur.*

a Hist. Albig. cap. 3.

2. *Habita cum his duobus disputatione per octo dies, Balduino, videlicet, & Theodorico, Prædicatores nostri vniuersum populum dicti Castri salutaribus monitis, ad sæpè dictorum Hæreticorum odium conuerterunt. Ipsos siquidem Hæreticos à se libentissimè expulissent: sed Dominus Castri veneno perfidiæ infectus, eos sibi familiares fecerat, & amicos. Verba autem illius disputationis, longum esset per omnia enarrare: sed hoc solummodo adnectere dignum duxi; quòd cùm Venerabilis Episcopus, dictum Theodoricum ad imâ conclusionis disputando deduxisset, Scio, inquit Theodoricus, scio, cuius spiritus sis: si quidem in spiritu Eliæ venisti. Ad hæc Sanctus: Et si ego in spiritu Eliæ veni, tu venisti in spiritu Anti-*

christi. Actis igitur ibi octo diebus, exeuntes à Castro, venerabiles Viros prosequutus est populus per leucam ferè vnam. Illi autem recto itinere procedentes, Biterrensem aggressi sunt ciuitatem, vbi per dies XV. disputantes, & prædicantes, confirmabant in fide paucos, qui ibi erant, Catholicos, Hæreticos confundebant. Hactenus ibi.

3. Guillelmus de Podio Laurentij, aliam sub his initiis disputationem tradit apud Viride folium, in qua & aliud eiusdem Episcopi, ad Hæreticos dictum commemorat [b]: *Fuit, ait, vna de primis congressionibus apud Viride folium, vbi Hæresiarcha plurimi, scilicet, Pontius Iordani, & Arnaldus Arifati, & alij affuerunt: & cùm plurima hinc inde obiecta fuissent, in id verbum, quod dixit Dominus in Ioanne, inciderunt, quod est:* Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit, *&c. Interrogabat enim Episcopus Oxomensis, quomodo intelligerent illud verbum: quorum vnus respondit, quòd Iesus, qui loquebatur, se hominis, qui est in Cœlo, filium appellaret. Est ergo, inquit Episcopus, sensus vester, quòd Pater eius, qui est in Cœlo, sit homo, cuius filium se appellat. Quibus inquientibus, se sentire sic esse, ait Episcopus: Dicente ergo Domino per Isaiam:* Cœlum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum, *consequens est, vt si ipse homo est, sedens in Cœlo, pedibus terram tangentibus, tibiarum, Cœli ad terram sit spatium, longitudo: quibus fatentibus ita esse; ipse statim subiunxit: Maledicat vos Deus; quia grossi Hæretici estis. Credebam, quòd subtilitatem aliquam haberetis.* Sic Guillelmus de Podio. Hoc illud Viride folium est, cui Bernardum Parentem olim maledixisse, tomo, ni fallor, secundo, memorauimus.

b Histor. Albig. c. 8.

4. Petrum de Castro nouo cunctis acriorem, in impugnandis Hæreticis, argumento est, quòd multò eum, quàm alios maiori odio satellites, & fautores eorum prosequereptur. Vnde, cùm vitæ eius iam timerent, Didacus Oxomensis, Radulphúsque, discessum illi ad tempus, & dare locum iræ persuase-

runt. Narrat id Petrus de Vallibus Sarnay, simúlque quid in eius absentia factum, his plane verbis [c]: *Venerabilis autem Episcopus Oxomensis, & F. Raidulphus consuluerunt F. Petro de Castro Nouo, vt ad tempus ab eis recederet: timebant siquidem, ne occideretur F. Petrus, eò quòd ipsum odio haberent Hæretici super omnes. Recessit igitur F. P. ab Episcopo, & à F. R. tempore aliquanto. Ipsi à Biterris egressi, Carcassonam gressu prospero deuenerunt: vbi per octo dies morantes, predicationi, & disputationibus insistebant.*

[c] vbi suprà.

5. Quò secesserit Petrus, in dubio est: constat in eius absentia contigisse miraculum insigne, quod Hæreticos omnes confudit, si non conuertit. *Contigit,* ait idem qui suprà Petrus [f], *tempore illo, prope Carcassonam miraculum, quod prætereri non debet. Metebant Hæretici segetes suas, in die Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ: ipsum enim, non Prophetam, sed malignissimum esse dicebant: dum igitur metentes, aspicieni vnus ex eis manum suam, vidit manipulum suum sanguinolentum: quod videns putauit, quod incidisset manum: sed inueniens eam sanam, exclamauit sociis: Quid vltra? Aspicientes singuli manipulos, quos tenebant, inuenierunt eos sanguinolentos, manibus conserè suis illæsis. Venerabilis autem Abbas Vallium Guido, tunc erat in illa terra, qui manipulum sanguinolentum vidit, & ipse hoc mihi narrauit.* Erat hic Guido aunculus scribentis, simul & Abbas 1 & cum quo postmodum ad partes illas rediens, interfuit cunctis, vt ipse etiam testatur. Pergit omittere magis, quàm narrare, quia longum esset: *Quomodo viri apostolici*, scilicet, *Prædicatores nostri, circuibant per castra, euangelizantes, & disputantes vbique.*

[f] ibid.

6. Cæterùm, quam non licuit præterire disputationem, in Monte Regali habitam, cùm iam Beatus Petrus Collegæ sui consortio redditus esset, cæteris solenniorem, fusiùs scribit [g]: *Quodam die*, inquit, *conuenerunt omnes Hæresiarchæ apud quoddam Castrum in Carcassonensi Diœcesi, quod dicitur Mons Regalis, disputaturi vnanimiter aduersùs viros sapiùs memoratos. Ad hanc disputationem rediit F. P. de Castro Nouo, qui sicut paulò antè diximus, discesserat apud Biterrim. Disputationibus autem datis fuerunt Iudices de ipsis credentibus Hæreticorum. Protelata autem fuit disputatio per quindecim dies, & redacta fuerunt in scriptum hinc inde proposita, & tradita Iudicibus, vt diffinitiuam sententiam promulgarent. Videntes autem ipsi Iudices, Hæreticos suos manifestissimè superatos, noluerunt dare sententiam; sed & scripta, quæ à nostris acceperant, ne venirent in publicum, noluerunt reddere, sed tradiderunt Hæreticis.* De hac disputatione loquens Guillelmus de Podio, ait [h]: *Inter plurimas disputationes, quas in diuersis locis habuerunt cum Hæreticis, vna fuit solennior apud Montem Regalem, cui interfuerunt prædicti nostri pugiles, & Venerabilis vir Petrus de Castro Nouo, & cæteri ex parte Catholicorum: ex parte verò Hæreticorum, Hæresiarcha Arnaldus Othonis, Guilhabertus de Castris, Benedictus de Termino, Pontius Iordani, & multi alij, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ.* Addit etiam de eadem disputatione, quod non licet silentio præterire [i].

[g] ibid.

[h] cap. 19.

[i] cap. ...

7. *Traditis ergo hinc inde scriptis, prædictis laicis, quibus definitionis data erat authoritas ab ipsis partibus, eisque deliberare volentibus; ad inuicem discesserunt, negotio imperfecto. Ego autem processu annorum plurimorum inquisiui à Bernardo de Villanoua Milite, & Iudice assignato, quid de scriptis actum fuerat suprædictis: aut, an fuisset disputatio diffinita: qui mihi respondit, quòd nihil extitit diffinitum: nam scripta fuerunt perdita in aduentu Cruce signatorum, de Castro illo, & aliis fugientibus vniuersis. Dixit tamen, quòd intellectis, quæ dicta erant, Hæretici centum, & quinquagima circiter ad fidem sunt conuersi. Ego verò suspicor, quòd aliqui Collega ipsorum, quas Hæretici habebant fauorabiles, scripta hæc suppressissent.* Hactenus ille: quibus fructus verbi non contemnendus: & Hæreticorum versutiæ, atque obstinatio effræenis palàm fiunt.

8. Inter hæc dissidentes Prouinciæ Reguli, non solùm odiis, sed bellis conflagrabant. Inde turbida omnia, atque inquieta; & dum singuli, quæ sua erant, quærebant; causam Christi omnes obliuiscebantur: siue hunc prætextum opponebant aliqui obtegendæ perfidiæ; & ne deesse Christianæ Religioni, atque comprehensioni Hæreticorum ex præscripto Innocentij, sine causa vrgenti, comprobatentur. Vtcunque esset, decretum à Legatis, vt paci reformandæ omnes insisterent, & deligatus Petrus Castronouensis, qui rem tanti momenti pertractaret. *Itaque*, ait idem, qui suprà, Author, *recessit F. P. de Castro Nouo à sociis suis, & iuit in Prouinciam, & laborauit, vt componeret nobiles Prouincia: hoc autem intentione, vt auxilio eorum, qui pacem inuaierant, posset Hæreticos de Narbonensi Prouincia exirpare.* Hæc illi cura, vt Regulis in fide confirmatis, quos obcæcatos ad disputationes, & obduratos; atque ecclesiasticarum censurarum contemptores experti essent, coërcerent per pœnas temporales.

[k] cap. 3.

9. Inter Regulos terræ Raymundus Tolosæ Comes, cæteris potentior; sed hæretica peste adeò infectus, vt ne ipsa quidem propria conuenientia, quæ Principibus validissima lex est, conceptum virus occultare posset, aut vellet. Mira de ipso in hac parte referuntur: sed ex pluribus, quæ idem Author narrat, pauca depromam [l]: *Dixit præditus Comes, quadam die, sicut pro certo scimus, quòd volebat facere nutriri filium suum apud Tolosam inter Hæreticos, vt addisceret fidem, imò infidelitatem illorum. Dixit & quadam die, quòd vellet dare centum marchas argenti, vt quidam Miles suus posset capere fidem Hæreticorum, ad quam multoties inuitauerat eum, & quam faciebat ei sæpiùs prædicari.* Et paulò inferiùs: *Dixit præterea idem Comes Venerabili Episcopo Tolosano, sicut ab eodem Episcopo audiui, quod Monachi Cistercienses non poterant saluari, quia tenebant oues, quæ luxuriam exercebant. O hæresis inaudita! Dixit & Comes dicto Episcopo Tolosano, vt veniret de nocte in palatium eius, & audiret predicationem Hæreticorum: vnde perpenditur, quòd sæpè de nocte audiebat eos. Erat quondam memoratus Comes quadam die in Ecclesia quadam, vbi Missa celebrabatur: habebat autem secum quendam mimum, qui, sicut mos est huiusmodi ioculatorum, homines cum bucca histrionicè deridebat. Cum autem Sacerdos, qui celebrabat Missam, verteret se ad populum dicens:* Dominus vobiscum. *sceleratissimus Comes dixit histrioni suo, vt contrà faceret, & derideret Sacerdotem. Dixit præterea aliquando suprædictus Comes, quòd mallet assimilari cuidam Hæretico, qui erat apud Castras in Albigensi Diœcesi detruncatus membris, & habitu miserabili, quam esse Rex, vel Imperator.* Hactenus dicta, sed facta adhuc peiora: nam audi, quod sequitur [m]:

[l] libro de. 4.

[m] vbi suprà.

10. *Præterea adeò parui pendebat Matrimonij Sacramentum, quòd quotiescunque ei displicuit vxor propria, ipsam dimittens, aliam duxit: ita quòd quatuor vxo-*

res

rei habuerit, quarum tres adhuc viuum. Est post pauca: *Erat quidam pessimus Hæreticus apud Tolosam, Hugo Faber nomine, qui quondam in tantam lapsus est dementiam, quòd iuxta Altare cuiusdam Ecclesiæ purgauit venirem: & in contemptum Dei cum palla Altaris terfit posteriora sua. O scelus inauditum! Dixit & Hæreticus prædictus quadam die, quòd quando Sacerdos in Missa percipiebat Dominici Corporis Sacramentum, traiiciebat Dæmonem in corpus suum: quæ omnia cùm Vir Venerabilis Abbas Cistercij, qui tunc erat Abbas Grandis Sylvæ, in territorio Tolosano, Comiti retulisset, & eum moneret, qui tantum facinus perpetrarat, respondit Comes, quòd nullo modo puniret propter hoc ciuem suum.* Sed audi de ipso adhuc despectatiora.

II. *Alio tempore cùm ipse Comes à partibus Tolosanis iturus esset contra aduersarios quosdam suos, in partes Prouinciæ: media nocte surgens, venit ad domum, in qua Hæretici Tolosani erant congregati, & dixit eis: Domini, ac fratres, bellorum casus sunt eventus, quicquid de me contingat, in manus vestras commendo corpus, & animam meam: quo facto, desuper abundantes duos Hæreticos in veste communi secum adduxit, vt si fortè mori eum contingeret, inter manus ipsorum moreretur. Infirmabatur quodam tempore Comes maledictus in terra Aragonum, & cùm multùm ingraescret infirmitas, fecit sibi fieri lecticam, & in lectica illa faciebat se Tolosam deportari: & cùm quadam die quæreretur ab eo, cur cum tanta obstinatione se faceret deportari, cùm tam grauissima infirmitate laboraret, respondit miser: Quia non sunt boni homines in terra ista, inter quorum manus possim mori: Hæretici enim à fautoribus suis boni homines vocantur. Sed & amplioribus signis, & dictis, se fatebatur Hæreticum: dicebat enim: Scio me exheredandum fore pro bonis hominibus istis: sed non tantùm exheredationem, imò etiam decapitationem pro ipsis paratus sum sustinere.*

12. Hæc, & alia similia facta, & dicta, quæ idem Author memorat, perfidiam hominis, & errores altè ebibitos, non solùm indicabant; sed conuincebant. Vnde illi semper cum aliis inuisa pax; siue, quia auersabatur, omnes Catholicos; siue, vt in turbido bellorum, atque tumultuum lateret persidia: neu pace, velut Sole illucescente, tot impietatum abyssus detegeretur. Itaque cæteris aliis colligatis, ipse solus fugiebat pacis fœdera: & nunc ius proprium à vicinis læsum, nunc confœderatorum causabatur. Esse Iustitiam virtutum omnium primam, qua peremptæ, nec charitas subsistat, nec fides prosit. Et sibi ius ad propriam defensionem, quia naturale, semper supponendum. Inquisitores, si missi contra Hæreticos, inquirant, & procedant in causis fidei. Quid illis cum dominiis temporalibus? quid cum causis ciuilibus? quas priuati Iudicio, legibúsque, Principes ferro, & armis dissinirent. Tum si auxilium requirant aduersùs sontes, præbiturum se tandem peracto bello; interim in militibus se fidem; sed erga Ducem: Religionem haudquaquam quæsiturum.

Hæc, & similia excusantem Raymundum, vir Dei Petrus, quo erat aduersùs hostes Fidei inuicto animo, anathemate primùm, tanquàm fautorem manifestum Hæreticorum, mox cùm censuras minimè deferret, indicto per colligatos bello, sic pauefecit, vt pacem etiam iurare ipsum compulerit, quamuis non diu in ipsa permansurum: nam audi quòd sequitur [a]: *Comes*, ait, *Tolosanus, Raymundus nomine, inimicus pacis, noluit acquiescere dictæ pacis, donec, tam per guerras, quas mouebant ei nobiles Prouinciæ, mediante industria viri Dei, quàm per excommunicationem ab eodem in ipsum Comitem promulgatam, iurare compulsus est pacem illam.* Hactenùs gesta in absentia Arnaldi Abbatis: cum eius reditum, aduentúmque Abbatum, & reliqua, quæ simul parrauêre in hac eadem causa, anno sequenti dicemus, quo euenerunt. 13.

a Hist. Albig. cap. 3.

---

1. *Quibusdam Fratribus captiuis, in Liuonia liberandis,* 2. *Lankenheimiensis Abbas assistit.* 3. *Tum de cælo vocatus ad opus verbi;* 4. *mittitur prædicatum ab Innocentio.* 5. *Nostrorum gesta, & gestorum fontes perpensi.* 6. *Henricus Imperator Cistercium in Græciam vocat, adducitque.* 7. *Dictum de Sancto Angelo, & aliis Monasteriis.* 8. *Thesaurus Reliquiarum ad nos traductus.* 9. *Quæ, obtenta licentia, ex iusta causa,* 10. *auferre, & transportare in vsu fuit.* 11. *Præfectus earundem custodiæ Hugo Abbas Sancti Guillelmi, atque multis donatus, Monachum induturus in Claranalle.*

CAPVT III.

1. CIRCA hoc tempus, cùm Gentiles Liuoniæ, Prusiæque quosdam Cistercij Fratres, dubium an Monasterij Lankenheimiensis ex his, qui prædicatum missi fuerant, tenerent in vinculis, atque arcta custodia macerarent: vnde non solùm ipsi patiebantur, sed fructus etiam verbi, quod aliàs seminarent, impediebatur. Abbas eiusdem Cœnobij, vir zelo feruens, illuc transiuit, vinctos Fratres, an Filios eductus de domo carceris; atque prædicationem alligatam, quod maximè gemebat, expeditus. Porrò cùm messem in ea Prouincia multam, sed paucos operarios comperisset; cúmque tyrannum terræ sibi facilem, nec nimiùm obduratum expertus esset; Fratribus liberatis, cùm iam discederet; cœlitùs sibi ostensa visione segetis albescentis, detentus est: atque iussus ad messem præparari: ille nec sibi, nec suæ visioni fidens, repetiit domum; indè per omnia paratus ad obediendum, ac suo Monasterio valedicens, Innocentium adiuit, eidem operi, ministerióque, verùm non nisi missus, consecrandus. Extat epistola Innocentij, Summi Pontificis, ad Archiepiscopos, & Episcopos Poloniæ, hoc anno data: in qua dum mittit prædicare Euangelium, Virum feruentem zelo, & charitate, Apostolum constituit illius gentis, quin & eidem indulget facultatem, vt Monachos Cistercienses, & alios secum deferat, quos sibi associet in partem sollicitudinis. Litterarum vtcunque Bzouius meminit, corrupto Abbatiæ nomine, atque ordine suppresso; nos ipsas integras correctásque reddemus, pro more nostro [a]:

a epist. Innoc. lib. 9.

Archiepiscopis & Episcopis Poloniæ pro fidei negotio. 1.

Homo, cùm in honore esset, inuisibilia Dei per ea, quæ intellecta conspicere potuisset, sapientiam quoque, virtutem, & Diuinitatem ipsius, ita vt inexcusabilis esset: quia minimè intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & insipiens obscuratum cor eius mutans gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, quadrupedum, & serpentium: & creaturæ potiùs, quam Creatori eligens deseruire. Verùm Omnipotens Deus, ne ille periret ex toto, quem inter cæteras creaturas extulerat eminentia dignitatis, exurgens propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, per fidem in Sanguine ipsius propitiatorem proposuit Iesum Christum ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum; vt esset ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi; sine qua nullus iustificari potest omninò; cùm, testante Propheta, iustus ex fide viuat. Proposita ergo hac via eundi ad Dominum viuum, & verum, Principi Mundi huius quorundam mentes infidelium excæcauit, vt illuminatio Euangelij gloria Christi in eos non valeat radiare, sed adhuc infidelitatis tenebris obuoluti non inuocent Dominum, qui prope est omnibus inuocantibus eum in veritate: quia omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

3. *Sed, quoniam, vt ait Apostolus:* Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut, quomodo credent ei, quem non audierunt? vel, quomodo audient sine prædicante? & quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *suscitauit Dominus spiritum dilecti Filij, Abbatis de Lankelim, vt ad Paganos illos, qui circa vestras Regiones existunt, à nobis, qui, licet inueniti, eius locum tenemus in terris, qui Discipulos suos ait:* Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. *quatenus in eos aliquos manipulos colligat, & in vitam æternam congreget sibi fructum. Cum enim ad partes illas pro quibusdam Fratribus liberandis, qui ab ipsis Paganis tenebantur alligati vinculis, accessisset, & Dominus terræ illius ipsum recepisset benignè, ac dimisisset liberos eius Fratres, monstrans eisdem nihilominùs Beati Martyris Alberti sepulcrum: eleuatis oculis, vidit, quòd regio illa alba esset ad messem: sed falcem in eo mittere non est ausus, quoniam à nobis prædicandi non acceperas potestatem. Quare ad apostolicam Sedem accedens nobis humiliter supplicauit, vt ipsum in messem Domini mittere dignaremur.*

4. *Nos igitur pium eius propositum in Domino commendantes, authoritate sibi præsentium duximus concedendum, vt euangelizet eisdem, & fungens legatione pro Christo, tanquàm Deo exhortante per eum, obsecret illos pro Christo, vt reconcilientur eidem. Verùm quia messis quidem multa, & operarius vnus non sufficit ad illius messionem, ipsi authoritate apostolica indulgemus, vt Fratres Cistercienses secum assumat, & alios etiam, qui cum eo voluerint accedere ad hoc opus ministerij salutaris, vt cum ipso euangelizent, & baptizent illos, qui receperint verbum Dei: mortuos quoque sepeliant: & Missas in locis, in quibus expedire cognouerint, celebrent baptizatis. Liceat etiam nihilominùs Abbati prædicto pœnitentium confessiones audire, illisque relaxationem aliquam peccaminum indulgere, qui ad ministerium suprædictum de corde puro, & conscientia pura curauerint auxilium impertiri. Possessiones quoque pia libertate donatas, ad reficiendum fideles de manibus Paganorum, personis idoneis committere procurandas, quas diminui, vel auferri anathematis interminatione vetamus. Quocirca vniuersitatem vestram monemus, & exhortamur per apostolica scripta mandantes, quatenus ad hoc pium opus habentem deuotione respectum, impendatis ei consilium, & auxilium opportunum. Datum Laterani.*

Hactenus Innocentij Papæ Litteræ de missione Abbatis, ad conuersionem gentium illius Regni, vt vix in ipso quicquam factum sit, quod non per Cistercienses. Qui, dum simul Hæreticos in Gallia, & Saracenos in Hispania oppugnant vtroque gladio; atque in Liuonia ab Idololatria gentes conuertunt, nullum opus virtutis planè omittunt; hìc dum acquirunt, illic dum acquisita contuentur: & nunc ab hostibus, nunc à falsis fratribus conseruant illæsa: nulli parcentes labori, nulli officio, quo de Christi Euangelio promerentur. Atque hæc quidem collecta, vel ex extraneis, vel ex tolis, quæ extant instrumentis: quorum primis diuersa longe cura: secunda ratò gestis interueniunt. Quid, si alij hæc tantum de suis scriberent? aut quid, si nostris scribendi cura fuisset? De fructu per Lankenheimiensem Abbatem facto, id vnum audeo dicere, quo anno ab Innocentio missus est in Citizensi Chronico [d], notari, *conuersam eam Prouinciam magna ex parte.* Vt non immeritò prædicationi eius, sociorumque, ea conuersio veniat ac tribuenda. Sed pergo ad alia. 5. [d] *ad hunc an.*

Hoc ipso anno, Balduinus recèns Constantinopolitanus Imperator, Flandriæ, & Annoniæ Comes, post multas, & gloriosas de Græcis partas victorias, dum Hadrianopolim obsidet, victus ipse, (adeò breues sunt gloriæ præsentis vitæ,) & siue fato functus, siue occisus, nam vtrumque sub dubio Authores produnt, Henrico fratri Imperium resignauit. Tum verò ille, quod frater peroptasset, sed non vidisset, Cistercium hactenus per Latini Orbis Imperium longè, & late dispersum, & nullam non Prouinciam iam tunc occupans, transplantauit in Græciam, breui in multas Ecclesias dilatandum. De qua re hæc Cæsarius post annos aliquot, cùm vineæ Domini Cistercium comparasset [e]: *Et quia vinea huius Dominus dux fuit, radices eius plantans in Cistercio; adeo profecit in breui, vt impleret terram. Nam, sicut hodie videmus implerum:* Extendit palmites suos vsque ad mare, *tam Orientale, quam Occidentale, ramos semper vineis emittens: ita vt iam non sit Regio, vel Insula iuris ritus Latinitatis, vbi Ordo Cisterciensis non sit. Ante annos paucos Henricus Flandrensis, qui post Balduinum, fratrem suum, Constantinopoli imperauit, de germine huius vineæ etiam in Græciam transtulit, sarmenta, nouæ Religionis illic plantans.* Hactenus ille. 6. [e] *Serm. 8. post oct. Epiph.*

Crediderim ex multis Abbatiis, quibus dicitur floruisse Constantino polis, traditas nostris aliquas; & inter eas, quam suprà memorauimus, sub Sancti Angeli Custodis aduocatione: sed neque eam obtentam ante hunc annum, quanuis ob reuerentiam antiquæ Domus, in gradu altiori collocata sit, quod multis aliis factum iam ostendimus. Narrat Chronicon Magnum Belgicum, ex Alberico Monacho Triumfontium, quod [f], *Quo tempore ciuitas Constantinopolis capta est per Balduinum Flandrensem, habebat quatuor milliaria in longum, & tria circiter in latum: & erant infra muros quingenta circiter Abbatiæ, vel Ecclesiæ Conuentuales.* 7. [f] ....

Non desunt, qui existiment, Authores, ex hac transmigratione Monachorum, seu successionem appellare mauis, patuisse aditum ad multorum i Sanctorum sacras exuuias, quibus scatebat Constantini vrbs, (neque enim solus Martinus eas adduxit,) ex Græcia, ad nostrum Latium transportandas. Quippe nouis colonis facilioribus in largitione pignorum, quæ vel nescirent, vel nondum potiedissent, antiquis parum, 8.

parum, nihilve curantibus, de his, quæ se amissuros non dubitabant. Ego, vt de his fortassis aliquid credam, vt inde migraturi leuiorem sibi iacturam loci facerent; de illis nihil tale vnquam præsumam, non aliter proprium solum sibi facturis, ex alieno, & ignoto, quàm si Sanctorum, quos notos cuncti haberent, quos amicos optarent; pignota conseruarent, non vnquam ampliùs ab ipsis diuidenda. Faciliùs putem, fecisse plures alios, quod fecit Martinus, in quo numero Artandus, aliique, de quibus infrà: & vt auro, & argento profanos Milites, sic Religiosos his spoliis inhiasse. Certè quòd in hunc locum reseruaui, obiterquè Cistercium etiam concernit, hæc Reliquiarum furta religiosa, & honesta tunc haberi, atque permissa, siue etiam iniuncta lego, Cardinalium, qui ibidem morabantur, authoritate; nec solùm iure belli, in medio insultu, sed statuta iam pace; quòd illic, aut præ multitudine vilescerent, aut consuetudine ægrè eradicanda, minùs religiosè venerarentur.

9. Extat libellus Rostagni Cluniacensis, de exceptione capitis Sancti Clementis, quod postmodum Cluniacum est delatum, vbi idem, qui cœpit, hæc inter alia [h]: *Innatum est diuinitùs, vt puto, in mente mea, vt de Reliquiis Sanctorum, quorum ibi tanta erat copia, quòd viliùs ibi tractarentur, de eis in transmarinis deferrem partibus; sciens, quòd quanto longiùs eorum Reliquiæ deferrentur, tantò clariùs gloria, & laus eorum longiùs clarescerent. Et dum talia in animo meo voluerem, concepi in mente mea, vt consulerem venerabiles, & Religiosos viros Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Dominum, videlicet, Benedictum, & Dominum Petrum Capuanæ Ecclesiæ Cardinalem, qui pari voce, & æquali concordia mihi in præceptis dederunt, vt vndecunque possem habere Sanctorum Reliquias absque venalitate, (quia lex inhibet, vt nemo Martyres distrahat, nemo mercetur,) & in loco religiosiore ad laudem Dei, & ipsorum Sanctorum, quorum Reliquiæ haberentur, honorificè deponerem. Quo præcepto recepto, cœpto cœpioperi instanter ardentius effectui mandare, quod in voto conceperam.* Ergo credideris, accepta sententia simili, asportatas Reliquias magis, quàm capta vrbe, prædæ expositas, atque hoc ipsum Martino contigisse.

[h] extat in Bibliot. Clun.

10. Porrò hac licentia vsum hoc item anno video Monachum alium cum socio Sacerdote, qui mentum cum maxillis de capite Sancti Clementis asportauerunt, de quibus hæc in Opusculo eodem [i]: *Accessimus ad Monachos loci illius rogantes, vt nobis Sanctorum Reliquias, causa orationis ostendant. Illi verò quendam Clericum nobis tradiderunt, qui nos custodiret, & ea, quæ petebamus, ostenderet. Ego autem Dalmatium prædicto Sacerdoti, & cuidam Monacho Cisterciensi, qui nobiscum erat, dans oppartunitatem peragendi negotium, pro quo veneramur, Clericum, qui nos illuc adduxerat, per diuersa Ecclesiæ loca mecum deducebam, de multis aliis cum eo colloquens, & aspectum eius ad contuendas imagines retorquens, faciebam eum vagari, ne posset videre, quæ Presbyter facturus erat. Tunc Presbyter cum tremore accedens ad Beati Clementis caput, non est ausus totum assumere: sed mentum cum maxillis caute auulsit, capite derelicto.* Hæc, quanuis leuia: quia semel de nostrorum in Græciam aduentu diximus, nequaquam putauimus silentio esse tegenda.

[i] in Bibliotheca Cluniacensi.

Cæterùm, neque omnes Reliquias furto sublatas, 11.
sed quadam etiam largitione Imperatorum ad populos Latinos, & specialiter ad nostros transiisse, confirmant Tabulæ Ecclesiæ Claræualleusis, in quibus multæ, & pretiosæ memorantur: Hugoni (tunc Abbati Sancti Guillelmi, qui earum custodiæ ab Henrico præfectus erat) ab Henrico traditæ, ipsius nomine asportandæ in Claramuallem, cùm ad propria rediret, deposita abbatiali dignitate, Monachum daturus in Claraualle. Etenim in Inuentario Reliquiarum eiusdem Domus, hæc inter alia memoriæ prodita lego: *Tertio loco est Crux magna aurea, quam de thesauro Sanctæ Helenæ sumptam Henricus Imperator Constantinopolitanus, Balduins successor propria manu contulit sub nomine Claraualli Domno Hugoni, quondam Abbati S. Guillelmi, mox Claraualle Monacho, qui eam detulit ad Claramvallem. Et sciendum, quòd, sicut dicebat idem Hugo, ad thesaurum illum non patebat accessus, nisi per nouem ostia cuprea, quorum omnium claues memoratus Hugo gestabat de mandato prædicti Imperatoris.* Itaque quasdam pio furto sublatas, quasdam in ipso insultu, prædáque inter spolia vrbis recenter captæ, quasdam dono largitas, transmissásque accepère Latini: neque solum Cistercium, sed vniuersum ferè Latinum Orbem præsentiæ suæ gloria locupletarunt. Quippe de solo Belgio, in Chronico eius magno ista leguntur [k]: *Tunc etiam à Constantinopoli in Cluniacensem Ambianensem, facies S. Ioannis Baptistæ, & Laudunum brachium S. Laurentij: & Huyum portio satis grossa coronæ spineæ Domini nostri Iesu Christi; & Traiectum in S. Mariam, de S. cruce ad longitudinem vnius cubiti; & Namurcum in S. Albanum, quatuor tabulæ aureæ cum signo Crucis; & ibidem in Ecclesiam S. Petri Castri dens S. Petri, & caput S. Pauli Confessoris Christi, & Florisficum magna pars Sanctæ Crucis transferuntur.* Sed de his satis, & multa alia per alios ad Claramvallem, & pretiosa asportata, inferiùs dicam, cùm Abbates, qui singula incluserunt argenteis vasis, & aureis, propalauero.

[k] sub Inn. III

---

1. *Guido, Archiepiscopus Rhemensis, ab Innocentio in Germaniam Legatus mittitur.* 2. *Philippum, Luitpoldúmque obsequentes habet.* 3. *Gandauí moritur.* 4. *In Episcopatu Prænestino successorem habuit, quem habuerat Cistercij antecessorem.* 5. *Mentio eius, an huius, in iure dubia.* 6. *Matthæus Cassilienſis, Archiepiscopus, & Hiberniæ Legatus sanctè obdormit.* 7. *Scripta eius:* 8. *& Grimerij in vrbe Placentina Pontificatus.* 9. *Lourbanense Cœnobium nostris assertum.* 10. *Et Nunius frater à Beato Martino Hortæ sepultus.*

CAPVT IV.

1. EODEM anno, cùm iam cœlestia præmia Guidonem, Archiepiscopum Rhemensem in gloria coronandum præstolarentur: laboraturum, profuturúmque Ecclesiæ vsque ad vltimum vitæ, Innocentius in Germaniam destinauit; qui Luitpoldi intrusi Moguntini, quod Salemitanus,

Salernitanus,& Castronouensis Abbates hactenus non potuissent,pertinaciam compescere, & Sigefridum in Sede sublimaret. De hac vltima eius Legatia feliciter peracta, Abraham Bzouius hæc habet ad hunc annum: nisi quòd tamen ipsius antecessorem, Guillelmum Archiepiscopum Rhemensem ante quadriennium mortuum,velut ab Orco suscitat,&succes-

[a] hoc anno num. 25. soris laudem ei adaptat. *Hoc eodem anno,* ait [a], *Innocentius Pontifex Guilelmum Comitem Blesensem,& Archiepiscopum Rhemensem, Episcopum Cardinalem Praenestinum, Legatum in Germaniam in causis grauissimis destinauit. Is inter alia negotia,qua Coloniam profectus egit,schisma,post Conradi Cardinalis Sabini mortem,in Ecclesia Moguntina exortum tulit;cum Leopoldum ex Vvormaciensi Episcopatu, à Philippo Rege intrusum, reprobasset; & Sigefridum à minore Canonicorum parte liberè electum,confirmasset. Ea legatione, summo cum honore perfunctus, totius Gallia Legatus à latere factus, paulo post ex humanis excessit,vir apostolica constantia pro ecclesiasticis iuribus praestans.*

2. Philippum Ducem, quanuis Luitpoldo fauerat, consensisse Legato,& Sigefridum tandem admisisse, inde coniector, quòd eo anno legitur celebrasse Curiam solennem,cui Carolus Villariensis Abbas interfuit: non interfuisset autem,nisi à Catholico, atque obsequente pontificiis mandatis celebraretur. Porrò de Curia,& Caroli assistentia, déque ingenti prodigio in ea viso, habemus certum Cæsarij testimonium, tunc ipsiusmet Caroli Priotis, in hunc mo-

[b] lib. 10. cap. 23. dum scribentis in suis Dialogis [b]: *Anno Domini millesimo ducentesimosexto, Philippo Rege celebrante Curiam solennem cum Principibus, signum magnum apparuit in Sole:in tres siquidem partes diuisus est,ita vt interualla essent inter partem,& partem ad instar lily tres flores habentis. Quòd vbi notari coepit,multi concurrerunt super tanto miraculo disputantes. Hermannus verò Lantgrauius interpretatus est,quòd vnus de Principibus Imperij eodem anno moriturus esset, nec erat idonea eius interpretatio. Post multam horam coierunt partes,& redintegratum est corpus solare. Abbas Carolus Villariensis, necnon & Monachus eius Vvigerus,eidem Curiæ interfuerunt, quæ dicta sunt,viderunt, nobis eodem tempore visa referentes. Facta est hæc visio tertio Kalendas Februarij.* Hæc occasione Guidonianæ Legatiæ: nunc ad ipsum Guidonem redamus.

3. Peruenerit ad Galliam, in dubio est, an in ipso itinere obierit. Tabulæ Archiepiscoporum Rhemensium secundum hoc indicare magis videntur:quippe

[c] apud Ioan. Ghenu. Gandaui, in Belgio defunctum perhibent [c]. *Vvido,* inquiunt, *huius nominis secundus, Archiepiscopus Rhemensis quinquagesimusetauus, Cardinalis Episcopus Praenestinus, Legatus, olim Abbas Cisterciensis, obiit. Gandaui, anno M.CC.VI. vbi sepultus iacet in Monasterio S. Petri.* Hactenus ibi. Cæterùm, quòd iacere Gandaui dicunt, an satis constet,mihi dubium ingerit, quòd video inter sepulcra Cistercien sis Ecclesiæ, non longè a sarcophago Arnoldi Narbonensis, (de quo suo loco,) sepulcrum aliud,quod Guidonis esse, & Cistercienses produnt, & Epitaphium eisdem insculptum probat. Est autem tale:

Nobis donatus de culmine Pontificatus,
Rhemis transiit us,iacet hic vir Guido Beatus.

Potuit fortasse Gandaui sepeliri, & post per filios ad Cistercium reportari: quod & Claudius Robertus adnotauit: addens eidem Innocentium III. confirmasse indultum, vt Reges Franciæ non ab alio, quam ab Archiepiscopo Rhemensi inungerentur, Diem obitus in eiusdem Domus Martyrologio notatam video, quæ fuisse dicitur 3.Kalend:Augusti. Memorat Virum Chrysostomus Henriquez in Menologio. Verùm,dum hunc Guidonem,cum eo,quem habuit Cistercij antecessorem, successorem Prænesti, vt statim dicam, incuriosè confundit;mirum est,quanta inuoluat rerum caligine.

4. Cæterùm in Rhemensi Archiepiscopatu Albericus,Guidoni, ex Archidiacono Ecclesiæ Parisiensis in Episcopatu Prænestino, Guido alius successit ex Presbytero Cardinali Sanctæ Mariæ trans Tyberim: cùm ad purpuram, ex Abbate Cistercij promotus fuisset,quo tempore ei Guido,qui hoc anno decessit, subrogatus est. Itaque succedentes sibi inuicem vterque in aliquo,alter in Cistercien si Præfectura,alter in Episcopatu Prænestino,cùm senior recentiori superuixisset,& nisi ex aliis circumstantiis dignoscerentur, vel peritissimi venirent confundendi.De prioris Guidonis successione in Episcopatu Prænestino,Chaconius hæc habet verba [d]: *Anno Domini M. CC. VI. Pontificatus sui octauo,mense Decembri, Roma Innocentius III. Papa,quinto creauit Cardinales,qui fuerunt:Guido de Papa Romanus ex Presbytero Sanctæ Mariæ trans Tyberim,tituli Callisti, Episcopus Cardinalis Praenestinus.Innocentij III.Bulle Lucenses,anni M.C.LXXXVIII.& M.C.LXXXIX. Fontis vius,anno M.CC V. Presbyter Canonicorum Veron.an.M.CC.VI.Honorij III.S.Frid.Lucen.an. M.CC.XVII.* Igitur longa ætate superuiuens, à Clemente creatus,per Cœlestinum Innocentiúmque, alterum medij, alterum longi temporis Pontifices: & successori suo superstes,successorque vsque ad tempora Honorij perdurauit.

[d] in Inn. III.

5. Præfuerat Guido huius nominis II.Cistercien si Ecclesiæ annis XII. nempe, à 1190. vsque ad 1202. in quibus cœptum templum à multo tempore, & consummauit,& dedicari fecit solenni ritu: pingues Ecclesias,in Capituli Generalis sumptus,accepit a Rege Angliæ, quas Monachis instruxit egregie sanctis: tria millia marcharum sibi ab Imperatore oblata in thuribula argentea per totum Ordinem contempsit, & respuit. Reges,tum Galliæ,tum Angliæ,Vngariæque inter se diffidentes pacificauit:factorum Bibliorum correctioni, à Pontifice Summo nullis præfuit. Virginum Cistercien sium Monarchiam, ferè sine exemplo, Burgis ab antecessore institutam, stabiliuit: à Rege Alfonso Castellæ multa, & illustria priuilegia, & dona accepit: exemptionem Cistercio penè congenitam; sed hanc iam iam labentem Mariæ Virginis ope confirmauit. Calatrauam Cistercio adiunxit, & Montemundo. Mox Cardinalis Prænestinus primùm, dein Rhemensis Archiepiscopus creatus, paucis, quos vixit annis, plures pro Ecclesia obtinuit Legatias, omnes constanter, omnes innocenter, omnes feliciter: dignus haud dubiè æterna memoria hominum, quam tot, ac tantis promeruit egregiè factis. Extant in iure Innocentij Papæ III. ad Cardinalem Episcopum Prænestinum, apostolicæ Sedis Legatum rescripta pluta, in cap. *In causis.* 19. de sententia,& re iudicata. Cap. *Dudum.* 22. de electione, & electi potestate. Cap. *Cùm dilecti.* 6. de dolo,& contumacia. Sed quæ vtri Guidoni scripta sint, non de facili valeat diffiniri.Quippe vterque apostolicum Legatum egit sub Innocentio:& vt Rhemensis frequentiores Legatiæ; at longè breuius tempus: nec credendum, Rhemensem Præfecturam prorsus tacendam, si ad Archiepiscopum Rhemensem directa essent.

6. Hoc ipso anno, vt habet Vvaræus,meritis clarus, mira-

miraculis illustris, Beatus Matthæus Cassilienſis in Hybernia Metropolita, apoſtolicæ Sedis Legatus, abdicata priùs vtraque dignitate, & ſuo Ciſtercio redditus, in Monaſterio Sanctæ Crucis in agro Tipperarienſi feliciſſimè ad Dominum migrauit. Verba Iacobi Vvaræi promam ex more [c]: *Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexto Matthæus, Archiepiſcopus Caſſilienſis, totius Hybernię Legatus, vir præ cæteris Hybernienſibus ſapientiſſimus, & religioſiſſimus: poſt Eccleſiarum fundationem, poſt victoriam de antiquo hoſte in multis miraculis habitam; in Monaſterio de Sancta Cruce (in agro Tipperarienſi) ſpontanea voluntate, vniuerſa pompa ſæculi ſpreta, feliciſſimè quieuit. Ad eundem annum (ſic liber Inis Faltenſis Cœnobij) Archiepiſcopus Oheny (cognomen puto noſtri Matthæi) quieuit in Chriſto.* Hactenus ille. Porrò hoc elogium, ſic enim ipſe vocat, non ſuis verbis, ſed eiſdem, quæ inuenit in Annalibus Monaſterij Beatæ Mariæ Dublinienſis, ſcriptum, ſeu tranſcriptum magis affirmat.

c *ſub tit. Archiep. Caſſelin.*

7. Scripſiſſe fertur Matthæus non pauca Opuſcula eximiæ eruditionis, & pietatis: ſed, quæ hominum incuria, & temporum iniuria ad nos non venerint. Cæterùm *præterea, quæ perierunt*, ait Iacobus Vvaræus eodem loco, *ſcripſit vitam Diui Eadberti, qui Ebenanuſiæ natus, poſtquam multos annos ſub Eata, & Boiſillo Abbatibus in Cœnobio Meilroſenſi tranſegerat, in Epiſcopum conſecratus eſt Lindis Farnenſem, anno D C. XIV. ac in Sanctorum numerum poſtea relatus.* Hinc addendi veniunt Chryſoſtomus Henriquez, & Philippus Seguinus qui virum omisêre, alter in Menologio, alter in Bibliotheca Ciſtercienſi: cùm proculdubiò ex ſapientia, & ſanctitate, authoritatéque, præ multis aliis debeat numerari.

8. Eiſdem temporibus, quod Petrus Maria Placentinus adnotauit in Vita Sanctæ Franchæ [f], Placentinam Eccleſiam, poſt Ardicionem, regebat Grimerius ex Monacho, & Abbate Ciſtercienſi, dubium cuius Cœnobij aſſumptus non multò antè. Hic à populo, Conſulibúſque vrbis multa perpeſſus, pro conſeruanda Eccleſiæ immunitate, cóque traditur turbatio peruenisſe, vt Epiſcopus exul, & vrbe cedens, in Cremonam ſeceſſerit, quoadvſque rebelles ab Innocentio, per cenſuras, vt par erat priùs, ſin minùs per quæcunque alia remedia compeſcerentur. Citantúrque Innocentij Papæ litteræ ad Ciues Placentinos hoc anno datæ ſub hoc initio: *Tacti ſumus dolore cordis intrinſecus*, &c. *Datis Laterani, 9. die Octobris anno M. CC. VI.* Creditur vniuerſam hanc tempeſtatem fuſis ad Deum precibus ſedaſſe Venerabilis Francha, tunc Sanctimonialis Benedictina: verùm mox ad Ciſtercium tranſitura, de qua plura in ſequentibus dicemus. In notitiis Abbatiarum Ciſtercienſium nuper à Iongelino vulgatis notatum video Grimerium hunc ex Monacho, & Abbate Columbæ Placentinum Epiſcopum creatum circa annum Chriſti M. CC. II. quod his, quæ diximus, conuenienter ſatis aptatur.

f *cap. 3. & 4.*

9. Hoc etiam anno poſt longam ſatis litem ſuper Lorbanenſi Cœnobio in Luſitania, quod Reginæ Teteſiæ Monialibus ibidem inſtituendis traditum fuerat, commiſſâ ab Innocentio III. cauſa tribus Epiſcopis, videlicet, Martino Portuenſi, Suero Vlyſiponenſi, & Petro Lamecenſi, tandem Reginæ adiudicatum eſt Conimbricæ, in die Sanctorum Innocentium. Æra M. CC. XLIV. cuius ſententiæ inſtrumentum adhuc extare in Archiuiis Lorbani Antonius Brandaonius teſtis exiſtit [g]. Conſtat non ideò à litibus ceſſatum, reclamantibus Monachis, & adhuc per aliquot annos reclamaturis. Id ſanè malum frequens, & perantiquum, Tribunalia, etiam Eccleſiæ, penetrauit, vt partes ſiue morbo litigandi, ſeu ne ſe victas penitus fateantur; & miniſtri, ne quæſtu defraudentur, neutri ſciant finem litibus imponere, neque tam terminandis ſtudeant, quàm protrahendis.

g *lib. 12. cap. 29.*

10. Hortæ in Caſtella, & Martino eius loci quondam Abbati, mox Seguntino Epiſcopo, tunc ibidem vacanti, cura depoſita. Funeſtus hic annus, morte Nuñij Sanctij de Hinojoſa, eiuſdem Sancti fratris, qui poſt multa, præclaráque facinora aduersùs Saracenos in bellis geſta, poſt ampla dona, & ingentes poſſeſſiones Monaſterio collatas, poſt ædificatum inſigne illud opus Fratribus reficiendis, cui non ſimile aliud in toto Regno; tandem iam ſenex, nec ſine ſucceſſione, hoc anno mortuus, & in eiuſdem Refectorij Clauſtro ſepultus eſt, cum coniuge Marcheſia, ſub arcu lapideo appenſa tabula, quæ vulgari ſermone, ſed graui, atque eleganti virum commendat: credibile eſt celebraſſe officium funeris Beatum Martinum, qui ideò ſuis forſan ſuperuixit, cunctos præmittens, vt cunctos ſacrificiis proſequeretur.

---

1. *Dyſcoli Sacerdotis mira conuerſio,* 2. *felix obitus,* 3. *& reuelata gloria.* 4. *Hermani Hemmenrodenſis viſiones,* 5 *repetitæ, & variæ.* 6. *Euerhardi in Ciſtercio non admiſſi, quòd in ſæculo vtilior crederetur proximorum profectui,* 7. *iucunda miracula.* 8. *Arnaldi Zelus.,* 9. *Innocentij in noſtros pietas,* 10. *inſtaurato Cœnobio S. Martini de Monte prope Viterbium.*

CAPVT V.

1. INTER hæc alij euentus ſupra naturam, & Viri Sancti, quos Deus dignaretur multis fauoribus, illuſtrabant Eccleſias, & primitiuum Ciſtercium continuabant. Hemmenrode poſt lubricam iuuentam, imò & ætatem adhuc maturiorem fœdatam repetitis apoſtaſiis, Sacerdos quidam ſenex defunctus eſt, (Salomon illi nomen,) qui peccatoribus veræ pœnitentiæ; pœnitentibus, diuinæ pietatis exemplum fuit. Eius vitam, & mortem, hanc inuidendam, illam verò miſerandam, qui tunc viuebat Cæſarius his verbis narrat [a]: *In Ordine Nigro factus fuerat Monachus, & Sacerdos: in quo tantùm profecerat, vt Prioratus officium adipiſceretur. Sed faciente inuidia Diaboli, & propriâ temeritate, deſertis caſtitatis, & innocentiæ, caſtris, in regionem abiit diſſimilitudinis, pactum facere cum concupiſcentiis ſuis. Aliquando autem pœnitentia ductus Præmonſtratenſis Ordinis Canonicus Regularis effectus eſt; rurſúsque circumuentus à Satana, in priſtinos recidit errores. Deinde ad noſtrum Ordinem ſe contulit, iterúmque factus Apoſtata, voluptatibus frena laxauit,*

a *lib. 11. c. 13.*

laxauit, non erubescens domesticam vxoris cohabitationem. Nouissimè, diebus istis, respectus à Domino, sæculum cum concupiscentiis suis deseruit, veniénsque in Hemmenrodem, ingressum petiuit, & obtinuit. Mox ad arma pœnitentiæ conuolans, confessionibus, assiduis lacrymis, oratione, & ieiuniis, omnibus ferè pœnitendi formam præbuit.

2. *Decurso breui ab ingressu ipsius tempore, ante, scilicet, necdum dimidiato, tactus molestia carnis, lecto decubuit; non tamen ideò indulgentius se habens cœptum viriliter consummabat agonem, modò psallens, modò orans, modò Sanctam Dei Genitricem salutans. Habebat autem quasdam illius salutationes, sine quibus nec vigilans, nec dormiens inueniri poterat; quas ante horam exitus sui collo suo ipse circuligauerat in testimonium fiduciæ, & bonæ spei suæ. Rogabat autem Dominum Abbatem sibi assistere cum paucis Fratribus, quibus sic proloquutus est: Reuerende Pater, & Domini, peccator ego, & pœnitens, testes vos mihi apud Deum esse cupio sinceræ confessionis, & veræ pœnitentiæ: paratus enim sum ad omnem satisfactionem, qualibet tormenta, quoslibet labores, si Deus mihi vitam donauerit. Nihil durum, nihil impossibile amanti, & verè pœnitenti. Sic verè compunctus, & verè pœnitens, benedictiones, & gratiarum actiones adhuc in ore habens Deo felicem reddidit spiritum.*

3. *In eius transitu, cuidam Monacho talis visio reuelata est. Videbat Angelos in Infirmatorio epulis, & gaudiis multis lætantes: medium autem sedere Salomonem tam solennis lætitiæ participem, (dicebatur enim Salomon.) Superuenerunt autem & alij Angeli, secum adducentes sex de Fratribus nostris, qui eo tempore decesserunt: Sacerdotes in albis, luce clariùs fulgentes, qui & dixerunt: His sex dimissa sunt peccata sua: & hunc septimo, digito demonstrantes Salomonem. Interim, pulsante tabula, Frater, qui hæc viderat, euigilauit, & veniens inuenit eum in eodem loco exhalantem spiritum, quo viderat eum participantem conuiuiis Angelorum.* Ita Cæsarius. Quibus non solùm viri pœnitentiam, qui nouissimè ad conuersionem perfectam veniens, & nondum horâ integrâ laborans, diuina pietate æquatus est his, qui dici, & æstus pondus portarunt: sed etiam obiter sanctitatem Domus videas, cui vel cùm senos, & eis amplius viros ad gloriam transmisisset; non tamen adhuc deerant, quibus hæc, & alia diuinæ dignationis mysteria reuelarentur.

4. In Heisterbach florebat etiam Hermanus *Cantor officio*, ait idem, qui suprà, Author [b], *vir bonus, & disciplinatus ante paucos annos defunctus. Ipse plures habuit visiones, ex quibus vnam præsenti loco, exempli causa, inferam. Cùm nuper Monachus factus fuisset in Hemmenrode, alium quendam Monachum, tam in Choro, quàm in Refectorio proximum habebat. Ante huius ora quandoque in Choro infra Psalmodiam amphoras cum vino vidit: amphoras, vt dixi, oculis vigilantibus vidit, vini odorem sensit: sed manus tenentes videre non potuit. In quibus ille cogitando delectabatur: hæc ante eius oculos, opera Diaboli firmabantur. Vidit etiam vrsum, cùm dormitaret, nocte quadam, ante illum erectum stantem, brachia super pectus eius ponentem: cuius os, dormitantis auri coniungebatur. Non multò pòst secundum quod ei suasum fuerat à Diabolo, apostatauit.* Hæc ibi Author: sed alibi de ipso hæc, quæ sequuntur [c]:

5. *Tempore quodam bonæ memoriæ Hermanus Cantor noster stans in Choro, cùm tempore æstiuo laudes die clara decantarentur, & oculos ex lassitudine clausos aperiret, posteriora quasi vsi de Choro exeuntis conspexit; de qua visione, cùm satis miraretur, eundem vrsum vidit redire, & stare ante Presbyterum, in loco, vbi Monachi in viam exeuntes, & redeuntes, solem prosterni: qui, dum caput retorqueret, & huc, illúcque respiceret, in vocem humanam erupit dicens: Non curetis, licèt modò sine firmi, ego egrediar, & iterum post modicum reuertar. Sicque eo intuente, egressus est. Huius visionis Frater Richardus testis est, qui eam, abeuntis ore audiuit. Iste est Hermanus. Qui vidit coram Henrico Ficone amphoras cum vino, & vrsum, sicut dictum est suprà.* Hæc de Hermano, cui & multa alia fuisse reuelata antea tradiderat: quémque in toto Conuentu numerosò, nullum vel leuiter à Dæmone turbatum, non leuiter haud dubiè consolaretur.

6. Per idem tempus, cùm Cistercium arderet, vir planè sanctus, nomine Euerhardus, S. Iacobi Plebanus apud Coloniam, ab Abbatibus Cistercij, charitate operante, dissuasus est, quippe scientibus vitam eius sanctam, suis quibus esse pernecessariam, nec dubitantibus communem vtilitatem, propriis commodis, & Dei gloriam priuatæ anteponendam. Adhæsit tamen anima eius nostris, à quibus solo Habitu, ne gratiæ Dei collatæ sibi deesset, diuidebatur; vt reuerà inter nostros memorari non immeritò debeat, qui nostet affectu, & nisi per nos ipsos stetisset, opere fuit. De hoc hæc inter alia idem Cæsarius [d]: *Quia virtus in infirmitate perficitur, tempore quodam Dominus dilectum suum* (scilicet, Euerhardum) *tam valido dolore capitis (quem etiam Glossa vna, in Apostolo vocat stimulum carnis) tentauit, & afflixit, vt illum viuere taderet: qui cùm minùs orare posset, aut legere, adiit quendam Medicum peritum, rogans sibi propter Christum, contra dolorem tam continuum aliquod dari consilium. Ille magis appetens pecuniam, quàm mercedem diuinam, respondit: Si dederis mihi tres marchas, benè curabo vos. Cui cùm diceret Vir Sanctus: Tres marchas non habeo; dimidiam autem libens impendam, respondit Physicus: Pro tantillo noto laborare. Tunc ille: Si haberem tres marchas, prius darem eas pauperibus, quàm vobis. Infirmitatem meam Deo committo. O iustum Dei iudicium! Hoc cùm dixisset Vir beatus, & recederet, in ipsa hora dolor capitis totaliter eum deseruit, & impium Medicum inuasit.* Hactenus ibi, & pergit perpendere, quàm manifestè, quam Sanctus patiebatur, ad Medicum ægritudo pertranserit.

7. Referam aliud iucundum satis miraculum, quod idem Author narrat paulò inferiùs: *Cùm die quadam Corpus Domini deferret in pyxide ad infirmum communicandum, & deuenisset in stratam arctam, & ingustam, quam ego sapiùs ambulaui, esseque nimis lutosa, atque profunda, obuios habuit asinos frumento oneratos: sacci autem parietem ex parte vna contingebant; ex altera de strata dependebant. Scholaris verò, qui præcedebat cum laterna, magno cum labore, nunc impellens asinos, nunc ab ipsis impulsus pertransiuit. Sacerdos hæc videns, & quod vir senex esset, ac debilis considerans, pallere cœpit, ac fremere, timens ab asinis impelli, & in lati illius profunditatem, cum Sacramento præcipitari. Necesse erat, vt tentatio talis iustum probaret, quantus fides eius claresceret. Cernens humanum deesse auxilium, ab eo, quem portabat, inspiratus, in hæc verba prorupit: Quid est, quod agitis, asini? Nunquid non consideratis, quem gestem in manibus meis? State, descendite: date honorem Creatori vestro: in eius siquidem nomine vobis præcipio. Mira obedientia animalium brutorum! Ad vocem Sacerdotis simul omnes steterunt: simul descenderunt. Accessit miraculum miraculo. Cùm esset descensus laboriosus, non sunt lapsi facti de dorsis asinorum, quorum obedientiam Vir Sanctus admirans, Deúmque glorificans, sine periculo*

b lib. 4. c. 9.

c lib. 5. c. 48.

d lib. 4. c. 98.

periculo ad infirmum peruenit. Hoc factum satis celebre est vsque hodie in ciuitate Colonia. Hactenus ibi. Tales viros ex Familiis sacris prodire, multis commune; venientes,& rogantes non admittere, proximorum obtentu,maioris, & rarioris charitatis indicium est. Hæc de miraculis.

8. Per idem tempus, redacto ad penè extremam paupertatem Monasterio antiquo Sancti Martini de Monte prope Viterbium, Capitulum Generale Cistercij, atque Innocentius Papa zelo inter se Religionis decertarunt: illud, dum penitùs deserere statuit, quod non poterat in obseruantia conseruare: hic, dum Conuentum de nouo illuc adducit; & liberandis oppignoratis fundis, mille libras argenti, augmento dotis Ecclesiam integram donat, ex quorum fructibus ibidem sustentaretur. Constat vtrunque ex eiusdem Papæ litteris expeditis hoc anno, ad Petrum, Fratrésque, qui tunc recèns venissent ex Pontigniaco: quas insigne monumentum zeli Arnaldi, & cæterorum Patrum, qui non Cistercium ex multitudine Ecclesiarum æstimandum censebant; sed ex obseruantia, & rigore vitæ monasticæ, simul & pietatis tanti Pontificis, insertas in aliis Nicolai Papæ IV. atque ab ipso innouatas post annos aliquot, provt ad me, ex ipsis Nicolai Regestis transmissæ sunt, transcribendas putaui. Sic autem habent:

9. *Innocentius Episcopus,Seruus seruorum Dei. Dilectis Filiis Petro Abbati Monasterij Sancti Martini de Monte, eiúsque Fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.*

Licèt Monasterium vestrum pauperculum fuerit ab initio, in tantam tamen pro diuersitate temporis paupertatem deuenit, vt vix in eo tres Monachi remansissent, possessionibus eius omninò distractis, vel grauiter obligatis. Vnde in Generali Cisterciensi Capitulo extitit diffinitum, vt à Cisterciensi Ordine separari deberet, cùm in eo non posset Cisterciensis Ordo seruari. Nos autem, qui Religionem intendimus fouere plantatam, nolentes ab ipso Monasterio Religionem penitùs extirpari, mille libras tribuimus ad possessiones eiusdem Monasterij redimendas. Mandantes dilectis Filiis Abbati, & Fratribus Pontigniacensis Cœnobij, quod per Dei gratiam in spiritualibus, & temporalibus valdè floret, vt Ecclesiam vestram,de nostra concessione, in specialem Filiam adoptantes, Abbatem, & Conuentum ad illam dirigerent reformandam. Quod ipsi grato prosequentes affectu,vos cum quibusdam Conuersis, ad ipsum Monasterium transmiserunt. Verùm,quia nec sic Monasterium ipsum sufficere poterat ad Conuentum sustinendum honestum, Ecclesiam Sancti Saluatoris positam iuxta Orelem cum omnibus possessionibus,& pertinentiis suis vobis,& per vos Monasterio vestro duximus in perpetuum concedendam, impensuri vobis,authore Deo,in aliis necessitatibus vestris auxilium opportunum,cùm laudabiliter vos proficere cognouerimus,provt accepimus,& speramus.

Pergit deinde confirmare locum,& institutum, & 10.
recensitis, quas redimere deberent à creditoribus, possessionibus multis, ex quibus non exiguos prouentus habere possent (quandiu vltra prædia,vineas, & oliueta,atque vltra Ecclesiam Sancti Saluatoris de nouo indultam,aliæ XVIII. numerantur) omnia sub Beati Petri,& sua protectione susciperet:mox priuilegia Cistercio concessa hactenus,illis specialiter,& expressè confirmare: & tandem graui mulcta,& multò grauiori,& pauenda maledictione,indicta transgressoribus, ipse cum Cardinalibus subscribit, numero quatuordecim,*sub datis Romæ apud Sanctum Petrum, per manum Ioannis Sanctæ Mariæ in Cosmedin,Diaconi Cardinalis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarij, Kalendis Februarij, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno M.CC.VI. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno nono.* Hæc Arnaldi, & nostrorum prouidentia, pro obseruantia, quæ vtinam permansisset vsque in hunc diem.Hæc Innocentij in nostros pietas fuit. Quippe illis omninò persuasis,si desint temporalia,vix,aut ne vix spiritualia constitura defecturis ad Conuentus rigorem Monachis,si vnde viuant,non habent;aut,si quærere velint vagaturis: hoc, non ferente extingui antiquam Domum, aut ad alios transire, in qua semel Cistercium floruisset: nec prouidente necessaria tantùm, ex his, quæ aliis prouentura forent, quòd frequens, nec difficile: sed vacuante se ipsum, & propriam insumente pecuniam, quod longè tarum.

---

1. *Arnaldus coacto Concilio apud Cistercium, 2. Litteras primùm Innocentij Papæ legit, 3. admodum eloquentes, 4. quibus & orationes instanter postulat, 5. & Catholica Fides negotium illis commendat. 6. Electi ex omnibus duodecim Abbates. 7. Et quinam illi fuerint. 8. Et Monachi idonei illis adiuncti, 9. Præfixum tempus,& reliqua prouisa. 10. ac demum expedita alia negotia. 11. In Calatraua electio noui Magistri, 12. & duo hoc anno Cœnobia nostris adiuncta, & de alio in Sicilia sub dubio dictum.*

CAPVT VI.

1. INTER hæc Venerabilis Arnaldus,quem à partibus Tolosanis profectum diximus, vt annuo Concilio præesset apud Cistercium; indéque iniuncta oratione per totum Ordinem pro fidei negotiis expediendis: iuxta tenorem apostolici mandati, quod ei præ aliis ad opus commendasset: *Quòd in Ordine vestro multi reperiuntur habentes zelum Dei secundum scientiam, potentes in opere, & sermone,ac parati de ea,quæ in nobis est, fide, & spe, omni petenti reddere rationem*, &c. Iuxta, inquam, tenorem huius mandati deligeret ex vniuerso Cistercio viros, quos secum deduceret, & assumeret in partem sollicitudinis: cùm primùm peracturus vtrunque,Cistercium venit,& se desideratum dilectis filiis, & venerandum exhibuit toti Capitulo: quo ampliùs in proposito suo confirmaretur,atque cæteri promptiùs obedirent, inuenit Litteras Innocentij, Summi Pontificis, plenis inflatas eloquentiæ velis, feruorem cunctis infundentes,& deuotionem, Porrò ipsæ apertæ, lectæque coram omni Capitulo,hæc a *lib.9.epist. Innocen.* sunt inuenta verba continere a:

Vniuersis Abbatibus,in Generali Cisterciensi Capitulo congregatis. 2.

Postquam, vocante Domino,ad officium fuimus piscatoris assumpti, nauiculam nobis creditam duximus supra mare,vt rete nostrum ad capiendos pisces in ver-

bo Domini laxaremus. Verùm hoc mare magnum, & spatiosum, fæuissima tempestatis fragoribus concitatum est, & tantis aduersùs eandem nauiculam cœpit fluctibus insumescere, vt non solùm impedita sit aliquatenus piscationis industria; verùm etiam gubernandi nauiculam, penè defecerit disciplina. Tremunt etenim maris gurgites, & aquarum colles: nec se undis exagitatis extenuant; nec verò alluuionum concursibus se reinflant. Sauit tota pelagi superficies, & quietis impatiens, nec ad nauigandum exhibet se tractabilem, neque habilem ad piscandum. Occultis quoque ventorum spiraculis patefactis ad quassandam nauiculam, quasi coniurata societate à quatuor Mundi partibus multiplices venti prodeunt, & in circuitu eius mutua inter se contrarietate confligunt. Nunc compellitur ipse malus crebris elisus spiritibus procellarum; ac rudentium regimine, crepitu minante fracturam, quasi scinduntur velorum carbasa, & vniuersa ferè torpescunt nautici moderaminis argumenta.

3. *Accedit autem ad huius calamitatis augmentum, quòd cùm in præiacentis aquoris vastitate reptilia, quorum non est numerus, commorentur; ferales bestiæ inter ipsam discurrunt, quæ nisi mutuò sese deuorent, parum putant esse crudele, quod aliorum morsibus non indulgent. Præter hæc insuper, & piratarum insidiæ non obdormiunt, qui diuersis perambulant vias maris, & quos mare, muriſque bellua, rabiésque ventorum incessanter exagitant; ipsi sæuiores iis omnibus, quotidiana persecutione molestant; vt de Charybdi, & Scylla, cæteriſque maris periculis taceamus. Quamuis igitur tot essemus difficultatibus circumplexi; nauiculam tamen ipsam, quibuscunque potuimus gubernare, curauimus argumentis: ac interdum in mari hoc rete piscationis extenso, pisces non modicos conclusimus in eodem: quos cùm ad portum adducere crederemus, eorum aliqui rete ruperunt: & non solùm ipsi protinus in ventrem pelagi sunt relapsi, sed & alios post se compulêre relabi. Laborantes denique reficere rete fractum, aquas, etiam quæ nauiculam intrauerunt, & computruerunt in ipsa, conati sumus eiicere ab eadem: sed ne confusione maris, & fluctuum naufragio, possit eam instans procella demergere, oportet nos ipsam in solo Dei nomine per ancoram fidei stabilire.*

4. *Quæ sint autem hæc, dilectissimi Filij, & sub quorum vobis stylo dicantur, prudentiam vestram credimus non latere, si ad ea subtiliter indaganda discretæ considerationis aurem extendatis. Cùm igitur inter tot, & tanta pericula constituti, vestris indigeamus meritis, & orationibus adiuuari: rogamus, & obsecramus vos per viscera misericordiæ Dei nostri, quatenus nobis in maris altitudine fluctuantibus charitatis vestræ suffragium impendatis; & remis orationum vestrarum piscatorem, & nauiculam subleuantes, illum, qui mari, & ventis imperat, exoretis, vt per suam misericordiam infinitam, super nos illuminans vultum suum, interiorem, & exteriorem tempestatem ferenet; compescat vndique ventos, & mare circunquaque tranquillet: nosque flamine Sancti Spiritus nauigationis nostræ vela pandentes dextera sancta sua dirigat, & conseruet, mittátque nobis Spiritum suum a quatuor ventis cœli, quo gubernatore, quo rectore, impleta demum sagena piscibus scopulos valeamus insidiantium monstrorum effugere, ac inter sæuientia procellarum discrimina merces Dominicas ad portus tutissimos asportare.*

5. *De plenitudine verò gratiæ nostræ securi, ad sanctæ Religionis cultum latiùs propagandum feruentiùs insistatis, & de vinea Domini Sabbaoth vestræ curæ commissa, quæ per ipsius gratiam, à mari, vsque ad mare palmites iam extendit, studeatis eradicare nociua, & vtilia plantare curetis. Vt per bona opinionis odorem, & pia conuersationis fructum, apud Dominum, & homines, proficientes de virtute in virtutem ascendere mereamini. Donec Deorum in Sion videatis. Datum Ferentini VI. Idus Iulij, Pontificatus nostri anno nono.* Hactenus Innocentius ad Capitulum; verbis, quæ haud dubiè commouere potuerunt cunctorum mentes; & succensum aliàs in eorum animis zelum, affectuosæ orationis ventilabris velut admotis, prouocare in flammas, quæ longè, & latè per orbem diuagarentur. Sensit Arnaldus in illorum cordibus ignem, per oculos nunc stillantem, nunc scintillantem; & ex ipsa Pontificis epistola verba vltima sumens, altiùs impressit, quæ ipse seminarat.

6. Tum verò electos ex tota multitudine duodecim Abbates sibi associat, quos præparari iubet ad opus verbi simul, indicíque; velut Inquisitores ordinarios, per quos ipse, atque Petrus, Radulphúsque, penes quos summa, & suprema erat potestas, negotia omnia commodiùs expediret. Adiecit & alios probatæ doctrinæ Monachos, queis alia etiam ministeria inferiora committerentur. De his in Chronico Antisiodorensi, ab Hugone conscripto, siue in illa appendice, qua Chronicon Roberti continuauit, hæc habet verba[h]: *Quocirca de consilio, & mandato Domini Papæ, Cisterciensis Abbas duodecim alios Abbates secum assumpsit, eiusdémque Ordinis Viros probabiles, omnes sapientia, & facundia perinstructos, paratos ad satisfactionem omni petenti rationem de fide: & pro fide etiam animas ponere non verentes.* Hactenus ille. Porrò, quòd ait, assumptos hos Abbates, Monachósque de consilio, & mandato Domini Papæ, ad vtrasque litteras censeo referendum: nempe, ad primas, in quibus causam reddit, cur Arnaldo præ aliis hoc committat; & ad secundas, in quibus rursùs scribens toti Capitulo, vineam Domini commissam eorum curæ, & absolutè tradit; & ad eius fructuosiorem culturam cunctos inuitat.

h ad hunc an.

7. Quinam fuerint duodecim electi, non satis constat, quamuis de aliquibus non liceat dubitare, ea nostrorum incuria in scribendo, cùm in agendo ab aliis censébantur præeminere. Sed & hi, quos martyrium, aut miracula penitùs aboleri non permiserunt, ex suorum Conuentuum, quam ex propriis nominibus notiores. Vt verè, qui ad gloriam Dei omnia, nihil ad propriam laudem intentauerint. Qui ex nomine noscatur, solus Guido Vallium Sarnay, Abbas, & Petri Vallsarnensis, qui scripsit Historiam Albigensium, auunculus, seu Capitulo adesset, siue iam antèa in Prouincia Narbonensi aliquibus negotiis pertractandis demoraretur. Hunc in Episcopum Carcassonensem electum non multò pòst, dicemus in tempore: quin & alia anteriora, eundem Venerabilem Virum concernentia, nec parum commendantia, commemorabimus: ex aliis sunt Bonæ Vallis Rutinensis Abbas, venerandus doctrina, & sanctitate: quo posteà Hæreticis prædicante verbum salutis, Crux visa per miraculum in aëre, catholicam doctrinam confirmauit: nec minùs venerandus Abbas Montis Sanctæ Mariæ, Prophetiæ Spiritu illustris, qui & in hoc ipso Fidei negotio Fuxensi Comiti, quæ ventura erant, prædixit. Elnensis Abbas cæteris felicior, qui nouum munus, dum vixit gloriosè, sed in fine gloriosiùs, quippe vitam martyrio consummauit. Vltimus tandem Abbas de Curia Dei: nam reliqui

qui ignorantur, de quibus singulis in tempore dicemus.

8. Monachorum minor multò notitia subest, nisi quòd vsque ad triginta nominatos, Authores produnt, dubium, an ab Arnaldo, an ab ipsis Abbatibus, quibus fortè commissum, vt quos aptiores ministerio illi inuenirent, & seriò eligerent, & sibi associarent, præfixo tempore. Inter reliquos Petrus Vallsarnensis, qui Historiam scripsit, vt verè omninò dicere potuerit, se nihil scripsisse, nisi quod vidit, aut (quia non vbique præsens esse poterat) hausit ab his, qui viderunt, & audierunt. Potuissent Monachi, si plures fortè fuissent, conferri discipulis, sicut Abbates, cum Arnaldo tertiodecimo, apostolicum Collegium imitabantur. Sed de hoc suo loco. Nunc tantùm, quæ in Capitulo decreta, qualitérque, & quando exequenda sint proposita, ex more nobis veniunt referenda.

9. Tradita omnibus capita errorum credendum est: nam & Patribus euoluendis tempus indultum, ex quorum possent scriptis confutari, & præfixa prima dies Martij sequentis anni, in qua omnes Cistercij conuenirent, inde euangelizatum egressuri. Tum verò Arnaldus ad mandatum Summi Pontificis, oratione iuncta per totum Ordinem, quos associandos sibi destinauerat, duodecim Abbates seriò commouit: nullis se victualibus terrenis, nullis vectionibus, ad id iter agendum præparandos: pedites se, & ostiatim mendicantes, atque relictos diuinæ prouidentiæ prædicaturos verbum, & sibi iniunctum munus executuros: tum ex consilio Venerabilis Episcopi, quem primò Fratrem, mox etiam operis haberent coadiutorem: tum, vt sacrum Collegium apostolicum, sicut numero Abbatum, Magistrique, sic opere, & exemplo repræsentarent. Atque hæc quidem in sequentem annum prouisa, ita omninò exequuta, non solùm in Prouinciis suæ missionis; sed etiam ex quo Cistercium egressi sunt, ipso, quo facta tempore, ex antiquorum scriptis demonstrabimus.

10. Expedita dein alia negotia: sed nullæ leges latæ, quæ fuit Arnaldi temporum felicitas, vt ipsa ex paucitate remediorum paucitas etiam morborum cognosceretur. Addita tamen pro Officio diuino, quædam minuta, *vt in Festo Sancti Barnabæ, si in Sabbatho ante Festum Sanctissimæ Trinitatis euenerit, nihil in secundis Vesperis de eo fiat, nisi tantùm commemoratio.* Et item vt *Collecta de Sancto Spiritu non dicatur in Missa de Trinitate.* Hæc, & alia eiusmodi prouisa manifestè declarant, quanta cura grauioribus incumberent, qui inter grauissimas Ecclesiæ, & Fidei causas sibi commissas, vel his etiam leuioribus vacarent.

11. Quod attinet ad Militias sactas, hoc anno lego quintum Magistrum Militiæ Calatrauæ, in Saluaterra primùm Martinum Martini, qui anno præcedenti ad Regem Aragonum profectus fuerat, illic, viam vniuersæ carnis ingressum esse. In cuius locum Saluaterrenses Milites Rodericum Diacium constituêre, quem ipse etiam Martinus, cùm discederet, sibi quandiu abesset, substituisset. Ita Rades Andradius in suo Chronico [c]: vbi ex cognomine (nam de Angues dicebatur, id est, de Ianguas) coniectatur fuisse ex illustrissimis Camerorum Dominis, ad quos pertinet Ianguas, de quibus nos in Exordiis Sancti Prudentij.

c cap. 15.

12. Cœnobia hoc anno, Chronologia pauca recenset. De Lapedo in Hispania, Sanctum Thomam in Venetia, & Campum Liliorum in Austria, & quidem de Lapedo Binomia Domus, Sellus mons etiam dicta, sub ea nomenclatura antea notata; & à nobis inter filias Carraceti tradita manet. Sanctum Thomam, eundem esse puto, quem de Torsillo suprà memoraui, cuius Abbatem ad partes Vngariæ missum eximiè laudat Gregorius Papa IX. Litteris ad Episcopos Regni datis Viterbij, pridie Idus Ianuarij, Pontificatus ipsius anno nono [d]: *Dilectum Filium Abbatem Sancti Thomæ de Torsillo Cisterciensis Ordinis, virum prouidum, & discretum nobis, ac Fratribus nostris acceptum suæ merito probitatis, ad præmissa prudenter, & celeriter peragenda ad partes vestras duximus destinandum*, &c. Nomen locò ab Insula, in qua iacet, Torcellum dicta: & Venetis subiecta, in quam Episcopalis Sedes Altinensis, olim inter Patauium, & Concordiam translata dicitur: in Tabulis Ecclesiæ Morimundensis S. Thomæ Abbatia, Rò seriarum Filia esse notatur.

d ex Regestis Vatican.

13. Eandem auget lineam Campus Liliorum Germanicè, vt puto, *Lilienfeld*, Filia Sanctæ Crucis, Ducum Austriæ fundatio satis illustris, de qua à Martino Crusio, qui tamen fundationis annum longè postponit, nempe, ad annum M. C C. XXVIII. hæc scripta lego [e]: *Fundauit hic septimus Leopoldus, quartus Dux Austriæ, cognomento Gloriosus, Cœnobium, quod Liliorum Campus appellatur, Monachorum Sancti Bernardi. Vxorem habuit Græcam, Theodoram, Alexij Constantinopolitani Imperatoris consanguineam, è qua genuit tres filios, & quatuor filias*, &c. Meminit eiusdem Monasterij Vvigulæus Hundius [f], atque Vvolfangus Latius [g], aliique; atque Abbati Monasterij Lilienfeldensis, Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Patauiensis, simúlque Abbati Sanctæ Crucis, eiusdem Ordinis, video scripsisse Gregorium Papam IX. non leui illis, nec vulgari causa commissa; Litteris Perusij, quinto Idus Maij, Pontificatus ipsius anno nono [h]. In hoc Cœnobio inter alios Principes iacet Leopoldus Fundator, & vxor eius; item eorum filius Fridericus, cognomento Bellicosus, aliique, qui non parum illustrant Ecclesiæ molem. In Rocho Pyrrho, recenti Authore Siculo [i], inuenio memoratum aliud Cœnobium Panormitanæ Diœcesis, quod sub aduocatione Sancti Nicolai, cognomento de Gurguru, à Græcis olim conditum, fortè sub institutionibus Sancti Basilij, decursu temporis nostris datum est, sed non in eo diutiùs permansuris: quippe aggregando Ecclesiæ Cathedrali Panormitanæ, illud hoc anno, cùm penuria laboraret, auctum à Friderico Siciliæ Rege, memoriæ prodit, instrumento producto, quod facilè apud ipsum videri potest. Quippe hæc ignota nobis notare libet: sed his, qui nouerint intacta relicturis. Quid, si hoc Monasterium illud fuit, in quod ad petitionem Rogerij, Bernardus Parens primos ex Claravalle misit Cistercij Monachos. Neque enim vllum aliud ex notis esse, primo, ni fallar, Tomo, demonstrauimus.

e lib. 1. part. 3

f in Metropol. Salisburg.

g de gentium migrationi. lib. 7.

h ex Regestis Greg. in Vat.

i in notitiis Ecclesiæ Panormitanæ.

1. Egressi Arnaldus, & duodecim Abbates de Cistercio, 2. Montem Regalem intrant: 3. atque ex hoc emendati multi Authores. 4. Sacra Dominicana Familiæ exemplar præuium: 5. & iurisdictio Arnaldi subdelegata. 6. Oxomensis Episcopi discessus, 7. eiusdémque, ac Fulconis disputatio, 8. conuictis Hæreticis. 9. Radulphi, & Didaci Oxomensis obitus, 10. atque huius aliæ notitiæ, & sepultura. 11. Demum qui fuerint Authores Sancto Dominico Prædicatoriam Familiam instituendi.

CAPVT I.

1. INTRABAT annus salutis de Cœlo missæ millesimus ducentesimus septimus à condito Cistercio ex. & Abbates ab Arnaldo designati, perpensis, quos confutandos acceperant, erroribus: atque euolutis in eorum oppugnationem voluminibus sacris, sed multò magis ipso libro vitæ, qui est Christus Iesus, à quo se accepturos sperabant, quæcunque dicerent; Cistercio alacres, & spiritu feruentes appropinquabant. Accessêre & Monachi vsque ad triginta, qui omnes, cùm Cistercij conuenissent, suscepta priùs in Ecclesia benedictione, intrante mense Martio profecti sunt, formam per omnia reddentes apostolicam. Porrò huius eorum egressum à Cistercio Hugo Altisiodorensis memoriæ prodidit in Appendice ad Robertum ita scribens [a]: *Egressi igitur de Cistercio mense Martio, numero circiter XXX. per Auarim labuntur in Rhodanum, modicis expensis, equitaturis nullis, vt per omnia viros euangelicos se probarent.* Hæc tantùm ille, multa paucis complectens. Sed, quibus videas à Cistercio egressos pedites; vt in Tolosa Hæreticos ad Fidem: sic in Burgundia Catholicos ad zelum, vindictámque, vel ipso venerandæ humilitatis admirando spectaculo, atque apostolici repræsentatione Collegij prouocaturos.

[a] ad hunc ann.

2. Verùm de aduentu eorundem ad Collegas, Episcopúmque, qui adhuc in Monte Regali demorabantur, Vallisarnensem, qui iam cum eis veniebat, loquentem in medium proferamus [b]: *Celebrata*, ait, *disputatione prænotata in Monte Regali, dum adhuc essent Prædicatores nostri apud Montem Regalem, & circunquaque verbum Dei, & salutis monita seminantes, mendicarent ostiatim panem suum; superuenit Vir Venerabilis Abbas Cistercij, Arnaldus nomine, a partibus Francie, Abbates duodecim habens secum, qui totius Viri Religionis, viri perfecta, & sancta scientie, viri incomparabilis sanctitatis, iuxta numerum sanctissimum Apostolorum cum Abbate decimotertio, duodecim aduenerunt; parati de eo, quæ in ipsis erat, fide, & spe, omni disputanti reddere rationem: & hi omnes cum pluribus Monachis, quos secum adduxerant, omnem sectantes humilitatem, iuxta exemplar, quod eis ostensum erat in Monte, id est, quod audierant de Episcopo Oxomensi, pedites procedebant. Statim ab Abbate Cisterciensi longè, latèque singuli dispersi, & assignati sunt vnicuique termini proprij, per quos discurrendo, prædicationi insisterent, disputationibus insudarent.* Hactenus ille. Porrò diuisos eos per Prouincias, & loca, quò plurium subueniret necessitati, idem qui suprà Hugo etiam perpendit, dum ita ait [c]: *Ingressi denique, quò tendebant, bini, vel terni ad inuicem diuisi; partes illas perambulant; & hostes Fidei, sancta doctrinæ speculis*

[b] Vallisarnensis. [c] ad hunc ann.

appetentes, vix in multis millibus paucos inueniunt recta Fidei Professores.

3. Hinc planè videas, (iam & hoc obiter tangam,) neque vnquam duodecim Abbates reprehensos à Didaco Oxomensi, quasi cum fastu, & pompa procedentes, minùs rectè ambularent ad veritatem; neque ipsum nostris tunc primùm se adiunxisse; neque tertiumdecimum additum Abbatibus, quem numerum Arnaldus antè complexus; nos demum, quanuis ob Viri sanctitatem, authoritatémque, omnes illi deferrent; ipsum in ea missione Ducem verbi, aut penes quem maneret summa potestas: sed vnum, & præcipuum inter eos, quos sibi Arnaldus elegisset coadiutores: quippe cùm primùm duodecim Abbates adesse vidit, quasi se minùs necessarium reputaret, reuersus ad propria, solùm ibidem Dominicum reliquit, vt statim nobis veniet referendum. Quæ omnia, quia ab aliquibus etiam ex antiquis, sed non coæuis, ex ignorantia Historiæ dicta sunt, quanuis nostris omninò nihil interest, quippe inter quos numeratur & ipse Didacus, operæpretium duxi, si notauissem.

4. Videas secundò, Illustrissimæ Dominicanæ Familiæ, iam tunc exemplar propositum à nostris, quod Sanctus Pater postmodum, ingenti vsu Ecclesiæ imitaretur, mendicitatem in Viris Religiosis inde primò edoctus, cui foret onus verbi, prædicationem, nimirum, subiuncturus: vt inde in magno Chronico Belgico Ordo Prædicatorum incepisse dicatur hoc ipso anno, quasi qui in eo à nostris inuentus primùm velut ipso exercitio; inde à Summo Parente continuatus, transeunte exercitio in professionem. [d] *Innocentij*, inquit, *Papæ tempore, scilicet, anno Domini M. CC. VII. occasione prædicationis, quam fecerunt Abbates Cisterciensis Ordinis, contra sectam Albigensium, cœpit nouus Ordo Fratrum Prædicatorum per duos honestos Viros, Fratrem Dominicum Hispanum, & Fratrem Raymaldum Aurelianensem, Sancti Auiani Canonicum.* Atque hæc sanè non ideò diximus, vt Illustrissimæ Familiæ decrescat laus, quæ velut Sol in Ecclesiæ cœlo refulgens, non vllum pati potest defectum lucis: sed, vt nostris eam gloriam conciliemus, quæ in eo ministerio Solem illum, vt rutilans aurora præire potuit. Sed redeo ad Historiam.

[d] ...

5. Communicato cum omnibus consilio, & destinatis singulis Abbatibus per singulas illius Prouinciæ partes infectas hæresi, inter quos etiam destinatus Beatus Dominicus, cum Monachis, & aliis, quos Arnaldus idoneos reputasset: ipse cum Petro, & Radulpho maiora retinens, minora alia eisdem subdelegauit. Hinc omnes illi Prouinciam peragrantes, officium exercebant Inquisitorum, compescentes rebelles per censuras, & à censuris absoluentes

absoluentes eos, qui resipiscerent; imposita pœnitentia salutari iuxta modum delicti, quod à Beato Patriarcha non semel factum, comprobant instrumenta, quæ Ferdinandus Castillus [c], aliique eius Familiæ Authores prodidère. Palam est formula absolutionis per ipsum dari solita, quam etiam Ludouicus de Paramo adducit in suo illo Opere de origine, & progressu Inquisitionis [f]: *Vniuersis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis Frater Dominicus, Oxomensis Canonicus, Prædicator minimus, Salutem in Christo. Authoritate Domini Abbatis Cisterciensis, Apostolicæ Sedis Legati, qui hoc nobis iniunxit Officium, reconciliauimus præsentium latorem*, &c. *Hæc omnia diligenter obseruet, donec aliàs super his Dominus Legatus suam nobis exprimat voluntatem*, &c. Ita Sanctus. Quam etiam formulam, præter Petrum, Radulphúmque, cæteros alios seruasse, non est dubium.

6. His ita dispositis, Oxomensis Episcopus, cùm se iam minùs ibidem necessarium, ab aduentu Abbatum non dubitaret, & aliàs apostolicos Viros mendicantes, medios inter Hæreticos, multis videret incommodis grauandos, *Voluit*, ait Petrus Vallsarnensis [g], *Episcopus Oxomensis, ad suum redire Episcopatum, vt & Domui suæ disponeret, & Prædicatoribus verbi Dei in Narbonensi Prouincia de suis prouentibus necessaria prouideret.* Discessit itaque Beatissimus Episcopus septimo fermè mense, ex quo aduenerat: quo toto tempore abfuisse Arnaldus legitur; nempe, ab Augusto præcedentis anni plùs, minúsve, quo ad Cistercium rediit, Capitulum in Septembri celebraturus, vsque ad Martium præsentis, quo stipatus Abbatibus, & Monachis, Hæreticis se denuò præsentauit. His septem mensibus cum Radulpho integris, cum Petro magna ex parte exactis, altè imbutus Cistercium remeauit, ad propria iterum, si daretur, reuersurus.

7. Discedenti Tolosanus Fulco occurrit, apud Apamias, & cum eo Nauarrus Consoranensis, & aliqui ex Abbatibus, benedictionem illius suscepturi. Erat ibidem Hæreticorum post Comitem Tolosanum, secundus fautor, Comes, nimirum, Fuxi: sed, qui vel metu, vel pudore hominum, perfidiam suam, indagandæ veritatis paulò honestiori velamento obtegens, sub his initiis fraudulenter dissimulabat. Indicta nostris disputatio cum Vvaldensibus; nam hi ibidem vigebant; & designatus ab eis, vtrisque Iudex Comes, quo se neutralem, & solam veritatem ardentem profiteretur. Interesse certamini, quod foret in ipsius aula ineundum; atque vtrosque excipere conuiuio diebus singulis, callidè cogitauit, Hæreticis fauendis sua præsentia. *Celebranda autem disputatione prædicta*, (ait Vallsarnensis [h],) *in Palatio ipsius Comitis, idem Comes Vvaldenses die vno, Prædicatores nostros die altero procurauit.* Itaque Hæreticis, & Iudex, & Patronus; nostris veritas sola auxiliabatur. Sed nihilominùs vicisse veritatem, nostrósque, idem, qui suprà, Petrus his verbis tradit [i]:

8. *Dum autem recederet*, scilicet, Episcopus Oxomensis, *tendens ad Hispaniam, venit apud Apamias in territorio Tolosano: & conuenerunt ad eum Fulco Tolosanus, & Nauarrus Consoranensis Episcopi, & plurimi Abbates. Habita ibi disputatione cum Vvaldensibus, planè conuicti sunt Vvaldenses, & confusi; & populus Castri, præcipuè pauperes, ex parte maxima fuit nostris: ille etiam, qui constitutus erat Iudex in disputatione, & erat fauens Vvaldensibus, magnúsque in Castro illo, renunciauit prauitati hæreticæ, & in manu Domini Oxomensis obtulit se, & sua: die etiam illa, & deinceps, sectatores superstitionis hæreticæ viriliter impugnauit.* Hic fuit euentus illius disputationis, quantumuis Comes, quantumuis eius vxor, quæ Vvaldensibus, atque duæ sorores, quarum his vna, alia insolentioribus, manifestè faucbant, aduersarentur.

9. Inter hæc verò duodecim Abbates, & cæteri, qui eos comitabantur, respondentes egregiè, suscepto muneri, circuibant regiones, & verbum Dei vsquequaque disseminabant [k]. *Cæperunt* (ait Vincentius Belluacensis) *singuli euangelicam paupertatem amplecti, pedites discurrere, ac strenuè fidem Christi verbo, & opere prædicare.* Et Petrus Vallsarnensis [l]: *Discurrentes igitur Prædicatores sancti, & contra Hæreticos frequenter disputantes, eosdem disputando manifestissimè conuincebant.* Et procedebat quidem Euangelium, si non peccatis nostris exigentibus, præcipui Verbi, & muneris Ministri, breui admodum interuallo sublati essent. Nam Radulphus, atque Oxomensis Episcopus hoc anno, per mortem naturalem, cùm hic secundus ad ptopria peruenisset, & iam prædicatum redire paratus esset, sequenti Beatus Petrus de Castro Nouo per Martyrium subtracti: & nisi Arnaldus Abbas remansisset, orphani omnes, & prorsus destituti relicti essent. Duorum, qui hoc anno interière, Petrus Vallsarnensis mortem his verbis narrat [m]: *Post hæc Episcopus Oxomensis ad suum perrexit Episcopatum, firmum habens propositum redeundi, quam citius posset, ad peragendum negotium fidei in Prouincia Narbonensi. Peractis verò in Episcopatu paucis diebus, dum redire disponeret, morte præuentus, in senectute sua feliciter obdormiuit. Priùs autem quàm ipse decederet, decesserat suprà memoratus Frater Radulphus, vir bonæ memoriæ, in quadam Abbatia Ordinis Cisterciensis, prope Sanctum Ægidium, quæ dicitur Francha Valli.* Hæc Vallsarnensis: nec quenquam alium de Radulpho loquentem hactenus legi, præter Innocentium adducendum à nobis sequenti capite.

10. De Didaco Oxomensi alij scribunt. Theodoticus de Apoldia duo addit, quæ non sunt nobis silentio prætereunda: alterum, paupertatem euangelicam, quam semel consuluisset, atque ipse etiam toto illo septimestri sectarus esset, nequaquam dimisisse vsque ad mortem; vnde & pedester in Hispaniam reuersus dicitur: alterum, quòd post mortem claruit miraculis, per quæ Deus illustrare vel in hoc Mundo voluit ipsius merita. *Vale dicens* (inquit [n]) *deinde omnibus, multo labore pedibus suis iter agens, tandem Oxomam peruenit; vbi correptus morbo, iactura vitæ temporariæ, aditum inuenit in vitam sempiternam, fruiturus deinceps gloria cœlesti: claruitque post obitum miraculis, qui in vita sua insignis fuerat operibus sanctis, & virtutibus multis.* Visitur hodiéque sepulcrum eius in Ecclesiæ Oxomensis Capella Christo sacrata, titulo pro modestia viri posito, quem vel post mortem voluit conseruare. *Hic iacet Didacus de Azebes, Episcopus Oxomensis. Obiit Æra millesima ducentesima quadragesimaquinta.* Memoratur inter Viros sanctitate illustres Cistercienses Familiæ in Menologio [o]; & ab Auberto Miræo in originibus [p], ab Hugone Menardo [q], aliisque, quos consulere Lector, si velit, potest. Facit & multum ad ipsius gloriam,

[c] ....
[f] *lib. 2. c. 2.*
[g] ....
[h] ....
[i] ....
[k] *lib. 2. 9. cap. 92.*
[l] *cap. 6.*
[m] *vbi suprà.*
[n] *in Vita S. Dominici.*
[o] *Februarij*
[p] ....
[q] ....

quòd successorem habuit Rodericum Ximenium,illustre illud decus currentis æui,quod iam iam tunc in Pastorem sibi dandum Toletana Ecclesia præstolabatur. Radulphum cur omiserit Henriquez,in dubio est; cùm multos alios adscribat Menologio minori titulo.

II. Demum, & plurimùm ad gloriam illius facit id, quod Thomas Maluenda ex Stephano Salanacho scriptum habet. Eundem simul cum Fulcone Tolosano Authores fuisse Beato Patri Dominico Sacram Prædicatorum Familiam instituendi: *Nomen istud*, ait [r], *Prædicatorum à multis fuerit desideratum: nam tractauerant sæpiùs magni viri, vtpote Episcopus Oxomensis, Didacus, & Fulco Episcopus Tolosanus, & alij, vt aliquis Ordo institueretur, cuius officium esset contra Hæreticos disputare.* Ita Stephanus, & ex ipso Thomas Maluenda [s]: vt non solius Didaci Oxomensis, sed totius Cistercij gloriæ,ex quo etiam Fulco, dandum sit, ab ipso prodiisse tale consilium. Et Fulco quidem non consilio tantùm; sed opere, & auxilio promouit, vt pòst videbimus.

r ....

s ....

---

1. *Radulphi morte, interrupta Legatia* 2. *super connubio Regis Aragonum.* 3. *Arnaldus ad negotia alia vocatus Guidonem Vallsernensem pro se substituit.* 4. *Petrus de Castro Nouo in Comitem Tolosanum, eximiè constans.* 5. *Diuina ira placata Mariæ precibus.* 6. *Nostrorum pro maiori parte discessus:* 7. *& qui relicti.* 8. *Ingens miraculum in comprobationem veræ fidei.*

CAPVT II.

1. INTERRVPIT interèa Radulphi mors nouam aliam,& grauem Legationem,quæ ipsi simul,& Petro iuncta fuerat. (Adeò nihil arduum in Orbe se offerebat,quod non vtriusque curæ,quasi non alios Innocentius haberet,committeretur.) Occasionem Hieronymi Zoritæ verbis prosequar,rerum Aragonensium Scriptoris accuratissimi: nanque ad Petrum Regem Aragonum dirigebatur: Legatiam verò inceptam ab eisdem, sed interruptam morte, Literis Innocentij, cùm in eodem negotio vltrà procederet, Porrò de occasione ita Zorita [a]: *Interim illa calamitas accidit apud Regem Reipublica, vt Reginam eximia sanctitate fœminam connubio euertere niteretur; exegitque. In causa matrimonij, quæ diutiùs agitata fuit, hæc Regem intendisse comperio: Hugone Tarrogia, Regis consanguineo, apud Pontificem connubium conuellente, matrimonium Regi suspectum esse, quòd Regina maritum aliumhaberet superstitem, Comitem Conuenarum, cui in facie Ecclesiæ copulata fuerat. Ad hæc Regem se alteri fœminæ commiscuisse, quæ Reginam consanguinitatis linea contingeret. Neque Regina abnuit, patre viuente, ac procurante, cum Conuenarum Comite contraxisse; sed id matrimonium mariteli fudere fuisse irritum, quòd Comes sibi esset consanguinitate pariter, & affinitate coniunctus: & cùm id matrimonium contraxerat, duas haberet vxores G. filiam A. Barcæ, & Comitis Bigerronum filiam: qua Regina consanguinitate adiuncta erat.*

a in Indice ad ann. 1213.

2. Hæc grauissima causa iudicanda simul cum Episcopo Pampilonensi, Petro item,& Radulpho commissa fuit; & contestata per procuratores in ea lis, dubium sub finem anni præcedentis, an sub huius initium. Constat, Pontificem Innocentium III. cùm iam tertiò eadem causa committeretur,scribentem ad Regem,inter alia, in hæc verba prorupisse [b]; *Cùm super hoc, conscientia,ac saluti tuæ consuls postularet, causam bonæ memoriæ Pampilonensi Episcopo, & P. de Castro Nouo, & Fratri Radulpho, Monachis Fontis Frigidi, qui duo tunc erant apostolicæ Sedis Legati, meminimus commisisse: coram quibus,cùm lis fuisset, super duobus præfatis articulis, per partium Procuratores legitimè contestata, nobili viro Hugoni de Turre rubea consanguineo tuo, tunc matrimonium, vt dicitur,accusante; Legatis eisdem interim ab hac luce subtractis,& Pampilonensi Episcopo pro suis,& Ecclesiæ suæ negotiis, apud Sedem apostolicam occupato, causam ipsam Venerabilibus Fratribus nostris Narbonensi Archiepiscopo,tunc Cisterciensi Abbati, ac Vticensi apostolicæ Sedis Legatis, & Reginensi,tunc temporis officio legationis fungenti Episcopis duximus committendam, sub ea forma, qua præfato Pampilonensi, & suis Coniudicibus fuerat antè commissa; nullo in posterioribus litteris addito, vel immutato.* Hactenus Innocentius ad Petrum Regem: & quidem de Arnaldo infrà dicemus. Neque enim ei,nisi post mortem vtriusque, & Radulphi,& Petri, negotium iudicandum commissum fuit. De Petro,atque Radulpho hoc qualecumque, quod interruptum morte,nequaquam duximus silentio prætereundum.

b apud eundem Zoritam.

3. Radulpho in oculis nostrorum Prædicatorum,& Didaco Oxomensi,in Hispania vita functis: noua afflictio superuenit,Arnaldi absentia,quem grauissima quædam negotia,nec per quem alium expedienda inde traxerunt. Hinc omnis cura penes Petrum de Castro Nouo,cui,ne solus vniuersum pondus portaret, additus Guido Abbas Vallsarnensis, quem pro se Arnaldus censuit substituendum. De his ipsius nepos Petrus, hæc habet verba [c]: *Subtractis igitur his duobus Luminaribus, Episcopo, videlicet, Oxomensi,& F. Radulpho, Venerabilis Guido Abbas Vallium Sarnay in Diœcesi Parisiensi,* (Cisterciensis Ordinis,) *qui cum aliis Abbatibus causa prædicationis, in Narbonensem Prouinciam venerat, vir nobilis genere; sed scientia longè nobilior,& virtute; qui etiam postea Episcopus factus est Carcassonæ, prior inter Prædicatores constitutus est, & Magister; Abbas siquidem Cisterciensis ad alias partes se transtulit, quibusdam magnis negotiis tunc temporis impeditus.* c cap. 6.

4. Inter hæc Petrus,qua constantia,zelóque pollebat pro fide, Raymundum Tolosanum Comitem,cùm pacis, anno proximo iuratæ, refractarium, atque Hæreticorum fautorem iam non occultum,sed manifestum,& palam experiretur; increpare,arguere,& nunc suasionibus,promissionibúsque, nunc comminationibus,& ostensione clauium, in quantum poterat,ad fidem reuocabat,& multoties conuictum eò adegit,vt se promitteret stare præceptis Sancti. *Verùm,qui fidem,* ait Petrus [d] Vallsarnensis) *negauerat, & erat infideli deterior, nunquam deferens iuramento, iurauit pluries,pluries peierauit. Quem vir Sanctissimus Frater Petrus,magna animi virtute corripuit,tyrannum intrepidus aggrediens, eique in facie resistens, quia reprehensibilis, imò damnabilis erat valdè. Confundebatque*

d Hist. Albig. c. 3.

bátque cum vir magnæ constantiæ, vir conscientiæ illibatæ, adeò vt exprobaret ei, quòd erat per omnia periurus: & verè sic erat. Hæc Petrus de Petro. Quem tandem, subdit, cùm nullis aliis mediis profeciſſet, exerto gladio eccleſiaſticæ cenſuræ, rebellem Comitem excommunicaſſe: vt nulla exinde tergiuerſatione ab omnibus hoſtis fidei, & pacis vitandus eſſet.

5. Hic ſtatus rerum in ea Prouincia fuit, cum abſente Arnaldo, mortuo Radulpho, & in Petrum furente Raymundo Comite; inſolentiores, audaciorésque Hæretici, & noſtris deſtitutis omni fauore, ſpes fructus exigua, & frequentia pericula imminebant. Interceſſioni Virginis delatum, quòd non cauſam omninò deſeruerint: id, quod miraculo ſatis ſtupendo, per hominem à mortuis ſuſcitatum voluit Deus vniuerſis manifeſtare. Referam Theodorici verbis euentum pro meo more [e]: *Eo tempore, quo duodecim Abbates Ciſtercienſis Ordinis, ad prædicandum contra Hæreticos Albigenſes à Pontifice Innocentio III. miſſi ſunt, quidam a morte reuocatus ad vitam, cùm vnus ex illis Abbatibus interrogaret, quidnam vidiſſet, reſpondit: Vidi Dominam noſtram Virginem Mariam, tribus dicbus continuis, flexis genibus coram Filio pro populo deprecantem. Cui Filius beneficia, quæ Mundo ipſe contuliſſet, & maleficia, quæ Mundus ipſi reddidiſſet, commemorans ait: Ecquid porrò facere poſſim tam ingrato? Tum Virgo Mater, Bone, inquit, Fili, non pro illorum malitia; ſed pro manſuetudine tua ages. Victus tandem Matris precibus Filius, Vt vis, inquit, ita faciam adhuc clementer cum eis. Mittam eis Prædicatores, qui eos ad agendam pœnitentiam hortentur, & ſi quidem receſſerint à ſceleribus ſuis, eorum nulla apud me erit recordatio. Sin minùs non parcam eis.* Hactenus ibi. Beatus Humbertus in Vitis Prædicatorum, paulò aliter hanc viſionem narrat [f]; & factam Monacho non mortuo, ſed in ecſtaſim rapto per tres dies, teſtificatur.

e *in vita S. Dominici, c. 11.*

f *lib. 2. c. 1.*

6. Qua occaſione, aut à quo patratum miraculum, vt ſemel mortuus ad vitam reuocaretur, nec Theodoricus tradit, neque alibi potui inuenire. Quod attinet ad Prædicatores, compertum eſt, & noſtros omnes illic perſeueraſſe per tempus aliquod, & ſaltem aliquos nunquam defuiſſe, quod ipſa Hiſtoriæ ſeries demonſtrabit: & tandem ſociis adiunctis Sancto Dominico, Prædicatorum inſtitutum Ordinem, quibus id munus ex propria, & peculiari vocatione æternùm exercendum committeretur. Prædicaſſe vſque ad menſem Auguſtum duodecim Abbates, quo inſtante Capitulo, iterum ad Ciſtercium reuocabantur, Hugo Altiſiodorenſis ſcriptum reliquit his planè verbis [g]: *Per tres itaque menſes, vrbibus, villis, & oppidis multo labore peragratis, multiſque periculis, & inſidiis appetiti, paucos reuocant, paucos fideles reperiunt, de fide certius inſtruunt, & confirmant.* Petrus Vallſarnienſis, non tres menſes, ſed multum tempus tradit perſeueraſſe [h]: *Poſt multum*, inquit, *temporis, cùm parum in diſputando, & prædicando proficere potuiſſent*, (ſcilicet, propter prædictas cauſas,) *ad partes Galliæ ſunt reuerſi.*

g *in Appendice.*

h *cap. 6.*

7. Abbatibus pro maiori parte redeuntibus ad propria, aſſumtis Capitulo, quidam ex illis ſemper permanſêre: præcipuè Guido, cui ſuas vices Arnaldus ſubdelegaſſet; quique continuis, tum diſputationibus, tum ſacris Concionibus, confundebat Hæreticos, & Catholicos in fide confirmabat. De hoc idem, qui ſuprà, Petrus Vallium Sarnay, ipſius nepos [i]: *Nec prætereundum eſt, quòd cùm dictus Abbas Vallium Sarnay cum ſupradicto Theodorico, & quodam alio Hæreſiarcha maximo, Bernardo, ſcilicet, de Cimorra, qui in Carcaſſonenſi Diœceſi præcipuus habebatur, diſputaret pluries, & eos ſæpius conuicciſſet: quodam die, cùm ſæpè dictus Theodoricus, nihil aliud potuiſſet reſpondere, dixit Abbati: Diu me detinuit meretrix, ſed de cætero non tenebit. Hoc dicens, dicebat Romanam Eccleſiam meretricem.* Plures noſtrorum diſputationes cum Hæreticis, caſus, miracula, aliáque, quæ per tres, ſiue quatuor continuos annos contigiſſe noſcuntur, ſub Arnaldo Abbate; cui poſt Petrum Martyrio coronatum, vnicè iniunctum erat negotium fidei, ſuis ſingula annis dicenda erunt.

i *cap. 6.*

8. Scio Guillelmum Katell, in ea quam texuit Hiſtoria, ſermone Gallico, Toloſanorum Comitum, aſſerere [k], Abbates Ciſtercienſes perſeueraſſe in officio ſibi iniuncto per plures annos: quòd ſi de omnibus intelligendum velit, à vero diſcrepat: ſi de aliquibus tantùm, omninò certum. Sanè præter Guidonem, de quo ſuprà, Abbates Bonæ vallis Rutinenſis, & Montis Sanctæ Mariæ, alterum Prophetiæ dono illuſtrem, alterius approbante doctrinam cœleſti ſigno, diu inſtitiſſe prædicationi verbi, ipſa dicendorum ſeries edocebit. Sic Ludouicus de Paramo duodecim Abbates, poſt Beatum Petrum Martyrio coronatum, veniſſe refert [l], cuius tamen contrarium ex Authoribus coætuis, atque ipſo Hiſtoriæ diſcurſu & hactenus conſiſtit, & infrà etiam conſtabit. Interim, ne qui propria reuelamus, occultemus aliena; imò, ne aliena vllatenus putemus, quæ Sanctiſſimus Patriarcha Dominicus ſub noſtrorum conſortio, patrauit miracula, ingens illud de ſchedula Catholicæ doctrinæ igni iniecta, neque tamen combuſta, quo tempore contigit, verbis eiuſdem Petri referamus [m]: *Contigit*, ait, *tempore illo quoddam miraculum fieri, quod in hoc loco, dignum duximus interſciendum. Diſputauerant quadam die, quidam Prædicatores noſtri, viri Religioſi aduerſùs Hæreticos: vnus autem de noſtris, Dominicus nomine, vir totius ſanctitatis, qui ſocius fuerat Epiſcopi Oxomenſis, authoritates, quas in medium produxerat, redegit in ſcriptum, & cuidam Hæretico tradidit ſchedulam illam, vt ſuprà obiectis deliberaret. Nocte igitur illa erant Hæretici congregati in vna domo, ſedentes ad ignem. Ille autem, cui vir Dei tradiderat ſchedulam, produxit eam in medium. Tunc dixerunt ſocij ſui, vt in medium ignem illam proiiceret, & ſi ſchedula illa combureretur, vera eſſet fides, imò perfidia Hæreticorum: ſi verò incombuſta maneret, fidem, quam prædicabant noſtri, veram eſſe faterentur. Quid plura? In hoc conſentiunt omnes: ſchedula in ignem proiicitur: ſed cùm in medio igne aliquantulùm moram feciſſet, incombuſta penitus ab igne reſiliit. Stupentibus, qui aderant, vnus cæteris durior ait illis: Proiiciatur in ignem iterum: ex tunc experiemini plenius veritatem. Proiicitur iterum, iterum reſiliit incombuſta. Quod videns ille durus, & tardus ad credendum dixit: Iterum trina vice proiiciatur, & tunc ſine dubio rei exitum cognoſcemus. Proiicitur tertiò: nec tunc quidem comburitur; ſed integra ab igne reſiliit, & illæſa. Hæretici autem, viſis tot ſignis, ne tunc ad Fidem voluerunt conuerti; ſed in ſua manentes malitia, diſtrictiſſimè ſibi inimicum inhibuerunt, ne miraculum iſtud per narrationem alicuius, ad noſtrorum notitiam perueniret. Sed miles quidam, qui erat cum illis, qui aliquantulùm conſentiebat fidei noſtræ, noluit celare, quod viderat: ſed pluribus enarrauit. Factum eſt autem hoc apud Montem Regalem, ſicut ab ore viri religioſiſſimi audiui, qui ſchedulam Hæretico tradidit ſuperſcriptam.* Hactenus ingens miraculum patratum à Beato Dominico, cùm vrgeret Hæreticos, ex Arnaldi Ciſtercienſis Abbatis delegatione.

k *fol. mihi 223.*

l *lib. 2. cit. 1. c. 1.*

m ...

1. In Anglia sæua in nostros persecutio, 2. occasione electionis Cantuariensis: 3. qua in discordia, ad instantiam Innocentij promotus Stephanus, 4. furente Rege, atque in omnes Ecclesiasticos, 5. sed præcipuè in nostros debacchante: 6. interim Stephano exulante Pontigniaci. 7. Floriaci eleuata Reliquia Sancti Patris Benedicti per Sanctum Guillelmum: 8. atque eius Littera de hac eleuatione. 9. Vuillelmi Melrosensis Abbatis obitus, 10. atque inuentio corporis B. Vvallent incorrupti post multos annos. 11. Eiusdem cum Sancto Cuthberto comparatio.

CAPVT III.

1. INTEREA in Anglia glorioſa noſtris calamitas, quia pro Eccleſiæ obedientia; atque ingens Pontigniaco ornamentum ex Stephano Languetonio præparabatur; illic acturo exilium per plures annos, cùm in Archiepiſcopum Cantuarienſem, Ioanne Rege obnitente, promotus eſſet. Haud aliter ante ipſum D. Thomas, neque minùs poſt ipſum Sanctus Edmundus, vt inde felix Domus, exulum Archiepiſcoporum Cantuarienſium aſylum acclamaretur. Rationem temporis priùs ex Vincentio Belluacenſi: exinde Hiſtoriam ex Anglicis Scriptoribus, ſed præcipuè ex Arsfeldio, qui antiquos collegit, & tranſcripſit, fideliter ex more proferemus [a]: *Anno M. CC. VII.* (ait) *Magiſter Ranuer, Subprior Cantuarienſis, in Archiepiſcopum electus, vadit Romam: ſed Rege volente alium introducere, Papa in Archiepiſcopum conſecrat Magiſtrum Stephanum de Languetonio, Sancti Chryſogoni Preſbyterum Cardinalem. Regem autem excommunicat, propter Monachorum eliminationem, ac rerum eccleſiaſticarum confiſcationem, & interdicto ſubiicit Angliam.* Hæc adnotando anno, quem minùs clarè ponunt Authores Anglici. Aliàs rem totam à Vincentio confuſè poſitam, ex ipſis Nicolaus Arnfeldius diſtinctè tradit [b]:

[a] lib. 29. cap. 100.

[b] ſæculo 13. cap. 5.

2. *Poſt obitum* (inquit) *Humberti* (noſtri, nimirum, Balduini ſucceſſoris) *magna fuit de ſubrogando Archiepiſcopo inter Monachos Cantuarienſes diſſenſio. Qui primùm Reginaldum Cœnobij ſui, vt appellant, Subpriorem; Ioannem deinde Nordouicenſem Epiſcopum, cuius cauſam ſeriò apud eos Rex Ioannes promouebat Huberto ſubſtituêre. Reginaldus, cum quibuſdam Monachis profectus eſt ad Summum Pontificem. Apud quem magnis res altercationibus agitata eſt: cùm alij ex Monachis in Reginaldum, alij in Ioannem propenderent. Innocentius, cùm Monachos ita diſſectos, nec vllam reconciliationis inter eos ſpem videret, vtrumque electionem reſcidit. Illo deinde ſuggerente, in Stephanum Langtonum ſuffragia ſua conferunt. Qui paulò poſt Viterbij à Pontifice conſecratus eſt. Qua ex occaſione, omnis illa, de qua diximus, tragœdia in Anglia excitata eſt.* Hactenus ille, cùm ageret de Stephano.

3. At, quæ tragœdia, huius occaſione electionis, fuerit excitata, dixerat paulò antè verbis ſequentibus [c]: *Adſciuerant Cantuarienſes Monachi ſibi in Archiepiſcopum, Innocentio ſuggerente, Stephanum Langtonum Cardinalem, in Huberti defuncti locum, repudiato Ioanne, Nordouicenſi Epiſcopo, ad quem, ea dignitate ornandum, Rex omni conatu incubuit: quémque & ipſi priùs Monachi elegerant: ſed optionem, & electionem illam Innocentius infregit. Cúmque nec Innocentius, nec Monachi à cauſa Stephani, quam ſemper amplexi eſſent, removeri potuiſſent; tam vehemens, & tam importuna iracundia, ita omnem Ioanni mentem abſtulit, vt Stephanum Cantuarienſem, Monachóſque omnes exilio multarit. Quocum Innocentius accuratè egit, vt & Stephanum amplecteretur, & Monachos detruſos Cœnobio redderet: Ioannes verò ſtomachoſiores, & acerbiores Litteras remittit, vehementérque Innocentium reprehendit, quod reiecto Nordouicenſi, amplificando Stephano, homini ſibi ignoto, diúque apud hoſtes ſuos in Gallia verſato, quem Monachi contra ſuam, Regnique dignitatem, præter officium, & patriæ conſuetudinem temerè ſibi optaſſent, totus incumberet: & mirari ſe, quòd Innocentius cum ſuis non cogitaret, quàm fructuoſa Romanæ Sedi, præ cæteris nationibus, Anglia foret: obfirmaſſe denique ſe animum, ne Stephanum pro iuſto vnquam Archiepiſcopo cognoſceret. Quin & diſceſſionem à Romana Sede, licèt tectius, & inuolutiùs minatur, ſi obſtinatiùs Pontifex ea in re pergeret.*

4. *At contrà Innocentius, nullam ſupereſſe iuſtam cauſam, cur Stephanum, hominem Anglum, præbendáque Eboracenſi honeſtatum, virum probum, accuratæque Theologiæ, & omnium liberalium artium cognitione ornatum, & ad quem ipſe varias, poſtquam Cardinalatu amplificatus fuerat, litteras, amoris, & benevolentiæ plenas miſiſſet, ita auerſaretur. Et licèt non eſſet in more poſitum Romanæ Sedi, vt pro Epiſcopis, qui ibi deſignati eſſent, Principum conſenſus exquireretur; miſſos tamen duos Monachos, qui eum flagitarent; eúmque, & ſe per litteras flagitaſſe. Quem vt vel iam tandem accommodaret, enixè eum rogat. Non poſſe ſe certè pati, cùm omni iuris ratione Stephani optio nitatur, vt Cantuarienſis Eccleſia diutius ſuo Paſtore viduata maneat. In memoriam præterea illi revocat præclarum illud Thomæ Cantuarienſis, & Martyris certamen, paternam, fraternámque promiſſiones, quibus pollicitus erat, ſe aduersùs Epiſcopum inſtas, & legitimas optiones non eſſe interceſſuros. Sed, cùm nihil ille à Ioanne aqui, bonive impetrare potuiſſet, miſſis ad Guillelmum Londonienſem, Euſtachium Cliensem, & Margerum Vvigornienſem litteris, admonet, vt omnia tentarent, quo Regem ad officium reuocarent: quòd ſi inanem ſuam operam, & admonitionem ſentiam, Regnum omne eccleſiaſtico interdicto obnoxium reddant. A quibus ille admonitus, adeò ab omni emendatione, & reſipiſcentia abfuit, vt rabioſas voces iactaret, & nihil niſi ſæuum, & atrox cogitaret, diceret, faceret; pérque dentes Domini* (is enim illi iuriſiurandi mos erat) *iurare, ſi quicquam id genus, vel per ipſos, vel per alios quoſcunque accideret, ſe Epiſcopos, & Clerum omnem, bonis, & poſſeſſionibus eorum ſibi vindicatis, exilio proſcripturum, & Romanos quoſcunque in ditione ſua reperiſſet, oculis, & naribus mutilatos Romam amandaturum.*

4.

5. *Lato itaque ab Epiſcopis interdicto, & ipſi ſi, & aliquidam clam è Regno ſe proripuêre: Ioannes verò mox Epiſcopatus, Cœnobia, Ciſtercienſium præſertim, aliáſque Cleri poſſeſſiones violenter inuadit, eaſque*

5.

que suis vsibus applicat. Episcopi, & alij ex Clero in Cœnobiis, & alibi delitescebant, nec prodire ausi. Monachi verò, & Clerici, qui fortè in publico visebantur, quive in itinere deprehendebantur, ab equis deturbati, magnis, & multis contumeliis, atque iniuriis impunè pulsati: ductíque est fortè ad Regem per Vicecomitis ministros, nefarius quidam, qui Sacerdotem in itinere depradatus erat, eundémque occidisset. Qui cùm Regem interrogassent, quid de homicida statui vellet: Dimittite, inquit, cum solutum, & liberum: quia hostem meum è medio sustulit. Seuitum est non solùm in Clerum; sed & in eos, qui vel Stephano, vel Episcopo necessitudine, & cognatione coniuncti erant: qui bonis, & patrimonio spoliati, in carceres detrudebantur. Misera iam, & lugubris rerum erat in Anglia facies, cùm spectatissimi quique ex Episcopis, & Clero exularent, cùm vbique atrocissimè bacchantur, cùm sancta preces, sacra, & sacrificia passim obmutescerent; cùm corpora defunctorum in campos, instar canum, sine Ecclesiæ ritibus, & orationibus, abiicerentur.

6. Inter hæc, propter quem orta tempestas, Stephanus Languetonius, & propter quem tot viri Religiosi exulatent à propriis Sedibus; exul & ipse aduenit Pontigniacum; dubium, an vltrò, an missus à Pontifice: inde se longè securiorem reputans, vnde magis adhæreret vestigiis antecessoris sui Beati Thomæ, qui & ibidem exilium toleraurat. Meminit huius habitationis idem Arsfeldius, post descriptam exilij tempestatem, cùm iam tranquillum cœpisset illucescere; *Rebus*, ait[d], *postea per Pandulfum tranquillatis, Stephanus, qui Pontigniaci potissimùm, vt olim Thomas Cantuariensis Martyr, exilij tempore versabatur, in Angliam rediit*; &c. Idem alij Authores, qui de ipso. Itaque hoc anno furentis Regis ira insignem nostris hospitem; & vt Thoma inferiorem pietate, atque palma Martyrij; at doctrina, & scriptis excellentem, & qua fulgebat dignitate Cardinalitia, hospitij, atque conuictus familiaritas, morum similitudo, & quæ animos magis vnire solet, eiusdem tolerantia persequutionis, hospitij charitatem, etiam supra fraternam conciliarunt. Verùm, quod ait Chrysostomus Henriquez in Menologio, eiusdem Sancti Martyris exemplo, Monachum in eadem Domo induisse, cùm ex nullo alio, quàm ex Montaluo sumat, recenti Authore, & qui multa manifestè falsa permiscet, (cuiusmodi sunt reliquisse Archiepiscopatum, & postmodum Cardinalitia dignitate donatum esse,) inter apocrypha venit reiiciendum.

[d] *Sæculo eod. cap. 5.*

7. Hoc ipso anno, si qua fides Gallis Authoribus, Sanctus Guillelmus Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniæ Primas, Sanctissimi Parentis corpus, quod hactenus Floriaci in humili, & terræ contiguo loco, iacuisset, magna cum pompa, solennitatéque, supra maius Altare collocauit. De qua re apud Ioannem Chenu hæc scripta inuenio[e]: *Anno M. CC. VII. Sancti Benedicti corpus, ab antiquo, humili loco prope terram repositum in Ecclesia Floriacensi super Ligerim, cum Senonensi Archiepiscopo, & pluribus Episcopis, adstante maxima Abbatum, Cleri, plebisque multitudine, & cum maxima celebritate super maius Altare, prout decebat, translatus, ad postulationem Guarini, & Conuentus.* Affuruntur & à Monachis Floriacensibus eiusdem Sancti Præsulis litteræ, super hac facti corporis eleuatione, hoc anno datæ, quas Author[f] Bibliothecæ Floriacensis euulgare curauit, verba licèt inflectens ad narrationem.

[e] *In Archiep. Bituric.*

[f] *Ioannes à V. in Inuentar. authent. cap. 2.*

8. *Tandem* (ait) *Guillelmus Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus Aquitaniæ Primas, cùm Sanctissimi* (vt ipse in suis patentibus Litteris testatur) *Patris Benedicti corpus, in Ecclesia Floriacensi, sicut ex Romanorum Pontificum scriptis authenticis agnouerat, requiesceret; & ibidem in humili loco esset ab antiquo repositum, & (quod indignum erat) prope terram essent Reliquiæ eius recondita, qui vinens omnia contempserat. Placuit viro Religioso Guarino Abbati, & Conuentui Floriacensi, vt ei supra maius Altare, prout decebat, loculum mira venustatis, & elegantiæ præpararet. In quo quidem* (ait ille) *Dominus Senonensis Archiepiscopus, & nos cum pluribus Episcopis, astante maxima Abbatum, Cleri, plebisque multitudine cum magna celebritate, in Festo Translationis dicti Beati Benedicti, sanctissimum ipsius corpus duximus reponendum. Cùm igitur dignum sit, & saluti expediat animarum, vt in solennitate repositionis Reliquiarum suarum, annis singulis Sanctus Domini Confessor à fidelibus veneretur, Nos, &c. Actum anno Domini millesimo ducentesimo septimo.* Hactenus ibi.

9. Tempore eodem ad Superos translatum lego Venerabilem Virum Vuillelmum Meiltosensem Abbatem, quem meritorum, vitæque fragrantia longè illustrem, cùm fratres, reuerentiæ & cultus gratiâ, Sanctissimo Patri Vualeno consepelirent, dum alterum honorant, alterius corpus post octo, & quadraginta annos incorruptum, integra, atque recentia vestimenta, miraculo insigni reperiunt; atque in vtroque Deum eximiè laudant: quod Author Vitæ eius his verbis tradit[h]: *Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo septimo, qui est annus quadragesimus octauus à decessu Sancti Vualens, vir vitæ venerabilis Vuillelmus Abbas septimus, post Beatum Virum, viam vniuersæ carnis ingressus est; & vt in Capitulo iuxta Sanctum corpus ad dexteram in ventrem matris omnium ingrederetur, promissum est. Nec immeritò locus ille ad tempus illud, à sepultura decedentium Abbatum vacabat; quem vt à pluribus censetur, tam sancto corpori tumulando iuxta Sanctum suum, Dominus reseruauerat. Erat idem Vuillelmus, vt eius testantur Discipuli, dilectus Deo, & hominibus, Religionis speculum, suæ generationis lucerna, contemporaneorum Abbatum pretiosa, & præclara gemma.* Hactenus de Guillelmo; haud inferiori (si Ioscelino credimus) aliis, quos Henriquez recenset in Menologio: vt possit, si quis velit, superaddere.

[h] *Vide Append. ad Chron. Alberici.*

10. Sed qualiter Vualeni corpus, detectum, inuentúmque, idem, qui suprà, Author pergit scribere: *Cùm verò latomi, & cementarij tumulum Sancti viri in loco præfato conderent, incitantibus quibusdam Monachis, Frater Robertus cementarius, vt mihi ipse sapiùs referebat, inuitus, & valdè formidolosus, cum quibusdam Monachis, operculum marmoreum Tumba Sancti Vualeni paululum sublenauit. Et ecce suauis odoris fragrantia euaporans illius se infudit naribus, ac si monumentum plenum esset aromatibus. Et quia noctis crepusculum aderat, accensa candela, per aperturam intromissam, idem Frater, & cæteri circumstantes introspiciunt, & corpus sanctum integrum, & omnia eius indumenta incorrupta, cum integritate, & venustate pristina reperiunt; scilicet, sex Monachi, & totidem Conuersi fuerunt, vt comperimus, qui pia, ac deuota indagine, seu præsumptuosa, domicilium illud virtutum, virginitatis balsamo delibutum conspexerunt. Hi post sepulturam Reuerendissimi Vualeni Abbatis indagatam, inuenta, quibusdam aliis secretiùs communicare congruum duxerunt; & eorum corda, & ora in Dei laudem, & deuotionem erga Sanctum amplierem*

ampliorem excitaturus it. Exiit ergo sermo iste inter Fratres, qui lætabundi effecti sunt in omnibus his Deum glorificantes. Hæc Ioscelinus.

10. Qui paulò pòst Vvalenum Cuthberto confert, & ad cunctos, quos gloria Sancti Viti tangit, exclamat, hæc subdens verba [1]: *Gloriatur, vt dignum est, Dunelmensis Ecclesia cum tota Diœcesi, & vicinia sua, super corpore omni corruptione carenti Sanctissimi Confessoris, atque Pontificis Cuthberti: sed & Meilrosensis Abbatia ex incorrupta gleba Sancti Vvaleni Abbatis, eiusdem Sancti Præsulis socij. Sanctus namque Cuthbertus in Meilros Monachatum subiit. Sanctus verò Vvalenus in Meilros Abbatis officio præfuit. Vterque operibus misericordia deditus, in Religione perfectus, in sanctitate perspicuus, virtutibus plenus, miraculis mirificatus, sublevatus, corporis incorruptione glorificatus. Exultet Scotia genus Regium vniuersum habendo talem, tantúmque Parentem, atque Patronum. Lætetur Ordo Monasticus, & præcipuè Cistercienſis, in quo inuentus est talis, tantúsque thesaurus, tam pretiosus, tam desiderabilis, vt cunctis Mundi opibus sit incomparabilis. O vos omnes in Meilros degentes Cœnobio, gaudete in Domino, qui iam melle, & rore perfusi calico, mellifluum Patrem potentem habetis, quodammodo præ oculis similiorem sperate, quàm defuncto. Iterum dico, gaudete: quia introductum splendoribus Sanctorum, similis in gloria potentior effectus est ad impetrandum, quæ vobis sunt salubria. Potentior, inquam, est, vt nostra excussit errata, commendet merita, auferat supplicia, conferat sempiterna gaudia.* Hactenus ille: quæ deuotè, & ardenter dicta de Vvaleno, neque licuit, nec libuit prætertre.

[1] cap. 24.

---

1. *Ordo Vallis Caulium confirmatus ab Innocentio*: 2. *dubium, an idem, qui & Vallis Scholarium.* 3. *Bulla Pontificis*, 4. *in quibus instituta peculiaria.* 5. *Quid eisdem cum nostris commune, quid diuersum*: 6. *& quæ habeant ad nostrorum imitationem.* 7. *Miraculum Lifardi Hemmenrodensis*, 8. *& ante obitum vehemens tentatio*, 9. *à Deo præuenta.* 10. *Dictum obiter de duobus aliis Sanctis*: 11. *& quid contigerit Cellerario Heisterbacensi satis iucundum.*

CAPVT IV.

2. HOc anno lego confirmatum ab Innocentio Ordinem Vallis Caulium, sic dictum à præcipuo Monasterio, & cui reliqua subsunt, quem multi velut germen Cistercij, memorant: alij subiectum putant ipsius legibus. De eo, qui hoc tempore scribebat, Iacobus de Vitriaco hæc habet [a]: *In Episcopatu Lingonensi sunt quidam Fratres Monachi Deo amabiles, vt valdè Religiosi, qui de valle Caulium nominantur. Hi Cistercienſis Ordinis instituta, victu, & vestitu, & diuinis Officiis, & in omnibus aliis districtè, & diligenter obseruant.* &c. Hæc ille. Casanæus recentioti adhuc notitia de Habitu non dubitat, indéque putat ad nostros reducendos: *Sub hoc Habitu*, inquit [b], (Cistercienſi,) *est alius Ordo apud nos, vbi sunt tantùm Priores, qui est etiam sub Regula Beati Benedicti; qui dicitur Ordo Vallis Collium, seu potiùs Caulium, qui est caput in eorum Ordine, & habet multos Prioratus Vallis Sancti Benedicti iuxta Heduam, & Prioratus Vallis Crescentis prope Sedelocum, & plures alij, qui sunt modici prouentus; & in quolibet Prioratu sunt pauci Religiosi, & melius esset, quòd reducerentur in totum sub Habitu Cistercienſi, cùm Habitum eorundem deferant.* Hæc Casanæus, quæ eadem Arnoldus Vvionius, eundem referens [c].

[a] Hist. occid. cap. 17.

[b] in Catalog. confider. 38. p. 4.

[c] in Lign. vit.

3. Magnum Chronicum Belgicum, quod collectum ex Bibliotheca Ioannis Pistorij inter alios Scriptores Germaniæ circunfertur, Authores, incrementáque nouæ Familiæ distinctiùs prodit: nisi quòd tamen tempus quinquennio differt, nec Caulium, sed Scholarium Vallem nominat. *Anno*, inquit [d], *Domini M.CC. XII. nouus Ordo Vallis Scholarium cœpit in Diœcesi Lingonensi per Vvillelmum Anglicum, & Fratrem Richardum de Marcio cooperante illis, & totum disponente Domino Guillelmo Lingonensi Episcopo, Pontificatus sui anno quarto. Qui infra annos viginti Prioratus fecerunt XVI.* Hactenus ibi de eadem Familia, dubium, an de diuersa: etenim annus diuersam esse probat; & multò magis Regula, quam Augustinianam in ea seruari protinus subdit. Locus, & nomen, (pauliſper licèt inuersum,) quin etiam parua temporis distantia, de eadem loquutum satis indicant. Certè ad instantiam Guillelmi Lingonensis litteras expeditas confirmationis ab Innocentio III. compertum est: cùm ad Rhemensem Ecclesiam postularetur succeſſurus Alberico, qui pro Guidone fuisset subrogatus: quod an cum anno satis stare queat, aliorum linquo argumentis discutiendum. Litteræ, vt ex Regestis Vaticani nobis transmissæ, multa ex Cisterciensi sumpta illis confirmant: quædam præter, aut supra: sed nullam penitùs Cistercij memoriam faciunt. Quas tamen ob clariorem rei notitiam, & in gratiam Familiæ, quæ ab Authoribus, Cistercio adscribi solet, hîc inserendas censui. Sic autem habent [e]:

[d] sub Innocen. III.

Priori, & Fratribus Vallis Caulium, Lingonensis Diœceſis. [e] epist. Innocent. lib. 9.

3. *Ex litteris Venerabilis Fratris nostri G. electi Rhemensis, accipimus, quòd cùm transiret per Diœcesim Lingonensem, vos inuenit in Valle Caulium nouellam institutionem Ordinis assumpsisse: de cuius meritis diligenter inquirens, nihil in eo nisi religiosum comperit, & honestum. Inuenit siquidem, prout eadem littera continebant, quòd inter vos vnus Monachorum, quem vos filij Monachi elegistis, debeat esse Prior: cui omnes Monachi, videlicet, & Conuersi, quorum societas vegesimum numerum non transcendit, tanquàm spirituali Patri reuerentiam, & obedientiam curatis exhibere: nullus vestrûm proprium possidebit. In Conuentu, singulis diebus, Missa, & Hora canonica cantabuntur. Priuatáque Missa, qui voluerint, celebrabunt. Capitulum tenebitis omni die, præter Festa duodecim lectionum: temporibus constitutis similiter laborabitis: & simul in Refectorio comedetis; carnibus, & sanguine nõ vtentes. Prior vobiscum in Refectorio comedet, simili cibo, & veste contentus. A Festo Resurrectionis Dominicæ vsque ad Exaltat. S. Crucis bis comedetis in die: residuum temporis*

sub

sub ieiuniorum abſtinentia tranſcurſuri, pane, aqua, & vno pulmento contenti. In die Natiuitatis Dominica non cœnabitis, nec ſexta feria in æſtate, vbi Feſtum interuenit duodecim lectionum.

4. *Viuetis de redditibus, ſilentium ſeruaturi: fœmina anteriores terminos non intrabunt, nec vos exteriores, excepto Priore, niſi cauſâ Ordinis. Prior tamen, ſi occupatus fuerit, vel agrotans, vel vrgens neceſſitas, vel eiuſdem vtilitas poſtulauerit, poterit vnum, quem voluerit, deſtinare. Cilicia indutis ad carnem, eas, qui ferre non poſſunt, non cogentes: indutis groſſe lane veſtes, non pelliceas habituri. Cum tunicis, cingulo, & caligis omnes iacebitis, & præter hæc vos, Filij Monachi, cum cucullis, nuſquam, & nunquam ſuper culcitris quieſcentes. Erunt Nouitij veſtri in Probatione per annum: & vos, Filij Monachi, à Matutinis vſque ad horam laboris; & à Veſperis vſque ad occaſum Solis lectioni, orationi, & contemplationi vacabitis: exceptis, quos Prioris diſtrictio pro aliqua neceſſaria cauſa duxerit retrahendos. Nos autem veſtris iuſtis poſtulationibus annuentes, perſonas veſtras, & locum, in quo diuino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus, quæ impræſentiarum rationabiliter poſſideris, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, &c. ſpecialiter autem Ordinem ipſum, prouida deliberatione, de aſſenſu Epiſcopi Diœceſani ſtatutum, auctoritate apoſtolica confirmamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, quarto Idus Februarij, Pontificatus noſtri anno nono.* Hactenus Litteræ confirmationis, inſertis ſtatutis, quæ confirmantur.

5. In quibus tamen duo interim obſeruo: alterum eſt, Familiam Vallis Caulium, quam Pontifex confirmat, eandem eſſe cum ea, quæ Vallis Scholarium inuerſo nomine, à compilatione Chronici Belgici, & aliis nominatur: quippe approbatam, commendatámque à Guillelmo Epiſcopo, qui Lingonis præfuiſſet, dum ad Rhemenſem Sedem vocatus eſſet: alterum, quod ſuperiùs adnotabam, in ipſius Inſtituto multa ex noſtris, ſed nihilominùs quædam omninò præter, quædam etiam & ſuprà poſita eſſe. Neque enim vinum interdictum lege, noſtris: neque duo pulmenta ieiunij tempore non clauſura perpetua, non cilicium continuum noſtris impoſitum; quæ tamen continentur in hac formula. Sic nec taxatus perſonarum numerus noſtris; neque in die Natalis cœna prohibita: atque id genus alia: vt non immeritò liceat dubitare, cur ab Authoribus, noſtris adſcribantur ex ſolo Habitu: nam hunc non dubito cum noſtro conuenire. Crediderim in Diœceſi Lingonenſi natum Ordinem, ſub vmbra Claræuallis, & Motimundi, cùm multa ab ipſis hauſerint, multò plura putarim accepiſſe: cùm maximè, quæ addita, interiora, (clauſura excepta, eáque non omninò irrefragabili:) quæ exteriora, communia cum noſtris eſſent. Certè, quod attinet ad diuina Officia, conſtat identitas ex ipſis Feſtis duodecim lectionum contentis in Bulla, vt inde liqueat falli, quicunque dixit, Regulam Sancti Auguſtini profeſſos eſſe.

6. His poteſt addi efficacior adhuc ratio, ſumpta ex aliis Litteris, quibus ſecundò approbatus idem Ordo (ſi tamen idem) per Honorium III. omnia ad imitationem Ciſtercienſium iubetur facere. Meminit harum litterarum Renatus Choppinus, ſententiam magis earum, quam verba addens [i]: *Vallis Scholarium Ordo*, ait, *confirmatus ab Honorio III. Martij ſeptimo, anno M. CC. XVIII. in hanc ſententiam. Quod tu, Fili Prior, & Succeſſores tui, in omnibus Eccleſijs tui Ordinis, de more Ciſtercienſium, ſine vlla temporalium exactione, viſitationis officium impendatis; & tres primæ Filiæ ipſius Ordinis viſitandi Matrem, de more Ciſtercienſium Fratrum habeant facultatem: ac, quòd Priores forinſeci ſemel in anno, tempore ſtatuto, apud Eccleſiam veſtram conuenientes in vnum, celebrem more dictorum Ciſtercienſium, Capitulum Generale.* Hactenus ibi.

[i] Choppin. l. Monaſt. tit. 2. n. 3.

Circa hoc idem tempus in Hemmenrode florebat 7. Lifardus inſignis ſanctitatis Conuerſus, reuelationibus, miraculiſque clarus, de quo ita Cæſarius in ſuis Dialogis: [g] *Hic* (ſcilicet, Lifardus) *cùm eſſet homo bene natus, vt per humilitatem amplius mereretur, porcos Monaſterij paſcere non deſpexit, imò precibus idem officium obtinuit. Die quadam, cùm iuxta nemus gregem porcorum paſciſet, vidit ibi duas arbores, quæ de vno trunco proceſſerant: cui cùm vna placuiſſet, dixiſéque in corde ſuo; Deus, quàm idonea eſſet hæc arbor ad alueos porcorum! mox cecidit, ac ſi ſecuri ſucciſa fuiſſet*

[g] lib. 10. cap. 54.

Hunc tamen Virum morti iam propinquum, ipſa 8. in virtute, qua magis præcelluiſſet, permiſit Deus tentari; ſed non vinci. Referam ex eodem Authore conſummationem eius, incerto anno; ſed non multùm diſtante, quia ſub Hermanno [h]: *In Hemmenrode Conuerſus quidam fuit, natione Colonienſis, nomine Liffardus, vir ſatis humilis, ac manſuetus. Huius erat officio ſues Monaſterij cuſtodire. Circa finem vitæ eius, ſicut mihi retulit Dominus Hermannus, tunc Abbas illius, tali ordine tentatus eſt ab Spiritu ſuperbiæ. Cùm eſſet ſenex, & diu porcos paſciſet, talia cœpit in cogitationibus ſuis tractare: Quid eſt, quod ago? Homo ſum bene natus: ſed propter hoc vile officium omnibus amicis meis deſpectus: non erò diutiùs in hoc loco fabulcius ad illorum confuſionem: ex quo mihi non parcitur, recedam hinc. Qui cùm fixum teneret in animo, quòd manè recederet de Monaſterio, tentationes diutiùs non valens ſuſtinere, nocte eadem, cùm in lecto ſuo ſederet, & vigilaret, perſona quædam venerenda illi apparuit, & vt ſe ſequeretur, manu ſignauit.*

[h] lib. 4. c. 4.

Mox ille ſurgens, calceamenta induit, & præce- 9. *dentem ſequutus, ad oſtium Dormitorij venit: quo cælitùs patefacto, ſimul ad ianuam acceſſerunt Eccleſiæ: quam, eadem potentia, conſiderans apertam, ſimul ingreſſi ſunt. Ita ei ſignis erat importunus, vt non poſſet non ſequi præcedentem. Cúmque duceretur per medium Chorum Conuerſorum, & coram Altari Sancti Ioannis Baptiſtæ tranſiens, profundè inclinaret, & ordinatè, inclinauit & ille dicens: Benè feciſti ſic profundè inclinando. Veniéntéſque ad meridionale oſtium Eccleſiæ, per quod itur in Clauſtrum, viderunt illud oſtium ſimiliter apertum, quod ducit ad Cœmeterium. Vniuerſa hæc oſtia noctibus etiam clauibus firmantur. His viſis, Frater Liffardus miratus eſt valdè; nec tamen auſus fuit illum interrogare: Tu quis es? vel, quo me ducis? Ingreſſis eis Cœmeterium, ſtatim aperta ſunt ſepulcra omnia mortuorum: & cùm Conuerſum duxiſſet ad hominem recenter ſepultum, dicebat illi: Vides hunc hominem? Citò talis eris: quò vis ire? Quem cùm adhuc ducere vellet ad alia corpora putrida, multúmque fœtentia, cœpit Conuerſus reniti, & clamare: Parce mihi, Domine, parce: non enim illa poſſum videre. Cui ductor reſpondit: Si non potes id, quod citò eris, videre, vt quid propter modicam ſuperbiam vis de portu ſalutis recedere? Si ergo vis, vt parcam tibi, promitte mihi, quòd non recedas ab hoc loco. Et promiſit ei. Quem cùm reduceret, mox clauſa ſunt ſepulcra, clauſa ſunt poſt eos oſtia ſingula: & cùm tranſiret ante Altare Conuerſorum, ibique inclinaret, denuò de hoc eum commendauit; ſatis oſtendens, quòd Deo placeret inclinatio profunda. Ingreſſis Dormitorium, ſtatim poſt eos clauſum eſt oſtium: mox verò vt Conuerſus in ſuum lectum ſe reclinauit, perſona ducentis diſparuit, & ab illa hora tentatio immiſſa ceſſauit.*

cessauit. Sic Virum Deus non passus est tentari supra id, quod poterat: sed obitui felici præparando, cum tentatione prouentum magis immisit. Memoratur 3. die
10. Iunij: sed credo, vt aliqua magis, quàm quia certa.

Hæc eadem tempora illustrarunt duo Fratres, vterque miraculis illustris, sed anonymus; alter quidem incertæ Domus Monachus, alter Eberbacensis Conuersus, de quibus idem Author lib. 10. [1] *In Eberbaco*
[1] lib. 10. c. 3. *Conuersus quidam extitit, homo simplex, & bonus, ætatis decrepitæ: huic Dominus tantam contulerat gratiam, vt tactu manus eius, diuersa infirmitates fugarentur: quod vbi sæcularibus compertum est, ex vtroque sexu, tam diuites, quàm pauperes, gratia sanitatum ad Monasterium confluentes, virtutem benedictionis eius senserunt. Ex quorum concursu videns Abbas Fratrum quietem turbari, & domum in expensis non modicùm grauari, eadem Conuerso, ne alicui sæculari de cætero manus imponeret, præcepit. Ex illa hora in eo cessauit virtus miraculorum.* Hæc de Conuerso: de Monacho sequentia sequ. cap. *Retulit nobis nuper Abbas quidam Ordinis nostri, de quodam Monacho, cui tanta à Domino concessa est gratia, vt virtute vestimentorum eius multi sanarentur. Sæpè, si tamen adhuc viuit, dum Fratres vestes eius induunt, vel cingulo se cingunt, sanantur.* Vnum, aut alterum miraculum fecisse cunctis pro magno; Cisterciò sub felici illa ætate, vel ipsum habituale donum adeò frequens, vt ne nomina obtinentium memorarentur.

Subiungam aliud iucundum sanè relatu, quod
11. idem Author narrat, Richuuino suæ Domus Cellerario contigisse circa hoc tempus, nempe, cùm adhuc inter Philippum, & Ottonem bella flagrarent [k]: *Ri-*
[k] lib. 10. cap. 10. *chuinus*, ait, *Cellerarius noster cùm die quadam, tempore discordiæ inter sæpedictos Reges de Colonia exiret, non procul ab Vrbe plures armatos ex latere stratæ publicæ in suis dextrariis sedere conspexit: quibus visis, cùm satis timeret, vnus ex eis cursu rapidissimo ad eum veniens, equum eius per frenum tenuit, quem his verbis superbè alloquutus est, dicens: Domine Monache, descendite; oportet me habere equum istum. Vix verba finierat: & ecce Dominus non verbo, sed tonitruo prædoni pro seruo suo respondit. Nam, cùm tota illa die nulla fuissent audita tonitrua, ictus tam validissimus inopinatè personuit, vt equus satellitis, genibus terram peteret, & ipse nutantis tergo vix inhæreret: mòxque manum à fræno Monachi retrahens, ait satis humiliter: Ite in pace: bonus enim vir est is. Cui ille regratians lætus processit, diuinitùs se liberatum recognoscens. Hac mihi idem Richuuinus ore suo confessus est.* Hactenus ex Cæsario, qui cuncta nouerat.

---

1. *Acta Capituli*, 2. *& Tuta Insula, Virorum fundatio vnica.* 3. *Monasterium Pratorum Beatæ Virginis.* 4. *Sancti Apri*, 5. *& Sancti Bartholomæi Conuentus vniti*, 6. *itémque Fusenich, & Beati Thomæ.* 7. *Mons Sancti Saluatoris*, 8. *& in eo conuersio miranda iuuenculæ Helsuuindis,* 9. *sub qua Moniales translata ad Porcetum, de quo inferiùs.*

CAPVT V.

1. MIRVM est, quantùm Venerabilis Arnaldus à legibus condendis abhorruerit; seu quàm non necessariæ suis temporibus: vix totis decem, quibus præfuit, annis, vna, vel alia, atque hæc religiosæ magis, quàm præceptiuæ: *Quòd commemoratio B. Catharinæ cum Missa fiat, sicut Priscæ Virginis, septimo Kalendas Decembris. Quòd corpora defunctorum propter fœtorem, si fortè intolerabilis fuerit, ante Tertiam sepeliantur.* Nec quicquam aliud hoc anno decretum lego. Crediderim orationes pro causa fidei iussas continuari per totum Ordinem, & pro Petro, & Abbatibus, qui hæresibus extirpandis relicti fuerant.

2. Non plus nos detinebunt Fundationes, quippe vna sola notatur in Chronologia: de Tuta Insula in Norwegia, quam octauo Kalendas Aprilis cœpisse tradit. Hanc in genesibus in linea Clarœuallis locatam lego: genitam Lisa, Fontium in Anglia neptem, sitámque in Episcopatu Sodrienſi. Abbati Sanctæ Mariæ de Tuta Insula Ordinis Cistercienſis scribit Honorius Papa IV. Perusij, pridie Idus Aprilis, Pontificatus ipsius anno primo, nisi quòd tamen non Sodrienſis Diœcesis, sed Nidrocienſis Domus in eis dicitur; quam Sedem Archiepiscopalem in Norwegia, ab Eugenio III. institutam. Authores tradunt. Hæc mihi tantùm nota de Tuta insula: neque aliæ Fundationes huius anni virorum saltem; nam fœminarum quædam recenſendæ: & quidem Aubertus Miræus Mona-
[3] In Chronico Cist. sterium Pratorum Beatæ Virginis iuxta Colpniam hoc anno tradit fundatum verbis sequentibus [3]:

3. *Anno 1209. fundatum, & constructum est Monasterium Pratorum B. Virginis, vulgò*, Benden, *extra Coloniam Agrippinam, iuxta oppidum Bririſe à nobili Matrona Margareta ab Herſſels, cuius stemmatis nomenclatura vsque hodie perseuerat. Hoc Cœnobium multas vicissitudines passum, aliquoties totum conflagrauit. Primò quidem anno M. CCC. LXXXIII. quando omnia ædificia vna cum templo perierunt. Restaurata deinde à Canonico ex Officiali quodam Colonienſi. Deinde verò anno M, D. III. sub Abbatissa Dorothea Ruttenbac, iacúitque tunc temporis ad viginti tres annos desertum, Monialibus hinc inde dispersis: paucis verò in vili tugurio miserè delitescentibus, donec Christina Ruttenbach, Abbatissa, exiguo peculio instructa, illud readificare cœpit. Non potuit tamen, nec ipsa, nec sequentes aliquot Abbatissæ hoc opus perficere, donec demum Christina Gebels, anno milleſimo quingenteſimo octuageſimonono electa, singulari diligentia, & labore ex omnibus difficultatibus emergens, extremam manum addidit. Ex hoc Monasterio originem sumpserunt Conuentus ad Sanctum Aprum Coloniæ, & duo alia Monasteria in superiori Germania.* Hactenus Aubertus Miræus de Matre, & Filiabus, quarum, cùm annus certus ignoretur, hîc, vel obiter mentio facienda fuit.

4. Cæterùm Monasterij ad Sanctum Aprum Virginum Cistercienſium, quod ad Sanctum Bartholomæum etiam dici consueuit, inuenio aliam memoriam non contemnendam apud Erhardum de Vbenſheim, Monachum Carthusianum, in suo, quem vocat, Thesauro Agrippinenſi: vbi & deuotis, baiulantis Crucem Christi, redditis stationibus celebrari in Germania, & secundæ eius Domus nomenclaturæ rationem narrat: quam ad maiorem, clariorémque notitiam, quandiu alia occasio non se offerat, in gratiam mei Lectoris hîc transcribam [b]: *Hac in Ec-*
[b] in Sacrario Agrippinæ. *clesia*

eleſia non procul à porta honoris ſita, Beato Apro Martyri ſacra, Virgines Sancti Bernardi Chriſto laudabiliter ſeruiunt: in qua ſepulcrum ad nativam Dominici formam, cuiuſdam Colonienſis, nomine Ioannis Mentenbaver, qui in Terra Sancta peregrinatus fuit, deuotione, anno M. C C C C. X C V I. conſtructum cernitur, à quo incipiendo omnes caſus Ieſu Crucem baiulantis, pulcherrimis ſtatuis, & imaginibus, uſque ad Caluariæ locum, quem ad Sanctum Gereonem cruciſixit menſuratum, erecta ibi Crucifixi lapidea imagine, miraculis clara exprimi curauit, ſuæq; huius deuotionis ingentem poſteris occaſionem præbuit ad eundem.

5. *Cauſa verò alterius templi huius appellationis, quæ eſt ad Sanctum Bartholomæum, hæc eſt. Erat olim extra ciuitatem, ante portam honoris, Monaſterium Religioſorum eidem Apoſtolo dicatum. Qui cùm profeſſionis ſuæ obliti, ad tantam deuenijſſent impietatem, vt rapinis, & latrocinijs exercerent, inde illis electis, & delectis, Monaſterium illud ſacratis Deo Virginibus nobilibus, & patricijs Colonienſibus traditum fuit. Orto verò anno M. C C C C. L X X I V. bello Nouenienſi, ne quid detrimenti ex Monaſterio illo vrbi eueniret, eo ab ampliſſimo Senatu Colonienſi penitùs demolito, Virgines illæ ad hoc Sancti Apri Monaſterium (quandoquidem aliarum etiam Monialium clauſuram, ex quarum contributione iſtius Sancti Apri Sacellum ampliatum fuit, tunc ſibi vicinam haberet) tranſlatæ ſunt; Clauſtralibus illis bonis conditionibus ad Sanctum Bonifacium, ſicut ibi claret, liberè cedentibus. Porrò Eccleſia huius dedicatio quotannis Dominica ſecunda poſt Paſcha peragitur.* Hactenus ibi Erardus Carthuſianus, qui Author Operis.

6. Surrexerant circa idem tempus & alia duo in eadem Prouincia, quorum video Cæſarium meminiſſe, nec mihi aliunde notitia, quàm ab ipſo. Memorat autem occaſione duarum ſororum, quarum feruens conuerſio hîc etiam nobis ſimul cum eiſdem Cœnobiis, narranda erit[e]: *Domina Methildis* (ait) *Magiſtra hodie in Fuſenich, cùm haberet parentes diuiſſimos, & ad ſæculi nuptias nutriretur, adhuc in ætate tenera conſtituta, ſe ſolo Chriſto velle deſponſari, Monialémque fieri, quotidie proteſtata eſt. Cúmque blanditijs, ſiue minis non poſſet auerti, die quadam veſtibus purpureis contra voluntatem induta, Matri reſpondit: Etiamſi feceritis me auream, non poteritis mutare propoſitum meum. Tandem tædio affecti parentes eius, cùm eam locare vellent in prædicto Monaſterio Sancta Walburgis, nec eſſe poſſet, vt quòd completus fuiſſet ſtatutus numerus Sororum, in Fuſenich conuerſa eſt, vbi adeò profecit, vt non multò poſt, licèt adhuc adoleſcentula, Magiſtra efficeretur. Quam poſt annos paucos, Alcidis, ſoror eius, carnali marito viduata, & ipſa adhuc adoleſcentula, ſequuta, in eodem loco facta eſt Prioriſſa: quarum exemplo, quædam earum cognata, timore parentum de Diœceſi Traiectenſi in habitu viri egreſſa, apud Sanctum Thomam, quæ eſt Domus Ordinis noſtri, in Epiſcopatu Treuerenſi poſita, ſe conuertit. Hanc, cùm ſoror imitari vellet, à parentibus capta eſt, & viro tradita. Spero autem, quòd Deus tam feruentem conuerſionis voluntatem non relinquat irremuneratam.*

e lib. 1. c. 42.

Crediderim & fundatum ſub hoc tempus Monaſterium Montis Sancti Saluatoris, quod poſtmodum ad Porcetum translatum eſt pene antiquius Cœnobium. Neque enim aliter potuiſſet Helſuuindis, ingreſſa puella poſt annos quindecim, nempe, M. C C. X X I I. quo ſuos Dialogos Cæſarius ſcribebat, Abbatiſſam obtinuiſſe curam inter Sorores: de eius Monaſterij initijs nihil inuenio: at de excellenti, planéque admiranda conuerſione iuuenculæ prædictæ, circa ipſius initia, idem qui ſupra Cæſarius hæc narrat verba[f]: 7.

f lib. 1. c. 43.

Laudabilem, imò ſatis mirabilem Domina Helſuuindis Abbatiſſa de Porceto conuerſionem tibi replicabo. Hæc, cùm eſſet Arnoldi Scultetî Aquenſis, viri potentis, diuitiſque filia, ſic ab ineunte ætate feruebat zelo conuerſionis, vt matri frequenter diceret: Mater, fac me Monialem. Solita enim erat cum matre aſcendere Montem Sancti Saluatoris, in quo tunc manebat Conuentus Sororum de Porceto. Die quadam per feneſtram coquinæ latenter intrans, Dormitorium aſcendit, & puella cuiuſdam cucullam induens, cum cæteris Chorum intrauit: quod cùm mater abire volenti per Abbatiſſam innotuiſſet, illa putans iocum eſſe, reſpondit: Vocate puellam, oportet nos ire. Venit illa intrinſecùs ad feneſtram dicens: Monialis ſum, non ibo tecum. Mater verò timens maritum, reſpondit, Modò tantùm venias mecum: & ego patrem tuum rogabo, vt te faciat Monialem, ſicque eximit. 8.

Matre verò tacente, contigit, vt iterum Montem aſcenderet, filia dormiente; quæ cùm ſurrexiſſet, matre in Eccleſia quæſita, & non inuenta, in Monte eam eſſe ſuſpicans, ſecuta eſt ſola: & per prædictam feneſtram ingreſſa, rurſum Habitum induit, matrique reganti, vt exiret, reſpondit: Amodò me non decipies. verba ſibi promiſſa replicans. Mater verò multo timore recedente, pater cum ſatribus furibundus aſcendit, fores effregit, filiam vociferantem eduxit: cognatis, qui eam auerterent, commiſit: quibus illa, nondum, vt puto, nouem annorum, tam ſapienter reſpondit, vt mirarentur. Quid plura? Epiſcopo Leodienſi parrem, & eos, à quibus educta fuerat, excommunicante, loco reſtituta eſt, & poſt annos paucos ibidem in Abbatiſſam electa. Ita Cæſarius. Qui, quanuis dicat, electam poſt annos paucos, habita ætatis conſideratione: haud tamen quæ nouennis ingreſſa eſt, potuit non expectare ſaltem, quoadvſque maturiorem pauliſper ætatem ingrederetur. Adde Conuentum cum Abbatiſſa, & Monialibus præceſſiſſe ingreſſum, eóque neceſſariò incepiſſe ante hunc annum. Porrò de Porcetenſi Abbatia longè antiqua, quam olim Monachorum Nigrorum, fuiſſe conſtat; & qua ratione Ciſtercienſibus Monialibus Montis Sancti Saluatoris tandem conceſſerit, ex eodem Cæſario, nam paulò adhuc recentiùs, dicturi ſumus. 9.

ANNVS CHRISTI M. CC. VIII. — CISTERCII C. XI.

1. *Sancti Petri Martyrio felix annus:* 2. *qui vocatus à Tolosano Comite,* 3. *nec dolis eius facilis,* 4. *ferocem eum, ac minacem experitur.* 5. *Missi satellites, qui Sanctum interficerent.* 6. *Pretiosa mors, & cura de rebus Fidei, & de munere Inquisitoris sibi iniuncto.* 7. *Sancti de suo Martyrio Prophetia.* 8. *Congregatum Concilium Episcoporum,* 9. *& delatum flagitium ad Innocentium, vulgante fama.* 10. *A quo littera data reddenda sequenti capite.*

CAPVT I.

1. SEQVITVR annus salutis ducentesimus octauus supra millesimum; Cistercij vndecimus, centesimúsque, Beati Martyris Petri rubescens sanguine: quo religiosè, & feruenter pro Christo fuso, illustrauit Ecclesiam; & sacrosanctæ in Hæreticos indaginis munus sibi iniunctum, sacrificio cruento, sed non minùs glorioso, consectauit. Quippe hæc illi, & nostris vnica gloria cum gratiarum actione memoranda: illi, seruasse fidem vsque ad mortem; nostris, vt primos munus incepisse, sic etiam primos tribunal dedicasse; haud aliter ostendendum adamantinum, adeóque inconcussum errantium malleis, quàm si sanguine Agni (sic Petrum Innocentius Papa vocat [a]) veluti perficiendum, præpararetur: tum vt sacro cruore velut irriguum, atque ex imbre cœlesti fœcundatum, in eam cresceret segetem, quam hodie impleſſe videmus Ecclesiam horrea. Rem ipsam totam, qualiter euenerit, depingam breuiter; eandem mox Innocentij Papæ Litteris, & quidem luculentis, confirmaturus.

[a] c. sequ. a.

2. Fefellerat non semel Raymundus Comes fidem datam Legatis, præcipuè Petro; quòd à Petro præ aliis vrgeretur, Hæreticos auxilio destituere, atque pacem firmare cum Catholicis; quæ duo necessaria videbantur extirpandis erroribus, atque errantibus ad viam reducendis; seu, si renuerent, secutiùs castigandis. Hinc anathema indictum aduersùs ipsum: quod vir Hæreticus, atque Hæreticis consentiens, (non, quia timeret, sed ne ipse in contemptum aliorum Principum, ac terra eius in prædam deueniret, si apostata vilis declararetur,) conabatur eludere, obedientiam, quam factis abhorrebat, simulans verbis. Quippe fides humana vilescebat contemnenti diuinam; & virtutem ex vtilitate sola pensanti, nihil inhonestum videbatur, quod fructuosum. Ergo accersiri Sanctum ad se iubet, atque eius Collegam (puto Guidonem, gerentem Arnaldi vices: nam Radulfus iam dudum sublatus erat,) & se Ecclesiæ Romanæ verum filium, Euangelij cultorem, ac Fidei, à suis parentibus acceptæ propugnatorem fidum, velut hostem tractari: atque eandem Ecclesiam, non vt Matrem, sed vt nouercam agere in ipsum, quem pelleret è gremio, conquerebatur. Quod suum ob crimen subiacuisset anathemati? Quam contumaciæ vel minimam speciem præsetulisset? Cur arma, quæ in Hæreticos deberent, in Principem Christianum exercerentur? Imperent, iubeant, quæcunque iusta suetint; promptum sibi ad obsequium animum esse: neque vllum se mandatum, si ratione subsistat, detrectaturum. Pacem cum hostibus componere non posse, nisi propria amittat; quod nulla lex Iustitiæ, nulla æquitatis iura patiantur. An ex eodem fidei prætextu, quam æquè omnes defenderent, solus ipse spoliandus, vt alij ditarentur ex eius bonis? Recipiat ea, super quibus prælia-bantur: tunc demum pacem vel vltrò compositurus. Sed neque Hæreticos de Prouinciis suis pellere tutum sibi, aut honestum, ne vacuæ remanerent; & qui homines subditos habebat, solis oppidorum ruinis dominaretur. Tum bellum qualiter gerendum sine militibus? aut quam sibi potentiam inter contrarios, nisi sanguine, & ferro comparandam? Potiatur rerum, quocunque possit milite: in quo quis vnquam quæsiuit Religionem, & non magis virtutem, & robur mentis, & corporis? Inde cùm res per anna sibi firmauerit, examinandam fidem: & se duce, vel eos, per quos vicisset, ad voluntatem Ecclesiæ compescendos.

3. Hæc, & similia Comite iactante, facilè per Legatos cognita fraus, longa præcipuè experientia edoctos ingenium hominis: & quod in simulantem obedientiam suspensum fuerat, reuocatum anathema in rebellem; ac Comes contumax ab Ecclesia Dei præcisus, vitandus cunctis, æmulis impetendus, publica fuit sententia, velut expositus. Tum verò ipse spirans minarum, necisque aduersùs veros Saluatoris Christi Discipulos, detectis versutijs, quod ibidem non potetat, (erat enim in Villa Sancti Ægidij, vbi plures Catholici,) se vbi posset facturum, tandem edixit: & neque mari, neque terra tutos, qui in se præsentem ausi; atque eius obedientia, humilitatéque, in sui ipsius contemptum abusi essent. Intercessit Venerabilis Abbas Sancti Ægidij, interceſsêre Magistratus populi, vt Comitem placarent, (nam Legatos nihil aliud posse facere, quandiu Comes proteruus, perspicuum erat:) sed semel effusus pudor irretractabilis: & qui Deum iam dudum abiecisset, cùm primùm etiam hominibus se prodidit, nullo iam fræno valuit retineri. Id Cleri, & populi totius consilium fuit, vt seruos Dei discedentes prosequerentur; exhibituri reuerentiam Sanctis, periclitantibus tutamen, & iustam defensionem opposituri.

4. Inter hæc Comes furore, & ira percitus; atque ex ipsa oppidanorum resistentia efferatior effectus: duobus satellitibus vocatis, quos Hæreticos nouerat, eóque ad quodcunque flagitium paratiores; in mandatis dat, vt Viros Sanctos, quasi idem iter acturi, prosequerentur, atque ibi tandem Petrum trucidarent, in quem atrocior ira, vbi à populo Sancti Ægidij, qui eos comitabatur, desererentur. Ventum erat ad ripas Rhodani fluuij, vnde iam tutius iter, & Sancti Viri] sine aliquo periculo progressuri quò vellent, iudicabantur. Ibi pausatum à cunctis nocte illa, vt manè Sancti Rhodanum transirent; oppidani, accepta benedictione, læti, & alacres ad propria reuerterentur. Sequenti die, celebrata de more Missa, & Sancti Viri refecti

Corpore

Corpore Christi: dimissus populus; atque ipsi cum duobus, quos socios viæ inuenisse gratulabantur, Rhodanum pertransibant, cùm ecce vnus, è duobus satellitibus, qui Petri dudum vestigia sequebatur, lanceam vibrans, eundem Sanctum per medias costas perfodit, viscera penetrans, ferrúmque impium traducens vsque ad pectus. Conuertit Sanctus caput ad ictum lanceæ, & sacrilegum videns parricidam, id vnum verbum proculisse fertur, quod Christus in Cruce, quod Stephanus inter medios lapides dixit, cùm motti vterque ab impiis adigeretur: *Deus tibi dimittat: & ego dimitto.* De hoc immani Comitis flagitio, & Sancti Viri morte pretiosa, Vincentius Belluacensis hæc habet verba [b]:

b lib. 29. cap. 101.

5. *Petrus de Castro Nouo, Monachus à Papa Legatus, Comitem Tolosanum excommunicat; & Comes ei apud Villam Sancti Ægidij satisfactionem de commissis pollicens vocat: nec tamen vult satisfacere; sed mortem ei comminatur publicè. Itaque Legato recedenti, duo seruientes Comitis se adiungunt, & in eodem hospitio pariter hospitati sunt. Manè Petrus celebrat, & dum ad flumen veniunt, vnus è duobus ipsum lancea ferit posteriùs inter costas: qui percussorem respexit, ac verbum istud sapiùs repetiit: Deus tibi dimittat: & ego dimitto. post modicum verò vitam finiuit.* Eadem habet Sanctus Anthoninus [c], aliique, quos longum esset in præsenti recensere. Ludouicus de Paramo, recentior, sed grauis Author [d], nescio quem sequutus ex antiquioribus, Romam versùs arripuisse Petrum iter, cùm mortem subiit, scribit in hæc verba: *Sanctissima*, inquit, *Inquisitionis officium eo tempore sumpsit exordium, quo impijs erroribus, & blasphemijs execrabilibus Albigensium Comitatus Tolosanus infectus, & penè extinctus erat. Tunc enim gloriosus Deus Innocentio III. Summo Pontifici, eam mentem iniecit, vt Petrum Monachum de Castro Nouo, virtutis, & Religionis gloria florentem, crearet Legatum, & ad illam Prouinciam ad Christum Seruatorem nostrum reducendam mitteret. Qui cùm primùm eò peruenit, maximam adhibuit diligentiam, vt viros illius Prouinciæ nobiliores ad Fidem catholicam reuocaret, præcipuè Tolosæ Comitem Raymundum quartum. Cuius auxilio, & potentia Albigenses Hæretici in magnam insolentiam proruperunt. Sed, cùm Legatus apostolicus nihil proficeret, (quòd Raymundus magna esset obstinatus pertinacia,) illum sacrorũ communione priuauit, minas eiusmodi nihili ducentem, negotióque infecto Romam profectus est. Verùm, cùm Raymundus in eum ira scandesceret, satellites misit, qui vnum obsidentes, Legatum apostolicum vulneribus confoderunt.* Hæc Author ille, quanuis, quod attinet ad Romanum iter, nequaquam nobis constet, vnde hauserit.

c de orig. S. Inquis. lib. 2. tit. 1. c. 2.

d ....

6. Vtcunque fuerit, post verba illa prolata verè Christiana, & verba Christi reddentia; quibus & occisori suo pepercit, & pro eo exorauit, vt non periret; dicitur contulisse cum suis sociis, deliberasséque, quæ pro fidei negotio facienda forent: id, quod ex Litteris Innocentij Papæ constabit inferiùs. Tum demum cunctis prouidè dispositis, ac sibi soli vacans, quia soli Deo, resolutus in lacrymas, non tam dolore vulneris extortas, quàm mentis iubilo, quæ patriam illam cœlestem præstolabatur: simul erumpens in hymnos, laudésque, deficiente paulatim calore cordis, purissimum Deo tradidit spiritum, æterna gloria in Cœlis coronandum. Hic Sancti Martyris felix, & faustus transitus; si causam mortis libeat intueri, nulli inferior; si constantiam morientis, multis illustrior: & charitate credendus excelluisse, in quo nullum, vel minimum timoris indicium fuit. Gloriosum corpus ad Villam Sancti Ægidij relatum est, Clero, & populo honorificè asportante Reliquias sacras; ac sepulcro mandante cum reuerentia in Claustro Monachorum, loco neque eminenti, neque communi: nempe, nec Martyri, sed nondum declarato, aut nullam penitùs minùs religiosè, aut minùm incousultè venerationem exhiberent. At non diu fidelis Christi testis latuit suæ testimonio sanctitatis. *Cùm corpus eius* (ait Petr. Vallsarnensis [e]) *ex Claustro Monachorum Sancti Ægidij, vbi prius fuerat tumulatum, post longum tempus in Ecclesiam transferretur, ita sanum inuentum est, & illæsum, ac si ipsa die fuisset tumulatum; mirique etiam odoris fragrantia de corpore Sancti, & vestibus emanauit.* Hanc translationem sequenti anno adscribunt quidam alij Scriptores, quò & nos referemus.

e Hist. Albig. cap. 18.

7. Glorioſum hoc Confessoris Christi certamen ptophetatum ab ipso non multò antè, optatúmque, velut quo medio Christianæ Religionis incrementa latè procederent, atque Hæreticorum ebullientium perfidia compesceretur; idem, qui suprà, Petrus Vallsarnensis [f] tradit alio in loco. *Dicebat enim vir bonus*, (scilicet, Beatus Petrus de Castro Nouo,) *sicut ab illis audiui, qui ab illius ore audierunt sapiùs. Negotium, inquiebat, Iesu Christi, in partibus istis, nunquam prosperum sortietur effectum, donec aliquis de nobis Prædicatoribus, pro defensione fidei moriatur: & vtinam ego prior persecutoris exciperem gladium.* Hæc Sanctus Pater inter optantem, prophetantémque; atque verè se ipsum offerentem hostiam Deo in odorem suauissimum: quam oblationem, vt semel acceptatam à Deo vidit, non dubitauit, neutro se fructu fore defraudandum. Inde non mirum subiisse Martyrium placido vultu, per quod sibi coronam, augmentú fidei, atque hæreticæ prauitatis excidiú præstolabatur.

f Hist. Albig. cap. 64.

8. Inter hæc Guido, & cæteri Abbates, quin & Episcopi Narbonenses, Cõcilium celebrant, vt tanto malo remediú quærerent; & quæ ex fidei negotio viderentur, communicatis consiliis, dispensarent. At quid ibi decretú sit, & qualiter, & qui Legati ad Innocentium missi, designato Fulcone, ne quid sine Cistercio perageretur, Petrus Vallium Sarnay [g] ita describit: *Videntes igitur Prælati Narbonensis Prouinciæ, & alij, quos tangebat negotium pacis, & fidei, decessisse bonæ vitæ, Oxomensem Episcopum, & F. Petrum de Castro Nouo, & F. Radulphum, qui fuerant prædicationis in terra prænotata Principes, & Magistri; animaduertentes, quòd eadem prædicatio etiam iam peregerit ex parte maxima cursum suum, nec multùm profecerit, imò penitùs fructu frustrata sit exoptato; ad pedes Summi Pontificis indicant transmittendum. Accingunt ergo se Viri Venerabiles Fulco Tolosanus, & Nauarrus Conseranensis, Episcopi, Romámque properant, supplicaturi Domino Papæ, vt periclitanti in Narbonensi Prouincia, & Bituricensi, & Burdegalensi pro pace Ecclesiæ, & quasi penitùs naufraganti, manum porrigat adiutricem.* Hæc ab Episcopis, Abbatibúsque facta in Gallia:

g Hist. Alb. cap. 9.

9. At Innocentius, cùm fama diuulgante execrandum flagitium cognouisset, atque de omnibus eius circunstantiis sufficienter instructus, zelo Christi, & fidei succenderetur; in occisores primò, fautorésque indixit anathema: pulsatis campanis, & accensis candelis, singulis diebus Festis, per omnes terræ Ecclesias publicandum: mox in Raymundum Tolosanum Comitem speciali præsumptioni obnoxium, si non conuictũ, quã anteà promeruisset, multis flagitiis, & qua dudũ ob Hæreticorũ defensionem ligatus esset, nouo hoc titulo sententiã eandem innouans per Episcopos mandat denunciari: tertiò eundem publicum, & communem hostem Ecclesiæ, (non solùm in persona mulctandum, verùm in bonis) fidelium gladiis;

terram ipsius expugnationi, prædæque expositam voluit, Cruce contra illum, vt contra Saracenos, prædicanda: necnon eisdem indulgentiis concessis Cruce signatis ad eam expeditionem, quæ transfretantibus ad terram orientalem pro locis sacris restaurandis concederentur. Demum, vt omnes Abbati Cistercienſi, & Episcopo Consoranensi eius Collegæ (dubium, an tunc, an anteà subrogato pro Radulpho, aût Petro) in cunctis assistant, obediántque, districtè præcepit: Litteris super his omnibus datis, quæ & eximiè commendant Martyrem Christi, & ad vltionem sanguinis illius clamantis de terra viriliter accingunt Christianum Orbem: quas vniuersam Historiam complectentes sequenti capite ad litteram transcribam.

Interim adnoto redditas à Petro Vallium Sarnay in Historia Albigensium [b] non aliter narrante Martyrium Sancti, quàm earundem fideli transcriptione. Cæterùm etiam, transcriptas ex Vaticano, collatásque, ac per omnia concordantes, & transmissas ab vrbe nec diuersas ab his, quas Petrus refert, authenticas apud nos extare: sicut & plures ex hactenus adductis, & ex multis inferiùs referendis. Quod ideò volui monuisse meum Lectorem, ne in aliquo hæreat; atque vt his, quæ ingenti labore, sumptúque, nec aliter potuimus obtinere; paruo ipse fruatur, nec dubia fide. Porrò Innocentij Litteræ, quæ ante Episcoporum aduentum in Vrbem Romam, paulò post mortem Sancti datæ sunt, dignæ, quæ ab Innocentio scriberentur, & quæ à cunctis legantur, ita habent. 10.

---

1. *Innocentij ad omnes Christi fideles patentes Litteræ*, 2. *de nece inuicti Martyris Petri de Castro Nouo*, 3. *narrantes factum*, 4. *& flagitium execrandum* 5. *Anathema in authores eius indictum:* 6. *& prouocati ad vindictam Christi fideles.* 7. *Proscriptus Raymundus*, 8. *publicata illius oppida:* 9. *& Episcopi in ipsum animati.* 10. *Bellum item indictum à Pontifice*, 11. *si tandem quomodo, aut tolli de medio posset, aut reuocari.* 12. *Quid de miraculis Martyris glorioſi.*

CAPVT II.

1. INNOCENTIVS *Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis, & nobilibus Viris, Comitibus, Baronibus, & vniuersis militibus per Narbonensem, Arelatensem, Ebredunensem, Aquensem, & Viennensem Prouincias constitutis, Salutem, & apostolicam benedictionem.*

a Hist. Albig. cap. 8.

Rem credulam audiuimus, & in communem luctum Generalis Ecclesiæ deducendam. Quod cùm sanctæ memoriæ Fr. Petrus de Castro Nouo, Monachus, & Sacerdos, vir inter viros vtique virtuosus, vita, scientia & fama præclarus, ad euangelizandum pacem, & confirmãdam fidem in Prouincia Occitana cum aliis destinatus, in commisso sibi ministerio laudabiliter profecisset, & proficere non cessaret: quippe qui plenè in schola Christi didicerat, quod doceret; & eum, qui secundùm doctrinam, & fidelem obtinendo sermonem, in sana poterat exhortari doctrina, & contradicentes reuincere: paratus omni poscenti reddere rationem, vt poterat vir in fide Catholicus, in lege peritus, in sermone facundus; concitauit aduersùs ipsum Diabolus ministrum suum Comitem Tolosanum Raymundum, qui cùm pro multis, & magnis excessibus, quos in Ecclesiam commiserat, & in Deum, sæpè censuram ecclesiasticam incurrisset, & sæpè, sicut homo versipellis, & callidus, lubricus, & incensans, pœnitudine simulata fuerat absolutus; tandem odium continere non praualens, quod cœperat contra ipsum, eò quòd nouerat in ore eius verbum veritatis, ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis; ac eò fortiùs in eodem Comite, quo magis pro maioribus erat ipse facinoribus increpandus; tam eum, quam Collegam suum apostolicæ Sedis Legatos ad Villam S. Ægidij conuocauit, promittens super cunctis, quibus impetebatur capitulis, satisfactionem plenariam exhibere.

2. *Cùm autem conuenientibus illis in villam prædictam prafatus Comes salutaria monita sibi facta, modò vebut verax & facilis promitteret se facturum, & modò volut fallax, & durus ea prorsus facere recusaret; volentibus illis demum ab eadem villa recedere, mortem est publicè comminatus, dicens, quòd quocunque, vel per terram diuertant, vel per aquam, diligenter eorum obseruaret egressum. Et confestim dictis facta compensans, complices suos ad exquisitas insidias destinauit. Cúmque verò, nec precibus dilecti Filij Abbatis S. Ægidij, nec instantia Consulum, & Burgensium furoris sui mitigari insania potuisset, ipsi eos, inuito Comite, nimiúmque dolente, cum armata manu præsidio, prope ripam Rhodani fluuij deduxerunt; vbi nocte quieuerunt instante, quibusdam eiusdem Comitis satellitibus, ipsis prorsus ignotis, hospitantibus cum eisdem; qui sicut apparuit in effectu, sanguinem quærebant eorum.*

3. *In crastino itaque, mane facto, & Missa celebrata de more, cùm innocui Christi Milites ad transitum se fluminis præpararent, vnus de prædictis Satanæ satellitibus lanceam suam vibrans, prænominatum Petrum, supra Christum petram immobili firmitate fundatum, tantæ proditionis incautum inter costas inferiùs vulnerauit. Qui priùs ipsum respiciens percussorem, & Christi Magistri sui [a], cum B. Stephano [b] secutus exemplum, dixit ad ipsum: Deus tibi dimittat, quia ego dimitto. pietatis, & patientiæ verbum sæpiùs repetendo. Deinde sic transfixus, ne acerbitatem quidem illati vulneris spe cœlestium est oblitus: & instanti sua pretiosa mortis articulo, cum ministery sui sociis, qui fidem promouerent, & pacem non desinens ordinare, post iustas orationes in Christo feliciter obdormiuit. Qui profectò cùm ob fidem, & pacem, quibus nulla est prorsus causa laudabilior ad martyrium, sanguinem suum fuderit, clari iam, vt credimus, miraculis coruscasset, nisi hoc morum incredulitas impediret. De quorum similibus in Euangelio legitur, quia ibi virtutes Iesus non faciebat multas [c], propter incredulitatem eorum: quia quanquam lingua non fidelibus, sed infidelibus sint in signum; Saluator tamen præsentatus Herodi, qui teste Luca [d], Valdè gauisus est viso ipso, pro eo, quod signum aliquod ab eo fieri sperabat; & facere dedignatus est signum, & reddere interrogati responsum: sciens, quia incredibilitate signorum, non credulitatis indicia, sed vanitatis illum admiratio delectabat.*

b Luc. 23. c Act. 7.

c Matth. 14.

d Luc. 23.

4. *Licèt autem ipsa prana generatio, & peruersa Prouincidium non sit digna, vt tam citò, sicut forsitan ipse quærit, de suo sibi Martyre signum detur; expedisse tamen credimus, vt vnus ipse pro ipsa [e], Ne tota periret, moreretur: qua contagio hæretica prauitatis infecta,*

e Ioan. 11.

per

per interpellantem occisi sanguinem, à suo melius reuocetur errore. Hoc est enim verus sacrificium Iesu Christi: hoc miraculosum ingenium Saluatoris, vt dum in suis esse victus putatur, tunc vincat potius in eisdem; & ea virtute, qua ipse mortem moriendo destruxit [f], à superatis interdum famulis suis, superatores eorum faciat superari. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, plurimum fructum affert [g]. Sperantes igitur, quòd de morte huius fœcundissimi grani sit fructus in Christi Ecclesia prouenturus: cùm profectò sit durè culpabilis, & culpabiliter durus, cuius animam ipsius gladius non pertransit; nec vnquam penitùs desperantes, cùm vilitas tanta debeat in sanguine suo esse, quòd sua predicationis nunciis circa memoratam Prouinciam, pro qua ipse in corruptionem descendit, optata Deus tribuat incrementa.

f in Prefatione de Resurrect.

g Ioan. c. 12.

5. Venerabiles Fratres nostros Archiepiscopos, eorúmque Suffraganeos monendos duximus attentiùs, & hortandos per Spiritum Sanctum, in virtute obedientiæ districtè præcipiendo, vt verbum pacis, & fidei seminatum ab eo, sua predicationis irriguis, emuldescere facientes, & ad expugnandam hæreticam prauitatem, ac Fidem catholicam confirmandam, ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, indefessa studio sedulitatis instantes, iam dictum Dei famuli occisorem, & vniuersos, quorum ope, vel opere, consilio, vel fauore tantum facinus perpetrauit, receptatores quoque, vel defensores illius, ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque BB. Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra excommunicatos, & anathematizatos per suas dioeceses denuncient vniuersis; & omnia loca prorsus, ad quæ ipse, vel aliquis ipsorum deuenerint, præsentibus eis, interdicto faciant ecclesiastico subiacere, singulis diebus Dominicis, & festiuis, pulsatis campanis, & candelis accensis, donec ad Sedem apostolicam accedentes, per satisfactionem condignam mereantur absolui, sententiam huiusmodi solenniter inuocantes.

6. Illi autem, qui orthodoxæ Fidei zelo succensi, ad vindicandum sanguinem iustum, qui de terra clamare non cessat [h] ad Cœlum, donec ad confundendum subuersos, & subuersores de cœlo descendat ad terram Deus vltionum, viriliter se accinxerint aduersùs hos pestilentes, suorum remissionem peccaminum, à Deo, eiúsque Vicario fecurè, promittam indultam; vt eis labor huiusmodi ad operis satisfactionem sufficiat similiter pro illis offensis, pro quibus cordis contritionem, & veram confessionem oris obtulerint vero Deo. Huiusmodi siquidem pestilentes Prouinciales non tam nostra diripere, sed nos perimere moliuntur: nec solùm ad perimendas animas linguas acuunt; verùm etiam ad perdenda corpora manus extendunt, proditores animarum effecti, & corporum peremptores.

h Gen. 4.

7. Licèt autem prefatus Comes pro multis, & magnis flagitiis, quæ longum esset per omnia enarrare, iam dudum sit anathematis mucrone percussus: quia tamen certis indiciis mortis Sancti Viri præsumitur esse reus; non solùm ex eo, quòd publicè comminatus est ei mortem, & insidias parauit eidem; verùm etiam ex eo, quòd occisorem ipsius in multam familiaritatem admisit, & magnis donis remunerauit eundem, vt de cæteris præsumptionibus taceamus, quæ plenius innotescunt multis: ob hanc quoque causam iidem Archiepiscopi, & Episcopi publicè nuncient anathematizatum eundem. Et cùm, iuxta Sanctorum Patrum canonicas sanctiones, ei, qui fidem Deo non seruat, fides seruanda non sit, à communione fidelium segregato, vtpote qui vitandus est, potiùs quam fouendus; omnes, qui dicto Comiti fidelitatis, seu societatis, aut fœderis huiusmodi iuramento tenentur adstricti, authoritate apostolica denuncient interim absolutos; & cuilibet catholico viro licere, saluo iure Domino Principali, non solùm persequi personam eius, sicut verum etiam occupare, & detinere terram ipsius, illius præsertim obtentu, quòd ab hæresi per suam prudentiam fortiter expietur, qua per ipsius nequitiam fuit hactenus turpiter fœdata, & maculata: quia dignum est, vt manus omnium contra ipsum consurgant, cuius manus extitit contra omnes.

8. Quòd si nec sic vexatio dederit intellectum, manus nostras in eo curauimus aggrauare. Si quomodo verò satisfactionem promiserit exhibere, ipsum pœnitudinis sua hæc signa præmittere oportebit: vt de toto posse suo depellat prauitatis hæretice Sectatores, & se paci satagat conciliare fraterna; cùm principaliter propter culpam, quam in vtroque noscitur commisisse, in eum ecclesiastica fuerit prolata censura. Quanquam si in suas iniquitates Deus voluerit obseruare, vix posset congruè satisfacere, non tantummodo pro se ipso, sed pro alia multitudine, quam in laqueum damnationis induxit. Quia verò secundum sententiam Veritatis, timendi non sunt, qui corpus occidunt [i], sed ille, qui potest mittere corpus, & animam in gehennam. confidimus, & speramus in eo, qui vt a fidelibus suis timorem mortis auferret, mortuus die tertia resurrexit; quòd prafati hominis Dei mors Venerabili Fratri nostro Conseranensi Episcopo, & dilecto filio A. Abbati Cistercienſi, apostolicæ Sedis Legatis, aliisque orthodoxæ Fidei sectatoribus, non solùm timorem non incutiet, sed amorem accendet, vt eius exemplo, qui vitam æternam temporali morte feliciter est mercatus, animas suas in tam glorioso certamine, si necesse fuerit, pro Christo ponere non formident.

i Matth. 10.

9. Vnde Archiepiscopis, & Episcopis confidendum duximus, admonendo preces præceptis, præcepta precibus inculcantes, vt Legatorum ipsorum salubribus monitis, & mandatis efficaciter intendentes, tanquam strenuissimi commilitones assistant eisdem in omnibus, quæ propter hoc, ipsis duxerint iniungenda: scientes, quòd sententiam, quam ipsi non solùm in rebelles, sed etiam in desides promulgauerint, nos ratam haberi precipimus, & inuiolabiliter obseruari.

10. Eia igitur, Christi Milites: eia, strenua militia Christiana Tyrones, moueat vos generalis Ecclesia gemitus, succendat vos ad tantam Dei vindicandam iniuriam pius zelus: mementote, quia Creator noster nostri non indiguit, cùm nos fecit; qui, quanquam nostro seruitio non indigeat, vt quasi per illud minùs in agendo quicquid voluerit, fatigetur: & sua omnipotentia minor sit, obsequio nostro carens; occasionem tamen in hoc articulo nobis tribuit acceptabiliter seruiendi. Cùm igitur post interfectionem prafati iusti, Ecclesia, qua in partibus illis est absque consolatore, in tristitia & mœrore sedente, fides euanuisse, periisse pax, hæretica pestis, & hostilis rabies fortiùs inualuisse dicatur: ac si potenter in eius nouitate procella non succurratur eidem, penè penitùs videbitur nauis Ecclesia naufragari: Vniuersitatem vestram monemus attentiùs, & propensiùs exhortamur, ac in tanta necessitatis articulo in virtute Christi confidenter iniungimus, & in remissionem peccaminum indulgemus, quatenus tantis malis occurrere non tardetis, & ad pacificandum gentes illas in eo, qui est Deus pacis, & dilectionis, intendere procuretis: & quibuscunque modis reuelauerit vobis Deus, hæreticam ibi studeatis perfidiam abolere; Sectatores ipsius eò, quàm Saracenos securiùs, quò peiores sunt illis, in manu forti, & extento brachio impugnando.

11. Prænominatum etiam Comitem, qui quasi fœdus percussisset

percussisset cum eadem morte, propria non recogitat, si fortè vexatio sibi tribuat intellectum, & impleta
a Psal. 82. *facies eius ignominia* [a] *incipiat inquirere nomen Dei, ad satisfaciendum nobis, & Ecclesiæ, imò Deo: pendere non desinatis indicta super eum oppressionis vrgere, ipsum, & fautores eiusdem de Castris Domini depellendo, & auferendo terras eorum: in quibus relegatis Hæreticis, habitatores catholici subrogentur, qui iuxta orthodoxæ fidei nostræ disciplinam in sanctitate, & iustitia seruiant coram Deo. Datum Laterani VII. Idus Martij, Pontificatus nostri anno XI.* Hactenus Litteræ Innocentij, Summi Pontificis, de cæde Sancti Martyris, quibus nihil prorsus addi, nihil demi possit.

12. Verùm, quod ait nondum incepisse clarere miraculis, propter incredulitatem Hæreticorum, confirmatum videtur ipso euentu. Quandoquidem in translatione sacri corporis, quæ non habitatores concernebat; sed solum Sanctum; miraculum non defuisse compertum est, corporis incorrupti, atque mitè fragrantis, quod & suprà notauimus, & anno sequenti latiùs referemus: vt neque sua gloria deesset cœlesti ciui; neque ideò tamen incolæ indigni, miraculorum eius beneficio perfruerentur. Lego & aliud miraculum haud leue, quod idem Petrus Vallsarnensis scriptum reliquit, & se multorum, ac proborum virorum Canonicorum Ecclesiæ Tolosanæ relatione veridica accepisse testatur. *Ab illo die, quo sacrilegus parricida Sancti Legati impium illud flagitium perpetrauit, in detestationem tanti sceleris, ne canes accepisse panem ab eius manu.* Vt vel ex brutis homines addiscerent, execrari hominem, in quem tantum flagitium cadere potuit. Sed redeo ad Historiam.

---

1. Raymundus Comes duos alios ad Vrbem Legatos mittit, 2. qui obiectis respondeant, & nouum remittendum à Curia Legatum petant. 3. Transmissus Milo, 4. & iniuncta ei exequenda Arnaldi monita. 5. Eidem Miloni Theodosius Collega additus. 6. Arnaldum quærunt: 7. deinde simul cum ipso Regem adeunt. 8. Iniuncta prædicatio Crucis Guidoni Abbati Vallsarnensi: 9. & coacto Concilio, inuenti omnes conuenientes Arnaldi monitis.

CAPVT III.

1. TOLOSANI, & Consorancnsis Episcoporum profectione in Vrbem, vèriùs flagitij conscientia perculsus Comes, timens sibi à Principibus Christianis, si res, vt erant, peruenirent ad Innocentium, Legatos & ipse alios Romam misit, qui sparsam iam per totum Orbem famam, contrario, vt possent, rumore superspario diluerent, respondèrent obiectis, atque obedientiam aliàs sæpè promissam, inculcarent de nouo, & repromitterent, nulla certiori fide: sed Innocentio vtcunque deliniendo, quascunque subituri conditiones, quascunque etiam iuratorias cautiones exhibituri. Verùm, quia fraudibus eius dudum suetum, ni se ad nouas fallendi artes conuerteret, vlteriùs fallere arduum reputabat: de Abbate Cistercij conquestus est, quasi querelam querela compensaturus. Hominem rigidum, & sub typo constantiæ durum, ac pertinacem, zelo fortassis bono, sed indiscreto exarsisse in ipsum, qui precibus, quàm minis, obsequio, quàm rigore magis flectendus foret. Contrariam illi diuinæ menti mentem, contraria facta: & vocem illam dulcem, paternámque: *Nolo mortem peccatoris; sed vt conuertatur, & viuat* [a]. in Arnaldo frustratam, imò inuersam: quippe quærente mortem, non conuersionem; & reputante iustitiæ derogari, quoties misericordiæ locus esset. Alios certè de viro aliter loqui, quia alium inuenissent in suis causis: se nihil penitùs expertum, nisi rigorem: Iudicem recensere, quem meritò suspectum habere posset: maximè cùm videret sibi imponi tam immane flagitium, de quo vel innocens timeat condemnari. Vnicus ergo totius petitionis scopus fuit, Legatum alium ex Vrbe transmittendum, cuius sese iudicio credere posset: veriùs, qui vel muneribus subuerti, vel fraudibus decipi posse speraretur. De hac Raymundi ad Innocentium Legatione Petrus Vallium Sarnay [b] hæc habet verba: *Quod audiens Comes Tolosanus, imo, dicamus melius, Dolosanus, perrexisse, videlicet, prænoratos Episcopos ad Curiam Romanam, timens, se dignè pro meritis puniendum, videnſque facta sua non posse impunè transire, pœnitudinem simulans, & si posset, sibi precauens in futurum: cùm multos alios iam misisset, quosdam execrabiles, & malignos, Archiepiscopum Auxitanum, & Raymundum de Rebastenchs, qui quondam fuerat Tolosanus Episcopus; sed meritis suis exigentibus erat depositus, misit Romam: conquestusque est Domino Papæ per Nuncios illos de Abbate Cistercienſi, qui Legationi super negotio fidei fungebatur: asserens, quòd eum exacerbaret nimis asperè, & plùs iusto: promittens etiam Comes, quòd si Dominus Papa, aliquem à latere suo ad illum dirigeret, ad voluntatem ipsius per omnia se haberet. Hoc autem non dixit, quia vellet se aliquatenus emendare: sed cogitabat, quòd si Dominus Papa aliquem de suis Cardinalibus ad eum mitteret, ipsum posset, sicut homo versipellis, & callidus, circumuenire.*

2. Romæ vtrisque Legatis consistentibus, videlicet, Fulcone, Nauarróque à Concilio missis, & Auxitano, ac quodam Tolosano pro parte Comitis; veritas in ancipiti: & cùm res ex longinquo non constarent, apud ignaros, dicta dictis, vt solet, compensabantur: neque vnquam Curialibus displicuère querelæ litigantium, accusationésque, aut quod eisdem inquirendis, & decidendis ex ipsa Curia Legatus postularetur. Non deerant, qui euertendam omninò fidem, & tyrannum audaciùs sæuiturum contra Catholicos, si amouerent Arnaldum, non dubitarent. Sed nihilominùs Principi potenti intra propriam ditionem constituto, & designato reo in causa grauissima, suspectum dare Iudicem, quantumuis aliàs integrum, maximè post apertam recusationem, haud satis æquum à multis iudicabatur. Ergo Innocentius Spiritu Dei plenus, vt monstrauit euentus, mediam viam censuit arripiendam: vt neque Legatum Raymundo denegaret; nec Arnaldum amoueret: & nihilominùs Collegæ superaddito iniungeret, nihil omninò facere, aut exequi, quod non Arnaldi iudicio dirigeretur. Eadem nobis Historia vtrunque prodit; & quàm prudenter vtrunque prouisum fuerit. Et quidem de Legatu, quæ Miloni iuncta, ita scribit [c]:

b Hist. Albig. cap. 9.

c cap. 9.

Omnipotens,

3. *Omnipotens*, ait, *qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, noluit puritatem circumueniri apostolicam, noluit regi amplius dicti Comitis prauitatem, præuidit igitur iustè, & misericorditer iustus Iudex, vt & Dominus Papa Comiti, quasi iuste petenti satisfaceret, & ipsius Comitis malitia diutius non lateret. Misit enim Dominus Papa vnum de Collateralibus suis Clericis, ad partes Prouincia, Milonem nomine, virum vtique vita honestum, scientia præclarum, facundia disertum, qui, vt probitatem eius breuiter perstringamus, nec terrore terreri potuit, nec minis frangi. Comes autem audiens, quòd veniret Magister Milo, gaudio gauisus est valdè, quia putauit, quòd sæpedictus Magister ad ipsius se haberet per omnia voluntatem: discurrénsque Comes per terram suam cœpit gloriari, & dicere: Modo bene est mihi, quia Legatum habeo secundum cor meum, imò ipse ero Legatus.* Hactenus ibi de designatione Milonis facta per Innocentium, & vana spe adeptæ immunitatis, quam ex ea concepisset Raymundus Comes.

4. At quàm vana, & quàm futilis spes, ipsa, quæ Innocentius Legato mandata dedit, ab ipso initio cœperunt patefacere: sic enim dicitur capite sequenti [d]: *Dominus verò Papa M. Miloni dederat in mandatis, vt de omnibus, quæ ad negotium fidei pertinebant, & præcipuè super facto Comitis Tolosani, ad Concilium Cistercy Abbatis ordinaret: eò quòd Abbas statum negotij, & versutias Comitis plenè sciret. Vnde & Dominus Papa M. Miloni expressè dixerat: Abbas Cistercij totum faciet, & tu organum eius eris: Comes enim Tolosanus habet eum suspectum, tu non eris ei suspectus.* Hæc vnica Miloni instructio; hoc vnicum mandatum ab Innocentio. Quare, & priùs quàm suæ Legationis adiret loca, Arnaldum quærere, simul cum ipso Philippum Regem alloqui. Demum cum eo facienda omnia conferre jussus est, vt ex statim dicendis apparebit.

d cap. 10.

5. Datus est & prædicto Miloni Collega Magister Theodosius, de quo in eisdem Actis hæc habentur [e]: *Missus est autem cum dicto M. Milone Clericus quidam Magister, Theodosius nomine, Canonicus Ianuensis, qui sæpedicto M. Miloni assisteret, & ipsum in expediendo fidei negotio adiuuaret. Iste Theodosius vir multa scientia, vir constantia mirabilis, vir eximia bonitatis, qui benè se habuit in negotio Iesu Christi; qui quanta pro eodem negotio pericula passus sit, & labores, rei exitus patefecit, & nos postmodum curabimus latiùs intimare.* His impetratis ab vtriusque partis Episcopis, qui Romam missi fuerant, profecti omnes: Legati Episcoporum, & Raymundi vtrique ad suos, vtrique via recta: Milo, & Theodosius in Galliam diuersuri; quæsituri Arnaldum, atque Philippum Regem, cum eodem Abbate, super bello Hæreticis inferendo colloquuturi.

e ibid.

6. Pergit Author de itinere Milonis, atque Theodosij [f]: *Descendentes igitur M. Milo, & M. Theodosius, in Franciam, Abbatem Cistercij apud Antisiodorum inuenerunt. Consuluit igitur M. Milo Abbatem Cistercienſem, super pluribus certis capitulis, quæ ad negotium fidei pertinebant: Abbas verò de omnibus diligentiùs instruens, consilium suum tradidit ei scriptum, & sigillatum. Monuit etiam eum, & consuluit, vt antequam aggrederetur Comitem Tolosanum, conuocaret Archiepiscopos, Episcopos, & alios Prælatos, quos expedire videret: & eorum quæreret, & haberet consilia. Quosdam etiam de Prælatis M. Miloni expressè, & specialiter nominauit, quorum consiliis deberet idem Magister adhærere.* Hæc prima pars apostolici mandati exequuta fideliter. Verùm de itinere, quod ambo peregerunt ad Regem Franciæ, intimatis mandatis Innocentij, & de Regis responso, audi, quod sequitur [g]:

f vbi supra.

g cap. 10.

7. *Post hæc Abbas Cistercienſis, & Magister Milo perrexerunt ad Regem Francia Philippum, qui apud Nouam Villam in territorio Senonico cum pluribus de Baronibus suis solenne colloquium celebrabat. Frat enim Dux Burgundia, Odo, Niuernensis, & Sancti Pauli Comites, & multi alij nobiles, & potentes. Dominus autem Papa mittebat Regi Litteras speciales monens, & deprecans, vt per se ipsum, saltem per filium suum Ludouicum periclitanti in Narbonensi Prouincia Ecclesiæ auxilium impenderet opportunum. Rex autem Nuncio Domini Papæ tale dedit responsum: quod duos magnos, & graues habebat à lateribus leones, Othonem, qui dicebatur Imperator, & Regem Anglia Ioannem: qui hinc, & inde ad turbationem Regni Franciæ totis viribus laborabant. Ideóque, nec ipse à Francia vllo modo exire vellet, nec filium mittere: imò satis ei videbatur ad præsens, si Barones suos ire permitteret, ad perturbandum in Narbonensi Prouincia pacis, & fidei perturbatores.* Sic Vallsarnienſis.

8. Haud sanè parum Legatis visum fuit, quòd Rex Philippus in eis angustiis positus: nam reverà ab vtroque Principe nunc publicè, nunc latenter impetebatur; Principibus, quos habebat Regni columnas, faceret potestatem, vt contra Hæreticos Galliæ Narbonensis bellum assumerent: cùm maximè prædicanda Cruce per totum Regnum in eam expeditionem, haud pauci crederentur profecturi. Ergo Arnaldus Guidone ad se vocato, vt constabit inferiùs, (& credibile destinasse alios ad hoc opus,) Crucem contra Albigenses contumaces prædicari per totam Galliam iubet. Interim Magistrum Milonem cum Theodosio (Theodinum exemplaria alia nominant) in partes Narbonenſes proficiſci, coacturos Concilium, & cum Præsulibus illis præcipuè, quos zelo feruentiores, disertiores prudentia, & firmiores in fide designauisset, de cunctis, quæ imminebant, collaturos, vt vel sic crederent, ex Dei inspiratione, qui in nomine eius congregatis solet assistere, procedere consilium, quod tandem vltimò exequutioni mandandum esset. Tum demum aperiendum eius scriptum, quod sigillatum Miloni tradidisset: &, si concordans cum aliis inuenitetur, exequendum, securè: sin minùs, pro eorum arbitrio, iudicióque, aut temperandum, aut etiam extendendum. Verùm, quid magnum, & planè miraculosum in hoc ipso contigerit, ex eodem Authore [h] accipiat Lector.

h cap. 11.

9. *Celebrato apud Nouam Villam colloquio* (scilicet, Regis Franciæ) *prænominato; M. Milo, cum Collega suo M. Theodosio, ad partes Prouincia perrexit: veniénsque ad quoddam Castrum, quod Montilum nuncupatur, conuocauit Archiepiscopos quamplures: qui cum ad eum venissem, quæsiuit ab eis diligenter, qualiter procedendum esset in negotio pacis, & fidei: præcipuè in facto Comitis Tolosani. Voluit etiam, vt singuli Prælati super certis Capitulis, de quibus eum Abbas instruxerat Cistercienſis, sua ei tradérent consilia scripta, & sigillata. Factum est, vt præcepit: & quod auditu est mirabile, omnia, tam Abbatis Cistercienſis, quam Prælatorum consilia sine dissensione aliqua conuenerunt. A Domino factum est istud.* Et planè mirabile debuit apparere in omnium oculis. Sic, sic Deus, quod suum credi volebat, disponebat consilium: & de quo quereretur impius Comes, Cistercienſem Abbatem, & eius zelum, in oculis cunctorum magnificabat.

1. Guido, & alij per Galliam Crucem prædicant. 2. Idem à Duce Burgundiæ ad Comitem Monfortium Legatus mittitur, 3. felici auspicio infideles expugnaturum. 4. Tunc apostolicus Legatus Raymundum citat, 5. & graues conditiones ei imponit: 6. dein absoluendum remittit in Villam Sancti Ægidij. 7. Forma iuramenti præstiti à Comite ante fores Ecclesiæ: expressis omnibus, quibus impetebatur capitulis, 9. & de parendo in omnibus mandatis data securitate: 10. absolutio: & reuerentia Sancto exhibita. 11. Fratres absoluti, & absoluentium ad Galliam reditus.

CAPVT IV.

1. INTER hæc Guido Vallium Sarnay Abbas, aliíque prædicabant in Francia Crucem contra Hæreticos: de qua prædicatione, & eius fructu, hæc eius nepos simul, sociúsque in sua Historia [a]: *Summus autem Pontifex, vt ad extirpandam pestem hæreticam fideles populos efficeret promptiores, generales miserat litteras ad omnes Prælatos, Comites, & Barones, & vniuersum populum in Regno Francia constitutum, monens efficaciter, & exhortans, vt festinarent ad vindicandam in Narbonensi Prouincia iniuriam Crucifixi; scientes, remissionem omnium peccaminum à Deo, eiúsque Vicario vniuersis indultam, qui ortodoxæ fidei zelo succensi ad opus se accingerent huius pietatis: dummodo contriti essent pariter, & confessi. Quid plura? Publicatur ista Indulgentia in Francia: armat se multitudo magna fidelium signo Crucis.*

[a] cap. 10.

2. Cæterum Guido Abbas non solo verbo, verùm opere etiam, industriáque promouebat negotium: & cùm Ducem Burgundiæ persuasisset, alios, inter complures, eò adegit, vt Comitem Monfortium, penes quem posteà summa rerum futura erat, ad eandem prouocaret expeditionem; interminicio eodemmet Guidone, & multis promissis, si cum ipso se accingeret ad bellum, atque vnà negotium Christi & fidei prosequerentur. At quàm felici auspicio consentus Comes, expeditionem ipsam aggressus sit, idem Author scribit totidem verbis [b]: *Redibat Venerabilis Abbas Vallium Sarnay, Guido nomine supradictus, qui negotium Fidei contra Hæreticos, in quantum poterat, promouebat, à Duce Burgundiæ ipsius Ducis litteras habens secum, continentes, quod Dux rogabat Comitem Montis fortis, vt cum ipso se accingeret ad militiam Iesu Christi contra Hæreticos: ingentia dona offerens, si in hoc acquiescere vellet ei.*

[b] cap. 17.

3. *Contigit autem, vt dictus Abbas veniens à Duce, dictum Comitem inueniret in Ecclesia cuiusdam Castri ipsius Comitis, quod dicitur Rupis fortis, quibusdam negotiis occupatum: cúmque Abbas vocasset illum in partem, Ducis litteras ostensurus, transiens idem Comes per cancellum Ecclesiæ, librum Psalterij, quem super formulam inuenit, apprehendens, diuino nutu ex industria aperuit, & digitum suum super primam lineam tenens, dixit Abbati: Exponite mihi Scripturam istam* [c]: Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis: In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum *quod diuina dispositione promissum, vti exitus manifestissimè comprobauit.* Hactenus ibi. Porrò de antiqua eiusdemmet Abbatis cum Monfortio amicitia, dicam sequenti capite. Itaque congregati fideles vndique, atque vndique se ipsos exhortantes Illustres Principes, ipso Deo annuente, fauentéque Hæreticis minabantur ferrum, & ignem.

[c] Psal. 90.

4. Igitur Milo Legatus apostolicus, qui & hoc ab Arnaldo, atque Episcopis in consiliis haberet, cùm primùm totam Galliam commotam vidit, & iam instantis expeditionis rumorem peruenisse ad Comitem, qui aduersùs se parari, si resisteret iussis, non dubitaret: tum verò ad eum per nuncios mittendum censuit [d]: *Mandans ei, vt ad diem, quam sibi præfigebat, veniret ad ipsum apud Valentiam ciuitatem. Venit Comes ad diem illum, & sicut fallax, & fictus, lubricus, & periurus, promisit Legato, videlicet, M. Miloni, licèt in dolo, quòd suam faceret in omnibus voluntatem. Legatus autem, vtpote vir cautus, & prudens, (Prælatorum vsus consilio,) voluit, & præcepit, vt Comes Tolosanus traderet ei pro securitate de terra, quam tenebat in Prouincia, castra septem. Voluit etiam, vt Consules Auenionenses, & Nemausenses ciuitatum, & Villa Sancti Georgij iurarent ei, quòd si Comes Tolosanus mandato ipsius Legati venire præsumeret ex aduerso, non tenerentur ei hominij, seu fœderis fidelitate adstricti. Comitatus insuper Ingruensis S. R. Ecclesiæ caderet in commissum.*

d Histor. Albig. cap. 11.

Porrò, cùm hæc tam ardua postulasset, quorúmque proculdubiò Arnaldus Abbas, vel minori etiam parte contentus esset: tantus Cruce signatorum timor Raymundum inuaserat, vt nihil penitùs recusare ausus, duriora multò, ab eo, quem expectarat, Legato passus sit, quàm pateretur ab eo, quem recusasset. Nam pergit Author [e]: *Comes verò Tolosanus, quamuis dolens, & inuitus, necessitate compulsus, omnia, quæ Legatus mandauerat, adimplere promisit. Sicque factum est, vt qui Abbatem Cistertiensem durum dixerat, Legatum longè diceret duriorem. Hoc autem, Deo disponente, iustissimè factum esse creditur, quòd vbi tyrannus sperauit remedium, vltionem reperit, & flagellum. Statim vir totius bonitatis M. Theodosius de mandato Legati, venit in partes Prouincia, vt septem castra, de quibus suprà tetigimus, reciperet, & ea occuparet ex parte S. R. Ecclesiæ, & munires.* Hactenus in eo Capitulo. Verùm de absolutione eiusdem Comitis, quæ in Villa Sancti Ægidij facta est, pergit in sequenti:

5.

e ibid.

His omnibus vitè peractis, descendit Legatus ad Villam Sancti Ægidij reconciliaturus ibidem Comitem Tolosanum. Modus autem reconciliationis, & absolutionis talis fuit. Adductus est Comes nudus ante fores Ecclesiæ Beati Ægidij, ibique coram Legato, Archiepiscopis, & Episcopis, qui ad hoc conuenerant, plusquam viginti, iurauit super Corpus Christi, & Sanctorum Reliquias, quæ ante fores Ecclesiæ expositæ, cum magna veneratione, & in multa copia à Prælatis tenebantur, quòd mandatis S. R. Ecclesiæ in omnibus obediret. Hactenus ille. Narrat deinde cæremonias absolutionis, quas nos statim, sed iuramentum ab ipso præstitum de parendo mandatis Summi Pontificis, & Milonis Legati, in omnibus articulis, super quibus anteà fuerat denunciatus, ex Vaticano transcriptum proferamus:

f cap 12. 6.

g in Regest. innocen. lib.

Hæc est forma iuramenti facti à Raymundo, Comite Tolosano, apud S. Ægidium, in manu Domini Milonis, priusquam ab ipso reconciliaretur. In nomine Domini,

7.

Domini. Anno Pontificatus Domini Innocentij Papæ III. undecimo, XIV. Kalend. Iulij, Ego Raymundus Dux Narbonensis, Comes Tolosæ, Marchio Provinciæ, sacrosanctis Reliquiis, Eucharistia, & ligno Crucis Dominicæ compositis, supra sancta Dei Euangelia corporaliter manu tacta, iuro, quod supra singulis, & vniuersis capitulis, pro quibus à Domino Papa, vel eius Legato, vel aliis, ipso iure fui, vel sum excommunicatus, stabo mandatis in primis Domini Papæ, ac vestris, Magister Milo, Domini Papæ Notarij, Apostolicæ Sedis Legatesita, videlicet, vt, quicquid vel per litteras suas, vel per Nuncios, vel Legatos mihi præceperit, super vniuersis capitulis, pro quibus excommunicatus fui, vel sum, bona fide, sine fraude, ac malo ingenio adimplebo: super istis præcipuè capitulis, quæ hic nomino.

8. *Videlicet, quòd pacem, aliis iurantibus, dicer meluisse iurare: item, quòd iuramenta, quæ feci super expulsione Hæreticorum, vel eis credentium, non seruasse dicor: item, quòd Hæreticos dicer semper fouisse, eisdémque fauisse: item, quòd de fide suspectus habeor: item, quòd ruptarios, siue mainardos, tenui: item, quòd dies quadraginta Festorum, & Temporum, qui securitate gaudere debent, dicer violasse: item, quòd Aduersariis meis, qui se iustitiæ offerebant, pacémque iurauerant, dicer noluisse iustitiam exhibere: item, quòd Iudæis publica commisi Officia: item, quòd Monasterij S. Guilelmi, & aliarum Ecclesiarum possessiones, & Ecclesias iniustè detineo: item, quòd incastellaui Ecclesias, & incastellatas detineam: item, quòd indebita pedagia, vel guidagia colligo, vel colligere facio: item, quod Carpentoratensem Episcopum à propria Sede depuli: item, quòd de interfectione sanctæ memoriæ Petri de Castro Nouo suspectus habeor; pro eo maximè, quòd interfectores ipsius in magna familiaritate recepi: item, quòd Vasionensem Episcopum, & eius Clericos cepi, & Palatium eiusdem Episcopi, & Domos Canonicorum destruxi, & Castrum Vasionense per violentiam abstuli: item, quòd in Religiosas personas manus iniecisse dicor.*

9. *Super his, & aliis, si qua potuerunt inueniri, prædicto modo iurauí, & alios iurare feci, & septem castrorum dedi cautiones, quorum nomina sunt hæc: Fiaci, Epeda, Balme, Requemaura, Castrum Mornacij, Faniaux in argentea Monferrati. Si autem ea, quæ suprà dixi, capitula, & alia, quæ immutata mihi fuerint in perpetuum bona fide non seruauero, volo, & concedo, vt septem suprædicta castra cadant in commissum Romanæ Ecclesiæ: & ius, quod habeo in Comitatu Melgoriensi ad Romanam Ecclesiam plenissimè reuertatur. Volo etiam, & concedo, vt persona mea excommunicetur, & terra supponatur ecclesiastico interdicto; & coniuratores mei, tam Consules, quàm alij, & successores eorum ex hoc ipso absoluti à fidelitate, iure, ac seruitio, quibus mihi tenentur, ratione Ecclesiæ, pro feudis, & omnibus, quæ habeo in ciuitatibus, & castris, de quibus erant, tam Consules, quàm illi, qui iurarunt fidelitatem facere, teneantur pariter, & stare: item, sub eodem iuramento, & eadem pœna stratæ publicæ securè seruabò, eisdem pœnis subiacere volo, si prædicta omnia non seruauero; vel aliquod prædictorum.* Hactenus iuramentum, quod Comes fecit, in quam eandem formam iurasse etiam dicuntur Consules Auenionenses, & Nemausenses.

Porrò, quæ iuramentum sequuta est reconciliationis forma iuxta ritum antiquum; qualitérque nudus, & verberatus idem Comes, sic disponente Deo, per Beati Petri, ab eo recèns occisi, venerandum sepulcrum pertransierit, vt reuerentiam, quam viuenti denegauerat, exhiberet vel mortuo, idem, qui suprà, Author[h] pergit scribere: *Mox Legatus stolam ad collum Comitis poni fecit, ipsúmque Comitem per stolam arripiens, absolutum cum verberibus in Ecclesiam introduxit. Nec silendum, quòd cùm Comes Tolosæ introduceretur in Ecclesiam, sicut diximus, S. Ægidij cum verberibus, disponente Deo, nullatenus de Ecclesia potuit exire præ turba, per viam, qua intrauerat: sed oportuit, eum descendere in inferiora Ecclesiæ, & per ante sepulcrum Beati Martyris, F. Petri de Castro Nouo, quem occidi fecerat, nudum transire. O iustum Dei iudicium! quem enim contempserat viuum, ai reuerentiam compulsus est exhibere defuncto.* Hactenus gesta in reconciliatione Comitis. 10.

[h] Petr. Vall. cap. 12.

Addit & idem Author vafritiem hominis, qui vt altiùs falleret, Cruce signari se à Legato petiit, obtinuítque: non quòd Hæreticos vellet infestare; sed, vt sic terram suam à Cruce signatorum infestatione tueretur. Neque Legatus censuit repellendum, cùm ex operibus magis, quàm ex Cruce orta occasione dignoscendum non dubitaret. Tum verò *Milo, Magistérque Theodosius* (sic Acta pergunt[i]) *redierunt versùs Lugdunum, vt Cruce signatis, qui statim venturi erant contra Prouinciales Hæreticos, obuiarent. Per totam siquidem Prouinciam diuulgata erat Indulgentia, quam fecerat Dominus Papa proficiscentibus contra prædictos Hæreticos, ideóque quamplurimi nobiles, & ignobiles contra hostes Crucis armauerunt se in pectoribus Crucis signo.* Sic ibi. Sed, quid per Cruce signatos gestum sit, & de eorum aduentu, quos Abbas Cistercij Arnaldus, aliíque, maximè ex nostris comitabantur; anno sequenti, quo euenit, dicemus. Nunc de antiquâ Guidonis amicitia cum Comite Monfortio, penes quem summa rerum; quam ante quatuor annos insinuatam, in hunc locum remisimus; tum vt promissis, fideliter stemus pro maiori notitia totius facti, sequenti capite nobis dicendum erit. 11.

[i] cap. cod.

---

1. *Guidonis cum Simone Monfortio familiaritas.* 2. *Profectio in Syriam, & pro iustitia, & Ecclesiæ obedientia animus constans.* 4. *Reliquorum Baronum inobedientia, & exitus.* 5. *Simonis felicitas.* 6. *Legatio ad Simonem missa occasio:* 7. *& alia dicta de ipso, quædam historicè, & quædam remissiuè.* 8. *Nicolai Camuzatij perpensa nota.* 9. *Et obiter de laude Reipublicæ Venetæ nonnihil.*

CAPVT V.

1. GVIDONI Abbati, cum Comite Monfortio antiquam familiaritatem, multis periculis terra, marique, multis etiam laboribus firmatam, confirmatam virtutibus (quod vnicum animorum ligamen indissolubile) habemus ex eodem Petro Vallsarnensi in eadem Historia; vbi vtriusque in Syriam profectionem, quam nos superiùs, & animi modestiam, constantiámque paucis perstringit, nullis vnquam cessuras persuasionibus, nullis vtilitatibus, nullis scandalorum offendiculis à tramite Iustitiæ dimouendas. De profectione ipsa dictum à nobis suo loco, & tempore; déque fructu illius

illius satis copioso,si modò diuturnioti. At, quæ in via ibidem prætermissa,quòd Guidonis,& Comitis Monfortij,tum amicitiam, tum morum similitudinem concernere videantur,huc remittimus, breuiter referemus. Ergo hæc habet Guidonis nepos [a]:

a Hist. Alb. cap. 19.

2. *Quodam tempore idem nobilis Comes, & Abbas Vallium Sernay, Guido, qui fuit postea Episcopus Carcassona, de quo sapiùs fecimus mentionem, proficiscebatur cum Baronibus Franciæ vltra mare: venientes autem nobiles Franciæ Venetiã, ciuitatem opulentissimam, vbi ad transfretandum debebant de communi conducto naues ascendere; naues ipsas de carissimo pretio conduxerunt. Erant autem nobiliores totius Franciæ, Comites, videlicet, Flandriæ, Balduinus, & Henricus, frater eius, Comes Blesensis Ludouicus, & nobilis Comes Montisfortis, & alij multi, quos non erat facile numerare. Ciues autem Venetis homines callidi, & peruersi, videntes quòd peregrini nostri, propter nauium pretium immoderatũ, exhausti essent pecunia, & penè penitùs emunctæ; nec tunc dictum naulum ex magna parte soluere possent; nacti inde occasionem, videlicet, quòd peregrini nostri erant illius obnoxij, & subiecti, duxerunt eos ad destruendam ciuitatem quandam Christianorum, quæ erat Regis Hungariæ, nomine Iadram. Quò cùm peregrini nostri peruenissent, sicut mos est obsidentium, fixêre tentoria prope muros ciuitatis. Comes autem Montisfortis, & Abbas Vallium non sequentes turbam ad faciendum malum, noluerunt obsidere cum aliis, sed longiùs à ciuitate se locauerunt.*

3. *Interea Dominus Papa misit Litteras suas omnibus peregrinis districtè, & sub periculo indulgentiæ peccatorum, quam eis fecerat, & sub pœna grauissimæ excommunicationis inhibens, ne ciuitatem Iadræ in aliquo damnificarent. Quas Litteras cùm Abbas Vallium die quodam nobilibus exercitus, qui erant congregati in vnum, recitaret, & Venetis ipsum vellent occidere; nobilis Comes Montisfortis surrexit in medium, & Venetis se opponens, restitit eis, ne Abbatem occiderent præstantem. Ciues autem Iadrenses, qui ibi causa postulandæ pacis aduenerant, allocutus est Comes nobilis in præsentia Baronum omnium in hunc modum: Non veni, inquit, huc, vt destruerem Christianos: nullum malum vobis inferam; sed quidquid faciant alij, ego à me, & meis facio vos securos. Sic fatus vir strenuissimus statimque ipsi, & sui à loco colloquij exierunt.* Hactenus vtriusque viri constantia, iustitiaque: hæc dum Venetis vrbem expugnaturis non se commiscent, & soli inter tot millia à bello abstinent, quod sciebant iniustum: illa in Abbate, dum nec mortem timet, vt litteras intimaret Papæ; in Simone, dum Venetis resistit, & quem iam occidere parantem, ab eorundem gladiis eripit. Nunc ad reliquos euentus [b]

b ubi supra.

4. *Barones exercitus mandato apostolico non deferentes, capiunt, & destruunt ciuitatem. Iterum, à Domino Papa miserabiliter, & grauissimè excommunicantur: & ego, qui ibi eram, testimonium perhibeo veritati; quia & Litteras vidi, & legi, excommunicationem apostolicam continentes.* Hæc contra inobedientes legi Dei, & rebelles mandatis Summi Pontificis: quos an pœna in hac vita sequuta sit, Deo visibiliter vlciscente Christianorum iniuriam à Christianis illatam, & contemptum præcepti pontificij, aliorum linquo iudicio discernendum. Constat omnes in ea expeditione, etiam ipsum Balduinum (quanuis post adeptam coronam Imperij Constantinopolitani) occubuisse infeliciter: & solum Comitem, qui ab vtroque abstinuit scelere, aliis Christi victoriis comparandis seruatum esse. Nam audi, quod sequitur [c]

c ibid.

5. *Nobilissimus autem Comes non acquiescit plurimorum sententiæ, vt desineret à vero; sed exiens à consortio peccatorum, cum multo grauamine, & dispendio, per terram desertam, & inuiam, post multas angustias, & multos labores Baronum, ad villam nobilissimam Apuliæ peruenit; ibique denuò naues conducens perrexit, & ascendens cursu prospero vltra mare, vbi per annum & amplius moram faciens, & multas contra paganos militias probitates exercens, Baronibus Franciæ, quos apud Iadram dimiserat, perditis, & mortuis ferè cunctis, ipse viuus, & sanus rediit ad propria cum honore.* Hæc Vallsarnensis probanda coniectura: & vt reuera, non omninò certa; quippe quæ aliàs contingere potuerunt; maximè, cùm & ipse Simon Monfortis Comes tandem etiam violenter occubuerit: haud tamen contemnenda Viro Catholico, qui verum Deum, Deum vltionum nominari nõ dubitet.

6. Itaque ex hac antiqua familiaritate Guidonis cum Simone, atque ex vtriusque cognita virtute effectum est, vt & Guido aptus Legatus crederetur ad Comitem Monfortium; & Comes ipse præ iustitiæ zelo, atque ea, qua solebat in armis strenuitate, ad debellandos hostes, aptissimus inter omnes miles, atque Hæreticis præ aliis formidandus iudicaretur. Inde Burgundiæ Dux vtroque vti in hoc negotio voluit: vt per vtrumque pro rei grauitate, necessitatéque Ecclesiæ, & Fidei causa promouetetur. Eædem item rationes non multò pòst, quod ad Simonem attinet, impulêre Electores, vt eum inter omnes nominarent, qui exercitui præesset, & terræ Hæreticorum expugnandæ dominaretur: quod vel ab illis initiis promeruisse, idem, qui supra, Petrus ita scribit: *Ab illo igitur tempore nuncius triumphos, quos feliciter post modum consummauit, ex tunc honorem promeruit, quem assecutus est postea in depressionem hæreticæ pranitatis.* Sed de his suo loco dicendum erit. a ibid.

7. Subdit de Comitissa vxore Simonis, quod etiam facit ad ipsius commendationem: *Nec silendum, inquit, putamus, quòd cùm tantus sit, & talis Comes esse, prouidit ei Dominus adiutorium simile sibi; vxorem, videlicet, quæ, vt breuiter dicamus, religiosa esset, sapiens, & sollicita. In ea quippe Religio sollicitudinem, & sapientiam adornabat, Sapientia Religionem, & sollicitudinem informabat, sollicitudo Religionem, & sapientiam excitabat. Insuper & Dominus benedixerat dictæ Comitissæ in familiæ procreatione: Comes siquidem habebat ex ea filios multos, & pulchros nimis.* Hæc ad maiorem notitiam Simonis Comitis, vocati hoc anno ad bellum contra Albigenses per Guidonem Abbatem, mox per Arnaldum eidem præficiendi: quem penes mansit totius negotij moles vsque ad exitum vitæ, quã post multas victorias Ecclesiæ partas, ipso in prælio, gloriosè consummauit, vt dicemus. c ibid.

8. Cæterùm, pro huius capitis coronide, in gratiam mei Lectoris, addendum censeo, Nicolaum Camuzatium, Virum doctum aliàs, atque eruditũ, & de ecclesiastica Historia optimè meritum, qui Petro Vallsarnensi Trecis vulgato anno 1615. quasdam notas in margine adiecit, eundem Petrũ carpere, quòd Venetis succenseat, callidos, & peruersos eos appellans [f]. *Quod parũ (inquit) prudenter, imò inconsideratè prorsus Author perstringit Venetos, quorum fidẽ, summã industriã & fortitudinẽ in hac expeditione impensè laudat dictus Gaufridus, qui rebus gestis interfuit, & fermè præfuit, aut saltẽ eorũ pars magna fuit.* Sic Camuz. in Vallsarnens. Sed, vt admittã epitheta indigna viris clarissimis, si absolutè ab Authore proferrentur: at applicata speciali illi euẽtui, multò minori cẽsura notanda puto; nec in hoc aduertari Villarduinũ: quippe aliud est loqui de his, quæ Veneti apud Cõstantinopolim, aliud de his, quæ in itinere gesserunt, & pessime gesta termini, indigna, in ipsa via, vindicta maculare: f ad eundem locum.

vt

vt non immeritò & illa Gaufridus laudet, & hanc Petrus condemnet; neuter affectu, aut liuore, sed iudicio. At demus, vtrunque de eodem euentu loqui: vt verum fatear, sine causa in conflictu vtriusque testis, Gaufridum Villarduini Petro anteponit, sæcularem Religioso, Sacerdoti laicum, homini supra omnem suspicionem, hominem manifestè partialem, quem bello præfuisse, aut saltem magnam eius partem fuisse, ipse testatur, maximè cùm vterque de his ser ibat, quibus interfuit; & Petrus pro se habeat Summum Pontificem, atque litteras eius, quas se vidisse testatur, legisséque: vt nec de illis dubitari valeat, nec de iniustitia belli, quod ipse Christi Vicarius condemnaret. Demum, quod Petrus Venetis succenset, à Gunthero etiam factum supertùs vidimus, quem si forsan vidisset Camuzatius, abstinuisset haud dubiè à Petri Vallsarnensis increpatione, vt optimè Spondanus adnotauit g.

g n. 7. 9.

Neque hoc dixerim, vt inclytæ Reipublicæ detrogare intendam: cuius gloria per Orbem maior est, quàm vt vel detrahentium ictibus pateat, vel scribentium calumniis obnubileturque vt excusem in Petro Vallsarnensi inconsulta epitheta accommodata genti, simpliciùs, an audaciùs, quàm circunspectiùs. Nam, quæ gens vnquam bello, & armis potens timeri non amauit? aut quæ timeri voluit, quæ non in aliqua vindicta superexcesserit? Non, inquam, in hoc excuso Vallsarnensem: sed tantùm adstruo Historiæ veritatem; quæ proculdubiò in ipso adeò syncera, adeò integra, & simplex, vt inde magis Lectori culpandus veniat. Nonnulla quædam addit Camuzat. de turbidis quorundam Monachorum consiliis in ea expeditione, quæ prorsus omitto: tum, quia non faciunt ad præsens institutum: tum, quia non dubito, & Iudam inter Apostolos, & inter apostolicæ vitæ sectatores dyscolos multos imprudentes; & qui ex vtraque labe, aut decipi potuerunt, aut decipere. Verùm nos ad Historiam redeamus.

---

1. *Conradus, cùm primùm morte Philippi Ducis, sui iuris effectus, 2. Villarium intrat. 3. Qualiter à B. Simone Alnensi visus, 4. præuentúsque contra instantem tentationem. 5. Ingens miraculum in ipso quasi habituale. 6. Arnulphi in eadem Domo eximia charitas: 7. confirmata miraculo, 8. satis iucundo, 9. & dono Prophetiæ. 10. Aliud charitatis, 11. & humilitatis exemplum, 12. atque diuinæ remunerationis.*

CAPVT VI.

1. DVM hæc in Gallia Narbonensi perageren-tur, in Germania Philippus Sueuiæ Dux à Bertholdo Palatino de Vuitteles bach atrociter occisus, Imperio pacem, Othoni Imperium ipsum, sublato schismate; Cistercio contulit incrementum haud contemnendum. Non quòd nostris infensus, aut minùs fauens: sed quòd, quos obsides apud se haberet, Bertholdum, & Conradum, Comitis Æginonis filios, tunc primùm liberos, & sui iuris effectos; quæ in captiuitate concepissent, soluendis votis, expeditos, promptósque reliquit. Vnde Conradus nobilioribus vinculis, quæ hactenus passus esset, permutaturus properauit Villarium, sub Carolo Abbate sibi propinquo, ad probationem primùm, deìn ad Monachum suscipiendus. De his, qui eo tempore viuebat, Abbas Vspergensis a, hæc in Chronico. *Is*, scilicet, Conradus Eginonis, Suitonum Dynastæ filius, & Bertholdi Zaringiæ Ducis nepos, *cum fratre Bertholdo olim obses à patre datus est Philippo Sueuorum Duci, Cæsari designato: quo mortuo ambo fratres voti rei, quòd Monachismum in captiuitate positi, si liberarentur, vouerant; Conradus quidem Monachus Cisterciensis, Bertholdus verò Abbas in Lucirach factus sum.* Hæc de voto concepto, & Monachatu, Abbas Vspergensis: quæ eadem Chaconius b, aliique ex ipso transcribunt. Verùm de Domo, in qua Conuersus est, & de visione, quam de ipso habere meruit Venerabilis Simon Conuersus Alnæ Cisterciensis Cœnobij, de quo suprà Cæsarius Heisterbacensem Monachum, tunc Villarij Priorem audiamus.

a ad hunc an.

b in Conrado.

c lib. 3. c. 33.

2. *Tempore illo, quo Dominus Conradus, nunc Episcopus Portuensis Cardinalis, Nouitius fuit in Villario contigit, Frater Simonem, cum Vualtero Monacho, nunc Abbate Villariensi, & aliis quibusdam Monachis, & Conuersis Ordinis nostri, in quadam Ecclesia seculari Missam audire. Infra Canonem verò eiusdem Missæ vidit idem Simon Spiritum iam dicti Conradi, corpore satis à se remoti, coram se stare, & coronam auream in capite gestare. Vidit & cogitationes cordis eius, atque orationes, in quibus tunc versabatur in Villario. Finita Missa secretè locutus est Vualtero, dicens: Cùm videritis Nouum Conradum, Nouitium Villariensem, dicite ei, vt caueat sibi, quia huiusmodi tentationes patietur hoc anno: tales enim cogitationes, talésque orationes iam habuit in Missa: & sciatis, quia magna persona erit in Ordine.*

3. *Posteà, cùm idem Vualterus vidisset Nouitium, cœpit per ambages illum interrogare, quid infra Missas soleret orare, quidve cogitare. Respondente illo: Sic, & sic orare, consueui, adiecit: Rogo etiam, vt dicatis mihi, qua fuerit oratio, qualisve cogitatio vestra die illa Dominica infra Missam. Cui cùm diceret Nouitius: Cur tam diligenter inuestigatis de cogitationibus meis? respondit: Dicite mihi, quod quæro: & ego vobis posteà causam exponam. Tunc recitatis ei Nouitius per ordinem, quid orauerit, vel cogitauerit infra Missam illam, in magnum eum vertit stuporem: quia nec in vno verbo discrepauit à verbis Fratris Simonis; mox insinuans, quid de illo viderit, simul & modum tentationis monuit, vt cautus esset, ne fortè sub specie boni à Diabolo deciperetur.*

4. *Mira res! cùm satis idem Nouitius admonitus, satisque præmunitus esset, non tamen euadere potuit tentationem prædictam, quin satis ab illa eodem anno vexaretur. Quàm sublimis persona factus sit posteà, non solùm in Ordine, sed & in Ecclesia, nouimus omnes. Primò, Prior factus est in Villario, & deinde ibidem electus est in Abbatem: posteà in Abbatem Claraualis: deinde promotus in Abbatem Cisterciensem. Nec in illo gradu stare potuit, sed à Domino Honorio Papa vocatus est in Cardinalem, & Episcopum Portuensem. Quid adhuc futurum sit de illo, ignoramus.* Ita Cæsarius, quæ eadem Thomas Maluenda transcripsit in suis Annalibus.

Credidetim

5. Crediderim contigisse circa hoc tempus, nempe; quo ei iuxta Ordinis præscriptum, priuatum lumen; quo in nocturnis vteretur, denegabatur: aliàs, si ad annos dignitatum referas, quas breui subiuit, miraculum, quò minùs necessarium, eò minùs iucundum, & fructuosum. Ego crediderim contigisse circa hoc tempus, quod Venerabilis Thomas Cantipratanus fere coæuus Author, memoriæ prodit; quatuor Conradi digitos, indicem, & pollicem, vtrumque vtriusque manus libris adhibitos, pro lucernis fuisse Sancto Viro, quoties lectioni vacare animus erat. Sed ipsum Thomam loquentem audiamus [a]: *De hoc Viro excellentissimo, quiddam dictu mirabile ab Abbate Villariensi Guillelmo, probatissima veritate cognoui, quod digiti manuum eius, quas in consecrationem Corporis Christi extendebat, ad studium, & inspectionem litterarum, vel librorum, nocte instar candelarum, in tenebris relucebant.* Hunc tantum Virum genere, & doctrina illustrem, sed virtutibus longè illustriorem; atque ex his signis, ab ipsis tyrocinij sui exordiis, vt non sanctiorem, tamen illustrissimum susceperit Villarium; quem Claræualli Matri, Cistercióque; sed mox Ecclesiæ daret, eadem suis radiis illustraturum.

[a] lib. 1. 9. n. 3.

6. Florebat interim in eodem Cœnobio Arnulphus Bruxellensis, & austerum supra vires humanæ vitæ rigorem, quem superiùs descripsimus, admirandis virtutibus, virtutes miraculis, & prophetiæ dono, atque excellentibus aliis illustrabat. Mira leguntur de eius charitate, adeò, vt in eam vocem sæpiùs erumperet [c], *optare se pecunia distrahi, & dari in potestatem Sarracenorum; vel etiam membra sua frustatim distendi: tantùm vt necessitatibus pauperum ad plenum succurreretur: & vt infideles, siue peccatores relictis ignorantia, & infidelitatis tenebris ad veram lucem, Christum Dominum, scilicet, conuerterentur.* Neque hæc verba iactantiæ, quæ procul abfuit ab homine humilissimo: sed magis columbinæ simplicitatis, cui miracula ipsa contestabantur. Referam vnum iucundum satis relatu, quo palam fiat, non fuisse fictum hominem, cui Deus ipse obediret, aut faceret obedire, brutæ, mentis expertia [f]:

[c] lib. 2. cap. 1.

[f] lib. 2. cap. 2.

7. *Quodam tempore, cùm in Grangia, cui Sartum nomen est, moraretur, id officij impositum fuit ei, vt famulo sibi adiuncto, quotiescunque necesse esset, fruges saccis impositas ad Monasterium carricaret; iterumque in eisdem saccis panes, qui Fratribus Grangiæ, certis per hebdomadam diebus sufficere possent, reportaret. Contigit autem eum die quadam cum curru frugibus onerato ad Monasterium deuenisse. Cùm autem in molendino, saccis à frugibus euacuatis, currum suum exonerasset, cum eodem curru ad proximam Grangiam, quæ Noua Curia dicitur, profectus est. Vbi, cùm negotium, pro quo illuc erat, expleuisset; duos porcos, quos à Prælato suo licentiatus, dare pauperibus proposuerat, in duobus saccis includens, ora saccorum ligauit: eisque in curru locatis, ad Monasterium remeauit. Cùmque iam porta Monasterij appropinquaret; iidémque porci, tanquàm animalia inquieta, importunè grunnirent; timens Vir Dei, ne fortè quisquam huiusmodi occasione, in suspicionem laberetur; brutis animalibus, tanquàm ratione vtentibus, locutus est dicens: Audite, porci, audite verba mea: si displicet in oculis Domini, ne, sicut proposui, in vsus pauperum vos expendam, licentiam habetote grunniendi, sicut facitis: si verò gratum est, & acceptabile Deo meo, vt per me de carnibus vestris auida pauperum reficiatur esuries; præcipio vobis in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt penitus ab hoc importuno grunnitu cessetis.*

8. *Res mirè! Continuò porci illi, qui diu, multùmque intra saccos clamitauerant, præcipientis obedientes imperio, grunnire cessauerunt. Tunc Vir Dei, silentibus porcis, Monasterium ingressus, ad pistrinum vsque perrexit, vbi saccos suos panibus implenit. Quod dum factum fuisset, & iidem sacci super poreos iacturentur, qui in duobus aliis saccis inclusi habebantur, miro modo, ac si mortui essent, incitari ad grunnitum minimè potuerunt: quoniam Deus omnipotens, qui precibus famuli sui eos obmutescere fecit, non nisi permissione eiusdem naturalem grunnitum eis reddidit. Curru igitur panibus onerato, in viam suam profectus est. Cumque iam longè remotus esset à muro Monasterij, porcis suis licentiam grunniendi, sicut antea consueuerant, verbo reddidit. Qui statim inquietudine solita clamorem emittentes, donec ad Grangiam ventum est, grunnire, & clamoribus insanire non cessauerunt. Eosdem autem porcos, sicut proposuerat, pauperibus dedit.* Hactenus Goswinus in eius Vita. Porrò de dono item Prophetiæ charitati obsequente, quippe ordinato ad salutem proximorum, hæc in Capite primo antecedente [g]:

[g] cap. 1. lib. eod.

9. *Fama, inquit, sanctitatis, & ardentis charitatis ipsius in terra se circumquaque diffudit; vt plerumque de diuersis locis, etiam quidam Milites, qui in confinio Grangiæ habitabant, ad ipsum, causa videndi eum, venirent, & orationibus eius se commendarent. Quibus ille quædam, quæ eis euentura erant, prædixit: quæ ipsi postmodum experti sunt in se ipsis. Aliquando enim interrumpebat dulcia cum Deo suo colloquia, causa hospitum, qui ad se videndum confluebant; & quemadmodum Beatus Benedictus præcipit in Regula sua, vt legatur coram hospite lex diuina ad ædificationem: ita Scholasticus noster hospitibus tam familiaribus sibi, quàm alienis, legebat interdum lectionem vera salutis de libro charitatis: aliquando etiam libros conscientiarum, querundam, calamo Diaboli, tetris litteris exaratos, & corruptos, lucido mentis sua oculo inspiciens, vrgente eum charitate, non quærente, quæ sua sunt, prout possibile sibi erat, mortiferam ex eis scripturam, vel sancta exhortationis, vel deuota orationis sic alpello eradere curabat.* Hactenus ibi.

Referam aliud charitatis, & humilitatis exemplum à Deo vel in hac vita remunerato, fere sine exemplo: adeò, vt dicere pollet vltra Apostolum [b]: *Non sunt condigna passiones huius sæculi ad futuram gloriam, quæ nobis in ipsa patientia est reuelata.* Res ita habet: & credibile euenisse sub hoc tempus: certè ex Abbatis signis non aliud quæram [i]: *Cùm Monasterio Villariensi præesset Abbas quidam bonorum omnium amicus, Vir Domini secretiùs petiit ab eodem Abbate, vt panes numero quadraginta duos liceret ei dare indigentibus. Abbas autem, sicut Vir misericors, qui angustiis pauperum medullitùs compatiebatur, cum omni benenolentia petitionem eius exaudiuit. Ille verò, prout secretiùs potuit, panes supradictos egenis distribuit. Sed, quia nihil est occultum, quod non reuelatur, accusatus est apud Abbatem, quòd panes multos dedisset pauperibus. Conuentus ab Abbate coram Fratribus de facto huiusmodi, quòd licentiatus id fecisset, duplici ex causa indicare noluit, scilicet, propter scandalum Fratrum euitandum: & ne postmodum larga pij Abbatis licentia fraudaretur: sed quasi reus, & transgressor Ordinis omnem Abbati promisit emendationem.*

[b] Roman. 8.

10.

[i] lib. 2. cap. 3.

Tunc Abbas, ne aliis occasio scandali daretur, si hoc factum impunitum relinqueret, ad Monasterij portam Virum Dei eiici præcepit. Electus autem cellam, quæ est inter duas portas, pro domicilio habuit, vbi in conspectu omnium confusionem voluntariè sustinens, eodem vultu, & eodem animo insultandus, cum gratulatum alios vndecim diebus perseueranit: ioco suis

11.

gra-

satis gratioso lætitiam cordis sui demonstrans, & dicens: O quàm felix sum ego, quam benè mecum agitur: pro eo, quòd cum Beato Petro Portarius factus sum. Quandiu illic moratus est, magnam algoris incommoditatem perpessus, magnam tamen à Domino consolationem consequutus est. At quàm magnam! quàm gloriosam! quàm insolitam! Audi, quod sequitur:

12. *Nocte quadam cùm solus esset, & cor suum ad Deum dirigeret, repentè cumulatam, vt ita dicam, gratia Domini mensuram desuper accepit: & ecce Virgo Maria ei assistens, Filium suum, quem in vlnis gestabat, ei obtulit ad amplexandum. Tunc ille, cuius anima vehementer liquefacta fuerat interiùs, vix infusionem gratiæ, qua imbutum se sentiebat, ferre prævalens, tripudiando, & manibus plaudendo quasi ebrius, cœpit ex quadam pij, ac deuoti cordis familiaritate, Beatissimæ Virgini Matri dicere: Tollite à me, Domina, Filium vestrum, obsecro, tollite eum: quia eiusdem Filij vestri gratia sufficit mihi.* In tantum iubilum prorupisse fertur, ex hac visione, *vt famulus Monachi portarij, & quidam alij qui eum audierunt, aut ex mœrore, & defectione cordis, aut ex inanitate capitis putarent procedere. Sed ille* (ait Gosuinus Cantor) *qui cor suum fixerat in Cœlis, & omnem, quæ sibi inferri potuisset, confusionem penitùs conculcauerat, vt ita dicam, pede humilitatis; non multùm curabat de iudiciis humanis. Tandem post vndecim dies, in lætitia, & exultatione Fratrum Conuentui restitutus est.* His tunc viris floruisse Villarium constat, quibus neque à primitiuorum sanctitate deficeret in aliquo; & regia non minùs posteris via, & cœlestia exempla præpararentur.

---

1. Sancta Heduuigis continentiam vouet simul cum coniuge: 2. ratio temporis, 3. & custodia singularis emissi voti; 4. ac qualem se in marito etiam præstiterit. 5. Iacobus Aragonensium Rex natus in Monte Pessulano, 6. felicibus auspiciis, qui tandem vltimò Cistercio destinabatur. 7. Ferdinandus ad Siciliæ Regnum vocatus sub conditione. 8. Rodericus Ximenius ad Toletanam Sedem assumptus. 9. Successio Episcoporum Legionensium, 10. & obitus Ottonis Parisiensis.

CAPVT VII.

1. INTER hæc in Polonia Sancta Heduuigis, cùm se iam satis matrimonio feciſſe, susceptis liberis; & continentiam videret posse sectari sine vllo dispendio Principatus; marito primùm infundere eam mentem; dein, vt voto propositum firmaret vtetque coniux, & sedulò curauit, & feliciter consequuta est: his inter alia notatis in eius Actis [a]: *Et quia felices hi coniuges pia mente huiusmodi castimonia laudabili exercitio, Deo benedicente, iugiter vacabant; & vita munditiam confectando sanctificabant corpora sua, ad maiora peruenire meruerunt diuinæ gratiæ incrementa: ita vt vno animo, parique consensu, cum Episcopi benedictione solenni, perpetuam continentiam sese seruaturos promitterent. Dei enim spiritu corroborati, triginta circiter annos solo thoro separati, vitam duxêre, castitatis pulchritudine mirificè decoratam.* Hactenus ibi.

[a] apud Sur. cap. 1.

2. Vnde obiter desumo rationem temporis, atque votum conceptum circa hunc annum, quippe, quæ anno M.CC. XXXVIII. virum amisit, vt suo loco videbimus; si trigiuta annos separata ab eo permansit, consequitur incepisse separationem hoc anno M.CC. VIII. quem nunc describimus. Porrò, qua se obseruantia, qua maritum per hos triginta annos custodierit, eadem Acta describunt in hæc verba [b]: *Toto verò hoc tempore Christi ancilla summopere in eam curam incumbebat, ne ea continentia, quæ iam non paucis innotuerat, & sæpè declarabatur multis haud obscuris indiciis, vlla ratione in infirmorum animis sinistra aliqua suspicione offuscaretur: (quippe qui facilè arripiant scandali materiam, & tanquam spinarum aculei, tetra obtrectatione pungant, & lacerent bonorum operum rosas, quæ apud illos crescunt.) Atqui ea de causa adeò vitabat mariti sui colloquia, vt sola eum non audiret, nec ei loqueretur, nisi cùm promouere cuperet apud eum opera pietatis, aut negotia Religiosorum, vel miserabilium hominum expedire. Neque id tamen faciebat, nisi in loco publico, vel in Ecclesia; & vel pluribus, vel vt minimùm duabus honestis personis præsentibus, & plerumque etiam verba ipsius audientibus. Imo ne in ipsa quidem eius mala valetudine accessit ad eum, nisi adiunxisset sibi Dominam Annam nurum suam, & alias quasdam Dominas.*

[b] vbi suprà.

3. Hoc studium sanctissimæ Matronæ, quandiu in domo mariti: at quæ thorum potuisset, auspice Christo; domum etiam persuasit separandam non multò pòst: Duce in aula manente, pro accepti à Deo dominij necessitate: ipsa mansionem sibi ædificante iuxta Trebniacum, in qua Monialem actis, & obseruantia, quin & Habitu sacro: nuptam solius dilatione professionis tepræsentabat. *Cupiens* (inquiunt Acta Sanctæ Ducissæ) *in pietatis, & humilitatis studio proficere, ac progredi in feruore spiritus, post Christum exiit extra castra; & cum parua familia se contulit Trebniciam, atque illic prope Monasterium Virginum Cisterciensis Ordinis Domino seruiuit, marito adhuc viuente, eique tum in hoc, tum in aliis rectè factis annuente, & assentiente.* Atque hæc quidem de habitatione: at de Habitu facto, audi, quod sequitur [c]: *Cùm sic autem Beata Heduuigis in Trebniciensi Monasterio degeret, illarum quidem Monacharum induit habitum: sed institutum illud monasticum professa non est, vt misericordiæ operibus, & consolandis pauperibus liberiùs vacare posset. Atque isthuc quidem filia eius, qua in eo Monasterio professionem fecerat, quoad Dux Henricus superuixit, in ea dissimulauit.* Hæc in se ipsa. At qualem se in marito etiam præstiterit, eadem Acta narrant verbis sequentibus [c]: c vbi suprà

[c] ibidem.

4. *Qui sanè, scilicet, Dux, eò feliciùs, cum Poloniæ Principatum administrabat, quòd tam sancta fœmina non solum sanctitatem amaret; sed etiam virtutes sectaretur, atque in castitatis, & humilitatis eius, quas ipsa à Christo Domino didicerat, vestigiis quoad eius fieri posset, insisteret. Nã Deo aspirante, & B. Heduuige cõtinenter adhortante, iã propè Monachus effectus erat, non quidè professione, aut habitu, sed religiosa animi pietate, & humilitate, qua in eius operibus relucebat. Tondebatur enim in rotundum, & barbam ferebat, non promissam quidem: sed moderata pilorũ præcisione decenter compositam. Atque ea causa, in hunc vsque diem, cùm eius mentio incidit, Dux Henricus Barbatus appellatur.*

tur. Et quamuis Princeps esset magnificus ; adeò tamen ex humilitate sese ad pauperes, & tenuis fortunæ homines accommodabat, vt nonnunquam oblata ab eis parui pretij munera comiter acciperet, & eis caput inclinaret, gratius illud munus existimans, si rusticus, aut pauper quispiam scutellam cum suis obtulisset, quàm si dines longè maiora : cogitabátque intra se vir pius : En hic pauper, vt nostram sibi gratiam, & benevolentiam conciliet, victum suum nobis offert : cui nos aliquod solatium referimus, si eius munus grato animo accipiamus. Non dubium, quin bona mulieris huius sit hic vir beatus : cui licèt ea pro sexus, & matrimonij conditione iure esset subdita, attamen in virtutem & Religionis disciplina facta est Magistra. Hactenus de Hedwige, & eius coniuge. Nunc quædam alia hunc annum concernentia, Cisterciúmque, quæ in diuersis Prouinciis contigêre, leui calamo, ex more, proferamus.

5. In Hispania Aragonensium Regi Petro, ex sancta, sed inuisa sibi vxore, iusta fraude conceptus nascitur filius, quem Deus in gloriam nominis Christiani, propagationem fidei, Principum normam, & tandem vltimò Cistercio præparabat. Indices rerum Aragoniæ de eiusdem furtiua conceptione hæc anno proximo[f] : *Cum Rex*, scilicet, Petrus, *foueris, & vagis amoribus in concubinarum cupidinem, & contubernium se transfudisset ; & connubij diuortium fieri contendens, sanctissimam fœminam exturbare niteretur ; clàm, quasi cum alia concubiturus, ancillari dolo, furtim Regina admittitur. Ea nocte filius concipitur, quem diuino Numine Christiana Reipublica, & Religioni propaganda genitum res ab eo gesta testantur. Monpelleri j Kal. Febr. nascitur : & forsitò Iacobi nomen inuenit.* Hic ille magnus Iacobus, huius nominis primus Aragonum Rex, cognomento Expugnator, vulgò, *Don Iayme el Conquistador* ; à pluribus Prouinciis, & Regnis, quæ acquisiuit : de quo in sequentibus multus nobis sermo : nec potuit præteriri eius natalis, cuius vita vniuerso Christiano Orbi, cuius mors longè illustrior Cistercio fuit.

f *ad ann. 1207.*

6. Ab aliquibus Authoribus notatum video[g], infantem Regium, qua nocte natus est (quæ fuit vigilia Purificationis Beatæ Mariæ) in cunctis Ecclesiis Montis Pessulani, dum matutinæ Vigiliæ decantarentur, præsentatum à matre, Festum ipsum exprimere volente, quantum sibi licebat, & Matrem Christi, quà poterat, imitante. Porrò in eis omnibus, quod vix contingere potuit sine miraculo, tunc peruentum ad ianuas sacratum ædium, cùm in Choro à ministris, & cantoribus Hymnus, *Te Deum laudamus.* inciperetur. Felix id matri, & nato auspicium fuit : quasi iam tunc Ecclesiæ gratias ageret, quòd talem, ac tantum virum Orbis haberet. Verùm, quod tradunt Aragoniæ Indices, eundem Regem sortitum Iacobi nomen ; non desunt, qui miraculo attribuant, quòd accensis duodecim candelis prorsus æqualibus, quibus duodecim Apostolorum nomina habebantur inscripta, ea, quæ Beati Iacobi nomen habuit, cæteris simul ardentibus, tandémque consumptis, sola per duas horas superstes fuit, certè nomen Iacobi Hispano Principi, vtcunque auspicatum, ab hoc miraculo maioris adhuc gloriæ auspicium fuit.

g *Hister. Ordinis S Mariæ de Mercede, lib. 1. c. 1.*

7. Per idem tempus Ferdinandus Populetanus, Alfonsi Regis filius, Petri frater, eóque patruus infantis recèns nati, quantumuis Monachus, ab Innocentio III. designatus Regno Siciliæ : si Fridericus, qui Constantiæ sorori nuq sit ante ætatem matrimonij, per immaturam mortem præriperetur. Narrant id Indices rerum Aragoniæ à Zorita conscripti totidem verbis[h] : *Constantia Regina Regis soror, quæ Emerico viro Hungariæ Rege vita functo, Leopoldi Austriæ Ducis ope, Principis propinquitatis vinculo Aragoniæ Domui adiuncti, ad fratrem reuersa fuerat, adnitente Sanctia Regina Parente, Frederico Siciliæ Regi Cæsaraugustæ despondetur. Hæ nuptiæ ab Innocentio Pontifice Maximo Frederici tutore sanciuntur : qui enixè studuit, vt Fredericus penè puer, & Sicilia arces à Marchoaldo, Regina Constantia Frederici Matre defuncta oppressa, in libertatem vindicarentur. Ad hæc Pontifex, & Regina pactionem fecerant, si Fredericus ante matrimonium initum decederet, Siciliæ Regnum ab Ecclesia Ferdinando, Constantiæ fratri, quem pater sacro Ordini dicauerat, deferretur.* Hæc ille hoc anno : quamuis Ioannes Mariana, aliíque in subsequentem censeant referendum.

h *ad hunc an.*

8. Hoc item anno, neque enim vnquam eos à nostris diuidam, quos in nostros propensos semper inuenio, duo insignes Pontifices, Rodericus Ximenius, Oddóque, Hispanus, & Gallus ; hic Parisiensis, Oxomensis ille, quem Venerabili Didaco de Azebes, Sancti Patris Dominici Magistro suffectum diximus : alter ad Toletanam Sedem (totius Hispaniæ primam) translatus est ; alter Cœlis inuectus, æterna gloria cum Angelis beandus. De promotione Roderici Ximenij, hæc Mariana, desumpta ex antiquioribus[i] : *Consequens annus millesimus ducentesimusoctauus multorum Principum funeribus nobilis fuit. Mensis Augusti die vigesimooctauo Martinus Prasul Toletanus obiit. Successit Rodericus Semenus, domo Vasco. Hominem externum expectata vita probitas, eruditióque, vt ea erant tempora, singularis, ad eum honoris gradum prouexit : & quoniam inducia abs Regibus, eo auspice, pacta potissimùm erant, Principum gratiam, & vtriusque gentis studia promeruit.* Certè Rodericus ex quo ad Toletanam Sedem promotus est, talis, ac tantus habitus, vt sine ipso (quod alibi Mariana obseruat) nihil magnæ rei in tota Hispania gestum, apud Authores valeat inueniri. Hic ille Rodericus Ximenius est, qui Parisiis existens ante annos aliquot, Hortæ sibi delegit sepulturam, confirmans scripto ; cuius exemplar superiùs est adductum. Hæc de Roderici Ximenij, ex Oxoma ad Toletum, hunc annum concernente promotione.

i *lib. 11. c. 23.*

k *lib. 17. c. 11.*

9. Cæterùm de Oddonis ad Cœlos transitu, déque eius eximia Religione, & charitate in nostros, qui Chronicon Antisiodorense continuauit, hæc scribit Hugo[l] : *Anno M.CC.VIII. Oddo, Parisiensis Episcopus, obiit, vir amulator virtutis, & vitiorum egregius insectator. Hinc est, quòd eius studio Sanctus Guillelmus ad Bituricensem Archiepiscopatum promotus sit, qui primùm Karoli Loci Abbas extiterat, ipso postea suggerente, & satagente actum est, vt Dominus Papa Principes, & populos per Gallias concitaret ad debellandam Albigensium Hæreticorum perfidiam, qui sapiùs attentati, nullatenus verbi Dei gladio potuerant expugnari.* Hæc ille. Et quidem de Sancti Guillelmi promotione per ipsum procurata, & obtenta, superiùs diximus : de expeditione aduersùs Albigenses, quam vterque per litteras promouit apud Pontificem, & cui se iam vterque præparabat, si non vterque morte præuentus esset, (nam & Guillelmus obiit sequenti anno,) eo à nobis commodiùs dicendum erit.

l *ad hunc an.*

10. Claudat hoc caput duorum aliorum Pontificum successio, ex Cistercio vtriusque in Leglimensi Hiberniæ Ecclesia, quæ Venerabili Ioanni Rosevallensi ad Superos translato circa hunc annum, eius-

dem,

dem, an diuersæ Domus, non constat, certè Ordinis eiusdem Herleuuinum subrogauit. Et quidem Ioannem ex Rosea Valle assumptum (aliàs *Monasterium*) ante decennium, anno, nimirum, M.C.XCVIII. suo loco fusiùs demonstrauimus. Acta eius, vt alia, perière. De obitu Vvaræus hæc tantùm habet [m]: *& vitus excessit* (scilicet, Ioannes) *circa annum Domini millesimum ducentesimumoctauum.* Neque plura de illius successore, nisi quòd nomen prodit, & professionem: sic enim subdit: *Successit illi* (Ioanni, nimirum) *Herleuuinus*, (quibusdam Hugo dictus, sed perperam,) *Monachus ibidem Cisterciensis.* Fatale nostris memoranda potiùs facere, quàm facta memorare; & exteris indicasse satis, quos ex Cistercio vnaquæque Ecclesia sumpserit. Ergo huius Acta non minùs periêre. Mortem, quam in annum M.CC.XVI. aut M.CC.XVII. incidisse constat, suo tempore referemus.

m *in Episcop. Leglinens.*

---

1. *Relatum in Capitulo de Monacho non ordinato, & tamen celebrante: 2. atque dubium delatum ad Innocentium. 3. Animaduersum de eius responsione. 4. Doctores inter se dissidentes. 5. Chronologia, 6. & additum Monasterium de Houenes Sanctimonialium, 7. & de Sancta Sophia, eius, vt creditur, Domus prima Abbatissa. 8. Sancti-Iulianeæ militiæ pro Benedicto Suerio vita functo, subrogatus Magister, nomine Nunius.*

CAPVT VIII.

1. IN Capitulo nihil video diffinitum, quæ erat mens Arnaldi, moribus, quàm præceptis instandum magis; atque obseruandis legibus antiquis, quàm nouis condendis; quæ laqueos potiùs parant, quàm gressus dirigant. Non tamen ideò cessatum à negotiis, quæ grauia, arduáque, non modò Abbates nostros in illa Synodo, sed ab illis delata ad Innocentium, etiam Cardines terræ penè turbarunt. Nullum Collegium sanctius apostolico; nec tamen Iuda caruit. Mirum, si in tot Cisterciensibus Collegiis, non etiam aliquis Iudas inueniretur. Relatum est de quodam Pseudomonacho Sacerdotem fingente, ac celebrante, cùm nullos Ordines sacros susceperisset: relatum & de Sancto eius Abbate, qui flagitium ex sola Confessione cognitum habens, neque æquanimiter tolerare posset, neque impedire auderet, ne Confessionis arcanum propalaretur. Rem eius temporis Author Cæsarius narrat [a] verbis, quæ, vt maior dictis fides constet, non pigebit ad litteram transcribere: *In Domo quadam Cisterciensis Ordinis Monachus quidam sine Ordine celebrauit. Hoc cùm die quadam Abbati suo retulisset in Confessione; nec tamen cessare vellet à tanta præsumptione, Abbas dolens, ac lacrymans, vt à blasphemia tam magna desisteret, miserum rogauit, monuit, & præcepit: sed non profecit. Ille enim timens notari, si cessaret, celebrauit, vt priùs. In sequenti Capitulo generali idem Abbas proposuit casum eundem, interrogans, quid faciendum foret Confessori, si fortè tale quid in aliqua Domo emergeret.* Ita Cæsarius.

a *lib. 3. Dialog. cap. 23.*

2. Res vtrinque discussa; sed semper dubia: & neutra ex parte probanda videbatur: altero quippe violando Sacramento Eucharistiæ, nimirum, aut Pœnitentiæ: illo, si permittatur celebrare sacerdotali dignitate carens: hoc, si peccatum per Confessionem cognitum contra eius sigillum reueletur. Cessare minoris præcepti obligationem in conspectu maioris: sed quod sit maius, non facilè discerni; quippe vtrumque diuinum: & vt alterum præstet ex materia, alterum ex necessitate pensandum fore. Nam quæ, dicebant, peccatori ad Eucharistiam ianua, si demas Pœnitentiam? Aut, quis ad Pœnitentiæ fores stabit, si non tam absoluendus veniat, quàm publicandus? Ingens malum, si panis offeratur, atque adorandus pateat pro Christi Corpore: sed quale putas, si suaue Christi iugum vix tolerandum fiat, ex criminum quantuncumque occultorum reuelatione? Non homini, sed Deo manifestari, quæ pœnitens accusat: quare nec detegenda esse ab homine, quandiu Deus non detegit: neque impedienda, quæ imminent, peccata eorum, quæ sacramentaliter sciuntur, patefactione. Hæc, & similia in diuersas trahebant sententias Patres. *Cùmque Dominus Cisterciensis* (pergit Cæsarius [b]) *& cæteri Abbates super hoc nihil auderent diffinire, casum scripserunt Innocentio Papæ. Qui conuocans Cardinales, vtróque litteratos, casum eis proposuit, & quid de hoc sentirent, à singulis requisiuit. Omnibus penè in hoc consentientibus, quòd Confessio prodenda non esset, respondit: Ego dico, in tali articulo esse prodendam: quia talis confessio non est Confessio, sed blasphemia: nec debet Confessor blasphemiam tantam, as insaniam celare; per quam periculum incumbere poterit toti Ecclesiæ. Et placuit sententia omnibus; scripsítque sequenti anno Capitulo, quod à se fuerat responsum, & à Cardinalibus approbatum.* Hactenus ex Cæsario Heisterbacensi.

b *vbi suprà.*

3. Haud tamen dubium responsum Innocentij, si tale fuit, non diffiniendo, sed consulendo tantùm: neque à Pontifice datum, sed à Doctore. Aliàs ipse in Concilio Generali Lateranensi, quod sextum infra annos celebrauit, contrarium, inter alia huic fortassis responso corrigendo, sanciuit decretum [c] sine vlla exceptione, limitatione, ne, cunctis indicens: *Caueat omninò Confessor, ne verbo, vel signo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccantem. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali Iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solùm à sacerdotali officio suspendendum decreuimus; verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum Monasterium recludendum.* Hæc Innocentius in Concilio Lateranensi, quæ ferè eadem desumpta esse videntur ex verbis Gregorij relatis à Gratiano in cap. *Sacerdos.* de Pœnitentia, distinctione 6. nisi quòd tamen depositionis pœna eadem vtrobique pro arcta custodia, vagatio ignominiosa à Pontifice Gregorio subrogabatur: *Sacerdos*, ait, *ante omnia cautus, ne de his, quæ ei confitentur, peccata alicui recitet; non propinquis, non extraneis: neque, quod absit pro aliquo scandalo. Quòd si hoc fecerit, deponatur: & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Itaque his Gregorij vestigiis hærens Innocentius consilium retractauit.

c

4. Verum est tamen, vt id obiter notem, ipsius tempore non satis conuenire inter Doctores de eius Canonis absoluta intelligentia: vnde non mirum, si priùs aliter senserit. Etenim Gabriel recen-

tior longè Doctor[d] detectionem permittit, saltem in casu, quo immineret Confessario ipsi vitæ periculum; eandem à fortiori permissurus, si graue damnum immineret toti Ecclesiæ. Sed iam Doctores contrarium contestantur: quippe qui, extra licentiam pœnitentis, nullum casum admittunt, in quo liceat arcanum reuelare. Quod ab eisdem communiter receptum contra Gabrielem[e], ex hoc Gregorij Pontificis decreto sunt qui confirmant: quatenus ait, pro nullo prorsus scandalo detegenda peccata: pro nullo, inquam, etiam malo publico, & siue spirituale sit, siue corporale. Sed possent meliùs probare ex Innocentio, suppositio euentu, quem prodit Cæsarius. Quippe, si ipse contrarium olim responderat in casu illo speciali; nullum excipere, sed absolutè detectionem prohiberi, manifestum retractatæ sententiæ indicium fuit. Hæc occasione nostrorum consultationis, & incidentis casus, quem non potuimus silentio præterire.

[d] in 4. dist. 21. q. 1. art. 3.

[e] vide Vazq. de Pœn. q. 94. art. 4. dub. 3.

3. Quod attinet ad Ecclesiarum fundationes, tres hoc anno notatas tantùm inuenio de Toplin, de Arbona, & Dunemundæ: quarum aut nulla, aut exigua notitia subest. Toplin, vel de Toplica (sic enim alibi video nominari) numeratur inter filias Claræuallis, sita in Prouincia Sclauoniæ, nulla in Genesibus Diœcesi notata; sed supplenda ea ex Litteris Innocentij, & Vrbani, vtriusque IV. alterius Perusij, quintodecimo Kalendas Februarij, Pontificatus Innocentij anno decimo, alterius apud Vrbem veterem decimoseptimo Kalendas eiusdem mensis, Pontificatus Vrbani, anno tertio: vtriusque hac inscriptione: *Ad Abbatem Sanctæ Mariæ de Toplica, Cisterciensis Ordinis Zagabriensis Diœcesis.* Verùm hanc Domum paulò recentiorem ex his, quæ de Apostolatu nostrorum in Sclauonia, tomo sequenti, Deo dante, dicturi sumus, constabit apertè, vbi & non eam solam; sed plures alias in eadem Prouincia structas memorabimus. Arbona, Monasterium eiusdem lineæ, Sancto Anastasio genitum in Aprucio, Diœcesis Thatiuensis: nec quicquam aliud de eo scriptum inuenio, nisi, quòd Vita bona in aliis tabulis, in aliis Ata Bona consueuit appellari. Eandem Claræuallis lineam auget Abbatia Dunæmundæ, incerta licèt Matre, Diœcesique; quanuis inueniam memoratam Domum in litteris Gregorij Papæ IX. ad Archiepiscopum Bremensem, Collegásque, futuros Iudices in causa eiusdem Domus cum Theutonicis, de qua fortasse in tempore dicemus.

5. His Monasteriis Virorum addere possimus Monasterium de Houenes, in Germania, sub venerabili Abbate Heisterbacensi, quod, adductis ex Monte Sanctæ Vvalburgis Monialibus, sub Venerabili, & verò sancta Matre Sophia suprà meminimus, sub hoc tempus cœpisse, ex scriptis Cæsarij palam constat. Quippe quam priùs Monialem Nigri Ordinis tradit in Detkirgen, posteà mutasse habitum, ac Cisterciensem in Monte Sanctæ Vvalburgis induisse, testatur in suis Dialogis; ibidémque cùm Prioriſſæ officio fungeretur, primam Hnrici Heisterbacensis Monachi audiuisse Missam, iuxta quod illi ab ea prædictum fuerat: demum indè præfectam in Abbatissam Monasterij de Houenes, claram miraculis, virtutibus illustrem obiisse ante paucos annos, quàm Dialogos ipse suos concinnaret, quos M. CC. XXII. ab eo consummatos, & ipse tradit, & nos sæpiùs repetiuimus; vt si his annis aliquos, quos præfuit, superaddamus, facilè ad hunc possimus peruenire, in quo plùs, minúsve tenella plantatio, doctrinæ venerabilis Matris lacte irrigua, atque in virtutibus altiùs radicata propagines Sanctarum latè emiserit. Certè de aliis infrà suis locis. De Sophia Fundatrice idemmet Author,

7. *In Houenes Domo Sanctimonialium Ordinis nostri, quæ Abbati nostro commissa est, anno præterito quædam Abbatissa defuncta est, nomine Sophia: hæc tam feruens, & ita rigida fuit circa disciplinam, vt sorores sæpè turbata, quod erat virtutis, vitium indicarent. Huic aliquando tenuis ceruisia est in vinum conuersa. Quam etiam Angelus Domini quadam nocte, cùm de matutinis exiret, cùm lucerna antecedebat. Hæc duo miracula in extremis confessa est Abbati nostro Domino Henrico.* Hæc de Sophia, quam ideò coniector primam, quia aliunde addicta. Aliàs cùm dialogos scriberet Cæsarius, duæ aliæ præcesserant, Elisabeth, nimirum, Gertrudísque, verè prudentes Virgines, de quibus aliqua in sequentibus dicemus. Sophiæ meminit Henriquez in Menologio ad decimamnonam diem mensis Septembris.

8. Hoc item anno, quod ad Militiam sacram attinet, Sanct-Iulianea Magistro suo orbata, Benedicto Suario Nuñium Ferdinandum pro ipso subrogauit, strenuum virum, & qui multas victorias comparatum ab inimicis Christi separari potuisset, si non induciæ à Rege Legionensi cum Saracenis pactæ, ipsum etiam à bello continuissent. Præfuerat Militiæ Benedictus, per octo fermè annos plùs minúsve: quibus & eius impetrauit confirmationem ab Innocentio tertio, & cum sacra Militia Sanct-Iacobea, vulgò de *Santiago*, mutuam fraternitatem stabiliuit, de quibus suprà Locus sepulcri eius ignoratur. Fortè in Pereyro mansit, vltimus eo in loco sepeliendus. Quippe Nuñius Ferdinandi eius successor, quanuis ibidem cœperit, ad Alcantaram transiit, sedibus simul cum nomine mutatis, atque eisdem perpetuò permansuris: quod nos etiam in tempore dicemus.

1. Morte Sancti Guillelmi funestus annus, 2. cùm Crux contra Albigenses per Franciam prædicaretur: 3. Legato etiam Cardinali misso, 4. atque Sancto Guillelmo Cruce signato, 5. & nec post mortem fidei defuturo. 6. Tristitia Sancti de morte Parisiensis, & Turonensis. 7. Natale celebrat, 8. & filiis valedicit. 9. Inde extremè ægrotans, Vnctionem primùm, 10. dein sacram Eucharistiam cum eximia deuotione suscipit.

CAPVT I.

1. HVNC nobis annum, Christi, nimirum, millesimum ducentesimumnonum, Cistercij duodecimum supra centesimum auspicetur nobis Guillelmus, Bituricensis Ecclesiæ Pastor, Cistercij, & Galliæ gloria; funestans, sed & sacrans felici obitu. Hic ergo, in ipso occasu fortior, cùm Cruce signatus contra Albigenses multa millia suorum subditorum congregaret ad bellum, sub Arnaldi Cisterciensis Abbatis signis, (nam is Dux, & Præceptor,) vt olim spirituali, sic tunc corporeo gladio militaturus: cùm, inquam, sibi, suisque militibus necessaria pararet; initio intrantis anni sublatus est, æterna gloria in Cœlis coronandus. Et ipsi quidem optata mors euenit, quæ vitæ ianua: sed Galliæ, atque Cistercio tristis fuit, tanti Patris exemplis; nam auxiliis non dicam destituendis. Neque defuit vel mortuus expugnationi, quam semel proposuisset; eò clariori victoria debellatis Crucis Christi inimicis, quò miraculosiori, certioríque, quò hominibus præstant cælestes Spiritus, quos ipse ducens visibiliter apparuit, cùm prima omnium Biterrensis vrbs armis Catholicorum expugnaretur. Proponam singula ex Authoribus antiquis, & fide omninò dignis, atque verbis ipsorum pro meo more.

2. Feruebat per vniuersam Galliam aduersùs Hæreticos prædicatio Crucis, & zelus fidei depascens intima cordium populorum fidelium, Ecclesiasticos multos, & sæculares Principes, & plebeios, in Apostatas viles cõcitabat. Hugo Altisiodorensis continuator, ad annum millesimum ducentesimumoctauum antecedentem [a]: *Litteris itaque Domini Papæ longè, latéque directis, peccatorum remissione, & pœnitentiarum absolutione concessa, innumerabilis multitudo fidelium concitatur, & nouo more Crucis se signo signat in pectore contra fidei desertores, zelo fidei se armantes.* Hactenus ille. Potrò, quod ait, signatos nouo more, quia in pectore, ad differentiam Cruce signatorum effectum est, qui se profectioni orientali consecrauissent. Quibus, vt notauit Guillelmus Catell in Historia Comitum Tolosæ [b], Crux super humerum dextrum imponebatur: vtriusque autem non sine mysterio: quippe his, vt portanda corporeis humeris; illis, vt amplectenda corde fideli.

a *in Chronico Alt isiod.*

b *cap. 1.*

3. Vincentius Bellouacensis author est, non solùm Litteras datas ab Innocentio, ad eam promouendam expeditionem; verùm & missum Gualonem, Cardinalem Sanctæ Mariæ in Porticu, cuius industria, & authoritate Principes, & Potentes Regni concitarentur. *Eodem anno*, inquit [c], *misit Innocentius Papa Legatum in Franciam, Gualonem Sanctæ Mariæ in Porticu, Diaconum Cardinalem, Iurisperitum, bonis moribus ornatum, & Ecclesiarum visitatorem diligẽtissimum, Philippo Regi, & omnibus Regni sui Principibus mandans, & præcipiens, vt cum exercitu magno, tanquam viri catholici terram Tolosanam, & Albigensium, & Narbonensium, aliásque adiacentes, inuaderent, atque omnes Hæreticos, qui eas occupauerant, delerent. Et si forte in via, vel in bello contra eos, morerentur, ab ipso Papa de omnibus peccatis, à die natiuitatis suæ contractis, de quibus confessi essent, absoluebantur.* Hæc ille. Chaconius addit, eundem Innocentium huic Gualoni, seu Gualæ, (vt alij nominant,) *septem Abbates Ordinis Cistercien sis, Viros sanctitate, & doctrina conspicuos adiunxisse, qui Crucem cõtra Hæreticos Albigenses, & Comitem Tolosanum eorum præcipuum fautorem prædicarent; scripsissẽque Regi,* (Philippo, scilicet,) *& Regni Principibus, æquàm catholicæ fidei defẽsores, eas vrbes, quas Hæretici occupabant, reciperent,* &c. Ita Chacon.

c *lib. 29. cap. 101.*

d *in Innoc. III.*

4. Inter Cruce signatos, signantéque, neque enim altero tantùm contentus erat, Guillelmus, sicut Primas Aquitaniæ, sic primus fuit: quod Acta eius testantur apud Surium [e], his planè verbis: *Pontificiis acceptis Litteris omnium animi accensi sunt ad capiẽd.us, & profligandas vulpeculas, vineam Domini Sabbaoth demolientes. In iis autem facilè primus fuit Beatissimus Primas noster Guillelmus, qui non sine lacrymis multis, magnóque animi mœrore, lectis publicè Sanctissimi Pontificis Litteris, instar Phinees, zelo inflammatus est, Crucémque vesti assuens, eam voluit virtutum suarum quasi coronidem, vel consummationem relinquere, vt ecclesiasticæ vnitatis perturbatoribus eliminatis, pacem Ecclesiæ restitueret. Etsi autem esset imbecilli corpore, non tamen illi deerat animi constantia, & fortitudo: nec tam senio fractus, quàm ieiunio, assiduísque vigiliis confectus erat. Igitur conuocatis subditis suis exponit illis Christi Saluatoris beneficia, humano generi collata, Crucis mysteria explicat: in ea sola nos gloriari debere docet: & vt se gratos declarent, hortatur, vt Cruce se signari sinant contra Crucis irrisores, profert illam Christi sententiam* [f]: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. His, aliísque eius sermonibus egregiè animati pollicentur, se, quocunque intendere velit iter, illum alacriter sequuturos.* Hactenus ibi de vtroque munere suscepto à Sancto Præsule.

e *Sur. tom. 1. Ianuar. 16.*

f *Matth. 16. Luc. 9.*

5. At qualiter felici quidem sibi, sed cæteris acerba morte præuentus, alterum quidem, quod corporaliter non potuit, spiritualiter nihilominus executus, Cruce signatis victoriam comparauerit, in hunc eundem modum pergit scribere [g]: *Et illi quidem*, hi, scilicet, quos Cruce ipse signasset, *promissis steterẽt fuissetque Sanctus Episcopus prius e viris excessit, quam posset voto suo satisfacere. At nec sic tamen putandus est, sacra militia non interfuisse. Cùm enim in Domini exercitu Abbas Cistercien sis, Dux, & Præceptor esset constitutus, sub cuius ille magisterio in Habitu monastico diu Christo militauerat, quonam pacto in re tanti momenti illum deserere potuit? Etsi igitur corpore absens, sed præsens erat spiritu. Nam vbi sunt vultis militiæ cælestis exercitus, præcedenti Crucis signo, quo etiam illi signati erant.* Sed de his infrà latiùs dicendum erit,

g *ibid.*

Nunc Sancti Præsulis mortem pretiosam, ex eodem Authore describamus [h].

[h] ibid.

6. *Cùm Beatus Guillelmus audiuisset migrasse ex hoc sæculo venerabiles Antistites, Turonensem, & Parisiensem, valdè quidem contristatus est, & planxit planctu magno. Erant enim illi, quasi duo olivæ speciosæ, & fructiferæ in Domo Dei, & velut lucernæ supremo ardentes lumine, quas verus Orieus miserat ad Occidentis regiones illustrandas. Expectabant autem mox ipsos sequuturum Bituricensem Pontificem, vt qui in vita se eximiè dilexerant, in morte quoque non separarentur. Fuerat enim inter illos syncera quædam familiaritas, & cùm se animi causa invicem inviserent, de his, quæ ad animarum, & Ecclesiarum sibi commissarum curam, administrationem, & salutem pertinerent, inter se secretò conferebant, suaque inter se arcana sibi mutuò communicabant. Illis igitur vita functis, paucis mensibus noster Episcopus superuixit. Cupiebat enim dissolui, & esse cum Christo; & licèt obliuiosus sui, diem ex diuina reuelatione præsciret; tamen longa illi omnis mora videbatur. Interea sic vixit in carne, vt quasi carnis sarcinam exuisse videretur, adeò iam consumptis carnibus, pellis ossibus adhærebat, & artus admodum confecti, atque extenuati visebantur: nec tamen cessabat exigere à carne, vt spiritui seruiret. Porrò, cum non parum vereretur, ne post ipsius obitum gregem suum lupus rapax, seu pastore orbatum dissiparet, & discerperet; valdè cœpit animi esse dubius, quid potissimùm eligeret. Nam, nec à beata illa supernorum ciuium iucundissima societate diutiùs abesse, nec gregem volebat desolatum relinquere. Sed inter hæc totum se diuinæ permisit prouidentiæ, & voluntati.*

7. *Iam Saluatoris natalem diem, Circuncisionem quoque Sanctus Præsul cum fideli populo solemniter celebrauerat. Porrò pridie Epiphaniæ Domini sentiens adesse tempus migrationis suæ ab hoc exilio ad patriam diu concupitam, populi multitudine congregata in Ecclesia Protomartyris Stephani, cœpit ad illos concionari; vt sæpius consueuerat: nec ab hoc Officio, neque a laudibus Dei se retrahi passus est febri acutissima, qua tunc laborabat. Nam, etsi vi morbi corporis vires tabescerent; at spiritu roborabatur, vt posset dicere cum Apostolo* [i]: Cùm infirmor, tunc potens sum. *Interioris enim hominis vires ipsa firmat corporis infirmitas. Sumpserat autem sibi thematis loco illud apostolicum* [k]: Hora est jam de somno surgere, &c. *Nimirum, Pastor bonus iam propediem discessurus ab ouibus suis, exhortabatur ad vigilandum, ne intrarent in tentationem: & ne improuisa illis subreperet mors, admonebat, vt semper essent parati, & id genus alia multa, tanquam vltimum vale illis dicens, proponebat.*

[i] 2. Cor. 12.

[k] Rom. 13.

8. *Sermone absoluto, & data populo benedictione, ex imbecillo imbecillior factus abscessit. Sæuiebat tum solito acriùs hyemis frigus, & ille nihilominùs caput habebat nudum, membris febrili languore fatiscentibus. Locus enim ille, in quo sermonem habuit ad populum, omni ex parte ventis erat expositus, quod sic affecto corpori non potuit non esse incommodissimum. Et tamen perinde ac si opus non haberet, nullius poscebat auxilium, & sine adminiculo domum reuertebatur. Creauit in diem febrim, & Sanctum Pontificem egregiè exercuit. Deinde quinto Idus Ianuarij cum iam omnibus rite peractis, etiam testamentum, multis assistentibus religiosis, & prudentibus viris, condidisset, Fratribus conuocatis, extremæ Vnctionis Sacramentum humiliter, ac deuotè percepit. Eo percepto etiam sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissimè postulauit, vt tanto itineris duce munitus, posset securus hostium cuneos penetrare.*

9. *Vt autem Dominum, & Creatorem suum ad se venisse cognouit, illicò resumptis viribus, de strato prosiliens, tanquam iam febris omnis abscessisset, non sine stupore circunstantium, maximè, quòd iam ferè in supremo spiritu positus videretur, & vix aliquid liquoris posset in os admittere, concito gradu procedit obuiam suo Saluatori, vires certè subministrante charitate, flexisque genibus, totus lacrymis diffluens, illum adorat: vtq; sæpius genua posset flectere, crebrò prostratus erigitur, illique suum agonem tota deuotione commendat, orans, vt quidquid purgandum supereset, ipse purgare dignetur, ne quid funestum in ipso possit inuenire inimicus.* Hactenus Acta: quibus clarè videas perseuerare adhuc consuetudinem, de qua in primo Tomo, percipiendi Vnctionem ante Eucharistiam, quasi ad digniorem huius sumptionem reliqua Sacramenta sint instituta. Pergit Author de Sancto ista scribere [m]:

[m] ibid.

10. *Fuerat autem biduo ferè maxima ex parte loquendi priuatus facultate, ita vt extremas vocum partes tantummodo exprimeret, quæ nos coram positi egrè possemus intelligere. Sed interim tamen nutibus, & signis euidentibus declarabat, integram ipsi semper permanere memoriam. Porrò coram Domino sic prostratus prolixè orauit: sed eius verba ad plenum intelligi non poterant, lingua, vt diximus, impedimento obstante. Deinde expansis in Crucis formam manibus, & oculis in cælum sublatis, Carnem Saluatoris non sine lacrymis, corde contrito, & humili manducauit. Hoc facto lætior effectus confortatur in Domino, sciens se fortissimum in illo supremo certamine habere adiutorem, ducem itineris, præmij largitorem.* Hactenus, quæ ad morbum illius spectant, velut præuia ad mortem; nam, quæ ad mortem ipsam, & sepulturam, sequenti capite nobis dicenda erunt.

---

1. *Petit Sanctus sepulturam inter filios Caroli Loci.* 2. *Renuunt Bituricenses:* 3. *sed reuerentia Sancti inuiti annuunt.* 4. *Præparat ornamenta sibi ad sepulturam:* 5. *intendit precibus,* 6. *& diuinum sibi legi Officium poscit. Moritur,* 7. *Concursus Orbis,* 8. *& custodita Ecclesia, ne inde sacrum corpus extraheretur.* 9. *Sepultura,* 10. *& miracula ibidem crebrescentia,* 11. *quibus alia succedunt,* 12. *aliáque, quæ non facilè ad summam redigi valent.*

CAPVT II.

1. ASSISTEBANT charissimo Patenti Caroli Loci Filij: & tanto se patrocinio defraudari cæteris aliis affectuosiùs conquerebantur. Haud dubiè quin cùm hominem non possent, corpus saltem, quod possent, sibi poscentes, velut hæreditario possidendum. Illud sibi deberi, velut Ecclesiam, quæ primæ sponsæ, eóque, si non demereantur, dilectiori; & posteriori cuicunque anteponendæ. Igitur

ait

a apud Sur. Ian. 10. ait Author Vitæ ipsius [a]: *Mox ad stratum rediens, scilicet, Sanctus Præsul, subleuamium illum manibus adiuuis, cùm paululùm respirasset, cœpit nutibus indicare velle se, vt corpus ipsius defuncti apud Caroli Locum humaretur: illi enim Monasterio diu præfuerat: nec immeritò locum illum præ cæteris amare visus est. Aderant autem etiam illi morienti aliquot eius Monasterij Fratres, nec deerant, qui putarent, illis petentibus, hoc ita illum constituisse.*

2. *Verùm initio ab omnibus ibi coram positis reclamatum est, ita dicentibus: Absit à nobis, Pater Sancte, vt corpus tuum nostra Ecclesia subtrahi patiamur. Corporis tui præsentia carere nolumus, qua nobis boni Pastoris memoriam iugiter refricabit. Obnixè oramus, vt sicut hactenus plebem tuam ab imminentibus malis protexisti vium, ita tuearis & vita functus: quòsque in vita variis malorum casibus eripuisti sæpè, etiam sepultus apud nos, tuis meritis, & precibus eripere digneris. Ille verò nulla ratione se passus est à sententia deduci: sed cum lacrymis obsecrabat, vt, quòd cuiuis Catholico licet, liceret etiam ipsi, nempe, sepultura locum sibi deligere. Cedunt igitur, qui aderant: & ne Patrem affligerent, coguntur velle, quod nolunt. Sacrilegum enim putabant, ea præsertim hora, eius supremæ resistere voluntati.*

3. *Ea re ab inuitis impetrata, omnes osculatus est nutibus orans, vt pro ipsò Dominum deprecarentur, &, cum filij pacis, pacem inter se amarent, & colerent. Illi verò omnes se eius precibus commendabant. Et cùm vicissim petijssent immunis, si quæ intercessissent, offensionum veniam, veriti, ne multitudo præsentia illi esset onerosa, accepta ab eo benedictione, & licentia discedendi, non sine lacrymis domum abierunt. Manserunt autem apud eum pauci familiares, & domestici, secretorumque eius conscij. At ille nihil à morbo impeditus, vt erat semper orationi intentus, totus in Dei opere versabatur, Labia diuinis assueta laudibus, sine intermissione moueri ad preces videbantur: & vt sanus consueuerat, temporibus, & horis congruis, diuinum cœnam se Officia celebrari voluit; & quos ore premere non poterat, Psalmos insultare auribus, & animo altiùs affigere studebat. Ita omni tempore, aut vacabat precibus, aut raptus in spiritu cœlestia contemplabatur: nec iam de præmio hæsitabat, qui se angelicorum Spirituum visionibus sentiebat confirmari.*

4. *Nocte verò subsequente, (solet autem nox exagerare vim morbi,) vix Sanctus acrioribus cœpit vrgeri doloribus: & iam præsentiens extremam fere adesse horam, iussit sub adspectum suum è scrinijs proferri vestes pontificales. Ex iis quasdam minoris pretij ad se adduci voluit, quibus etiam tunc vsus fuerat, quando est consecratus Antistes: quas immutabili animi proposito, ad suam sepulturam diligenter curarat asseruari. Eas verò omnes cuidam è suis familiaribus, cuius fidem habebat exploratam, ad breue tempus seorsum seruandas tradidit.*

5. *Solitus erat Vir Sanctus circa noctis medium surgere ad preces nocturnas, Hymnos, Psalmos, & alia Sanctis Patribus instituta, cum omni deuotione, & qua par erat, solemnitate decantare, illud obseruans propheticum* [c]: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. *Iis verò omnibus ritè peractis, inuictum ab oratione spiritum non relaxans, nunquam dabat membra sopori, nunquam defatigata sinebat quietem capere; sed tandiu manebat in oratione prostratus, donec illucesceret dies. Sed nunc morbo magis, magisque ingrauescente, cùm statutum tempus expectare non posset, quo, vt diximus, ad persoluendas preces noctis surgere solebat: ne illis nondum absolutis, hinc fortassis abscederet, horam solitam voluit anteuertere, ne mors ipsum anteuerteret. Signo itaque dato iis, qui ipsi aderant, Fratribus, vt laudes Domini inchoarent, ipse prior labijs, & pectori suo signo Crucis impresso, hæc duo verba: Domine, labia, vtcunque pronuncians, reliqua formare non potuit.*

c Psal. 118.

6. *Illi verò, mente eius perspecta, finem illius impendere, ex precum anticipatione verisimilibus coniecturis didicerunt. Itaque vnus ex iis, Sacerdos Religiosus admodum illi familiaris, à memoratis verbis preces auspicans est, & cætera omnia, quæ sequuntur, aliis adiuuantibus, debito ordine, ad finem vsque perduxit, Viro Sancto mente eadem preces persoluente. Quibus completis, voce, & manu significauit, se velle in terram deponi. Parent illi iussis eius: & quia non decet Christianum, nisi in cinere, & cilicio mori; in sparsos humi cineres eum deponunt, cilicio semper indutum, licèt pauci admodum eius rei essent conscij: quod etiam nunquam sibi passus est ab aliquo deuitari. Cumque paulo spatio temporis sic iacuisset, benedicens Fratribus, spiritum reddidit Conditori.* Hæc Sancti Viri in conspectu Saluatoris pretiosa mors, inuidenda hominibus, tremenda Dæmonibus, Angelis non solùm iucunda, sed veneranda. Reliqua, quæ post mortem sequuta sunt, pergit Author scribere in hunc modum [a]:

a ibid.

7. *Audito piissimi Patris obitu, vniuersa ciuitas commota est: passim omnis ætas, & vterque sexus cum cereis, & luminaribus properant ad Ecclesiam Beati Protomartyris Stephani, quo corpus exanime cum Hymnis, & Canticis psallentium deferebatur. Videre illic multos licebat, qui nullam vino reuerentiam præstare voluerant: & eam nunc defuncto exhibent, sequè hominem Sanctum aliquando contempsisse, aut dictis, vel factis afflixisse, ducti pœnitentia palam lugere non erubescunt, & ad sanctum corpus prostrati adorare non desinunt. Denique tota illa nox ab aliis in Psalmis, & iubilo, ab aliis in planctu, & mœrore exacta est. Illucescente altera die, sparso iam circumquaque rumore de morte Sancti Viri, ex locis vicinis multitudo populi haud aliter, atque ad festum confluxit diem: domus, & tugurio custode vacua relinquuntur. Vidisses ibi fœminas, dum se verentur ad pij Patris exequias tardiùs venturas, velinquere in cunis vagientes paruulos, & non abseruatis domorum foribus, properare ad funus. At eadem, cùm quid egissent, & quo in periculo paruulos reliquissent, sociam vitæ perpenderent, consternato animis, quòd metuerent, ne infames à feris belluis deuorarentur, cum multa, multum accedentes ad corpus Sancti Pontificis, illi sua proles commendabant: quas deinde domum reuersæ, non sine magna admiratione salvas reperierunt, sicut etiam illi, qui ostijs apertis, pro Sancti Patris amore discesserant properè ad exequias, postquàm domum redierè, nullum penitùs alicuius rei detrimentum se passos admirati sunt. Diem autem illum omnes habuere festum, & solenne, nec vllo admoniente, omnes ab omni seruili opere sponte abstinebant. Erat sanè & iucundum, & admiratione dignum spectaculum, videre, omnis generis, & ætatis homines ad sanctum corpus vndique confluere, vt vultum intueantur angelicum, & manus, ac pedes deosculentur: quos tamen semel deosculari non fuit satis; sed crebrò reuertebantur, vt oscula denuò infigerent.*

8. *Eodem autem die, circa horam vespertinam, cùm vniuersus Clerus, & populus ad celebrandas Pastoris sui exequias conuenissent, quasi globus igneus in aere suspensus, suprà Sancti Protomartyris Stephani Ecclesiam, instar stellæ coruscantis, apparuit: quem non solùm illi, qui aderant; sed etiam nonnulli alibunde ad nostram Vrbem properantes, dimidia ferè hora spatio se vidisse, cunctis admirantibus, nunciabant. Interim*

parabatur cum multa festinatione, feretrum, quo sacrum corpus ad Caroli Locum, quemadmodum Sanctus Vir decreuerat, deportaretur, populo hanc eius voluntatem penitùs ignorante. At, postquàm rei veritas innotuit, subitò commoti sunt vniuersi: & Sole iam ad occasum inclinante, omnes vnanimiter constituerunt, vt omni studio, adhibitis custodibus, valuas, & omnes aditus templi, etiam armata manu obseruarent, ne quis sacrum corpus per vim posset auferre: neque illorum pars exigua intra Ecclesia parietes egère excubias. Mane autem alterius, id est, Dominica diei, iuxta altare Sancti Martyris humo altiùs effossa, & omnibus ad sepulturam necessariis celeriter paratis, ne quod posset impedimentum incidere, sanctum corpus, etiam ante sacra Missarum solennia, sepulturæ mandare constituerant. Verùm ille Moderator & rerum, & temporum, qui seruis suis gloriam nulla ex parte minui, sed augeri potiùs voluit, nihil absque ratione, & ordine fieri permisit.

9. Celebrato igitur priùs Missæ solemni Sacrificio, stabant seorsum Fratres Caroli Loci, animi dubij, quid agerent: & neque propiùs audent accedere, neque vt supremæ Sancti Patris voluntati fiat satis, postulare. Iam enim turbæ conspirauerant, vt si aliena manus auferendo sancto corpori admoueretur, aut si qui aduenæ, vel ignoti illud apprehendere conarentur, repentè trucidarentur. Et quidem ex senioribus, & maioribus Ecclesiæ nonnulli, ne fidem datam Sancto Episcopo infringerent, liberam illis Fratribus tollendi corporis fecêre potestatem: sed id eò & libentiùs, & liberiùs, quòd satis scirent, ne se ipsos quidem, etiamsi vellent, exteris Fratribus Ecclesiæ illius non consentientibus, & turbis renitentibus sacrum corpus inde posse amouere. Ita ergo Fratres Caroli Loci videntes se nihil posse proficere, Cleri, & populi mirantur deuotionem; cedúntque turbis, spe, & expectatione sua frustrati; præsertim cùm honore debito sacrum corpus Beatissimi Viri sepulturæ traderetur.

10. Nec defuerunt miracula, quæ illius sanctitati illustre redderent testimonium. Nam eo ipso die per merita illius, nec dum humato eius corpore, inter cætera insigne quoddam contigit miraculum, quod nolumus silentio præterire. Puer quidam non omninò decem annorum, toto curuatus corpore, cœlum intueri non poterat: sed prono semper vultu terram spectabat. Iam triennio id incommodi pertulerat, manuum, ac pedum officio penitùs destitutus. Cibus aliena manu eius ori inferebatur, & ad naturæ necessaria à matre portabatur, quæ, sic languente filio suo, ipsa pariter languebat, eiúsque afflictione acriùs affligebatur. Vt autem percepit hic puer Sanctum Episcopum è corpore excessisse, multa instantia obsecrabat matrem, vt ipsum perferre non grauaretur ad Ecclesiam, quo posset S. Patris corpus exoscular. Acquieuit tandem mater eius crebrò repetitis precibus, eúmque suis complexa vlnis, difficulter in templum inferre potuit præ turba. Vt autem propiùs accessit, constanti animo prostrauit se cum paruulo suo coram sacro corpore, & ambo osculati sunt eius manus, & pedes. Ea ipsa hora audit mater quasi fragorem quendam, & commotionem ossium filij sui, quæ (vt ipsa testabatur) potuissent etiam audiri à multis, si non obstitisset circumstantis populi strepitus, & tumultus. Redit mater cum illa sua, sibi multùm chara sarcinula; & cùm iam procul à turba recessisset, exclamat filius, & dicit: Sine me, mater, meis ingredi pedibus: ecce enim per merita Sancti Episcopi sentio me redditum sanitati.

11. Quibus auditis, mater illum deponit, & consolidatæ sunt bases eius, & plantæ, & sine vllo adminiculo, cunctis admiranibus, iter capessit. Stupet mater, stupent vicini eius, qui nouerant puerum triennio tam malè affectum fuisse. Timens autem mater puero ob recentem adhuc curationem, nisi ad Ecclesiam reuersa gratias ageret Omnipotenti Deo, & eius gloriosissimo Confessori Guillelmo, illuc redire statuit post turbæ discessum. Sed dum illa expectat, & miranda Dei opera secum admiratur; ecce Dominus volens clarificare Sanctum suum ad eius tumulum, caternatim confluentibus populis, antiqua potentia suæ innouat miracula, signisque aliis alia succedunt. Igitur nolens expectare diutius, apprehensa manu pueri, non obstante populi concursu ad Ecclesiam properat, & cum aliis sanitati restitutis, atque ea causa gratias agentibus, ipsa quoque pro filij sui salute gratias agit gratiæ Largitori.

12. Eodem Dominico die, cùm turba recessissent, multi, & nostræ vrbis homines, & in locis finitimis degentes, variis afflicti morbis, qui præ populi frequentia ingredi antea non poterant, humiliter, ac deuotè ad Sancti tumulum accesserunt, sperantes in eo, qui sanat contritos corde, vt per eiusdem Beati Patris merita, optata potirentur sospitate. Sed, quia nimis longum est, imò impossibile, non ea modò, quæ ad Sancti Viri sepulcrum, sed etiam in diuersis regionibus ad eius inuocationem quotidie eduntur miracula, singulatim commemorare, dicemus in summa duntaxat: nempe, videre cæcos, claudos ingredi, hydropicos curari, surdos audire, loqui mutos, demoniacos liberari, aperiri carceres, vincula solui, sanari lethaliter saucios, mortuos ad vitam reuocari: atque adeò etiam bruta animantia, non vno morbo liberari: multos iam penè desperatione obrutos, ad Sancti Patris recordationem mirificè relenari. Denique quacunque vel ægritudine correptos, vel periculo expositos, à malis omnibus eius intercessionibus ereptos, sentire præsentem virtutem Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Hactenus sumpta ex Actis Viri Dei, quæ adeò luculenter, & piè scripta sunt, vt nihil eis censuerim addendum, demendum nihil. Qualiter autem nouennio vix transacto Canoni Sanctorum adscriptus sit ab Honorio III. Summo Pontifice; atque in Bituricensium Tutelarem, & Patronum, quin & totius Galliæ, admissus sit, suo tempore veniet referendum. Nunc Cruce signatorum expeditionem, euentúsque cum aliis, quæ hunc annum concernunt, prosequamur.

1. *Cruce signati descripti à Vallsarnensi.* 2. *itémque ab Hugone:* 3. *quibus Arnaldus Dux, Magistérque.* 4. *& sub eo Raymundus, Tolosæ Comes.* 5. *Cruce signatorum numerus, & nota,* 6. *& prima irruptio in vrbem Biterrensem.* 7. *Qualis ciuitas:* 8. *& quæ monita de Cælo:* 9. *quæque de terra excidium eius præcesserint.* 10. *Expugnatio, & euersio totius vrbis.* 11. *Perpensa quædam de tempore, & de loco:* 12. *alia ex Cæsario:* 13. *& qua occasione itum in Carcassonam.*

CAPVT III.

1. Gvillelmo mortuo ingens fidei columna conuulsa fuit. Et ruisset forsan totius ædificium expeditionis, aduersùs Albigenses, si non Principes, Præsules, atque innumera plebs ante eius se mortem Cruce signassent: quos omnes ipse è cælo præsentior Deo, in proposito potentiùs confirmabat. Igitur, ait Petrus Vallsarnensis [a], *Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimonono, Domini Papa Innocentij III. anno vndecimo, regnante Philippo Rege Francorum, circa Festum Sancti Ioannis Baptistæ, Cruce signati omnes à diuersis Francie partibus iter arripientes, pari consilio, & prouida dispositione, apud Lugdunum, vrbem Gallie, conuenerunt. Inter eos autem, qui ibi affuerunt, isti precipui habebantur. Archiepiscopus Senonensis, Episcopus Heduensis, Episcopus Claromontensis, Episcopus Niuernensis, Comes S. Pauli, Comes Montisfortis, Comes de Barro suprà Sequanam, Guichardus de Belleioco, Vuillelmus de rupibus, Senescallus Andegauie, Gualcherus de Iuniaco: multi præterea nobiles, & potentes, quos longum esset per singulos nominare.* Hactenus ille.

a *Hist. Alb. cap. 14.*

b *ad hunc ann.*

2. Quæ eadem aliquantò fusiùs, distinctiúsque Hugo Altisiodorensis in Appendice. *Ipso anno* (scilicet, quo Sanctus Guillelmus Bituricensis Præsul mortuus est) *de cunctis Gallicanum partibus, Francia, Flandria, Normania, Aquitania, & Burgundia, tam Episcopi, quàm Comites, & Barones, militum, & vulgarium numerus infinitus votiua profectioni se præparant. Mense igitur Iunio apud Lugdunum conueniunt ex condicto: & dispositis itineris necessariis, & ducibus, qui præessent, de communi conuenientia constitutis, versùs prouinciam iter mouent omnes Cruce signati in pectore, accensis animis aduersùs homines pestilentes, & fidei refugas pugnaturi. Adiungitur eis Tolosanus Comes, quem Dominus Papa per Legatum absoluerat, satisfactione humillima de commissis exhibita.* Ita Hugo congregatos Lugduni, quò Legati processerant, omnes Cruce signatos, memoriæ prodit.

3. Porrò, quod ait, Raymundum Tolosanum, satisfactione exhibita, absolutum, Cruce signatis se statim adiunxisse, non sic intelligendum est, quasi à Legato absolutus omninò fuerit, quod Innocentio lógè posteà distulit, vt statim videbimus: sed quòd censuris ad effectum illum suspensis (ne inauditum damnare, aut nondum condemnatum repellere à consortio fidelium videri posset) ad Crucem admisit, quem in dolo vepire, aut saltem non tam zelo veritatis, quàm militum timore non dubitaret. Rursúsque ait, constitutos Duces de communi consensu, qui cæteris præessent, compertum est, Principem omnium Arnaldum institutum Cistercij Abbatem, quod ex Authore Vitæ S. Guillelmi palàm perspeximus [c]: *Cùm enim*, ait, *in Domini exercitu Abbas Cisterciensis Dux, & Præceptor esset institutus*, &c. Quin & sequentia planè declarabunt, in quibus nihil, quod non ex eius ductu: quippe post Comitem Tolosæ, suspectus nulli; omnibus reuerendus, & venerandus: cuique eò libentiùs parerent omnes, quò prudentiæ, & consilio magis deferrent: vnde & in causis Tolosani Comitis, qui eum recusauisset, Innocentius iniunxerat Miloni, vt iam notauimus, nihil prorsus faciendum, nisi quod ipsi ab eodem suggestum esset.

c *apud Surium ubi supr.*

Cæterùm, qua intentione, & quibus artibus Raymundus Comes absolutionem ad tempus impetrauerit, Petrus Vallsarnensis his verbis prodit [d]: *Veniens autē Comes Tolosanus Raymundus multitudinē signatorū aduenire, timénsque, ne inuaderent terrā eius, vtpote quem de perpetratis nequitiis conscientia stimulus accusabat; exiuit obuiam eis, & perueniens vsque prope Valentiam ciuitatē: at illi egressi erant in manu excelsa. Ipsos igitur inueniens prope ciuitatem dictam dictus Comes, pacem simulans, falsum spopondit obsequiū, firmissimè promittens, quòd ad mandatum S. R. E. ad eorum etiam arbitrium se haberet: super quibus obseruandis dedit castella quædam pro securitate. Volnit etiam dare filium suum in obsidem, vel si ipsum.* His factis, Comes, quam apud Deum non poterat celare perfidiam, apud homines quandiu potuit dissimulare, omni studio & industria procurabat. 4.

d *cap. 15.*

De numero Cruce signatorum Authores variant. Sunt, qui quindecim millia; sunt, qui quingenta millia testificentur. Matth. Paris [e] non vnquam tantùm exercitum in Europa contractum: nisi, quòd tamen non omnes permansérent: sed succedentibus aliis, aliisque, qui minimùm per quadraginta dies perseuerabant. Nomen illis, & habitus à causa; nempe, peregrinorum; nulla profectò minori pietate profana loca cunctis adeuntibus ad extirpandas hæreses, Hæreticósque, quàm si sacra adirent, vt eis reuerentiā exhiberent. Hinc illis baculi vulgò, *Bordones*, pro insigni militiæ, sicut Crux; & Comitis Raymundi impia mordacitas, qui exercitū Burdionum [f], veluti per derisum nominabat. Primum impetum in Biterrensem vrbem; siue, quia infestior hæretica sentina; seu, quia venientibus prima se offerebat, ex his, quæ labe illaconfœdebantur. Cæterùm, quid in illam vrbem gesserint, primùm ex Hugone, dein distinctiùs ex Petro Vallsarnensi; & qualis ipsa ciuitas, describam. Igitur Hugo Biterrensem expugnationem ita prosequitur [g]: 5.

e *in Annal. Angiæ.*

f *apud Guill. Carll.*

g *ad hunc ann.*

In primis itaque Biterris vrbem populosam, & amplam: sed fide vacuā, moribúsque corruptam obsident, & oppugnant: eámque statim capiunt, captámque subuertunt. Nulli sexui, vel ætati parcitur, omnes à minimo vsque ad maximum trucidati sunt. Occisorum cadauera coacernant, & concremant, & deuorante cuncta incendio, fit vastitas circunquaque, & horribilis solitudo. Vicos præterea, & oppida, dum nostri percurrunt, vacua reperiunt, qui timore perterriti confugerant. Hactenus Hugo rem paucis perstringens. Cæterùm, longè exactiùs Vallsarnensis, qui primò vrbem, atque vrbis mores, perfidiámque accuratè describit in hæc verba [h]: 6.

h *cap. 16.*

Erat Biterris ciuitas nobilissima: sed tota veneno hæreticæ pranitatis infecta; nec solùm Hæretici erant cives Biterrenses, sed erant raptores, iniusti, adulteri: latrones pessimi, pleni omni genere peccatorum. Non sit onerosum Lectori, siue malitia dictorum Ciuium aliquos specialiter disseramus. Pergebat quadam no- 7.

Ets in ipso diluculo Sacerdos quidam ciuitatis illius ad Ecclesiam diuina celebraturus mysteria, portans calicem manibus suis: quidam autem de Biterrensibus, qui se posuerant in insidiis, arripientes Sacerdotem illum, & vehementer verberantes, fracto brachio, illum grauissimè vulnerarunt: accipientésque calicem, quem tenebat Sacerdos, ipsúmque discooperientes, minxerunt in eo, in contemptum Corporis, & Sanguinis Iesu Christi. Alióque tempore ciues sepediti in Ecclesia Beatæ Mariæ Magdalenæ, quæ in ciuitate dicta sita est, dominum suum Vicecomitem Biterrensem Francanistum traditores pessimi interfecerunt: Episcopo etiam suo, qui Vicecomitem ab illorum manibus defendere nitebatur, dentes confregerunt. Hæc facies vrbis, quàm manebat supplicium vltimum, ipsi per Cruce signatos infligendum.

8. At non sine præuiis admonitionibus, quas ex cælo, & ex terra consequuti, nihilominùs se se in vtrarunque contemptum præcipitarunt. Et quidem cùm aduersùs peregrinos iam iam muris instantes vrbem munirent, talem de cælo traduntur nuncium suscepisse [k]: *Egrediebatur die quadam Canonicus quidam Biterrensis de Ecclesia maiori, celebrata Missa: audiens autem tumultum laborantium in fossatis Ciuitatis, interroganit, quid hoc esset. Respondérunt, qui aderant: Tumultum est laborantium ad fossata: quia munimus ciuitatem contra Francigenas, qui aduenium. Iam enim imminebat aduentus peregrinorum. Et dum ita loquerentur, apparuit quidam senex venerandæ ætatis, qui dixit eis: Vos contra peregrinos ciuitatem istam munitis: sed, quis desuper poterit vos munire? Per hoc innuens, quòd Dominus de cælo debellaturus esset eos. Quo audito, illi vehementer moti sunt, & permoti: cúmque vellent in senẽ insurgere, subitò disparuit, & nusquam potuit inueniri.* Hanc illi primitùs monitionẽ de cælo missam, internúcio, vt putatur, Sancto Guillelmo, contempsêre rebelles: at plures alias, factas ab hominibus idem, qui suprà, Petrus sic describit [l].

[k] ibid.

9. *Peruenientibus itaque Biterrim nostri transmiserũt in ciuitatem, ipsius ciuitatis Episcopum, qui exierat obuiam eis, Magistrum, videlicet, Reginaldum de Monte Pessulano, Virum ætate, vita, & scientia venerandum. Dicebant siquidem nostri, quòd causa perdendorum Hæreticorum aduenerant; mandauerúntque ciuibus catholicis, si qui erant, vt in manus ipsorum traderent Hæreticos, quos ipse Venerabilis Episcopus, qui eos plenè nouerat (& etiam in scriptum redegerat) nominaret: vel, si istud facere non possent, exeuntes de ciuitate dimitterent Hæreticos, ne perirent pariter cum eisdem. Quod verbum cùm sæpedictus Episcopus ex parte nostrorum memoratis ciuibus retulisset; noluerunt acquiescere; sed se aduersùs Deum, & Ecclesiam erigentes, inito cum morte fœdere, elegerunt potiùs mori Hæreticos, quàm viuere Christianos.* Haud sanè mirum, spreta hominum monita ab his, qui dudum diuina contempsissent. Sed neque diu vindicta retardata; aut minùs tristis ex ministris, quàm ex euentu. Certè & loco, & tempore opportunis, meritas pœnas luerunt suorum scelerum. Nam pergit Author de his ita scribere [m]:

[l] ibid.

10. *Priusquàm nostri eos aliquatenus expugnarent, exierunt quidam de ciuitate, cæperúntque nostros sagittis acrius infestare: quod videntes seruientes exercitus, qui publica lingua dicuntur Rivaldi, cum indignatione maxima muros adeunt ciuitatis; nobilibúsque exercitus nescientibus, & penitùs inconsultis, facto insultu ipsa hora, quod dictu mirabile est, capiunt ciuitatem. Quid plura? Statim intrantes à minimo ad maximum omnes ferè necati, tradentes incendio ciuitatem. Fuit autem capta ciuitas sæpedicta in Festo S. Mariæ Magdalenæ. O iustissima diuinæ dispensationis mensura! Sicut in principio huius libri diximus, dicebant Hæretici, B. Mariam Magdalenam fuisse Christi Concubinam. Præterea in Ecclesia ipsius, quæ erat in ciuitate, sicut suprà retigimus, ciues Biterrenses dominum suum occiderant, Episcopo suo dentes confregerant. Meritò igitur in illius Festiuitate capti sunt, & destructi, de qua contumeliosa tot dixerant: cuius etiam Ecclesiam sanguine domini sui Vicecomitis, videlicet, necnon Episcopi, fœdauerant canes impudentissimi. In eadem etiam Ecclesia, in qua, vt sæpè dictum est, dominum suum occiderant ciues Biterrenses, ipsa die captionis ciuitatis, fuerunt vsque ad septem millia de ipsis Biterrensibus interfecti.* Hactenus ibi. Porrò in hac Biterrensis vrbis expugnatione Angelos visos signatos & ipsos Crucibus, quos Guillelmus Brituicensis ducebat, cap. 1. (ni fallor) ex Sancti eiusdem Actis memoratimus. Ita, quam antea comminatus fuerat, exequutus vltionem creditus est, vt veritas pateret comminationis.

11. De hoc excidio vrbis Biterrensis in quodam Chronico M. S. inuenisse se ait Guillelmus Catell [n]: *Anno M.CC.IX. in die Sanctæ Mariæ Magdalenæ destructa fuit ciuitas Biterris: vnde versus:*

Anno milleno, ducentenóque noueno,
In Magdalena ruit vrbs Biterris amœna.

[n] fol. mihi 250.

[o] cap. 16.

Cæterùm Petrus Vallsarnierensis vlteriùs notat [o], *Quòd sicut ciuitas Ierusalem. XLIII. anno à Passione Domini nostri à Tito, & Vespasiano fuit destructa: ita ciuitas Biterrensis XLII. anno ab interfectione Domini sui, per Francigenas est vastata. Hoc quoque non est omittendum, quòd sæpè dicta ciuitas multoties deuastata fuerit ob causam superiùs memoratam, & semper in die Festo S. Mariæ Magdalenæ, in cuius Ecclesia tantum scelus perpetratum fuerat, dignam vocepit eiusdem sceleris vltionem.* Hæc prima Cruce signatorum victoria fuit.

12. Referam & ex Cæsario Heisterbacensi eandem victoriam, qui cuncta congerens, quædam alia narrat, quæ ab aliis sunt prætermissa. *Horum omnium*, inquit, [p] (scilicet, Cruce signatorum) *Prædicator, & caput erat Arnaldus, Abbas Cisterciensis, postea Archiepiscopus Narbonensis. Veniens ad ciuitatem magnam, quæ Vsers vocatur, in qua plusquàm centum millia hominum fuisse dicebantur, obsederunt illam. In quorum aspectu Hæretici super volumen sacri Euangelij mingentes, illud contra Christianos proiecerunt; & sagittis post illum missis clamauerunt: Ecce lex vestra, miseri. Christus verò Euangelij sator, iniuriam sibi illatam non reliquit inultam. Nam quidam satellites, zelo fidei accensi, leonibus similes, exemplo illorum, de quibus legitur in libr. Machabæorum, scalis appositis, muros intrepidè ascenderunt, Hæreticisque diuinitùs territis (visis, nimirum, Angelis, quorum Guillelmus exercitum ducebat,) & declinantibus sequentes, portas aperientes, ciuitatem obtinuerunt. Et cognoscentes ex confessionibus illorum Catholicos eum Hæreticis esse permixtos, dixerunt Abbati: Quid faciemus, Domine? Non possumus discernere inter bonos viros, & malos. Timens, tam Abbas, quàm reliqui, ne tantùm timore sui Catholicos simularent, & post illorum abscessum iterum ad perfidiam redirent, fertur dixisse: Cædite eos: nouit enim Dominus, qui sunt eius. Sicque innumerabiles occisi sunt in illa ciuitate.* Ita Cæsarius Author, & ipse synchronus.

[p] lib. 5. c. 21.

Deseruerat aduentu nostrorum vrbem Regulus Biterrensis, & Carcassonam, quæ sibi etiam subiecta, æquè nobilem vrbẽ cum Hæreticis multis transmigra-

uerat,

Caput III.

uerat : id quod idemmet Petrus reliquit scriptum [b]; *Antequàm Cruce signati ad Biterrensem peruenirent ciuitatem, Vicecomes Biterrensis, Raymundus Rogerij nomine, nobilis quidem genere, nepos Comitis Tolosani, qui sectans auunculi prauitatem, in nullo Hereticos comprimebat, promiserat firmissimè Biterrensis ciuibus ciuitatis, quòd eos nullatenus desereret: sed cum ipsis ad mortem vsque perseueraus in sæpedicta ciuitate aduentum Christi militum expectaret. Sed, cùm nostros appropinquare audiret, pacti oblitus, fœderis nescius, fidem frangens confugit Carcassonam, aliam suam nobilem ciuitatem, plures de Biterrensibus Hæreticis ducens secum.* Igitur nostri, Biterrensi vrbe destructa, Carcassonam adueniunt, purgandam ab Hæreticis, aut solo etiam æquandam, vt Biterris. At, quid in ea obsidione factum sit, sequenti capite commodiùs nobis referendum est.

b Hist. Albig. cap. 16.

---

1. *Carcassona expugnatio per peregrinos.* 2. *Ciuium impietas, & nominis,* stallum, *significatio.* 3. *Primum, & mox* 4. *secundum suburbium diruitum : illud à nostris : hoc* 5. *ab ipsis ciuibus.* 6. *Miraculum in castris peregrinorum attributum Arnaldo, velut Magico.* 7. *Dedita vrbs,* 8. *& ciues nudi egressi :* 9. *& tandem Carmen de totius rei euentu.* 10. *Quædam alia ex Cæsario, sed minùs certa.*

CAPVT IV.

1. CARCASSONÆ obsidionem, & deditionem eisdem Authoribus libet, prosequamur. Portrò de iis Altisiodorensis hæc Hugo [a]: *Carcassonam deinde pertendunt, & obsidem, vrbem grandem, plenam diuitiis; sed vitiis, & erroribus plùs refertam: tam victualium, & armorum copia, & situ loci, quàm muris validis permunitam: habentem duo suburbia congesta opibus, fossatis, muriſque firmata. Ad hanc de circumiacenti regione multi confluxerant: aderat & Rogerus Biterrensis, vir perfidus, per cuius maximè nequitiam pestilens error increuerat, & plures infecerat:*

a in Appendice.

Nobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Hic ergo nostri cùm temeria collocassent, vrbem acriter impetunt; assiduóque, & vrgentissimos dant assultus: ut primò suburbia capiunt, & incendunt. Videns Rogerus, quia sic imualescerent nostri, nec sibi adsonet potentia resistendi, ad nostros egreditur: rogat, vt sola suis corporum vita concessa, egredi liceat, quò libuerit. Vix tandem impetrat, quod requirit. Egrediuntur miserrimi, & solis induti lineis, tam rebus, quam fide vacui dimittuntur. Rogerus sub arcta custodia detinetur. Nostri verò potiti liberè cuncta vendicant. Copiarum omnium reperitur infinita congeries. Hactenus Hugo. Quibus tamen quædam addenda sunt, ex Petro Vallsarnensi [b], qui ita habet:

b cap. 16.

2. *Qui in castris inter Biterrim, & Carcassonam positis habitabant, timore exercitus fugerant, castra sua vacua relinquentes. Quidam tamen, qui non vocabantur ex hæretica prauitate, reddiderunt se nostris.* Et paulò inferiùs : *Nec silendum, quòd ciues Carcassonenses pessimi, & infideles, refectorium, & cellarium Canonicorum Cacasonensium, qui erant Canonici regulares, ipsa etiam stalla Ecclesiæ, quod execrabilius est, destruxerunt; vt muros ciuitatis inde munirent. O profanum consilium! ô munitio immunita, quæ sacra immunitate Domus Dei violata, & destructa construitur, per hæc meritò destruenda. Domus rusticorum intacta conseruantur, Domus seruorum Dei deiecta prosternuntur.* Nicolaus Camuzatius [c] dubius est in vocis illius, *stalla*, explicatione : & fortè peristylia legendum putat, id est, porticus Ecclesiæ columnatas, quas nos Claustra vocamus. Sed immeritò : quippe id sine totius ædificij ruina, nequaquam fieret. Turpiùs Sorbinus [d], qui stabula Gallicè interpretatus est, reclamantibus verbis totius textus. Ergo per *stalla* sedilia in Choro posita, atque ipsa lignea eorum structura, intelligenda veniunt : noto vocabulo, quo stallum Abbatis, siue Prioris, propria illius sedes; atque installare, id est, electum in sede illa locare, diu consueuit. Inde in Cæsarij nostri Lexico positum [e]: *Stallum locus in Choro, vel Capitulo cuiusque Clerici, aut Religiosi.* Quo passim sensu tam apud eundem, quàm apud alios eiusdem ævi Authores. Sed pergit Petrus [f]:

c in suis Notis.

d apud eund.

e in Dialogis.

f ibid. 3.

Die igitur tertia, sperantes nostri primum suburbium, quod secundo suburbio erat aliquantulum minus forte, per insultum sine machinis se capturos, impetum fecerunt vnanimes in ipsum; Episcopis, & Abbatibus cum vniuersò Clero congregatis in vnum, & cum maxima deuotione cantantibus, Veni, Sancte Spiritus, *diuinúmque postulantibus auxilium mox adfuturum: derelictum statim primum suburbium ab hostibus, vi cœperunt. Nec prætereundum, quòd nobilis Comes Montis fortis primus omnium, imò solus, quoad militet, in fossatum se misit, audacter, cum cæteris dictum suburbium impugnando. Quod captum, impletis fossatis, nostri terra penitus adæquauerunt.* Hactenus de captione primi suburbij. Nunc qualiter secundum captum sit, quod longè cariùs stetit, audiamus.

g ab vol. ibid. 4.

Videntes nostri, quòd tam facilè cepissent sæpedictum suburbium, arbitrati sunt, secundum suburbium, quod longè fortius erat, & munitius, per insultum similiter capi posse. Die autem altero ad murum eiusdem secundi suburbij accesserunt. Quibus ad insultum instantibus, Vicecomes cum suis ita se viriliter defendebat, quòd ex frequenti & creberrimo iactu lapidum, nostros à fossato, quod intrauerant, oportuit resilire : in quo conflictu contigit quendam militem de nostris fractocrure in fossato remanere : ad quem extrahendum, cùm nullus auderet accedere propter iactus lapidum incessantes; vir totius probitatis, videlicet, Comes Montis fortis, in fossatum se mittens, ipsum vnico auxiliante armigero, non sine grandi propria vitæ discrimine liberauit.

5. *Quibus gestis, nostri mox machinas, quæ dicuntur petrariæ, ad diruendum murum suburbij erexerunt, quibus, muro aliquantulum pro iactu petrariarum in summitate debilitato, nostri currum quatuor rotarum bouinis pellibus cooperium, cum maxima difficultate, muro applicantes, ad fodiendum murum artifices submiserunt. Aduersarij verò ignem, ligna, lapides proiicientes, instantissimè ipsum currum statim comminuerunt. Fossoribus tamen in concauitate muri iam facta se recipientibus,*

cipientibus, quos nullo modo à perforatione muri potuerunt retardare. Quid plura? In crastino summo diluculo suffossus corruit murus. Mox nostris cum strepitu intrantibus, aduersarij sese in superiora ciuitatis transtulerunt. Sed posteà videntes milites nostros exiisse à suburbio, & se in tentoria recepisse, exeuntes de ciuitate, quotquot de nostris in suburbio effugantes, pluribus etiam de nostris pra difficultate exitus interfectis, in toto suburbio ignem mittunt sese iterum ad superiora reportantes. Sic vtrunque suburbium solo æquatum, per nostros primum; secundum per ipsos hostes, postquàm à nostris captum, atque exhaustum.

6. Illuxit peregrinis obsidentibus diuina clementia, dum prouidentiæ obsessorum prorsus illusit, adeò vt putarent, Abbatem Cisterciensem, qui Dux exercitus, per artes magicas adduxisse Dæmones, qui nullo cibo egerent ad præliandum. *Contigit quoddam*, ait idem Author [h], *quod non pratermittendum, sed pro maximo miraculo est habendum. Dicebatur, quòd in exercitu erant homines, vsque ad quinquaginta millia; hostes autem nostri, omnia in circuitu ciuitatis molendina destruxerant, ita quòd non poterant nostri panem habere, nisi de paucis castris circumiacentibus: & tamen in tanta abundantia erat ibi panis, quod modicissimo pretio venderetur. Inde dicebant Hæretici, quòd Abbas Cisterciensis Magus erat, Dæmonesque adduxerat in specie hominum, quia videbatur eis, quod nostri non comedebant.*

h ibid.

7. Destructis suburbiis, cùm ciues penitùs de vrbe desperarent, deditionem intentant per Vicecomitem, vt ex Hugone diximus. Tum verò nostri, ait Petrus Vallsarnensis, consilium habuerunt. *Animaduertentes autem, quòd si facerent hîc, sicut in Biterrensi factum fuerat ciuitate, destrueretur ciuitas, & omnia bona, qua in ipsa erant, consumerentur, & ita ille, qui præficiendus erat terræ illi, non haberet, vnde viueret; nec posset milites, & seruientes tenere ad terram custodiendam: ad consilium igitur Baronum tractatum est de pace in hunc modum. Ordinatum est, quòd omnes egrederentur nudi, & ita euaderent: Vicecomes autem in custodia teneretur; bona omnia remanerent illi, qui futurus erat Dominus dictæ terræ, ob necessitatem superiùs nominatam: factumque est ita. Egressi sunt ergo omnes nudi de ciuitate, nihil secum præter peccata portantes.*

i cap. 16.

8. *Tunc adimpletum est, quod dictum fuerat per Venerabilem Virum Berengarium, qui fuerat Episcopus Carcassona. Hic cùm quadam die in ciuitate sua prædicaret, ciuibúsque, sicut solitus erat, hæresim improperaret; noluerunt eum audire. Quibus ille: Vos me audire non vultis: credite mihi: ego tantum mugitum emittam contra vos, quòd à remotis mundi partibus venient, qui destruent villam istam. Certissimè autem sciatis, quòd si ferrei, & altissimi essent muri ciuitatis istius, non posietis vos defendere, quin pro vestra incredulitate & malitia, condignam recipiatis à iustissimo Iudice vltionem. Propter hæc, & his similia, qua eis Vir sanctissimus intonabat, quodam tempore expulerunt eum dicti ciues de ciuitate, inhibendo præconis voce districtissimè, & sub pœna grauissima vltionis, ne quis in emendo, vel vendendo, sibi, vel suis auderet in aliquo communicare.* Et post pauca: *Dedita ciuitate, & omnibus egressis, eliguntur de exercitu milites, qui bona ciuitatis fideliter custodirent.* Hæc Vallsarnensis.

9. Extant de hoc egressu Carcassonensium, atque peregrinorum ingressu in eam vrbem incompti satis Guillelmi Britonis versus [k]: sed qui rem ipsam veraciter describant:

k lib. 8. Philip.

Hinc procedentes Carcassonenses tuta cingunt
Agminibus densis vrbem, quam tempore paruo
Grauiter expugnant; & eam se dedere cogunt
Tali condicto, quòd nil ex vrbe ferentes
Bellator, ciuis, ætas, & sexus vterque,
Sola contenti vita, sine veste, sine armis,
Arcto postico, quo vix foret exitus vni,
Vnus post alium studeant exire viritim:
Cuncta relinquentes bona libito Catholicorum:
Agros, arma, pecus, gazas, vineta, Penates,
Et quæcunque locus rem tam præclaram habebat.

Cæsarius tradit [l] permissos egredi ciues, quòd, *populo examinato, cùm omnes promitterent, se velle redire ad fidem, CCCC. L. in sua pertinacia, indurati à Diabolo, permanserunt; ex quibus quadringenti combusti sunt in igne, cæteri patibulis appensi.* Sed hoc à Vallsarnensi prætermissum, cùm aliàs adeò dignum historia sit, meritò potest in dubium reuocari. Nec credam facilè, spoliatos bonis, & vrbe vitos, qui ad Ecclesiam confugerent, &, serò licèt, ad fidem regrederentur. Fieri potuit, vt Hæreticis ejectis Hæresiarchæ patibulis penderent, aut suppositio incendio conflagrarent.

l lib. 5. c. 21.

10.

---

1. *Cruce signati de electione Principis agunt, qui dominetur terris Hæreticorum.* 2. *Designati electores septem: inter quos primus Abbas Cistercij fuit.* 3. *Et electus Simon Monfortius Comes.* 4. *Dotes illius, corporis, & animi.* 5. *Niuernensis Comitis discessus, cum magna parte exercitus. Cui aliàs Hæreticos delere in promptu fuit.* 7. *Tum Dux Burgundiæ cum reliquis reuersus.* 8. *Et destituto Comiti Simoni, Robertus, malus vicinus,* 9. *& Guido Abbas Vallium associantur.*

CAPVT V.

1. CARCASSONA per nostros occupata, actum de eligendo vero Domino, qui tam eidem vrbi, quàm cæteris obtinendis dominaretur. Hugo Antisiodorensis designatum communi consilio tradit insignem pietate, & armis virum Simonem Comitem Montis fortis, totidem verbis [a]: *Simon de Monte forti, vir armis strenuus, ac fidelis, de communi consilio, vrbi, & regioni præficitur; & quidquid in vrbe repertum est, & pars exercitus, sub eius dominio deputatur.* Ita Hugo. Cæterùm, nec Simonem primò electum, nec eius electionem de communi immediatè consilio processisse, sed designatis priùs quinque electoribus: demum cætera omnia, quæ acciderunt, qui cunctis interfuit, Petrus Vallsarnensis fideliter scribit, dum ita ait [b]:

a ad hunc an.

b vbi supra n. 2.

Quibus omnibus peractis, consilium habuerunt Barones ad inuicem, quem deberent præficere terræ prædictæ. Et primò quidem oblatum fuit terra dominium Hervæo Comiti Niuernensi; posteà Duci Burgundiæ; sed

sed accipere noluerunt. Eligatur igitur de toto exercitu duo Episcopi, & quatuor milites; & insuper Abbas Cisterciensis, apostolicæ Sedis Legatus, ad terræ dominum eligendum: qui firmiter promiserunt, quòd illum eligerent, quem secundùm Deum, & seculum scirent utiliorem. Hi septem, septiformis Spiritus Sancti gratia cooperante, totámque terram misericorditer respiciente, eligunt Virum fidelem, Catholicum, moribus honestum, armis strenuum, Simonem, videlicet, Comitem Montis fortis. Hactenus, quæ electionem præcessêre. Nunc, quæ immediatè eandem sequuta sint; qualitérque tenitens, & inuitus, authoritate tamen Arnaldi, Cistercien sis Abbatis, ad vltimum compulsus, tandem consenserit, pergit etiam scribere in hunc modum [c]:

c *vbi suprà.*

3. *Statim Abbas Cistercien sis, apostolicæ Sedis Legatus, huius sacri negotij Pater, & Magister, & Dux Burgundiæ, Comes etiam Niuernensis, ad ipsum veniunt, monent, rogant, & consulunt, vt suscipiat eius pariter, & honorem. Quod cùm vir discretissimus instantissimè renueret, & se fateretur in sufficientem, & indignum; mox Abbas Cistercien sis, & Dux, eius pedibus se prouoluunt preces precibus inculcantes. Comite autem adhuc renuente, Abbas authoritate sua Legationis vtens, præcepit ei districtissimè virtute obedientiæ, vt faceret, quod petebant. Suscepit igitur terræ gubernaculum Vir præfatus ad laudem Dei, & honorem Ecclesiæ, ac depressionem hæreticæ prauitatis.*

4. Non abs re erit, quas corporis, & animi dotes electi Comitis recensêt idem Author [d], Lectori promere: vt quàm meritò electus, compulsúsque ad

d *cap.18.* præstandum consensum, palam fiat. *Erat*, ait [d], *genere præclarus, virtute robustus, in armis plurimum exercitatus. Erat præterea, vt accedamus ad formam, statura procerus, casarie spectabilis, facie elegans, aspectu decorus, humeris eminens, brachiis exertus, corpore venustus, membris omnibus agilis, & stabilis, acer, & alacer, in nulla sui vel modica parte, etiam ab hoste, vel inuido reprobandus. Demum, vt ascendamus ad maiora, erat facundia disertus, affabilitate comes, contubernio amabilis, castitate mundissimus, humilitate præcipuus, sapientia præditus, in proposito firmus, in consilio prouidus, in iudicio iustus, in militia exercitiis sedulus, in suis actibus circumscriptus, in incipiendis arduus, in perficiendis non defessus, totus diuinis seruitiis mancipatus.* Hæc facies Comitis exterior, & interior; digni, qui Christianæ militiæ præficeretur. Et tandem concludit [e]: *Quòd licèt aliqui possent reperiri, qui in*

e *ibidem.* *aliqua ei gratia æquipollerent; audacter dico, vix, aut nunquam reperietur, in quo tanta simul donorum, tam naturalium, quàm gratuitorum confluxerit plenitudo.* Hactenus Author ille: sed redeamus ad nostram Historiam.

5. Electio Ducis, dispersio militum fuit: siue pœnituit eos, qui recusarunt, oblatum principatum non acceptasse, siue voluissent recusatum etiam à Comite, quem ipsi non haberent; quocunque titulo illius prælationem non sustinentes: *Certè postquàm electus est*, ait idem Author [f], *Comes Montis fortis, statim Abbas Cistercien sis, & ipse Ducem Burgundiæ adeunt, & Comitem Niuernensem, orantes, & deprecantes, vt in seruitio Iesu Christi dignarentur adhuc aliquantulum commorari: adhuc enim erant Hæreticorum castella multa, & fortissima acquirenda. Vt enim prætermittamus innumera, erant circa Carcassonam tria castra munitissima, in quibus habitabam tunc temporis precipui fidei nostræ inimici. Erat quippe ex vna parte Minerua, ex alia castrum Finarum, ab alia Cabaretum. Dux autem Burgundiæ, vtpote benignissimus, benignè de-*

f *cap.10.*

precantibus acquieuit; promisitque per aliquantulum tempus cum eis ad hæc moraturum. Comes autem Niuernensis nullo modo deprecantibus voluit obaudire, sed statim ad propria remeauit: non enim benè conueniebant Dux, & Comes ille: sed hostis pacis Diabolus ita inter illos mutuas inimicitias acuebat, quòd timebant quotidiè nostri, ne se mutuò occiderent. Præsumebatur etiam a nostris, quòd Comes Niuernensis non satis bonam gerebat erga nostrum Comitem voluntatem; eò quòd Comes noster familiaris erat Ducis Burgundiæ, & cum eo venerat à partibus Gallicanis.

6. Discessit ergo Niuernensium Comes, & cum eo præcipua pars exercitus, vt idem etiam Author inferiùs tradit; efficaciori exemplo eius ad otium, deliciásque; quàm Ducis Burgundiæ ad bellum, & ad labores. Certè Hugo non partem peregrinorum, sed omnes pènè reuersos memoriæ prodit; siquidem immediatè post electionem Comitis, subdit [g]: *His ita gestis cæteri regrediuntur ad propria.* Sed mansit tamen Burgundiæ Dux cum multis, etsi non multo tempore: vnde fortassè ad vtrumque Hugo respexit. Illud compertum, vt verbis Petri vtar [h]: *Quòd exercitus Crucesignatorum, qui fuerunt in obsidione Carcassonæ, erat tam magnus, & fortis, quòd si vlteriùs voluissent procedere, & vnanimiter persequi orthodoxa fidei inimicos, non inuenientes, qui resisterent eis, totam terram illam in breui acquirere potuissent.* Subdit Petrus diuinæ in hoc negotio prouidentiæ aliqualem rationem; vt pro longato, ex nostrorum discessu, bello, non breui tempore, sed paulatim, & successiuè subingarentur hostes: *Vt dum paulatim, & successiuè peccatores se accingerent, ad vindicandum iniuriam Iesu Christi, prolongata guerra, tempus venia peccatoribus prolongarent.*

g *in Appendice.*

h *cap.20.*

i *ibidem.*

7. Post Niuernensis Comitis discessum, expugnata à nostris nonnulla castra [k]: & pènè totus tractus Albiensis in potestatem venit Monfortij Comitis. Atque hæc omnia auxilio Ducis Burgundiæ. At, postquàm ipsum etiam reuocauit, patriæ, aut quietis amor, siue negotia; totius exercitus tandem robur solutum: *Et Comes*, ait idem, qui suprà, Petrus [l], *remansit solus, & quasi desolatus; paucissimos habens milites, circiter triginta; qui cum aliis peregrinis venerant de Francia, & pra cæteris seruitium Christi, & Comitem diligebant.* Multa interim aduersa perpessus est, quæ longum esset in præsenti commemorare. Hugo Altissiodorensis paucis cuncta perstringit [m]: *Nostrates, qui in Albiensi, & Carcassonensi prouincia remanserant, multas interim patiuntur molestias: cùm enim timore exercitus, qui nuper recesserat, indignè pauefacti, ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium confluerunt; & se velle renasci per reconciliationem simularent; cùm nostros vtpote incautos, & simplices, ab eorum malitia sibi minimè consp icerent præcauere; per castella clanculò discurrentes, subripere munitiones festinant, & tam milites, quàm seruientes, ad castrorum custodiam derelictos, captiuant alios, alios necant, quamplures etiam auribus, & naribus, cum labro superiori, vel aliorum membrorum detruncatione, deformant.*

k *cap.21.22.*

l *cap.24.*

m *in Appendice.*

8. Christi militibus in arcto constitutis, superuenit, velut de cælo, missus Guido Vallium Sarnay, Abbas, & cum eo Robertus Malus Vicinus, potens vterque, materiali alter, alter gladio spiritus, per quos pars Christi visa est reuiuiscere. De vtriusque aduentu hæc Petrus Vallisarnensis [n]: *Superuenit interim eodem tempore Robertus Malus Vicinus, qui,*

n *cap.29.*

à Comite missus fuerat Romam, miles Christi nobilissimus, Vir mira probitatis, perfecta scientiæ, incomparabilis bonitatis; qui à multis annis Christi seruitiis exposuerat se, & sua; & præcipuè negotium istud ardentissimè, & efficacissimè promouebat. Hic est enim ille, per quem post Deum reuiguit Christi militia, sicut in sequentibus ostendemus. Hæc de Roberto. Cæterùm de Guidone Abbate hæc, quæ sequuntur [a]:

[a] ubi suprà. 2.

Ipso tempore Venerabilis Abbas Vallium Sarnay Guido, vir prudens, & bonus, qui negotium Iesu Christi miro amplectebatur affectu, & post Abbatem Cisterciensem pra omnibus promouebat; causa confortandi nostros, qui in multa depressione tunc erant, à Francia venerat Carcassonam. Adeò siquidem ardenter, sicut diximus, Christi negotium diligebat, quòd à principio negotij, prædicans per Franciam discurreret. Illi autem, qui erant in ciuitate Carcassonæ, in tanta turbatione erant positi, & timore, quòd quasi penitùs desperantes, de fuga tantummodo cogitabant. Circumclusi quidem erant ex omni parte, infinitis & fortissimis inimicis: sed Vir virtutis in illo, quò cum tentationibus dat proueniun, metus, & depressiones illorum, monitis quotidie salutaribus mitigabat. Hæc de aduentu vtriusque Christi militis; quo reparatæ paulisper fidelium vires. At quæ interim glorioſiora adhuc certamina Cistercienſem alium Abbatem præſtolarentur, atque eius ſocios Conuerſum, Monachúmque; priores duos pro Chriſto trucidandos; tertium vulneribus multis confodiendum, quanuis mortem euaſerit; ſequenti capite nobis dicenda erunt.

---

1. *Fuxenſis Comitis defectio*, 2. *perfidiáque.* 3. *Abbatis, & Conuerſi noſtrorum cædes.* 4. *Atque aliæ notitiæ, & ſepultura.* 5. *Martyrij cauſa.* 6. *Et Ciſtercienſes præ cæterís inuiſi cunctis Hæreticis.* 7. *Sacrilegi occiſoris iuſtum ſupplicium.* 8. *Tranſlatio corporis B. Petri Martyris, atque eius miracula:* 9. *& Raymundus Toloſanus ab Innocentio, per dolum, aliqua;* 10. *ſed à Rege Francorum nihil prorſus extorquens.*

CAPVT VI.

1. INTER alios, qui ſeſe noſtris adiunxerant, Cruce & ipſe ſignatus, Fuxenus Comes hæreticam perfidiam altiùs hauſtam, quandiu noſtri potentes, atque armis ſuperiores, diſſimulabat. At vbi robur exercitus diſperſum, rediiſſe ad proprias milites, & Comitem Monfortium deſtitutum auxiliaribus copiis deprehendit, *Caſtrum de Praxano*, ait Petrus Vallſarnienſis [1] *quod ipſius cuſtodia traditum fuerat, facta proditione, cepit; & à Comitis noſtri familiaritate recedens, ipſum cepit acriùs impugnare. Non multò pòſt in Feſto S. Michaelis, venit proditor nocte ad caſtrum, quod dicitur Faxum Ionis; erectiſque ad murum ſcalis, intrauerunt hoſtes, & aſtenderunt muros; & per caſtrum diſcurrere cœperunt. Quod ſcientes noſtri, qui erant in caſtro pauciſſimi, ipſos aggredientes, cum confuſione exire coëgerunt, & ſe in foſſatum præcipitare, & aliquos ex eis occiderunt.* Hæc Apoſtatæ vilis defectio manifeſta, quam antèa celauiſſet, cogente metu.

[1] cap. 32.

2. Hugo Altiſiodorenſis maiora adhuc: *Fuxenſis Comes*, ait [b], *non Princeps, ſed proditor perfidus, & periurus, rupto fœdere reuerſus ad vomitum, filio proprio, quem vnicum habebat, obſide derelicto, hæreticam prauitatem catholicæ præferens puritati, caſtrum quoddam fortiſſimum, quod quorundam puerorum nobilium fuerat cuſtodiæ mancipatum, inuaſione clandeſtina, indigenis eum recipientibus, ſubintrauit. Pueros autem blandiciis eos attentans extrahere, ſed non valens, tandem eos inedia compellente, obtinuit præſtito ſacramento, quòd eos uſque ad ſuos, cum omnibus ſuis, conducere faceret ſecures; ſed cùm eius præſentia oblati fuiſſent, præcepit eos illicò iugulari.* Ergo hæc, & alia auſurus periurus Comes, ne quo flagitio vlteriùs detineretur, à cæde Ciſtercienſium initium ſumpſit, imitatus, ſed ſuperans exemplum Raymundi Toloſani: quippe ille vnum, hic duos occidi fecit, tertio etiam relicto pro interfecto: ille in vltionem anathematis inuſti, quod putabat iniuriam; hic in præmium obſequij: ille, cùm minas antè prætuliſſet: hic cum ſecuta omnia polliceretur.

[b] in Appendice.

Vocauerit in dolo Abbatem ſanctum, cui inſidias parabat; an in principio nihil tale cogitans, in dubio eſt. Conſtat facto conſenſum præbuiſſe; primum non vindicans, dein etiam defendens; ad vltimum familiariſſimum habens malefactorem. Rem totam narrant Vincentius Belluacenſis [c], & Anthoninus [d]: ſed ſtrictiùs, & preſſiùs nos ex Hugone, & Petro Vallſarnienſi, coæuo vtroque, altero etiam teſte, ſicut reliqua alia, deſcribamus. Primùm igitur Petrus hæc habet verba [e] *Eo tempore Comes Fuxi quendam Abbatem Ciſtercienſis Ordinis de quadam domo, in Toloſam, & Fuxum, qua dicitur Elna, pro negotiis ſuis miſerat apud villam S. Ægidij ad Legatos. Qui cùm rediret, venit Carcaſſonam, duos Monachos, & vnum Conuerſum habens ſecũ. Exeuntes à Carcaſſona Abbas, & ſocij eius, cùm per vnum ferè milliarium proceſſiſſent, ille immaniſſimus hoſtis Chriſti, ille ferociſſimus Eccleſiæ perſequutor, Guillelmus, videlicet, de Rupeforti (frater Carcaſſonenſis Epiſcopi, qui tunc erat aduersùs eos) ſubitò inſurrexit; armatus, videlicet, in inermes; crudelis in mites; ſæuus in innocentes. Qui ob nullam aliam cauſam, niſi quia Ciſtercienſes erant, Abbati, XXXVI. Conuerſo vero eius, XXIV. plagas inſligens, eos in loco illo hominum crudeliſſimus interfecit. Vnum autem de duobus Monachis, ſexdecim vulneribus inflictis, ſeminecem dereliquit. Alter verò, qui erat notus, & aliquantulum familiaris illis, qui erant cum prædicto Tyranno, vinus effugit.* Hactenus Petrus.

[c] in Speculo hiſt. d 3. p. tom. 3. [e] cap. 30.

3.

Hugo Altiſiodorenſis, Abbatem ſanctum prouectæ tam ætatis, atque ſimplicitatis columbinæ virum affirmat. Porrò ex vulneribus, quinque prorſus lethalia: reliqua in cruciatum, quo nullum membrum à dolore vacaret, quandiu viueret. Pergit deinde Petrus Vallſarnienſis &: *Audiens Comes noſter, qui erat apud Carcaſſonam, quod acciderat, iuſſit tolli corpora occiſorum, & apud Carcaſſonam honorificè ſepeliri. O virum catholicum! O Principem fidelem! Monachum verò, qui derelictus fuerat ſeminortuus, fecit diligenter curari per Medicos, & ſanatum ad propriam Domum remittit.* Hæc tantùm ille. Cæterùm Hugo & ſepulturæ locum, & inſignia ſanctitatis Abbatis prodit.

4. [f] in Appendice.

[g] ubi ſuprà.

b ubi suprà. dit [b]. *Abbatem verò,* ait, *& Conuersum in maiori Ecclesia ciuitatis eiusdem,* (scilicet, Carcassonæ) *honore, quo debuit, tumulauit. Sanè vitam Abbatis, & meritum ostendit latens ad carnem cilicium in obitu patefactum.* Mirum est reticentibus antiquis nomen vtriusque Martyris, à Chrysostomo Henriquez indagata, repertáque Abbate Stephano, & Conuerso Hildebrando vocatis in Menologio; in quo & eos commemorat ad vndecimum diem mensis Aprilis.

5. Redeo ad Martyres, quippe haud dubiè occisos in odium fidei, siue (quod idem erat illis temporibus,) quia Cistercienses, vt Petrus scribit, & statim declarabo. Porrò id iussu Comitis Fuxensis factum, duo confirmant: alterum occisoris familiaritas, post facinus patratum, cum ipso Comite: alterum vtriusque occisi equi, quibus & Comes vsus: quæ omnia Vallsarnensis adnotauit: sic enim ait [k]: *Comes autem Fuxi, qui Abbatem, & socios eius pro negotiis miserat; occisorem eorum in multa familiaritate, & amicitia recepit: Carnificem quippe tenuit secum. Insuper equitatura Abbatis, quas traditor sæpè dictus rapuerat, paulò pòst in societate Comitis Fuxensis sunt inuenta.* Vix credi potest, si Comite ignorante, dum ipsius insisterent mandatis, occisi essent, ipsum non exarsurum in homicidas, qui viros sibi obsequentes, ac de sua fide securos interfeciissent. Verùm, quod ait idem Vallsarnensis, ob nullam aliam causam interiisse, nisi, quia Cistercienses; eò alludit, quòd Hæretici præ cæteris hominibus, odio insatiabili Cistercienses persequebantur. De his Hugo Menardus in suis Notis [l]: *Notanda verò causa homicidij, nimirum, eò quod essent Cistercienses. Nam Cistercienses Monachi tunc temporis Albigenses Hæreticos acriter impugnabant; tandémque eam hæresim doctrina, consilio, & oratione penitùs extirparunt. Vt notum est ex tota illa Historia Petri Vallium Sarnay Monachi.* Inde maiora nostris damna illata non solùm in personis, verùm in bonis, ædificiisque; quæ Comiti Tolosæ reconciliato resarcire iniunctum post annos aliquot. Multa de his à nobis in sequentibus. Interim satis erit, si producamus fragmentum diplomatis Sancti Ludouici dati ad Raymundum filium, in quo hæc, inter alia, illi iniungit [m]: *Soluet decem millia marcharum argenti de bonorum virorum consilio portionaliter, & fideliter diuidenda, iuxta quantitatem damnorum,* &c. Et infrà. *Abbatia Cistercienſi duo millia marcharum, vt emantur inde redditus pro refectione Abbatum, & Fratrum in Capitulo generali: Abbatia Claræuallis quingentas marchas, ad emendum inde reditus pro refectione Abbatum, & Fratrum, cùm conuenerint ad Festum B. Mariæ Virginis: Abbatia Grandis Syluæ mille marchas: Abbatia Bellæ Perticæ, quingentas marchas: Abbatia de Candelio, quingentas marchas, ad dicta Monasteria construenda; tam pro damnis eisdem illatis: in rebus mobilibus, quàm pro salute animæ suæ,* &c. Hactenus Literæ, quæ tomo XIII. Bibliothecæ Colonienſis circunferuntur.

k cap. 31.

l ad Martyr. monast.

m tom. 3. Biblioth. Colon.

6. Porrò in his breuiter quædam notanda veniunt. Primum est, Monasterio Grandis Syluæ maiora damna illata, eóque maiori pretio resarcienda: idque in odium Arnaldi Cistercienſis Abbatis, qui ex Abbate Grandis Syluæ immediatè ad Cistercium promotus fuerat. Secundum, multis aliis Monasteriis illata damna; sed quæ in capitibus, Monasterio Cistercienſi, atque Claræuallenſi, de quorum linea essent, resarcirentur. Tertium, nonnullas compensationes in illis litteris specialiter iniungi: quia reuerà, non aliis tam grauia damna; neque erant, quos Hæretici tanto odio prosequerentur. Demum (quòd nostros tantùm antiquos mores concernere videtur) quod ait, Monachis, & Abbatibus in Claraualle ad annum conuenientibus) in Festo sactæ Virginis; de eius gloriosa Natiuitate intelligendum fore. In qua quicunque de linea Claræuallis frequentabant Capitulum, per suam Claramvallem transeuntes, ibidem paulò antè congregabantur, sactæ Virginis Festum celebraturi. Id quod in morte B. Godefridi Soritani Episcopi, & aliàs contigisse, superiùs vidimus. Sed iam ad Martyres nostros reuertamur.

7. Quæcunque causa necis vtriusque fuerit, constat, eam seuerè à Deo punitam, eadem pœna sacrilego inflicta non multò pòst, iuxta murum Tolosæ, alias tutum refugium cunctis Hæreticis. Vindictam tradit idem Vallsarnienſis eodem capite [n]: *Nec silendum,* ait, *quod sæpè memoratus homicida, diuina legitimi Judicis Dei visione percussus, sanguine occisorum contra ipsum ad Deum de terra clamante, sortitus est suæ crudelitatis mercedem: qui enim viris religiosis multiplices plagas intulerat, non multò post vulnera recipiens infinita, in ipsa porta Tolosæ, à Christi militibus, dignè pro meritis est occisus.* Sic quod homines inultum reliquissent impium facinus; cæteris deterrendis, quin etiam vindicando sanguini iusto, vltus Omnipotens, ex visibili, & præsentanea pœna, atrocitatem culpæ; & ex hac, occisorum gloriam manifestans. Memorant viros Martyrologium Hugonis Menardi [o], Menologium, & alij recentiores.

n ubi suprà.

o Iunij 29.

8. Inter hæc, dum Aluensis Abbas, & socij paciebantur pro fide; ante annum passum Petrum de Castro Nouo, per miracula Deus manifestabat. Cùm enim Innocentij Papæ iussu, Sancti Martyris corpus de loco Claustri, ad Ecclesiam transferretur, illæsum penitùs, atque omninò incorruptum, inuentum est: quin & suauissimum ex se spirans odorem, qui & diuinum imperium supra naturam, & Sancti merita, & gloriam manifestaret. Retulimus superiùs ex Vallsarnienſi, qui aliquantò succinctiùs, & sine tempore. Nunc verba Godefridi Pantaleonensis, qui rem distinctiùs narrat, (quamuis immeritò Cardinalem Petrum efficiat, quod forsitan colligit ex Legatia, quæ Cardinalibus frequentiùs iniungebatur,) atque hunc annum designat, proferamus [p]: *Transacto anno, cùm ex iussione Summi Pontificis sepulcrum aperiretur, vt corpus Martyris in Ecclesiam translatum, in loco decentiori, iuxta tumbam Sancti Ægidij poneretur; ita recens carne, & sanguine, sine aliqua corruptione inuentum est, ac si eodem die ibi positum fuisset. Tanta etiam illic fragrantia suauissimi odoris emanauit, vt qui præsentes aderant, totam Ecclesiam plenam aromatibus esse putarent.* Sic læta tristibus, & cædibus Sanctorum, indicia gloriæ, is, pro quo paciebantur, interpolabat.

p in Annal.

9. Hoc anno ipso Raymundus Tolosæ Comes, cùm neque Catholicis fauere vellet, maximè aliorum auxiliis destitutis; neque auderet Hæreticis, tum propter Innocentium, Philippúmque; illum Pontificem, hunc Francorum Regem: tum propter castra, quæ Cruce signatis, in suæ fidei subsidium tradidisset: Philippum primùm, deinde Romam adiit ad Innocentium: *Tentans,* ait Petrus Vallsarnienſis [q], *si quomodo posset restitui terra sua, quam Legati Domini Papæ pro securitate occupauerant, sicut suprà expressum est, & Summi Pontificis gratiam adipisci: omnem quippe humilitatem, & subiectionem prætendebat vir dolosissimus, & omnia, quæ Dominus Papa præcepisset, promittebat se sollicitè adimplere.* Hæc mens hominis vafri, subdolique, & qui cùm fidem catholicam semel abiecisset, nihil reputaret honestum,

q cap. 33.

honestum,nisi quod vtile. Neque omninò à spe sua fraudatus est : etsi enim cùm primùm eum adspexit *Dominus Papa*(sic pergunt Acta [r],*vt commissis latosſiuit , consumelijs eos confudit,quod quasi in desperatione posſent , quid ageret,ignorabat. Ipsum siquidem dicebat incredulum , Crucis persequutorem , & fidei inimicum ; & verè sic erat. Verumtamen cogitans Dominus Papa,ne in desperationem versus , Ecclesiam , quæ in Narbonensi prouincia pupilla erat , impugnaret acriùs,& manifestiùs dictus Comes , indixit ei purgationem super duobus,quibus maximè impetebatur criminibus ; super morte , videlicet , Legati Fratris Petri de Castro Nouo , & super crimine hæreseos ; super quæ purgationes misit Dominus Papa litteras suas Episcopo Regiensi in prouincia, & Magistro Theodosio , mandans , quòd si Comes Tolosanus posſet se sufficienter purgare super duobus criminibus suprà dictis , reciperet eius pur-*

[r] vbi supra.

gationem. Atque hæc quidem obtinuit à Pontifice.

A Rege autem Franciæ omninò nihil : quin potiùs , ait idem Author,sequenti capite [s] : *Rex,vtpote vir discretus,& prouidus,despexit eum,quia contemptibilis erat valdè.* Adeò aliquando filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt,vt ait Christus [t].Certè nó potuit Regem sæcularem,qui decipere potuit Vicarium Christi.Nam & publice à Pontifice absolutum,& pallio ab eo , atque annulo donatum Guillelmus Catell prodit. [u] Neque dissentiunt Litteræ,quas Episcopis , & Legatis missas legimus [x].Sed Innocentium fortasse mouit pietas,& syncerita animi,quæ vix de aliis suspicari audeat,quod de se non præsumat.Et instabat Raymundus ad Innocentium , Innocentius ad omnes , iniustum esse, quòd reus,sed necdum adhuc conuictus,de nece Martyris,aut de crimine hæreseos condemnaretur. 10.

[s] cap. 54.

[t] Luc. 16.

[u] fol. mihi 255.

[x] in Regiſtr. huius ann.

---

1. Guidone Morimundi Abbate interueniente 2 actum de nuptiis Othonis , cum Philippi Suevia Ducis filia. 3. Dispensatio indulta: 4. & iniuncta à Guidone satisfactio. 5 Notata quædam. 5. Eiusdem viri solertia in causis Ecclesiæ. 7. Cum Othone in Imperatorem coronato , & statim rebelli, 8. quinquies ad eum intra paucos menses Legatus mittitur. 9. Demum quæ summa totius Legatiæ.

CAPVT VII.

1. INTER hæc Guido Abbas Morimundi, qui non minori apud Innocentium authoritate,non minori apud Principes negotia Ecclesiæ,& imperij pertractabat,Herbipolim,ab eodem Innocentio missus est,ad imperialem Curiam solennissimam,in qua de pace Imperij , & conciliandis Othoni , Philippi partibus [1], contracto matrimonio cum eius filia tractandum erat : vt vel sic in hærede sua Philippus , qui in se non potuerat,Otho in propria persona coronarentur. Missus est autem cum plena authoritate ad imponendam Othoni satisfactionem , quam velut in subsidium dispensationis, (nam erant consanguinei,)iuris læsioni censeret exhibendam.Nostris temporibus,haud dubiè,feliciora tempora illa,in quibus dispensatio publici iuris , si quid fortè extorquebat , in publicam vertebat , non in priuatam alicuius vtilitatem. Referam totam integram actionem,ex appendice ad Chronicon Othonis de Sancto Blasio,dignam nostris Annalibus , & Ecclesiasticis adeò necessariam , vt sine ea vix constent:sed neque legi valeant,nec intelligi.

[1] Acent. ci q

2. *Anno*,inquit [2] , *Dominicæ Incarnationis M.CC. IX. Otho Rex generale colloquium in Quadragesima habens apud Hagenouue , expeditionem in Italiam Principibus edixit : ibique occisum esse Othonem Palatinum de Vvitilspach , à Marscalco Henrico à Kallindin , in vindictam Philippi Regis , nuncium accepit. Igitur fortuna prosperis successibus arridente, ne Principes , qui cum Philippo fuerant , & hi , qui Othoni prius adhærentes,demum apostatauerant,Regem conscientia remordente,suspectum haberent ; medium quoddam necesse fuit interponi : ne occasione,vt fieri solet , alicuius discordiæ conflata , in pristinum rursus exitium Regnum inuolueretur. Ad hoc nullum magis idoneum inueniri potuit,quàm vt Otho Rex acciperet in matrimonium Philippi filiam , qua connexione insolubili concordiam inter Regem , & Principes stabiliret. Et quia hoc sine licentia apostolicæ authoritatis fieri non licuit , cognatione impediente,*

[2] cap. 51.

(nam pater Othonis auunculus fuit Friderici Imperatoris Patris Philippi ,) missi sunt à Sede apostolica Cardinales duo,Hugo Ostiensis,& Vvillelmensis Episcopus , & Leo tituli Sanctæ Crucis,in Ierusalem, Presbyter Cardinalis , qui priori anno , vnente Philippo,pro eadem causa (vt prælibatum est)legatione functi erant;vt necessaria dispensatione connubium hoc, gratia pacis,& concordiæ,authoritate Beati Petri , ea apostolica conniuentia initum , ratum , & legitimum statuerent ; idq; remoto omni scandalo , Ecclesia dispensante,probabile confirmarent. Qui ad Regem venientes,eúmque apostolica benedictione salutantes,causam Legationis suæ,vt relatum est,aperiunt : eúmque libenti animo consentientem ad hoc , ad defensionem Romanæ Ecclesiæ inuitauerunt.

Itaque ad hæc exequenda generalis Curia à Principibus apud Herbipolim indicitur in octauam Pentecostes. Principes igitur à diuersis Regni partibus ad hanc Curiam conuenerunt; Legati quæ ciuitatum Italiæ subiectionem offerentes,interfuerunt; Othonemque Regem , regali ambitione coronata ciuitate,cum maximo studio susceperunt ; ibique in palatium regale congregatis,extructo tribunali,Rex conscendit. Cardinales habens collaterales,reliquis Principibus circumsedentibus.Itaque Hugo Ostiensis Episcopus Cardinalis , primò exorsus , de causa regalis connubij,pro qua conuenerant , rationabiliter Latino idemate allegauit,interpretem habens Vvirzeburgensem Episcopum ; Regique Othoni , vt pro bono pacis , & concordiæ ad abolendam præteritorum malorum memoriam, cum filia illustrissimi Principis Philippi matrimonium contraheret,authoritate Dei,& B.Petri per apostolicam obedientiam,in remissionem peccatorum suorum præcepit. 3.

Rege igitur ad hoc deuoto animo consentiente, Abbas Morimundensis,Cisterciensis Ordinis , surrexit, omnisque Abbatis,aliorumque claustralium vtriusque Ordinis,Cluniacensis,videlicet , & Cisterciensis, personã assumẽs,delictũ hoc,connubio contra consuetudi- 4.

dinem

dictem Ecclesiæ, quanuis dispensatoriè committendum, monastico Ordini, authoritate apostolica imposuit; Regi per hoc iniungens pœnitentiam; vt Monasteriorum, & aliarum Ecclesiarum pro posse Defensor existeret; viduis, & pupillis iusto iudicio præesset, Monasteriumque Cisterciensis Ordinis in fundo proprio ædificaret; ac post hæc Ecclesia Ierosolymitana in propria persona subueniret. His omnibus Rege obediente, puella iam nubilis à Duce Leopoldo oriundi, & Ludouico Duce Bauariæ adducta, tribunali sistitur, ac de consensu interrogata, verecundata admodum, rubore perfusa, se libenti animo consentire profitetur. Mox à Duce Leopoldo, cognato suo, per manus Cardinalium lege Francorum, Regi Othoni desponsatur: à quo amantissimè amplexata, publici signo osculi, mutuationéque annulorum subarrhatur: tractatisque diuersis Regni negotiis, à Curia digrediuntur; Reginâque Saxoniam perducta, apud Brunivvich aliquandiu mansura collocatur. Hactenus sumptum ex appendice ad Chronicon Othonis de Sancto Blasio.

5. In quibus tamen duo nobis occurrunt, nequaquam sine nota prætereunda. Alterum est, quòd dicitur delictum in matrimonio, quanuis contracto per dispensationem Summi Pontificis; de materiali potiùs transgressione, quàm de formali fore intelligendum: adeóque de delicto non tunc commisso, dispensatione ex iusta causa indulta: sed, quòd committeretur aduersùs legem, si nulla talis dispensatio intercessisset. Porrò ad iustiorem causam dispensationis, siue ad commutationem obligationis inductæ per legem, illa opera iniuncta subroganda, quæ ipse Otho acceptauit libenti animo. Alterum, & mihi quidem difficilius, quid monachatui cum his dispensationibus? Vt & Guido pro vtriusque Ordinis Monachis, Cisterciensis, nimirum, & Cluniacensis, vocem assumeret; & monasticum Ordinem inducat, velut, in quem qualiscunque illa transgressio committeretur. Adde, quòd nihil propria authoritate, sed apostolica factum ab ipso dicitur: & nobis dubium in hac secunda parte proponere facilius, quàm enodare: cùm maximè de eo, nihil ab aliis, etiamsi rem attingant, traditum habeam.

6. Eiusdem viri (Morimundensem Guidonem loquor, magnum haud dubiè, vt negotia ipsa demonstrant, quæ ab ipso pendebant) industriam, & solertiam, Pontifici in vsu hoc ipso anno, & sequentis initio, alij etiam Annales asseuerant. Cùm Otho mox profectus in Italiam, & coronatus Romæ ab Innocentio; quo plùs illi debebat, (quippe quem ab initio præposuisset Philippo Duci; & pro quo tanto tempore pugnasset,) eò à ceruice facilius iugum excussit; qui mos est Principum; nec tam amabat beneficia, quæ suscepisset, quàm esse se debitorem dedignabatur. Commune id peccatum multis hominibus, reclamante natura; sed fastu, & ambitu plerunque prævalentibus; vt quæ fecerint bona, magis ament, quàm quæ susceperint. Quippe in illis diminum quid agnoscunt, quod sibi attribuant: in his humanum, ac defectuosum, quod erubescant.

Vtcunque fuerit, Otho coronandus ab Innocentio, multis inuitis, hominem se statim professus est, ipsa, quam præseferebat, ingratitudine. Breuiter, & succinctè Paulus Languius [b], sed quod ad hos Annales spectat, satis exactè. *Anno*, inquit, *Domini M. CC. IX. Otho Rex Romam veniens ab Innocentio III. in Imperatorem coronatur, contra voluntatem, & consilium multorum, & potissimùm Regis Francia. Verum, benedictio confestim versa est in maledictionem: quia adhuc Roma consistens, fracto iuramento, contra Ecclesiam tyrannizare cœpit. Et exposi Pontificis contra voluntatem complura in Apulia cœpit oppida. Siciliam quoque sua ditioni addixit. Eapropter, eodem anno, Roma Concilio habito, Imperio priuatur. Mansit autem Imperator tribus annis.* Hactenus ille. 7.

[b] *in Chronic. Cusanensi.*

Porrò, quid in hoc ipso Guido præstiterit, qualitérque authoritate, & industria ipsius vsus Innocentius sub finem huius, & initium sequentis anni ad Othonem transmiserit eundem, negotia pacis tractaturum vtrinque, qui Virum vidit Abbas Vspergens. [c] sed mox ex eo ipso, qui Vitam eiusdem Innocentij Papæ III. eius Operibus præfixam texuit [d], ita scribunt: *Scribit* (ait Author Vitæ Innocentij [d]) *Abbas Vspergensis in Chronicis suis, qui hisce temporibus vixit, vidisse se Romæ virum religiosum, Abbatem Morimundi, qui se dixerit, à D. Michaëlis Festo vsque ad Quadragesimæ ieiunium, quinquies ex Roma Capuam, Pontificis iussu, accessisse, ob reformandam pacem inter ipsum Innocentium, & Othonem.* A Festo, inquam, S. Michaëlis præsentis anni, vsque ad initium Quadragesimæ sequentis; tanta pro Ecclesiæ negotiis diligentia; tanta apud vtrunque Orbis Monarcham, siue authoritate pollebat, siue gratia, vt summis hisce rebus pertractandis, haud alius aptior inueniendus iudicaretur. 8.

[c] *in Chronic.*

[d] *inter Opera Innoc.*

Meminit huius repetitæ Legatiæ Carol. Sigon. [e] suppresso licèt nomine Legati; traditque, pontificiorum mandatorum summam in eo sistere, *Vt Othonem à malis consiliis auocaret; atque omnia præterita detrimenta se remissurum ostenderet, si Friderico, atque Ecclesiæ parceret.* Ita Innocentius, qui olim pro Othone, contra Philippum, iam nunc pro Friderico pugnabat contra Othonem: non tamen sibi, Ecclesiæve gratiori: vt reuerà quot fouit, atque fecit Imperatores, tot inimicos; & quò magis deuinctos, eò in se, & in Ecclesiam atrociores, tam ipse, quàm ipsius successores experti fuerint. 9.

[e] *lib. 16. anno 1210.*

---

1. *Successio illustrium Abbatum in Heisterbaco.* 2. *Sanctitas Domus*, 3. *& singularis fauor Mariæ Virginis.* 4. *Perpensa quædam visio satis mirabilis*, 5. *atque ipsa experientia comprobata per Sanctum Monachum.* 6. *Ratio temporis, atque inde correctus Cæsarij locus.* 7. *Genardi obitus*, 8. *Henricique successio*, 9. *præcedente visione*, 10. *quæ posteà ipso euentu est confirmata.*

CAPVT VIII.

1. PRAESIGNIS, & pauenda satis vindicta sumpta per Virginem, de quibusdam sacrilegis, qui bona Cisterciensium Ecclesiarum audebant diripere, quam occasione primæ Fundationis, atque miraculosæ translationis loci Sanctæ Mariæ (Abbatiæ Cisterciensis, filiæ Heisterbaci) notatam à Cæsario Heisterbacensi, Abraham Bzouius refert ad hunc annum [a] (quanuis rem anteponens, vt [a] *num.*

solet alia ; quippe nondum fundato Monasterio, nedum non infestato, direptóve; sed nec ante sexennium surrecturo:) hæc, inquam, apud Bzouium hic notata, ad memoriam reducunt successionem Abbatum Heisterbacensium; & pro Geuardo, Henrici; Sancti haud dubiè, pro Sancto subrogationem. Nempe, circa hoc tempus contigisse, ostendam statim: & alias tam Geuardi sanctitatem, atque felicem exitum, quàm ingressum Henrici circumstantiæ illustrant, quas non licet silentio prætorire. Ergo aliis reseruatis in propria loca, quæ hunc concernunt, pandam; si tamen priùs statum Heisterbaci, cùm Geuardum suscepit, siue quem acquisiuit sub eius cura, (nam res adhuc in dubio, & ideò ad medium tempus referenda) ex eodem Cæsario, paucis describam; imò ex Virginis Matris testimonio, longè fide digniore; vt inde facilè liceat coniectari, quantus Vir ille fuerit, cui in tanta excellentia progressus patuit, vel qui potuit ad illam peruenire.

2. Ergo pietatem, atque sanctimoniam tenetæ adhuc Domus, ante, vel post Geuardum, certè sub ipso; & singularem, qua pollebat, gratiam apud totius gratiæ Genitricem; præter ea, quæ suprà memorauimus, & nobis ferè vniuersas paginas implent; non aliunde meliùs cognoscemus, quàm ex visione quadam iucunda satis Beatæ Christinæ Virgini ostenta, cùm Eustachius, siue, vt alij putant, Iustatius (vnde temporis dubium) Heisterbacensem Domum, iure paternitatis visitaret. Quippe quæ & varietate, & magnitudine, & generalitate multas alias videretur superare. Relatam eam à Cæsario Heisterbacensi, qui tam Christinam, quàm cunctos alios nouit, ipsius verbis, paucis interpositis, quò cuncta clariùs pateant, Lector accipiat. Cæterùm, quia, vt in sæculis, vt feriant, multùm interest, à qua manu proiecta sint: sic in reuelationibus, vt credantur, cui factæ dicuntur; cùm somnia soleant obtendi pro visionibus. Primùm omnium, Cæsarius introducit fœminæ sanctitatem, notitiámque, quam ex frequentia allatum reuelationum ad discernendas veras, falsásque, nec nisi illas probandas, habere poterat. *In Domò*, ait [b], *Sanctæ Vualburgis, Cœnobio Ordinis nostri, quod duobus milliaribus distat a Colonia, quædam Sanctimonialis fœmina ante paucos annos defuncta est, nomine Christina. Huic Deus, & Beata eius Genitrix plurima de secretis suis reuelauerunt*, &c. Hæc de morali certitudine visionis; ex loco, & ex persona: illo, in quo notæ satis, quia frequentes; hac, quòd præ aliis haberet frequentiores. Nunc ad visionem ipsam ita procedit [c]:

b lib. 7. Dialog. c. 21.

c vbi suprà.

3. *Cùm tempore quodam in Festinitate Assumptionis gloriosissimæ Dominæ nostræ visitaret apud nos in Heisterbach, prædictus Eustachius Pater noster, & essent cum eo plures Abbates, in ipsa sacratissima nocte, iam dicta Virgo* (scilicet, Christina) *de loco nostro visionem vidit huiusmodi. Cùm Abbas præfatus dicto Euangelio, Hymnum*, Te Deum laudamus, *inchoasset, illa stans in Choro suo, mentis excessum passa est; viditque cœlum super Congregationem nostram apertum: & cùm illo tempore Oratorium nostrum totum esset ligneum, vtranque eius frontem auream esse conspexit. Sustollens oculos, cùm cœlum intueretur, gloriosam Dei Genitricem Mariam, totius Ordinis nostri Patronam, in sede splendidissima vidit residentem; & circa illam Sanctorum multitudinem, quorum ætas circa viginti quinque annos esse videbatur. Cùm verò Chorus Monachorum inclinando deotè cantaret:* Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth. *ipsa virgo Beatissima deuotioni eorum congratulans, coronam miræ pulchritudinis, quales in Ecclesia pendere solent, per catenam auream super Conuentum dimisit. Locò autem nodi, gemmæ erant pretiosæ nimis, ac lucidæ, in quas scripta erant: O clemens, ô pia, ô dulcis Maria! De ipsa gemma tria procedebant brachia, quæ coronam dependentem habebant: ex nomine verò, MARIA, radij quidam exeuntes, nomina singulorum Monachorum, eádem hora in Choro existentium, quæ per circuitum coronæ scripta videbantur, illuminabant. In eisdem nominibus magna erat inæqualitas; tam in positione, quàm in claritate: quia secundum claritatem meritorum, erat claritas nominum. Quorundam nomina, qui recentiori tempore venerant, quorundam nominibus videbantur superiora, qui diu in Ordine laborauerunt. Cùm autem ventum esset ad illum locum:* In te, Domine, speraui: non confundar in æternum. *corona retrahit in cœlum, clara voce dicens: Sicut ego hodie sum in gloria mea: ita isti omnes mecum erunt in æternum.* Hactenus ex Cæsario, loco suprà.

4. Ego in his verbis multa planè video notatu digna: sed suprà alia, hæc vltima perpendo, quæ cunctis, nullo excepto, promittunt gloriam. Quasi in tanto Conuentu nullus esset, qui non à Virgine assumendus ad cœlum foret. Vt verè ipsa in suo illo Collegio plus aliquid, quàm in suo Christus dicere posset. Quippe ille de suis ad Patrem ait [d]: *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* At nullum sibi perditionis suæ authorem fuisse, aut futurum esse, ne in minori Apostolorum numero potuit. Virgo de his, quos accepit in Heisterbaco; cùm multò plures essent, dicere valuit: *Hi omnes mecum erunt in æternum: & neminem omninò perire sinam, nedum non perdam.* Perpendo etiam noctem sacratissimam, in qua nullus deesset diuinis laudibus, non ex Monachis solùm, sed ex Conuersis, etiam ex his, qui Grangiis præfecti erant. Vt mirum sit, in tanta multitudine, ne vnum quidem inuentum, teste Maria, qui non esset in cælis coronandus. Perpendo tertiò, multos Abbates hospites, qui & ipsi participes effecti habitationis sanctæ, promissionis consortia cum meruêre. Quartò, aureum circulum, cui inscripta nomina, non tam coronam esse, quàm candelabrum, cui lampades succensæ imponebantur; vt denotaret, quos beatificabat, non solùm coronandos, vt ciues cæli; sed vt Ecclesiæ lumina, qui vt non omnes scriptis, omnes tamen exemplis alios ducerent, & se ipsos præberent imitandos: quæ doctrina efficaciùs addisci solet. Denium perpendo catenam illam auream, quæ copulabat omnes, Cistercij propriam: quippe quòd primas leges, quas instituit, chartam charitatis, id est, vinculum aureum: atque has sub Matiæ patrocinio positas voluit. Quòd ipsa se acceptasse præstetit, cùm tria illa verba, à Bernardo Parente primo tradita, nodo, à quo omnes pendebant, infigi voluit: *O clemens, ô pia, ô dulcis Maria.* Hæc, & alia indicabat arcana visio Christinæ Virgini ostensa, quæ Cistercienſem gloriam, sed Heisterbaci magis, præ aliis manifestabant.

d Ioan. 17. 12.

5. Cæterùm, vt quod pia Dei Genitrix ancillæ suæ per visum reuelauerat, externo aliquo indicio comprobaret; nec Angelum Satanæ, quod sæpè solet transfigurasse se in Angelum lucis; sed veram esse visionem, apertiret: pergit de ea Cæsarius in hunc modum [e]: *Cùm nihil apud nos de hac visione sciretur, Theodoricus de Laureke, Monachus noster, accedens ad Abbatem nostrum, Dominum Henricum, eonque-*

e vbi loc.

sus

stius est ei, quòd eadem sanctissima nocte, nihil potuisse habere devotionis, antequam ventum fuisset ad prædictum, locum Hymni, scilicet, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth, de quo verbo postea satis mirabatur, cùm ei visio recitata fuisset. Itaque quòd Christinæ Deus ostenderat, declarauit effectu, quem sensibilem voluit in Theodorico. Nempe, vt in ore duorum verbum staret; neque vlla dubitandi ratio de tam grandi fauore, relinqueretur. Hic status rerum erat in Heisterbaco, cùm Geuardum accepit, amisitve; neque enim visio sub ipso potuit contingere, vt statim ostendam. Felix omninò, si tantum perfectionem infudit filiis; sed nihilominùs dicendus etiam felix, si quos tales inuenit, meliores fecit, & quò adhuc crescerent, potuit inuenire. Nam creuisse sub ipso compertum est, aut saltem constat Cæsarij testimonio, alibi de eo loquentis in hæc verba[f]: *Idem Geuardus postea in tantum profecit, vt Domino Hermano, primo Vallis Sancti Petri Abbati succederet, & non modicum per eum locus ipse, tam in Religione, quàm in professionibus profecerit.* Itaque hæc Geuardi summa laus, vel instituisse filios, quos proprio in sinu Virgo, atque tanto fauore prosequeretur: siue ab alio institutos, promouisse; feciséque, quò religiosæ perfectionis termini; cùm illuc peruenissent, extenderentur.

[f] lib. 1. c. 7.

6. Loquor in dubio, quod attinet ad tempus memoratæ visionis, quam vt constat non fuisse sub Geuardo, sic paulò ante, aut post ipsum contigisse, compertum habeo. Ante, nimirum, si Heisterbacum visitante venerabili Eustachio, tertio Hemmenrodensi Abbate, facta est: quippe qui Hermanus, primus Heisterbaci Abbas, suffectus legitur, Geuardo ibidem locum relicturus. Post, si, vt alij putant in Cæsario, non Eustachius, sed Iustatius legendum est, sextus, nimirum, Hemmenrodensis Abbas, qui post Hermanum, & Theodorum, quartum, & quintum, legitur subrogatus, cùm Hermanus contra communem morem, ex auia ad neptem ex Hemmenrode ad locum Sanctæ Mariæ translatus esset, quod anno M. CC. XV. contigisse, Tomo sequenti; Deo dante, memorabimus; sexennio postquàm de viuis Geuardo rapto, quod hoc euenit anno, Henricus Heisterbaco suffectus esset. In dubio, vt dixi, elegi medium tempus: sed vt de eo sententiam meam proferam, hoc vltimum arridet, vt probabilius; quòd videam ab eodem Cæsario scriptum, Theodoricum in nocte illa visionis: cùm suam indeuotionem quereretur, ad Henricum Abbatem recurrisse, qui tunc iam præsideret, & quem cæteri, vt Patrem venerarentur. Igitur corrigendus Cæsarius erit, & pro Eustachio, Iustatius substituendus, si constat series Abbatum Hemmentodensium adducta à Longelino, indéque deducenda Geuardi laus, qui tales post se meruit filios relinquere.

g Not. lib. 2.

7. Quanto tempore præfuerit non constat: nisi, quòd tamen obiisse ante hunc annum, argumento est benedictio successoris, quæ ideò fieri Coloniæ minimè potuit: quia tumultuante vniuersa Germania sub schismate Philippi, Othonisque, Colonienses Antistes, dum alium sequitur, ab alio in vinculis captiuus detinebatur, vt mox videbimus. Reliqua vitæ illius, imò & mortis, præter pauca, quæ diximus, ignota; & credibile multa contigisse memoria digna. Quippe temporibus illis felicissimis, vt continuata cælestium fauorum series suscipientium amorem accendebat; ita feruens deuotio Monachorum inspirata diuinitùs nouos semper fauores, & maiora adhuc dona sollicitabat. Oblitera tamen, vt alia pleraque, & sola supereſt confessio coacta Dæmonis; (nam quando verum, nisi coactus, totius mendacij pater?) cuidam militi facta, cùm adhuc de recenti viri morte vniuersa vicinia commota esset. Hanc ab eodem Cæsario memoriæ proditam, qui solus nobis prælucet in his tenebris, eisdem eius verbis[h] pro more dabo:

h lib. 12. c. 5.

8. *In villa Endenig, quæ in territorio Bonensi sita est, miles quidam nobilis, Vvalterus nomine, habitans erat, tam Domui nostræ, quàm Ordini obsequiosus. Hic cùm tempore quodam graviter infirmaretur, solúsque iaceret, Diabolus illi ad pedes lectuli in forma visibili apparuit. Erat autem, sicut ipse nobis retulit, facies eius adinstar simiæ, cornua habens caprina. In cuius aspectu cùm terreretur, posteà confortatus ait: Quis, vel, quid es? vnde venis? vel quid quæris? Respondit Monstrum: Diabolus sum: animam tuam tollere venio. Dicente milite: Recede, peccator: certè animam meam non tolles: Christo me commendo, subiunxit ille. Vvalthere, si mihi consenseris, homagiúmque feceris, non solum incolumitati te restituam, quin etiam super omnem tuam progeniem te ditabo. Respondit miles: Satis habeo: de diuitiis tuis fallacibus non curo, &c.* Pergit deinde recensere longa colloquia militis cum Dæmone, atque huius responsa non inconcinna, inter quæ etiam subdit hæc, quæ sequuntur: *Requisitus item, (scilicet, Dæmon,) si fuisset etiam in obitu Domini Geuardi Abbatis nostri tunc recenter mortui; respondit: Non est tantum arena in litore maris, quot ibi fuimus: sed nihil obtinuimus: quia pediculosi illi, more porcorum, in humo iacendo grunnientes, non sinebant nos propiùs accedere. Habent præterea domum quandam fusurij, (Capitulum notans,) in qua omnia nobis, quæ delinquunt, subtrahunt. Et dixit miles: Quomodo, stultissime, ausus fuisti ad obitum viri tam iusti venire?* Hæc tantùm ex Cæsario, de his, quæ contigerunt Viri in obitu.

9. Geuardo mortuo, qui tunc Priorem agebat in Heisterbach, subrogatur Henricus, de cuius conuersione dictum est suprà: at non sine visione præcedenti, quæ electionis euentum, concordiámque, atque obiter electi merita panderet; vt vel sic Monachi amissi Patris iacturam, successoris compendio consolarentur. Eam Beato Sifrido eiusdem Domus seni venerabili diuinitùs ostensam, & comprobatam statim ipso euentu, atque eius circumstantiis, idem, qui suprà, Cæsarius his narrat verbis[i]: *Post mortem Abbatis nostri Geuardi, huius prædecessoris, qui hodie abbatizat, fuit apud nos Sacerdos quidam ætatis decrepitæ, Sifridus nomine, spiritum aliquando, vt nobis videbatur, habens prophetiæ. Hic multis diebus ante celebrationem electionis, quibusdam secretè prædixerat, quòd Dominus Henricus, tunc Prior, Abbas esset futurus, & in Ecclesia Treuirensi in Abbatem consecrandus. Requisitus, vnde hoc sciret, respondit: Dominam nostram vidi ante Presbyterium eiusdem Ecclesiæ, videlicet, Beati Petri, virgam ei porrigere pastoralem. Modum tamen visionis nemini dicere voluit.*

i lib. 7. c. 40.

10. *Quid plura? Tam concorditer in Abbatem electus est, vt visitator miraretur, dicens, illam vnanimem electionem non posse esse nisi à Deo: & quia tunc temporis Ordines Coloniæ fieri non poterant, propter captiuitatem Episcopi Brunonis, licentiatum est ei à Prioribus ordinationem suam recipere ab Archiepiscopo Treuirensi Ioanne. Diuulgatum nobis fuerat, quia Ordines solennes celebraturus esset apud Confluentiam, sicut & fecit: assumptis secum electis nostris quibusdam Monachis, qui erant ordinandi, profectus est illuc; & dixi ego in corde meo: Bonus iste homo, ab aliquo spi-*

ritu erroris in parte deceptus est. Et quia ea, quæ diuinitùs ordinata sunt, mutari non possunt, cùm Dominus Archiepiscopus Clericos ordinasset, & valdè fatigatus esset, ait Abbati: Domine Abbas, multùm fum lassus: in die Palmarum veniatis ad me Treuerim, & libenter ibi vos consecrabo. Quod & fecit: & miratus sum valdè, nihil deinceps dubitans de veritate visionis. Hæc nobis satis de Geuardi morte, atque Henrici pro eo subrogatione. Cæterùm, quòd ibidem Cæsarius ait, Brunonem captiuum; aut per errorem irrepsisse credendum est, aut aliorum, quos nos sequuti sumus errorem corrigit de tempore Brunonis. Aliàs ante XVII. annos Monachus, infulis abdicatis; ante XVI. mortuus, non potuit nunc captiuus detineri. Aut ergo alius à Brunone, de quo suprà Archiepiscopus fuit schismatis occasione vinculis passus, aut Bruno diu superstes in hac vita, & Colonienſi Sede tardiùs cessit: quod alij discutiant.

---

1. *Calatrauenſium in Saracenos irruptio.* 2. *Acta Capituli*, 3. *& admirabilis visio*, 4. *cuidam Virgini ſanctæ, de ipso facta.* 5. *Alia eiusdem Virginis visio comprobata ex effectu, qua mirabilis.* 7. *Fundatio vnius ignoti Monasterij.* 8. *Dictum de Ieſse Sanctimonialium*, 9. *in quo miraculoſa effigies Mariæ Virginis.*

CAPVT IX.

1. CALATRAVENSES, ſeu finitis induciis, ſeu reſeratis ſimul cum tempore, cum Rege Alfonſo Caſtellæ, ſed per diuerſa loca, Saracenorum confines irrupſiſſe hoc anno, aſſeuerant Hiſtoriæ omnes Hiſpaniæ, ex quibus Rades[a], & alij deſumpsêre. Porrò Rodericum Diazium, Magiſtrum militum, ea irruptione multa expugnaſſe caſtra, Montorum, Feſitam, Ripafontem, & Viltez, ex quibus tria prima ſolo æquauerit, (difficili cuſtodia ſibi, & ſuis,) ne hoſtibus vlteriùs inſeruirent: Viltez, quòd magno ſuis vſui fore, ſi præſidio conſtaret, non dubitabat, qua potuit, diligentia communiuit. His velut blandimentis illudebat fortuna Chriſti militibus, queis ſemel iam expulſis à Calatraua, Saluaterram adimere, quod iam iam iuſtans malum, meditabatur: verùm non diu futuris ſine ſedibus, præualente virtute, nunquam vincenda, vt ſuis locis à nobis tradendum erit.

[a] Hiſt. Calatrau. c. 15.

2. In Capitulo nullæ latæ leges, niſi quòd tamen abſtinentia carnium arctiùs obſeruanda præcepta eſt, ſi fortè aliquis, ſub typo infirmitatis, irrepſiſſet abuſus, quem à ſe penitùs vellent relegare. Cætera omnia tractata adeò ſyncerè, adeò ſine affectionis humanæ nævo, aut fuco, vt cuidam Sanctæ Virgini per viſum oſtenſa ſcala, ſcalæ Iacob ſimilis, quæ à loco Capituli, Angelis per eam deſcendentibus, aſcendentibúſque ad ſummum vſque cœlum protenderetur. Rem, vt non fixam, quod attinet ad annum; at circa hoc tempus viſam, idque à muliere illuſtris opinionis ſimul, & genetis, ſanctiſſimáque, noſtris valdè deuota, & ſpiritum habente prophetiæ, quæque in Capitulo ipſo relata eſt, verbis Cæſarij Authoris eiuſdem temporis, quò maior dictis fides, libet proſequi: ſic autem habet[b]:

[b] lib. 7. c. 20.

3. *In Regno Francia, in Villa, qua Quido dicitur, Virgo quadam fuit nobilis, & Religioſa, ſed paralytica. Huic pater ſuus, vtpote vir magnus, & diues, Sacerdotem, qui ei diuina celebraret, inſtituit; miniſtros, annuóſque redditus ſufficienter ordinauit, qua cum orationibus, ieiuniis, & diuina contemplationi operam daret, ita illarum dulcedine eſt paſta, vt omnis cibus corporalis ei in nauſeam verteretur; nec aliquid ex eo ſumere poſſet, niſi ſuccum modicum vuarum. Hoſpitalis erat valdè, per quam & ſpiritum meruit prophetiæ. Ordinem noſtrum ſummo honore reuerebatur: & hoc ei ſapiſſimè contigiſſe fertur, vt cùm aliqui Monachorum, ſiue Abbatum, ad eius hoſpitium diuertere proponerent, illorum aduentum ipſa præſciret, atque in hunc modum hilaris familiæ prædiceret: Tali, & tali die, illi Abbates, ſiue Monachi ad nos venturi ſunt: præparate neceſſaria. Quod ita factum eſt. Viſionem quandam mirificam de Ordine videre meruit, qua in Ordinis amorem illam plurimùm accendit.*

4. *Tempore quodam Capituli generalis, in ipſo Capitulo ſcalam mira pulchritudinis vſque ad cœlum vidit erectam, Dominúmque innixum ſcalæ ſuper Capitulum reſpicientem, cuius latera, & gradus tanti ſplendoris erant, vt ſolares radios ſuperarent.* Apollonius: *Quid tibi autem ſignificaſſe videtur hæc viſio?* Cæſarius: *Licèt omnia, quæ in hoc Capitulo tractabantur ab Abbatibus, qui ex diuerſis Mundi partibus illuc confluxerant, diuina inſpiratione fierent, haud dubium tamen, quin Sancti Angeli deſcendentes, & aſcendentes eadem Chriſto, ob cuius honorem fiebant, nunciarent.* Apollonius: *Videtur mihi Sancta hæc Virgo, in viſione hac, Sancto Iacobo Patriarchæ æqualis, quem ſimilem viſionem in Bethel Scriptura vidiſſe commemorat.* Cæſarius: *Iudicio humano videtur hæc viſio illa ſuperior; eò quòd illa facta ſit in ſomnis, iſta vigilando in exceſſu mentis. Sequenti Capitulo, cùm relata fuiſſet hæc viſio Abbatibus, exultantes in Spiritu Sancto aiebant: Verè terribilis eſt locus iſte: non eſt hic aliud, niſi Domus Dei, & porta cœli.* Hactenus ex Cæſario totidem verbis, atque, vt ipſe ſcribit, in modum Dialogi.

5. Subdit & aliam eiuſdem Sanctæ Virginis viſionem: ex fragmento candelæ derelicto, atque effectibus eius miraculoſis, certiorem adhuc, quam in comprobationem præcedentis, & Dei gloriam, huic etiam cenſui fore ſubiiciendam[d]: *Alio tempore, cùm in die Purificationis Domina noſtra Sancta Maria Virginis, Clericis, aliiſque Miniſtris diuino nutu abſentibus, ſola iaceret intra ſe triſtis, dicebat: Modò hic ſola iaceo, neque aliquid obſequij, more Eccleſiæ vniuerſalis, hodie Beata Dei Genitrici Mariæ impendis. Dum talia in mente volueret, ſpiritus eius mirabili Dei virtute, de corpore eductus, ab Angelo, in cæleſtem Ieruſalem eſt deductus; in qua maximam vidit proceſſionem, ex diuerſis beata eiuſdem ciuitatis Ordinibus, Patriarchis, videlicet, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus, cæteriſque fidelibus; ex quibus bini, ac bini ſimul incedebant, & candelas ardentes in manibus geſtabant, Antiphonas, ſiue Reſponſoria ad diem pertinentia, more Eccleſiæ militantis, omnes decantabant; & ſtationes debitas obſeruabant. Angelus verò Virginis ductor alteri cuidam Virgini, quam nouerat eſſe conſimilis meriti, illam ſociauit candelam porrigens ardentem: tantus erat decor or-*

[d] ibid.

nium Sanctorum, splendor gloriæ, & Sol iustitiæ, indutus pontificalibus mytram gestans in capite suo, cum baculo, chirothecis, & annulo, & reliquis episcopalibus ornamentis, nouissimum locum cum sanctissima Matre sua, Maria, tenebat: cuius pulchritudinem omnis ille cœlestis exercitus mirabatur. Qui cum post tertiam stationem inchoasset Antiphonam: Hodie Beata Virgo Maria puerum Iesum præsentauit, &c. *Ingressi sunt templum ex auro, gemmisque constructum.*

6. *Deinde inceptus est Missa introitus, videlicet:* Suscepimus, Deus, misericordiam tuam. *& ab omnibus simul decantatus. Interim Christo introëunte ad Altare, postquàm expletum est,* Kyrie, eleison. *à Choris alternatim; post* Gloria in excelsis Deo, *&c. quod ipse Dominus noster Iesus Christus inchoauit, Beatus Protomartyr Stephanus Epistolam legit de libro Malachiæ Prophetæ, videlicet:* Ecce ego mitto Angelum meum. *Sanctus verò Ioannes Euangelista, dalmatica indutus, legit Euangelium secundùm Lucam, scilicet,* Postquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ, &c. *Quo perfecto, Dominus secundum morem Ordinis nostri, ad gradum rediit. Prædicta autem Virgo per spiritum sentiens se ad corpus reuersuram, candelam suam offerre noluit, etiam Angelo suo præcipiente; volens illam secum ad terras portare: quod Angelus considerans, candelam in manu eius fregit; superiorem partem auferens, & inferiorem illi relinquens: sicque ad corpus reuersa, partem eandem manu conclusam se retinuisse inuenit: de qua plurima fiebant, & fortè vsque hodie fiunt virtutes: nam aquam superfusam infirmi bibunt, & conualescunt. Tam manifesta, & sublimis erat visio, vt modum eius minimè intelligeret, dicens illud Apostoli, cùm de ea interrogaretur*[a]: Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. *Dominus Eustachius Abbas de Claustro, siue Hemmenrode Visitator noster audiens hanc visionem quibusdam Abbatibus referentibus, desiderio veritatis cognoscendæ, Virginem principaliter adiit, & ab eius ore, qua dicta sunt, audiuit.* Hæc occasione gloriosæ visionis eidem Virgini factæ de Cistercij Concilijs per hæc tempora.

7. Fundationum exigua hoc annò portio, vnica designata in Chronologia, eáque penè ignota, nempe, Vardona, siue Valdona, de qua id solùm habet, quod possim dicere, in Tabulis Clarævallis connumerari; incerta tamen Matre, Diœcesique, neque adnotatis Regno, siue Prouincia: neque enim credam, Vvardoniam Lincolniensem, Filiam Rie-vallis, quam longè antiquiorem Tomo, ni fallor, primo, memorauimus. Hunc tamen annum, aut certè non distantem puto concernere Monasterium Iesse Sanctimonialium in Frisia, aut iuxta, situm; ex Imagine Virginis sat celebre, miraculis innumeris gloriosa, ab ipso initio nascentis Monasterij; de qua idem Cæsarius, qui sui temporis cuncta colligebat, & de ipso Cœnobio recèns fundato, hæc habet verba, digna, quæ transcribantur[b]: [b] lib. 7. c. 47.

In introitu Frisiæ, iuxta ciuitatem Gruningen, Cœnobium quoddam Sanctimonialium Ordinis nostri de nouo constructum est, vocabulo Iesse. Quæ dicturus sum, à Priore loci eiusdem audiui, & circa idem tempus imaginem ipsam vidi, & Missam coram ipsa celebraui: est enim opere angelico decenter exculpta, effigiem repræsentans Beatæ Virginis; Filium in gremio tenentis. Die quadam, cùm custos candelam, quæ ante illam ardebat, extinxisset dicta Missa, & duo carpentary Oratorium propter opus sunum intrantes, illam reaccensam reperissent; dixerunt Priori: Domine, nisi moneatis custodem, vt cauta sit, circa extinctionem huius candelæ, Oratorium perdetis: omnia enim lignea sunt, altare, scilicet, candelabrum, & parietes. Vocata est illa, & culpata: negauit, & extinxit. Carpentarij dimò ingressi, cùm prædictam candelam rursùm ardere viderent, & mox hoc Priori prodidissent, iratus, durè satis iniectus est in illam: qui certus effectus ex verbis eius, de extinctione, iussit, ne deinceps extingueret illam, scire volens, quid portenderet. Tota illa die, & sequenti nocte coram Imagine, prædicta ardebat candela, & in mane vix ad longitudinem dimidij articuli manus fuerat consumpta.

In Festiuitate Beati Andreæ Apostoli, cùm vnus 9. *ex prædictis carpentarijs, vir simplex, ac deuotus, modò in eodem Cœnobio Conuersus, ad Missas staret, & Sacerdos Euangelium inciperet, Imago Saluatoris, ipso intuente, de sinu matris, in quo sedebat, se erigens, coronam de capite eius tulit, eámque suo capiti imposuit. Dicto verò Euangelio, cùm ventum fuisset ad illum locum symboli:* Et homo factus est. *coronam materno capiti restituit, & resedit. Hæc cùm simplex ille homo vidisset, & de nouitate visionis expauisset, ait intra se; Melius est, vt tàceam: si dixero, non credetur mihi. Cumque in Festo Sancti Nicolai eandem visionem, eodem modo, quo prius, vidisset; diuinam timens offensam incurrere, si taceret, Priori visa per ordinem recitauit: & quia locum repositionis coronæ exprimere non poterat, vtpote laïcus, interrogatus de hoc, respondit: Quando nominata fuit Maria. Mox Priori occurrit, quòd in Festo Confessoris, Ecclesia,* Credo in vnum Deum. *dicere non consueuerit: vocánsque socium suum, ait: Dixistis vos Missam in Conuentu in die Sancti Nicolai? Ipse tunc domi non erat. Respondente illo: Etiam. subiunxit: Dixistis,* Credo in vnum? *Dixi, inquit. Et Prior, Non rectè fecistis: non enim Apostolus fuit. Ad quod verbum ille respondit: Certè ego Sanctum Nicolaum æqualem habeo multis Apostolis. sicque Prior de visione certificatus est.* Hæc prima illius Imaginis miracula, quæ postmodum plura alia sunt sequuta. Priorem Monasterij de Iesse, Rodericum vocatum, à quo hæc nouit, idemmet Author tradit alio in loco & [b] lib. 7. c. 5

1. Monfortio Comite intra hyemale tempus se continente, 2. nostri per Galliam, & Angliam Crucem prædicant. 3. Aduentus militum, 4. & obsessum castrum Minervæ. 5. Varia fortuna, 6. sed obsessis tandem aduersa. 7. Admissi ab Almaldo omnes ad pœnitentiam; 8. sed contumaces multi: quod idem etiam antea prophetauerat. 9. Combusti centum quadraginta Hæretici. 10. Duo insignia miracula in exercitu: 11. quibus & aliud tertium superadditum, 12. cum visione Capellano loci ostensa.

CAPVT I.

1. SEQVENTI anno, Christi, nimirum, millesimo ducentesimo decimo, Cistercij tertiodecimo, centesimóque, Cruce signatis pro maiori parte reuersis ad propria, seu tædio belli, siue importunitate hyemis; Monfortius Comes extirpandis rebellibus Hæreticis, intrantis veris tempus, & cum eo nouos ex Gallia peregrinos, noua belli subsidia præstolabatur. *Interim*, ait Petrus Vallsarnensis [a], *hostibus suis undique circunseptus, hyeme illa in semetipso se continuit, illud modicum terræ, quod ei remanserat, custodiens: suos etiam infestans sæpius inimicos. Nec silendum, quòd licèt haberet infinitos hostes, & paucissimos adiutores, nunquam tamen ipsum ausi sunt aggredi bello campali.* Sic Vallsarnensis.

a cap. 34.

2. At ne tum quidem à nostris cessatum fuit, Crucem interea per Galliam, Angliámque, & Lotharingiam aduersùs Albigenses prædicantibus, vt prosequendo bello Ecclesiæ Ducibus, noui in dies milites, nouæ auxiliares copiæ transmitterentur. Meminit huius secundæ prædicationis Godefridus. Sancti Pantaleonis, Coloniæ Monachus, ad hunc annum scribens hæc ipsa verba [b]: *Eodem anno* 1210. *hortatu Apostolici, plurima multitudo ex omni Francia, Anglia, & Lotharingia Cruce signati ad eosdem Begginos profecti sunt. Qui ductoribus, & rectoribus, Abbate, scilicet, Cistercienſi, & Simone Comite de Monte forti, ad Tolosam ciuitatem munitissimam deducti sunt* [c]. Hæc Godefridus, quæ penè eadem Altisiodorensis Hugo in Appendice [c]: *Anno*, ait, *Domini* 1210. *grandis iterum fit motio nostrorum, tam Episcoporum, quàm Procerum, & vulgarium: erat enim peregrinatio ista celebris, & votiua, tum propter Zelum fidei, tum propter pœnitentiarum remissionem, à Sede apostolica repromissam.*

b in Annalibus hoc ex.

c ad hunc annum.

3. Portò ex his copiis, quædam promptiores Monfortium Comitissam, à viro suo vocatam, comitatæ, intrante mense Martio, tardiores aliæ: non tamen ideò minùs opportunæ affuerunt promouendo negotio Christi. De prioribus hæc Petrus Vallsarnensis [d]: *Circa initium verò Quadragesimæ nunciatur Comiti, vxorem suam Comitissam (ipsam siquidem vocauerat à Francia) cum pluribus militibus aduenire: quo audito, Comes iuit ei obuiam, vsque ad quoddam castrum in territorio Agathensi, quod dicitur Pesthiacum, vbi ipsam inueniens, Carcassonam cum diligentia remeauit.* Atqui his copiis suffultus Monfortius Comes, quædam castra expugnauit Hæreticorum; minùs quidem munita arte, & natura; sed à quibus crescente fama noui exercitus, timidiores Hæretici, nostri audaciores essent; & quibus se neutrales inclinarent, quia victoribus. Munitissimi, inter multa alia, castri Minervæ, longam, verùm felicem expugnationem, atque supplicium sumptum de Hæreticis, quia nihil in vtroque sine Arnaldo Guidonéque, & multa mirabilia contigêre Petri Monachi verbis libet prosequi [e]:

d vbi suprà.

e cap. 17.

4. *Anno*, inquit *ab Incarnatione Domini M.CC.X. circa Festum Beati Ioannis Baptistæ, ciues Narbonenſes mandauerunt Comiti nostro, vt obsideret Minervam, & ipsi pro posse suo eum adiuuarent. Hoc autem faciebant, quia illi de Minerna eos nimis infestabant, magisq; eos ad hoc mouebat amor vtilitatis propriæ, quam zelus religionis Christianæ. Comes autem mandauit Aimerico domino Narbonæ, & ciuibus omnibus, quòd si vellent eum iuuare, melius quam antea fecerant, & cum ipso vsque ad capsionem perseuerare, obsideret Minervam; quod cùm illi promisissent, statim ad obsidendam Minervam Comes cum suis militibus properauit. Quò cùm peruenissent, Comes Montis fortis tentoria ab Oriente; quidam miles Comitis, qui dicebatur Guido de Luceio, cum Vascionibus, qui aderant, fixit tentoria ab Occidente, ab Aquilone Aimericus de Narbona cum ciuibus suis; à Meridie quidam alij peregrini. In toto enim exercitu non erat aliquis præparatus, nisi Comes, & Aimericus de Narbona. Castrum autem illud incredibilis erat fortitudinis; profundissimis quippe, & maximis vallibus cingebatur. Itaque, si necessitas ingrueret, non poterat exercitus exercitui, sine maximo discrimine subuenire.*

5. *Post hæc, à parte Vascorum erecta est quædam machina, quæ dicitur mangonellus, in qua die ac nocte instantissimè laborabant. A Meridie similiter, & Aquilone erectæ fuerunt duæ machinæ, vna hinc, alia inde. A parte verò Comitis, id est, ab Oriente, erat magna, & optima petraria, quæ vnaquaque die constabat in condendis trahentibus ad machinam XXI. libras. Postquam autem nostri aliquantulum temporis in expugnatione castri laborauerant memorati, quadam nocte Dominica, exeuntes illi de castro venerunt ad locum, vbi erat petraria; cophinósque plenos stupa, lignis siccis minutis, & adipe vnctis instrumentis, dorso petrariæ applicuerunt: mox igne suppositio, flamma altiùs se infudit. Erat quippe tempus æstiuum, & calidissimum; circa tempus, vt dictum est S. Ioannis. Contigit autem volente Deo, quòd vnus de illis, qui trahebant ad petrariam secessit in illa hora, ad requisita naturæ: qui visa igne, vehementius exclamauit. Mox vnus ex illis, qui ignem apposuerant, lanceam proiiciens, illum grauiter vulnerauit: fit strepitus in exercitu, currunt multi, ipsámque petrariam tam miraculosè, & subitò mox defendunt, quòd nisi per duos ictus iacere non cessauit.*

6. *Post aliquot verò dies, cùm dictæ machinæ castrum ex magna parte debilitassent, deficientibus etiam victualibus; defecit illis, qui intus erant, animus resistendi. Quid plura? Postulant pacem aduersarij. Exit foras dominus castri, nomine Guillelmus de Minerna cum Comite locutus. Dum autem*

autem loquerentur, Abbas Cisterciensis, & Magister Theodosius, de quo supra mentionem fecimus, subitò ex inspirato superuenerunt. Comes verò noster, vtpote Vir discretus, & cum consilio cuncta agens, dixit, quòd deditione, & receptione castri nihil faceret, nisi quod Abbas Cisterciensis totius negotij Christi Magister decerneret faciendum, quo audito Abbas valde doluit, vtpote inimicos Christi mori desiderans: & tamen ad mortem iudicare non audens, cùm esset Monachus, & Sacerdos. Cogitans ergo, quomodo Comitem, vel dictum Guillelmum, qui etiam super deditione castri, sè Abbatis arbitrio offerebat, posset à compromissione, quam inter se fecerant, reuocare; iussit, vt vterque, Comes, videlicet, & Guillelmus, modum redditionis castri in scriptum redigerent: hoc autem faciebat, vt dum scriptum vnius alteri non placeret, à compromissione, quam fecerant, resilirent. Scriptum Guillelmi, dum esset coram Comite recitatum non acquieuit Comes; sed dixit Domino castri, vt intraret castrum suum, & se defenderet, sicut posset: quod ille noluit, sed subiecit se per omnia Comitis voluntati; nihilominus tamen Comes voluit, vt totum fieret, prout Abbas disponeret faciendum.

7. Ordinauit igitur Abbas, vt dominus castri, & omnes, qui in castro erant, credentes etiam Hæreticorum, si vellent reconciliari, & stare mandato Ecclesiæ, visi euaderent, castro Comiti remanente. Perfecti etiam Hæretici, quorum ibi erat plurima multitudo, nihilominus euaderent, si ad fidem catholicam conuerti vellent. Quod audiens Vir nobilis, & totus in fide Catholicus, Robertus Mulus Vicinus, qui aderat: quia, scilicet, liberarentur Hæretici, propter quos perdendos aduenerant peregrini: timens, quod ne forte timore ducti, cum iam capti essent, quidquid nostri vellent, promitterent, adimplere, & resistens Abbati in faciem, dixit, quòd hoc nostri nullo modo sustinerent. Cui Abbas respondit: Ne timeas, quia credo, quòd paucissimi conuertentur. His præcedente Cruce, & vexillo Comitis subsequente, villam intrant nostri; & cantantes, Te Deum laudamus. Ecclesiam adeunt. Qua reconciliata, Crucem Dominicam in summitate turris ponunt, vexillum Comitis alia in parte locantes. Christus quippe villam coperat, & dignum erat, vt vexillum procederet, & in eminentiori loco positum, Christiana victoria testimonium perhiberet: veruntamen

8. Comes tunc non intrauit.

His gestis, Venerabilis Abbas Vallium Sarnay, qui erat cum Comite in obsidione, negotiúmque Christi vnico amplectebatur affectu, audiens Hæreticorum multitudinem congregatam in quadam domo, accessit ad eos perferens illis verba pacis, & salutis monita; ipsos in melius conuertere cupiebat: qui verba eius interrumpentes, omnes vna voce dixerunt: Quare verbis prædicatis? Fidem vestram nolumus: Romanam Ecclesiam abdicamus: in vanum laboratis: à secta, quam tenemus, nec mors, nec vita poterit nos reuocare. Quo audito, mox Abbas Venerabilis exiuit à domo illa, & ad mulieres, quæ in alia mansione erant congregatæ, verbum prædicationis oblaturus accessit. Sed si Hæreticos duros, & obstinatos inuenerat, obstinatiores inuenit Hæreticas, & penitus duriores. Mox Comes noster intrauit castrum, & veniens in domum, vbi erant Hæretici omnes congregati in vnum, Vir catholicus, & volens omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, cæpit monere, vt ad fidem Christi conuerterentur: sed cùm nihil penitùs proficeret, fecit eos extrahi de castro; erant autem perfecti Hæretici centum quadringenti, vel amplius.

9. Præparato igitur igne copioso, omnes in ipso proiiciuntur; nec tamen opus fuit, quòd nostri eos proiicerent: quia obstinati in sua nequitia, omnes se in ignem ultrò præcipitabant. Tres tamen mulieres euaserunt, quas nobilis domina mater Buchardi de Marliaco ab igne eripuit, & Sanctæ Ecclesiæ reconciliari fecit. Combustis igitur Hæreticis, cæteri omnes, qui erant, abiurata hæresi, sanctæ sunt Ecclesiæ reconciliati. Nobilis etiam Comes dedit Guillelmo, qui fuerat dominus Minerua, alios redditus, prope Biterrim; sed ille non multò post, spreta fidelitate, quam Deo, & Comiti promiserat, recedens à Deo, & Comite se inimicis fidei sociauit. Hactenus omnia ex Petro Vallisarnensi, qui præsens fuit. Ad hunc euentum, fortè referendum id, quod Cæsarius narrat in suis Dialogis, & nos ex ipso anno antecedenti, negantes acciditse in Carcassona. Verùm, quæ interim miracula acciderint, ab eodem Authore, aut visa oculis, aut comprobata testibus fidelibus, nequaquam silentio censeo præterennda. Sic autem ait[f]: f cap 17.

10. Non credimus etiam prætermittenda duo miracula, quæ in obsidione castri Minerua contigerunt: siquidem quando exercitus peruenit ad obsidendum castrum, aqua quædam defluebat prope castrum, & erat modicissima: sed diuina miseratione in aduentu nostrorum ita subito exiuit aqua illa, quòd sufficeret abundantissimè toto tempore obsidionis hominibus exercitus, & equis. Duravit verò ipsa obsidio fermè per septem hebdomadas: recedente verò exercitu, sæpè dicta aqua retraxit se, & facta est modicissima, sicut prius. O Dei magnalia! ô bonitas Redemptoris. Item, aliud miraculum. Cùm recederet Comes à castro Minerue, pedites exercitus mansiunculis, quas fecerant peregrini de ramis, & frondibus, ignem miserunt: cellulæ autem, quæ erant siccissimæ, ita statim accensæ sunt, & tosta in altum per totam vallem flamma erupit, ac si aliqua ciuitas maxima combureretur; erat autem quædam cellula de frondibus similiter, in qua Sacerdos quidam tempore obsidionis, celebrauerat, aliis mansiunculis circumclusa: quæ ita miraculosè ab igne est illæsa seruata, vt nec etiam aliquod in ea adustionis indicium appareret, sicut à venerabilibus personis, quæ præsentes erant, audiui. Statim currentes nostri ad mirabilem visionem, inuenerunt, quòd cellulæ, quæ combustæ sunt, illi cellulæ, quæ incombustæ mansit, vndique à dimidij pedis spatio ingebantur.

11. His duobus miraculis, quæ in expugnatione Minerue contigére, adiungo tertium Tolosæ à multis visum hoc ipso tempore, quod idem Author narrat in hæc verba g: *Miraculum aliud, quod contigit apud* g cap 18.
Tolosam, dum esset Comes noster in obsidione Minerua, hic duximus inserendum. In ciuitate illa prope palatium Comitis Tolosæ est quædam Ecclesia fundata in honore B. Virginis Mariæ: parietes autem illius Ecclesiæ de nouo erant forinsecus dealbati. Quodam autem die ad vesperum cœperunt videri infinitæ Cruces in parietibus ipsius Ecclesiæ circumquaque, quæ videbantur quasi argenteæ, ipsis parietibus albiores. Erant enim Cruces semper in motu apparentes, quæ subitò statim non videbantur: siquidem multi eas videbant, sed aliis ostendere non valebant: ante enim quam posset digitum leuare quis, disparuerat Crux, quam volebat ostendere: nam in modum coruscationis apparebant, nunc maiores, nunc mediæ, nunc minores. Duravit visio ista fermè per quindecim dies, singulis diebus ad vesperam. Itaque fermè omnis populus ciuitatis Tolosæ hæc viderunt. Vt vero fides dictis adhibeatur, sciat Lector, quòd Fulco Tolosanus, Raymundus Biterrensis Episcopi, & Abbas Cisterciensis, apostolicæ Sedis Legatus, & Magister Theodosius, qui in Tolosa tunc erant, viderint, & mihi per ordinem narrauerint.

Accidit

12. *Accidit autem, Deo disponente, quòd Capellanus prædictæ Ecclesiæ Cruces videre non potuit prænotatas: quadam igitur nocte intrans ipsam Ecclesiam, dedit se in orationem, rogans Dominum, vt sibi dignaretur ostendere, quod viderant fieri omnes: subitò autem vidit innumerabiles Cruces, non in parietibus, sed in aëre circumfuso: inter quas una cæteris maior, & eminentior cunctis erat. Mox egrediente maiore de Ecclesia, omnes egressa sunt post illam; cæperúntque recto cursu tendere versùs portas ciuitatis. Sacerdos autem vehementissimè stupefactus Cruces illas sequebatur: & dum essent in egressu ciuitatis, visum est Sacerdoti, quòd quidam tendens in ciuitatem reuerendus, & decorus aspectu, enaginatum tenens gladium, Crucibus illis prabentibus ei auxilium, quendam magnum hominem egredientem de ciuitate in ipso ingressu interfecit: sepedictus itaque Sacerdos factus exanimis, pra timore cucurrit ad Dominum Vticensem Episcopum, procidénsque ad pedes eius, istud sibi per ordinem enarrauit.* Hactenus ille: addit Vincentius in Speculo historiali quartum illustrius. *Guillelmus de Pepionibus tres Sacerdotes, & quinquaginta Catholicos incendit, qui post triduum inusti reperti sunt.* Plura miracula inferiùs adducemus: vt inde clariùs obstinatæ gentis perfidiam, atque cordis duritiam; è contra verò Dei misericordiam, & quàm mirabilis semper in Sanctis suis, quàm in operibus sanctus, cognoscamus. h lib. 2. c. 106.

---

1. *Magistri Milonis in Monte Pessulano mors:* 2. *itémque vnius ex nostris Prædicatoribus.* 3. *Innouata, & extensa Arnaldo Patri potestas inquirendi contra Hæreticos:* 4. *& quædam aliæ causæ.* 5. *Reconciliati ciues Tolosani,* 6. *emendata Godefridi Historia.* 7. *Admissus ad purgationem Raymundus Comes:* 8. *sed, si priùs obediat mandatis Summi Pontificis.* 9. *Lacrymæ eius fallaces, sed non fallentes.* 10. *Colloquium aliud præsente Rege Aragonum:* 11. *& oblata Raymundo Tolosano absolutio, & pax, si Hæreticos à ditione sua pellere vellet.*

CAPVT II.

1. HAc ipsa hyeme, cùm in monte Pessulano, loco catholico, & nostris semper tuto, demoraretur Magister Milo, Legatus apostolicus, ad instantiam Raymundi Comitis missus, diem clausit extremum: de cuius morte hæc Petrus Vallsarnensis [a]: *Nec silendum, quòd, antequàm omnia ista fierent* (loquitur autem de obsidione Mineruæ, & aliis, quæ mox dicemus) *in præterita hyeme decessit apud Montem Pessulanum Magister Milo apostolica Sedis Legatus.* Hæc tantùm ille: neque video plura ab alio. Certè sentina errorum Albigensium malleus fuit multas conterens petras Ecclesiæ Christi, atque coaptans cælesti Ierosolymæ. Quippe Radulpho, & Petro iam sublatis, in ipsa sui muneris functione, tertius Milo adiunctus, qui triadem Legatorum clausit felici omine. Quin ex subdelegatis sublati alij, quod præter Elnæ Abbatem, de quo suprà, qui Hæreticorum gladio feliciter, gloriosèque occubuit; notatum video de Abbate Casæ Dei, nomine Bono, quem inter ipsa prædicationis verba translatum, ad Superos, ex suæ Domus antiquis monimentis prodit Seguinus, hoc item loco à nobis referendus [b].

a prop. 29.

b lib. 3. Virorum illustrium.

2. *Beatus*, ait, *Bonus, vt, & nomine, Cisterciensis Ordinis Monachus, vir & literis theologicis, & morum suauitate insignis, iuuenis primùm Grammatica, & Rhetorica, deinde Philosophia non segnem operam impendit. Cùm autem annum ageret vigesimumsecundum, in Lyceo Tolosano euoluendis orthodoxorum voluminibus adeò assiduam operam dedit, vt doctissimus euaserit. Ideò, tum ob eam ingenij sui præstantiam, tum ob morum integritatem, Casæ Dei Abbate fato absumpto, in demortui locum, communibus omnium votis, suffectus est. Magnos in sanctitate progressus fecit. In Præsulatu obedientiam, quam semper coluerat, paupertatem voluntariam, orationis assiduitatem, vigilias, abstinentiam, liberalitatem, & hospitalitatem, in adhortando mansuetudinem, in reprehendendo seueritatem perpetuò adhibuit. Omnibus consilio, & opera non defuit. Cuius pietatem, & doctrinæ mansuetudinem admiratus Arnaldus, Cisterciensis Abbas, & Innocentij III. Pontificis maximi Legatus, illum ad prædicandum Albigensibus Hæreticis verbum Dei, direxit: quatenus prouincia illa Albiorum erroribus imbuta, Deo auxiliante, per assiduam sanctæ prædicationis instantiam, per illum in viam veritatis reduceretur. Qui prædicationis munere susceptæ, concitus ad præfatos Hæreticos perrexit. Moxque vt Albigensium penetrauit fines, cœpit Christi Euangelium prædicare, & argumentis multis contra Hæreticorum errores fortissimè decertare: ita vt eos vinceret, sed non (vt ait Tertullianus) persuaderet: Interea dum Sanctus Vir doctrinis insistens pietatis, Christi populum à vanitate conatur retrahere erroris, morbo occupatus, quinto post die vita defunctus est, &c.* Hæc ille, quæ eadem refert Henriquez in Menologio, Martij die tertia, nec ea nobis licuit præterire.

3. Morte Milonis, an alia quauis occasione factum, vt potestas Arnaldo delegata pro extirpandis hæretibus, Hæreticisque, aut reconciliandis, si pœniterent, aut pertinacibus omninò exterminandis innouaretur, extenderetúrque, *Committente Innocentio vices suas eidem, atque Episcopo Regiensi, ad omnia, & singula, quæ veilia ad illum finem indicarent, apostolica authoritate exequenda, atque exequi mandanda,* (nam hæc sunt verba) *etiam in Burdegalensi, Bisuntinensi, & Viennensi prouintiis, necnon Pampilonensi, & Lemouicensi Episcopatibus,* cum amplissimis clausulis, atque expressa illarum insertione, quæ Arnaldo, & Radulpho, Petróque fuerant destinatæ ante sexennium. Extant, leguntúrque in Vaticano Litteræ datæ Laterani, quinto Calendas Iunij, Pontificatus Innocentij Papæ III. anno XII. quas non transcribo, quia præter extensionem ad prædictas prouincias, à prioribus nihil distinctum habent. c in Regestis.

4. Quin & leguntur eiusdem anni Litteræ, ad eosdem post mensem expeditæ, pro visitandis, deponendisque, si opus esset, Archiepiscopis Narbonensi, & Auxitano; quasi ea causa; siue, quia in successores Apostolorum; siue, quia non ad fidem spectaret, sed ad mores, & regimen, à prioribus Litteris

-veris clientis, nouo omninò indigeret delegatione.

d in cis-ems. *In tantum*, ait, *clamor, qui dudum aſcendit contra Narbonenſem, & Auxitanum Archiepiſcopos inualeſcit, quod ij ſum diſſimulare vlteriùs ſine periculo non valeamus; ne quod ex nequitia ſua poſſint commodum reportare, cùm non ſolum negligentes ſint, vt aſſeritur: ſed etiam peſtilentes. Diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, &c. Datum Laterani quarto Kalendas Iulij, Pontificatus noſtri anno XIII.* Quas ipſas Litteras adducit Franciſcus Boſchetus Narbonenſis, in his, quas euulgauit, quatuor annorum Innocentij, Decretalibus.

5. Inter hæc, Raymundus Toloſæ Comes tediens à Curia, vrgebat purgationem, iuxta mandatum Innocentij, ſibi à Magiſtro Theodoſio, & Regienſi Epiſcopo indictam. Nec enim ea difficilis periuro, & multos habenti ſocios eiuſdem criminis: & ſperabat, ſi ſemel purgaretur à ſuſpicione hæreſis, atque morte Legati, (Martyris Petri,) facilius ſe ſubuerſurum (hoſtem domeſticum, & à quo non cauerent) negotium fidei. Hinc Legatorum tumor, ſed maior Theodoſij, velut qui hominem intimius penetrauerat; & niſi fraudes in leuioribus detectas, in grauioribus cauſis præueniſſet; haud dubium, quin admixtus, & admiſſus noſtris Conciliis, nullo negotio obſtitiſſet fidei progreſſibus. Verùm hæc omnia eundem Vallſarmenſem in ſua hiſtoria prodentem audiamus e: *Dominus Papa, ſicut ſuperiùs retigimus, mandabat Epiſcopo Regienſi, & M. Theodoſio, vt præfato Comiti indicerent purgationem ſuper duobus maximè criminibus, ſuper morte, videlicet, P. de Caſtro Nouo, apoſtolicæ Sedis Legati, & ſuper crimine hæreſeos. Magiſter verò Theodoſius inuaſit Toloſam, dum noſtri eſſent in obſidione Minerui, ſicut continetur in prædicto mirabulo, vt ſuper indicenda purgatione dicto Comiti, conſuleret Abbatem Ciſtercij, qui erat in partibus Toloſanis; & vt de mandato Summi Pontificis ſecundum formam Eccleſiæ eiues abſolueret Toloſanos; recepto, ſcilicet, iuramento, quòd ſtarent mandato Eccleſiæ. Sed Epiſcopus Toloſanus iam abſoluerat eos iuxta formam prædictam; acceptis inſuper pro obſidibus, & ſecuritate, decem ciuibus, de melioribus ciuitatis.* Hactenus Petrus.

e cap. 59.

6. Hinc corrigendus venit Godefridus Sanct-Pantaleoneus ad hunc annum, quatenus geſta à noſtris per hoc tempus, ſuis Annalibus inſerens, tradit obſeſſam primò Toloſam à peregrinis. *Sed ciues, cùm fideles ſe, & Chriſtianos faterentur, & à catholica fide nunquam receſſiſſe, acceptis ab eis C C. obſidibus ex melioribus, receſſiſſe.* Corrigendus, inquam, in duobus: & quòd obſeſſam Toloſam hoc anno tradit; quod reuerà non fuit: & quòd obſides, decem tantùm numero, (nec plures neceſſarij,) vſque ad ducentos, præ diſtantia locorum, multiplicauit: quod obiter admonere volui meum Lectorem. Nunc ad purgationem Comitis, & qualiter dilata, redeamus.

ſim Annalibus.

7. *Cùm intereſſet* (pergit Petrus Vallſarmienſis f) *Magiſter Theodoſius Toloſam, habuit ſecretum colloquium cum Abbate Ciſtercienſi ſuper admittenda purgatione Comitis Toloſani. Magiſter verò Theodoſius, vtpote circumſpectus, & prouidus, de negotio Dei valde ſollicitus, ad hoc omnimodis aſpirabat, vt poſſet de iure repellere ab indicenda ei purgatione Comitem memoratum: videbat enim, quòd ſi admitteret eum ad purgationem, & ipſe per aliquas falſitates, & dolos poſſet ſe purgare, deſtrueretur Eccleſia in partibus illis, periret fides, & deuotio Chriſtiana. Dum igitur ſuper his omnibus ſollicitus eſſet, & ſecum tentaret; aperuit Dominus viam, modum inſinuans, quo poſſet negare purgationem Comitis ſæpedicto. Habuit recurſum ad litteras Domini Papæ, in quibus Summus Pontifex inter alia dicebat: Volumus, vt Comes Toloſanus impleat mandata noſtra, multa quippe mandata facta fuerunt Comiti Toloſano: vtpote de expulſione Hæreticorum de terra ſua, de dimittendis nouis peagiis, & plura alia, quæ omnia adimplere contempſit.*

f cap. 59.

8. *Igitur M. Theodoſius cum ſocio ſuo Epiſcopo, ſtilicet, Regienſi, ne videretur grauare, vel iniuriari Comiti Toloſano, præfixerunt ei ſi Comiti diem admittendæ purgationis ipſius apud Villam S. Ægidij. Igitur conuocatis in Villa S. Ægidy ab Epiſcopo Regienſi, & M. Theodoſio Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis pluribus Eccleſiarum Prælatis, Comes etiam affuit Toloſanus, conatuus, ſi poſſet, quoquo modo purgare ſe de morte Legati, & crimine hæreſeos. Magiſter verò Theodoſius de conſilio Prælatorum dixit Comiti, quòd non admitteretur purgatio ipſius, eò quòd de mandato Summi Pontificis, eorum, quæ ſibi mandata fuerant, & quæ ſe impleturum multoties iurauerat, nihil impleſſet. Dicebat ſiquidem Magiſter, quod veri ſimile erat, imò manifeſtiſſimum, quòd Comes, qui quædam iuramenta non tenuerat, de mandatis leuioribus adimplendis, ſuper purgatione ſua de tam enormibus criminibus, vtpote morte Legati, ac crimine hæreſeos, facillimè, imò libentiſſimè per ſe, & ſuos complices peieraret. Ideòque ipſum Comitem nullo modo admittendum eſſe dicebat, niſi priùs mandata impleuiſſet leuia.*

9. *Quòd audiens Comes Toloſanus, ex innata ſibi nequitia cœpit flere. Magiſter verò ſciens, quòd lacrymæ non eſſent lacrymæ deuotionis, & pœnitentiæ; ſed nequitiæ, & doloris, dixit Comiti:* In diluuio aquarum multarum ad Deum non approximabunt h. *ſtatim communi conſilio, & aſſenſu Prælatorum, propter multas, & multum rationabiles cauſas, iterum excommunicatus fuit in eo loco Comes nequiſſimus Toloſanus, & omnes fautores, & adiutores eiuſdem.* Hactenus Petrus de geſtis in hoc colloquio: in quo proculdubiò, ſicut, docente Chriſto, fidelis in pauca, meritò ſuper multa conſtituitur; ita è contrario, in leuioribus, periurus, contumax, (quamuis neque expulſionem Hæreticorum leuem apoſtolici præcepti materiam dixerim,) meritò pellitur à grauioris pollicitationis acceptatione: de qua in dubio, nihil aliud præſumi poterat, quàm quòd in manifeſtis conuincebatur.

h Pſal. 31.

10. Fuit & aliud colloquium hoc ipſo anno Narbonæ coactum, in quo Rex Aragonum affinitatibus Toloſano Comiti, & Fuxenſi coniunctus, & eorum cauſam agens apud Legatos, quam ô vtinam nunquam ſuccepiſſet! in quo, inquam, Petrus Aragonenſis Rex, Comitéſque, tam Simon, quàm Raymundus, & plures alij cum Epiſcopis multis, & Abbatibus, in quo & Abbas Ciſtercij, iam non per alium; ſed per ſe ipſum præſidens (vnà cum Epiſcopo Vticenſi, qui in partibus Aragonum Legatus erat,) ſolam Hæreticorum expulſionem exigebat à Comite; qua, etſi non pro iuſta purgatione, ſatisfactionéve; tamen pro emendatione ſemel admiſſa, reliqua omnia reputaret ſibi peracta. Verùm, qui fallere, non corrigi intentabat, & corde Hæreticus, ſolos ſibi Hæreticos putabat fore fideles; nullis ad hoc perſuaderi precibus potuit, nullis minis à ſententia reuocari. Actum præterea in eodem hoc colloquio de Comite Fuxenſi, eiúſque cum Eccleſia Romana, à qua præciſus excommunicationis gladio erat, reconciliatione. Verùm, quæ in vtriuſque cauſis geſta ſint, ex eodem Authore præſtat deſcribere i.

i cap. 43.

Non poſt multos dies conuenerunt apud Narbonam Rex Aragonenſis, Comes Monfortis, Comes etiam Toloſanus, inter ſe colloquium habituri. Huic col-

loquio affuerunt Vticenſis Epiſcopus, & Venerabilis Abbas Ciſtercij, qui præcipuè poſt Deum, Ieſu Chriſti negotium promouebant. Iſte Vticenſis Epiſcopus, Raymundus nomine, à multis diebus ardenter negotium fidei diligebat, & quantùm poterat, promouebat; & illis diebus cum Abbate Ciſtercienſi, Legationis officio fungebatur. Affuit & prædicto colloquio Magiſter Theodoſius, de quo ſuperiùs facta eſt mentio, & multi alij Viri ſapientes, & boni. Tractatum fuit in prædicto colloquio de Comite Toloſæ; & facta fuiſſet ei magna gratia, & copioſa miſericordia, ſi idem Comes ſanis conſiliis acquieſcere voluiſſet. Volebat ſiquidem Abbas Ciſtercij, apoſtolicæ Sedis Legatus, quòd Comes Toloſanus, dummodo Hæreticos de terra ſua expelleret, omnes Dominicaturas, & proprietates ſuas haberet integras, & illæſas. Illa etiam iura, quæ habebat in caſtris Hæreticorum aliorum, quæ de feudo eius erant, quæ idem Comes dicebat eſſe ad minus quinquaginta, volebat præfatus Legatus, vt quarta, vel etiam tertia pars eorum eſſet in proprietatem Comitis ſupradicti. Sprevit ſupradictus Comes illam magnam gratiam, Deo verùm in poſterum Eccleſiæ ſuæ prouidente, & ita omni beneficio, & gratia reddidit ſe indignum. Hæc in prima, quæ Toloſanum Comitem; iam quæ in ſecunda, Comitem Fuxenſem concernente, peracta ſint, ex eodem Authore proferemus, ſequenti capite.

---

1. *Actum Narbonæ de rebus Comitis Fuxi,* 2. *Rege Aragonum pro eo fide iubente.* 3. *à quo & admiſſum hominium Monfortij Comitis.* 4. *Tertium colloquium in Monte Peſſulano,* 5. *& tertiò requiſitus ab Abbate Ciſtercij, Raymundus Comes.* 6. *Fuxenſis crimina,* 7. *& execranda ſuorum ſacrilegia.* 8. *Deſtructa eccleſia.* 9. *Vnde blaſphemum, ſed argutum militis dictum* 10. *& prophetia Abbatis Montis Sanctæ Mariæ.*

CAPVT III.

1. IGITVR Petrus Vallſarnienſis pergit illius Conuentus Acta ita deſcribere. *Tractatum fuit* [a] *præterea in prædicto colloquio de pace reformanda inter Eccleſiam, & ſuum immaniſſimum perſequutorem, Comitem, videlicet, Fuxenſem. Ordinatum etiam fuit ad preces Regis Aragonum, quòd ſi Comes ille iuraret mandatum Eccleſiæ ſe facturum, iuraret etiam, quòd Cruce ſignatos, præcipuè Comitem Montisfortis de cætero nullatenus impugnaret, Comes noſter redderet ei illud, quod iam habebat de terra ipſius, præter caſtrum quoddam, quod Apamia nuncupatur. Caſtrum ſiquidem illud nullo modo recuperare debebat, propter multas cauſas, quæ inferiùs exprimentur. Sed Deus æternus, qui abſconditorum eſt cognitor, qui nouit omnia, antequam fiant, nolens tot, & tantas immaniſſimi hoſtis ſui crudelitates remanere impunitas, ſciénſque, quanta mala de hac compoſitione contingerent in futurum; alta ſua, & incomprehenſibili iudicio induruit cor Comitis Fuxenſis, ita quòd noluit recipere pacem iſtam; Deo vtique Eccleſiam ſuam miſericorditer viſitante, vt dum hoſtis pacem recipere recuſaret, futura deinde turbationis ſua, ipſe iam confirmatiuam ſententiam ſe daret.*

[a] cap. 43.

2. *Nec prætereundum, quòd Rex Aragonum, à quo Comes Fuxi tenebat pro parte maxima, terram ſuam, in caſtro Fuxi poſuit cuſtodes milites ſuos, & coram Epiſcopo Vticenſi, & Abbate Ciſtercienſi promiſit, quòd per terram illam nullum malum inferretur Chriſtianitati. Iurauit etiam idem Rex coram dictis Legatis, quòd ſi Comes Fuxi vnquam à communione S. Eccleſiæ vellet recedere, & à familiaritate, & amicitia, & ſeruitio Comitis Montisfortis, Rex ad primam ſupradictorum Legatorum, vel Comitis noſtri requiſitionem, in manus ipſius Comitis noſtri traderet caſtrum Fuxi. Super hoc dedit Rex Comiti noſtro litteras ſuas, conuentionem iſtam plenius continentes: & ego, qui litteras vidi, tenui, & diligenter inſpexi, teſtimonium perhibeo veritati.* Hactenus ibi. Sed, ô vtinam! Petrus Aragonius, quæ promiſit, fideliùs obſeruaſſet. Pergit Author [b]:

[b] cap. 47.

3. *In ſupradicto colloquio Narbonenſi, ſupplicauerunt Vticenſis Epiſcopus, & Abbas Ciſtercij, Regi Aragonum, vt reciperet in hominem Comitem Montis fortis: quia ciuitas Carcaſſonæ erat de feudo Regis Aragonenſis. Quod cùm ille facere noluiſſet, in craſtino iterum acceſſerunt ad Regem viri ſæpedicti, procidérunt ad pedes eius humiliter, & inſtantiſſimè deprecantes, vt hominium Comitis recipere dignaretur: ipſe autem Comes, flexis ante Regem genibus, ſuum hominium humiliter offerebat. Tandem Rex victus precibus, acquieuit, & recepit Comitem in hominem de ciuitate Carcaſſonæ, vt illam Comes ciuitatem teneret à Rege.* Hactenus geſta in colloquio Narbonenſi, digna, quæ referrentur in noſtris Annalibus.

Additum tertium in Monte Peſſulano ab eiſdem Principibus, Præſulibúſque, in quo ante omnia (inquit idem Author [c]) *Tentatum eſt de contrahendo matrimonio inter primogenitum Regis, & filiam Comitis Montis fortis. Quid plura? Firmabatur ab vtraque parte matrimonium prefatum, videlicet, à Rege, & Comite noſtro, hinc, & inde præſtito iuramento. Inſuper Rex tradidit Comiti prefatum primogenitum ſuum cuſtodiendum. Verumtamen Rex, qui Comiti filium ſuum tradiderat, non multò poſt dedit ſororem ſuam filio Comitis Toloſani in vxorem: vnde non modicum, nec immeritò apud nos infamem ſe reddidit, & ſuſpectum: iam enim quando matrimonium illud factum eſt, Comes Toloſa perſequebatur manifeſtè Eccleſiam ſanctam Dei.* Hæc Vallſarnienſis. Porrò hic primogenitus, quem Petrus Aragonius Monfortio dedit, Iacobus fuit, ex propria vxore furtò olim conceptus, de quo multa ſuperiùs; ſed multò plura in ſequentibus dicemus. Pergit Author.

4. [c] ibid.

5. *Nec ſilendum, quòd cùm eſſent præfati viri in Monte Peſſulano, & multi etiam Epiſcopi, & Eccleſiarum Prælati; tractatum fuit iterum de facto Comitis Toloſani. Voluerunt Legati, Epiſcopus, videlicet, Vticenſis, & Abbas Ciſtercienſis maximam gratiam, & miſericordiam facere dicto Comiti, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum: ſed idem Comes cùm promiſiſſet impleturum ſe in craſtino, quidquid dicti Legati mandaſſent; ſummo mane in craſtino receſſit à Monte Peſſulano, ipſis Legatis inſalutatis: viderat enim quandam auem, quam indigenæ vocant auem Sancti Martini, ad ſiui-*

ſtram

ſtram volantem ; & perterritus fuit valdè. Ipſe enim more Saracenorum, in volatu, & cantu auium, & cæteris augurijs ſpem habebat. Ita cum Comite Toloſano actum à Viris ſanctis, ſic diſponente Deo eorum corda, quò vel ſic magis obſtinati hominis perfidia detegeretur.

6. Nunc ad complicem eius Fuxenſem Comitem, atque eius execranda ſacrilegia ſuppliciúmque, ab vno ex Abbatibus noſtris prophetatum, in conterminentem ſacta, eiuſdem Petri verbis deſcribamus [d]: *Primò, ait, ſciendum, quòd Hereticos, & Hereticorum fautores in terra ſua tenuit, fouit, quantum potuit, & promouit. In caſtro præterea Apamiarum, quod erat proprium Abbatis, & Canonicorum B. Anthonij, tenebat vxorem ſuam, & duas ſorores hereticas, cum aliorum hereticorum multitudine copioſa; qui in caſtro illo inuitis prædictis Canonicis, & quantum poterant renitentibus, publicè, & priuatè venenum ſuæ nequitiæ ſeminantes corda ſimplicium ſeducebant. Ipſis etiam ſororibus, & vxori in proprio allodio Canonicorum ædificari domum fecerat dictus Comes. Caſtrum verò Apamiarum, Canonicorum erat, ſicut diximus : ſed Comes ille tenebat illud ab Abbate in vita ſua; & iurauerat Abbati ſuper ſanctam Euchariſtiam, quòd nullam Abbati, vel caſtro moleſtiam inferret: Monaſterium ſiquidem Canonicorum ſitum eſt extra caſtrum, ad dimidium milliarium.*

d cap. 44.

7. *Quodam præterea tempore milites duo conſanguinei, & familiares dicti Comitis, qui erant Hæretici peſſimi, & manifeſti, ad quorum conſilia Comes ille omnia faciebat, matrem ſuam Hæreſiarcham maximam, quæ erat amica Comitis ſæpedicti, in caſtrum Apamiarum adduxerunt, vt ibi reſidens virus diſſeminaret hæreica ſuperſtitionis: quod videntes Abbas, & Canonici memorati, & tantam Chriſti, & Eccleſiæ iniuriam ferre non valentes, Hæreſiarcham à caſtro illo eiecerunt : quod audiens dictus produtor, Comes, videlicet, Fuxi, in iram verſus eſt, & furorem. Alter verò duorum illorum Hæreticorum militum, qui erant filij dictæ Hæreſiarchæ, veniens Apamias, in odium Canonicorum, vnum de Canonicis, qui erat Sacerdos, diuina celebrantem ſuper altare cuiuſdam Eccleſiæ prope Apamias, carnifex crudeliſſimus, membratim diuiſit: & vſque in hodiernum diem manet illud Altare illius occiſi ſanguine rubricatum. Nec ſic quieuit furor carnificis : ſed vnum de Fratribus Monaſterij apprehendens Apamiarum, oculos illi eruit in odium Religionis Chriſtianæ, & Canonicorum contemptum.*

8. *Ipſe etiam Comes Faxi non multò pòſt Monaſterium ſupradictum intrauit, habens ſecum raptarios, mimos, & meretrices ; vocánſque Abbatem Monaſterij, cui, ſicut prædiximus, ſuper Corpus Dominicum iurauerat, quòd nullam inferret moleſtiam, dixit ei, vt omnes traderet ſine mora claues Monaſterij: quod Abbas facere noluit. Veruntamen timens, ne tyrannus illi eaſdem claues auferret per violentiam ; intrauit, & claues ſæpedictas poſuit ſuper corpus Sancti Anthonini Martyris, quod erat ſuper altare, cum multis aliis Sanctorum Reliquiis ; in cuius etiam Sancti honorem Eccleſia illa erat fundata. Prædictus autem Comes ſequutus Abbatem, non deferens Eccleſiæ, Sanctorum Reliquias non attendens, deſuper corpus ſanctiſſimi Martyris, ſacrorum impudentiſſimus violator, claues rapuit prædictas. Quid amplius ? Abbatem, & Canonicos omnes in eadem concluſit Eccleſia, obſeratiſque tanuis, ibi eos tenuit per tres dies, ita quòd per illud triduum non comederent, nec biberent, nec etiam ad neceſſaria naturæ egredi poterant. Tyrannus autem interim omnem ſubſtantiam Monaſterij diripiens, in ipſo Infirmitorio Canonicorum, in contemptum religionis, cum ſuis meretricibus dormiebat. Poſt triduum autem Abbatem, & Canonicos de Eccleſia à Monaſterio ferè nudos expulit : inſuper per totum Caſtrum Apamiarum, quod erat proprium Canonicorum, ſicut dictum eſt, fecit Præconis voce clamari, vt nullus auſus eſſet hoſpitio recipere aliquem de Canonicis, vel Abbatem. Facta eſt autem proclamatio huiuſmodi ſub pœna grauiſſimæ vltionis.* Et poſt pauca : *Sæpè dictus etiam tyrannus ſtatim ipſam Eccleſiam B. Anthonij ex magna parte diruit, Dormitorium, & Refectorium Canonicorum eorum, ſicut vijs probauimus, deſtruxit, & inde munitionem Apamiarum fieri fecit.* Hæc Vallſarnienſis.

Addit & aliud piaculum haud leuius, quod vni ex eius ſequacibus non multò pòſt argutum quidem, ſed blaſphemum dictum extorſit [e]: *Quodam tempore ſæpedictus Comes iuit cum multitudine raptariorum ad quoddam Monaſterium, quod dicebatur Sancta Maria, in terra Comitis Vrgellenſis, in quo erat Sedes epiſcopalis. Canonici autem Eccleſiæ illius timentes à facie dicti Comitis receperunt ſe in Eccleſia, vbi tandiu fuerunt ab eo oppreſſi, quòd præ ſitis angustia vrinas ſuas bibere ſunt compulſi. Quibus tandem ſe reddentibus, intrans Eccleſiam hoſtis Eccleſiæ crudeliſſimus, omni abſtracta ſupellectili, Crucibus, & vaſis ſacris, fractis inſuper campanis, in ea præter parietes nihil dimiſit: præterea Eccleſiam illam quinquaginta millibus ſolidorum redimi fecit. Quo facto, dixit ei quidam peſſimus miles ſuus: Ecce, inquit, deſtruximus S. Anthoninum, & S. Mariam : nihil adhuc nobis reſtat, niſi vt deſtruamus Deum.* Longum eſſet per ſingula diſcurrere, quæ homo perditus flagitia perpetrauit. 9. e cap. 46.

Ac, qua occaſione tandem circa hoc tempus, imminentem diuinam vltionem ab ore Venerabilis Abbatis Montis Sanctæ Mariæ, vnius ex duodecim ſanctis, & doctis Viris, quos Arnaldus adduxit ad illas partes; mente æquè conſtanti, atque veridica prophetatam audierit, vt ab eodem Authore ſcriptum eſt, nequaquam licet ſilentio prætereire. *Erat*, ait, *quædam Eccleſia in ſupercilio montis cuiuſdam prope dictum Monaſterium, quod cùm ſemel, ſicut conſuetum habent, in anno viſitarent Canonici, & cum proceſſione corpus ſui Patroni Venerabilis Anthonini honorificè deportarent : prædictum Comitem fortè fortuitò equitantem contigit pertranſire. Qui nec Deo, nec Sancto Martyri, nec religioſæ proceſſioni deferens, ſaltem ſignis extrinſecus humiliari non potuit, nec de equo, cui inſidebat, curauit deſcendere ; ſed exerto ſuperbia colle, & elatione cerui coſa, quæ ſibi plurima erat domeſtica, pompatiçè præteriit. Quod videns quidam vir Venerabilis, Abbas, videlicet, de Monte S. Mariæ, Ciſtercienſis Ordinis, quivnus de duodecim longè prædictis Prædicatoribus ad prædicandum venerat, & tunc temporis proceſſioni illi interat ; exclamauit poſt ipſum : Comes, tu non defers Domino tuo Sancto Martyri : ſcias, quòd in villa, in qua ex parte Sancti dominium habes modò, priuaberis ipſo dominio : ita vt Sancto faciente, te vinentem ſentias exheredatum. Cuius boni Viri dicta, fides ſequitur, ſicut rei exitu manifeſtiſſimè declaratur.* Hæc nunc ſatis de paterna de filio, haudquaquam ab impietate paterna degenerante, ſequenti capite nonnulla adhuc edifferam. 10. f cap. 45.

1. Ratio temporis, dubia in huius, & sequentis anni euentibus. 2. Indignum facinus Comitis Fuxensis, & filij eius sacrilegium execrandum. 3. Miraculum super Cruce signatis ab eisdem occisis; 4. atque aliud in conspectu vtriusque exercitus: 5. & expugnata à Monfortio castra, & vrbes. 6. Ab Arnaldo creatus Inquisitor Sanctus Dominicus. 7. Littera Sancti, 8. & in eis multa perpensa. 9. Comes Raymundus Ecclesiæ publicus hostis: 10. maximè post intimatas ei Litteras Innocentij Summi Pontificis.

CAPVT IV.

NOn satis adhuc constat inter Authores, quo anno Vaurum captum: præsentem assignantibus plerisque, Petro, Hugone, Guilelmo: sed reuerà in sequentem vsque dilatum, conpincente ipsa euentuum successione; quæ vix aliter potest cohærere. Et potuit facilè irrepsisse mendum in numero Petri Vallsarnienſis, ex quo alij mendosum mutauerint: nam & Hugonem pleraque ex eo sumpsisse, clariùs constat, quàm vt aliqua indigeat probatione. Et de Guillelmo de Podio, vt non tam certum: at probabile est, ipsum vidisse, multáque ab eo hausisse ex his, quibus suam historiam locupletauit. Nos Vauri expugnationem sequenti anno, vt series ipsa poscere videtur: at quædam alia, quæ illi coniungunturſiue, quia in hoc, vt dicunt, gesta sunt, pro ordine euentuum; siue, quia præcedentibus assimia, per anticipationem cum aliis, quæ haud dubiè ipsum concernunt, in hoc capite simul coniungemus. Igitur primùm enormia alia flagitia Fuxensis Comitis, & filij eius Rogerij, sicut promisimus; mox, quæ ad vtriusque, & aliorum conueniunt, & miracula de cælo, & remedia de terra sunt adhibita. Inter quæ & magnum illud Ecclesiæ Lumen, Sanctus Dominicus, donatus ab Arnaldo iurisdictione, quam in eos exerceret: demum Deo ita, occulto eius iudicio, permittente, frustrata omnia, & Comitem vtrunque deteriorem, ex eisdem remediis, quod vltimum desperationis genus est, quia hunc annum concernunt, propalabimus. Fuxensis Comitis indignum aliud facinus contra leges diuinas, humanásque, qui cunctis adfuit Petrus Vallsarnienſis, his verbis narrat [a].

1.

2. *Dum fieret colloquium, sicut diximus, prope Vaurum, de pace inter Comitem Tolosæ, & sanctam Ecclesiam reformanda, veniebat multitudo peregrinorum, de Carcassona, ad exercitum. (Quippe pactu inducijs, dum pax fieret, nulli cordato bellum timendum fuit.) Illi autem dolo ministri, traditionis artifices, Comes, videlicet, Fuxensis, & Rogerius Bernardi filius eius, & Gerardus de Pepios, & multi de hominibus Comitis Tolosæ posuerunt se in insidiis, cum infinitis Rutariis, in quodam castro, quod appellatur Mons-gaudium, prope Podium Laurentij. Quò cùm peregrini deuenirent, illi insurrexerunt in eos: & quia inermes erant, & proditionis ignari, ex ipsis innumerabiles occiderunt; omnémque occisorum pecuniam Tolosam deportantes, ibi inter se diuiserunt. O beata occisorum agmina! ô pretiosa in conspectu Dei mors Sanctorum eius.* Hæc de crudeli perfidia Fuxensis Comitis. Verùm de horrendo, & immani sacrilegio Rogerij filij, audi, quod sequitur [b]: *Nec silendum est, quòd dum carnifices, milites occiderunt memoratos, Sacerdos quidam peregrinus confugit ad quandam Ecclesiam, quæ prope erat, vt pro Ecclesia moriens in Ecclesia moreretur. Traditor autem ille pessimus, Rogerius Bernardi, filius Comitis Fuxi, à patris sui non degenerans prauitate, Sacerdotem memoratum sequutus est. Ingrediens autem audacter Ecclesiam, ipsúmque aggrediens; qualis homo esset, inquisiuit. Cui ille: Peregrinus, inquit, sum Sacerdos. Ad quem carnifex: Ostende mihi, inquit, quòd sis Sacerdos. At ille, amoto capucio à capite, (erat enim cappa indutus) ostendit ei characterem clericalem. Crudelissimus autem ille loco sancto non deferens, vel personæ, elenata ascia acutissima, quam tenebat, Sacerdotémque per medium characterem validissimè percutiens, ministrum Ecclesiæ in Ecclesia interfecit.* Hactenus ibi, vt palam videas, patrem, quo nullus peior, à solo filio in malitia superari.

a cap. 59.

b ubi suprà.

His, & similibus flagitiis Hæreticorum, miracula de cælo, & remedia de terra, etiam vltra consuetum, opponebantur, manifestante veritatem fidei catholicæ, diuina omnipotentia; & nihil omittentibus Arnaldo, & Comite Monfortio, quibus vterque gladius commissus erat, quo possent perfidi ad fidem reuocari: eo quidem, quod ad miracula attinet, præter ea, quæ suprà dicta sunt, plura alia contigêre, memoria digna. Nam & hos ipsos milites, in quos Comes Fuxensis debacchatus est, occisos pro se fuisse, diuina manus confestim declarauit. Cùm paulò pòst in ipso Martyrij loco (nanque sic appellandum euentus docuit) expansis omnes, in modum Crucis, brachiis, & super eos columna nubis lucidæ, siue ignis coruscantis; inuenti sunt, quod idem, qui suprà, Author memoriæ prodit: columna, inquam, quæ de cælo descendens visa, & in cælum erecta; & corpora, quæ in modum Crucis expansa, causam, & gloriam mortis manifestarent. *Comes igitur noster*, ait Petrus [c], *monens castra cœpit tendere ad quoddam castrum, quod dicitur Mons-gaudij, vbi à Comite Fuxi, peregrini fuerant interfecti. Factum est autem, dum exercitus tenderet ad castrum illud, & dum adhuc aliquantulum longè esset, apparuit in loco illo, vbi occisi fuerant peregrini à Comite Fuxi, columna ignis, videntibus nostris, lucens, & descendens super corpora occisorum. Venientes autem nostri ad locum, viderunt omnes occisos iacere resupinos, brachiis in modum Crucis extensis. O res mira! istud audius miraculum ab ore Venerabilis Episcopi Tolosani Fulconis, qui præsens erat.* Hactenus Petrus.

3.

c cap. 53.

Narrat & Hugo Altisiodorensis illustre aliud miraculum, quod in vtriusque exercitus conspectu dicitur contigisse hoc ipso anno; cùm Termarum castrum, siue Terminorum, à nostris, post Mineruam captam, obsideretur. De castro ipso Vallsarnienſis Petrus hæc habet: *Erat autem castrum Termarum in territorio Narbonensi, distans quinque leucis à Carcassona. Castrum illud mira, & incredibilis erat fortitudinis; & quantum ad humanam æstimationem penitùs inexpugnabile videbatur: in altissimi siquidem montis supercilio situm erat, super rupem maximam viuam propriam, fundissimis, & inaccessibilibus abyssis in circuitu cingebatur, à quibus abyssis aqua fluebat castrum circuiens*

4.

praetatum.

prætorium. Hæc de loco Petrus. At de obsidione illius, atque miraculo, cuius exercitus vterque testis fuit, & Hugo Altisiodorensis hæc habet verba[d]: *Ad aliud deinde castrum obsidendum accedunt* (scilicet, Cruce signati,) *quod Terminos, non Termas vocant, accessu difficili, in rupe præeminenti superlectum; & quod vel petrariis, vel aliquibus vix posset machinis expugnari. Illic ergo multis diebus detenti sunt: signum verò, quod interim accidit, non debet sileri. Cùm enim ad implenda fossata intenderent; peregrinus quidam ramalia collo deferens in fossatum proiecit. Vnus de balistariis castri hoc intuens, interquet spiculum de balista, & peregrinum ferit, vbi signum Crucis ferebat in pectore: spiculum verò, eo quum saxum percutiens, longiùs resilu repercussum. Peregrinus præstupore concidit: sed consurgens, nullam in se conspicit, vel diruptionem vestis, vel corporis lesionem. Accurrunt, & miranter omnes, videntes incolumem, quem prostratum ad mortem existimabant. Fuit hoc signum eò certius, quò celebrius. Multa quidem, & alia signa talibus comigerunt, quæ tamen nos prætermimus, dum brevitati studemus.* Hactenus Hugo. His Deus signis, fideles confirmabat, admonebat Hæreticos: verùm illi in deterius semper ruentes, vnde confundi, conuertique debebant, indurabantur.

[d] *ad hunc annum.*

5. Ægrè humana remedia persuaderent, quos ostenta de cælo non reuocabant. Actum tamen in eos vtroque gladio: neque Monfortius Comes, Arnaldúsve, aut ille à materialibus, aut hic à spiritualibus armis destiterunt. Monfortius adeò felicibus auspiciis circa hoc tempus, vt metu magis, quàm armis bellum peragetet; breui expugnatis Termis, siue Terminis; atque vrbe ipsa Albiensi; & de reliquis totius prouinciæ oppidis, fugientibus hostibus, & vacua relinquentibus castra Christi militibus; ita qui ante annum destitutus à peregrinis vix vacuum nomen Ducis retenturus aduersùs Albigenses sperabatur, repentè inualuit; & fauente fortuna, seu verius annuente diuino Numine, vel solo nomine hostes debellabat. Idem qui suprà Petrus Author est[e]: *Omnia ferè castra Albiensis territorij, citra Tarnum fluuium, sub eodem ferè temporis spatio, à Comite Monfortio recepta esse.* Et extat Innocentij III. epistola ad Comitem scripta sequenti anno, in qua de captis vrbe, atque prouincia congratulatur, atque vtranque dominio eius confirmat verbis sequentibus[f]: *Cùm in manibus tuis, quas zelus Domini contra fidei aduersarios armauit, idem Dominus tradiderit ciuitatem Albiensem, nos super hoc in Domino gratulantes, ciuitatem ipsam cum omnibus pertinentiis suis, sicut est tibi à diuina Maiestate pro tutela pacis, & fidei defensione concessa, tibi, & hæredibus tuis in fide catholica, & deuotione Sedis apostolica permanentibus authoritate apostolica confirmamus, &c. Datum Laterani, IV. Kalend. Iulij, Pontificatus nostri anno XIII.* Hæc Innocentius ad Comitem Monfortium.

[e] *c cap. 42.*

[f] *Epist. 114.*

6. Arnaldus interim spirituali gladio non minùs potens, neque minùs intentus negotio fidei, extirpare hæreses, Hæreticos confundere, conuincere; pœnitentes Ecclesiæ reconciliare, relapsos punire, pertinaces damnare supplicio vltimo: demum peccata, antequàm peccatores, vbicunque potuisset, de medio tollere: sed, cùm non poterat, etiam peccatores, seuerus simul, & mitis, provt res exigebat, sollicitabat. Hoc per se ipsum cura infatigabili, hoc per subdelegatos, ex suis filiis, provt Innocentius insserat: sed nihilominùs etiam per extraneos; quippe non suam, sed Dei gloriam quærens, quicquid fidei vtilius, id sibi, & suis glorioſius arbitrabatur. Hinc cùm insignem pietate, & doctrina virum, Hispaniæ, & Orbis Decus, Sanctum Dominicum, potentem simul opere, & sermone, atque in his omnibus, quæ illi iniungebantur, strenuum adiutorem expertus esset, placuit eo, sicut vno de suis vti; & quam Abbatibus potestatem subdelegasset, extendere ad ipsum; vt vel sic operariis multiplicatis, atque animatis his, qui à primo mane venerant tanto coadiutore, copiosior in Ecclesiæ horrea messis, & cumulatior fructus colligeretur. Tum verò Sanctus accepta potestate solerter vsus; & quanuis serus, tempora anteuertens, & eos, qui præcesserunt, post se relinquens, nullum omninò boni Inquisitoris omisit munus, arguens, obsecrans, increpans, & pumens, ac salubriter medens, omnia iuxta exemplar, quod sibi ab Abbate Arnaldo, à quo munus accepit, monstratum fuit. Extant litteræ eiusdem Sancti Dominici ad omnes Christi fideles, de reconciliatione, & pœnitentia Hæretici cuiusdam, Pontij Rogerij dicti, quas à multis Doctoribus adductas, maximè ex Sacra Familia Dominicana, quia potestatem ab Arnaldo factam, simul & sacrosancti Tribunalis iam sub ipso incepti maiestatem, manifestè conuincunt, ad litteram transcribam pro more meo: sic autem habent[g]:

[g] *apud Ferdinandum del Castillo, lib. 1. c. 59.*

7. *Vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsentes litteræ peruenerint, Frater Dominicus, Oxomensis Canonicus, Prædicator minimus, Salutem in Christo.*

Authoritate Domini Abbatis Cistercienſis, apostolicæ Sedis Legati, qui hoc nobis iniunxit officium, reconciliauimus præsentium latorem, Pontium Rogerium, ab Hæreticorum secta (Deo largiente) conuersum: mandantes in virtute præstiti sacramenti, vt tribus Dominicis festiuis diebus ducatur à Sacerdote nudus in femoralibus ab ingressu villæ, vsque ad Ecclesiam, verberando. Iniungimus etiam ei, vt à carnibus, ouis, & caseo, seu omnibus, quæ sementinam trahunt carnis originem, abstineat omni tempore: excepta die Paschæ, die Pentecostes, & die Natalis Domini, in quibus ad abnegationem erroris pristini præcipimus, vt eis vescatur. Tres Quadragesimas in anno faciat, à piscibus abstineus. Tribus diebus in hebdomada semper à piscibus, & ab oleo, & vino abstineat, & ieiunet: nisi corporalis infirmitas, vel labores ætatis exegerint dispensationem. Religiosis vestibus induatur, tum in forma, tum etiam in colore. Quibus in directo vtriusque papillæ singulæ Cruces paruulæ sint assutæ. Quotidie, si opportunum fuerit, Missam audiat, & diebus festiuis ad Vesperas in Ecclesiam pergat. Alias Horas, tam nocturnas, quàm etiam diurnas, vbicunque fuerit, Deo reddat, scilicet, septies in die decies Pater noster. *dicat: media nocte vigesies. Castitatem obseruet, & manè apud Cererim villam charram istam Capellano suo per singulos menses ostendat. Capellano etiam præcipimus, vt de vita eius curam diligenter habeat. Hæc omnia diligenter obseruet, donec aliàs super his Dominus Legatus suam nobis exprimat voluntatem.* Hactenus litteræ expeditæ à Sancto, hoc, vt credimus, anno, aut præcedenti.

8. Porrò ex his Litteris, illud in primis constat, nihil omninò ab Arnaldo prætermissum, nihil potuisse in eo desiderari, siue zelum attendas, siue iudicium: illum, quo nullum reputabat exterum, quo sibi iniunctum munus salubriùs, atque exactiùs exequeretur: hoc, quo inter omnes, quos plurimos habebat, talem sibi elegit coadiutorem, per quem, quod semel institutum erat, ex grauibus initiis, ad grauiora compendia,

pendia, promoueretur. Obiter tamen etiam videre licet, quod in hunc locum efficaciùs confirmandum
h *ann. 1204. cap. 3. n. 11.* suprà remisimus [h], cœpisse sacrosanctæ Tribunal Inquisitionis, ante institutum Prædicatorum Ordinem, imò ante Sanctum eius Fundatorem notum Pontifici. Quippe Canonicus, adhuc Oxomensis, ad ipsum peruenturus post annos quinque, nempe, in ipso Concilio Lateranensi, eguit ei à Falcone commendari. Cœpisse autem, non informe, aut imperfectum, vt fermè aliæ res solent; sed formatissimum, nempe, sub vno Supremo Inquisitore, qui alios, vt nunc, creet, & assumat in partem sollicitudinis; iniungens salutares pœnitentias reconciliatis; eásque satis seueras, atque publicas, pro qualitate criminum; quin & imponens vestem Benedictam, seu saccum mauis dicere, quem hodiéque induere iubentur, qui ad fidem redeunt, (*San Benito*, nos dicimus,) duplici Cruce assuta: nisi quòd illa in pectore vtranque, ad vtranque mammillam; recèns vnam in pectore; sed secundam à tergo portare solet. Reliqua nihil hodie seruatum videas, quod non tunc etiam inceperit seruari. Portrò supremum tunc Inquisitorem Arnaldum fuisse, à quo Sanctus Dominicus creatus, vt ipsemet fatetur. Nec dubium alios Abbates Cistercienses, quibus additus ipse, aut subrogatus, multas alias sententias protulisse, huic ab eodem Sancto latæ similes: nisi quòd nostris seruandi minor cura: & si aliqua fuisset, tempore commendarum, sicut & alia multa, frustrata esset. Sed redeo ad intentum.

9. Hinc Sancto maior cum nostris familiaritas; & qui plures narrantur in eius Vita cum officio, promiscui etiam euentus, imò miracula, quæ passim inueniuntur apud Authores: *Venit aliquando*, ait Theodoricus de Apoldia, Dominicanus, in Vita San-
f *lib. 1. c. 9.* cti Patris [f], *cum Conuerso quodam Cisterciensis Ordinis, valdè religioso, ab Hæreticorum conflictu, ad Ecclesiam quandam vespertino tempore; eámque clausam inuenit. Orant igitur ad ostium: & mox clausis ianuis, miro modo se intra templum conspicium introductos. Gratias igitur agentes Deo, totam illam noctem in eius laudibus exegerunt.* Sic Theodoricus. Quin Vaticinium de Petri Aragonensis Regis infausta morte, ad alterius, siue forte eiusdem Conuersi Cistercienſis instantiam factum; nec nisi sub auspiciis Cistercienſis Episcopi Fulconis, atque in Ecclesia ab eo illi donata, Ordinem institutum, & plura alia in sequentibus dicemus. Vt mirum sit, egregium aliàs Authorem, Ferdinandum del Castillo, & quosdam alios, in re tam manifesta deceptos fuisse; & Sanctum Virum, ex consortio Patrum Præmonstratensium hausisse multa, (cùm magis ex consortio Cistercienſium debuisset dici,) in sua Historia memoriæ commendasse. Hausit fortasse à Præmonstratensibus nonnulla: sed velut à Canonicis; cùm Ordinem & ipse Canonicorum sibi ptiùs instituendum proposuisset. At ex consortio eorum vix quicquam potuit, qui solis fere Cistercienſibus adhæsit, ex quo ab Episcopo Oxomensi dimissus fuit. Sed de his iterum exactior sermo redibit.

10. Igitur nostris arctiùs associato Sancto Dominico, nouus ardor accreuit operi Dei. Sed horum prouidentiam, prædicationémque, ac Comitis Monfortij felicitatem fallebant Hæretici: & semper pertinaces, semper rebelles, non nisi rari, aut in dolo conuertebantur. Non mirum, delusisse linguas Prædicatorum, quantuncunque disertas, qui linguam Dei, id est, omnipotentiam loquentem per miracula, obtrati respuerent; & nullis signis crederent, nullis ab inolita perfidia miraculis, aut ostensis dimouerentur. Fuxensis Comes indurator in dies, effræniórque; Tolosanus, quod hactenus obtendisset, amouere velamen; & iam non clam, sed palam hostem Ecclesiæ, & Fidei profitebatur. *Eodem*
c *cap. 42.* *tempore*, ait Petrus Vallisarnensis [c], *venit Comes Tolosanus ad castrum quoddam prope Albiam, cum Comite nostro colloquium habiturus. Fuit Comes noster ad illud colloquium, & hostes parati erant rapere eum: Comes enim Tolosæ quosdam pessimos traditores, qui Comitem nostrum manifestissime impugnabant, adduxerat secum. Comes verò noster dixit Comiti Tolosano: Quid fecisti? Vos vocastis me ad colloquium; & vobiscum meos traditores adduxistis? Respondit Comes Tolosæ: Non adduxi. Cum hæc audisset Comes noster, voluit eos capere; Comes autem Tolosæ supplicauit ei, & noluit sustinere, quòd caperentur. Ab illo igitur die cœpit Comes Tolosæ inimicitias, quas aduersus Ecclesiam, & Comitem nostrum conceperat, aliquantulum clarius exercere.* Quippe quas hactenus fraudes occultauerat, vbi semel detectas deprehendit, permisit erumpere, quò pressiùs fluxerant, latiùs diffundendas.

11. Accessêrunt & Litteræ apostolicæ sub finem huius anni expeditæ, ad Legatorum, vt credendum est, instantiam; in quibus Innocentius vltimò monuit Hæreticos de terris suis pellere, iuxta ea, quæ sæpiùs promisisset; quod vnum iam exigebat Arnaldus Abbas: alias easdem terras subiiciendas Cruce signatis, quorum Hæretici armis debellarentur. Atque ecce exemplar earundem litterarum, sicut hodiéque extant in Vaticano [l]:

l *lib. 13.*

Nobili viro Comiti Tolosano:

Non decet tanti nominis virum super iustis promissionibus suis resistere, vel tepere; quin eas sic studiosius adimpleas, prout factas sibi promissiones desiderat adimpleri. Cùmque de terris tuis Hæreticos promiseris amouere, miramur non modicum, & dolemus, quòd ipsi adhuc in terris eisdem, sicut accepimus, tua faciente negligentia, commorantur. Quia verò præter animæ tuæ periculum, quod incurris, graue famæ tuæ dispendium pateris, nobilitatem tuam rogamus instantiùs, & hortamur per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus exterminare à terris eisdem Hæreticos, prout te coram nobis promisisse recolimus, non postponas. Alioquin exterminatoribus eorundem, terras ipsorum nouerit esse concessas, dominio, atque iudicio possidendas. Datum Laterani decimosexto Calendas Ianuarij, anno XIII. Hæ tandem Litteræ Comiti intimatæ, cùm fixum corde haberet non obedire, palam fecerunt deficere ab Ecclesia hominem indutarum. At quàm effrænis primùm in Fulconem Tolosanum Episcopum, dein in omnes Romanæ Ecclesiæ filios, quod conceperat virus euomuerit, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

1. *Ad*

1. *Ad Sanctium Lusitania Regem in Ecclesiam furentem*, 2. *Morerolensis Abbas cum Episcopo Zamorensi ab Innocentio missi.* 3. *Dictum de matrimonio Alphonsi filij*; 4. *& de Pelagio, qui Abbas Morerolæ.* 5. *Priuilegium ab Alphonso impetratum Carracetensibus.* 6. *Saluaterra à Calatrauensibus amissa.* 7. *Quid Rodericus de eius amissione.* 8. *Quid Lucas Tudensis.* 9. *Guido Morimundensis illuc aduenit.* 10. *Excessus quarundam Helguensium Abbatissarum.* 11. *Indicati Pontifici.* 12. *Et littera ad eorum emendationem.*

CAPVT V.

1. DVm hæc in Gallia Narbonensi felicibus nostrorum auspiciis peragerentur, in Lusitania Alphonsus Sanctij filius, nec multò pòst in Regno successurus, dum Vracam Alphonsi Castellani Regis filiam, cui in quarto consanguinitatis gradu coniunctus erat, vxorem ducit, Ecclesiam Lusitanam turbat, & diuidit: quippe quibusdam Regi blandientibus, & nuptias approbantibus: aliis è contra causantibus incestum, si sine apostolicæ Sedis licentia, (& erat iusta dispensandi causa,) contraherentur. Inter hos primus Portugallensis Præsul (hodie Portum ciuitatem eam vocamus,) aliàs Regi inuisus; sed cum quo iam interuentu Legatorum, super multis quæstitis composuisset. Hic siue vero zelo religionis, siue occasionem nactus, qua iniurias à Rege olim acceptas, sub pietatis typo vindicaret; neque vt nuptiis assisteret, neque vt Regi per vrbem transeunti occurreret cum Clero (quasi id esset supra Regiam Maiestatem) vllis suasionibus potuit persuaderi. Hinc ira Regis, & impatiens frœni maiestas, per fas, & nefas licitum facturа, quod semel libuit. Ergo *indignans* (Litterarum Innocentij III. verba transcribo) *pro eo, quod illicitis nati sui nuptiis interfuisse, ac eidem transeunti per ciuitatem processionem facere denegauit: post appellationem ad vos interpositam, domos Canonicorum eidem Episcopo assistentium fecit dirui, ac eis prebendas, & equitaturas auferri, feras portarum Ecclesiæ violari, excommunicatos in Ecclesiam intromitti, defunctorum interdicta corpora sepeliri; & eundem Episcopum, ac Decanum, aliósque tribulationis suæ consocios in episcopali domo quinque mensibus per portarium suum, & burgenses Portugallenses sic atrociter fecit custodiri, vt non solùm facultatem exeundi de ipsa, verùm etiam superueniente infirmitate ad confitendum, & adorandum, Sacerdotis, & Crucis copiam nequiuerit obtinere.* Hactenus retineri nescia ira, si aculeos sentit potentiæ, & maiestatis.

2. Tum Innocentius totius Ecclesiæ Pastor, & cui claues à Deo traditæ fuissent, selectos vitos Zamorensem Episcopum, atque Abbatem Morerolæ Legatos creat, quos ad Regem directos talibus censuit præceptis instruendos [b]: *Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus ipsum Regem ad restitutionem ablatorum, & satisfactionem iniuriarum, super his, & aliis, tam debitam, quàm plenariam, Episcopo, Decano & aliis eius sociis impendendam; necnon etiam obseruandam compositionem prædictam monere prudenter, & efficaciter inducere procuretis. Qui si forsan infra tempus, quod ei duxeritis præfigendum, id non curauerit adimplere, ex tunc eidem ingressum Ecclesiæ, ac vniuersa interdicatis ecclesiastica Sacramenta: prohibentes in locis, ad quæ ipse deuenerit, eo præsente, diuina Officia celebrari. Et si nec sic duritia sua poterit emolliri, per litteras vestras hoc nobis intimare curetis, vt si morbum, quod absit, contigerit aggrauari, ad curationem ipsius grauiori medicina, quemadmodum expedierit, insistamus.* Pergit ad alia in portarium, atque burgenses; & tandem locum, & tempus subsignat dicens: *Datum Laterani, tertio Idus Maij, Pontificatus nostri anno XIII.*

[b] *In eisdem Litteris.*

Hinc colligo quid de hoc matrimonio dicendum 3.
sit, quod & illicitum vocatur à Pontifice in his eisdem Litteris; & aliàs mansit ratum, firmúmque, etiamsi alia in eodem consanguinitatis gradu contracta inter Reges Hispaniæ dissoluerentur. Brandaonius [c], qui has litteras non vidit, haud dubiè putat, dispensatum ab Innocentio, antequàm per Alphonsum contraheretur. Verùm, si dispensatio præcessisset, neque Episcopus renueret assistere, nec Summus Pontifex renuentiam ipsam laudasset; neque denum in litteris vocasset nuptias illicitas. Crediderim in principio contractas sine dispensatione, quam postea obtinuerint, Othonis cum Philippi filia exemplo: difficilè neganda gratia vini, quæ alteri concessa: nec causarum, potentiæve momentis ponderandis ad vnguem, vbi nullus omninò sit, qui cedat, siue cui minùs deferendum foret, absque iniuria valeat manifestari. Quid, si fortassè, nullo reclamante, permanere permisit? Certè solutæ per idem tempus nuptiæ Mafaldæ cum Henrico Castellæ Principe, nec dispensatæ ab eodem Innocentio, etiamsi nullo maiori, aut arctiori gradu, se se contingerent, aliquem dubitandi locum relinquunt.

[c] *lib. 12. cap. 30.*

Hunc Morerolæ Abbatem coniector fuisse Pela- 4.
gium, eius nominis II. in ordine Abbatum Cistercienſium decimum, qui ab anno M. CC. V. plùs, minúsve, vsque ad M. CC. XV. præfuisse legitur. Vir prudens, & doctus, & cui alia multa, grauiáque negotia idemmet Innocentius commendauit. Extant ad eum & aliæ graues litteræ in causâ Canonicorum Portugallensium, qui Regi magis, quàm Deo deferentes, (qui mos est hominum,) vt idemmet Innocentius Papa scribit [d]: *Cùm sui Episcopi, vtpote boni patris, oppressionibus compati debuissent, non solùm filialis compassionis dicuntur ei subtraxisse solatium, quinimò tanto nocentiores, quanto peius familiaris solet ladere inimicus, sæuiendi aduersùs ipsum temeritate sua præbuisse videntur extraneis incentiuum; dum tam ipsi, quàm Ecclesia memoratæ portionarij, excommunicationi subiecti, diuina non erubuerunt Officia celebrare, contempto temerè interdicto primo, vel secundo per eundem Episcopum promulgato, super quo non relaxando ad Sedem fuerat apostolicam appellatum; & perinde nihilominùs vilipenso, quod idem Canonici dignoscuntur circa præsens negotium incurrisse.* Extant & aliæ in electione Cantoris Salmantini, vtræque hoc anno datæ; & plures alias infrà daturi sumus. Vt penè nihil in hac Hispaniæ parte per Innocentium factum, in quo industria Pelagij non sit vsus.

[d] *lib. 13. Regist.*

5. Hoc anno, vt Hiſpana proſequamur, quæ ſemel cepimus, Alphonſus, Legionenſis Rex, cedens Carracetenſibus, ſuæ pietatis inſigne præſetulit. Cùm enim propagandæ gentis ſtudio, quæ ſola Regum potentiam augere ſolet, quædam deſerta loca inhabitari, miſſis ad ea colonis conceſſiſſet, vnde quies Monachorum fortè, & redditus annui diminuebantur; non ſolùm reuocauit conceſſionem Monaſterio nociuam, ſed & reuocationem ſanciri primùm priuilegio expedito, & ſancitam ab ipſo, ab Innocentio poſteà confirmari ſollicitauit, impetrato diplomate, quod ex Regeſtis, vt cætera, tranſcriptum, deinde à Franciſco Boſchero publicatum, licèt annum variante, inſigne monumentum pietatis illius Principis, his Annalibus cenſui ſubiiciendum: ſic autem habet: *Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Alf. Rex Legionenſis illuſtris, ſuis litteris nobis intimauit, quòd cùm caſtrum de Ventoſa, ex parte in poſſeſſionibus Monaſterij veſtri ſitum, quod deſertum fuerat ab antiquo, ac in eodem populum congregare cœpiſſet; idem attendens, quòd caſtro populato predicto, tam vos, quàm etiam alia loca religioſa vicina, & villa nihilominus adiacentes ex eo paterentur non modicam laſionem, pœnitentia deſtitit ab incepto, vobis, & aliis locis religioſis, ac adiacentibus villis concedens, ne vnquam in poſterum populus ibidem collocetur, ſuper hoc vobis, & aliis fieri faciens publicum inſtrumentum: qui etiam nobis humiliter ſupplicauit, vt ad ſtabilitatem perpetuam, conceſſionem ipſam apoſtolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur pacl, & quieti Monaſterij veſtri prouidere volentes, ac deuotionem regiam commendantes, conceſſionem eandem ad perpetui roboris firmitatem apoſtolica authoritate confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus, &c. Datum Laterani, ſexto Kalendas Nouembris, anno duodecimo.* Hanc curam Reges habuêre Cœnobiorum per illud tempus, quæ vel non requiſiti procurabant, impetratis indultis contra ſe ipſos, ne in aliquo collegia Ieſu Chriſti, & ad ipſius obſequium deputata, vel per ſe, vel per ſuos defraudarentur.

6. His intendebant Luſitanus, & Legionenſis, cùm in caſtella Calatrauenſes milites vltima penè calamitas exercuit pulſos è Saluaterra, quæ ſedes Calatrauæ ſubrogata, amiſſæ quondam arcis deſiderium, multa prole ſuſcepta, ſimul & accendebat, & mitigabat. *Author cladis*, inquit Mariana [f], *Mahometes, Maurorum Rex, cui Viridi à pileo, quem geſtare ſolebat, cognomen fuit. Incola, pars trucidata, pars ad ſeruitutem abacta. Iunio menſe anno milleſimo ducenteſimo decimo oppidum obſeſſum, & Septembri captum eſt. Nam Alphonſum Caſtellæ Regem, qui cum delecta ſuorum manu auxilio accurrebat, & Elboram vſque peruenerat, Ferdinandus filius, rebus in Betica patratis, obuiam factus, ab itinere reuocauit, periculo indicato, & maioribus viribus opus eſſe diſputans barbaris impugnandis.* Hæc Mariana. Sed præſtat Rodericum Toletanum, qui tunc viuebat, nec ſine ipſo quidquam in toto Regno, de hac clade loquentem [g] hìc tranſcribere:

7. *Poſt vaſtationem aliquamdiu factam à noſtris in terra Beatia, Endugari, & Gienij, filius predicti Regis Agarenorum, Mahomat nomine, collecto gentium ſuarum exercitu, caſtrametatus eſt in circuitu Saluaterræ. Cúmque eam ferè tribus menſibus obſediſſet, diuerſiſque machinis impugnaſſet, multis de iis, qui erant in caſtro, occiſis, pleriſque vulneratis, turribus, & muro ferè diruti; de obſeſſis pluribus ſiti, & impugnationibus interemptis, ad vltimum, caſtrum occupauit eſt in opprobrium fidei Chriſtiana, Æra M. CC. XLVIII. menſe Septembri. Caſtrum illud, caſtrum ſalutis, & perditio eius ademptio gloriæ. Super ipſum fleuerunt populi, & ſoluerunt vincula brachiorum. Zelus illius excitabat omnes, & fama eius conſperſit plurimos. In auditu eius ſurrexerunt iuuenes, & in zelo illius æmulati ſunt ſenes. Doctor illius ad gentes exteras, & compaſſio eius ad amulantes. Eo tempore Aldefonſus nobilis exercitum ſuum congregauit circa confinia Talaueræ, & cùm vellet dubia ſorti belli ſe committere, præcipuè ad inſtantiam filij ſui primogeniti Fernandi, maturiori vtens conſilio, mandauit in ſequentem annum belli dubia prorogari. Vtilior eſt enim dilata opportunitas, quam audacia præceps temeritas.*

8. Mirum eſt, Rodericum Archiepiſcopum nullam feciſſe mentionem Calatrauenſium; cùm proculdubiò caſtrum Saluaterræ, ipſorum ſedes tunc; atque ipſi, non alij illud incolerent: ſed in re manifeſta abſtinuit verbis, & ſolis indulſit laudibus primùm, dein lamentationibus, quas ſola clades inclytæ militiæ promereretur. Clariùs in hac parte Tudenſis Lucas, cuius hæc verba: *Venit Rex Barbarus cum tanta Saracenorum multitudine, tantóque belli apparatu, quòd non poſſet explicari: & obſedit caſtrum, quod dicitur Saluaterra. Cúmque milites Ciſtercienſis Ordinis, Saracenis in ipſo caſtro fortiter reſtitiſſent, Mauri viriliter accedentes machinis fregerunt murum, multis ex illis occiſis. Cœpit Rex Miramamolinus ipſum caſtrum, & propter hyemem Hiſpalim eſt reuerſus.*

9. Vix inclyta militia profligata, diſperſáque, poſt Saluaterram expugnatam à Saracenis colligebat reliquias ſuſceptæ cladis, cùm bonus Paſtor Guido Morimundenſis (qui poſt frequentes illas Legationes, quibus ad Orthonem functus, benedictione accepta ab Innocentio ad proprias remeauerat), Pyrineos tranſcendens in Caſtellam aduenit, perditis rebus, quà poſſet, ſubuenturus. Ignorauit, aut tacuit hunc aduentum Rades Andradius [i], & quod mireris etiam Maranonius [k], qui bona fide ſcripſit, quæcunque nouit. Verùm non tacuit Innocentius III. Litteris ad eum datis, quas mox adducam. Eo Authore [l] congregati, qui remanſerunt, aſportatæ Reliquiæ, quas penè ſolas ex tota ſupellectili potuerunt extrahere: & ſedes ad Zoritæ arcem locatæ, diſtantes ab hoſtibus; ſiue, quia nullas haberent proximiores: ſiue vt perditis rebus inſtaurandis, aliquod, vel exiguum tempus daretur. Nec credo, ſine eius induſtria factum, Rege per omnia fauente ſanctis conatibus, vt multi Toletani ciues nobiles deſolatæ militiæ nomen darent. Quippe, vt loco occiſorum ſuccedentibus, primitiuo nitori, nec multò pòſt, & primitiuæ ſedi, hoſtibus ab ea excluſis, reſtitueretur. Sed de his ſuo loco erit dicendum.

10. Inter hæc nouus, atque eatenus non viſus fœminæus Principatus, Ciſtercij æmulus, quem Rex Alfonſus Caſtellæ, ad Huelgas prope Burgos fabricauerat, velut in oſtenſionem potentiæ regiæ, cùm multa ſuſcepiſſet, vltra conſuetum, Concilia Abbatiſſarum, viſitationes, atque id genus alia, quibus annuerant in Alfonſi gratiam Ciſtercij Patres, muliebri ambitu, atque æqui intolerantia tranſgreſſus metas, multò plura vſurpabat, quàm capax eſſet; adeò vt nihil prorſus Abbatibus liceret, ſiue ratione Abbatialis dignitatis, ſiue etiam (quod mireris) Sacerdotij, quod Abbatiſſæ non ſibi permiſſum, atque ex officio iniunctum arbitrarentur. Vnde & Moniales Nouitias benedicere, Euangelium exponere, publicè prædicare &, quod omnem excedit admirationem, confeſſiones ſubditarum audire non erubuerint. Id planè ſexus ad obediendum nato, ſi ſemel dominetur, id malorum ſubeſt; vt non exer-

[f] cap. 23.
[g] lib. 8. c. 38.
[i] in Chron. Calatr. c. 5.
[k] in Notis ad defin. Ordinis.
[l] Rades ſup.

ceat dominium, sed effundat, dum nescit terminos ponere potentiæ, cui se magis permittit, quàm moderetur. Præcipitat plerunque imperium viros, etsi natos præesse, quidni & feminas?

11. Qualiter hæc à Monachis permissa, non satis constat: nisi quòd Superiore longè distante, atque aliis intento (nempe, Arnaldo) cæteri, aut ignorabant, aut omittebant. Credibile, incepta fouente Rege, qui tunc se demum dignum fundationem, Holguense Monasterium arbitraretur, si nullis iuris legibus subesset, nullis naturæ; si omnia in eo haberentur sine exemplo. Monachos porrò resistere non ausos potentiæ regiæ, scripsisse Pontifici, per quem intolerabiles abusus, æqua libra perpensi, compescerentur. Hinc factum fuisse, vt qui aliorum causas Cisterciensibus passim, Cistercientium alienis nunquam committeret: hanc, sed suppresso in ea Cistercij nomine, Episcopis Burgensi, & Palentino: sed ne sine Cistercio pertractaretur, Guidoni etiam Abbati delegauerit, qui tunc in Regno Castellæ demorabatur. Extant Litteræ, sub finem huius anni ad eosdem scriptæ, quarum expresso, & irrefragabili testimonio, & excessus Monialium, & Guidonis aduentus in Hispaniam incidens in hunc annum palam fiunt. Atque ecce Litteras transcriptas ex Regesto [m], quas Franciscus Boschetus etiam adducit [n]:

In epist. Innoc. lib. 11. n epist. 187. lib. 1.

Palentino, & Burgensi Episcopis, & Abbati Morimundensi Cistercienſis Ordinis.

Noua quædam nuper, de quibus miramur non modicum, nostris sunt auribus intimata; quòd Abbatissa, videlicet, in Burgensi, & Palentina Diœcesibus constituta, Moniales proprias benedicunt, ipsarúmque Confessiones criminalium audiunt, & legentes Euangelium præsumunt publicè prædicare. Cùm igitur id absonum sit penitùs, & absurdum, nec à nobis aliquatenus sustinendum, Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, ne id deinceps fiat, authoritate nostra apostolica firmiter inhibere. Quia, licèt beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis vniuersis; non tamen illi, sed istis Dominus claues Regni cœlestis commisit. Datum Laterani, tertio Idus Decembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo. Hactenus Innocentij Papæ Litteræ, quas video etiam insertas corpori iuris in capite, *Noua quadam*, de pœnitentiis, & remissionibus.

---

1. *Cellensis Abbatis, Viri aliàs religiosi, indigna cædes:* 2. *super qua Pictauiensis Episcopus Innocentium censuit consulendum.* 3. *Pontifex causam Abbati Gratiæ Dei, & duobus Pontificibus commisit.* 7. *Corpus delictis constans, & aggressores.* 5. *Varia super Canonicis puniendis sententia.* 6. *Sententia Episcopi: & remissio ad Innocentium.* 7. *Quid de illis, qui sicarios conduxerunt.* 8. *Et quid de aliis.* 9. *Dictum obiter de Cellensi Monasterio.* 10. *& de aliis hoc anno nostris iniunctis.*

CAPVT VI.

1. MACVLAVIT hunc annum atrox facinus in Pictauiensi Diœcesi, occiso Abbate Cellensis Monasterij per assassinos conductos a Canonicis, insigni scandalo totius Christiani Orbis. Quadraginta vulneribus confossus interiit Antistes Venerabilis, & cuius id vnum crimen constare potest, quod subditorum flagitiis non acquieuit. Parricidij authores detecti statim, prodentibus indiciis, quæ delicta, & præcedunt, & consequuntur, Quin assassini in carcerem coniecti, fassique: minori animo ad silendum proprium flagitium, quàm ad patrandum fuissent: in ea tantùm parte non iniusti, quòd non sibi, quàm cæteris mitiores: atque ea facilitate se ipsos produnt, qua alios trucidant, iusto Dei iudicio puniendi, vel in hac vitâ. Et de sicariis credendum iudicatum secundùm leges: at de Canonicis, flagitij tanti authoribus, maior, & difficilior quæstio fuit: diuisis penè per capita sententiis, & quibusdam in ipsos tantùm agendum, qui consci crimini; aliis etiam in omnes debacchandùm exemplari supplicio, quod vel insontes ex consortio sontium, aut maculatos, aut saltem infelices de medio tolleret: & iuxta euangelicam Parabolam, malis male perditis, Cellensem vineam locaret aliis agricolis. Placuit Pictauiensi Episcopo hæc pars: siue, quia senetior, atque ob hanc causam vilior, tempore perdito: siue, quia omnes sontes, nocentésque saltem in aliis multis comperisset. Nec aliter putauit eradicanda vitia, quæ semel irrepsissent, velut communia. Quippe quæ singuli peccant, facilè corrigunt, dum ab aliis aut timent, aut pudefiunt. Quæ omnes, approbante ipso exemplo, mouentéque, faciliùs extenduntur, quàm retrocedunt.

2. Ergo post varias, & longas consultationes, hæc Præsulis Pictauiensis sententia fuit: quam tamen non putauit exequendam inconsulto Innocentio, siue, vt quò altiùs descenderet consilium, eò secretiùs esset: siue vt quodcunque foret exequendum, maiori fulciretur authoritate. Quare ad eundem directis nuncijs, & litteris, quibus de cunctis, prout res exposcebat, instrueretur; & aliorum, & suam sententiam prompsit: rem tamen integram Pontifici remisit, expediendam ab eo, ac decidendam, vt rei Christianæ putaret conuenire. Tum Innocentius, ne vel hoc in Ecclesia sine Cistercio, Abbati Gratiæ Dei causam committit, qui si mul cum Archiepiscopo Turonensi, & Episcopo Engolismensi accedentes ad locum, de cunctis inquirerent, & patricidas degradatos ab Ordinibus, aut carceri perpetuo mancipatos, aut Curiæ traderent puniendos sæculari, in reliquos sæuè etiam procederent, quanuis cum aliqua propositæ sententiæ per Episcopum Pictauiensem mitigatione. Extant, leguntúrque in Vaticano litteræ huius delegationis, & vulgatæ à Boschéto, quas penè historiam, & euentum totum pandentes non pigebit ad litteram transcribere [a]:

a epist. Innoc. lib. 3.

3. *Turonensi Archiepiscopo, & Episcopo Engolismensi, & Abbati Gratiæ Dei Cistercienſis Ordinis.*

Detestabile facinus, & præcipuum flagitium, quod à quibusdam filiis Belial nonnullis Canonicorum Cellensis Ecclesiæ instigantibus, sicut nobis Venerabilis Frater noster Pictauiensis Episcopus intimauit, nuper extitit in Cellensi Ecclesia perpetratum, maximam non immeritò menti nostræ amaritudinis causam ingessit; vt dum indigna soboles in proprij parentis necem exarsit; & perditionis filij, sui patris interitum, inofficioso non sunt veriti malignitatis studio machinari. Quam si nimirum tam crudelis horror, & horribilis crudelitas audita non moueat, dum Pastori ab ouibus, Magistro a Discipulis, & Patri à Filiis, mortis dispendia

dispendia procurantur? In hac, nimirum, parricidij horrendi associata naturalis affectionis iura detrahitur, & vituperatur ministerium clericale, & regularis reuerentia puritas dissipatur.

4. *Sicut enim tenor litterarum eiusdem Episcopi nos edocuit, sibi, & Capitulo Pictauiensi, & multis Abbatibus, & aliis Iurisperitis est relatum, quòd Ioanne Capellano, A. Eleemosynario, G. de Lobea, & G. de Sancto Leodegario, Canonicis Cellensibus procurantibus, à quatuor sicariis, qui ab illis ob hoc sexaginta libras acceperant; Abbas Cellensis, vir prouidus, & honestus, dùm ad matutinas accederet, nequiter extitit interfectus, quadraginta plagis, & amplius inflictis eidē.*

5. *Cùm autem hæc vera esse non solùm per bonos Viros, & Sacerdotes; verùm etiam per eosdem sicarios, qui dum in carcere Principis tenerentur, coram nunciis suis, & aliis multis publicè ea confessi fuerant, præfatum Episcopus didicisset, ac deliberasset cum Viris prudentibus, & discretis, qualiter esset in hoc negotio procedendum: diuersa reperit consilia diuersorum; nonnullis asserentibus, huiusmodi peruersitatis actores non per sæculare brachium; sed per ecclesiasticum Iudicem puniendis; aliis affirmantibus, ipsos propter enormitatem criminis relinquendos Iudici sæculari, vt vltore materiali gladio pœnam exciperent sibi dignam; alios quoque Canonicos illius malignitatis ignaros asseuerabant aliqui in detestationem criminis de ipsa Ecclesia depellendos, vt secundùm euangelicam veritatem malis malè perditis vinea Domini Sabbaoth bonis agricolis locaretur, maximè cùm pancis quoque peccantibus, ira Dei desæuisse legatur in multos. Quidam verò dicebant, quòd culpa suos tenere debebat Auctores, ne vltrà progrederetur pœna, quàm inuenitur, delictum; cùm nullius temeritas maculet innocentem.*

6. *Licèt autem in tanta varietate consilij cœperit tam dictus Episcopus fluctuare; credens tamen exemplo perniciosum existere, si omitteretur tantum facinus impunitum; & quòd Canonici supradicti longè antè incorrigibiles, & rebelles, & excommunicationis iterata sæpius contemptores: quòd præsens fornicatores, adulteri, negotiatores, & vsurarij manifesti; tandem consilium hoc prouidit, vt vniuersis Canonicis ab Ecclesia memorata depulsis, loco eorum Sancti Victoris Parisienses Canonici subrogarentur: hoc ipsum in suspenso tenendo, donec super eo nostra reciperet beneplacitum voluntatis.*

7. *Volentes igitur, vt in tanti criminis pœna discant alij à consimili culpa cessare, communicato Fratrum nostrorum consilio, quæ sentium vobis authoritate præcipiendo mandamus, quatenus illos, quos vobis constiterit huius fuisse iniquitatis actores, ab omni Ordine clericali degradetis; eosdémque, si grauis scandalum non timeatur, apud aliqua Monasteria singillatim arctis carceribus concludatis, in quibus pane tribulationis, & aqua doloris ad agendam perpetuam pœnitentiā sustententur. Si verò graue scandalum formidetur, quòd minimè conquiescam; postquàm reus sanguinis, vestris etiam curauerit is intercessionibus defensare, vos eosdem publicè degradatos, & ad pœnitentiam studiosè commentos relinquatis Curiæ sæculari, iuxta constitutiones legitimas puniendos.*

8. *Quòd si alij Canonici huius criminis infij, incorrigibiles hactenus extiterint, de quibus in suis fecit memoratus Episcopus Literis mentionem, volumus, & mandamus, vt per ordinem Sancti Victoris Cellensis Ecclesia reformetur. Quòd si aliqui ex prædictis Canonicis resipere voluerint, & seruare, vos eosdem ibidem remanere sinatis: alioqui ad alia ora Monasteria trāsmittatis eosdem. Contradictores, si quos inueneritis, vel rebelles per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo. Datum Laterani, decimoquarto Kalend. Octobr. Pontific. nostri anno terciodecimo.* Hactenus Innocentius ad tres Iudices, quibus parricidarum, & totius Conuentus Cellensis causam delegabat.

9. Non est necesse, Lectorem meum monere, Cellense hoc Monasterium longè diuersum ab eo, cuius Petrus Cellensis Abbas, & in quo Sanctus Pater Robertus Monachus fuit. Quippe illud Monachorum nigrorū, hoc Canonicorū regularium; illud in Campania, hoc in Aquitania, & Pictauiensi Diœcesi situm. Cæterùm, cùm in eadē Pictauiensi Diœcesi duo Cœnobia inueniātur Canonicorum regularium S. Augustini, vt habemus perspicuum ex libris Cametæ; alterum, quod appellatur Cellæ prope Trecas, cui mille florenorum taxa præfigitur; alterum, quod S. Mariæ de Cella eiusdem Ordinis quingentis taxatū; in quo illlorum parricidium patratum sit, non ausim definire, sicut neque quid factum sit de Canonicis, an mancipati carceri perpetuo, an traditi iudicio sæculari: & reliqua, quæ exinde sequuta fuēre.

10. Quædam alia præterea nostris iniuncta exequenda hoc anno, quæ longum esset ad vnguē recensere[b]. Abbatibus Caroli Loci, & Bonæ Vallis, itémque de Claro Matisco, & de Longo Villari, reformāda Cœnobia: quædā Canonicorū regulariū, quædam Monachorū nigrorum, de quorum altero insigni Monasterio, nempe, S. Iudoci super mare, nonnihil infrà a nobis dicendū erit. Iniunctum etiā Abbati de Sichē, ad petitionem Marchionis Magdeburgensis, vt erigeret Ecclesiā collegiatā, in ea parte prouinciæ, quā recens expugnasset ab infidelibus; assignata portione sua Canonicis, assignata & fabricæ; necnon militibus, qui terræ defendendæ deputarentur. Abbati de Cicador in Vngaria pro Episcopo Quinqueclesiensi, eleemosynæ, & Bonæ Vallis in Gallia pro dimouenda Abbatissa S. Auiti; de Magio in Hibernia, pro electo Limericensi potestas data. Atque hæc, & similia in diuersis partibus Orbis exequuta per nostros; neque vlla ferè prouincia Christum nouerat, in qua non Cistercienses alicui vsui in Ecclesiæ obsequium deputarentur.

---

1. *Helinandus Frigidi Montis Monachus sanctus & doctus,* 2. *ex quo multa Vincentius Bellouacensis.* 3. *Qualis in sæculo.* 4 *Et quid ipse de seipso.* 5. *Correctus Seguinus.* 6. *Qualis in Religione.* 7. *Et quanta, vel post mortem, æstimationis.* 8. *Ratio temporis:* 9. *& de Ioanne Fordensi dictum,* 10. *insigni Viro, & Ioanni Anglo à sacris Confessionibus.* 11. *Adnotatus Radulfus Kalisianus.* 12. *Tileti Abbas Visitator per Lombardiam, Nouariensis Episcopus eligitur.*

CAPVT VII.

1. NACTVS nobis hoc anno memoria celebris Beati Viri Helinandi, Monachi æquè docti, ac religiosi, quem non eadem, quæ Petrum, & Radulfum, vt falsò Henriquez[a] putat, sed longè alia, & diuersa protulit Domus. Quippe illos Fons Frigidus produxit, Filia Grandis Syluæ, de linea Clarævallis: quam Domum in Narbonensi Diœcesi sitam superiùs diximus. Helinandum Mons Frigidus

a *in Menologio.*

Frigidus de linea Morimundi in Beiluacensi, quam multi inter Bellævallis filias ponunt. Ergo Helinandus per hoc tempus florens, hoc item nobis venit memorandus; quò & à Vincentio Belluacensi [c], Guillelmo de Nagia [d], atque aliis commemoratur. De eo hæc habet Vincentius circa hunc annum [e]: *His temporibus in territorio Belluacensi fuit Helinandus, Monachus Frigidi montis, vir religiosus, & facundus diserens, qui & illos versus de morte in vulgari nostro, qui publicè leguntur, tam elegantèr, & utiliter, vt luce clarius pateat, composuit; & etiam Chronicon diligenter ab initio mundi, vsque ad tempus suum in maximo quodam Volumine digessit.* Et infrà: *Scripsit enim, vt legitur, epistolam, cuius titulus est*, de reparatione lapsi, *missam, scilicet, ad Galterum Clericum, qui fuerat Nouirius in Ordine Cisterciensi, & Canonicus in Ordine Præmonstratensi, & tandem quasi liberum sæculo vota existimans, eò quòd minimè fuisset professus, rediens ad sæcularem vitam, duxit vxorem, nomine Rixendam. Super quibus rogatus Helinandus à Guillelmo, scilicet, fratre eiusdem Galteri socio, & conclaustrali ipsius Helinandi, scripsit epistolam ad eundem Galterum sub eiusdem Guillelmi persona, ita vt ipsius esse videatur. Scripsit etiam idem Helinandus sermones aliquos peroptimos.* Ita Vincentius de scriptis Helinandi.

c *lib. 29 cap. 108.*
d *in Chron.*

2. Cardinalis Robertus Bellarminus in suo illo libello, verè aureo, de Scriptoribus ecclesiasticis, quæ scripsêre Vincentius, & Anthoninus concernentia historiam, pleraque ex Chronico Helinandi mutuata tradit: sic enim habet [e]: *Helinandus Monachus Gallus scripsit historiam ab Orbe condito, vsque ad annum Christi M. CC. XII. libris quadraginta octo: quem Authorem præcipuè secuti sunt Vincentius Bellouacensis, & Sanctus Antoninus in sua Historia scribenda. Scripsit etiam sermones, & epistolas, & alia, quæ vtrum excusa sint, ignoro.* Sic Bellarminus. Neque abnuit Vincentius: quin potiùs se ex eo multa excerpsisse, quamuis iam tunc non extaret integrum Opus, quibusdam quaternionibus amissis, & qua occasione id factum, memoriæ prodit [f]: *Hoc quidem Opus*, ait, *dissipatum est, & dispersum, vt nusquam totum reperiatur. Ferur enim, quòd idem Helinandus cuidam familiari suo, scilicet, bonæ memoriæ Domino Garino, Sylvanectensi Episcopo, quosdam eiusdem Operis quaternos accommodauerit, sicque, siue per oblivionem, siue per negligentiam, siue alia causa penitùs amiserit. De hoc tamen Opere, prout inuenire potui, in hoc quoque nostro Opere multa per diuersa loca inserui.* Ita Vincentius, nihil aliunde mutuans, quod non in Dominum proprium referri velit.

e *ad annum 1203.*
f *vbi suprà.*

3. Fuit Helinandus haud dubiè genere nobilis, ingenio acer, & promptus, facie venustus, corpore elegans, & cunctis bonis naturæ, fortunæque adeò instructus, vt nullus illo in ista Gallia prior, & vix æqualis, dum in sæculo vixit, agnosceretur. Comparasset glorioſum sibi nomen, si non lubricitate morum, & inconstantia, magnum magis, quàm bonum promeruisset. Hinc leuitati data eius conuersio, & vix quinquennio in Ordine exacto, iam tandem permansurus credebatur. Referam eius verba de se ipso, dum sub Guillelmi nomine ad Galterum scribens [g], probare nititur nulli quantumuis delicato, aut fragili Cistercien sem Ordinem intolerandum esse, si modò non resistat diuinæ gratiæ, cuius est dare, vt possimus perseuerare.

g *lib. 29. cap. 37. apud Vincent. Bel.*

4. *Vt de me taceam, quantos possum tibi ostendere, qui de vita delicatissima ad hunc Ordinem, quem appellas durissimum, & difficillimum, se transtulerunt; nec tamen adhuc ab eo resilierunt, quamuis & ætate iuniores sint, & natura teneriores viribus? Et vt de tot millibus vnum excipiam, vnum tibi excipio, qui certè solus ad omnium sufficit exemplum. Ipse quidem spectaculum factus est Angelis, & hominibus leuitatis miraculi, qui prius eis spectaculum iucundæ miraculo leuitatis: dum non scena, non circus, non theatrum, non amphitheatrum, non amphicircus, non forum, non platea, non gymnasium, non arena sine eo resonabat. Nosti Helinandum, si quis non nouit hominem, si tamen hominem. Neque enim tam natus erat homo ad laborem, quam auis ad volandum, circumiens terram, & perambulans eam, quærens, quem deuoraret, aut adulando, aut obiurgando. Ecce in Claustro clausus est, cui totus mundus solebat esse non solùm quasi Claustrum, sed etiam quasi carcer. Quomodo ergò non potes, quod ipse potest? Cuius mutatio dextera Excelsi, quantum stupuerem intulit sæculo, pudoremque Diabolo, tantum ipsi Domino contulit honorem. Neque etenim ipse tam leuis fuerat, quàm ipsa leuitas, vnde & tanta leuitas tam leuiter mutata; quod plus vtique nihil aliud putatur, quàm leuitas. Hinc est, quod iam quinquennis eius conuersatio vix facit alicui fidem de futuro; nimirum, quantum in se ipso experimentum dedit inconstantiæ, tantum perseueraturæ constantiæ nunc debilitat argumentum. Erubesce igitur, miserrime, te saltem non sequi istum præcedentem, iuniorem, infirmiorem, debiliorem, delicatiorem. Quis enim attendens, vnde iste ceciderit, surgere non possit?* Hæc de se ipso Helinandus quinquennis Monachus in persona Guillelmi, exquibus facilè appareat, qualis ante susceptum habitum fuerit.

5. Philippus Seguinus [h] Helinandum Histrionem, & Magum facit, dictitans id placuisse multis Authoribus, quos tamen neque produxit, neque ego vidi: *Hic*, ait, *in iuuentute sua artibus sæculi omninò deseruiens, & animam suam diuersis vitiorum generibus turpiter maculans, Histrio, & magicas artes (vt multis placet Authoribus) didicit.* Hactenus ille. Motus, vt credo, Helinandi eiusdem verbis, dum se in theatris, amphitheatris, circis, plateisque nostrum affirmat: sed melioribus artibus, vt credo. Nec, qui ageret Histrionem, (quis id credat?) sed qui Histrionibus recitanda, aut cantanda carmina daret. Sanè Franc. Amboësius, Christianissimi Regis in sacratiori Consistorio Consiliarius, in ea, quam pro Petr. Abaylardo, Operibus eius præfixit, Apologia, cùm casu in Helinandum incidisset, Picardum Belgam, Poëtam Gallicum sui temporis subtilissimum; at non Histrionem appellat, nec qui per magicas illusiones; sed per animi dotes, corporisque, multorum sibi gratiam conciliauerit. Lubricus vitâ, vt alij sæculares, quò maioribus à Deo donati bonis, eò illi ingratiores, & iniquiores. Ergo cum his Helinandus; quandiu in sæculo.

h *lib. 3. de Viris illust.*

6. At, postquàm leuitatem perseuerantiæ, deliciasque perdomuit rigore vitæ, & quæ in Deum, ipsius dona conuerterat, saniori consilio, obsequio eius addixit, ingenti è contra polluit authoritate, seuero zelo, & vita adeò inculpabili, vt non solùm eundem inferiores, æqualesve, (quod multis aliis contingit; sed etiam superiores reuererentur. Meminit ipse cuiusdam sui Sermonis in Capitulo habiti; cùm Domus ab Abbate Claræuallis, siue de illius mandato visitaretur, cuius graue, & seuerum initium est [i]: *Legitur in lib. Iob, cap. 5.* Visitans speciem tuam non peccabis. Sermo opportunus est optimus. *Quid est sermo opportunus? Sermo opportunus est temporis, & loco accommodatus, & personæ, iuxta illud Sap.* Nihil tam cognitum sapientiæ quàm locis, & temporibus sermones aptare. *Tempus, de quo loquimur, tempus*

i *lib. 29. c. 10. apud Vincentium.*

tempus visitationis est. Locus, in quo congregamur, ad hoc institutus est. Persona, ad quas loquimur, Visitatores sumus, & visitandi. O tu, quisquis es, Visitator aliorum, si temetipsum priùs visitaueris, postea visitando proximum non peccabis: nam in te ipso poteris legere, quomodo aliorum debeas errata iudicare. Et reuerà quid inftius, quid conuenientius, quàm vt spirituales Medici, qui spiritualiter infirmantes visitant, priùs se ipsos visitare studeant, & de statu suo interiore diligenter discretionis interrogent, venásque pulsatiles affectionum pulsent; ne fortè contingat illis nondum visitatis, & iam visitantibus, id est, nondum correctis, & iam alios corripientibus; audire hoc proverbium ab infirmis submurmurantibus: Medice, cura te ipsum. Talia decebant virum doctum, & sanctum, ignorantem blandiri, & à quo vel Doctores edocerentur.

7. Cæterùm, quantæ apud viros eruditos, & magnos æstimationis fuerit, illud mihi argumentum persuadet, quod ex eius Operibus Vincentius, non secùs ac ex Operibus Bernardi, flores excerpsit, vno &quadraginta capitibus contentos, qui ferè totum illi librum implent: & tandem concludit: *Explicium flores Helinandi Monachi, Viri boni, religiosi, honesti, & sancti, vita pracipui.* Ita Vincentius, cùm multa, & grauia transcripsisset ex Helinando. Cæterùm sanctitatis Viri, vltra Vincentium, alij etiam Authores fidem faciunt. Ioannes Abbas, & Missale antiquum Ordinis, ex quibus etiam Henriquez in Menologio [1]. Tritemius eum inter Ecclesiæ Doctores sui sæculi agnitum, & veneratum ab omnibus affirmat: tacita tamen Familia Cistercienſi, quod illi in multis aliis familiare, in Helinando obseruauit semel, & iterùm; nempe, & in libro de Viris illustribus Ordinis Sancti Patris; & in tractatu de Scriptoribus ecclesiasticis, in quibus eadem ferè verba inculcat.

[1] Februar. 3.

8. Quo tandem anno obierit Helinandus, in dubio est: & quidem si produxit suam Historiam ad annum M. CC. XII. constat vt minimum ad eum vsque vixisse; quamuis non desint alij, qui eius Chronicon hoc anno decimo adstruant terminari. Certè Guillelmus de Nangia ita in suo: *Helmandus, siue Helinandus, Monachus Frigidi Montis in Bellouacensi territorio, præter alios libros compositit Chronologiam ab Orbe condito ad annum Christi M. CC. X.* Ita ille: ex quo video & alios desumpsisse. Vtcunque fuerit, non multò pòst obiisse, omnes conueniunt. Ex tempore Guarini Syluanectensis potuit vlteriùs vitam produxisse. Quippe ille viuebat, & sedebat anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto, Philippi cognomento Augusti Cancellarius, atque eius Testamenti executor, vt habent Tabulæ Ecclesiæ Syluanectensis.

9. Helinando subiungo virum magnum, Ioannem Fordonem, Fordensem aliàs dictum, à Monasterio Fordæ, cui Abbas præfuit. Hic Balduini Cantuariensis quondam discipulus, & vsque ad mortem etiam æmulator, Cistercij iugum à pueritia amplexus est, nec minùs ideò litterarum studio vacans, eò doctrinæ, pietatisque peruenit, vt suo Monasterio Fordensi primùm mox etiam Regiæ conscientiæ præfectus sit, Anglorum Regi à sacris Confessionibus: quod munus exercuisse probatur per longum tempus. Maluissem certè alterius, quam Ioannis, quo nullus deterior: sed ne deterrimus penitùs euaderet, forsan Fordo effecit: quippe quem, vt Herodes olim Ioannem, timebat, reuerebatúrque; & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Potuisset Fordo ferreum illud sæculum commutasse in aureum, si non regia libido fræni impatiens, præceptorum catenas confregisset; & facilem ad quæcunque flagitia animum impetus ipse potentiæ præcipitasset. Interim tamen, vt quæ semina in eo defraudabantur, in aliis saltem, vt par erat, fructificarent; multa scripsisse dicitur, quæ fama Authoris sparsa per Orbem, atque altiùs impressa legentium mentibus, regiam sterilitatem consolabantur. De eo plures ex Anglis Scriptoribus: sed Pitseus præ aliis, quia post omnes. Eu eius verba:

Ioannes Fordon, vel de Fordebar, seu de Forda, patione Anglus, reformationis Cisterciensis Monachus, & in Denonicnsi Prouincia Cœnobij Fordensis Abbas, Vir suo tempore in omnibus, tum sacris, tum profanis scientiis apprimè doctus. Dicitur hic Balduini Cantuariensis Archiepiscopi vestigia diligenter sequutus, eiusque imitatus in pietate denique, & litterarij perfectionem consequutus fuisse. Ab ipsa adolescentia præclarum ostendit indolem, & simul scientias hausit, & Christi iugum portare maturè incepit. Pari etiam ratione, cùm iam senior factus esset, & aliorum curam suscepisset, cupiebat suorum esse gregis, omnésque sibi commissos sui similes effere studebat. Ob eminentem virtutum perfectionem, & rarum doctrinam Ioannes Rex eum sibi assumpsit, vt ea, quæ ad Deum sunt, esset ab intimis, hoc est, a Confessionum secretis. Ioannes Lelandus eius in studijs diligentiam plurimùm laudat, simulque dolenter conqueritur, ex eius scriptis doctissimis non pauca periisse. Sequutus Gilbertum de Hoilandia, vt ipse Gilbertus D. Bernardum, scripsit in Cantica, ab eo loco incipiens, vbi Gilbertus desierat: Dilectum meum candidus.

10.

Homilias centum, & viginti, librum vnum: Si quis me temeritatis. & insolentiæ.

Introductorium Tirronum, librum vnum: Benedictionem hæreditate possidens.

In ipsos Ieremiæ Threnos, librum vnum: Quomodo sedet sola ciuitas plena.

Expositiones in Ieremiam, librum vnum.

Lectiones ordinarias, librum vnum.

De triplici Cruce, librum vnum: Vetus homo noster simul crucifixus.

Sermonum duodecim librum vnum.

Vitam Sancti Wolfrici Presbyteri librum vnum: Reuerendo Patri, ac Domino Bartholomæo.

De contemptoribus mundi, librum vnum.

Acta Ioannis Regis, librum vnum.

Scoti Chronicon, librum vnum: Debitor sum, fateor. *M. S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.*

Opuscularum librum vnum.

Claruit anno Christi 1210. *dum Anglici Regni clauum tenuit Ioannes.*

11. Seguinus claruisse etiam tradit, circa hunc annum, Radulphum Calisianum, qui Vitam, Actáque Sancti Guillelmi, ex diuersis collecta compilauit. Hæc eius verba: *Radulphus Calisiensis Cœnobij Monachus, D. Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi, eiusdem Monasterij quondam Abbatis septimi, auditor, & scriba, vir vita, & doctrina valde spectabilis, edidit de gestis prafati D. Guillelmi Opus insigne, quod ex multis Authoribus collegit, & in vnum Volumen comparauit. Extat Calisij in membranis scriptum. Claruit anno Domini M. C. X. ex Archiuijs Calisij.* Hæc ille. Et certè si scripsit circa hunc annum, non potuit præhabuisse multos Authores, ex quibus sumeret defuncto ante annum Sancto, quæ de Actis ipsius dicenda forent, ni fortè multos Deus statim mouit ad Vitam Sancti Patris conscribendam.

12. Hoc ipso anno, qui Tiboro præerat, (Italiæ Dominui, Siliæ Firmitatis, vt coniectari licet, migrauit Vitus, vnà cum Episcopo Ypponensi (si qua fides a-

toga... plus

tographis) visitasse Ecclesias per Lombardiam, indéque in Episcopum Nouariensem promotum fuisse, habemus ex epistola Innocentij Papæ ad eundem scripta per hoc tempus, quæ in vulgaris à Francisco Boscheto integra; in iure manca, & mutila inuenitur, in cap. *Ex litteris.* 10. de excessibus Prælatorum, titulus, & initium eius talia: *Nouariensi electo &* intus: *Ex litteris Venerabilis Patris nostri Patriarchæ Antiocheni, sunc Yporiensis Episcopi, & tuis tunc de Tileto Abbate meminimus accepisse, quòd cùm dudum ad Albiganensem Ecclesiam accessisses visitationis officium impensuri, &c.* Hæc inintegra, ex qua Abbatem Tilleti Visitatorem, & ex Visitatore Nouariensem Episcopum ad hunc annum electum, quo epistola scripta ad Cal. Octob. planè constat. Verùm, ex ea corrigenda etiam inscriptio textus, quæ tam in Episcopo, quàm in Abbate tot planè variat modis, quot Exemplaribus: quibusdam Hipponensem, aliis Hipponetensem vocantibus Episcopum: & in Abbate adhuc magis variantibus, quod facilè inueniat, quicunque conferat. De Abbatia nulla est dubitatio: de Episcopatu Yporiensi minor mihi est certitudo, & neque in libris Cameræ inueniò, neque in recenti, accuratáque Miræi Chronographia notatum video.

---

1. *Subrogatus Conradus pro Cæsario in Prioratu Villarij.* 2. *In quo Cæsarius libros quosdam scripserat.* 3. *Idem Cæsarius Nouitiis Præfectus alia dictat,* 4. *quæ tandem, Hemmenrodensi Abbate iubente, vulgat.* 5. *Vuillelmus à visione Dei detentus.* 6. *Stultum præceptum ab Abbate S. Agathæ iniunctum Damoni* 7. *Danielis Hemmenrodensis Monachi obitus,* 8. *& Conradi Conuersi Heisterbacensis.* 9. *Dubium de Monacho Sacerdote, & coniugato,* 10. *& responsum Innocentij Summi Pontificis.* 11. *Miraculum illustre,* 12. *nostros incusans:* 13. *& eorum in Prussia Apostolatus.*

CAPVT VIII.

1. HOc item anno, quantùm ex Tabulis Cœnobij Villarensis, atque ex Cæsarij scriptis potuit conici, Cæsarius ipse, qui hactenus Villarij Priorem egerat sub Carolo Abbate, siue ab Henrico (Heisterbacensis hic Abbas, quem, Gerardo ad Superos translato, anno præcedenti suffectum commemorauimus,) ad propria reuocatus instruendis Nouitiis, qua proculdubiò gratia præcellebat Vir totius doctrinæ, & pietatis, siue primam suspirans vocationem, Heisterbacum arderet, & suæ conuersionis loca reuisere, missionem tandem petiit, obtinuítque: eò libentiùs annuente Carolo, quò eum in breui sequi, Abbatia abdicata, meditabatur. Accessit & Conradi Æginonensis indoles admiranda: sed nota cunctis, quem vix hoc anno adstrictum votis solennibus, iam in virtutibus altè radicatum iam maturum officio, atque alios regere aptum, non dubitabat. Quòd si industria, & prudentia æquè polleret, quod in eo munere tentabat experiri; felicem se, & votorum suorum compotem, cui & tutò pastoralem curam abiicere, & talem successorem sortiri concederetur. Ergo Cæsario Heisterbacum remeante, Conradus suffectus, dolentibus illius discessu Monachis; sed huius successionem gratulantibus, à quo haud dubiè sperare maiora possent. Hoc initium ascendendi ad dignitates Conrado fuit, quæ multæ illum, & totius Ecclesiæ summæ præstolabantur. Sed de his suo loco dicendum erit.

2. Scripserat Cæsarius in Villario Sermones aliquot, quos forsan in Capitulo ad Fratres declamauisset: & Opuscula alia. *Quædam* (vt ipse ait [a]) *ad excitandam propriam deuotionem: quædam verò ad aliorum petitionem.* In his, vt minimum, eximij duo libri, qui in ea verba Apocal. c. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo,* &c. adolescentiam eius exercuerunt, ipso attestante [b]. *Primò omnium, in adolescentia mea, paucis admodum sermonibus prælibatis, ad exercendum me, super verba Ioannis:* Signum magnum appatuit in cœlo, mulier amicta Sole, *&c. scripsi duos libros, sepremplicitet eundem versiculum exponens.* Etgo hos libros, paucósque Sermones stylo mandauerat, priusquàm ad Heisterbacū reuerteretur: atque hi forsan ab aliquibus transcripti, furtim licèt, & velut in occulto prælegebātur.

a *in Ep. Catalog. ad Petrum Priorem.*

b *ibid.*

3. Verùm, vt Heisterbaco restitutus, educandorum Nouitiorum curam, atque Conuersos, iuxta Cistercij ritum, exhortandos suscepit, diebus festis: tum verò, & muneri ab Henrico sibi iniuncto, & propriæ deuotioni satisfaciens, multa alia composuit, quæ cùm diu latere nō potuissent, tam eiusdem Henrici exhortationibus, quàm Prioris, & Fratrum, demum mandato Abbatis Hemmenrodensis, cui refragari nefas, vulgata sunt, non sine reluctantia sui Authoris. Inter hæc primùm obtinuisse videtur locum Homiliæ de infantia Saluatoris, quæ hodiéque leguntur: de quibus ipse ad Henricum sic scribit [c]: *Quæ hortatu vestro, & Prioris, necnon & aliorum quorundam Fratrum instantia, super Lectiones euangelicas, Christi gratia inspirante per ministerium meum sunt conscripta, charitati vestræ deuotus offero corrigenda. Quod si forte aliquid ibi occurreret, quod merito legentes offendere poterit, vt Comendetis, suppliciter exoro.* Et item alibi [d]: *Considerans me prorsus ad hoc insufficientem, tum scientia, tum ætate, satius duxi postulata dissimulare, quàm indigne scribendo legentes scandalizare. Non enim decet, vt ætate iunior seniores doceat, & minùs doctus sapientibus scribat. Sed, quia semper monendo non destitistis, cùm vestrum esset præcipere, meum obedire, malui ab his, qui proni sunt ad vituperandum in occulto sustinere detractionem, quàm, non obediendo, offendere vestram dilectionem.*

c *in Epistola ante homiliā de infantia Saluatoris.*

d *in Præfat. ad eas. m.*

4. Ita Cæsar. inter properantem, cunctantémque, & neque audentem vulgare, quæ scripsisset, neque retinere: sed accessit præceptum Superioris, id est, Eustachij Hemmérodensis Abbatis, qui opus imperfectum adhuc excepit, & festinari iussit, ac vulgauit. Testatur hoc ipsum idem Cæsar. in monitoria epist. ad Lector. quæ Homiliis eius præfixa circumfertur [e]: *Quod, ait, cùm peruenisset ad notitiam Venerab. Abbatis de Claustro, Patris, & Visitatoris nostri, quæ iam ex parte dictauerā, cùm nondumplene à me fuissent examinata, atque correcta, me contradicēte, sicut ipse mihi testis est, secum tulit, & transcribi fecit, secretum meum publicans; & vt in dictando festinarem, satis instans, quod effeci. Vnde minùs mihi imputandum arbitror, si negligentius, & insipidius dicta sunt.* Hoc initium vulgandi sua scripta Cæsario Heisterbacensi, cùm primùm ad Heisterbacum reuersus esset: publicatis Homiliis de infantia Saluatoris, quæ eius, tum doctrinam, tum pietatem manifestis indiciis præ se ferunt. Qualiter autem ad Nouitios instruendos, & exhortandos, Dialogorum etiam libros posteà scripserit, cum aliis, quæ ex ipso circūferuntur, suis locis à nobis dicenda erunt.

e *interpretatione.*

5. Incidisse etiam constat in hunc annum, quippe duodennio, antequàm Dialogos Cæsarius conc innaret, felix obitus Vvillelmi Heisterbacensis, qui *Puer quidem ad Ordinem venit*, (ait idem Cæsarius [f]) *& verè puer, quia purus, & impolluius. Genere nobilis erat, sed virtus mentis illum magis nobilitabat. Completo anno probationis, sequenti die cœpit infirmari, & post paucos sancto fine decedens explevit tempora multa.* In quo iuuene nonnullos mouisse video id, quod statim subiungitur: *Post mortem cuidam Monacho apparens, cùm de statu suo requireretur, respondit, se esse in pœnis. De quo verbo cùm ille territus fieret, & diceret: Si tu es in pœnis, qui nunquam peccasti, quid fiet de me peccatore, meique similibus? Consolans eum defunctus ait: Noli flere: quia nullam aliam patior pœnam, nisi quòd nondum vidi Deum, ipsam dilationem gloriæ pœnam reputans. Neque immeritò: spes enim, quæ differtur, affligit animam. Et adiecit: Ah! quàm clarum erit, quòd statim veniam ante Deum.* Ita Cæsarius. Ego non dubito extra legem communem esse purgari animas sine pœna aliqua sensus, sola diuinæ visionis dilatione: imò non aliam à Theologis agnosci [g], quàm pœnam ignis. Verùm, cùm legam docentem D. Thomam [h] *contingere, quòd aliquis diutiùs moretur in Purgatorio, qui minus affligatur, & è conuerso.* non video à principiis Theologiæ prorsus alienum, posse aliquem ibidem detineri, sola afflictione, ex consideratione gloriæ sibi dilatæ, ad quam ardenter exoptat peruenire. Hæc dicta obiter in Cæsarij defensionem; qui tamen ob hæc, aliáque similia, meritò nunc in Hispania detinetur, ita iubente supremo Senatu sanctæ Inquisitionis, quoadusque aliquæ ei cautiones, quibus nonnullibi eget, adhibeantur.

[f] lib. 12. Dialog. c. 37.

[g] in 4. distinctione 21. q. 1.

[h] ibid. art. 3. q. 3. ad 1.

6. Hunc item annum concernere videtur id, quod idem Cæsarius memoriæ prodit de Abbate Sanctæ Agathæ, Vvillelmo, & sociis eius, Monacho, & Conuerso: qui cùm Dæmonem in propria forma vellent conspicere, Abbate id præcipiente ex parte Dei, cuidam obsetsæ fœminæ, seu verius Dæmoni, qui ipsum obsidebat, ad primam vultus illius immutationem adeò territi sunt, vt penè exanimes, & prorsus sine sensu relinquerentur. *Et nisi Abbas*, (subdit idem Author, [i]) *qui sociis constantior erat, Diabolo, vt pristinam formam resumeret, ocyùs præcepisset, similem defectum mentis incurrisset.* Testatur etiam viuere adhuc, tunc, scilicet, cùm Cæsarius ipse scriberet, viros religiosos, quibus id malum accidit, nec posse de eorum fide dubitari. Diabolum verò præcipienti obedientem, & ad priorem speciem vultum fœminæ reducentem, dixisse Abbati [k]: *Nunquam tam stultum præceptum iussisti: & pro certo scias, quia si hodie diuinis non communicasses ministeriis, nullus vestrûm vlli hominum, quæ agerem vobiscum, dicere posset.* Ita Cæsarius. Ego in Conuerso, & Monacho vix scio, simplicitatem, an audaciam magis admirer: illam, quòd Dæmonem in propria sibi forma, corporeis oculis visibilem putarent: hanc, quòd non formidarent eius intuitum. Sed simplicitas in vtroque excusabilior, vtpote illiterato, & audaciam ignorantia ministrabat. In Vvillelmo culpabilior vtraque, quò maior in Prælatis, quàm in subditis scientia, & maturior prudentia desideratur. Crediderim in gratiam dignitatis minùs punitum, quanuis magis peccauerit: id, quod non semel obseruatum in sacris Litteris. Sic Maria, & Aarone murmurantibus aduersùs Moysem, sola Maria apparuit candens lepra, etiamsi grauius peccatum Aaronis foret. Sed redeo ad historiam.

[i] lib. 5. c. 29.

[k] ibid.

7. Eisdem temporibus in Hemmenrode decessisse legimus Venerabilem Danielem, de quo idem Cæsarius [l] ita scribit: *In Claustro Sacerdos quidam ante paucos annos defunctus est, homo simplex, & illiteratus, Daniel nomine.* Et paulò inferiùs: *Positus in agone, sensibúsque iam vniuersis præmortuis, sola in oratione labia mouebat, & vox penitùs non audiebatur: & sic vltimum in psallendo spiritum reddidit. Iste, Daniel multas reuelationes habuit, multa vidit; sed pauca immutuit. Confessus est tamen tribus vicibus sibi Dominum apparuisse: prima vice in Cruce ante gradum Presbyterij: secunda, in candidis vestibus ante manus altare: tertia, in ignea forma desuper altare. Cui cùm Saluator diceret, (puto, quòd in prima fuerit apparitione:) Daniel, pete à me, quod vis, & fiet tibi, ille respondit: Domine, sufficit mihi gratia tua: nihil aliud à te peto, nisi tantùm vt lacrymas habere possim, quoties Passionis tua fuero recordatus. Et Dominus: Habeas, sibi hanc gratiam. Ab illa hora, sicut audiui, quando de Passione Christi cogitare, aut loqui cœpit, mox lacryma erumpebant.* Hæc ex Cæsario.

[l] lib. 8. c. 11.

8. Decessit etiam, aut hoc viuebat tempore, non multò pòst translatus [m], in Heisterbaco Conradus Conuersus, de quo idem Cæsarius [n]: *Conuersus quidam apud nos ante annos aliquot defunctus est, nomine Conradus. Hic tempore quodam, cùm in Domo nostra Dollindorpe, cui præerat, solus esset, & magnum cordis sui defectum sentiret, ait intra se: O miser! debes sic mori sine homine? Vix verba finierat, & in ecstasim raptus, ecce Saluatorem coram se in Cruce pendentem vidit, qui ait: Conrade, vides, quanta propter te sustinuerim? Moxque post verba consolationis adiunxit: Opera tua benè placent mihi*, &c. Plura de eo Cæsarius [o] in suis Dialogis: & tandem narrat de eius felici obitu: *Ante mortem suam confessus est Abbati nostro, quòd voces Angelorum audierit in cœlo. Obiit autem in ipsa dulcissima Festiuitate Assumptionis Domine nostræ, ipsius (vt spero) precibus, cui deuotè seruierat, die tali de terris assumptus in cœlum.* Hæc ex Cæsarij scriptis hunc annum concernentia libuit colligere, ne disperta Lectorem meum grauarent.

[m] lib. 8. c. 20.

[n] ubi suprà.

9. Eisdem temporibus coniugatus quidam Sacerdos ad Cistercium veniens, & solennibus votis sese astringens, occasionem dedit celebri inter Iurisperitos decisioni Innocentij III. quæ habetur in cap. *Constitutus*. 15. de conuersione coniugatorum. De Monasterio non satis nobis constat, quanuis vnum ex quatuor esse videatur, quæ in Diœcesi Ruthenensi Cistercium habet, Bonam Vallem, nimirum, Locum Dei, Bellum Locum, & Bonam Cumbam. Cætera patefiunt ex ipsis Litteris, quippe quæ euentum ipsum, dubiúmque, atque consultationem perlatam ad Innocentium à Ruthenensi Episcopo, qui hominem promouisset ad sacerdotium, demum responsum eiusdem Innocentij ad Episcopum continent, totius facti præcedente narratione. Sic autem habent:

10. *Constitutus in præsentia nostra H. sua nobis confessione monstrauit, quòd in acolythatus Ordine constitutus quandam puellam R. nomine duxit vxorem in facie Ecclesiæ: quam cùm carnaliter cognouisset, orta discordia inter eum, & amicos puellæ, ipsa fuit cuidam alij V. nomine copulata: & tu memoratum H. vsque ad gradum Sacerdotij ordinasti. Cùm autem eum sua conscientia remorderet, Habitum Ordinis Cisterciensis assumpsit. Tandem Abbati suo omnia reuelauit, qui eum commonuit diligenter, vt super hoc saluti animæ suæ prouideret. Ideóque mandamus, quatenus, si res ita se habet, prædictam mulierem, vt à dicto V. recedat, cui per adulterium est coniuncta, nec prædictum Monachum impetat, quominùs regulare votum valeat adimplere; per censuras ecclesiasticas cogere non omittas.*

Hactenus

Hactenus Pontifex, secundum virum adulterum declarans, & mulierem adulteram; atque adeò nec primum posse repetere.

11. Sub idem tempus, mirabilem Deum in Sanctis suis, haud obscurè ostenderunt Virgines sacræ, quæ ex Colonia ad Thuringiam olim adductæ, cùm in Folo de frode (Cœnobio Cistercienſi) contemnerentur, miraculosè ad propria remearunt. Aduentum eorum legentibus iucundum, excipient; bus felicem, fauſtúmque, ſi tamen diutiùs valuiſſent conſeruare, ſuperiùs dedimus. Nunc reditum ex Cæſario Heiſterbacenſi, qui vtrunque deſcribit, proſequamur, noſtris in confuſionem, ipſis in gloriam. Porrò Cæſarius narrat in hæc verba [o]: *In magna fuerant veneratione,* (ſcilicet, ſacra corpora:) *ſed hoc quandiu vixit Abbas ille, cui ſe reuelauerant. Tempore ſchiſmatis, quod erat inter Philippum, & Othonem, Reges Romanorum, cùm diuerſa bella occuparent Thuringiam, timore eorum, eadem ſacra corpora cum cæteris Reliquiis, & ornamentis deportata ſunt ſuper quandam teſtudinem, locum ſecretum ſatis. Pace terræ reddita, cùm ſingula loca ſuis reſtituerentur, ſcrinium cum Virginibus neglectum eſt in iam dicta teſtudine: vnde inaſgnantes auabus vicibus thecam ſuam terribiliter concuſſerunt, ita vt ab omnibus poſſent audiri. Bis etiam Sacriſtæ in ſomnis apparuerunt dicentes, quòd recedere vellent de loco, in quo ita haberentur contemptui. Quæ cùm non proficerent, neque concuſſionibus, neque reuelationibus; in quadam nocte ſ. Iunii, infra Matutinas, ante gradum Presbyteriſtarum, & in habitu decentiſſimo omnibus apparentes, primùm inclinauerunt verſi s altare, deinde more eorum, qui in via ſunt dirigendi, ſe vertentes Abbati, & omnibus inclinantes, per quoddam oſtium, quod ſemper clauſum erat, exierunt: quas licet omnes vidiſſent; æſtimabant tamen ſingulis ſe illas ſingulariter videre.*

[o] lib. 8. Dial. cap 85.

12. *Dictis Matutinis vnus Monachorum, dicto ſeorſum Abbate, onuſſus eſt ſe ante gradum, hora, & modo prædicto tres ſpecioſiſſimas vidiſſe Virgines. Cui cùm reſpondiſſet: Et ego vidi. venerunt alij, & reſponſum eſt eis ſimiliter: cúmque deprehendiſſent, quòd ab omnibus viſa fuiſſent, cæpit cum omnibus q. æſtionari, quænam eſſent, vel quæ cauſa foret viſionis. Cui cùm diuerſi diuerſa reſponderent, ait vnus, diminùs, vt puto, inſpiratus: Puto eas fuiſſe ſacras illas Virgines, quæ de Colonia nobis allata tanto tempore ſuper teſtudinem ſalem à nobis neglecta ſunt. Statim accedentes ad ſcrinium, cùm nihil in eo reperiſſent, territi, Abbatem miſerunt Coloniam, vt illas reduceret. Veniens verò Coloniam, cùm Abbatiſſæ, & Conuentui rem per ordinem recitaſſet, atque eaſdem Virgines in loco, vnde ſublatæ fuerant, reperiſſent: Abbati, vt ſibi redderentur, ſupplicãti, totus Conuentus reſpondit: Benè veniant nobis dilectiſſimæ Domicellæ noſtræ, benè veniant. Certè, ex quo vobiſcum eſſe noluerunt, non eas illuc remittemus. Datúmque eſt ei caput cuiuſdam alterius Virginis, cum quo triſtis repedauit. Adhuc puto eandem Friderindim viuere, & vix aliqua Soror eſt in eadem Eccleſia, quam tam iucunda lateat Hiſtoria.* Ita Cæſarius.

13. Hoc primùm anno, vt decora etiam miſceamus, memoria nobis incidit Sancti Chriſtiani, & Philippi, ſociorúmque, quos ad Prouinciam Pruſiæ, & conuicinas conuertendas ad fidem non multò antè Innocentius tranſmiſiſſet, quippe reuerſis ad eum, cum exultatione, & manipulos meſſis reportantibus, quos breui in horrea Chriſti congregauiſſent. Petierunt tamen inſtituri operi, quod ſemel ſuſcepiſſent, vt Innocentius Epiſcopis vicinis in mandatis daret, quatenus ſibi adeſſent, quò tantum opus, adiuuante Deo, in eius, atque fidei Chriſtianæ gloriam, ad optatum effectum perduceretur. Porrò Innocentius præteritis congaudens, & futura deſiderans, tales ad Archiepiſcopum Gneſnenſem litteras dedit [p]:

[p] lib. 13. epiſt. 128.

Gneſnenſi Archiepiſcopo. 14.

Cæleſtis agricola, Ieſus Chriſtus, ſemetipſum vitem veram, & fertilem, in vinea ſua electa plantauit: ex qua multitudo palmitum prodiens, non ſolùm illam amœnam viroribus, verùm etiam fructibus redderet gratioſam. Ex iſta, nimirum, vite, quotidie tot palmites pullulant, quot in eccleſiaſtica vnitatis radice fundati, ad ſancta conuerſationis ſtudium extendentes ſe per opera pietatis non ſolùm interna gratiæ virore turgeſcunt: ſed etiam laudabili exercitatione fructificans in profectibus proximorum. In hac ſiquidem laborare vinea dilecti Filij, Chriſtianus, Philippus, & quidam alij Monachi pio deſiderio cupientes, illius dudum amore fuccenſi, qui neminem vult perire, ad partes Pruſiæ de noſtra licentia in humilitate ſpiritus acceſſerunt, vt ibidem ſermonem verbi Dominici ſeminando, in vmbra infidelitatis, & tenebris ignorantiæ poſitos ad ſemitam reducerent veritatis. Quod cùm in terram bonam, & fertilem cecidiſſet, fructum protulit opportunum: cùm præeunte gratia, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquàm ea, quæ ſunt, & ex lapidibus ſuſcitat filios Abrahæ, quidam Magnates, & alij regionis illius Sacramentum Baptiſmatis receperunt, & de die in diem proficere dignoſcuntur in doctrina fidei orthodoxæ, ſicut idem Monachi nuper ad Sedem apoſtolicam venientes, noſtro Apoſtolatui retulerunt. Cùm igitur huiuſmodi nouella plantatio beneficio irrigationis indigeat, Fraternitati tuæ præſentium authoritate mandamus: quatenus eiſdem Monachis, & Fratribus ſuis, necnon & aliis ad fidem de nouo conuerſis, in eccleſiaſticis Sacramentis, & aliis, quæ ad ampliandum Chriſtianæ religionis cultum ſpectare noſcuntur, tandiu curam officij paſtoralis impendas, donec diuina faciente clementia, à Deo ibidem numerus fidelium augeatur, vt proprium poſſint Epiſcopum obtinere. Epiſcopos etiam, & alios Eccleſiarum Prælatos, ac terræ Magnates moneas ſolicitiùs, & inducas, vt pro Deo, & propter Deum eis propitij, ac fauorabiles exiſtentes, vbi dignum fuerit, gratiam, ſolatium, & humanitatem impendant. Datum Laterani, pridie Nonas Septembris, anno XIII. Non expreſſit Ciſtercium in his Litteris Pontifex Innocentius: expreſſit tamen clarè intra biennium, cùm meſſe adhuc in dies multiplicata; ſed operariis paucis exiſtentibus ad Capitulum generale ſcribit, præcipiens, & iniungens, ne Chriſtiano, & Philippo ſui Ordinis Fratribus denegent ex eiſdem coadiutores, per quos gentis conuerſio promoueatur; quas nos etiam in tempore reddemus. Porrò de hoc Ciſtercienſium Apoſtolatu in Pruſſia, atque Lubauia, celebri haud dubiè, & noſtris glorioſo, multa Martinus Cromerus [q], aliique Polonicarum rerum Scriptores, ex quibus nos inferiùs, quæ hos Annales concernent, adducemus.

[q] lib. 6. & 7.

1. *Beati Abundi ad Villarium vocatio efficax.* 2. *Patria, parentes, fratres, sororésque.* 3. *Abundi nomen non sine mysterio.* 4. *Virtutes pueri,* 5. *præsagientes iam tunc futura.* 6. *Cistercium inter alias religiosas Familias eligit:* 7. *in quo proposito ab Ibeta recluſa primùm:* 8. *mox ab eodem Conrado confirmatur, & Villarium mittitur: fratres, sororésque ad Cistercium ducens.* 9. *Merita ipsius, & Virginis fauores satis mirabiles;* 10. *qui etiam ad omnes Villarienses extendebantur.*

CAPVT IX.

1. ILLVSTRAVIT Contadi Prioratum,& Caroli Abbatiam Beatus Abundus, ab altero adductus ex Leodio, ab altero ſuſceptus in Villario, cùm ipſe iam in eo ſancto propoſito, Beatæ Ibetæ gentilis ſuæ conſiliis, ſed præcipuè cæleſti, illuſtratione firmatus eſſet. Eius vitam,& acta miranda ſatis, quia miraculis plena olim ſcripta ab anonymo Authore, coæuo tamen; & nuper à Reuerendo admodum Patre Ioanne de Aſſignies Gallicè edita [a], redigere ad compendium vſque ad hunc annum mei muneris erit. Libato tamen ex Villarienſi Chronico, quæ apta viſa fuerint, & ex vtroque breuem quandam hiſtoriam, ſed vtilem legentibus, neque omninò iniucundam concinnabo.

a *lib. 1. c. 26.*

2. Natus ille anno M. C. LXXXIX. oppido Hugenſi, Diœceſis Leodienſis, parentibus honeſtis, ſecundùm ſæculum; & quibus pro ſui ſtatus conditione, nec redundarent diuitiæ, neque deeſſent. Pater Abundus dictus, Maria mater: ille ſæculo deditus, & ſæcularibus negotiis implicatus; hæc cœleſtibus inhians, caduca omnia, & inutilia primùm, mox vt nociua, & quæ veros progreſſus impediret, aſpernabatur. Hinc continua diſſenſio inter vtrumque, neutro alteri credente: & trinam prolem fœmineam, trinam maſculam, quam fructum matrimonij, à Deo ſuſceperant, vterque, vt poterat, ſibi aſſimilabat. Diſtrahebantur filij variis affectibus, dum hinc pater eoſdem ad terrena, illinc mater ad cæleſtia ſtimulabant. Prænaluit tamen matris pius zelus, vicit gratia naturam: & tres filij Ciſtercium profeſſi omnes, filiæ duæ; altera non tam in ſæculo manente, quàm de ſæculo rapta, dum in ipſis adoleſcentiæ ſuæ primordiis obiit, penè tunc conſummata, cùm incipiebat; cùm vix dum arma ſumpſerat, parta victoria, triumphans de inimicis. Ergo Abundus minores natu fratres Iacobum, & Ioannem; ſorores, Gelam, Mariam, & Vvibergam habuit, virtutibus, quàm ſanguine iunctiores.

3. Recens natus, Abundus dictus eſt, ſiue ex paterno, vt fit plerunque nomine, ſiue, vt iam tunc gratiarum abundantia, cui à Deo deſtinabatur, deſignaretur: & quod de Beato Parente Benedicto D. Gregorius ait [a]: *Gratia Benedictus, & nomine.* proportionatè de ipſo diceretur: & gratia ſimul, & nomine abundaret. *Iure igitur Abundus, id eſt, abundans* (ait Author Vitæ illius) *in Baptiſmo nuncupatur, quem vas electionis factum, repleturus erat Dominus Spiritu ſapientiæ, & intellectus, vt & ipſe de plenitudine ſua aliis poſtmodum erudiret.* Hæc ille: & meritò: nam *a primis pueritiæ annis* (ait Chronicon Villarienſe [b]) *cœperat cum incremento virtutis, in eo boni mores augmentari, quos præcipuè columbina, ſimplicitas cum verecundia commendauit. Gratioſus oculis intuentium, ac per hoc amabilis omnibus claruit: eo quod ingenita quadam lenitate mentis, & naturali grauitate morum adornatus, habere quodammodo vultum angelicum viſus fuerit.* Hactenus ibi. Itaque Abundus abundare ſtatim cœpit naturæ dotibus, cum primum per ætatem licueret, dotibus gratiæ eandem abundantiam cumulaturus. Nam audi, quod ſequitur [b]:

a *lib. Dial. c.*

b *apud Henr. in Menolog. Martij 19.*

b *ad tam lib. 4.*

Cùm factus eſſet annorum duodecim, interno ſuſurrio Sancti Spiritus inuitatus, diebus feſtis, conſcholaribus eius, fabulis, ac ludis vacantibus, maioris Eccleſia frequentare Limina, circuire reuerenter Altaria, coram Crucifixo flectere genua, fixuram clauorum in manibus, ac pedibus, vulneris cicatricem in latere pijs oculis intueri, deuotiſque ſoliloquiis piiſſimi Redemptoris gratiam allicere ſibi, pro poſſe cœpit. Beneditæque quoque Matris Dei deuotus amator exiſtens, venerari piiſſimam, & ſaluture frequenter omni laude dignißimam non ceſſauit. Priuatis autem diebus per hebdomadam, cùm imminente nocte reuerteretur à ſcholis, tempore quidem hyemis, poſt occaſum Solis, recurrebat ad Eccleſiam, nec inde redibat, vſquedum non minima noctis parte tranſacta, pulſari ſignum contingeret ad Completorium. Aſtatis verò tempore, cùm tempeſtiuè, clara die, videlicet, ſignum pulſatum fuiſſet ad Completorium, poſt idem ipſum Completorium præcantatum, in Eccleſia manebat. Hæc Abundi exercitia, dum adhuc puer. Eadem penè Author Vitæ ipſius [c]: ſed quædam alia addens, quæ neque ipſa ſilentio præteribo.

c *apud Ioan. de Aſſignias.*

5. *Factus, ait, adoleſcens iam annorum ſit erat iis à patre implicatur, vt ſæculari praditus ſapientia, ſibi deinceps in ſæcularibus negotiis, quæ gerebat, adiutor eſſet. Sed aliter à pia matre edoctus, ſapientiam, quæ deſuper eſt (quæ primùm pudica, & ipſe pudicus, deinde pacifica, vt mitis, & humilis corde appareret) ſedulo requiſiuit. Feriatus igitur ab ſcholis, eo tempore, quo reliqua iuuentus inutilibus, vt aſſolet, diſtrahitur, templum B. Virgini ſacrum ingreſſus, Virgini ſe commendans, tenero de corde lacrymoſas preces fundebat: dieique feſtiuis indutus ſuperpelliceo, Clericis in Choro coeuntibus ſe adiungebat, atque alacer canebat diuinas laudes, talibus iam tunc indiciis indicans, quam deuotus, quam ſedulus miniſter, eiſdem in Ciſtercio decorandis præpararetur.* Hæc, & ſimilia præſagia futurorum præferebat Abundus ante annos pubertatis.

6. Interim cùm ad decimumſeptimum perueniret, videretque non eſſe ſibi tutum cohabitare ſerpentibus, aut ſtupam conſectare illæſam in medio igne: quo ſe virginem Virgini ſacratum ab annis teneris, exhibere valeret; fugere à facie colubri deliberat, ab igne retrocedere, & quod aſylum, periculo inſtanti videbatur ſecurius, Ciſtercium ingredi, ſub cuius velut alis, & vmbra protegeretur. Eſſe in Eccleſia antiquiores Congregationes, eſſe & recentes, grauiſſimas vtraſque, ſanctiſſimaſque: ſed quarum primis à vetuſtate timeat; poſterioribus à teneritudine: & illas quidem, præ ſenio, deficientes, a primitiuo ſtatu, hos per ætatem fortè nondum adultas, perfectiores requirere, per quos aut reſici valeant, aut adoleſcere. Ciſtercienſem ſub ſecunda centuria, integram, æque ab vtroque extremo tunc diſtantem, eligendam, præ aliis, præcipuè ſibi, qui nihil ei vigoris conferre poſſet. Eſſe præterea in eadem Familia aliquid, quo præferenda veniat, Virginis patrocinium, in quod ſe totum Abundus conſecraturus.

Tum

Tum subit animum Cœnobium Villariense, celebre iam, à temporibus Bernardi, Sanctorum domicilium, in quo tot floruerunt; in quo Abbas Carolus, in quo Conradus Prior, in quo tot alij Sancti; in quo Arnulphus Conuersus reperirentur. Multùm valere exempla quotidiana, multùm domestica: & vt sibi alia minùs efficacia non forent suffectura; his saltem promouendum per Dei misericordiam non dubitabat. Ergo Cistercium inter religiosas Congregationes, siue Familias: & in Cistercio Villarium electa sunt, quibus Abundus quantocyùs nomen daret.

7. Cæterùm, ne post factum pœniteret in materia grauissima, non solùm orationibus ad Deum, & eius Sanctos, sed hominum consiliis vti voluit. Errant, qui impetu religiosam vitam assumunt: qui cùm vix ad præcepta vires habeant, consiliis se submittunt: & quam paucorum virtutem esse docet ipsamet Veritas, suis humeris imponunt sine delectu. Facilè cernunt omnes, qui trahuntur; sed, qui se ingerunt, pleruntque retrocedunt: nec ligaturina subeunt, vt se coniungant; sed vt pluta, quæ rumpant, vincula habeant. Subdere iugo collum Abundus statuit; sed non sine iudicio, consilióque: quod inter alios, à gentili sua Ibeta, quæ magna tunc florebat opinione; tum sanctitatis, tum, quas à Deo frequenter recipiebat, illustrationum cœlestium, & supernarum, de humanis etiam rebus, reuelationum. Igitur ille vocationem suam pandit, & se Cistercium in animo concipere; nec parturire audere, nisi ipsa obstetricante coram Domino, felicem sibi partum polliceretur. Illa, quo erat ad perfectionem prompto animo, & Cistercij gnaro, Abundique; statim Aureæ Vallem aut Tres Fontes illi proposuit. Quippe quibus se ipsam, & duos filios iam dudum tradidisset, vellet, si posset, Abundum conciliare. At, cùm Abundus Villarium illi apponeret: Vade, ait, & Villanium lætus ingredere: nec dubita omnia ex voto prouentura.

8. Tali veluti Oraculo suscepto lætus Abundus, Leodium proficiscitur: incertum aliquid ibidem peraturus, an Deo ipsum ducente; vt ad Villarium inde per Conradum, felicibus auspiciis deduceretur. Constat, cùm ad Leodium peruenisset, inuenisse in eadem vrbe Conradum, à quo non solùm firmatus in proposito; sed & Villarium ad Carolum Abbatem missus est, ab eo in Nouitium grataner suscipiendus. Itaque sæculo, parentibus, amicis, fratribus valedicens, Villarium intrat, sub signis Caroli, & exemplis Arnulphi, sociorúmque, egregiæ indolis adolescens, militaturus. Interim tamen ipse suo exemplo, fratres, sororésque à sæculo traxit, Vviburgi excepta, quæ non tam noluit, quàm non potuit fratrem sequi, quem impulisset; coacta deserere, quem ipsa stimulauerat: dum in tenera adhuc ætate posita, ad cœlestia vocatur, immaculatum Agnum sequuturа, quocunque ierit. Reliquos quatuor Cistercium breui excepit, matrem vtrumque, Iacobum, & Ioannem in Valle Sancti Petri; fœminas verò Gelam, & Mariam, illam in Valle nostræ Dominæ prope Leodium; hanc in Rameya Christo consecratas. Atque hæc vltima nonnihil difficilior ad vota fratris: sed quę, vt exemplis, monitisque eius refragari potuerit, nequaquam tamen potuit orationibus: sic enim in eiusdem Abundi Vita lego: *In conuersione sororis suæ*, scilicet, Mariæ, *plurimum laborauit: vicit tamen omnia in illo, qui potest omnia; & secundum promissionem sibi factam desuper, quod quid peteret, impetraret; sequenti die, & locum sorori suæ Mariæ in Rameya impetrauit, & Sanctimonialem fecit.* Hactenus ibi. Atque hæc quidem de sororibus Abundi, fratribúsque per anticipationem, quia ad ipsius exemplum: nunc eius probationem, & cœlestes in ea visitationes, quæ huius annum concernunt, prosequemur.

Factus Nouitius, (ait Author Vitæ illius) *quantum profecerit anno, sapientia, & gratia apud Deum, & homines, testimonium perhibent virtutes, quibus claruit; inter quas eminebant tres præcipuæ, charitatis, castitatis, & humilitatis.* Hæc ille verè: nam merita in virtutibus. Sed, si ex fauoribus velimus ea rimari, singulariora, quædam & supra humanum captum admiranda promere possumus; quæque obiter, non Abundum nobis solùm, sed Villarium commendent, & Virgini peregratum facilè doceant. *Erat*, ait Chronicon Villariense[d], *inter Circumcisionem, & Epiphaniam hic Abundus scriptus ad Imitatorium, & habebat incipere Antiphonas in Ecclesia. Cùm iam staret in Choro, & cantaretur Tertia, vidit iuxta se stantem Matrem Domini nostri indutam cuculla splendidissima, & peplo mundissimo super caput eius, ad modum Monialis, cantantem cum Monachis Hymnum illum, in laudem benedicti Filij sui compositum, qui incipit: A Solis ortus cardine. & ex nimia melodia, quam audiebat, & videbat in pulcherrima Virgine Maria, in eius dulcissimo, & amabili aspectu, quàm amabiliter, scilicet, arridebat Conuentui: & quàm reuerenter se inclinabat ad* Gloria tibi, Domine. *plurimùm admirabatur in se ipso, quómodo adhuc pedibus persistere posset; & non magis eius membra deficerent, præ nimia exultatione, quam sentiebat. Percantato Hymno, cùm iam incepissent Antiphonam:* Rubum, quem viderat. *intonabat ipsa Psalmum:* Ad Dominum cùm tribularer. *& postea adhuc mansit in Choro, animodo conformans se Conuentui: & Horis completis, euanuit ab oculis eius.* Hactenus extractum ex Chronico Villariensi, cui per omnia concordat Author ille, quem Abundo coæuum, Assignies Gallicè reddit: & tandem subinfert: *Ex eo tempore Virgo, Abundúsque facti sunt, velut cor vnum, & anima vna: ita vt sæpius eum Virgo inuiseret: ille vicissim in eius laudes effusus, multis illam obsequiis promereretur. Hic Matri misericordiæ, quasi incessanter preces deuotus offerret, illa orantem in cunctis exaudiret, nec quidquam denegaret seruo fideli.* 9.

Non multò pòst *in Festo Purificationis B. Mariæ*, cùm processionaliter Monachi canerent Antiphonam, quæ incipit: Aue, gratia plena, Dei Genitrix Virgo, &c. *Et vir Dei deuotè mysterium istud meditaretur; in prima statione ante Capitulum, vidit Filium Dei indicantem viuos, & mortuos; quorum alij ibant in vitam æternam, alij in ignem æternum. Et cùm visio disparuisset, vidit illicò in secunda statione iuxta Abbatem, Dominum Iesum, & Matrem eius lætantes super his, quæ de illis à Monachis dicebantur; & congratulantes eis, sequuti sint eos Mater, & Redemptor. Cúmque Cantor:* Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, &c. *cecinisset, Virgo Mater Chorum circumiens, singulis Monachis, quorum cantu delectabatur, & affectu Filium offerebat. Diuersimodè tamen, vtpote Filio suo feruentiores diutiùs recreans; minùs tamen feruentes non defraudans, vnicuique dabat secundùm merita sua. Facta oblatione, cùm cæteri procederent suum cereum oblaturi, stabat Abundus disrumpere non valens delectationem cordis sui in visione illa: quem Virgo manu apprehensa, monuit sequi reliquos: ipsa verò omnium postrema secuta est, luminare magnum offerens;* Lumen, *inquam*, ad reuelationem gentium, &c. 10.

Filium suum, quem Venerabilis Abbas factus alter Simeon humillimè suscepit; & Missa dicta virgo disparuit. Hactenus de hac duplici visione Author Vitæ Abundi; quæ procul dubiò vel tepidum, & tardum, quantò magis in obsequio Dei, & Virginis feruidum, & velocem, atque vlrò etiam currentem stimularent? Hæc satis nunc de Abundo usque ad hunc annum; quæ obiter ostendunt Mariæ Virginis zelum pro Villariensibus, & Villariensium in ipsam deuotionem; inter quos illa, vt inter Angelorum Choros, assisteret; quibus se conformaret, Filium offerret: sed & qui ipsam per continuata obsequia, atque omnium meritis virtutum promererentur.

---

1. *Abbates de Claro Marisco, & de Longo Villari,* 2. *reuocati à Capitulo,* 3. *Litteris Innocentij,* 4. *ad prosequendum Sancti Iudoci,* 5. *quam dudum incepissent, visitationem:* 6. *qua velut ordinaria illis commissa.* 7. *Grauamina in Anglia nostrorum sub Rege Ioanne.* 8. *Acta Capituli* 9. *pauca, & religiosa.* 10. *Chronologia sine aliqua fundatione;* 11. *compensata in Gratia,* 12. *& dictum de Billoka, Cœnobio Virginum.*

CAPVT X.

1. SANCTI Iudoci, ad Itius maris siti, atque inde super mare cognominati, Nobilis Monasterij visitationem, quam Innocentium Venerabilibus Abbatibus de Claro Marisco, & Longo Villari, diximus iniunxisse, interrupit Capitulum, vt vocant, mense Septembri, ex more celebrandum. Eius Acta, quæ prima sub Arnoldo, inferiùs dabo: visitatio repetita post ipsum interim, fuit, nouis ad eosdem Abbates litteris datis ab eodem Pontifice, quas continentes historiam totius facti, atque vt cœpta perficerent, & si quid adhuc restaret corrigendum, prouida diligentia maturarent, & maturo consilio prosequerentur, iniungentes de nouo, cum plena iterum delegata iurisdictione; ex Regesto Vaticano, cum aliis, fideliter transcriptas, dein collatas cum his, quas huius anni vulgauit Boschetus, in gratiam mei Lectori, atque ipsius Monasterij, pandere libet: sic autem habent [1]:

1 epist 15.

2. *De Claro Marisco, & de Longo Villari Abbatibus Cisterciensis Ordinis. . . . Morinensis, & Ambianensis Diœcesis.*

Sicut per vestras, Filij Abbates, litteras intimastis, cùm vobis daremus in mandatis, vt ad Monasterium Sancti Iudoci super mare personaliter accedentes, corrigeretis, tam in capite, quam in membris, quæ lineam correctionis exposcerent: vos, Filij Abbates, accedentes ad locum, nostris obtemperantes mandatis, tam Abbatem, quàm vniuersum Capitulum inuenistis, duobus duntaxat exceptis Monachis, qui cùm essent, suis exigentibus culpis, per Abbatem, & Conuentum ipsius loci excommunicationis vinculo innodati, duos alios seducentes, quos viros pernicioſos, rebelles, & contumaces, attestatione plurium didicistis, reiecto Habitu monachali, contumaciter recesserunt, correctione domus nullatenus expectata.

3. *Vos autem Capitulo conuocato, cùm Abbas iuxta mandatum vestrum, vniuersis, & singulis Fratribus, in virtute obedientiæ, ac animarum suarum periculo iniunxisset, vt super conuersatione ipsius, & statu Ecclesiæ, diceret veritatem: vos singulariter examinantes eosdem, super his, quæ personam contingebant Abbatis, laudabile omnium testimonium inuenistis. Sed Laudabilius iuxta nonnullorum assertionem inuenissetis, si se circa quosdam peruersos, & contumaces seuerius habuisset. Inuenistis præterea sub eiusdem Abbatis regimine, qui oppressiones multiplices est perpessus, imminutum Ecclesiæ debitum, & redditum augmentatum; & tam in ædificiis, quàm aliis necessariis domus expensas factas, sicut occulta fide perpenditur, quæ vsque ad mille librarum Parisiensium summam excrescunt. Conuentui quoque, qui maior est solito, ac hospitibus, & pauperibus, abundantius, & honestius, quàm consueuerit, prouisum.*

4. *Licet autem omnibus inquisitis, quadam, prout expedire vidistis, ibidem curaueritis ordinare: quia tamen ineuitabilis necessitas vestra habebat accedendi ad Capitulum Generale, de nonnullis disponere in vestro reditu statuistis. Cùm autem Abbas, & Monachi supradicti, propter hoc ad Sedem apostolicam accessissent, & iidem Monachi humiliter petiissent absolui: per Venerabilem Fratrem nostrum N. Tusculanum Episcopum; recepto priùs ab eis iuramento, iuxta formam Ecclesiæ eis beneficium absolutionis impendimus. Quia verò in multis eosdem culpabiles deprehendimus, nec sperauimus, quòd ipsis præsentibus, idem locus, debita posset pace, & reformatione gaudere; de consilio Fratrum nostrorum, eos ad vos remittendos duximus, in districtioribus Monasteriis singulariter collocandos, in quibus in humilitate spiritus, sua possint peccata deflere.*

5. *Quocirca Deuotioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eisdem ad vos redeuntibus, conuocatis; sub debito præstiti iuramenti; & ex, si opus fuerit, per censuras ecclesiasticas apostolica authoritate compellatis, vt ad loca, quæ singulis deputaueritis, transeant, vitam regulariter in eisdem peracturi; Abbates quoque, & Monachos eorundem locorum, ad suscipiendum eas censura simili, si necesse fuerit, apostolica authoritate cogatis. Volumus nihilominus, & mandamus, vt ad sæpedictum Monasterium accedentes, corrigatis diligentissimè, quicquid adhuc inueneritis corrigendum; & solum Deum habentes pra oculis ordineris, vt locus ipse debita de cætero valeat tranquillitate lætari; nullis Litteris veritati, & iustitiæ præiudicantibus, &c. Datum Laterani sexto Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.* Hactenus Litteræ Innocentij Summi Pontificis. Cæterùm hunc Clari Mariſci Abbatem fuisse Lambertum, cuius Iperius meminit, traditque, *Sopitis quibusdam controuersiis, cum Ioanne Bertinico Abbate transegisse.* non difficile liquet, ex ipso tempore.

6. Quid ampliùs fecerint in ea visitatione, hactenus in incerto. Constat muneri suo satisfecisse, approbante Innocentio, atque acclamantibus ipsis, quos visitauerant. Cùm enim Diœcesanus Ambianensis, post triennium exactum, visitare per suos delegatos idemnet Monasterium aggrederetur: & in non admittentes visitationem, velut non necessariam, promulgasset censuras; recurrentibus ad Innocentium

Monachis,

a *apud Bos. chet.* Monachis, Pontifex ad eosdem Abbates scripsit [a]. Et primò quidem irrita mandauit quæcunque in illos ab aliis facta essent. Deinde quasi eorum semper curæ Monasterium commissum remansisset, hanc clausulam subiungit satis notabilem [b]: *Verùm ne sepedictum Monasterium tali prætextu, plenaria correctionis officio defraudetur, per apostolica vobis*, (id est, vtrique Abbati, de Claro Marisco, & Longo Villari) *scripta mandamus, quatenus cùm interfit Episcopi, no in sua Diœcesi Monasteria maneant incorrecta, predicto Ambianensi vocato, vt per se, vel per Nuncium, si velit, interfit, non vt impediat; sed, vt in presentia vestra proponat, si quid viderit corrigendum, ad ipsum Monasterium personaliter accedatis, eidem secundùm tenorem precedentium Litterarum plenè visitationis officium impensuri. Vos denique, Filij Abbates, super vobis ipsis totius negotij curam suscipiatis. Datum Laterani XVIII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno XVI.* Ergo Ordinarios magis Cœnobio dedit, quàm Visitatores, & tales Ordinarios, coram quibus Episcopus terræ compareret, si vellet: neque vt impediret, sed vt proponeret.

b *lib. 4. epist. 145.*

7. Hoc ipso anno Ioannes, Anglorum Rex, siue propria, qua suprà omnes penè mortales flagrare noscebatur cupiditate, siue ira in nostros, quod Stephanum Cantuariensem pulsum à sua Ecclesia, & exulantem deuoti suscepissent in Pontigniaco, intolerandis grauauit exactionibus; id quod Matthæus Vvest memoriæ prodit [c]: *Rex*, ait, *Anglia Ioannes transfretauit in Hiberniam, inde ditionem capit. In reditu autem suo, ingratus Deo, & hominibus, grauissimum telagium imposuit super omnes Abbatias, maximè tamen Domos Cistercienses oppressit. Huic autem nequissimo consilio fauorem prebuerunt assidentes, & recipientes extoriam pecuniam, scilicet, Guillelmus de Brecuver, Robertus de Tunubar, Reginaldus de Lornbulle, Ricardus de Morisco, & alij.* Hactenus Matthæus. Sed Ioannes pœnas dabit non multò pòst; & destitutus ab omnibus, per Cistercienses implorare sibi auxilium ab Innocentio nihil recusaturus compelletur, vt suo loco Annales demonstrabunt, sequenti Tomo.

c *ad hunc ann.*

8. In Capitulo prouisa quædam video, quæ prima sub Arnoldo; adeò exequendi, quàm imperandi auidior erat. Cautum in primis (nam primas in Cistercio semper ferebat religio) de sacrificiis solennioribus, ex quibuscunque occurrentiis, non omittendis, prouisuro Cantore de Sacerdote, per quem priuatim saltem celebrarentur. Addita & cæremonia alia sacratior: *Vt in elevatione Corporis Dominici omnes petant veniam (procidentes in facies suas, & tandem sic maneant, donec post consecrationem Calicis, Sacerdos elevet manus suas.* Crediderim ad imitationem Cherubim velantium facies suas præ reuerentia, denotare voluisse, cessurum visum Sacramento fidei, & nihil prorsus in mysterio illo ausurum. Haud aliter Apostoli dilecti, gloriam Dei in Thabor speculantes, ceciderunt in facies suas, quæ, vt dixi, est venia nostris iniuncta; in qua an persisterent, dum Calix eleuabatur, non satis constat; & videtur conformius verbis adductis. Hodie cùm primùm eleuari Calicem, ex sono cymbali, aliundéve cognoscimus, ad Altare respicimus, eundem, quem in Hostia Christum, in Calice reuerenter adoraturi.

9. Vltimo loco prohibiti Abbates vestes sacerdotales benedicere, atque iussi puniri, si transgrediantur. Ea Patrum nostrorum sancta humilitas, quæ fastum omnem, præsumptionémve, vel in ipso Dei cultu detestaretur. Neque damnandi, qui decursu temporis, concessione Pontificum, Pontificalia etiam exercere, &, quod rarum, & sine exemplo prorsus est, Ordines sacros, Sacerdotio excepto, conferre, (quod suo loco dicemus,) amplificandæ Religionis zelo, sollicitarunt. Sed ea facultate nondum obtenta, continendos Abbates; neque paulatim, quod Patres non fecissent, ausuros Filios, maximè reclamantibus Episcopis, quod mihi probabilius, prudenti Arnaldus, modestóque consilio, atque suis salubri deliberauit. Leuiora quædam alia præcepta sunt, quæ non licet ad verbum reuocare.

10. Hunc annum video vacuum in Chronologiæ nulla in eo Abbatia nostris adiuncta: quod ab anno M. C. XX V. recenti adhuc Cistercio, & vix dum inchoato, propagari nunquam visum. Casu, an Arnaldo Patre prouidente, mihi non constat: & ego dendum, qui dudum perceptus fuerat, voluisse modum seruari in Fundationibus. Quippe sequentibus annis, non nisi rarè, (cùm maximè Cistercium tunc floreret,) & tales, quas, etsi vellent, non possent non acceptare. Inuenio tamen inter Epistolas Innocentij Papæ III. ad Abbatem, & Conuentum Altæ Cumbæ scriptam epistolam, in qua iubentur, vt Conuentum Fratrum in Græciam mittant, in Prouinciam Achaiæ; & Patracensem Diœcesim, condendo, & habitando nouo Cœnobio, quod Patracensis Archiepiscopi interuentu, Gaufridi de villa Arduini Achaiæ Domini, pietas ei, & munificentia præparauisset. Litteras portò eiusdem Innocentij vulgauit Boschetus, nec nobis licet silentio præterire. Sunt autem tales [d]: d *epist. 148.*

Abbati, & Conuentui Altæ Cumbæ. 11.

Cùm nobilis Vir, G. de Villa Arduini, Dominus Achaiæ, ad suggestionem Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Patracensis, sicut ipse proposuit coram nobis, multas possessiones, & alia bona vobis duxerit concedenda, de quibus Conuentus valeat sustentari; Deuotioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi propositum prompto prosequentes fauore, Conuentum de Fratribus vestris eisdem Archiepiscopo in suis deducendum expensis propter hoc assignare curetis. Datum Laterani Nonis Nouembris, Pontificatus nostri anno XIII.

12. Bilokanum Cœnobium Sanctimonialium ad vallem Gandauensem velut hoc anno natum Miræus memorat. Quod eo Meyerus loquatur de Fulcone, insigni planè Viro, qui Xenodochium primum, mox Monasterium dicitur construxisse, cùm à Deo, ob recusatam prædicationem Crucis contra Albigenses, grauiter, & seuerè punitus esset. Verùm de Xenodochij initiis, alia est ratio, & recentiora adhuc esse dicam in tempore. Moniales constat longè posteriores, quando quæ primum locum inhabitarunt anno M. CC. XV. ingressæ sunt, vt suo loco probandum à nobis erit. Ergo sequenti anno Xenodochium construere instituit: cui posteà censuit Moniales præficiendas. Translatum tamen Aquitiense Cœnobium circa hunc annum, ex Leodio ad Brauantiam, & in vico Allodiensi vulgò, *Alleux*, vno à Niuella lapide locatum; adnotaui superiùs; etsi non diu ibidem permansurum: sed nihilominùs felix locus fuit Sanctæ Lutgardis Virginis aduentu, quod in eo induisse Cistercij Habitum, & se cœtui Monialium aggregasse, priùsquàm inde migrarent, sequenti Tomo anno Christi M. CC. XV. quo euenisse constat, referemus.

1. *Prorogata prædicatione Crucis*, 2. *Iacobus de Vitriaco, alios sibi associans*, 3. *& Guillelmus Parisiensis multos signant.* 4. *Fulco Tolosanus Confratrias Tolosæ armat contra Hæreticos.* 5. *Cabaretum capitur, & Vaurum obsidetur*, 6. *& expugnatur auxilio Tolosanorum*, 7. *& orationibus imploratum Dei auxilium.* 8. *Notata dies, atque eius circunstantia.* 9. *Et supplicia ibidem sumpta de Hæreticis.* 10. *Fulconis constantia*, 11. *& tandem de Tolosa vrbe egressus,* 12. *quem vniuersus Clerus sequutus est, Sacratum Christi Corpus secum deferens.*

CAPVT I.

1. PROROGABATVR prædicatio Crucis aduersùs Albigenses per annos singulos, designatis Ministris glorioso operi. Neque solùm ex nostris, vt factum hactenus, quamuis nil sine nostris; sed ex selectis totius Orbis Præconibus, qui vrbes, qui Prouincias concitarent contra hostes Ecclesiæ, quoadvsque abolerentur, continuanda. In his ex exteris, insignes duo Viri Iacobus de Vitriaco, non multò pòst Ecclesiæ Cardinalis, & nulli inferior pietate, doctrináque Guillelmus Parisiensis nunc primùm designati ad opus verbi: ex nostris, dudum illi destinatus Fulco Archiepiscopus, atque recèns assumptus, vir magni nominis, Abbas Curiæ Dei, cui tum Arnaldus, tum Præsul Vticensis, dum aliis fortè negotiis detinerentur, Inquisitoris munus, atque Fidei tutelam subdelegauerant. Ergo hoc anno à Christo in terris nato millesimo centesimo vndecimóque, ab incepto Cistercio centesimo quartodecimo, hi quatuor pugiles, dum alios Cruce signant, dum ipsi puras manus ad Deum leuant in Psalmis, & Canticis, (quod genus est militiæ excellentioris,) negotium Christi glorioſi promouerunt, confirmante, nimirum, ipso, quod prædicabant, patentibus miraculis, atque eorum præceptis vim addente; tum demum profligante hostes, dum ipsi canerent, vt non tam gladiis militum præliantium, quàm vocibus canentium diuinas Laudes, ipsi se victos, & confusos profiterentur. Hæc ergo singula, quia vel per nostros facta, vel non sine nostris, quædam etiam, quia in nostros redundarunt, cum aliis, quæ gesserunt, in hoc capite veniunt differenda.

2. Iacobum de Vitriaco ad hoc opus, alij immediatè ab Innocentio III. alij ab illius Legato Episcopo Vticensi, Arnaldus Abbatis Collega vocatum tradunt. Certè à quocunque, Virum zelo feruidum, neque minùs potentem authoritate, multos sibi assumpsisse coadiutores, per quos, quas minùs per se ipsum posset, Germaniæ, & Belgi prouincias peragraret, quicunque de eo scribunt, testificantur. Id verò in illo historia dignum fuit, quod narrat Meicrus, quódque ex euentu concernit Annales nostros: si quos fortè ex electis ad hoc opus, rebelles inuenit, aut recusantes ministerium sibi iniunctum, vindice Numine, punitos vel in hac vita; nulla quamuis eximia sanctitate aliquem præseruante, quo minùs eam vindictam experiretur. *Fulco* (ait [a]) *cognomento, Vtenhouc, patria Gardensis, percelebri tum vir sapientia, cum nullis posset modis impelli à Iacobo Vitricensi, Innocentij Legato, vt eam promouere expeditionem conaretur, idoneum se esse negans; subito, ceu vindicte irato Numine, grauissima corripitur hæmorrhoide, quam per annos viginiquattuor tam forti, infractóque tulit animo, vt Christum Seruatorem, ante obitam mortem (vt aiunt) videre, dilmque obitus præcire meruerit. Canonicus erat Insulanus. Condidit Gandani quandam Domum hospitalem pro egenis, cui nomen est,* Billoka. Ita Meier. Dixi autem & hoc signum, quamuis ab extero factum, redundasse in nostros: quia hoc ipsum Xenodochium Billokanum, vt infrà dicam, ipso Fulcone agente non multò pòst, in Virginum Cistercienſium Cœnobium cessit, quæ infirmis ministrarent; ne vel in sexu fragili, quod nouum hoc opus pietatis, à Cistercio alienum inueniretur.

[a] *lib. 3. an. 1210.*

At dum Iacobus Germaniam, Belgiúmque, per se, & per socios; Guillelmus Parisiensis Archidiaconus contra Albigenses Galliam concitabat: quod verbis referam Petri Vallsarnensis; qui tamen eum, imò & Iacobum Vitriacensem, non immediatè, vt dixi, ab Innocentio; sed à Præsule Vticensi (Arnaldi Abbatis Collega) ad prædicandam Crucem missos tradit. *Tempore illo*, ait [b], *Guillelmus Venerabilis Archidiaconus Parisiensis, & quidam alius Magister Iacobus de Vitriaco, de mandato, & ad preces Episcopi Vticensis, quem Dominus Papa negotio fidei contra Hæreticos Legatum præfecerat, qui etiam ipsum negotium diligebat, & efficaciter promouebat, prædicationis officium assumpserunt, qui zelo fidei succensi Franciam, imò Alemanniam circumeuntes, tota hyeme illa incredibilem fidelium multitudinem, ad Christi militiam, signo Crucis in pectoribus signauerunt: isti siquidem duo, præcipuè, post Deum, fidei negotium in partibus Gallicanis, & Theutonicis promouerunt.* Hæc ille: & videtur indicare magis sequentem hyemem. Hactenus quæ exteri ad bellum huius anni: nunc quæ gesserint nostri prosequamur. 3.

[b] *Hist. Alb. c. 38.*

Vt illi eminùs, sic & ipsi cominùs insistebant negotio: Arnaldus per Abbatem Curiæ-Dei, qui in castris præsidebat ipsius vice: Fulco Archiepiscopus, qui in vrbe Tolosana, reuocare domos, hortari fragiles, confirmare fideles, & signo Crucis, quos filios Crucis nouerat, armari in hostes Crucis sermonibus, præceptis, consiliisque, atque omni arte, & industria sollicitabat. Porrò ex his, quos Ecclesiæ restituit, retinuitve, non leuem manum militum instruxit, quæ postmodum victoriæ ad Vaurum partæ, quam statim memorabo, magna pars fuit. Audi Guillelmum de Podio ita loquentem [c]: *Venerabili itaque Fulcone Episcopo curam gerente vigilem, quod omnes ciues Tolosani ista, quæ extraneis concedebatur, indulgentia, non carerent; vtque per hanc deuotionem eos Ecclesiæ aggregaret; atque facilius pereos expugnaret hæreticam pranitatem: cum Dei auxilio, iunctate Legato, obtinuit Tolosa magnam fieri Confratriam,* 4.

[c] *cap. 15.*

Confratres

Confratres omnes consignans Dominico signo Crucis: in qua fuit ferè tota ciuitas, præter paucos: & de Burgo aliqui consenserunt: & omnes adstrinxit Ecclesia vinculo iuramenti, præpositis Baillinis Confratriæ, Aymerico de Castro-Nouo, & Arnaldo Bernardi, dicto Endura.

5. Sic & relictus Arnaldi Abbatis loco in Castris Ecclesiæ, Venerabilis Abbas Curiæ-Dei, quod ex Petro Vallsarnensi infrà videbimus, non vllum omittebat officium egregij Ducis, nedum solliciti aduersùs hostes Fidei Inquisitoris. Itaque cùm venissent ex Gallia milites, quos Guillelmus Parisiensis (nam hi primi venerunt) Cruce signauerat, quos Petrus Vallsarnensis speciali præ aliis cura memorat: *Anno*, inquiens [d], *Verbi Incarnati millesimo ducentesimo undecimo circa mediam Quadragesimam venerunt de Francia Cruce signati nobiles, & potentes; Episcopus, videlicet, Parisiensis, Ingelrannus de Cociaco, Robertus de Tornaco, Iuelin de Meduana, & plures alij*, &c. Cùm, inquam, hi ex Gallia primi venissent, communicato cum Arnaldi vices gerente vniuerso consilio, Montfortius Comes, primùm, nullo obsistente, Cabaretum, illustre quoddam castrum, mox Vaurum expugnat: sed difficilius: *Erat siquidem* (ait idem, qui suprà, Author [e]) *in Castro infinita hominum multitudo, & armis optimè munita; ita ferè plures erant defensores, quàm essent impugnatores.* Ergo vitra locum munitum arte, & natura, eóque non cessurum, vel magnis copijs, obsessi numero, armis, & commeatibus, obsessores longè superabant. Quippe qui peregrini ex Francia venerant ad resistendum satis, ad inuadendum inæquales reperiebantur: & imminebat nostris ingens periculum, si forte resilirent ab obsidione. Cæterum hunc defectum suppleuit Fulco per Confratrias suprà memoratas, è quibus, ait Petrus Vallsarnensis [f], *ad quinque millia ciuium, ad monitum Venerabilis Episcopi in auxilium nostrorum venerunt.* qui ipsis adiuncti, sed præcipuè à Numine cælesti, hostium superbiam facile humiliarunt. At, qua ratione victoria parta sit, tum aduentu militiæ Tolosanæ, tum vocibus canentium diuinas laudes, dum signa signis vtrinque conferrentur, Guillelmus de Podio Laurentij ita prosequitur [g]:

Requiruntur inter ea Confratres Tolosani per Legatum & Episcopum suum, vt venirent in exercitum, (ad Vaurum, intellige,) *negotij fidei & pacis succursum, & auxilium impensuri. Qui sumentes arma sua, & copias, conuenerunt in plateam Montis Hygoni, exercitu magno valdè, sumpturi ibi consilium, qua porta egrederentur, ad exercitum profecturi. Vbi Comes affuit inter eos, egressum eis in auxilium inimicorum suorum minis, & precibus interdicens; qui eum audire noluerunt iuramentum Legato præstitum, præferentes. Et venientes ad portam Sancti Stephani, quæsiuit dispositurus præsenti ibi; eumdem Comitem inuenerunt, qui obicient super vestes brachia; dicénsque, quòd primò ei brachia frangerent, quàm exirent; ibi eorum exitum impediuit. Qui præsumentes, quòd ad quancunque portam idem faceret, ex improuiso versus pontem Garumne vexilla dirigunt, transeuntes, & vadentes subtus vadaculum, ad exercitum apud Vaurum properarunt. Quos à longè obsessi prospectantes succursum Comitis credidérunt: sed quòd inter castra exercitus erigerent sua tentoria contemplantes, succursus confidentiam perdiderunt. Videntésque, quòd se defendere non possent, datis obsidibus, voluntati oppugnantium se tradiderunt.* Sic Castrum Vauri Fulconis Tolosani captum militibus, quos neque Hæretici, neque eorum fautor Raymundus, Dominum quamuis proprium tenerentur, neque pericula fluminis, aut belli, quin in fide perstarent, deterruerant.

At gladios militum minùs in hac victoria, quàm Venerabilis Abbatis Curiæ Dei, & reliquorum Ecclesiasticorum, voces in Dei laudem effusas, effecisse, vt & hoc etiam signum nostris faueret, & Dei in bello causam manifestaret, qui præsens aderat Petrus Vallsarnensis, ad nostrósque transmisit totidem verbis [h]: *Dum autem nostri in expugnatione ista instantissimè laborarent, Episcopi, qui aderant, & quidam Venerabilis Abbas Curiæ Dei, Cisterciensis Ordinis, qui de mandato Legatorum ipsorum vices in exercitu tunc agebat, vniuersúsque Clerus congregati in vnum, cum deuotione maxima, Veni, Creator Spiritus, decantabant. Quod videntes, & audientes aduersarij, ita Deo disponente stupefacti sunt, & vires resistendi panè penitus amiserunt, quia sicut postea confessi sunt, plùs timebant eos cantantes, quàm pugnantes; psallentes, quàm insilientes; orantes, quam infestantes. Murus igitur perforatus, iam nostris intrantibus, & aduersariis, cùm iam non possent resistere, se reddentibus, voluerunt Deo, & nostris misericordiam visitante, in Festo Inuentionis Sanctæ Crucis, captum est Castrum Vauri.* Hactenus à Christianis parta victoria per milites instructos à Fulcone, dum gladijs pugnant; sed per Choros canentium, instante Præsule, qui Arnaldi Abbatis vices exercebat, dum Deum orantibus exorant; vt in vtroque gladio Cistercium radians, & cunis, & spiritus per vtrumque inimicos Crucis propelleret.

8. Memorat tamen idem, qui suprà, Petrus id, quod non licet silentio præterire; diuina prouidentia effectum esse, vt quia cœlesti irrisissent signum Crucis, in eius die Festo, (mense, nimirum, Maio,) & caperetur castrum, & præcipui ex propugnatoribus eius trucidarentur. *Quadam die*, inquit [i], *exeruerunt nostri prope murum castri castella quædam de ligno, in cuius summitate Christi milites posuerant signum Crucis. Aduersarij verò ad Crucis vexillum instantiùs cum machinis iacientes, inde supradictæ Crucis brachium confregerunt. Statim canes impudentissimi tantum emiserunt vlulatum, pariter & cachinnum, ac si de confractione Crucis maximam victoriam reportarent. Sed dedicator Crucis iniuriam istam miraculosè, & manifestissimè vindicauit. Contigit autem non multò post res mirabilis, & mirificè extollendà, quòd Crucis inimici, qui de Crucis confractione exultauerant, (ruce sua munitas vindicante, in Festo Crucis capti fuerunt, sicut inferius ostendemus.* Hæc ibi. Hactenus de Castri Vaurensis expugnatione. At quæ in eo supplicia inflicta Hæreticis, iubente haud dubiè Abbate Curiæ-Dei, idem, qui suprà, Petrus persequitur scribere [k]:

9. *Mox eductus est de castro Aymericus, de quo suprà tetigimus, qui fuit Dominus Montis Regalis, & alij milites, vsque ad octogenta. Nobilis autem Comes proposuit, quòd omnes patibulo suspenderentur: sed, cùm Aymericus, qui erat maior inter illos, suspensus fuisset, fidentibus furcis, quæ præ nimia festinatione terræ non fuerant bene affixæ, videns Comes, quod mora magna fieret, alios occidi præcepit: quos peregrini auidissimè suscipientes decollarunt ibidem in eodem loco. Dominam etiam castri, quæ erat soror Aymerici, & Hæretica pessima, in puteum proiectam, Comes lapidibus obrui fecit. Innumerabiles etiam Hæretici peregrini nostri cum ingenti gaudio combaserunt.* Eadem ferè Guillelmus de Podio Laurentij; nisi quòd non solùm Aymericum, sed cum eo paucos alios suspendio sublatos tradit. Atque hinc huius anni ingens victoria interuentu nostrorum parta Ecclesiæ inter signa, & prodigia non vulgaria. Nunc To-

losani

[d] cap. 48. [e] cap. 49. [f] cap. 50. [g] cap. 17. 6. [h] ibid. [i] cap. 52. [k] vbi suprà.

losani Archiepiscopi Fulconis tum constantiam,tum zelum aduersùs Comitem:atque vltimum irrogatum illi supplicium, si recte saperet,paucis prosequamur.

10. Inter hæc ergo columna magna fidei,quam ferè solus Tolosæ sustentabat,futente Comite, post non vulgarem ostensionem suæ constantiæ, Tolosa vrbe egressus ad exercitum venit,non tam exul,quàm vindex,neque Comitem fugiens,sed derelinquens: nam audi,quod accidit: *Erat quodam die Episcopus apud Tolosam Sabbatho,videlicet,post mediam Quadragesimam,& sicut mos est in episcopalibus Ecclesiis,volebat die illa Ordines celebrare. Veruntamen Comes Tolosa tunc erat in ciuitate,qui pro excessu multiplici ab apostolica Sedis Legatis nominatim erat excommunicatus:itaque in aliqua villa,in qua erat,non poterat quis diuina mysteria celebrare. Missi igitur ad Comitem Episcopus,humiliter rogans, & monens, vt ipse causa laudendi exiens à ciuitate,vrei spatiatum,donec solummodo Episcopus Ordines celebrasset. Tyrannus autem in furorem conuersus, misit ad Episcopum militem vnum,mandans,& sub periculo capitis districtè precipiens,vt de ciuitate Tolosa, & de tota terra Comitis citius egrederetur. Vir autem Venerabilis hæc audiens,in feruore Spiritus,mente intrepida, clarissimo vultu,sicut refertur militi dedisse responsum: Comes, inquit, Tolosanus non me fecit Episcopum, nec per ipsum hîc ordinatus sum,vel pro ipso ecclesiastica me elegit humilitas,non intrusit violentia principalis:non exeo propter eum. Veniat,si audet: paratus sum excipere gladium, vt pertingam ad maiestatem per calicem passionis. Veniat tyrannus stipatus militibus,& armatus,solum me reperiet,& inermem: attendo brauium: non timebo,quid faciat mihi homo. O constantia animi! ô mirificum robur mentis!*

Ex Vallsarnens. c. 52.

Manens igitur intrepidus ille Dei famulus,de die 11.
in diem expectabat tyranni gladium. Sed, cùm ille non auderet eum interficere, vtpote qui Ecclesiæ Dei iam pridem mala intulerat tot,& tanta; timebátque, vt vulgò dicitur,pelli sua. Postquam Episcopus quadragesima dies in illa mortis expectatione peregerat,de ciuitate egredi Tolosana proposuit:die igitur quodam in Octauis Resurrectionis Dominicæ,egrediens Episcopus de ciuitate ad Comitem nostrum,qui erat in obsidione Vauri,deuenit. Nostri autem in expugnatione castri continuè laborabant:aduersarij verò,vtpote superbissimi,se instantissimè defendebant. Neque silendum est,quod sedentes in equis, ferro coopertis, super muros discurrebant,in derisum nostrorum,vt sic, videlicet, ostenderent muros amplissimos, & fortissimos se habere. Ergo qui milites prius ex vrbe miserat in auxilium exercitus Christiani, non multò pòst ipsemet sequutus ad eos transiit, vt quemadmodum illi gladiis, sic ipse orationibus Hæreticos rebelles debellaret. 12.

Additum tamen in Comitem supplicium,ni desisteret,vltimum;cùm non solùm Episcopus,sed Clerus vniuersus,iussu Episcopi, atque ipse, qui est gloria Cleri,& populi(Christus in Eucharistia) vrbe egressi,quos nec ad fidem conuertere dabatur, neque poterant punire;datos in reprobum sensum deseruerunt. Quod idem Vallsarnensis his verbis narrat: *Hæc gestis Episcopus Tolosa, qui erat in exercitu, mandauit Præposito Ecclesiæ, aliisque Clericis, vt de ciuitate Tolosana egrederentur: qui statim iussa complentes, nudis pedibus cum Corpore Christi egressi sunt Tolosa.* Eò miseriæ peruenit infausta vrbs,à Principis malitia, quæ breui perdidit ciues vniuersos. Sed de his statim.

---

1. *Tolosani ad vomitum reuersi,*2. *Comes Monfortius pugnans ad Nouum Castrum,*3. *animatus à nostris,*4. *hostem profligat.* 5. *Vox ad Monachum orantem de cœlo facta.*6 *Innocentij Litteræ in Dominos Castri-Noui,* 7. *aliaque in Roncelinum quendam, & Massilienses,* 8. *ab Arnaldo damnatos.*9. *Reliqua huius anni minùs felicia.*10. *Verùm Fulconis, Guidonísque* (Cisterciensis vtriusque) *reparanda prædicatione.*

CAPVT II.

1. VGNATVM inde à nostris vario euentu,& multa castra capta; alia amissa,quæ non vacat per singula narrare. Id vnum tantùm notatione dignum inuenio:quos Fulco ciues vrbis Tolosanæ in rebelles armauerat; quotúmque auxiliis Vaurum captum fuerat; eosdem post Episcopi absentiam iunctos Hæreticis adstitisse Raymundo, cùm post modum à Cruce signatis obsideretur. Narrat hæc omnia coætaneus penè Author Guillelmus de Podio,his,quæ ex ipso transcripsimus superiùs,ita subiungens [a]: *Remissis autem ad propria Confratribus Tolosanis,Comes cum maximo labore,& studio, eos sibi aggregauit, & partes in vnam concordiam reuocauit: & omnes vnanimiter muniendæ, & tuendæ ciuitati à superuenientibus insistebant: & fuit lata per Legatum excommunicationis sententia contra omnes.*

a cap. 18.

2. Nostris in obsidione Tolosæ nihil factum: ad Castrum Nouum ingens victoria fuit. Obsesso à Fuxensi Comite, & sequacibus (ingenti, vt statim patebit, multitudine) venerat in auxilium Monfortius Comes:& hostibus inuitis Castrum intrauerat, virtute magis, quàm armis defendendum Monfortium sequebantur alij fideles,inter quos Caturcensis Antistes,& Cistercienſis, (sed ignotus) Monachus, qui vice Arnaldi præerat;& ipsi obsessis, quam possent,opem laturi. Has copias intercipere volenti Fuxensi Comiti occurrit Monfortius:& [b] *Absit*, ait, *vt milites nostri moriantur in prælio gloriosi ego viuus,& ignominiosus euadam. Volo vincere cum meis,vel cum meis mori. Eamus & nos, & si necesse fuerit moriamur cum illis.* Sic fatus,& lacrymas extorquens ab omnium oculis,qui viri zelum nouerant,*Statim*,ait Petrus Vallsarnensis [d], *suis properat in succursum. Comes autem Fuxi, vt appropinquauit nostris, tres turmas,quas fecerat,in vnam redegit.* Hoc initi certaminis initium: hæc soluendæ obsidionis,& penitus fugandorum, atque profligandorum hostium occasio fuit. Reliqua narrat Author, hæc verba scribens [e]:

b ex ep. Vallsarn.

d ibid.

e ibid. 13.

Episcopus Caturcensis,& quidã Monachus Cisterciensis,qui de mãdato Abbatis Cisterij,de negotio Iesu Christi curam gerebant,veniebant cũ Marescallo; qui videntes hostes venientes, bellúmque imminere, cœ-

runt

runt cohortari nostros, vt viriliter se haberent, promittentes firmissimè, quòd si tam glorioso certamini pro fide occumberent Christiana, remissionem adepti peccatorum, omni statim gloria, & honore coronati, mercedem reciperent sui certaminis, & laboris. Strenuissimi autem milites nostri, certi quidem de præmio; sed & bonam de reportanda victoria spem habentes, hilares, & intrepidi hostibus occurrebant: illi autem veniebant in vnum conglobati. Ordinauerunt autem ipsi aduersarij aciem suam: illi, qui in equis sedebant, ferro cooperti, incedebant medij: reliqui autem equites ex vna parte, pedites verò ex altera optimè muniti. Habito igitur nostri inter se consilio statuerunt, quòd illos, qui haberent equos coopertos, prius impeterent.

4. *Dum hæc fierent, aspiciebant nostri à longè, & viderunt Comitem nostrum exeuntem à Castro nouo, & in eorum auxilium properantem: statim duplicata audacia animosiores effecti, inuocato Christo, in hostes se medios immiserunt; ipsosque dicto citius penetrarunt: illi autem victi in momento, & confusi, fugæ præsidia arripuerunt. Quod videntes nostri statim ad pedites, qui stabant à parte altera, se vertentes, de illis innumerabiles occiderunt. Nec silendum, quod Maresciallus, veridica relatione asserit, quòd contra vnumquemque ex nostris erant hostes plusquam triginta. Agnoscatur igitur operata Diuinitas: non enim potuit Comes noster bello interesse, quamis subfestinatione maxima aduenire: iam enim suis militibus victoriam dederat victor Christus. Insequentibus igitur nostris fugientes aduersarios, & extremos quosque cædentibus, facta est hostium strages magna: de nostris autem non occubuerunt plusquàm triginta; cùm de hostibus innumerabiles fuerint interfecti.*

5. Hæc ingens nostris hoc anno victoria fuit. In qua neque illud puto prætereundum, quod idem Author narrat de Comite Simone, cùm proficisceretur ad Castrum nouum. *Quadam igitur die*, ait [f], *Dominica, cùm esset Comes* (scilicet, Simon) *Carcassonæ, & audisset Missam, & diuinis Sacramentis communicasset, iturus statim ad Castrum nouum; Conuersus quidam Cisterciensis, qui aderat, cœpit consolari eum, & quantùm poterat, animare. Cui vir nobilis, tectum de Deo præsumens: Putatis, inquit, quòd timeam. Christi geritur negotium: vniuersa pro me orat Ecclesia. Scio, quòd non poterimus superari.* Porrò quàm certa fiducia Comitis fuerit, non solùm de victoria comparanda, sed de orationibus, quæ à tota Ecclesia pro eo ad Deum fiebant, patefecit Oraculum ad alium Cisterciensem de cælo factum, cùm pro eo catholico exercitu oraret, dum res in dubio, & nostris præ paucitate timendum foret. Prodit idem Author sequenti capite: *Monachi*, inquit [g], *Domus illius* (scilicet, Grandis Syluæ) *in magna afflictione positi erant, quia si nobilis Comes Montis fortis caperetur in Castro nouo, vel occumberet in bello, imminebat eis mors, & gladius: Comes siquidem Tolosanus, & complices sui, super omnes exosos habebant Monachos Cisterciensis Ordinis, & præcipuè Domum illam, eò quòd Abbas Cisterciensis Arnaldus, apostolicæ Sedis Legatus, cui exhæredationem suam præcæteris imputabant, Abbas fuerat Domus illius. Quadam itaque die, dum quidam Monachus dictæ Domus, vir religiosus, & sanctus celebraret diuina, in ipsa Eucharistiæ consecratione, ex intima cordis deuotione pro dicto Comite Montis fortis, qui tunc temporis in dicto Castro nouo obsessus erat, supplicauit: ad quem vox diuina: Quid pro eo oras? Tot pro ipso sunt orantes, quòd oratione tua non est opus.* Hæc ille.

6. Cæterùm, quod ad Castrum nouum attinet, extant Litteræ Innocentij Papæ IV. ad Episcopum Vticensem, & Abbatem Cistercij, quibus sententiam, ab eodem Abbate latam, in eius dominos præcipit inuiolabiter obseruari. Expressa in his eorundem virorum crimina: sed, quæ tyrannidem, atque iniustas exactiones sapiant magis, quàm hæresim. Nisi quòd tamen de hæresi suspecti, & de aliis conuicti, atque rebelles, potuerunt Tribunali sacro subesse. Litteras ipsas placet in medium producere [h]:

Vticensi Episcopo, & Abbati Cisterciensi, apostolicæ Sedis Legatis. 7.

Cùm in nobiles viros Comitem Folcardiensem, G. Ademari, Lambertum de Montibus, dominos, ac dominus Castri noui, & quosdam alios propter pedagia, exactiones indebitas, & alias iniquitates, quas in flexis, & fluminibus committere non verentur, ate, Fili Abbas, de multorum Prælatorum consilio sententia fuerit promulgata; Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eandem sententiam rationabiliter latam faciatis apostolica authoritate per censuras ecclesiasticas, vsque ad satisfactionem condignam firmiter obseruari. Datum Laterani, secundo Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno XIV.

8. Non multò pòst expeditæ aliæ Litteræ ab eodem Summo Pontifice Innocentio, ad eosdem, in Roncelinum quendam Mathilientem, itémque in alios ciues eiusdem vrbis; expresso in illo crimine apostasiæ; in his, consensus, conniuentiæque, ob quæ ab eodem Abbate damnati essent [i]: *Cum in Roncelinum Apostatam, & perfidum, & Massilienses pro eo, quod obediuit, & fauent in suis abominationibus manifestè, ate, Fili Abbas, de multorum Prælatorum consilio, sententia fuerit promulgata: Discreti vestræ, &c. Datum Laterani decimoseptimo Kalendas Maij, Pontificatus nostri quartodecimo.* Hinc palam videas ab Arnaldo, vel absente, pendentis cuncta. Quin & eundem, etiamsi distractum aliis negotiis, Vicarios substituere; non vnquam tamen adeò hæc omisisse, vt non frequens in Domini exercitu, & vniuersis prouinciis Hæreticorum iret, reditétque, cuncta perambulans, cunctisque assistens, velut omnium rationem redditurus. Demum quàm longè à veritate deuent, qui ipsum munit hæc Inquisitoris, atque Hæreticos ligandi, aut absoluendi, si resipiscerent, potestatem iniunctam, delegare, aut committere potuisse volunt, non exercere. Sed hæc clariora sunt, quàm vt in eis libeat immorari.

9. Progressus anni infaustus nostris fuit multis castris amissis, non vi armorum, sed proditione gentis, quæ iugum Euangelij, quanuis suaue, semel fuerat mendaciis, ægrè ferebat. Occisi & quidam de nostris nobilioribus, qui posthuodum à sociis requisiti [k]. *In Abbatia Cisterciensis Ordinis, quæ dicitur Bolbona, sepulti sunt.* Tum verò Fulco Episcopus Tolosæ, Guidóque Vallium Sarnaij Abbas, cùm crescere zizania, nisi scindantur, & multa esse conspicerent; sed paucos operarios, qui gladio materiali, quali tunc opus erat, scindere possent; intrante hyeme progressi in Franciam, & causam Christi egregiè promouentes, qui afflictis rebus opitularentur, multos Cruce signarunt, miseruntque; adeò vt non expectato vere sequentis anni ante Christi Natale, multi venirent, de quibus idem Petrus ita scribit [l]:

10. *Rebus sic se habentibus, ille nobilissimus militum, ille Christi seruus, ille Iesu negotij amator præcipuus, & promotor, Robertus, videlicet, Malus Vicinus, qui præcedenti æstate perrexerat in Franciam, redibat habens secum de electis militibus Franciæ plusquàm centum; qui omnes Ducem suum fecerant, & Magistrum.*

Hi

[f] cap. 56.
[g] ibid.
[h] ex lib. 4. Regest.
[i] ibid.
[k] Vallsarn. cap. 58.
[l] cap. 59.

Hi omnes admonitionibus Virorum Venerabilium, Episcopi, videlicet, Tolosani, & Abbatis Vallium siguati, accinxerant se ad militiam Iesu Christi, qui tota hyeme illa in seruitio Iesu Christi perseuerantes, supra dictum negotium, quod in multa depressione tunc erat, nobiliter erexerunt. Hactenus, quæ hoc anno gesta per nostros aduersùs Albigenses. Nam, quæ anno sequenti, aliáque Arnaldum, & Guidonem concernentia, ipso, quo euenerunt, dicturi sumus.

---

1. *Fulco, atque Guido ad inuicem diuisi: 2. ille Belgium, hic Galliam peragrauit. 3. Sanctam Lutgardim Benedictinam tunc Monialem Fulco inuisit. 4. Itémque Beatam Mariam Oegniacensem. 5. A qua, Pontifice Sancto celebrante, columba visa. 6. Consecratum altare non sine miraculo. 7. Fulconis, ex Maria Oegniacensis colloquio, mirus profectus. 8. Quanto tempore, aut quoties Leodij fuerit. 9. Et cæleste Oraculum ad Monachum Cisterciensem factum de his mulieribus.*

CAPVT III.

1. ENTER hæc Tolosanus Fulco, Guidóque, quantùm ex serie Historiæ licet conijcere diuisi ad inuicem, & Guidone in Gallia remanente, Fulco peragrans Belgium, vsque ad partes Leodij penetrauit: vbi multorum hominum, sed præcipuè aliquarum fœminarum admirandis virtutibus, & sancta conuersatione adeò delectatus est, vt duram suæ gentis cerulcem memorans non cunctatus sit dicere eximio Viro Iacobo de Vitriaco, quo præ cæteris vsus in illis partibus, Ægyptum se Tolosæ reliquisse; sed inuenisse terram promissionis, in qua tunc versabatur, cùm velut per desertum aduenrasset. De hac Fulconis peregrinatione in partibus Leodij, idem Vitriacus ad eundem Fulconem scribens [a]: *Quamobrem etiam Sanctus, & Venerabilis Tolosana Ecclesiæ Episcopus ab Hæreticis è sua ciuitate expulsus, cùm in Galliam, Belgicam, petiturus auxilia contra fidei hostes venisset, & tandem ad Leodiense territorium, quærendam in vera humilitate Christo militantium fama, & odore attractus descendisset; non potuit satis admirari fidem, & deuotionem, præsertim, sanctarum fœminarum, cùm eas videret summo studio, desiderio, & reuerentia Christi Ecclesiam, & Sacramenta Sancta Ecclesiæ prosequi, quæ in ipsius regione ab omnibus fere, vel prorsus reiiciebantur, vel parui pendebantur* Ita Vitriacus ad Episcopum Fulconem, non secùs ac si cum alio loqueretur.

[a] *apud Sur. tomo 3. in Prologo 8. Mariæ Ægypt.*

2. Verùm statim eundem palam alloquens, & velut reconueniens, quòd eius siue iussu, siue hortatu, Matiæ Oegniacensis (insignis sanctitatis fœminæ) Vitam scribendam suscepisset, hæc verba subdit [b]: *Scis enim, Pater sancte, Tolosana Ecclesia Pastor, imò totius Ecclesiæ Christi columna fortis, ad te nanque mihi sermo est, quo præcipiente, & me negligentia arguente, præsens Opusculum ausus sim scribendum suscipere. Nosti, posteaquàm ad partes nostras peruenisti, vt tibi visus sit, tanquàm in promissionis terra versari. Te enim narrante, memini audiuisse, in tua regione reliquisse te Ægyptum, & transeuntem per desertum terram promissionis in ditione Leodiensi inuenisse. Videras apud tuos, multos nostræ Regionis Crucesignatos contra Hæreticos fide feruentes, in afflictione mirabiliter patientes, misericordiæ operum valde studiosos: imò quemadmodum ipse mihi dixisti, audieras, non sine multa admiratione, fœminas quasdam apud nos acerbius lugere vnum aliquod veniale erratum, quàm vestrates homines vel mille mortifera peccata lugerent: cùmque ad nos veniisses, nõ aliter vidisti, quam audieras: ita vt agrè potueris credere, nisi certa ecclorum fide, & experientia cognouisses.* Ita Iacobus Vitriacus.

[b] *ibid.*

3. Inter præcipuas, quas ibidem inuenit Venerabilis Fulco, fœminas sanctas Beata Lutgardis fuit, tunc nigri Ordinis Sanctimonialis; non multò pòst Cistercium illustratura. Porrò, cùm eam intimiùs pertractaret, inter alia cognouit Vir apostolicus, concessam illi notitiam occultorum, maximè peccatorum, si non ritè, & exactè deleta per Confessionem, vel oculis diuinis subtracta essent: quod ipsum illi inculcat idem Vitriacus [c]: *Veniamus ad singulares, ait, personas, & specialia miracula. Testem hic adhibeo sanctitatem tuam. Tuis enim oculis vidisti mira Dei opera, & in personis diuersis gratiarum diuersitatem. Quadam enim diminutas tantam accepit gratiam, vt tu ipse certissimè comperisti, vt peccata hominum, quæ per veram confessionem tecta non essent, in multis cognosceret: cumque peccata occulta eis indicaret, & ad faciendam confessionem illos inuitaret, non pancis post Deum causa salutis esset.* Hæc ille. Porrò de Beata Lutgardi in his loquutum, quæ in eius Vita scribit Cantipratanus, qui fœminam agnouit, satis demonstrat: & nos etiam dicemus, vbi de ipsa.

[c] *ibid.*

4. Inuisit item, & in magno pretio habuit Venerabilem fœminam Mariam Oegniacensem, cuius ingens tunc fama; & cui Vitriacus familiaris valdè existeret. Ex qua visitatione prouentum mutuum, mutuáque consolationum gaudia vterque expertus: quod idem etiam Author memoriæ prodit [d]: *Sanctus, ait, Tolosanæ Ecclesiæ Episcopus, quandoque eius inuisendi causa ad eam venit; ex cuius præsentia maximam illa cæpit consolationem, & ad tempus etiam corporis vires: porrò Beatissima Virgo, vt ipsi videbatur, quasi in aëra contra Sanctum Episcopum eam sublenauit.* Qualiter autem, celebrante eodem Fulcone, columbam viderit niue candidiorem, Eucharistiæ assistentem; atque eam deferentem ad os Sancti Pontificis, his, quæ sequuntur, verbis, pergit scribere [e]:

[d] *lib. 2. c. 12. n. 2.*

[e] *ibid.*

5. *Cùm idem Episcopus in eadem Ecclesia Altare Beatæ Virginis consecrato Missarum solennia celebraret, Domino ostendente, vidit in perceptione Sacramenti columbam candidam, Sancto Episcopo in os Eucharistiam inferentem, & ingentem claritatem eum intùs penetrantem, eiúsque animam illustrantem.* Hæc incrementa gratiæ vterque suscepit, aut saltem suscepisse visus est, ex alterius consortio: dum illa à Matre in aëra elenatur contra Sanctum Episcopum; hic à Filio illustratur cælesti lumine: illa vel vires corporis recepit; hic spiritus.

Verùm

6. Verùm, quod ait, consecratum in ea Ecclesia ab eodem Episcopo Altare in honorem Mariæ; aliud miraculum prætulisse lego, quod non licet silentio præterire. Quippe cùm Sancta grauissimo laboraret defectu capitis; neque vllum posset strepitum, aut sonum sustinere sine angustia: *Altare tamen*, ait idem Vitriacus [f], *vt ab eodem Tolosano Episcopo consecraretur, cùm multorum cementariorum malleis cadentium opera iuxta eam* (scilicet, Mariam Oegnacensem) *extrueremus; nullo vnquam strepitu potuit affligi: sonus enim iste, vt ipsa, tùm nos ei condoleremus, affirmabat, nulla caput eius molestia afficiebat.* Hæc ille. Simile, quod in campanarum pulsatione, & in Hymnorum, & Psalmorum cantu illi contigisse idem Author testatur eodem loco.

[f] *vbi suprà.*

7. At de Fulcone, ex colloquio sanctæ fœminæ in se ipso experiente mires effectus; hæc habet alibi [g], nomen eius reticens; verùm prodens ex signis satis apertè: *Cùm vir quidam eximius, licèt suo ipsius iudicio exiguus, qui pro singulari modestia, & humilitate, atque insigni charitate, ex longinqua regione, ad eam inuisendam veniebat, quandoque cum ea loqueretur; ex eius conspectu tantam percepit consolationem; ex sermone vero tantam dulcedinem, vt toto illo die mellitum gustum, quem in ore sentiebat, nullius cibi corporei sapor abolere posset. Eius autem Sancti Viri nomen de industria subticemus, quòd sui prædicatione mirabiliter erubescat, & velut aurum in fornace, laudantium ore probetur. At inde tamen id consecutus est, quòd pius consolator animarum, serui sui, sua causa exilium patientis, vel maximè reuelauit amaritudinem. Sed, quaso te, cur verecundia afficeris? Cur mihi irascaris? Quæ verò nomen expressit tuum? Num tu solus exulas? An non multi ante te fuerunt exules? non multi Episcopi, multi Tolosani ante te fuerunt, & post te esse potuêre? An verò propter tuam verecundiam ancillæ Christi laudes ego reticere debui?* Hactenus Vitriacus, ipsum, quod tacet, nomen exprimens clarè, atque mutua Fulconis, & Mariæ, dum colloqui inculcat, insignia sanctitatis vtriusque satis commendans.

[g] *lib. 1. c. 13.*

8. Quam moram fecerit in tractu Leodiensi Venerabilis Fulco, non satis constat: & videntur Authores variè loqui. Nam idem Anconensis Præsul non obscurè innuit, permansisse ibidem, vsque ad annum M. C. C. XIII. quo Maria Oegniacensis ad cœlos transiit, atque eam in extremis agentem visitasse. Quin & nonnulla ex his, quæ dicta sunt, ad illud tempus videntur referenda. E contra verò Petrus Vallsarnensis, sequenti anno, id est, millesimo ducentesimo duodecimo, iam reducem in partibus Tolosæ virum prodit: vbi & cum aliis Episcopis affuerit exercitui peregrinorum, vt nos ibidem ex ipso referemus. Non multum erit, si semel ad propria redux; sed nihilominùs exilio non sublatus, secundo itinere Belgium remeauerit: siue nouis militibus ciendis, seu visitandis Sanctis, ex quorum se consortio adeò proficere experientia magistra didicisset. Atque hoc vltimum videntur indicare illa verba: *Qui ex longinqua regione ad eam visitandam venerat.* Quare & nobis velut verosimilius sequendum erit.

9. Fuerit Venerabilis Simon Conuersus Alnæ, cui vox de cœlo facta, cùm super his mulieribus, atque earum sanctitate, & Magistrorum, vt ita dicam, spiritibus, per quos gubernabantur, dubitaretur; non ausim dicere. Et Vitriacus Monachum tradit, non Conuersum. Constat, cùm illis vulgò detraheretur, ob nouitatem rerum, quæ semper in lubrico: seu inolita magis malitia hominum omnia ferè in deterius interpretantium, dubitatum à quodam circa hoc tempus, zelo, vt apparet, sancto, & qui meruerit oraculo cœlesti de eo, quod dubitabat, certificari: *Vidisti*, ait [h], *non sine admiratione, atque etiam multo animi dolore, impuros quosdam homines, totius Religionis hostes, earum fœminarum religionem malignè traducere, & canina rabie mores, ipsorum vita planè aduersos, lacerare, & proscindere: cùmque nihil possent aliud, nouis quibusdam à se confictis nominibus eas appellare, quemadmodum olim Iudæi Christum Samaritanum, & Christianos Galilæos dicebant. Neque id mirum: Ægypty enim abominantur oues: & tenebriones, atque malitiosi homines simplicium innocentiam deridem, inter pocula, & epulas in ebrietate, & crapula vitam abstinentium proscindentes. Itaque Sanctus quidam Monachus Cisterciensis Ordinis, in Alniensi Abbatia Christo militans, pro simplicitate dubitare cœpit, cuiusmodi illi essent homines, qui inusitatis nominibus à maleuolis vocarentur: sed, cùm oraret, à Spiritu Sancto responsum est ei: Inuenientur in fide stabiles, & in opere efficaces. Ab eo verò tempore senex ille tanta dilectione illis coniunctus est, vt ferre non posset, si præsente, mali quidpiam de eis dici.* Hæc obiter de Sancto isto Monacho: nec de Fulcone plura circa hunc annum: in sequentibus multa dicenda erunt.

[h] *in Prologo.*

---

1. *Vladislaus, Poloniæ Dux, Gnesnensem Archiepiscopum vexat.* 2. *Hic Innocentij implorans protectionem,* 3. *duos ad Ducem ex Cistercio Legatos obtinet.* 4. *Grandimontenses iterum turbati,* 5. *iterum veniunt per nostros reformandi:* 6. *Quibus item iniuncta minora quædam.* 7. *Dissidia, Carthusienses inter, & nostros,* 8. *de quibus componendis Innocentius* 9. *vniuersis Episcopis scribit.* 10. *Caroli Abbatis in Villario cæso,* 11. *& Conradi pro ipso subrogatio.*

CAPVT IV.

1. HOc ipso anno multa nostris iniuncta ab Innocentio Papa, quæ in hoc capite venient recensenda. Vladislao, illustri Poloniæ Duce in Archiepiscopum Gnesnensem desæuiente, qui mos est Principum; & bona, tam ipsius, quàm Ecclesiæ violenter occupante; cùm Archiepiscopus confugisset ad Innocentium, duos ex Cisterciensi Familia Legatos impetrauit, semel, & iterum ad Ducem transmittendos: alterum, Albersstadensem quondam Episcopum, tunc humilem Monachum; alterum Abbatem de Sichem, Virum industrium, & magnæ authoritatis, quo Innocentius in multis vsus esset. Iussi illi, si possent, persuasionibus, vt par est cum Principibus; sin minùs, per censuras etiam procedere: acceptis litteris suæ Legationis cum insertione causæ, & plenaria imminen-

tium instructione. Secundarum Litterarum exemplar, nam primas inuenire non potui) ecce subiungo [a]:

a ex lib. 14. Regesti, & apud Boschetum lib. 24. epist. 44.

Episcopo quondam Alberstandensi, & Abbati de Sichem.

2. *Is, qui paci ecclesiastica inuidet, & quieti, quam in cœlis non potuit, sua prapediente malitia, retinere, non solum aduersarios manifestos sapè concitat contra ipsam; verùm etiam proprios filios ad molestationem ipsius nonnunquam instigat; a quibus defensionis presidia expectabat: vt eò dispendiosior sit illius infestationis offensa, quominùs de ipsius molestia timebatur. Sanè sicut Venerabilis F. N. Gnesuensis Archiepiscopus graui nobis conquestione monstrauit, Nobilis vir Vladislaus, Dux Poloniæ, qui diuturnis eum iniuriis, & molestiis lacessiuit, dudum Thesaurum Gnesuensis Ecclesia occupauit; ex hoc damna grauia ipsi inferendo. Quasdam insuper Villas Ecclesia memorata combussit, & quibusdam aliis, nequiter deuastatis, multa Canonicis, & hominibus Gnesuensibus damna, & iniurias irrogare presumpsit. Homines quoque de Gneza, ad eandem Ecclesiam pertinentes, bonis suis per violentiam spoliauit: postquàm idem Archiepiscopus iter arripuit ad Sedem apostolicam veniendi.*

3. *Cùm igitur dissimulare tot eiusdem Ecclesia grauamina nequeamus, per apostolica vobis scripta precipiendo mandamus, quatenus eosdem Archiepiscopum, atque Ducem personaliter, secundùm quod in prioribus Litteris nostris vobis iniunximus, adeuntes; dictum Ducem, vt eidem Archiepiscopo, & suis hominibus super illatis damnis, & iniuriis irrogatis satisfaciat competenter, ablatis omnibus restituatis, monere prouidenter, & inducere procuretis ipsum ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, apostolica authoritate, ratione prauia compellentes. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram similem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Datum Laterani, secundo Calendas Maij, Pontificatus nostri anno quartodecimo.* Hæc Innocentius. Nec satis nobis constat, quid Legati perogerint; quanuis querelis non vltrà progredientibus, Vladislaus credendus obediisse.

4. Eodem anno, cùm Clerici Familiæ Grandimontensis, malè obducta cicatrice priorum litium, à suis laicis denuò vexarentur; & siue vero acti iustitiæ zelo; siue priuatis, vt solet, æmulationibus, violatæ Regulæ speciosum colorem obtenderent, eóque prætextu Innocentium adiissent, per quem paci, atque Ordinis vigori restituerentur; ipse imitatus exemplum prædecessorum, & ne in vineam Cistercienſibus iam notam, destinaret ignaros; vnà cum Archiepiscopo Bituricensi, duos Cistercienſis Familiæ Abbates misit, de Pratea, nimirum, & de Varenis; plena illis commissa potestate reparandi collapsa; & quæ inuenissent deformia reformandi. Scripsit autem Priori, Conuentuique, vt illis obediret, in hunc tenorem [a]:

a epist. Innocent. lib. 14.

5. *Priori, & Conuentui Grandimontensi.*

Venientes ad apostolicam Sedem aliquot Clerici de quibusdam cellis Ordinis vestri, nobis proponere curauerunt, quòd in multis statuta Ordinis vestri violantur. Propter quod, scandalum oritur inter Fratres, & rixæ, ac contentiones exinde oriuntur. Nos autem, quia ipsos, tu, Fili Prior, sicut per tuas litteras intimasti, excommunicationis vinculo innodaras; vt super his, quæ proponebant, melius instrui valeremus eisdem beneficium fecimus absolutionis impendi, mandantes, vt eos in locis suis recipi facias, salua Ordinis disciplina. Volentes igitur, vt si qua in Ecclesia vestra corrigenda sunt, in melius corrigantur; Venet. F. N. Archiepiscopo Bituricensi, & dilectis Filiis de Pratea, & de Varenis Abbatibus Cistercienſis Ordinis, Bituricensis Diœcesis, dirigimus scripta nostra, vt ad vestram Ecclesiam accedentes, qua ibidem inuenerint contra Regulam deformata, nostra freti authoritate studeant reformare, contradictores per censuras ecclesiasticas compescendo, &c. Datum Laterani, nono Calendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno XIV.

6. Iniuncta & nostris minora alia negotia, Abbatibus præcipuè de Lucela, de Bugeria, & de Theoloco, reformanda Cœnobia, & lites non exiguæ componendæ; Abbati de Columba, Collegilque electio Episcopi Ecclesiæ Terracinensis, Abbati Vallis Claræ, alia negotia. Quin in Hispania Prior, Cantórque Alcobatiæ Iudices dati Vlisiponensi Episcopo, & Priori, & Conuentui Sancti Vincentij. Quibus intercedentibus effectum, vt controuersia ad concordiam redigeretur, quam postmodum vtriusque partis concordiam firmauit Innocentius, hæc inter alia scribens ad Vicentinos: *Compositionem, quam dilecti Filij, Prior, & P. Cantor Alcobatia, Iudices à Sede apostolica delegati, super libertate, exemptione, ac aliis rebus Monasterij vestri, inter vos, & Venerabilem F. N. Archiepiscopum Vlisiponensem feceram, sicuti sine prauitate prouidè facta est, & ab vtraque parte sponte recepta, & in eorum authentico continebatur, authoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus.* Hæc de causis per Orbem nostris iniunctis: nunc ad alia domestica transeamus.

7. Quæ nostros inter, Carthusianósque emerserint controuersiæ circa hoc tempus, non potui inuenire apud Authores. Cùm tamen aliquas emersisse constet ex Litteris eiusdem Innocentij, ad omnes Christiani Orbis Episcopos: quibus eas sedare, in quantum possent, breui, & sine sumptu, aut strepitu iudicij, iubentur determinare: dubium, an ordinaria potestate, an tanquàm delegati: quod ex earundem controuersiarum materia, si ea nobis constaret, colligeretur. Producam Litteras Innocentio Papa dignas, quas solas testes de hac re adducere possum [b]:

b lib. 14. Regesti, apud Boschet. c. 108.

8. *Vniuersis Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos hæ Littera peruenerint.*

Cùm inter omnes religiosos nostri temporis Viros, Cistercienſis, & Carthusienſis Ordinis Fratres magna per Dei gratiam polleant honestate; si qua forsitan inter eos, humani generis inimico disseminante zizania, materia litis exoritur, per quam apud eos sancta quietis otium perturbetur, nos, qui puritatem Religionis ipsorum, charitate feruente Zelamus, non possumus non mouere: scientes, quòd conuentiones huiusmodi, & suo proposito aliena, Religionis maculant puritatem: cum, secundùm Apostolum, seruos Dei non oporteat litigare.

9. *Vt igitur diabolica fraudis astutia, qua, vt in eis Religionem commaculet, lites suscitat inter ipsos, per apostolica sollicitudinis studium, celeriter eliditur: Vniuersitati vestra per apostolica scripta mandamus, quatenus in Diœcesibus vestris aliqua fuerit inter eos materia litis exorta, sine mora partes vestras interpanatis ad pacem inter eos amicabiliter reformandam. Quæ si forsan hoc modo prouenire non poterit, sine sumptu, & strepitu causam inter eos, mediante iustitia, terminetis, facientes, quod decreueritis, per censuram ecclesiasticam, sine cuiuslibet contradictionis, & appellationis obstaculo, firmiter obseruari. Datum Laterani, quarto Nonas Octobris, Pontificatus nostri*

anno

anno quartodecimo. Hactenus Innocentius. Certe vltra mutuos transitus, super quibus multò anteà illis conuenerat inter sanctissimas, atque à sui fundatione amicissimas Familias, materiam litium non ausim coniectari.

10. Eisdem temporibus, cùm Conradus Villariensis, Prioris in eodem Conuentu functus officio, id specimen prudentiæ præstulisset, cui vel maiora turò committi possent; & alias Catolus æstuaret desiderio vitæ priuatæ, in qua & Deo, & sibi; sed solis vacans, frueretur amplexibus Rachelis; multis tandem ab Abbate Claræuallis obtinuit precibus, missionem sibi, secessúmque concedi; reuersuro ad Conuentum, vnde exierat, vt ibidem, si Deo placitum foret, cum suis Patribus in pace consummaretur. Doluêre Filij absentiam tanti Patris, doluêre & exteri, Leodienses præcipuè, quibus ingentia bona, pacémque, cùm bella vtrinque furerent, authoritate, & prudentia, qua in omnes, ad omniaque pollebat, contulisset. Ferunt post eius discessum turbatis rebus, cùm grassaretur vtrinque ferro, & igni, vnam omnium vocem, lamentúmque: *O si Virtus* (sic Vallisarnience Chronicon [c]) *Deo denotus, & hominibus acceptus, Dominus Carolus, Villariensibus adhuc præsset; nunquam tanta mala, & hæc tempora inaudita prævaluissent: sed eius industria, & eius auxilio, pax terris, & quies nobis esset reddita cito.* In eodem Chronico etiam scriptum lego, Abbatem Claræuallis non nisi inuitum acquieuisse roganti. Porrò, cùm ab extraneis, atque domesticis, eò quòd acquieuisset, incusaretur; respondisse dolentem: *Homo iste à Summis Pontificibus honoratur, à terra, in qua habitat, acceptus est, & dilectus, Conuentuique suo charus, & necessarius; Domus sua sub eo profecit plurimùm in ædificiis construendis, & possessionibus acquirendis; & quod est amplius, vigor Religionis sub eo non deferbuit: sed magnas, & honoratas personas suo Conuentui aggregauit. Attamen inuitum eum diutiùs in Abbatis officio non possum detinere.*

[c] apud Henr. in Bafsac. lib. 2. dist. 25. cap. 6.

11. Carolo ad Hemmenrodem suam reuerso, in locum eius subrogatus Conradus votis communibus, cùm quartum annum ageret in Ordine, in Priorato secundum nondum attingeret; nec in eo munere diutiùs permansurus. Quædam de eo à nobis superiùs dicta: in sequentibus plura dicenda erunt. Interim adnoto cum Thoma Cantipratano, eius sæculi penè coæuo, in noua sibi commissarum curiarum, atque domesticarum, & extranearum rerum commissa sollicitudine, sic se egisse [d], *Vt licèt in administratione Prælationis suæ mirabili sagacitate vigeret: nihilominùs tamen deditus erat contemplationi diuinæ, quotiescunque sibi soli vacare poterat. In tanto enim moderamine rerum, animum spiritui seruire coegerat; vt nunc ad libitum cunctis sæcularibus; nunc spiritualibus omninò deditum, ex hoc in hoc liberè transiens inclinaret.* Hactenus Author ille Thomas Cantipratanus de Conrado Eginonensi, quod pauci certè in se ipsis experiantur.

[d] lib. 3. c. 9.

---

1. *Alphonsum meditantem vindictam de Saracenis, Ferdinandi filij mors præoccupat, 3. qui sepultus ad Huelgas regio apparatu. 4. Sanchij, primi Lusitani Regis, obitus. 5. Filij, & filiæ Cistercio destinatæ, legata. 6. Abbas Alcobatiæ testamenti exequutor, idémque exactor iuramenti à filio præstiti. 7. Fundatio Leprosorij, & Cozensis Cœnobij, licèt in dubio. 8. Filiarum castra ab Alphonso fratre negata. 9. Et locus Auisij donatus militiæ Eboræ. 10. Occasio donationis simul, & nominis.*

CAPVT V.

1. REBAT interim Alfonsum, Castellæ Regem, recens suorum clades, & Saluaterra erepta Calatrauensibus: neque inueniebat requiem regius spiritus, quoad vsque de inimicis Christi vindictam sumeret. Ergo coacta Præsulum, & Principum totius Castellæ Synodo, primùm omnium pacandum sibi Numen Christiano more; inde eiusdem offensas vlciscendas, aut omnibus moriendum deliberarunt. Hæc ita Rodericus, qui cunctis præsens [a]: *Aldephonsius verò Rex nobilis, habito cum Archiepiscopo, Episcopis, & Magnatibus consilio diligenti, ore eius vniuersis acclamantibus, est prolatum, melius esse in bello voluntatem cœli sub discrimine experiri, quàm videre mala patriæ, ac Sanctorum. Fecitque edictum per omnes Prouincias regni sui, vt milites, & pedites, relictis superfluis vestium, & aurificij, & ornatus cuiuslibet, quæ ad rem non pertinent, armis vtilibus se munirent, & qui prius in superfluis displicebant, nunc in necessariis, & vtilibus Altissimo, complacerent. Omnes autem, à minimo vsque ad maximum voluntati regiæ paruerunt. Ad hæc omnia dulcissimo Ferdinando, filio primogenito nobilis Alphonsi competentem suæ modestiæ operam impendente.* Hæc Rodericus.

[a] lib. 7. c. 36.

2. Interseram coæui Authoris verbis verba recentia, quæ Ioannes Mariana continuauit [b]: *Regis pro pietate conatus, non parum turbauit consequuta proximo anno, Ferdinandi ipsius mors, die Veneris, pridie Idus Octobris: eo maiori patriæ dolore, & prouinciæ totius luctu, quòd magni iam, & iusti Principis specimen præbuerat.* Pergit deinde Toletanus Præsul de laude Principis [c]: *In eius morte fletus patriæ, luctus inconsolabilis genitori: quia in ipsum, tanquam in vita speculum, contemplabatur. Erat enim expectatio populorum: sic enim eum Dominus honestauerat, vt etiam ab omnibus amaretur: & quod eras in adolescentibus non permittit, iam in ipso gratia dispensabat. Obiit itaque in oppido Mageritæ, in Diœcesi Toletana, mense Octobri, Æra millesima ducentesima quadragesimanona, vacuus dierum, plenus gratia, & virtute.* Hæc differendi belli Alfonso occasio, Hispaniæ lugubris, ipsi funesta, Cistercio lamentanda; sed honorifica.

[b] lib. 11. c. 23.

[c] vbi suprà.

Fuit Ferdinandus primus regij sanguinis, qui regnum Sanctæ Mariæ prope Burgos, Huelgense Cœnobium, insigni ductus pompa, nobilitauit: ex Mantua Carpetana, vbi decessit (nam Mageritum, pro Matrito dictum ab Archiepiscopo, vocabulo corrupto barbaricè temporis, an amanuensium errore, vt sæpè solet) comitantibus corpus ipso

Præsule, Berengaria sorore, & multis aliis Viris vtriusque ordinis. *Sepultus est*, pergit Rodericus [d], *in Monasterio Sanctæ Mariæ Regali, prope Burgos, à Roderico Toletano Pontifice, & multis Episcopis, & Magnatibus sæcularibus, & religiosis, & excellentissima sorore sua Berengaria Regina, ad quam postea Regnum Castellæ successione peruenit, impendente liberaliter, & decenter officia funeris, & honoris, & gemitus doloris. Vbi virtutum eius sic plenitudo claruit, vt eius prudentia deuoti sexus excederet pietatem; & eleemosynarum largitio, Principum largitates.* Diuina prouidentia forsan effectum, vt retardato bello maiores apparatus, insigni consequendæ victoriæ disponerentur. Constat hoc anno Romam petrexisse Præsulem Toletanum, Indulgentias Ierosolymitanæ expeditioni concessas, præliantibus in Hispania aduersùs Saracenos, petiturum; quibus auxilia externa prouocaret, quamuis non diuturna, vt anno sequenti latiùs referemus.

[d] ibid.

4. Hoc ipso anno Sanctius Lusitanus viam vniuersæ carnis ingressus, vt corpus non potuerit, (Alcobatiensi Ecclesia nondum perfecta,) cætera ferè omnia, quæcunque potuit, Cistercio commendauit. Reliquit filios tres, & filias quinque; illos, Alfonsum, futurum regni hæredem, Ferdinandum, & Petrum; has, Tarasiam, Sanctiam, Mafaldámque, Blancam, & Berengariam; ex quibus posteriores duæ sæculo, quamuis vtraque Virgo; ptiores tres Monasteriis, singulis singulæ, verùm omnes Cistercio destinabantur. Sanctia in statu virgineo permansura: Tarasia copulata damnatis nuptiis, quibus tandem subtracta, quod suprà vidimus. Nec feliciori sorte Mafalda iunior, nisi quòd nupta, separatáque à viro adhuc impubere, virgo, an matrona, potuit dubitari. Et Sanctia quidem Monasterium Cellense de nouo condidit, quod suo loco dabimus: Tarasia, atque Mafalda, illa Lovrbanum, hæc Aroucam, (perantiqua Cœnobia,) alterum sup radictum, dicendum alterum, cùm Cistercium admittat, reformarunt. His pignoribus illustris Lusitani sanctitate, quàm sanguine clarioribus, (quod Annales ostendent,) si alia conferas, nihil omninò inuenies, quod non vilescat. Condito tamen ante biennium testamento, multa nostris legauit, nec pauca exteris, atque vtraque Abbati Alcobatiensi exequenda commisit; exacto à filio Alfonso iuramento, per eundem Abbatem, quòd omnia, & singula foret impleturus.

5. Integrum testamentum Sanctij Regis, ex publicis Archiuis desumptum Brandaonius vulgauit. Nos concernentia Cistercium excerpemus, atque ante omnia legata filiabus, quas semel iam Cistercium illustraturas, diuerso licèt tempore, ex hoc Annales, vt proprias, memorabunt. *Dedi* (inquit) *filiæ meæ Reginæ Domnæ Tarasiæ pro hæreditate, Montem maiorem, & Sequeiram, & quadraginta mille marapetinos, & CC. L. marchas argenti de Leirena Reginæ Sanctiæ dedi Alenquer pro hæreditate, & quadraginta mille marapetinos, & CC. L. marchas argenti de Leirena, & omnes Alcalas meas, acitaras, & colchias. Et mando, vt post mortem meam habeat meam totam litsiram, & meos annulos, & fortilias, exceptis duobus annulis, quos mando dari filio meo Regi, Domno Alfonso: habeat & meas cintas, & meas scarlatas, & pennas varias, arrancanes, & lencies. Cætera omnia de meo reposito dentur leprosis Colimbriæ. Reginæ Domnæ Maphaldæ dedi pro hæreditate duo Monasteria, Bauzas, & Aroucam, & hæreditatem de Sena, quæ fuit matris suæ, quadraginta mille marapetinos, & CC. marchas argenti.* Hactenus, quæ legauit Sanctius filiabus tribusquas manebat Cistercium. Pergunt legata Cœnobiis nostris relicta: *Præterea*, ait, *dedi pro anima mea Abbati de Alcobatia de arca mea, quadraginta mille marapetinos, de quibus faciet vnam Gafariam in Colimbria. Dedi etiam ei de illis marapetinis, qui sunt in Alcobatia, quadraginta mille marapetinos, de quibus faciet vnum Monasterium Ordinis Cistercienſis: Salcedæ quingentos marapetinos: Sancto Ioanni de Tarouca quingentos marapetinos.* Hactenus, quæ concernunt nostra legata: nam cætera referre tædiosum foret, cùm nulla ferè sit Ecclesia in Lusitania, nullum Cœnobium, Xenodochiúmque, quod expers fuerit regiæ munificentiæ. Porrò, quòd ad trium filiarum legata attinet, Cistercio sacrandarum, extant epistolæ Innocentij Papæ III. altera ad Mafaldam, altetam ad Tarasiam, quibus non solùm ea illis confirmat: sed tam ipsas, quàm omnia earum bona sub sua, & Beati Apostoli Petri protectione suscipit. Quin & pro prima Archiepiscopo Compostellano, & Episcopis Vlysiponensi, & Egitanensi; pro posterióribus Compostellano eidem, & Zamorensi Episcopis scribit, Litteras omnes datas Laterani, tertio Idus Octobris, hoc ipso anno: & habentur apud Franciscum Boschetum lib. 2 epistolarum Innocentij, epistola 115. & sequenti.

Sequitur institutio executorum, & iuramentum exactum ab Alfonso, neutrum sine interuentu Abbatis Alcobatiensis: sic autem habet: *Et sciendum, quòd omnia ista debent adimpleri per Bracharensem electum, & per Abbatem de Alcobatia.* &c Et paulò infe iùs, cùm iam omninò testamentum perfectum esset: *Et ego Rex Dominus Alfonsus, filius supradicti Regis Domini Sanctij, & Regina Domina Dulcia, promitto firmiter in fide Iesu Christi, quòd omnia ista compleam, & attendam, si patri meo superuixero: & quòd nunquam aliquid inde impediam, neque impediri permittam. Et iam de hoc feci hominium in manibus patris mei, & iuraui in manibus Bracharensis electi, & Colimbricensis Episcopi, & Abbatis de Alcobatia, quòd omnia ista compleam, & attendam. Et ego Petrus Alfonsi, Gonzalus Menandi, Martinus Fernandi, Laurentius Suarij, & Gomezius Suarij promittimus firmiter, quòd modis quibuscunque poterimus, faciemus omnia ista adimpleri. Et iam de hoc fecimus hominium in manibus Domini nostri Regis Sanctij: & iuramus in manibus Bracharensis electi, & Colimbricensis Episcopi, & Abbatis de Alcobatia: & concedimus, quòd si hoc non fecerimus, simus perinde traditores, & alenosi.* Extat & huius testamenti confirmatio per Innocentium III. (cui etiam in eodem centum marchas argenti legatas video) Litteris Laterani datis, hoc ipso anno, sexto Kalendas Iulij, cùm iam idem Rex Sanctius decessisset.

6.

Quod attinet ad Fundationem Xenodochij Conimbricæ, struendi ab Abbate Alcobatiæ pro leprosis, quos *Gafos* nostri vulgari lingua appellant, (vnde *Gafaria*,) Brandaonius tradit [e] statim executum: permanente in hanc diem opere ipso, amplo ædificiis donationéque, quæ non dedecet regiam magnificentiam. De Monasterio maior est difficultas, cùm nullum sit, quod constet surrexisse Abbatis Alcobatiæ interuentu circa hoc tempus. Cæterùm idem Author coniectatur, fundatum ex quadraginta millibus illis marapetinis Monasterium de Cos Sanctimonialium, non longè ab Alcobatia, quamuis communiter recentius censeatur. Coniectandi ansam præbent hæc fundamenta, quòd idem Monasterium constructum constet ante

7.

[e] lib. 12. cap. 36.

annum

[a] apud Brandaon. tom. 4. in Append.

annum M.CC.LXIII. quippe, in quo cùm Pelagius, & Maior coniuges vellent se Deo per vota consecrare sub Abbate Alcobatiæ, sic publico instrumento, quod hodiéque seruatur, sancitum legitur [e]: *Sed, cum hoc euenerit esse, ego dictus Pelagius Alphonsi in Monasterio, & dicta vxor mea Domna Maior cum Dominabus de Coz, vel sumpto Habitu Ordinis in Vlisbona, de Abbatis licentia poterit habitare.* Quòd Monasterium in Alcobatiæ terminis situm, quòd Abbas Alcobatiæ in chartis publicis, eius loci Patronus inscribatur; quòd nullum alium agnoscat Fundatorem; sed neque appareat aliud Monasterium, quod possit credi fundatum ex hoc legato: ita Brandaonius: quamuis cæteri [f] Cossense Monasterium longè recentius, atque ex quibusdam fœminis reclusis, Patrum sæculo, ortum asseuerant.

[e] apud Brandaonium lib. 12. c. 36.

[f] Guillelmus à Passione, & alij.

8. In causa Sororum difficilior Alphonsus fuit: nam vt legatis facilè acquieuerit, ab oppidis resiliit: & testamentum ex ea parte irritum, nec iuramento potuisse confirmari, cùm non subsisteret, multis disputabat. Regum fidei commissa Regna à Deo; non tamen imminuenda, sed propaganda. Aliis hominibus data quæcunque possident, vt de illis disponant pro suo libito: è contra Principes datos subditis populis, vt sciant ipsos fouendos suscepisse, non dissipandos. Regna diuisa ruere in interitum, vnita conseruari, augerique: demum neque inter fratres tutò partiri, domesticis exemplis comprobabat. Tum muliebre imperium intolerandum, nec pati aptum, nec bello; quòd pacem in potentia animi turbet: bello ab ipsa natura impar existat. Habeant Sorores, de quibus viuant, redditus non, quibus præsint, vrbes; quando nec coërcendis ciuium vitiis inueniuntur æquales, neque hostibus arcendis à suis finibus. Quid fœminis imbellibus cum Mauris? Quid cum vicinis hostibus? quibus resistere supra vires sit; cedere infra omnem abiectionem, imò in communem perniciem totius Regni? Hæc, & similia differebat Alphonsus contra Sorores Tarasiam, & Sanctam, (nam Monasteria Mafaldæ non inuidit.) Interim ipsæ ad Loutbanum secedentes defensionem parabant. Verùm, quæ inde lites sequutæ sint, suis locis commodiùs referemus.

9. Eodem anno, cùm vix tres menses Alphonsus exegisset in Regno Patris, Magistro Eborensis militiæ, fratribúsque locum de Auis dedit, construendo castro, ex quo nomen non multò pòst accepit tota militia. Litteræ donationis, vt ab eodem Authore adducuntur, ita habent [g]:

[g] in Appendice Brandaonj, tom. 4.

In Dei nomine. Quoniam ea, quæ Reges, & Principes faciunt, scripto commendari debent, vt scripto commendata ab hominum memoria non decidant, &c. Idcircò ego Alphonsus, filius Regis D. Sancbi, & Reginæ D. Dulciæ, & nepos Regis D. Alphonsi, vnà cum vxore mea, Regina D. Vrraca, & filio meo Infante, D. Sancbo, facio chartam donationis, & perpetuæ firmitudinis vobis D. Ioanni Fernandis Magistro Eboræ, & Fratribus vestris, tam præsentibus, quàm futuris, de loco illo, qui vocatur Auis, qui iacet inter Santtarem, & Chuluchi, & Elboram, & Elbas, & Abrantes, &c. Et concedimus tali pacto, quòd in loco supra dicto de Auis castrum ædificetis, & populetis, de quo nobis, & cunctis successoribus nostris; vos, & omnes successores vestri sitis obedientes, sicut & de aliis castris vestris estis. Et hoc facio pro bono seruitio, quod nobis, & Patri nostro Regi D. Sancho, piæ recordationis, & auo nostro Regi D. Alphonso excellentissimæ memoriæ fecistis, & facitis; & vt partem habeamus in orationibus, & beneficiis, quæ in domo vestra fiunt. Quicunque igitur hoc factum nostrum vobis integrum obseruauerit, sit benedictus à Deo, & dirigat Dominus gressus eius in semitis suis, & doceat eum facere voluntatem suam, & non permittat eum recedere à viis suis. Facta charta apud Colimbricam, pridie Kalendas Iulij, Æra M.CC. XLIX. tribus tam mensibus elapsis, postquàm diuina potentia Regnum nobis gubernandum commisit. Hactenus donatio. Militia illuc translata post duodecimum, nempe, anno Christi M.CC.XXIII. cùm castrum ad mensuram surrexisset, & suo loco, & tempore dicemus.

Interim adnoto donationis occasionem, simul & nominis, tam loci, quàm Militiæ, ex quo ad ipsum translatæ dignam Annalibus Ferdinandus Yanez, cùm Saracenos longè, & latè fugatos à suis finibus, eminùs consistentes intuerentur, & neque se in eos facilè irruere, neque ipsorum incursibus obsistere, longo spatio locorum considerarent: vt cominùs pugnaret, & murum se præberet Christianis populis locum & sibi, & suis mutandum censuit; quærendúmque in vtriusque gentis finibus opportuniorem alium, ex quo & suos defendere, & offendere hostes, pro suæ professionis instituto, gratularetur. Placuit consilium Ducis cunctis militibus, & electi ex ipsis, qui aptum quærerent vtrique muneri subeundo pro suis viribus. Inuestigantibus visæ aquilæ duæ, (felix semper auspicium præliaturis:) & erat locus, vnde surrexerunt, in tantæ fabricam arcis opportunus, vt nullo etiam præcedente signo placuisset. Ergo reuersi nunciauêre Magistro, Fratribúsque, & situm, & omen, de quibus nihil dubitandum arbitrabantur. Approbatâ pet omnes electio est, & nomen loco ab auibus posuêre, inde ad totam militiam transiturum. Quin & sigillis, & signis militaribus aquilas addidêre, vt & insignia nomini, & faustis vtraque auspiciis aptarentur. Tum verò lustrato pet Magistrum, atque ab auibus de Auis cognominato, adierunt Alphonsum, & suprà positum indultum impetrarunt. An statim cœperit ædificari castrum, in dubio est: & quidam consummatum intra triennium, alij pòst plures annos perfectum putant: neque id, vt solet, iniuria antecessorum, qui translationem memoriæ commendarunt: sed magis recentiorum ignorantia, qui notas numeri lapidibus sculptas non satis callent. Fortè ædificium pòst triennium cœptum, pòst nouem alios annos perfectum est, vt tunc potuerit translatio celebrari. Nos eam simul cum circunstantia fabricæ, satis digna memoria, anno M.CC.XXIII. quo (vt tardiùs) perfecta, ex præfata inscriptione describemus.

10.

1. *Venerabilis Ioachimi Abbatis mors.* 2. *Signatum tempus, & locus eiusdem obitus.* 3. *Qui morienti affuerint,* 4. *& quanto zelo in ipsa morte exarserit.* 5. *Sepultura, & miracula post ipsam.* 6. *Corporis cultus, & loci veneratio:* 7. *translatióque ad Florense Monasterium:* 8. *& in translatione miraculum patratum.* 9. *Locus sepulcri; & ossa inter Reliquias.* 10. *Continuata miracula,* 11. *& sepulcrum ornatum dispari carmine.* 12. *Demum, qui eius Vitam, & Acta scripserint.*

CAPVT VI.

1. INTER hæc senex, plenúsque dierum, &, si credimus signis, meritorum, Ioachimus Abbas Concilio generali Lateranensi, quod post quinquennium instabat, velut subtractus, libelli sui præuenit condemnationem. Haud vnquam aliter certiùs, firmiúsque, quæ perperam docuisset, retractaturus, quàm si reuelata facie in cœlis, contemplatus diuina, immediatè veritatem ipsam intueretur. Sed de hac eius libri damnatione, quæ reuerà sanctitati Viri nihil detraxit, anno M.CC.XV. quo constat euenisse: nunc Viri transitus, & locus sepulturæ, cum his, quæ eosdem concernunt, circunstantiis, more solito nobis dicenda erunt. De loco obitus nulla est dubitatio; conuenientibus cunctis, in grangia Sancti Martini de Ioue, aliàs de Canale, inualescente morbo defunctum esse. Ita Matthæus Episcopus Fundanus, in ea, quam de Abbate Ioachimo, ad Hieronymum Cardinalem de Claraualle, scripsit epistola, & quam Iacobus Græcus euulgauit [a]. Quin & ipse Iacobus multis in locis, quæ iam à nobis ad verbum reddenda erunt. De tempore nonnulla est discrepantia: communior sententia obiisse Virum tradit anno M.CC. quo scripta sua subiecit limæ apostolicæ; quasi eam subiectionem, retractationémve tabulis testamenti confirmauerit. Iacobus Græcus longè differendum illius obitum, nempe, ad annum M.CC.XIV. imò ante sui libelli condemnationem: nec dissimili modo Gabriel Barrus anno M.CC.XIII. versatum inter viuos, & Sanctorum Francisci, atque Dominici prædixisse Familias, memoriæ produnt. Neutri ex fide: quippe primi ex ipso loco mortis, quem idem Ioachimus ab Episcopo Cossentino accepit anno M.CC.I. conuinci possunt: posteriores, ex Litteris Innocentij Papæ III. quas Boschetus adduxit, & nos ex Vaticano excerptas dudum habuimus, quibus hoc anno M.CC.XI. mense Augusto, bonæ memoriæ, & cuius iam præteriisset tempus, commemoratur. Ergo ab anno M.CC.I. vsque ad præsentem obiisse compertum est: intra quod spatium, quanuis non dubitem ad hunc non pertigisse, id, quod ex epistola Innocentij Papæ c.8. danda, planum fiet: tamen cùm nullus annus certus sit, quàm potui maximè adhæsi Iacobo Græco; non solùm Calabro Scriptori, de rebus Calabris; verùm etiam Florensi, de Florensibus: & cui maior notitia antiquitatis, & rerum Ioachimiarum, ex ipsa traditione Patrum ad filios, siue per alia instrumenta subesse potuit. Quare hoc semel de tempore stabilito, reliqua prosequemur ipsius verbis. Sic autem habet [b]:

[a] *dist.* 47.

[b] *dist.* 36.

2. *Senescens in terra Venerabilis Ioachimus famulus Dei in consummatione bona cœlestis gratiæ præmia expectans à Domino Iesu, cui tanquàm fidelis seruus toto corde deseruierat, in loco, qui dicitur Sanctus Martinus de Ioue, aliàs de Canale, prope Petrafitta oppidum, quem locum ipse Ioachim ab Andrea Cossentino Antistite, sub anno Dominicæ M.CC.I. acceperat, infirmari contigit, vbi non imparatus cœlestium ferculo deliciarum pralibare exoptans, totus ferebatur in Deum, cui animam suam ab ineunte ætate, tanquam capturam hæreditatem salutis præparauerat. Etsi agritudine corripiebatur, intuens in cœlum præstolabatur Christum, quem toto corde dilexerat: vt sic in alacritate deuotionem eximiam comprobaret. Concurrentibus inde Abbatibus Curatis, Sambucina, & Sancti Spiritus, Monachis item non paucis astantibus, & de tanti Patris recessu languentibus, in spiritus vehementia viam salutis prædicauit; ac eisdem Ordinis sui exterminationem prædixit: hoc ipsum pluries repetens: Hoc vobis memorandum relinquo, vt diligatis inimicos, sicut Dominus Iesus dilexit nos. Benedictis ergo priùs Curatensibus, tanquàm prioribus filiis, & demum Florensibus, Sacramentorum sacra perceptione munitis, velut ad ferculum inuitatus, inter manus Filiorum, & Fratrum, leni, ac suauí agone spiritum Deo reddidit Abbas Florensis, circa annum à Christi natiuitate M.CC.XIV. imperante Friderico huius nominis secundo; die verò trigesimo mensis Martij, Qui Ioachim magnus, & primus Florensis Abbas, charus extitit ambobus Guillelmis, Tancredo naturali, Henrico Imperatori huius nominis sexto, & Constantiæ Augustæ dicti Henrici vxori, & Friderico I. Imperatori, & alteri Constantiæ dicti Friderici vxori; qui Principes maxima eo vtebantur familiaritate, vt priuilegiis plurimis, & emolumentis in Ordinem collatis testatum reliquerunt. Aloysius tamen Conterenus in Viridario, de Viris illustribus inquit, Ioachim obiisse anno Domini milleſimo ducenteſimo, quod non satis probo.* Hæc ille in Chronologia.

3. Idem Iacobus Græcus in speciali quodam tractatu de Ioachimi miraculis, quem ex Archiuis Florensis Monasterij bona fide excerptum, atque ab vbe transmissum, apud me habeo, specialiora quædam notat in Viri obitu; tam de his, qui affuerunt illius morti, Abbatibus Cistercij, quàm de zelo iustitiæ, & religionis, in quendam Monachum dyscolum ostenso, quo vel in morte polluit, quem non licet silentio præterire [c]. *Quàm suauiter, ac feliciter Venerabilis Abbas Ioachim die trigesima mensis Martij circa annum Domini milleſimum ducenteſimum decimumquartum, in Grangia Sancti Martini de Iobe, nunc de Canale, iuxta Petrafitta oppidum, spiritum Deo reddiderit, in prafato Opuscula nostro latiùs commemorauimus. Ipse etenim, sicut fuerat seruus Christi Iesu feruentissimus, ita in eius transitu, velut inuitatus, ad epulas suauiter susceptus ab eo, de laboribus coronari promeruit. Concurrentibus itaque in eius transitu quamplurimis, cum Abbatibus, tum Monachis, eos ad munera charitatis, & pacis exequenda, vehementi alloquutione instruxit; illisque pariter in Domino benedictione vni tantùm benedicere recusauit: nec id propter amoris, aut charitatis defectum renuit; sed vt ille super*

[c] *Admirabil.* 16.

impietate,

impietate, à scelere suo (non omninò occulto) humiliter compungeretur: scriptum: nanque est [d]: Benedictio Domini super caput iusti. Et item [e]: Et non dixerunt, qui præteribant: benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini, Et item [f]: Non est pax impiis. Et licèt Dominus Iude tradenti osculum non negauerit; ei tamen à Satana inhabitato non benedixit: verùm scandens in cœlum cœlum, & viginti discipulis eius amore flagrantibus benedixit.

[d] Prouer. 10. [e] Psalm. 128. [f] Isaï. 48.

4. Ioachim tandem Reuerendissimorum, ac Dominorum Abbatum Curatij, Sambucinæ, & Sancti Spiritus, deprecatione, & lacrymarum imbre pulsatus, non benedicto sub conditione benedixit; & deprecantibus causam eius examinandam reliquit, vt in timore remaneus, anima eius saluti forsitan prouideret. Hic Frater nulla correctione compunctus post transitum Viri sancti, in Monasterium de Curatio repedauit. Et factum est, vt in nocturno tempore eidem in cella se continenti, in terribili aspectu increpans, & ad emendationem prouocans, facinus eius exprobrando, Ioachim Abbas appareret; nec tamen ideò quidquam aliud egit, nisi de mane consurgens, quod illi de nocte euenerat, senioribus retulit. Subsequenti autem nocte Frater ille in Dormitorio clamans, omnes pariter consurgere fecit. Accurrentibus ad illius lectum omnibus, inuentus est demens, ac phreneticus. Tunc fuit in Infirmitorium adductus, vbi nihil aliud ore proferebat, nisi quod gemebat. Heu me! quia peccaui in seruum, & Filium Virginis. Idque Fratres intellexerunt, eundem facinoribus suis post Dominum, seruum eius Ioachim, Virginis gloriosæ deuotissimum famulum, offendisse: præcipuè, quia ad eius admonitionem, se corrigere non curauit. Nec mirum: nam (Beato Gregorio teste) Dominus, quos diu, vt conuertantur, tolerat, non conuersos duriùs damnat. Sic miser ille, qui tacitam correctionem respuerat, duriori sub vindicta in correctione remansit. Hactenus ille. Ergo quem viuens spiritum Eliæ Ioachimus habuerat, consecutus in morte; zelator, & Propheta, atque in vtroque dono singularis.

5. Traditum sepulturæ corpus, in illo loco, atque inde post translatum, an statim ad Florense templum deductum; in Chronologia non video satis expressum. Cæterùm ex secundo tractatu constat, apud Sanctum Martinum sepultum primùm, & miraculis (quantùm coniici potest iudicio hominum,) coruscantem ibidem, post annos aliquot ad Florem translatum esse. Ex miraculis vnum, aut aliud referam, qua fide accepi; mox nec signorum expertem translationem, quia annus eius certus ignoratur, subiungam paucis: non alibi opportunius inserendum [g]; Erat mulier quædam, neptis Ioëdani de Madara, de quo suprà meminimus: hac dum graui oculorum dolore ab aliquibus ophthalmia nuncupato, diù cruciaretur, iam de salute desperans, adhibuerat siquidem sibi innumera, tum Medicorum, tum mulierculorum (vt earum moris est) remedia, ex quibus nullo inuamine habito, in ærumnis, & doloribus moritura iacebat. Patruus tandem, qui Beati Ioachimi viuentis in se, & in aliis merita, & sanctitatem expertus erat, ægrotam sic admonere curauit: Procura, filia, in Saluatoris gloriam, & Beati Ioachimi laudem, Sacrificium deuotè offerri: & confidens innaberis. Quid plura? Iuxta monita, ad illius petitionem, mira in deuotione Sacrificio expleto, oculorum lumen, & integram sanitatem recepit. Quod Dei munere beneficium acceptum nec silere potuit, neque celare valuit: nam, sicut externa fuerat illustratione potita, ita interna deuotione accensa passim prædicabat, se per merita Beati Ioachimi, & lumen oculorum accepisse, & de graui infirmitate conualuisse.

[g] mirab. 17.

6. Secundum signum præcedenti placet subiungere, ex cuius verbis obiter, quali iam cultu fideles venerarentur Ioachimi sepulcrum, lampadibus ad ipsum appensis, accensisque, & peractis excubiis ad eius corpus palam apparet. In prafata, ait [h], Sancti Martini grangia aduenerunt furandi causa prædones, vt cuncta vastando popularentur. Intrantibus ergo ibidem, & omnibus ad libitum denolutis, ad locum, vbi Sancti Viri corpus acquieuerat, & vbi propter reuerentiam eius lampades coruscabant, deuentum est. Fratres ergo in illo loco se continentes, humili cordis compunctione beato se Viro commendare cœperunt: vnde ex Domini, & serui sui Ioachimi gratia, & intercessione factum est, vt quamuis illuc aditus, & ianua pateret, intrare nitentes, minimè valuerint. Nec ad talis impedimenti beneficium emollitæ sunt, illorum imitatores, qui ad Dominum alligandum accedentes, quamuis verbo solo prosternerentur; nunquam tamen conuersi fuerunt. Nec mirum: quia tale genus hominum, nec miraculis flectitur, nec minis emollitur. In sua ergo peruersitate maligna remanentes; illinc tamen inanes abierunt. Quo viso, Fratres magnificauerunt Deum, qui ab incursu, & inuasione malorum eos liberauerat; & tam ipsi, quàm cæteri, qui audierunt, dicebant: Terribilis est locus iste, qui inuius malis, & peruius bonis, ad inuocationem Sancti Patris extiterat; merito in eum non nisi, de cætero, magna cum deuotione appropinquare audebant. Ex quo magis, ac magis diuinus honor, & serui eius deuotio augebatur.

[h] mirab. 19.

7. Hæc, & similia ad sepulcrum Ioachimi patriata opera accenderunt Florenses, vt illam sibi glebam desiderarent, quam Deo acceptam, cœlestibus Spiritibus charam, tremendam Inferis, atque demum hominibus fructuosam non dubitarent. Quare ait idem, qui suprà, Author in Chronologia [i]: Placuit tandem Filiis suis, quos magisterij sui successores reliquerat, tanti Patris ergastulum in Florem transferre: vbi donec tuba canat, in monumento, atque purato conopheo quiesceret; in modò in eodem loco resideat, nihil compertum non est. Sarcophagum profectò ipsum prisci non modica veneratione inspexerunt. Vnde licèt non multis abhinc annis officiosus quidam, tanti Patris, & Monasterij, ac Ordinis Florensis Fundatoris memoriam halusinodi imparibus exornauit. Hæc ille ibi. Cæterùm nos, priusquàm cenotaphium, quæ in ipsa translatione contigerint, ex illo alio tractatu sumptum pandamus [k];

[i] Chron. 37.

[k] mirab. 19.

8. Sicut prætaxatum est in grangia Sancti Martini, P. Ioachim spiritum cœlo refudit debitum, ita sarcina corporis eius per aliquot ibidem annos plurima in veneratione remansit. Placuit tandem Patribus Florensibus, è loco iam memorato, ergastulum tanti Viri, in Monasterium de Flore, id est, ad Sanctum Ioannem transferre. Ad huiusmodi ergo translationem, cùm honoris, tum deuotionis, dignitatis gratia, tum Religiosis quamplurimis, tres sanctæ opinionis cucurrerunt Abbates: accensis ibi luminaribus, & vestibus religiosis indutis, ad corpus detegendum ventum est. Dominus autem Deus, vt comprobaret, quia erat, & placita fuerat ei anima illius, & qualiter etiam corpus illud templum Spiritus Sancti extiterat; miro translationem illam spectaculo honorare dignatus fuit. Vnus siquidem dictorum Abbatum, cui nomen erat Guillelmus, quartario morbo laborans, licèt corporis viribus mirum in modum destitueretur; sedulò tamen, pro deuotione tanti Patris, illuc se adduci curauit. Tangens ergo Guillelmus Abbas non immodica deuotione Beati Ioachimi corpus, non tam ùm à quartana mor-

bo ; verùm etiam ab ægritudine stomachi extemplò conualuit ; in cuius rei euentu, cunctorum Monachorum, tum secularium, qui illuc conuenerant, quis admirationem, & lætitiam explicare sufficiat? Cognouerunt enim Deum eius famulum Ioachim in vita, & morte, & post mortem signis, & virtutibus decorasse. Hactenus sumptum ex gestis in translatione.

9. Verùm de loco ipso sepulturæ, in quo tamen an adhuc maneat corpus, sub dubio linquit. (tanta oscitantia tenuit mediam ætatem,) & de ossium illius veneratione, ita subiungit [l] : *Peracta tandem cum diuinis laudibus, & exultatione, corporis translatione, in cenotaphio Florensis Ecclesiæ, iam antè ad ostium Sacristiæ in Capella Beatæ Virginis peracto deposuerunt : an autem hucusque ibidem requiescat, non mihi compertum est. Vidi tamen partem aliquam ossium illius in capsula sanctarum Reliquiarum in magna deuotione asseruari.* Pergit deinde de pluribus miraculis ad serui Dei Ioachimi sepulcrum factis, in quibus omne genus morborum pulsum ; accensæ lampades igne de cælo misso ; conuersi peccatores ; atque id genus alia satis illustria, quæ in præsenti, nec recensere vacat, neque omninò licuit præterire.

l vbi supra

10. Vltra annos centum supra quadraginta continuata hæc signa, argumento est, quòd anno M. CCC. LVI. regnante Ioanna, Dei gratia, inclytæ Ierusalem, & Siciliæ Regina, Prior, & Monachi Florensis Monasterij per supplicem libellum Romæ porrectum, à Romano Pontifice petierunt [m] : *Vt dignaretur committere aliquibus Episcopis, seu Prælatis Prouinciæ Calabriæ, qui possent inquirere, & referre de miraculis factis, & visis in vita, & post mortem, per quendam Abbatem Ioachim, qui fuit principium, & fundamentum totius Florensis Ordinis ; cuius Abbatis Ioachim multa miracula fuerunt visibiliter patefacta, & visa, & manifestata in Prouincia Calabriæ supradicta, tam tempore vitæ suæ, quàm post obitum vitæ eius.* Hæc proculdubiò petitio satis ostendit crebrescentia miracula, quanuis nondum probata, aut approbata, etiam post centum quadraginta annos elapsos à morte Viri. Voluit fortasse Deus seruum suum illustrare supra consuetum abolendæ illi maculæ, quam ex condemnatione doctrinæ in Concilio generali facta anno M. CC. XV. etsi salua persona, non tamen potuit non grauem contraxisse, nisi fortè, quæ sors semper in vita, in morte sequuta variis illum rumoribus exposuit : vt neque Sanctum, Prophetámque acclamantibus fundamenta deessent : neque impostorem, & fictum asserentibus, quandiu res in ambiguo, satisfieret. Referam pro vtraque sententia plures sequenti capite. Nunc Epitaphio, si tale dicendum est, quanuis recentiùs facto, setui Dei sepulturam claudere libet. Insulsum illud, & durum non negabo ; atque vt pro media ætate tolerandum, ita hæc nostra indignum : sed nobis, siue facta, siue dicta, ab aliis transcribere, referréve concessum, non emendare [n] :

m fol. 38.

n *Iacobus Gracus fol.* 37.

D. O. M. 11.

Si licet astra vires super alnus carmine Vates
Ferre : Ioachim iam confidet Empyreo.
Cœlicolus nascens, parvus magnalia gessit,
Mundi dum vixit sæcula, cœlus homo.
Hic decus, & virtus Calabrum, quem cerde tupita
Expulit ad Dominum maxima Religio.
Parturiens Orbi mirum Cistercia proles,
Ordinis in fontem protulit alma virum.
Florensis genitor (quondam Curatia dona)
Floribus insignes florida templa dedit.
Quæ tamen haud repulit verax, ac cuncta fouendo
Assumpsit mater tempore læta suo.
Filius, & genitor, vitis veneranda propago
Alta, Ioachim sic maximus Orbe fuit.
Quæ cernis donis hominum, tum Principis egit,
Sanctorum Dominum iam reparanda manent.
Nam tam dicta Patrum nouit, qui nube fuerunt
Protecti, at scimus, qua peragenda forent.
Veridicus Vates prædixit : multa fuerunt
Completa, vt monstras lumine facta dies.
Quæ scripsit manus cunctorum (iure) coëgit
Ecclesia pedibus filia ipse pijs.
Omnia probauit, qua verò panca repellit,
Dictauis celans simplicitatis amor.
Vita, quam tenuit, præclara luce coruscans
In terris, sedes iubilat Empyrea.
Cerbereas fraudes spreuit, mundique cauernas :
Et carnem domuit, bella cruenta gerens.
Plurima dum vixit (dicunt) miracula fecit,
Mortuus, & gratus gentibus, & Domino.
Carceris exutus vinclo, cælestia seruat
Munera, qui Christi tempus in omne fuit.
Abbas Florensis diuinus floribus Abbas
Vixit, & viuet laude perenni sua.

Hactenus de Ioachimi morte, & sepultura.

12. Vitam illius vltra Iacobum Græcum Florensem Monachum, ex quo multa decerpsimus, scripsit Gabriel Barrus Franciscanus, ex quo item nonnulla, quanuis suspecta, saltem, quæ de illius natiuitate, & dilato Baptismate, vt suo loco à nobis notatum fuit. Addit tamen Anthonius Possevinus in Apparatu [o] : *Verùm enimverò è Chronicis Ordinis Sermonum scimus, Beati Ioachim* (sic enim, hoc est, Beatum appellant) *vitam fuisse scriptam à P. Paulo Florentino, & à Nicolao Burgensi.* Ergo hos etiam Scriptores habuit suorum Operum, quos vtinam nanciscí potuissemus. Iam de opinione sanctitatis eius, & dono prophetiæ, tum de scriptis, quæ sparsa apud Authores, quæque extent ex ipsis : nam plura typis cusa circumferuntur ; quanuis aliqua tacta in superioribus, sequenti capite ex morte collegimus. Interim noto Sambucinæ Abbatem, qui morti Ioachimi præsens fuit, non Lucam iam, sed Bernardum extitisse illius successorem, cùm Lucas in Pontificem Cusentiæ promotus esset. Verùm hæc dubia, & qua occasione dicta, anno sequenti latiùs replicabo.

o *libro* 1.

1. *De Ioachimo in Ecclesia varia sententiæ. 2. Qualis, ac quantus à quibusdam Hæreticis habitus sit: 3. vnde & ipse suspectus, 4. atque ab aliquibus grauissimè taxatus: 5. ab aliis mitiùs. 6. Pro Ioachimo scripsêre multò plures 7. Intolerandus quatuor Authorum error à Thoma Maluenda vindicatus. 8. Itémque alius ad doctrinam illius spectans 9 Dictum de discipulis, quos plures, & Sanctos habuit. 10. Itémque de scriptis, 11. queis alia addita. 12. Et tandem de eodem iudicium prudens.*

CAPVT VII.

1. MIRVM est, quantum diuiserit Ecclesiam, si ita fari licet, Ioachimus Abbas, qui Catholicos multos laudatores, venetatoréſque, reprobatores alios, & detractores etiam vsque in hanc diem experiatur. Sed & Hæreticos adeò partitos habet, vt quibusdam irrisui, contemptuique: aliis in ea veneratione fuerit, vt (quod catholicæ, & piæ aures abhorrent) vel ipso Christo maior, & in quibusdam eidem præferendus, petulanti, & inuana blasphemia prædicaretur. Rarum vtrunque, & ferè sine exemplo: siue, quòd Catholici ita diuidantur; siue, quòd hominem ab eorum multis laudatum, extollant Hæretici; qui more suo reptilia tantùm terræ, seu venenosa, & quæ omnes pij exhorrent, colere solent. Satis, supérque excusati sunt Authores, qui detrahunt Ioachimo, si Hæreticorum de eo laudes obtendant, nedum blasphemias, quæ sanctissimum quenque possint suspectum reddere. Certè post annos septem, & quadraginta damnatum lego quendam Petrum Parmensem, impiissimum Ioachimi admiratorem, de quo hæc habet Bzouius eodem anno [a]:

a anno 1258. num. 8.

2. *Per hæc tempora, quibus propter tumultus bellicos, disciplina ecclesiastica in Italia elanguerat, Ioannes quidam Parmensis, tum pro concionibus, & disputationibus; tum verò libro quodam, titulo Euangelij æterni vulgato, putidissimos errores, atque horrendas blasphemias euomebat. Blasphemabat, & iactabat, quòd doctrina Abbatis Ioachim, excellit doctrinam Christi, & consequenter nouum, & vetus Testamentum.* Hic primus error Hæretici insani: & item alius relatus num. XI. *Quòd adueniente Euangelio Spiritus Sancti, siue clarescente opere Ioachim, (quod ab eo dicebatur Euangelium æternum, siue Spiritus Sancti,) euacuabitur Euangelium Christi.* Et tandem tertius, qui vigesimo inter alios loco commemoratur: *Actiua vita vsque ad tempus Abbatis Ioachim fructuosa fuit: sed nunc fructuosa non est. Contemplatiua verò vita ab ipso Ioachim fructificare cœpit; & amodò in perfectis successoribus eius perfectiùs manebit: & per hoc datur intelligi ibidem, quòd Ordo Clericorum, ad quem pertinet vita actiua, amodò non fructificabit, in ædificatione Ecclesiæ, & conseruatione: nec omninò in regimine: sed Ordo Monachorum in his fructificabit.* Haud alia maior calamitas Ioachimo potuit contigisse, quàm taliter laudari: verùm nec taliter potuit, nisi à tali.

3. Hinc forsan factum, vt aliqui Catholici, cùm librum eius damnatum in Concilio, quod suo loco dicemus, conspexissent; & aliàs ipsum velut Numen habitum à perfidis Hæreticis, qui se eius doctrinæ sectatores profiterentur; quem mali colerent, malum prædicauerint; & quidam inter Pseudoprophetas, & impostores, alij etiam Hæreticis annumerent, vltra, aut supra Concilium volentes sapere; quippe inuecti non solùm in doctrinam, sed in personam, cui pepercit Concilium: & in doctrina pluta illi impingentes, à quibus prorsus Concilium temperauit. Guido præ aliis Carmelita est, qui, nescio qua offensione, velut fatali, in hominem inuectus, præter vaniloquentiam, iactantiámque, multos illi errores obiectauit, quos nusquam docuit: alia præterea, quæ verè prædixisset, falsitatis accusat, ignarus rerum, atque omninò inconsultus calumniator. Et quidem de vaniloquentia, atque iactantia in eius verba [b]: *Multa scripsit*, scilicet, Ioachimus, *in quibus quàm leuis esset ingenio, plùs satis ostendit: quoniam in omnibus ferè libris suis, quò se futurorum præscium commonstraret, consueuit miscere prognostica: quod maximæ lenitatis, & gloriam affectantis indicium est; potissimúmque, cùm aliter se in posterum rei euentus habuerit, quam ipse prædixit.* Hæc de vaniloquentia, atque iactantia. At de mendaci futurorum prædictione, audi, quod sequitur: *Nam, vt reliqua taceam, Fridericum Imperatorem, hostem Ecclesiæ futurum, cùm vigilando somniasse prædixisset; omnes tamen historiæ illum ad mortem vsque in pace, & tranquillitate Ecclesiæ permansisse tradunt.*

b *apud Alphonsum de Castro infrà citandum.*

Pergit errores doctrinæ recensere, inter quos primum, & multorum aliorum caput, ita describit: *Hic ergo Ioachimus inter cæteras fabulas, quas populo Christiano ingerere solebat, vna est, qua tres hominis status esse dicebat. Primum quidem, in quo homines secundùm carnis statum vixerunt, quem ab Adamo ad Christum vsque deducit: secundum verò, in quo mediam inter carnem, & spiritum vitam homines duxerunt: & hunc à Christo, vsque ad D. Benedictum protendit. Tertium dicebat esse, in quo viuitur, & viuetur secundùm spiritum; quem deducit à D. Benedicto, sub cuius disciplina militabat, ad finem mundi vsque. His autem tribus statibus tres ordines hominum adaptat, coniugatorum, Clericorum, & Monachorum. Coniugatorum ordinem dicit initium sumpsisse ab Adam, & fructificare ab Abraham, Ordinem autem sacerdotalem ab Ozia, qui de Tribu Iuda incensum Deo obtulisse traditur, incepisse: fructificare verò à Christo, qui Rex est, & Sacerdos. Ordinem denique Monachorum, à D. Benedicto, Viro sanctissimo esse inchoatum; sed fructificare cœpisse ipsius Ioachimi Abbatis, vt de se ipso testificatur, temporibus. Primo ergo statu lex carnalis data est, vt ille asserit; secundo lex spiritualis, vt putà Euangelium, quod tamen per Apostolos, non iuxta spiritualem intelligentiam, sed tantùm secundum litteram prædicatum fuit: sed in tertio, quem ponit, statu, idem Euangelium fore prædicandum dicit iuxta spiritualem eius intelligentiam: & hoc per Monachos illos D. Benedicti.* Hactenus Guido, quæ eadem ad litteram transcribit Alphonsus de Castro lib. 2. aduersùs hæreses, titulo, *Apostoli*, hæresi

4.

prima:

prima: atque ex vtroque Gabriel Prateolus de Vitis, & Sectis Hæreticorum, lib. 9. num. 16. Quin, & quod attinet ad Fridericum Imperatorem eadem habet Tritemius, Ioachimum memorans. Quò magis mirum, viros aliàs doctos in re graui scripsisse sine delectu; nec respexisse ad viam, quam ambularent; sed vnum tantùm præcedentem Guidonem sequutos esse.

5. Mitiùs cum Ioachimo egêre alij Authores, etsi vrgentiori in eum causa obtenta, quam nos etiam suprà memorauimus. Quòd Antichristum natum ipsius tempore, Ierosolyma recipienda à Christianis intra septennium, contra ipso euentu compertam veritatem prædicauisset. Vnde falsiloquus authoritate Diui Thomæ à Beato Anthonino dictus est [d]; & nouissimè à Cardinali Baronio [e] Pseudo-Propheta, atque homo inanis, & vaniloquus. Hi in Ioachimum: nam, qui referri etiam in ipsum solet Cardinalis Robertus Bellarminus, quamuis nihil certi audeat affirmare, quippe in re graui, & dubia; neque hactenus ab Ecclesia examinata: adeò tamen modestè, & parcè loquitur, vt non magis in ipsum, quàm pro ipso citari possit: quod facilè apud ipsum videre licet. [f] Et quidem, qui sub dubio loquantur, plures: qui palàm damnerit, præter vnum, aut alterum recentes, qui Authores, aut extenuant, aut extollunt, pro suo quisque cerebro, & vt sibi, seu fauent, seu aduersantur, neminem alium potui reperire. Sanctus Thomas [g], nam & eius iudicium meruit Ioachimus Abbas: *Non prophetico spiritu, sed coniectura mentis humanæ, qua aliquando ad verum peruenit, aliquando fallitur, de futuris aliqua prædixisse verba tradit, & in aliquibus deceptum fuisse.* Ita Sanctus in dubio veritatis ab extremis declinans, nec Prophetam putauit, nec illusorem.

d *parte 2. tit. 17. cap. §. 17.*
e *ad ann. Christi 1190.*
f *de Script. eccles.*
g *in 4. dist. 43. art. 3. q. 2. ad 3.*

6. Pro Ioachimo plures scripsêre. Collegit multos eruditione, ac iudicio æquè insignis Franciscus Biuarius in sua illa Apologia pro Flauio Dextro, ad responsa Penoti; §. VI. Nos opponemus Guidoni Carmelitæ Sanctum Cyrillum, Montis Carmeli decus, atque Guidoni haud dubiè præferendum, qui ostensæ cœlitùs sibi visionis interpretationem, quod suprà notabamus, à Ioachimo quæsiuit, scripta epistola, in qua hæc inter alia de Viro Sancto: *Cum Deus tibi, velut secundo Ioanni Euangelistæ, miram futura noscendi gratiam contulerit, humiliter quæso, (Reuerende Pater,) vt breuius Prophetiam hanc enucleare digneris, quòd dilucidius diuinis abyssum huius muneris penetrare valeamus. Frange nucem, densa reuela, vt splendeat cunctis claritas clarissimi Solis.* Extat eiusmodi epistola, cum operibus ipsius Ioachimi in Vaticana Bibliotheca, & in altera Monasterij S. Fidei, Ordinis Cisterciensis, prope Cæsaraugustam, ex qua nos quædam suprà transcripsimus, eámque refert Iacobus de Voragine in Vita Sancti Cyrilli. Cyrillo consonant Episcopus Aquensis [h], Robertus de Licio [i], atque Petrus Radulphus [k], aliique, qui eximiæ sanctitatis Virum Ioachimum nominant. Quin & qui prophetiæ spiritu plenum Henricus de Vrimaria, Ptolomæus de Luca, Matth. Palmer. Pandulph. Colenut, Paul. Æmil. Ioan. Donglonius, Gabr. Barrus, Sylvest. Melitius, Arnold. Vionius, Paschal. Regiselinus, aliique, quos idem Franc. Biuarius percrudité congessit loco citato. Quibus addere libet Leonard. Chiesium, Archiepiscopum Mitylenem lib. de captiu. & iactura Constantinop. Guill. Parisiensem in lib. de Virt. [m] Sixt. Senens. in sua Biblioth. Thom. Fascelium decade 2. de rebus Siculis, Petr. Vicarium, Carol. Sigonium [n], & tandem quotquot de Italiæ rebus, quotquot de Prædicatorum, & Minorum sacris Ordinibus texuêre Historias: qui nullo dempto Ioachimi Vaticinia, atque omnes cum laude pro se adducunt. Nec desunt, qui eadem ad illustres duas Familias proximi sæculi, vtranque Hispanam, Carmelitarum, nimirum, Excalceatorum, & Societatis Iesu, trahant non repugnantia. Ad vltimum, sicut Castro, atque Prateolus Hæreticorum albo Ioachimum inseruit: sic Sanctorum, Beatorúmque Catalogis adscribere non dubitant Robertus Rusca, & Chrysostomus Henriquez: ille in suo Compendio prope finem: vbi & solennem commemorationem in Cœnobio Florensi de Beato Ioachimo quotidie fieri testatum habet: hic ad decimamnonam mensis Maij, quæ tamen dies ex notatis à Iacobo Græco est corrigenda.

h *Serm. 45 de Sanct.*
i *in Historia Seraphica.*
k *de orig. Ordin Eremit.*
m *lib. 7. cap. 2.*
n *apud Mal. ann. & Vad. ing. in Annal.*

Nobis in tanta Authorum varietate, imò oppositione, faciliùs foret vtrosque condemnare, quam alteros sequi. Quippe in re graui, & soli Ecclesiæ iudicio reseruata, neutri hactenus habent, quod præseferant, nisi quòd tamen in dubio illi potiores, qui magis pij: cùm præcipuè miracula allegentur facta post mortem, quibus vt non omninò certa fides, at magna probabilitas, & cui plerumque subscribant vel prudentiores. Certè quod Guido opponit de Friderico, ex ignorantia Historiæ, & quidem nimis crassa, habet originem, quod hi Annales infrà etiam ostendent: quippe vt debaccharetur in Ecclesiam, non potuit non in nostros debacchari. Interim tamen nos in re grauissima, nihil omninò: sed nec Guidoni quisquam, quem ego viderim. Ioanni Tritemio, qui eadem scripsit, recens Author respondet in hæc verba [p]: *Sed vix crediderim, Tritemium talia scripsisse. Quis enim tam impudenter mentiri esset ausus, Fridericum II. nam de hoc certum est vaticinatum Ioachimum, semper pacificum, & Romano Pontifici subiectum, & fidelem perseuerasse? Nemo enim, nisi planè stolidus, & rerum omnium oblitus, istud asseruisse potuit: cum omnes, & etiam Tritemius in Chronicis Hirsaugiensibus, & totus mundus apertissimè sciant, Fridericum hostem infensissimum Romanorum Pontificum, & ab ipsis excommunicatum, & Imperio priuatum fuisse. Certissimúmque ea in re Ioachimum Vatem exstitisse, cum decimo Friderici anno facem Italiæ, & Ecclesiæ, nascituram.* Hactenus Maluenda, meritò quidem sub nomine Tritemij perstringens cæteros. 7.

p *Maluen. ann. 1256.*

Atque hæc sunt, quæ in Viri pietatem, & donum prophetiæ. Nam, quæ in doctrinam, omninò futiliora: quippe in Operibus Ioachimi nequaquam extant, neque vnquam extitisse credenda sunt, cùm nihil penitùs in Concilio de eis actum, in quo subtiliùs examinata eius Scripta; quod vel Alphonsus de Castro etiam notauit, dum eum illi errorem impegisset [o]: *Quod autem (ait) ad patrinj dogma spectat, de quo nunc fit mentio, in eius Scriptis, quæ legi, non reperi; sed tantùm à Guidone Carmelita inuenio eum de hac re notatum. De qua re miror: quoniam, cùm in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. celebrato, condemnatus sit quidam alius error huius Abbatis Ioachim, de quo posteà dicemus, mirandum est, quòd nullum alterius erroris Concilium illud fecerit mentionem: cùm tamen plures alios errores habuerit, quemadmodum illi impingit Guido.* Hæc ille: quamuis tandem Guidoni, quàm Concilio (quod longè magis mirum) fidere mauult. Certè aliud est, quod de ipso blasphemauit Ioannes Parmensis; aliud, quod ipse docuit, scripsitve: vnde & qui Parmensem condemnauit, à Ioachimo abstinuit, quod Guido, & alij debuissent animaduertere. 8.

o *loco suprà cit.*

Post

9. Porrò nihil tale docuisse vnquam Ioachimum, quin sanctam eius vitam, doctrinamque, illa parte excepta, de qua inferiùs (quæ in puncto mere speculatiuo minùs suspectum facit docentis animum,) vltra argumentum ab authoritate negatiua desumptum ex Concilio Lateranensi, quod in hac parte Ioachimo multùm fauet, (quando enim Concilium indemnem vellet, vel leuiter suspectum de his erroribus?) omnes eius discipuli conuincunt; vix non in aliquo illorum coinquinandi, si Magister, cui adeò adhærebant, ita docuisset. Et tamen omnes immunes ab his erroribus, quin multos constat graues, doctósque; & qui vel soli pro magistro suo responderent. Memorantur à Iacobo Græco nonnulli, quos nos superiùs. Cæterùm, quos recensèt Gabriel Barrus, quia plures numero in fauorem Magistri producamus P: *Ex Cœnobitis eius, ait, qui ipso,* id est, Ioachimo, *viuente, docentéque, ipsius magisterio floruerunt, bi sunt. Peregrinus, & eius frater Bonacius, quibus futuras, & proximas reuelauit tribulationes. Lucas, eius Scriba, qui postea Episcopus Cossentinus fuit. Gerardus Abbas, Ioannes, & Nicolaus, quorum alter Abbas Monasterij Curatij fuit, alter istius vices gerebat. Item, Matthæus, qui post Ioachim, Abbas Florensis fuit, & postea Tarentinus Episcopus: Rogerus Diaconus Ecclesiæ Sanctæ Seuerinæ: Petrus, & Nicolaus, qui omnes Sanctæ Vitæ extiterunt.* Non potest arbor mala bonos fructus facere, Veritate attestante: nec si dyscolus Ioachimus extitisset, nedum Hæreticus, tot sanctos Filios Ecclesiæ generasset.

P in vita Ioachim.

10. Hactenus, quæ concernunt sanctitatem, & donum prophetiæ, doctrinamque, qua parte condemnatur, ex minori notitia Operum Viri. Nunc ipsa Opera, vt partim M. S. seruantur, legunturque in multis Bibliothecis, partim vulgata, & cusa circunferuntur, in medium proferam.

Primò autem, quæ in Monasterio S. Fidis, Ordinis Cistercienſis, secundo lapide ab vrbe Cæsaraugusta in Aragonia, in membrana ante annos CCC. scripta videntur, pulchris, & pictis ornata characteribus, quem seruant, ordine veniunt recensenda.

Postilla in Apocalypsim, librum vnum. Sub cuius finem ita scriptum extat: *Explicit Post illa Ioachimi Abbatis super Apocalypsim, anno Domini M. CCC. XLVIII. in die Lunæ, in Festo Sancti Hilarij, in Octauis Epiphaniæ.* Quo autem die scribi liber cœperit, non explicat.

Sequuntur Concordiæ noui, & veteris Testamenti, libri quinque.

Commentariorum in Psalterium decem chordarum, libri tres.

Commentariorum in Ieremiam Prophetam, liber vnus.

Enchiridion super Apocalypsim, liber vnus.

De testamentis Patriarcharum, liber vnus.

De oneribus, ad Henricum Imperat. liber vnus.

De seminibus Scripturarum, liber vnus.

De Prophetia ignota, liber vnus.

De vltimis tribulationibus, liber vnus.

Expositiones versuum extraneorum, liber vnus.

Oraculum Cyrilli D. Ioachimo dicatum, cuius initium est: *Domino, ac totius diuinæ Sapientiæ septiformi columnæ Sancti Spiritus, qui à Patre luminum in effabiliter permanet suffultus, Abbati Ioachim pauper Cyrillus Presbyter, Eremita Montis Carmeli, & Spiritu in Domino cum obsecratione, & oratione, &c.*

Reseriptio Ioachim ad Cyrillum, liber vnus.

De prouincialibus præfagiis, liber vnus. Hæc sunt, quæ in Bibliotheca S. Fidis hodiéque manent.

Ioannes Tritemius, & eum alij sequuti, quantuis nonnullos ex his libris omittant; alios tamen videntur superaddere: ita enim scripta eius commemorant: 11.

In Danielem Prophetam, librum vnum.

In Euangelium Ioannis, librum vnum.

De septem sigillis, librum vnum.

De quindecim Pontificibus, librum vnum.

De futuris temporibus, librum vnum. Nisi forte idem sit, qui de vltimis tribulationibus intitulatur.

Epistolarum ad diuersos (quas vtinam extarent) librum vnum.

Subdit Tritemius: *Alia quoque multa edidit, maximè contra Iudæos, & alios fidei catholicæ aduersarios, quæ ad manus nostras non venerunt. Tractatus autem, quem scripsit contra Petrum Lombardum, Episcopum Parisiensem, in Concilio generali damnatus est, vt patet in principio Decretalium, cap. Damnamus.* Sixtus Senensis eisdem Commentariis in Danielem, & Ioannem, fidem facit. Quin & aliis in totum Isaiam, quæ Fratri Rainero de Pontio dicata, ex materia esse eadem coniector, cum libro de futuris temporibus. Sic enim illud Opus Sixtus describit: *Commentaria in Isaiam Prophetam stylo rudi, & obscuro: Commentariorum librum vnum: in quibus multa de septem temporibus Ecclesiæ, & de oneribus sexti temporis, quasi futurorum præscius differuit, multas immiscens prophetias, ac vaticinia de futuris temporibus: quæ an impleta, vel adhuc implenda sint, alij viderint. Opus incipit: Si ad hos vatum mysteriales centrum.* Ex his, in Isaiam, & Ieremiam, Apocalypsim Ioannis, Concordiámque, & Psalterium decem chordarum, excusa video annos simul, in quibus prodierunt, atque Typographos, prodente Possevino q, pro suo more. Cuius etiam libellus ille de quindecim Pontificibus, atque illustratus notis Paschalini Regiselini: itémque aliis Hieronymi Ioannini, quæ simul etiam in lucem prodiére.

q in Apparatu sacro.

Hæc pro Ioachimo, & in Ioachimum dicta, dum certiora non suppetunt, colligere consultius, quàm iudicare. Et mihi quidem in dubio adhuc hærenti de scriptis illius, vitáque, & prophetiæ dono; ne aut ipsi officiam, aut veritati; placet referre Anonymi iudicium, (Augustiniani, vt ferunt,) qui magnum Chronicon Belgij compilauit: quippe prudens omninò, rectúmque, & quod respondeat obiectis ab Authonino, in quibus etiam hæsitauit Baronius: *Aino,* ait, *Regni Philippi IV.* nam hic Author Ioachimi mortem refert in annum Christi MCCI. quem Miræus, & Henriquez sunt sequuti, *obiit in Italia verus Romæ Ioachim Scriptor nouus, Abbas, quondam de Miracio,* (corrige, *de Curatio,*) *Cisterciensis Ordinis, qui super Apocalypsim Ioannis, & supra dicta Prophetarum concordias edidit, de temporibus præteritis ad coniiciendo tempora futura. Qui multò aliter sentire videtur de aduentu Antichristi, quam quidam nostri temporis, qui de die in diem simplicium corda follicitare tenere præsumpserunt, quod nos loco competenti declarare ponimus. Scripsit idem Ioachim libellu de Trinitate, in quo Magistrum Lombardum in Sententiis vellagenere præsumpsit: pro qua præsumptione Papa Innocentius, In magno Concilio postmodum Roma celebrato, eundem libellum damnauit, & sententiam Magistri, qua obscurior videbatur, explanauit. Tamen cætera Ioachimi Opuscula, & vitam eius religiosam, & morum institutionem, & eruditionem, quam in Monasterio Florensino idem Ioachim reliquerat, Papa Innocentius III. non improbauit; sed approbando commendauit.* Hactenus ille ex fide, atque syncerè. Nos de scripto in Magistrum Sententiarum suo tempore latiùs disseremus.

12.

1. Ioachimi successor, 2. & infestatio Florensium ab eius obitu: 3. Monasterium de Calabro Mariæ Curatis deditum: 4. sed statim resipiscens, grauis vtrisque litigandi occasio fuit. 5. Commissa causa Abbati de Sambucina, & duobus Episcopis. 6. Curatiensium diuersa. 7. allegationes, 8. & responsa partis aduersæ, 9. replicaque. 10. Demum sententia 11. Innocentij Summi Pontificis: 12. & quædam in illius verbis perpensa.

CAPVT VIII.

1. IOACHIMI morte conuulsa Florensis Domus, & Congregatio ab ea deriuata, necdum adulta, & orphana, tanti Patris iacturam altè dolebat. Hanc, vt si quo modo posset, compensaret, elegêre Matthæum, Virum vtique magnum, sub quo non dubiè adolescere potuisset, si diutiùs præsidere permissus esset. Verùm meritis propriis exigentibus, ad maiora vocatum, rapiendúmque paucos intra annos, Tarentina Ecclesia præstolabatur. Hic ille, vt puto, Archiepiscopus Tarentinus est, quem ab anno M. CC. XVI. vsque ad annum M. CC. XL. Ioannes Iuuenis in suis Tarentinæ vrbis antiquitatibus desiderari, & nullam eius inueniri memoriam dolet: vigesimus in ordine, aut vigesimus primus, ante, aut post Nicolaum II. commemorandus: vnde & series Archiepiscoporum Tarentinensium supplenda venit.

2. Huius tempore nostri (quis id putaret?) quos hactenus Venerabilis senis reuerentia, (quanuis altè dolentes defectionem) in obsequio fraterno continuerat, cùm primùm se ab illius authoritate, qua apud omnes pollebat, senserunt liberos, auersari hominem, exprobrare diuisionem, singularitatem obiicere, & quasi à via recta recessisset, sequacibus præcipitium minabantur. Quin siue zelo religionis feruidi, siue per speciem charitatis inuidi, quod nonnunquam contingit, aut reuocare deuios, aut extinguere, aut si neutrum istorum concederetur, saltem extenuare, ne æmulos haberent, sollicitabant. Erat Florensibus inter pauca charum Monasterium de Calabro Matiæ, à Monachis, vt puto, Sancti Basilij olim inhabitatum; quod Curatiensibus, Ioachimo adhuc viuente, & Florem gubernante, cùm Pastore vacaret, vltrò se dederat; seu Monachi, vt olim Basiliana, sic tunc Florensia instituta fastiditent; siue cùm rerum penuria laborarent, per beneficia obstricti, quæ sæpè ingenuos quosque mouere solent. Accessit traditioni confirmatio Siciliæ Regis, qui dicebatur esse Patronus loci, atque Archiepiscopi Sanctæ Seuerinæ, in cuius Diœcesi Monasterium positum erat. Sola defuit Capituli licentia, nec, quod miteris, Abbati, atque Conuentui traditio facta; sed Cellerario Domus, siue eam solam sufficere putarunt; siue nondum effectum sortituram ante exitum Ioachimi, occultam in Cistercio esse voluerunt. An Ioachimum latuerit, non constat: illud compertum, pœnitentia post factum ductos Monachos Calabrenses adiisse Guiscardum terræ Dominum, atque eius potentia obtinuisse, vt à Capitulo Ecclesiæ Sanctæ Seuerinæ, (quam Græci possidebant) Sede vacante, mox ab Archiepiscopo, prima tradito Monasterio Florensi facta confirmaretur. Et credebatur incussus metus Canonicis, (Græcis quidem grauis,) per Guiscardum, quòd eis vxores auferret, aut auferri faceret, ni consentirent.

3. Hactenus quæ, viuente Ioachimo, facta, atque eius reuerentia velut sepulta retexit mors; & nostros ipsi, quàm quieti detulisse magis ostendit, (neque enim id negabo:) quippe eo sublato, mouere litem, Monasterium petere; grauem metum Canonicis incussum; cui vel constantes cederent, grauem Archiepiscopo; & potentia Guiscardi turbata omnia, multis propositis argumentis disceptabant. Tum verò quoniam regium priuilegium, siue confirmationem, quam præferebant, quia Cancellarij, non Regis esse constabat, mutare videbatur, nouam confirmationem à Rege impetrant, eámque ex certa scientia, quò priores defectus, si qui fortè irrepsissent, supplere posset. Florenses contra, sibi integra omnia, possessionem constantem, continuámque, & traditionē melioris conditionis; tum, quia antiquiorem; tum, quia sub Abbate, neque Sede vacāte facta fuisset. Archiepiscopi, & Capituli Ecclesiæ spontaneum consensum, qualem decebat impetrationem à tanto Viro. Nec dubitarunt arguere falsitatis priuilegium, Curatij primò obtentum; vt eo sublato caderet secundum, quippe confirmationem: quæ si auferatur, id, quod confirmabat, quasi in vacuum cadit, & non subsistit. Hæc, & similia vtrisque proclamantibus, Iudices designati Episcopi Squilacensis, & Martuanus, quibus Sambucinæ Abbas adiunctus est: siue, quia vtrique parti fidus, intimúsque; quippe alterius membrum, alterius frater, (nempe, Ioachimi filius,) adeóque neutri suspectus esse poterat; siue quòd Innocentius consueuisset deferre Cistercio, prouidens in negotiis delegandis, ne qua eius causa, siue ipsius interuentu decideretur.

4. Allegationibus, probationibúsque vtrinque propositis, atque pro more vtrinque in maius auctis, diuisi Iudices; & Florensibus quidem, quia prioribus, & quia possidentibus; Curatiensibus alij, quia firmioribus scriptis, & maiori nitebantur authoritate, Monasterium, de quo litigabatur, adiudicabant. Placuit vtrisque sufficienter instructam causam Innocentio remittere: nec dissensēre partes, quarum dum vtraque sibi ab alia timet, vtraque gaudet negotium prolatari. Missus est Romam pro Curatio Monachus vnus, pro Florensibus duo. Neque in vrbe remissi ad Auditores, vt mos est Curiæ: ipse Innocentius merita disquirere; allegata, probatáque conferre, depositiones testium, instrumentorum apices, & verba; demum ipse pronunciare sententiam voluit. Atque vt doceret Iudicare Iudices terræ: neque iustitiam oscitantia partium, inscitiáve, si verè suffragetur, negandam fore; contemptis omnibus, quæ vtrinque allegauissent, ex diuerso principio causam decidit, quod ne illis quidem, quibus suffragabatur, in mentem venerat. Igitur, seu reuerà pro Florensibus iustitiam stare vidit, quam tamen ipsi nequaquam agnouissent; seu voluit inferioribus potentia, fauorēque, quod boni Iudicis etiam munus est, omnem conferre gratiam, vltima die Augusti sententiam protulit, Mariæ Calabrum Florensibus adiudicans; super quo etiam ad

ipsos

ipsos gratas satis, atque ad Abbatem Matthæum litteras dedit, non solùm iudiciales, sed historiales, & continentes seriem totius facti. Has à Francisco Boscheto nuper vulgatas, & concordantes cum his, quas nos habemus, ex Vaticano missas, in maiorem notitiam narrationis, atque totius processus Lector accipiat: sunt autem tales [b]:

b lib. 1. epist. 99.

5. *Abbati, & Conventui de Flore.*

Inter vos, & Monachos Curatienses, super Ecclesia de Calabro Maria, quam ipsi cum suis pertinentiis ad suum Monasterium de iure spectare dicebant; & à vobis minùs licitè detineri, diu est quæstio agitata: sed tandem Ven. F. N. Squillacensi, & Marturani Episcopis, & dilecto filio Abbati Sambucine, de consensu partium, a nobis sub hac forma commissa. Vt partibus conuocatis, audirent hinc inde proposita, & vsque ad calculum diffinitiue sententia, appellatione postposita, procedentes, si de partium voluntate existeret, causam ipsam fine debito terminarent. Alioquin eandem sufficienter instructam, sub sigillis suis nobis transmittere procurarent, prefigentes partibus terminum competentem, quo se nostro conspectui præsentarent, sententiam recepturæ.

6. *Partibus igitur in ipsorum præsentia constitutis, proposuerunt Curatienses Monachi coram ipsis: quod cùm ipsi pronotitia mutua, & charitate fraterna, quam cum Abbate, at Monachis Calabri Maria habuerant, eisdem Abbati, & Monachis penuria laborantibus opportuna frequenter subsidia ministrassent. Demum eodem Abbate defuncto, Oeconomus eiusdem, & Monachi; tum, quia eorum Monasterium collapsum erat in rebus temporalibus; tum, quia ob paucitatem eorum, illud per ipsos regi non poterat opportunè, dictum Monasterium, quantùm eisdem licuit, obtulerunt Cellerario Curatiensi, recipientes ab ipsis postmodum, per eorum Oeconomum tam indumenta, calceamenta, corrigias, quàm etiam alia necessaria præter victum, qui supperebat eisdem Monachis competenter. Sed, quia id sibi absque Regis consensu, quem asserebant Patronum ipsius Ecclesiæ principalem, ad vindicandum prorsus ipsam Ecclesiam sufficere non credebant; charissimi in Christo Filij nostri F. Siciliæ Regis illustris priuilegium per manus Ven. F. N. G. de Palearia, Regni Siciliæ Cancellarij, supra eadem Ecclesia impetrarunt, confirmatione Capituli Sanctæ Seuerinæ, in cuius Diœcesi dictum Monasterium est constructum, supra eodem per Litteras obtenta. Insuper etiam adiecerunt ipsi Monachi Curatienses, quòd Metropolitanus eorum, videlicet, Archiepiscopus Sanctæ Seuerinæ, secundo die post consecrationem suam factum prafati Capituli, & dictam eisdem Ecclesiam confirmauit, ipsis exinde priuilegio assignato.*

7. *Et cùm hæc omnia per testes ab eis sint sufficienter probata, super proprietate Ecclesiæ memoratæ propenebant his plenius suam intentionem esse fundatam. Præter hæc autem Curatienses ipsi aduersùs vos etiam intenarunt, quòd cùm vobis in his omnibus suum consilium propalarint, & vos supra narratis fraternum eisdem auxilium, & consilium promiseritis impensuros, vestræ postmodum promissionis oblìti, ad nobilem Virum Petrum Guiscardi, qui erat illius terræ Dominus, accedentes, Monasterium illud ab eo concedi vobis cum instantia postulastis. Sed, cùm idem id vobis primitùs denegasset, interuentu coniugis suæ tandem benevole annuit votis vestris. Eo itaque sic obtento, iam dictæ Sanctæ Seuerinæ Canonicos, pro ipsa vobis Ecclesia conferenda, precibus propulsastis: super quo licèt emissæ preces, pro eo, quòd electus eorum erat apud Sedem apostolicam constitutus, à principio frustrarentur; comminationibus tamen eiusdem nobilis, de propriis eis auferendis vxoribus, cùm sint Græci, sibi acriter intentatis, ipsam vobis Ecclesiam iidem postrèmò confirmauerunt inuiti. Post hæc verò prænominato electo à Sede apostolica redeunti, extra Sedem propriam occurristis, præfatam ab eo Ecclesiam petituri. Sed, cùm repulsam pateretur vestra petitio in hac parte, pro eo, quòd idem electus nondum Sedem propriam visitarat, per impressionem tandem, & violentiam nobilis memorati, prædictam vobis Ecclesiam compulsus est confirmare.*

8. *Ad hæc autem vos in nostra præsentia respondistis à contra, quòd licèt Ecclesia ipsa per Oeconomum, & Monachos supradictos concessa fuisset Monasterio Curatiensi, prout ipsius Monachi adstruebant, concessionem talem bis rationibus dicebatis penitùs non tenere; tum, quia per illos eadem facta fuerat, qui persona non exiterant principales, Ecclesia tunc vacante; tum etiam, quoniam longè antè per Kirolum, quondam dicti loci Calabri Mariæ Abbatem, de consensu, & voluntate fuerum Fratrum tempore bonæ memoriæ Ioachim primi Abbatis vestri, dicta Ecclesia vobis concessa fuerat, & post ipsius Kiroli obitum, per eiusdem Monachos ipsius concessio exiterat pluries innouata, processu temporis, primò quidem Capituli, & secundò electi confirmationibus accedentibus, non per impressionem, vel violentiam nobilis antè dicti; sed potius mera eorum, & libera voluntate. Assignando nihilominùs rationes, quòd priuilegium antè dictum Curatiensibus non suffragaretur in aliquo, quia prædicta concessio, quæ facta fuerat minùs iustè, per illud non intelligitur rationabiliter confirmata, maximè cùm netam expresse contineat falsitatis, cùm legatur in ipso, quòd Panormi per manus iam dicti Cancellarij eo tempore datum fuerit, quo idem vtique non Panormi, sed alibi longè à Panormo manebat; & Rex, cuius authoritate fieri videbatur, tunc temporis non custodiretur ab ipso; sed à Guillelmo Capparone temerè teneretur, qui etiam verum ipsius sigillum detinebat.*

9. *Ad excusandum verò priuilegium supradictum, præmissis pars Monachorum Curatiensium replicando respondit, quòd cùm dictus Cancellarius a clara memoriæ C. Imperatrice, ordinarius totius regni, & Regis administrator extiterit constitutus, id potuit facere ipsius Regis authoritate licenter, vtpote qui vices gerebat regias in hac parte. Insuper etiam Curatienses Monachi addiderunt, quòd etsi dictum priuilegium per manus Cancellarij ob præmissa obtinere non posset robur debitæ firmitatis, censeri debebat validum, pro eo, quòd dictus Rex illud ex certa scientia postmodum confirmauit, cùm ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur, iuxta legitimas sanctiones. Nihilominùs proponentes, quòd etsi neutrum priuilegiorum deberet legitimum iudicari, vltimum debebat eis sufficere: quod idem Rex, postquàm vxorem duxit, supra eadem Ecclesia concessit Monacho Curatiensi.*

10. *Cæterùm pars vestra ex aduerso respondit, quòd si confirmationem aliquam obtinuerunt de priuilegio supradicto Monachi Curatienses, ipsa nullius erat roboris, vel vigoris: quia cùm ipsum priuilegium à principio irritum extitisset, rata esse non poterat obtenta taliter confirmatio, super eo assignantes talem de priuilegio vltimo rationem, quòd de ipso non emolumentum, sed pœnam deberent ipsi Monachi reportare. Quia cùm iam quæstio ipsius Ecclesiæ ad nostrum fuerit examen deducta, petierunt sibi rem litigiosam per potestatem sæcularem concedi, seu etiam confirmari. Contra confirmationem autem, seu concessionem Archiepiscopi, allegastis, quòd rem à vobis possessam, & ab eodem etiam confirmatam, ipse illis concedere, vel confirmare non debuit, maximè postquàm in litem deducta extitit, & ad censuram exa-*

minis noſtri perlata: vnde conceſſio, vel confirmatio huiuſmodi nullius debebat cenſeri valoris. Propter quæ ſuper Eccleſia ſupradicta ſilentium imponi Curienſibus Monachis, & ab ipſorum impetitione abſolui penitùs petebatis.

11. *Cùm verò dicti Iudices ſupra cauſa meritis ad inuicem diſcordarent, & partes cauſam ipſam noſtro potiùs, quàm eorum optarent iudicio terminari; eam ipſam cauſam, quàm partem cum rationibus, quæ pertinebant ad eam, iuxta mandati noſtri tenorem, ad noſtram præſentiam remiſerunt. Demum itaque dilectis filiis Nicolao Curienſi, & Hugone Priore Sancti Georgij, & Ioſeph, veſtris Monachis noſtro conſpectui præſentatis, & quæ acta fuerant coram Iudicibus ſupradictis, & rationes alias nobis exponere procuramibus: Nos illis diligenter auditis, & perſpicaciter intellectis, vos ab impetitione Curienſium ſuper eadem Eccleſia per diffinitiuam ſententiam prorſus abſoluimus, eiſdem ſupra ipſa perpetuum ſilentium imponentes. Præſertim cùm illis Regulam, & Inſtitutionem Ciſtercienſis Ordinis ab ipſa Monaſterij fundatione profeſſis abſque Superiorum diſpenſatione non extiterit ad obtinendum ſic Eccleſiam laborare. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ diffinitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem ſuæcuſque incurſurum. Datum apud Cryptam Ferratam, II. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno XIV.*

Hactenus litteræ: ex quibus tria, quæ ad Hiſtoriam faciunt, libet deducere. Primum eſt, menſe Auguſti præſentis anni, quo expeditæ leguntur, Ioachimum iam ad Superos tranſiiſſe: quod, præter inſtrumentum ſuprà adductum, verba illa confirmant num. 8. *Quòd tempore bonæ memoriæ Ioachimi primi Abbatis veſtri, dicta Eccleſia vobis conceſſa fuerat.* Secundum eſt, non longè antè defunctum: quippe, quos ſola Viri reuerentia retardaſſet à lite, ab eius obitu, ſtatim litigaſſe credendi ſunt; & Monaſterium, quod ſibi comparaſſent, & pro quo tot obtinuiſſent priuilegia, repetiuiſſe. Et tertium tandem quantæ authoritatis fuerit Ioachimus, cum quo viuente, nec noſtri litigare, quamuis potentes, auſi; & cui vel mortuo Innocentius Papa detulit, dum filiis Monaſterium, quod ipſe poſſediſſet, aduersùs Ciſtercienſes, (quod illa ætate rarum,) adiudicauit. Salua tamen Ciſtercij reuerentia, vel in ipſa repulſa: quippe quod ſolùm cauſa cadere dicitur, quia deſtituta propria authoritate; afferente Pontifice, *Quòd Ciſtercium profeſſis non daretur, ſine ſuorum Superiorum conſenſu, Eccleſias procurare, nedum admittere.* Quaſi vbi ſibi Ciſtercium non defuiſſet, vix poſſet ab extraneis ſuperari. 12.

---

1. Henrici Contracti Clarauallenſis pretioſa mors. 2. Bernardi Patris in ipſum ingens miraculum. 3. Eius viſio, 4. & memoria ſanctitatis. 5. Simonis Fuſniacenſis Abbatis zelus: 6. mors, Purgatorius, à quo liber Lutgardæ precibus. 7. Scripta, & ſanctitas Adami Caliſiani. 8. Sed de tempore dubium. 9. Dictum de Sancta Aleide Moniali: atque de alia ignoti Monaſterij. 11. Prima nouitia recitati per noſtros Officij pro Defunctis: 12. & Chronologia huius anni memoria breuis.

CAPVT IX.

1. ILLVSTRARVNT hunc annum inſignes obitus, quos non licet ſilentio prætereire. In eo primum (nam vndecim elapſis, Dialogos ſuos Cæſarius concinnabat) magnus ille diſcipulus Bernardi, & iam ſolus ſuperſtes ex cunctis ſociis, Henricus Contractus, quem ad Conſtantiam vrbem conuertiſſet, felici conſummatus morte conſcendit Superos, Magiſtro ſuo æternùm aſſociandus. Obiit autem in ipſa Clarauallæ iuxta Bernardi Patris Prophetiam. De eo ita Cæſarius in ſuis Dialogis [a]: *In Clarauallæ ante hos vndecim annos, Monachus quidam, Henricus nomine, defunctus eſt vir grandæuus, & ſanctus, corpore quidem contractus, & confractus; ſed corde multùm diffuſus, ac dilatatus. Multas hic habebat à Deo conſolationes, plurimas reuelationes, ſpiritu pollens Prophetiæ, & nullius expers ſpiritualis gratiæ.* Ita Cæſarius de viro, & eius obitu, déque obitus anno, qui incidit in eum, quem nunc ſcribimus. Hic illo Henricus Contractus eſt, Vir in ſæculo potens; cui, cùm timeret, ſi Habitum ſuſciperet, in diuerſas, remotaſque mitti regiones, Bernardus Pater fertur reſpondiſſe: Ego ſub conditione te non ſuſcipiam: ſed hoc tibi promitto, quòd ſi in Clarauallæ Monachus fueris, in Clarauallæ morieris. Qua promiſſione, velut cœleſti Oraculo, ſecurus adhæſit Bernardo in Clarauallæ cum ipſo ſepeliendus. Hæc ad annum M.C.XLVI. quo à nobis ſcripta, ſi benè memini.

[a] lib. 1. c. 16.

2. Porrò, quàm certa fuerit promiſſio, declarauit euentus non multò pòſt, liberato ab imminente morte Henrico, cùm in remotas Prouincias tranſmiſſus eſſet. Nam audi Cæſarium hæc ipſa ſubiicientem [b]: *Tempore quodam ab eodem S. Patre in partes remotiores miſſus, (ſcilicet, Henricus,) glacie ſub pedibus eius fracta, longiùs ſub vnda tractus, mirabiliter eſt illius benedictione reductus.* Hæc tantùm ille de miraculo ingni, quod mirum prætermiſſum in Sancti Vita. Certè id totum neceſſarium fuit, vt Bernardi, tũ virtus, tum fidelitas fierent manifeſtæ: hæc, qua promiſſis ſtare vellet; illa, qua poſſet. Sic nec abſtinuit à mittendo Henrico ad quæcunque negotia, quoties eius induſtria, qua maximè poliebat, requireretur. Et relucebat memoria promiſſionis, qua non fore fruſtrandum haud dubitabat. Itaque Henricus in ſeruo ſuo primùm, (cuius ſuprà meminimus, dum viri conuerſionem deſcriberemus), & in ſe ipſo etiam non multò pòſt Sancti Patris virtutem expertus dicitur: in illo, quem à mortuis ſuſcitauit, in ſe, quem mortis faucibus eripuit: niſi quòd ſeruus ab vtraque morte; Henricus ab altera: ſed vterque redemptus Bernardi meritis.

[b] vbi ſuprà.

3. Reuerſus tandem ad ſuam Claramuallem, & in ea quieſcens, vt peroptabat, longo tempore infirmorum curam geſſit; quod planè munus dum ſedulò adminiſtrat, Chriſtum, quem in infirmis venerabatur, & coadiutorem habuit, & ſibi familiarem expertus eſt: quod multis idem Author exemplis probat. Nobis vnum pro omnibus ſufficiat, quod ab ipſo tranſcriptum ita habet [c]: *Henricus Contractus, Clarauallis Monachus, qui ante paucos annos defunctus eſt, in eadem Domo quandoque Infirmarius fuit. Hic cùm tempore quodam haberet magnum infirmum, iam morti proximum, & nocte ſurgens ad ſignum Matutinarum, eundem infirmum conſideraſſet, ſperans illum poſſe durare, Chorum ex hoc ſecurior intrauit; in quo dum ſedendo modicùm dormitaſſet, ecce Saluator in figura infirmi adfuit, & ſuper pectus eius ſe reclinans requieuit. Henricus verò de hoc territus, cùm ſurgere* 3.

[c] lib. 8. c. 30.

surgere vellet, Dominus eum compescuit dicens: Bone Henrice, sine me quiescere. Ad quod verbum expergefactus, mox recordatus est infirmi sui: & surgens, atque in Infirmatorium festinans, illum agonizantem reperit, quem cùm ad terram deponere vellet, super pectus eius in modum visionis expiravit. Hactenus Cæsarius.

4. Obiit Henricus fermè centenarius, certè cùm annos quinque, & sexaginta egisset in Ordine: nec tamen potuit adolescens adhuc intrare, de quo idem Cæsarius alibi ait [d], cùm à Bernardo conuersus est: *Hominem diuitem, & potentem in sæculo, multa habentem castra, & cum castris infinita crimina.* Ergo vt minimùm trecenarius ingressus est, vt quinque, & sexaginta additis annis, quos in Ordine vixit, supra nonaginta expleuisse credendus sit, quando ex hac vita ad Superos migrauit. In libro sepulcrorum Claræuallis nulla illius memoria: dubium, qua causa. Recentiores ex Cæsario virum memorant, Albertus Mitæus [e] in suis Originibus Monasticis, Philippus Seguinus [f] de Viris illustribus Ordinis Cisterciensis, & post omnes Chrysostomus Henriquez in Menolog. ad decimamnonam diem mensis Febr.

d lib. 1. c. 16.

e lib. 5. c. 15: f lib. 13. c. 43.

5. Henrico Monacho Simonem Abbatem iungo, Virum multis virtutibus ornatum; & qui, si non amariori paulisper zelo (eóque Monachis minùs salutari) egregias alias dotes obnubilasset, haud dubiè inter Heroës Cistercij numerarentur. Is genere, doctrinaque excellens, Fusniacensis Cœnobij Abbas creatus, creditur obiisse circa hunc annum: eo, nimirum, quo Iacobus de Vitriaco in partibus Leodij Crucem contra Albigenses prædicabat. Cæterùm, cùm inter alios Sanctos vtriusque sexus B. Lutgardam in vita dilexisset; neque minùs ab ea dilectus esset; in morte orationum eius suffragia expertus est, ereptus per illius intercessionem ignibus purgatoriis, quos aliàs diutiùs foret perpessurus. Nec dubiũ, quin à maculis purgatus, eximiam planè gloriam adeptus sit, Vir aliàs magnus, & magnificè extollendus. Thomas Cantipratanus, coæuus Author, aut saltem subæqualis, & mortem hominis ante senectam rapti, & pœnas, quibus suberat, & Beatæ Virginis sic describit intercessionem [g]:

g lib. 2. Vit. S. Lutgardis, cap. 4.

6. *Per idem tempus Simon quidam Vir nobilis, Theuto natione, litteris egregiè institutus, Cisterciensem Ordinẽ complexus, Abbas Foniacensis factus est. Etsi autem ille ferueret desiderio: tamen acerbiori zelo in subditos inuehebatur: mortéque immaturè decessit. Habuit hic, cum viueret, Lutgardam pro vita sua sanctimonia charissimam, multúmque ex sua morte mœrorem attulit. Sed vbi defunctum cognouit, mox ieiunia, & afflictiones pro eo suscepit, rogans Dominum, vt animam eius liberaret. Cúmque multis precibus id à Domino contenderet, respondit ei Dominus: Bono animo esto: tua causa benignè faciam ei, pro quo erat. At illa vehementiùs instans, secundò audiuit, eum propediem liberatum iri. Dixit verò ad Dominum: Quidquid mihi vis impertiri solatij, id illi animæ in Purgatorio largiaris: neque ego vllo pacto cessabo à lacrymis, nec tuis consolationibus vnquam me patiar recreari, nisi illum videam liberatum. Tunc verò non est passus Dominus eam diutiùs affligi: sed apparens illi, adduxit secum animam à pœnis ereptam, dixitque ei: Æquo animo esto, dilecta: hæc est anima, pro qua postulas. Illa mox humi prostrata in faciem, pro eius liberatione Dominum benedixit. Anima autem exultabunda, & laudans Lutgardi gratias egit, & ad patriora transiens cum magna gloria cœlos penetrauit. Hic idem Simon postea Lutgardi crebrò apparuit, & inter cætera dixit ei, vndecim annos se in Purgatorio pœnas fuisse luiturum, nisi ipsa suis precibus sibi opem tulisset.* Ita Cantipratanus de Lutgardi, & Simone; hoc Cistercienſi Monacho, & Abbate; illa Moniali intra paucos annos futura.

7. Dicitur & obiisse circa hunc annum B. Adamus ex octauo Abbate Calisij, siue Caroli loci, atque S. Guillelmi successore, Syluanectensis Præsul [h], pietate, & doctrina æquè præcellens, de quo hæc habet Seguinus Calisianus: *Adam, Calisij Abbas octauus, natione Gallus, vir eruditus, moríumque honestate insignis, atque conspicuus, sub D. Guillelmo, Bituricensi Archiepiscopo, & Calisij quondam Abbate septimo, militia monastica animum addixit. Deinde Syluanectensis Ecclesiæ Pastor electus prædicando, docendo, & scribendo reliquum vitæ laudabiliter transegit.* Hæc de vtraque Viri dignitate, & honestate morum: at de doctrina, & scriptis, quæ reliquit, déque tempore obitus hæc alibi ab eo scripta inuenio [i]: *Adamus Gallus, Calisij, aliàs Caroli Loci Monachus, & Abbas octauus, deinde Syluanectensis Episcopus, diuini verbi declamator egregius, scripsit in Lectiones euangelicas, quæ per singulos anni dies in Ecclesia leguntur, Sermonum Opus maximum, quod extat M.S. in Bibliotheca Calisiana. Clarum anno ab Orbe condito M.CC.XI. Sepultus est Calisij ante maius Altare.* Hactenus Philippus Seguinus Calisianus.

h in Catal. Episc. cap. 6.

i de scriptur. Cisterc. lutera A.

8. Verum est tamen, quod attinet ad tempus, non concordare cum Tabulis Ecclesiæ Syluanectensis [k]: quippe in quibus Adamus Calisianus Garino succedit, quem constat, vt minimum, protulisse vitam ad annum M.CC.XXIII. quo Rex Philippus obiit, Garino executore testamenti ab ipso designato, quem Cancellarium, & Regni administrum habuit, quandiu vixit. Quin sequenti anno M.CC.XXIV. subscriptisse diplomati expedito in fauorem Bituricẽsium eædemmet Tabulæ constanter asseuerant. Vnde vlteriùs fieri videtur, Adamum nostrum non solùm non obiisse præsenti anno; sed nec post tredecim ad Sedem Syluanectensem assumptum esse: & rursus, aut non successisse immediatè Sancto Guillelmo in Abbatia Calisij, aut longo tempore eam administrasse: quippe ab anno M.CC. quo legitur promotus Sanctus Guillelmus, vsque ad mortem Garini, quam post XXIV. huius sæculi annum contigisse eademmet subscriptio manifestat. Nobis in his sufficiet dubitare: vtinam alij expediant, & nos doceant.

k apud Ioan. Chenu.

9. Nulla alia maiori certitudine notatum video à Chrysostomo Henriquez B. Adeleidis obitum, quæ filia Casimiri, Regis Poloniæ, sub Cistercienſi Habitu Trebniaci (Monasterio à Sancta Hedunigi constructo) sanctam vitam gloriosè consummauit. Adducit pro se quosdam recentiores, & inter alios *libri*, *cui titulus est: Reges, & Sancti, & Bellatores, & Scriptores Poloni, qui erat in Bibliotheca Collegij Romani, Societatis Iesu, in quo vbi agit de Sanctis, hæc habẽtur: Beata Aleida Virgo, Casimiri secundi Regis filia, Ordinis Cisterciensis, Trebnicæ sepulta anno millesimo ducentesimo vndecimo. Et in Tabula Sanctorum Tutelarium Poloniæ, & Russiæ sub eius B. Aleidis effigie legitur: Beata Aleidis, filia Casimiri, secundi Regis Poloniæ, Virgo Ordinis Cisterciensis in Trebniaco: quæ Tabula exusa fuit Colonia Agrippinæ.* Ita Henriquez ad vigesimamnonam diem mensis Augusti. Egó antiquiores, grauioréſque in hac re testes producere vellem. Arnoldus Vvionius in suo ligno vitæ [l], sanctam hanc Virginem Sanctimonialem fuisse, atque hoc anno obiisse etiam affirmat. *Sepulta*, inquit, *in Monasterio suo, cuius tamen nomen ignoratur.* Eiusdem meminêre Ioannes Pistorius Nidanus in Genealogia Regum Poloniæ, & Franciſc. Paludanus in

l lib. 4. c. 30.

ju arbore Sanctorum Domus Auſtriacæ. Mihi non leuem ſuſpicionem ingerit Sanctæ Heduuigis accuratè ſcripta Hiſtoria, Virginem regiam, & virtutibus illuſtrem, nequaquam omiſſura, ſi Trebniacenſis Cœnobij initia conſectaſſet. Haud tamen ideò negem, potuiſſe fieri: & certè Caſimiri patris tempus, & conſanguinitatis vinculum concordant. Virginem inter Sanctas Ciſtercij memorat Chryſoſt. Henriq. in Menologio; ſed prætermiſſam in ſua Corona ſacta, nos in præſenti noluimus pertranſire. Hæc de obitibus concernentibus hunc annum.

10. Eundem etiam concernere videtur plùs, minúſve inſigne illud miraculum, quod paucos ante annos accidiſſe cuidam Sanctimoniali Ciſtercienſi, narrat Cæſarius in Homiliis de infantia Saluatoris. Id potrò multis viſum, compertúmque, & duobus ſignis externis comprobatum, nempe, & cœleſtis odoris mira fragrantia, & ſanitate tibiæ malè ſauciæ per Virginem curatæ. Piaculum putarem, ſi non tranſcriberem. Nomina, tam Monialis, quàm Monaſterij Cæſarius reticet: rem tamen totam narrat verbis ſequentibus [m]: *Contigit nuper in quodam Cœnobio Ordinis Ciſtercienſis, fatis mihi noto, res valdè, delectabilis. Eſt ibi quædam Sanctimonialis vita probabilis, multúmque feruens in obſequio B. Virginis. Hæc cùm in genuflexione, nimio impellente feruore, tępore quodam genu, vel tibiam vulneraſſet; atque meridie in Infirmitorio, dormiret, viſa eſt in ſomnis eidem adſtare B. Virgo Maria pixidem vnguenti portans in manu ſua. Immiſiſſque digitis de eodem vnguento linuit vulneratam tibiam Virginis. Statim tanta fragrantia affuit, vt iuxtà dormientes virgines, odore excitatæ ſurgerent, & ad lectum illius venientes, quia maior erat ibi virtus odoris, eam excitarent; vt quis vel vnde odor ille eſſet, ſignaret. Illa benè ſibi conſcia, & per hoc iam de viſione certificata, nihil eis indicauit: innuens, vt dormitum irent. Quæ cùm rurſum obdormiret, rurſum affuit Mater Domini, & ducens eam ſecum in pomærium, ponénſque manum ſub mento illius, ait: Modò demitte te ſuper genua tua. Et fecit ſic. Et adiecit. Sic de cætero diſciplinatè debes petere veniam; inſtruens illam. Monens etiam, vt ſingulis diebus ſequentibus illam: Aue, Dei Genitrix, ſibi diceret; & ad ſingulos verſus veniam peteret. Docens ſe multùm in ea delectari. Illa verò euigilans cum ſomni effectum probaret; inuenit tibiam laſam totam ſanatam.* Hactenus miraculum inſigne, cuius ô vtinam! & perſonam, & Cœnobium tanto fauore digna cognoſceremus.

[m] *Serm. 2. de infantia Saluatoris.*

In Capitulo nihil ſtatutum hiſtoria dignum: niſi 11.
quòd tamen in eo primùm inuenio mentionem factam Officij Defunctorum. Non quaſi tunc de nouo recitandum iniunctum à Patribus: ſed, quòd ab olim recitari ſolito nouus modus præſcriptus, iſque decentior: *Vt in Officio Defunctorum, quando hebdomadarius Antiphonam incipit, qui poſt eum ſtat in Choro,* Benedictus, *& Magnificat, à podio ſemotus imponat.* Hinc duo nobis facilè elucent: alterum, recitari conſuetum ante hoc tempus: alterum, non priuatim, aut extra Chorum, vt olim factum in Officio Virginis; ſed in Choro, atque ab omnibus collectim, vt cætera diuina Officia celebrabantur. Vnde vlteriùs fit, Officium B. Virginis iam per hoc tempus, non in domo infirmorum, vt conſueuerat, & dudum noſtris præceptum adnotauimus, ſed in Choro, non ſecus ac officiũ, quod vocant maius, à Monachis vniuerſis decantaretur. Neque enim ratio, deuotióve permittit ſolẽniùs celebrari, quod pro Defũctis, quàm quod in Mariæ obſequium, laudémque Ordinis Aduocatæ, & Protectricis ab initio Ciſtercij recitabatur.

Vacuus hic item annus à Fundationibus, niſi 12.
quòd tamen in Chronologia ponitur, velut hoc anno nata, Sancta Maria coronata, Domus Apuliæ, quam Filiam Ferratiæ de linea Claræmallis Tabulæ notant: nec quicquam aliud de ea nobis compertum. Video & hoc anno Lorbanenſe Cœnobium confirmatum Reginæ Taraſiæ, poſt longam litem: ſententia lata à Petro Conimbricenſi Iudice delegato, quam ſtatim Innocentius confirmanit. Additis tamen quibuſdam conditionibus, per quas Pelagius Abbas, Monachíque expulſionis ſuæ damna recompenſarent.

ANNVS CHRISTI M. CC. XII. CISTERCII C. XV.

1. *Alphonſus Rex de Calatrauenſium clade dolens, 2. vicinos Reges conuocat, 3. atque Innocentio Pontifici ſcribit, 4. à quo & Crucem, 5. & remiſſionem plenariam Cruce ſignandis impetrat. 6. Quid interim Monfortius cum fratre reduce. 7. Nec quid n. ſi ad Arnaldi diſpoſitionem. 8. Eius, Guidoniſque electio in Pontificem, 9. conſecratióque: 10. & in Ciſtercio ſubrogatus alter Arnaldus.*

CAPVT I.

1. IVSTIS ſolutis Ferdinando filio, iam Rex Alphonſus bellum, armáque, & iuſtam ſibi de hoſtibus ſumendam, etſi ſeram vindictam, meditabatur. Quippe biennio ab amiſſa Saluaterra, per Calatrauæ mœres, quæ ſola clades, quia religionis, pium præ aliis vulneraſſet Principis animum. Verùm, quia hoc anno à nato Chriſto milleſimo ducenteſimo duodecimo, à condito Ciſtercio quintodecimo, centeſinóque; ingentes Saraceni copias ex Africa, ſiue ab ipſis vocatas, ſiue à Raymundo Comite Toloſæ, quod non deſint, qui putent, (vt ſe, Hæreticóſque à Cruce ſignatis, per inimicos Crucis defenſaret) aut ſecum iam habebant, aut expectabant: haud tutum erat ſine magna manu, experiri conflictum, ex quo totius Chriſtianæ religionis penderet negotium; ſi vincerent Pagani, iterum ab Hiſpania relegandæ. Cæſarius Heiſterbacenſis, eius temporis Scriptor author eſt [a], *Albienſes, antequam venirent contra eos exercitus Domini, Miramamolinum Regem de Marroquis in auxilium ſibi inuitaſſe: qui de Africa in Hiſpanias cum tam incredibili multitudine venit, vt totam Europam ſe obtinere poſſe ſperaret. Mandauit etiam Innocentio Papæ, quia equos ſuos in portico Eccleſiæ Beati Petri vellet ſtabulare, & ſuper illam vexillum ſuum figere.* [a] *lib. 5. c. 21*

Igitur pius Alphonſus Caſtellæ Rex, qui dudum 2
acceptarum cladium pertæſus, aut ſemel vincere, aut mori deliberaſſet: primùm omnium Innocentium adiit Summum Pontificem, vt Indulgentias [illegible]

tibus concessa,non solùm Hispanos,sed exteros etiam cieret in hostes fidei : prædicata per Christianas prouincias Cruce,non secùs,ac aduersùs Saracenos Dominici Sepulcri detentores,siue contra Hæreticos rebelles prædicabatur. Atque hæc omnia per Rodericum Toletanum ; quo & in reditu per Galliam prædicante,multos Cruce signatos , Tudensis Diaconus Lucas scriptum habet [b] : *Etenim*,ait, *fultus authoritate Domini Papæ* (scilicet,Archipræsul Toletanus,) *Gallias adiit , verbum Dei assiduè proponendo , & suadendo populis , vt ad defensionem fidei conuenirent, data eis remissione omnium peccatorum , & eos Crucis signaculo muniendo.* Ita Lucas Tudensis de Rodericо. Et extant Litteræ Innocentij Papæ ad Regem de hoc negotio : quanuis in eis non Rodericus Toletanus Præsul ; sed quidam alius electus Segouiensis missus commemoretur. Alphonsus interim victualium , armorum , equorúmque immensam congeriem , vt cunctis necessaria prouiderentur , congregari curauit ; quod ex litteris eiusdemmet Alphonsi ad Innocentium Papam constabit infernùs. Demum vicinos Principes Christianos ad commune bellum inuitans acriùs , & modestè pervrgens ; eos saltem sperauit sibi associandos,quos proximiores Albigensium finibus , eóque Saracenis magis expositos,si illac peruenirent ; vt non religio , moueret propria vtilitas , & metus proprius vicinæ inundationis , à qua & ipsi forent submergendi. Hinc forsan factum, vt ex quatuor Christianis Regibus , qui vltra Alphonsum Hispanis dominabantur,Alphonsos,Legionensem , & Lusitanum,quanuis propinquos,aut non adiuuit,aut ab eisdem nihil impetrauerit , & solos Petrum , & Sanctium,sibi adiunxerit,Aragonensem,nimirum,& Nabarreum,quos idem periculum , atque eadem vtilitas belli conciliabat.

b *ad Æram* 1250.

3. Doluit altè Innocentius,perlectis litteris,& de expugnata militia Cisterciensi ; hoc enim illi nomen, tum à Rege,tum ab ipso tributum ; & Castro Saluaterræ,quòd Calatrauæ dudum subrogassent (hanc solam cladem proposuit Christianus Princeps) facilè censuit fore,vt reliquæ Hispaniæ arces,vrbesque,quæ Christianis patebant,Saracenorum dominio subiicerentur.Sed neque censuit inultam relinquendam religionis iniuriam,quæ rem Christianam adeò promouisset in illis partibus:& ex qua in posterum maiores in dies fructus,& gloriosiores prouentus sperabátur. Itaque misso in Hispaniam Legato,qui per Prædicatores designandos cierent bellum,& milites insignirent salutis signo : per reliquas Prouincias præcipuè Galliæ , quæ Hispaniæ confinis,litteras dedit ad Archiepiscopos,& eorum Suffraganeos,vt idem facerent prædicari per suas Diœceses. Exemplar porrò Litterarum eius,nam in eandem formam cæteræ aliæ , ex Vaticano [c],& Regesto desumptum hîc transcribo:

c *lib.14.epist. Innoc.*

d *apud Bosch. lib.3.ap. 215.*

4. *Archiepiscopo Senonensi,& Suffraganeis eius.*

Recepimus litteras dolore plenas,& clamore non vacuas,quibus charissimus in Christo Filius noster A.Rex Castellæ illustris significare curauit , quòd Saraceni hoc anno intrantes Hispaniam in multitudine graui,quoddam castrum Cisterciensis Ordinis Fratrum,quod Saluaterra vocatur,hostiliter obsederunt,quòd bellicis machinis infestantes,ad vltimum occuparunt. Videns ergo prænotatus Rex , quòd nisi eis campestri bello fortiter resistat , ipsi,cùm propter innumerabilem multitudinem personarum,tum propter irruptionem machinarum durissimam,vniuersas Hispaniæ vrbes,quæ possent subiicere nefandæ ditioni ; campestre illis bellum indixit , in Octauis Pentecostes proximè futuris ; eligens mori potius,quam Christianæ gentis mala videre.Vnde nobis humiliter supplicauit , quatenus ei necessarium faceremus auxilium impertiri per catholicæ fidei professores.

5. *Nos igitur pium eius propositum in Domino commendantes , Fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus , quatenus subditos vestros sedulis exhortationibus moneatis , in remissionem omnium peccatorum ex parte Dei,& nostra,verè pœnitentibus iniungentes, vt eis præscripto termino,in hoc necessitatis articulo succurrentes,necessarium impendant auxilium in rebus pariter,& personis : vt per hæc,& alia bona,quæ fecerint, cœlestis Regni gloriam consequi mereantur. Pari quoque remissione,qua hi,qui in terram sanctam proficiscuntur,gaudere concedimus peregrinos,qui debita deuotione vndecunque processerint,ad idem opus fideliter exequendum. Taliter autem studeatis exequi,quæ mandamus,vt sollicitudo vestra in effectu , nosque deuotionem vestram valeamus meritò commendare. Datum Laterani,Kalendis Februarij,Pontificatus nostri anno quartodecimo.* Hactenus Innocentius ad Senonensem,& Suffraganeos eius , in qua eadem forma cæteris Archiepiscopis,& Episcopis Galliæ scriptum lego.

6. Inter hæc tamen non cessabat bellum in Albigenses,quin militia innouata per annos singulos , nouos semper faciebat progressus negotium fidei : hoc præcipuè,quo superueniente sub præcedentis finem Guidone,strenuo viro,fratre Simonis Comitis,à partibus Orientis,ingens rebus Ecclesiæ pondus adiecit. De hoc aduentu Guidonis ad Simonem , hæc Vallsarnensis [d]: *His gestis* (nempe,quæ anno præcedenti à nobis dicta) *venit Comes ad nobile illud Castrum in Diœcesi Albigensi,quod dicitur Castra : vbi dum moraretur,& ageretur Festum Dominicæ Natiuitatis,venit ad ipsum Guido frater eius germanus,rediens a partibus transmarinis. Iste Guido,frater Comitis,cum ipso ierat vltra mare : sed redeunte Comite , remansit iste Guido in partibus transmarinis , quia duxerat ibi vxorem nobilissimam de regio semine , quæ erat Domina Sydonis;quæ etiam veniebat cum eo,cum filiis suis,quos de ipso Guidone susceperat. Nec silendum , quòd dum veniret dictus Guido ad Comitem,quædam Castella in territorio Albiensi , quæ resilierant à dominio Comitis sæpè memorati,Guidoni se reddiderunt. Quanta autem in aduentu fratris fuerit Comitis,& nostrorum exultatio,non est,qui possit explicare.*

d *cap.20.*

7. Peragrabat interim Arnaldus,Cistercij Abbas,Albiensium Prouinciam,reconcilians conuersos ex Hæreticis,in contumaces vindicans:& singulis pro delictorum qualitatibus,pœnitentiam iniungens,aut pœnam infligens ; aliis sanandis , atque aliis puniendis. Sed neque ideò omittebat negotia belli , cùm nihil ageret , nisi ad eius consilium Monfortius Comes. Itaque in aduentu Guidonis fratris,territis hostibus, & nostris animatis,cùm Comites,Tolosanus , Fuxensisque terga vertissent [d] , *Misit Dominus Comes ad Abbatem Cistercij,qui erat apud Albiam , quærens ab eo,quid facto opus esset. Consilium autem Abbatis fuit, vt Comes obsideret castrum illud S.Marcelli,quod prope Albiam ad tres leucas situm erat.Comes verò Tolosa cuidam pessimo traditori Gerardo de Pepios,commisserat castrum illud. Venientes igitur nostri ad castrum, tantùm ab vna parte obsederunt illud.* Sic totius negotij dux,& Magister,& belli,& pacis negotiis attendebat.

d *vbi suprà.*

8. Cùm ecce,Narbonensi Sede vacante per mortem Raymundi , concurrentibus in eam omnium suffragiis,à Cistercio abstractus,ad eam archiepiscopalem Sedem promotus est,totius Galliæ ingenti acclamatione.Non solùm autem Arnaldus Narbonésis,sed & Guido,ex Abbate Vallium Sarnay,Carcassonensi Ecclesiæ præfectus,hoc ipso tẽpore,negotiũ fidei eximiè propagarunt. Vtráque promotionem,tempúsque,quicũctis aderat,Petrus his narrat verbis [e]: *Recedes Comes*

e *cap.20.*

ab obsidione S. Marcelli, ipsa die, scilicet, in Vigilia Paschæ, venit Albiam actuus ibi Festum Dominicæ Resurrectionis. Aduenerat autem ibi à Francia Venerabilis Abbas Vallium, de quo suprà fecimus mentionem: erat enim electus in Episcopum Carcassonensem. Quem cùm Comes, & milites nostri in predicta reperissent ciuitate, gauisi sum valdè; omnes enim ipsum affectu precipuo diligebant. Erat etiam à multis annis familiarissimus Comiti: idem insuper Comes, quasi ab infantia, eius consiliis se subdiderat, & ad eius se habuerat voluntatem. Ipso autem tempore electus fuerat Abbas Cistercij Arnaldus, de quo sæpè fecimus mentionem, in Archiepiscopum Narbonensem. Hæc de electione vtriusque Sancti Pontificis, ex Cistercio vtriusque, atque vtriusque ex præfectis negotio Fidei.

9. Nec multò inferiùs de vtriusque consecratione, quæ statim sequuta, annuente Pontifice, cùm Comes Simon, fauente diuina gratia, & sui exercitus gesta promouente, *In breuissimo, temporis spatio* (vt ait idem Author [f]) *plura castra vi cepisset, multa etiam vacua inuenisset. Nomina autem Castrorum, quæ infra tres septimanas recuperauit Comes, sunt ista: Castrum, quod dicitur Cue, Mons Maurus, Sanctus Felix, Casser, Monsferrandus, Auinio, S. Michaël, & alia multa. Dum autem esset exercitus apud Castrum, quod dicitur S. Michaël, distabátque vna leuca à Castro Nouo, supervenit Episcopus Carcassonensis, Guido, qui fuerat Abbas Vallium, & ego cum eo: ipse enim post captionem Alti pulli, recesserat ab exercitu adhuc electus, & perrexerat ad Narbonem, vt cum Domino Abbate Cistercensi, qui etiam erat electus in Archiepiscopum Narbonensem, consecrationis beneficium susciperet.* Sic Vallsarnensis; ex cuius narratione etiam colligitur, eandem vtriusque consecrationem, non vltra Festum Pentecostes dilatam esse.

Promoto Arnaldo ad Narbonensem Sedem, Cistercienses suffecere sibi Patrem eiusdem nominis, de quo hæc tantùm in serie Abbatum Cistercij [g]: *Decimus-septimus Arnaldus secundus, sponte cessit, & obiit octauo Kalendas Octobris.* Nec multò plura pro sua breuitate Chronicon Metricum:

10. g Ms.

Arnaldus cunctis ignem gestabat amoris,
Hoc onus ex humeris, senibus veiecit in annis.

Senibus, inquam: id est, cùm iam senuisset in eo munere. Nam successorem habuit B. Conradum, per hoc tempus Villarensem Abbatem tecèns electum, vt anno præcedenti dicebamus. Successit autem, postquam ex ea Domo in Claram Vallem promotus, & in vtraque sedisset per annos aliquot: vt suis locis latiùs disseremus.

---

1. *Cruce signante quosdam ex militibus Abbate Bonæ Vallis Crux apparuit in cœlo contra Tolosam* 2. *Animaduersum in Henriquez, & Seguinum.* 3. *Recensita duo alia* 4. *illustria miracula.* 5. *Et superata præstigia Hæreticorum.* 6. *Tolosanus Fulco à Leodij partibus redux* 7. *Arnaldus in Hispaniam proficiscens,* 8. *subdelegata Guidoni potestate.* 9. *Pietas viri,* 10 *& laudanda sollicitudo.* 11. *Demum castrum Mosaici à nostris obtentum.*

CAPVT II.

INTER hæc nostris prædicantibus per Galliam contra Hæreticos, cùm Abbas Bonæ Vallis Rutinensis multos Cruce signaret ad bellum sacrum, ingens in cœlo miraculum apparuit, quod ab eodem Petro Vallsarnensi memoriæ proditum, nequaquam licet silentio præterire [a]: *Miraculum*, inquit, *quod contigit ipso tempore in Diœcesi Rutinensi, nolumus præterire. Prædicabat namque quadam die Dominica in quodam castro Abbas quidam de Bona Valle, Ordinis Cistercienſit. Ecclesia autem modica erat, & non poterat capere populum, qui aderat: qua de causa egressi erant omnes, & ante fores Ecclesiæ prædicationem Abbatis audiebant. Circa finem vero prædicationis, cùm Venerabilis Abbas vellet hortari populum, qui aderat, super assumendis Crucibus contra Albigenses, subitò videntibus cunctis, apparuit Crux in aëre, quæ versùs partes Tolosanas tendere videbatur. Miraculum istud audiui abore dicti Abbatis, Viri religiosi, & grandis authoritatis.* Hæc Vallsarnensis.

a Hist. Albig. c.60.

2. Venerabilem hunc Abbatem, Ioannem nomine, Chrysostomus Henriquez tradit in Menologio [b]; insigni confusione rerum, dictorúmque, quæ vix possint ad concordiam, nedum ad veritatem reuocari. Nam in primis Abbatem Bonæ Vallis, & Viennensis affirmat, & Rutinensis; quorum alterum ex proprio marte refert, dum fuisse alium Ioannem primum Abbatem eiusdem loci tradit, Virum sanctum, de quo egerat Aprilis XXVI. quod soli competit Bonæ valli Viennensi: alterum ex Seguino, atque eius verbis: *Sanctus*, inquit, *Ioannes Monasterij Bonæ Vallis in Rutinensi Diœcesi Abbas*, &c. Deinde eundem confundit cùm illo Monacho, ad quem orationem pro Monfortio Comite vocem de cœlo factam superiùs diximus: & tamen constat, illum non Abbatem extitisse, sed Monachum: nec Bonæ Vallis vnius, siue alterius, sed Grandis Syluæ: in quo mirum, & Philippum Seguinum excutiisse. Quicunque fuerit, sanctitatem illius, zelúmque in fidei Deus miraculo approbauit, atque eò insigniori, quò patentiori.

b Maij 17.

Cæterùm, duo alia adhuc adiungam, quæ Cæsarius narrat, non, quia per nostros, aut in nostris facta; sed, quia in causa Christi, quæ curæ maximè nostrorum commissa erat. Quin & Cluniaci, atque in Cluniacensi Monacho, domesticum appellem, ob plures titulos. Ergo *ante hos annos*, ait Cæsarius [c], *cùm Catholici contra Albienses Hæreticos fuissent signati, & iam non modicum ab eisdem essent ildem Hæretici exacerbati, duo honesti Clerici per terram illorum transeuntes, cùm Ecclesiam vidissent in via desolatam, ait vnus alteri: Sabbatum est, intremus Ecclesiam hanc, & dicamus Missam in honore Domina nostra. Portabant enim secum librum, calicem, & indumenta sacerdotalia. Antequàm esset Missa completa, Hæreticis proditi sunt: qui armata manu intrantes, & Sacerdotem de Ecclesia trahentes, linguam eius radicitus abscidernnt. Quem socius, cum multo labore, Cluniacum deducens, Monachis commendauit. Illi verò, sicut viri catholici, & religiosi, Sacerdotem catholicum, & mutum, propter fidem Christi, & Genitricis eius Mariæ honorem, tam crudeliter mutilatum, deuotè suscipientes, omnem ei humanitatem exhibuerunt.*

3.

c lib.7.c.2.

In nocte verò Epiphaniæ, cùm solennes decantarentur Vigiliæ, baculo parietem pulsans, ministros adue-

4.

Christi : qui cùm quærerent, quid vellet, & ille se in Oratorium deponi signaret; volentes ei parcere, non acquieuerunt. Tandem importunitate eius tædiati, in Ecclesiam eum ducentes ante Altare quoddam deposuerunt. Qui cùm Matrem misericordiæ tota mentis deuotione inuocasset, illa ei apparens, & carnem, lingua formam habentem in manu tenens, respondit oranti : Quia propter fidem Filij mei, & honorem mihi exhibitum, lingua tua priuatus es, ecce nouam tibi restituo. Aperi ergo os tuum. Quod cùm feciſſet, digitis oris eius immissis, radici linguæ præcisæ eandem carnem continuxit, & uniuit : sicque disparuit. Qui mox, cum Angelo in vocem laudationis erumpens, clara voce clamauit : Aue, Maria, gratia plena, Dominus tecum. vsque ad finem. Quam salutationem cùm crebriùs repeteret, stupentes & currêre ministri accurrerunt & de Choro Monachi, de tam puro, & iucundo miraculo Deum, eiusque Genitricem glorificantes. Non immemor cellari sibi beneficij Clericus, in eodem Cœnobio factus est Monachus. Cùm Ioannes Sibolasticus Xantensis circa idem tempus esset in Prouincia Albiensium, cum exercitu Domini, audiens de tanto miraculo, in reditu Cluniacum venit, iam dictum Monachum sibi ostendi petiuit, & obtinuit, & linguam vidit, ab eius ore, qua dicta sum, audiens. Sicut nobis retulit idem Ioannes, reliqua carne candidior est, in loco præcisionis seruans cicatricem. Huius miraculi testis est vniuersus Cluniacensium Conuentus, vsque hodie.

5. Tertium miraculum, & quidem non ignobilius, cùm Diabolus inuideret gloriæ fidei per tot signa ostensæ; & veris falsa, miraculis prælstigia (decipiendis hominibus) opponeret, vt olim in Ægypto; sed æquali impotentia, & confusione; idem Author describit verbis sequentibus [d]: *Tempore illo, quando manifestari cœperunt hæreses Albigenses, quidam maligni, virtute diabolica suffulsi, quædam signa, atque portenta ostenderunt, quibus & easdem hæreses roborauerunt, & multos fidelium in fide subuerterunt: super aquas ambulauerunt, & non sunt submersi. Cernens hoc Sacerdos quidam, fide Catholicus, & vita religiosus, sciens vera signa cum falsa doctrina esse non posse; Corpus Domini cum pixide ad flumen, vbi illi populis suis ostensuri essent virtutes, deportauit; dixitque in audientia omnium : Adiuro te, Diabole, per eum, quem in manibus porto, ne in hoc flumine ad huius populi subuersionem, per hos homines tantas exerceas phantasias. Post hæc verba, illis super undas fluminis ambulantibus, vt prius, Sacerdos turbatus, Corpus Dominicum in flumine iactauit. Mira Christi potentia! Mox enim, vt elementum tetigit Sacramentum, phantasia cessit veritati, & pseudo illi Sancti, quasi plumbum descendentes, in profundum sunt submersi; pixis verò cum Sacramento stetit ab Angelis sublata est. Videns Sacerdos hæc omnia, de miraculo quidem exultauit; sed de iactura Sacramenti doluit: totam verò noctem in lacrymis, & gemitu transigens, manè pixidem cum Sacramento reperit super Altare.* Maiora alia miracula patrata pro confirmanda fide, facilè credam; iucundiora vix putem; siue aptiora, ad mentes hominum accendendas in Dei laudes.

[d] lib. 9. c. 22.

6. His, & similibus signis animati Catholici, confusi Hæretici; sed excæcati, nec resipiscentes; vtrique pariter bellum accelerabant. Rediisse iam à partibus Leodij Fulconem Tolosanum, Petrus mihi Vallsarnensis author est, qui loquens sub Octaua Penteco stes præsentis anni, cum Vticensi, & Carcassonensi recèns electo, in exercitu Cruce signatorum fuisse affirmat [e]. *Erant*, ait, *tunc temporis in exercitu, Vticensis, & Tolosanus Episcopi, & Episcopus Carcassonæ, qui nunquam ab exercitu recedebat.* Ergo cum his communicato consilio, versùs Agimum: *Inde*, ait idem Author [f], *anno Dominj M.CC.XII. tertio Nonas Iunij, die Dominica, venimus ad destruendum Castrum Pennæ; illud adiuuante Domino obsessuri.* Hæc in exercitu Cruce signatorum.

[e] cap. 63.

[f] vbi suprà.

7. Verùm Arnaldus parum sibi reputans compescere Hæreticos, si non & Saracenos debellaret, cùm res in Gallia prosperè succederent, atque subdelegata potestate Guidoni Vallsarnensi, iam tunc Episcopo, absentiam suam videret posse suppleri: quo erat animo in hostes fidei acri; in Hispaniam transire, & quibus posset militibus stipatus Archiepiscopus recens, Regi Alfonsò suppetias ferre statuit: ad pericula pronus pro fide Christi, atque illuc propensior, vbi hostes magis pauendi præ multitudine. De eius ad Hispaniam profectione, perseuerantiáque inferiùs multa: de potestate Guidoni subdelegata contra Hæreticos, quandiu ipse in Hispania demoraretur, hæc habet idem Author eodem loco [g]: *Erat in obsidione illa, scilicet, castri Pennæ, Venerabilis Episcopus Carcassonæ, de quo sæpius mentionem fecimus, & ego cum eo. Hic in exercitu Domini, de mandato Archiepiscopi Narbonensis, qui fuerat Abbas Cisterciensis, & erat Legatus, sicut superiùs est præmissum, vice fungens Legati, in feruore spiritus indefesso, in labore corporis incredibili, officium prædicationis, cæteráque ad obsidionem pertinentia sedulus exercebat; &, vt breuiter dicam, tanto, & tam importabili curarum sibi inuicem succedentium pondere premebamur, quòd vix licebat nobis comedere, vix modicum pausare.* Hactenus ibi, qui cunctis præsens fuit.

[g] cap. 63.

8. Porrò quàm felix Guidonis vicariatus Cruce signatis, facilè demonstratum ipsi euentus. Nam primò quidem, pergit idem Author [g]: *Dum esset Comes in obsidione Pennæ, venerunt ad eum omnes nobiles terræ illius, & facientes ei hominium acceperunt: ab eo terras suas.* Deinde sequitur post varios recentiores euentus belli: *Anno incarnati Verbi M. CC. VII. mensè Iulij, in Festo Sancti Iacobi, cùm hostibus aduersariis, recepit Comes nobile castrum Pennæ: die autem crastina superuenit Venerabilis Archiepiscopus Rhemensis Albericus, Vir multæ bonitatis, qui negotium Iesu Christi deuotissimo amplexabatur affectu: veníque cum eo Cantor Rhemensis, & quidam alij peregrini.* Hæc prima sub Guidone victoria fuit, cui ad vltimum ipse non interfuit, cùm Carcassonam ad quædam alia negotia diuertisset.

9. Narrat ibidem idem, qui suprà [h], Petrus, cùm post adeptum à nostris castrum Pennæ, tum Guido, quàm Comitissa Montisfortis ad exercitum Domini venirent, eam exhibuisse peregrinis humanitatem, vt aliquando pedites incederent, quò ipsi equitarent, atque à tædiosi itineris labore suleuarentur: *Nobilis*, inquit, *Comitissa Montisfortis, & Venerabilis Episcopus Carcassonensis, & ego cum eo, à partibus Carcassonæ properabamus ad Comitem, habentes nobiscum paucos pauperes, & peregrinos. Nec silendum, quòd dum pergimus, multi de peregrinis nostris, propter æstuosum feruentissimum, & arduitatem viæ, deficiebat in via: Venerabilis autem Carcassonensis Episcopus, & nobilis Comitissa, eorum dolori compatientes, eos tota die in equis suis retrò se deportabant, aliquando etiam vtrique ipsorum, Episcopus, videlicet, & Comitissa, super equum suum duos leuari faciebant peregrinos, ipsi autem pedites incedebant.*

h vbi suprà

10. Post castrum Pennæ, obsessum est à nostris castrum Molarum ad pedem montis in planitie quadam prope fluuium Tarni, in loco plurimùm fer-

tili, & amœno [1]. *Viri autem Venerabiles, & huius negotij rectores, & magistri, scilicet, Episcopus Carcassonæ, & Guillelmus, Archidiaconus Parisiensis, in his, quæ obsidioni erant necessaria, instantissimè laborabant: Archiepiscopus etiam Rhemensis, qui ibi erat, verbum prædicationis sapissimè, & libentissimè peregrinis ministrans, & in his, quæ opus erant obsidioni, se humiliter exponens, & sua liberaliter expendens, valdè erat necessarius negotio Iesu Christi.* Et post pauca: *Quando videbant aduersarij Episcopum Carcassonæ, sermonem exhortationis ad populum habentem; in turbam populi, qui sermonem audiebat, cum balistis sagittas iaciebant: sed per Dei gratiam nullum ladere potuerunt.* Demum obsessum in Vigilia Assumptionis, in Festo Natiuitatis captum tradit, non minùs expugnatum canentium vocibus, quam præliantium gladiis: quod eo in bello non semel accidisse Historia narrat, & nos etiam superiùs adnotauimus.

[1] *lib. 3. cap. 83.*

11. *Cùm fieret insultus, Episcopus Carcassonæ, & ego* (pergit Petrus [b]) *per exercitum discurrebamus nostros exhortantes. Archiepiscopus autem Rhemensis, & Tullensis, & Albigensis Episcopi, & Guillelmus Archidiaconus Parisiensis, Abbas etiam Mosarci, cum quibusdam Monachis, reliquique Clerus exercitus, in montis descensu ante castrum stabant induti vestibus albis, & nudis pedibus tenentes ante se Crucem cum Reliquiis Sanctorum; & voce altissima, & deuotissima cantabant: Veni, Creator Spiritus. diuinum auxilium flagitantes. Nec defuit exorantibus Paracletus: sed mox vt versum Hymni, scilicet: Hostem repellas longiùs tertiò repetentes inceperunt, exterriti aduersarij diuinitùs, & repulsi, dimissis barbacanis, ad castrum confugerunt, seque intra murorum ambitum concluserunt.* Et paucis interpositis, cùm iam nostris sese obsessi dedissent: *Accipientes autem nostri peregrini ruptarios, auidissimè interfecerunt. Nec silendum credo, quòd castrum Mosarci, quod in Vigilia Assumptionis B. Mariæ obsessum fuerat, in Festo Natiuitatis eiusdem Virginis captum fuit.* Hinc Sauardunum, atque aliæ munitæ vrbes dedita nostris; vt vere toto tempore, quo Guido Arnaldi vices gessit, prospera omnia, neque vllum à victoriis tempus nostris vacuum fuit.

[b] *vbi suprà.*

---

1. *Arnaldus in Hispaniam proficiscitur*, 2. *iniuriam Cisterciensis militiæ vindicaturus*: 3. *à Rege, & Roderico Toletano reuerenter susceptus.* 4. *Sacrarum militiarum concursus*, 5. *& debita prima victoria Vltramontanis.* 6. *Calatrana impugnata*, 7. *captáque*: 8. *& restituta Statim Calatrauensibus*; 9. *Vltramontanorum, remanente Arnaldo, discessus*: 10. *& Conuentus ex Zorita vocatus ad Calatrauam.*

CAPVT III.

1. DVm his Guido victoriis prosperaretur in Gallia Narbonensi, qui suas illi vices delegauerat, Venerabilis Arnaldus, multo stipatus milite, ad Alfonsum in Hispaniam, atque eius imperialem vrbem Toletum, aduersùs Saracenos properabat. Venêre & multi alij ex Gallia Principes, quos omnes refert Rodericus Toletanus, sine quo nihil actum in hoc negotio. Cùm tamen vnum præ cæteris loquatur, Præsulem Narbonensem, siue quòd inter omnes præmineret, siue quòd Cisterciensium militum cladi, in cuius hæc vindictam disponebantur, haud alius iustior, quàm Arnaldus vindex, quippe acceptæ eo tempore, quo ipse vniuersam Cisterciensem Familiam moderabatur: siue denum, quòd aliis retrocessuris; qui venerant ex Gallia, ipse vsque ad vltimam victoriam perseuerauit. Vtcunque fuerit, qui venerint ex exteris, Rodericus Ximenius his verbis narrat [a];

[a] *lib. 8. cap. 1.*

2. *Vertente anno, eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, ab Aldefonso nobili citatis gentibus, congregatis armis, victualibus comportatis, necnon & omnium cordibus ad bellum erectis, factus est occursus omnium apud Toletum, quæ sola potuit sui opulentia omnium necessitatibus non deesse.* Et paulò infeliùs: *Et quia de die in diem crescebat numerus stigmata Domini in corpore suo portantium, ne intra vrbis angustias arctarentur, Rex nobilis volens eorum commodis prouidere, extra vrbem circa fluenta Tagi, delicioſa viridaria, quæ ob regiæ grauitatis verecundam maiestatem coalita fuerant, eis exposuit, vt sub vmbraculis arborum æstus iniurias euitarent; ibique ex fructiferis arboribus, constructis tabernaculis, vsque in diem processus ad bellum in Regis sumptibus permanserunt. Octauo itaque die post Festum, quo Christiana Religio Pentecosten celebrat, Petrus, Rex Aragonum, nobilis Aldefonsi fidelis amicus, secundùm fœdus apud Choncam initum dictus plus fastu regio festinatis, die præfixa venit Toletum: vbi à Pontifice, & toto Clero processionaliter est receptus: ibique in viridario regio fixis tentoriis, gentis suæ præstolabatur aduentum.*

3. Vtroque Rege præstolante cæteros Principes [b]: *Cœperunt etiam vniuersi venire Magnates de partibus Galliarum, Burdegalensis, & Nanetensis Episcopus; multi Barones de eisdem partibus, & Italia. Conuenerunt & simplices milites, necnon & de pedestri ordine multitudo. Aduenit etiam Venerabilis Arnaldus, qui aliquando sollicitudine Cistercij functus, tunc regebat Ecclesiam Narbonensem. Hic paulò antè æmulatione legis catholicæ prouocatus, contra quosdam, qui in Narbonensi, & vicinis prouinciis blasphemare nomen Domini, & Ecclesiam, ore nefario præsumpserunt, corda fidelium excitauit, vt signo Crucis contra Hæreticorum versutias armarentur. Et sic factum est per Dei gratiam, quòd vbi contempta prædicatio non profecit, falce Crucis; putatis hæresibus, fides catholica de die in diem feliciter coaleſcit; & destructis Biterris, & Carcassona, blasphemantium tumultus sanguine, & flamma voraci, & vltrici gladio est consumptus. Æra millesima ducentesima quadragesimasexta. Hic itaque Pontifex, cum multitudine citerioris Galliæ, vasis belligeris, signis, & armis bonestis, vrbem ingressus est Toletanam, in qua decenter à nobili Rege, & eiusdem vrbis Præsule, est receptus.* Hactenus Rodericus de Arnaldo.

[b] *lib. cod. c. 2.*

4. At de sacris militiis, quæ sese etiam accinxêre contra Paganos Sororis suæ, (nam sic voco militiam Calatrauensem) acceptam ante biennium cladem vlturæ: postquam Aragonenses omnes Proce-

res,

tes,& Principes Castellæ retulisset, hæc rursus addit e: *Fuerunt etiam Fratres Calatraua sub uno militia sua Magistro Roderico Didaci (grata Deo, & hominibus fraterna societas) Fratres militia templi, sub uno Magistro Gometio Ramiri, qui post bellum feliciter expirauit. Hi sunt, qui primi in nouo Testamento signo Crucis susceptio, superbia militaris fastum strenuitate seruata, charitatis, & religionis vinculo arctauerunt. Fratres etiam militia hospitalis, qui fraternitatis charitati insistentes deuotè, zelo fidei, & terra sancta necessitate accensi, defensionis gladium assumpserunt. His sub uno Priore Gutierrio Ermegildo, Fratres etiam militia Sancti Iacobi, sub uno magistro Petro Aua. Hi in partibus Hispania multa opera militia decenter egerunt. Multi etiam Christiana Religionis diuersorum veterum, & professionum, zelo, & compassione moniti, insigniti signaculo Sancta Crucis, inibi conuenerunt.* Igitur sola Sanct-Iuliauæa, Eborensisque defuêre militiæ: quæ magis obstrictæ, ex eiusdem Cistercienſis professionis identitate. Sed prævaluêre vtriusque Regis affectus, Legionensis, nimirum,& Lusitani; siue aliis bellis intenti detinerentur, vt putat Andradius d, siue Alfonso Castellæ Regi infensi, priuatas simultates communibus dispendiis antetulerint.

e c. 3. eiusd. lib.

d Hist. r. Alcant. 54.

5. Quot fuerint congregati milites, ex omni gente, & lingua, non satis constat. Archiepiscopus idem Author est, ex solis Vltramontanis plusquàm decem millia equitum, peditum ad centum millia numeratos, quibus diaria stipendia, non exigua, larga manu ab Alphonso diuidebantur. *Duodecimo Kalendas Iuly exercitus Domini ab vrbe regia est profectus: Vltramontani per se, dato eis pro Duce Didaco Lupi de Haro: Petrus strenuus Rex Aragonum cum suis, Aldephonsus nobilis cum suis. Et licèt separatim procederent, modicum tamen spatium exercitus diuidebat.* Idem Alphonsus pauciores multò numerat in epistola reddenda sequenti capite. Victoriæ initium Vltramontanis debitum, qui, vt cæteras turmas præcedebant, ad castrum Malachonis peruenientes, ante illarum aduentum vtiliter pugnarunt. *Præcedentes*, inquit f, *obsederunt præsidium Malachonis, & signum in bonum, diuina gratia faciente, licèt, qui erant in arce, satis viriliter se defenderent: instantiam tamen Vltramontanorum, qua magna strenuitate feruebat, pro Christi nomine mori desiderans, virtutem resistentium, & munitionum præsidium in nomine Domini minorauit: cepitque Malachonem, omnibus, qui aderant, interfectis. Sequenti die exercitus Regum aduenit, ibique substitit vno die: sed & aliquantulum victualia defecerunt: tamen occurrit industria Regis nobilis, & fecit exponi victualia copiosè.*

f ibid.

6. Instabat iam vicina Calatraua, natura loci tutior, artéque; sed vlciscendæ iniuriæ Militiæ sacræ, eò accommodatior, quò prima gentis Sedes; postquàm haud dubiè etiam Saluaterram, & cætera adiacentia castra recuperarent. Itaque ait idem Rodericus g: *Procedentes omnes pariter peruenimus Calatrauam. Agareni autem, qui inibi rebellabant, excogitauerunt tribulos ferreos fabricare, & per omnes transitus Ane fluminis proiecerunt: & quatuor habentes aculeos, qualitercunque caderent, vno eorum erecto, pedibus hominum, & equorum vnguis figebantur. Sed, quia humana artificia contra Dei prouidentiam nihil valent; sic Deus voluit, vt paucissimi, vel nulli ferè illis tribulis laderentur: & gratia Dei manu suppositâ, transiuimus flumen Anam; & castrametati fuimus in circuitu Calatraua. Agareni autem oppidum illud sic in summitatibus turrium armis, & vexillis, & machinis munierant, vt volentibus impugnare satis difficile videretur. Præterea, licèt sit oppidum illud in plano: tamen ex vna parte muri eius, pertactum fluminis inaccessibile inuenitur: ex aliis partibus, sic muro, & antemurali, fossatis, & turribus, & propugnaculis est munitum, vt absque longa machinarum impugnatione inexpugnabile videretur. Erat autem ibi Agarenus quidam, nomine Auencalaz longa armorum assuefactione æstutus, & bellorum exercitiis frequenter expertus. De huius industria, plusquàm de se ipsis confidebat populus obsessorum: licèt esset ibi in præsidio quidam Almonat, qui præsidij custodia præsidebat.*

g c. 6. eiusd. lib.

7. *Cúmque in obsidione per dies aliquot moraremur, & Reges cum Principibus de impugnatione præsidij dubitarent; post longos tractatus, placuit omnibus non relinquere oppidum intentatum, licèt impugnatio difficilis videretur. Plerique autem melius iudicabant cœpto itinere ad bellum pressidere, quàm impugnationibus castrorum insistere: præsertim cùm in talibus & strenui periclitentur, & exercitus fatigetur: cùm & ius acquisitionis, & retentionis talium pendeat ex fine belli. Assumptis itaque armis, locisque oppidi specialiter, & Regibus, & Principibus assignatis, voce fidei elevata, oppidum fuit aggressi. Sicque per Dei gratiam factum est, vt die Dominica post Festum Sancti Pauli, expulsis Arabibus, fuit Calatraua Regi nobili restituta: qua statim à Fratribus, qui dudum ibidem resederant, fuit munita, & Christiano nomini redonata. Nobilis autem Rex, de omnibus ibidem inuentis, nihil sibi retinuit, sed Vltramontanis, & Regi Aragonum cuncta dedit.*

8. Pristina Sede restituta Calatrauensibus, qua amissæ Saluaterræ iacturam non sine lucro haud dubiè compensarent: Vltramontani, quasi peracto negotio, quod eos ad Hispaniam adduxisset, ferè vnanimes ad propria reuerti deliberarunt: siue id Gallis à natura inditum, vt primos impetus gloriosiùs exequantur, quàm perseuerent: siue soles, & æstus terræ calidioris insueti hactenus impatienter tolerarent: seu tandem Cistercienſis militiæ vltio, quæ sibi in Litteris pontificiis, prædicandæ per Galliam Crucis, velut causa adæquata continebatur, satis, supérque effectum sortita esset. Constat omnes reuersos ab eo loco: *Excepto tamen*, ait Archiepiscopus h, *Venerabili Arnaldo Narbonensi Antistite, qui cum omnibus, quos habere potuit, & multis nobilibus de prouincia Viennensi, semper in bono constans, à bono proposito non recessit. Et erant circiter centum triginta milites præter pedites, de quibus etiam aliqui remanserunt. Remansit etiam de partibus Pictauie Theobaldus de Blazon, homo nobilis, & strenuus, & natione Hispanus, & genere Castellanus.* Hæc Rodericus. Itaque Arnaldus cum paucis relictus est, qui adhæreret Alphonso, atque vltima b lli præstolaretur. At non ideò defecit Christi exercitus: quin abeuntium Vltramontanorum, quanuis ingentem numerum, suppleuit virtute Sanctius Nauarræ Rex, qui non multò pòst sese nostris adiunxit. Nam pergit Archiepiscopus i:

h vbi suprà.

i ibid.

9. *Recedentibus itaque his, qui Crucem Domini in Angaria attulerunt, soli Hispani, cum paucis Vltramontanis, superiùs notatis, proficisci cœperunt ad bellum Domini confidenter: & primò venerunt Alarcuris, ibique castrametati municipium occuparunt: necnon & castella alia in vicino. In eadem*

mansione aduenit Sanctius Rex Nauarræ, qui, licèt à principio simulasset nolle venire, cùm ad discrimen peruentum fuit, strenuitatis suæ gloriam, à Dei seruitio non subtraxit: sicq; Regum ternarius, in Sancta Trinitatis nomine processerunt. Et primo die castrametati sunt in circuitu Saluaterræ. Dominica die sequenti, visum fuit Regibus, & Principibus, vt totus exercitus armaretur, & etiam omnia, tanquàm ad bellum disponerentur. Et per Dei gratiam talis apparuit multitudo armis, & signis, & equis ornata, vt intuentibus hostibus terribilis appareret, nobis amabilis, belloq; expediens, discessum absentium compensaret: ita quòd etiam corda magnanimorum creuerunt, pusillanimes confortati, dubij confirmati, & discedentium scbisma, quod multos terruerat, decessit à cordibus timidorum. Ibiq; etiam die altero expectans, post peruenit ad aliam mansionem, quæ dicitur Fraxineda. Tandem peruenimus ad aliam mansionem eiusdem nominis. Tertio verò die ad aliam mansionem in radice Montis de Muradal, qua dicitur Guadalfajar. Hactenus ex oculari teste, maioríque, quàm vt excipi possit, Roderico. Verùm hæc omnia, & eam, quæ sequuta est, ingentem victoriam, quam ex loco, ad Tolosæ Nauas appellant, à nostris partam, ex litteris eiusdem Regis Alfonsi ad Innocentium missis, quas Ioannes Mariana etiam adducit, sequenti capite venient referenda.

Interim adnoto, reddita Calatraua militiæ sacræ, Conuentum statim, ex Zurita illuc translatum, ingenti omnium lætitia, qui semen Raymundi glorioſum, cùm per annos exulasset viginti, & septem, iam tandem restitutum viderunt paternis sedibus, nec dubitarunt ipsum Sanctum Patrem intercessisse ad Deum, ne donatione sibi à Sanctio facta, dilecti filij, atque hæredes defraudarentur. Vsque in hanc diem ab eis possidetur, quamuis oppidum ipsum destructum est, incertum, qua occasione; (nisi quòd insalubre, à flumine vicino, reputabatur,) & loco eius subrogata arx munitissima in summitate montis, in qua etiam hodie Conuentus persuetat. Sed redeo ad epistolam, quam Rex Alfonsus, victoria recèns adepta, ad Innocentium scripsit in hunc modum. 10.

---

1. *Alfonsus Rex Innocentio Papæ scribit*, 2. *de hac eadem susceptæ expeditione*, 3. *& Calatraua expugnata, cæteríque*: 4. *& Catholici exercitus*, 5. *rustico quodam ducente, dispositione.* 6. *Quid hostes fides.* 7. *Et victoria miraculosa.* 8. *Quot millia occisi*, 9. *& quæ alia victoria de illis parta?* 10. *Gratiarum actio, & Festum anniuersarium.* 11. *Notata miracula.* 12. *Et Cæsarij fragmentum de Rege victo.* 13. *Successio Magistrorum Calatrauensium.*

CAPVT IV.

1. a ex Regest. Vat. & Mariana.

SANCTISSIMO *Patri* [a], *ac Domino Innocentio, Dei gratia Summo Pontifici, Alphonsus eadem gratia Rex Castellæ, & Toleti, oscula manuum, atque pedum.*

Sanctissime Pater, Sanctitatem vestram credimus non excidisse propositum impugnandi Saracenæ gentis perfidiam, quod vobis per nostros nuncios denotè, & humiliter intimauimus, in omnibus, tanquàm Patris, & Domini vestrum subsidium expectantes; quòd sicut à Patre pio nos recognoscimus benignè, & piè pariter impetrasse. Quocirca cum litteris nostris nuncios nostros, quos ad hoc exequendum idoneos reputauimus, ad partes Franciæ non distulimus destinare; addentes etiam, vt omnibus militibus venientibus, provt decebat, expensas victui necessarias largiremur, quibus possent commodè sustentari. Verè fuit, quòd audita remissione peccatorum, quam vos venientibus indulsistis, venit magna multitudo militum de transmarinis partibus, necnon Archiepiscopi, Narbonensis, & Burdegalensis, & Episcopus Nanneteusis. Fuerunt, qui venerunt vsque ad duo millia militum, cum suis armigeris, & vsque ad decem millia seruientium in equis. Quibus omnibus nos oportuit in victualibus prouidere. Venerunt etiam illustres amici nostri, & consanguinei Rex Aragonensium, & Rex Nauarræ cum potentatu suo, in fidei Catholicæ auxilium. Quibus nobis tum aliquanto tempore facientibus moram apud Toletum, expectabamus quippe homines nostros, qui venturi erant ad bellum; omnia necessaria, provt per nuncios nostros promisimus, non defecimus ministrare. Licèt expensæ essent propter sui multitudinem, nobis, & Regno nostro ferè importabiles, & onerosæ. Non enim solùm in his, quæ promiseramus; verùm etiam in pecuniis, & in dextrariis, quibus ferè omnes tam milites, quàm seruientes pariter indigebant, nos oportuit prouidere. Sed Dominus, qui multiplicat incrementa frugum, ministrauit nobis abundè secundùm suæ gratiæ largitionem; & dedit omnia posse perficere perfectè, & abundè.

Congregata itaque nostra, & suorum multitudine, viam cœpimus profectí. Et venientes ad turrim quandam, quæ Malajon nuncupatur, satis munitam, Vltramontani, antequam nos peruenientes per vnum diem, & illam cum Dei auxilio impugnantes, incontinenti cœperunt. Licèt autem nos eis in omnibus necessariis largissimè prouideremus; ipsi tamen attendentes labotem terræ, qua deserta erat, & aliquantulum calida, voluerunt à cœpto proposito retroire, & ad propria remeare. Tandem ad magnam instantiam nostram, & Regis Aragonum, processerunt vsque ad Calatrauam, quæ non distabat à prædicto Castro, nisi per duas leucas: eámque nos ex parte nostra, & Rex Aragonum ex sua, & ipsi ex sua, in Dei nomine cœpimus expugnare: Saraceni autem, qui intus erant, attendentes se Dei exercitui non posse resistere, disposuerunt villam nobis tradere, ita quòd personæ eorum salua discederent: verumtamen sine rebus. Cùmque nos istud nulla ratione vellemus acceptare, Rex Aragonum, & Transmontani habentes super hoc consilium, viderunt villam esse munitam muris, & antemuralibus profundè fossatis, & excelsis turribus, & quòd non posset capi, nisi suffoderentur muri, & sic ruerent: quod cederet in graue damnum 2.

Fratrum

Pratribus Salæ terræ, quorum fuerat; & non posset, si necessitas urgeret, retineri. Veri apud nos instituere fir-
missimè, vt villa salua, & integra, cum armis, & magna copia victualium, qua ibi erant, quibus satis
indigebat exercitus, nobis redderentur; & persona Saracenorum vacue, & inermes recedere permitterentur.

3. *Nos autem attendentes eorum in hoc firmam voluntatem, votis eorum annuimus; ita quod medietas omnium eorum, qua intus habebantur, cederet in partem Regis Aragonum; & altera medietas in partem Vltramontanorum, & nec nobis, nec nostris aliquid voluimus retinere. Ipsi autem propositum repatriandi apud se retinentes, licèt Dominus Deus nobis exhiberet gratiam, & honorem, & nos vellemus omnibus eis sufficientissimè necessaria ministrare, desiderio patria coacti, omnes pariter Crucis signo derelicto, cum Archiepiscopo Burdegalensi, & Episcopo Nannetensi, licèt certitudinem de bello Saracenorum haberemus, ad propria redierunt; exceptis admodum paucis, qui remanserunt cum Archiepiscopo Narbonensi, & Theobaldo de Belegon, qui naturalis noster erat, cum suis, & quibusdam aliis militibus, qui erant de Pictauia, & sui omnes. Qui remanserunt, inter milites, & seruientes, eorum quinquaginta. De peditibus autem eorum ferè nullus remansit. Cúmque Rex Aragonum apud Calatrauam moram faceret, expectando quosdam milites suos, & Regem Nauarræ, qui nondum ad nos peruenerat; nos cum nostris processimus, & peruenimus ad quoddam castrum eorum,*
* Alarcos. *quod * Claros dicitur. Licet autem munitum esset, cæpimus & alia tria castra, quorum vnum dicitur Caracona, aliud Beneuentum, & aliud Petrabona. Inde procedentes peruenimus ad Saluamtetram; ibique peruenerunt ad nos Rex Aragonum, qui de suis hominibus non duxit in exercitum, nisi tantum milites generosos; & Rex Nauarræ, qui similiter vix fuit in exercitu de suis, plusquàm ducentis militibus comitatus.*

4. *Et quia Rex Saracenorum in vicino erat nobis, Salnamterram nolumus expugnare: sed procedentes contra Saracenorum multitudinem, peruenimus ad quadam montana, in quibus non erat transitus aliquis, nisi in certis locis. Cúmque nos essemus ad pedem illius montis ex parte nostra; Saraceni venientes ex parte alia, obtinuerunt summitatem montis, volentes nobis transitum impedire. Cùm milites nostri ascendentes viriliter, quia adhuc pauci Saraceni, ad locum peruenerant, eos cum Dei auxilio viriliter expulerunt: & castrum quoddam munitum, quod propter transitum impediendum, Saracenorum Rex construxerat, cæperunt, quod Fenad dicitur. Quo occupato, exercitus Domini securè potuit ad cacumina montis ascendere; vbi multùm laborauit propter defectum aquarum, & loci ariditatem. Saraceni autem videntes, quòd transitum illum occupare non possent, alium transitum, qui erat in descensu montis arctissimum occuparunt. Talis quippe erat, quod mille homines possent eum defendere omnibus hominibus, qui sub cœlo sunt. Et iuxta transitum illum ex altera parte erat totus Saracenorum exercitus, & sua tentoria iam fixa.*

5. *Cúmque nos ibi facere moram ob defectum aquæ, non posiemus; nec procedere propter transitus difficultatem, quidam ex nostris consuluerunt, quòd iterum ad pedem montis descenderemus, & alium transitum, ad duas, vel tres dietas quæreremus. Nos autem attendentes fidei periculum, & personæ nostræ dedecus, noluimus huic parere consilio: eligentes potiùs in difficultate transitus mori pro fide, quam facilioris transitus quærendo qualitatem, in fidei negotio retrorire. Cúmque iam quidem propositum firmassemus, ad indicium cuiusdam rustici, quem Deus nobis ex inopinato misit, in eodem loco alium transitum satis facilem Magnates nostri, qui primos ictus in bello habituri erant, inuenerunt: & in quodam loco exercitui eorum vicino, licèt aridus esset, & siccus, Saracenis talem transitum ignorantibus, tentoria posuerunt. Quod cùm Saracenorum exercitus attendisset, processit, vt mansionem illam impediret: nostri autem, licèt pauci essent, se viriliter defenderunt. Nos autem, & Rex Aragonum, & Rex Nauarræ armati cum militibus nostris in loco prima mansionis, quæ erat in summitate montis, expectauimus, donec totus exercitus Domini, securè peruenisset ad locum, vbi anteriores nostri castrametati sunt. Et ita, dante Domino, factum est, quòd licèt via nostra esset inuia, inaquosa, lapidosa, & nemorosa; nihil de nostris amisimus.*

6. *Hoc Deo annuente factum est die Sabbathi, XVI. Calendas mensis Augusti. Circa serotinam verò horam Saraceni attendentes, quòd omnia tentoria nostra tutè fixeramus, dispositis aciebus suis, venerunt ad loca castrorum; & ibidem quædam præludia belli in modum torneamenti cum nostris exercuerunt. Attendentes autem ipsi, quòd nos illa die vellemus habere belium, ad castra sua reuersi sunt. Sequenti autem die Dominica, summo mane, venit Saracenus cum infinita multitudine, dispositis aciebus suis: nos autem volentes considerare multitudinem gentis sua, & dispositionem, & statum, & qualiter in omnibus se haberent; habito prudentium virorum consilio, & in his exercitatorum, vsque ad sequentem diem Lunæ distulimus. Ipsis autem sic existentibus, posuimus milites nostros cum peditibus, vt extremos agminis nostri non possent in aliquo molestare: quod quidem, diuina fauente gratia, sic euenit. Secunda die, scilicet, secunda feria, nos omnes in Dei nomine armati, processimus, dispositis aciebus, cum eis pro fide catholica pugnaturi. Ipsi autem montana quædam obtinuerunt valde aridæ, & ad ascendendum difficilia, propter nemora, quæ inter nos, & ipsos erant; & propter alueos torrentium profundissimos; quæ omnia nobis erant magno impedimento; ipsis verò maximo expedimento. Veruntamen ille, a quo omnia, & per quem omnia, fecit mirabiliter, & direxit manus sui exercitus contra inimicos suos; & anteriores nostri, necnon & medij, multas eorum acies, quæ in minoribus promontoriis existebant, virtute Crucis Dominicæ prostrauerunt.*

7. *Cùm autem peruenissent ad extremam aciem eorum, infinitæ siquidem multitudinis, in qua Rex Carthaginis erat, ibidem difficillimos conflictus militum peditum, & sagittariorum inuenerunt; quos sub maximo periculo, imò etiam iam non poterant tolerare. Nos autem attendentes bellum illud eis omninò impossibile, impetu equorum processimus, signo Crucis Dominicæ præeunte, & vexillo nostro, in quo erat Imago B. Virginis, & Filij sui, in signis nostris superposita. Cúmque iam nos pro fide Christi mori constanter eligeremus, attendentes Crucis Christi, & Imaginis suæ Matris ignominiam, quam lapidibus, & sagittis irruere impetebant; in arma furentes eorum, aciem eorum infinitæ multitudinis commisimus. Et licèt ipsi essent constantes in bello, & firmi super domino suo; Dominus tamen illorum infinitam multitudinem Crucis suæ gladio trucidauit. Et sic Rex Saracenorum cum paucis in fugam conuersus est. Sui autem impetus nostros interim sustinebant; sed statim propter maximam stragem suorum, reliqui in fugam conuersi sunt. Nos autem insequentes eos vsque ad noctem, plures insequendo interfecimus, quàm in bello. Et sic bellum Domini à solo Domino, & per solum Dominum est feliciter consummatum. Deo autem honor, & gloria, qui Cruci suæ dedit victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Fuerat

8. *Fuerunt autem milites Saraceni, vt postea vera relatione didicimus à quibusdam domesticis Regis Saracenorum, quos captiuos cepimus, centum quinquaginta millia: peditum verò non erat numerus. Occubuerunt autem in bello ex parte sua centum millia armatorum, & amplius secundum æstimationem Saracenorum, quos postea cepimus. De exercitu autem Domini, quod non sine grandi gratiarum actione recitandum est, & quod incredibile est, nisi quia miraculum est, vix XXV. aut triginta de toto nostro exercitu occubuerunt. O quanta lætitia! O quot gratiarum actiones! nisi de hoc dolendum sit, quòd tam pauci Martyres, de tanto exercitu ad Christum martyrio peruenerunt. Vt autem magna multitudo eorum credatur, cùm exercitus noster in castris eorum, post bellum, per biduum fecerit moram; ad omnia incendia, quæ necessaria erant in coquendis cibis, & pane, & aliis, non consumpserunt alia ligna, nisi de sagittis, & lanceis eorum, quæ remanserant: & vix potuerunt comburere medietatem. Cùmque Dei exercitus propter longam moram factam in eremi locis, & incultis, deficeret in victualibus, & aliis; ibidem tandem innumerum tam ciborum, quàm armorum, necnon etiam dextrariorum, & aliorum iumentorum copiam, quod accipientes ad suam vnusquisque voluntatem, plus ibi dimiserint ex magna abundantia, quàm ceperint.*

9. *Tertio autem die procedentes, venimus ad quædam castra eorum, scilicet, Bilchebannos, Toloſa, quæ in continenti cepimus. Tandem peruenimus ad duas ciuitates, quarum altera dicitur Beatia, altera Vbeda; quibus non erant maiores citra mare, præter Cordubam, & Hispalim; quarum alteram, scilicet, Beatiam destructam inuenimus: ad alteram verò, scilicet, Vbedam, quia situ loci, & artificio fortissima erat, confugerat multitudo hominum infinita, ex omnibus villis adiacentibus. Cùm enim villa illa nunquam ab Imperatore, vel aliquo Regum Hispaniæ expugnata, vel subiugata esset, in eadem se posse saluare sua corpora credebant. Sed & hanc in breui, diuina gratia fauente, cepimus, & funditùs destruximus: quia non possemus habere tantam multitudinem gentium, quæ ad illas populandas sufficere posset. Et benè perierunt ibi sexaginta millia Saracenorum; quorum quosdam interfecimus, quosdam captiuos duximus ad seruitium Christianorum, & Monasteriorum, quæ sunt in Marchia reparanda. Hæc igitur, Sanctissime Pater, vobis scribenda decreuimus, pro auxilio tot Christianitati impenso, gratias, quas potuimus, exhibentes: & humiliter supplicantes, vt vos, quem Dominus ad Summi Sacerdotij gradum elegit, cum sacrificio laudis pro salute populi, immolatis vitulos labiorum.* Hactenus epistola historica Alfonsi ad Innocentium, de insigni victoria parta de Saracenis; pro qua & Romæ dies tunc festi acti per totam vrbem; & celebrem haberi per Hispaniam Pontifex iussit, ipsa, qua euenit die, sub titulo Triumphi Sanctæ Crucis.

10. In duobus illustribus Cœnobiis, Hortensi, atque Huelgensi, in quorum primo Roderici Toletani, in secundo Alfonsi Regis corpora iacent, itémque in sancta Ecclesia Toletana, vnde exercitus prodiit, festiuior dies, & qui inter solenniores recenseatur. In Regesto post epistolæ Alfonsi finem, oratio sequitur, in gratiarum actionem: dubium, an ex Hispania transmissa Romam, an dictata à Pontifice: neque enim dedecet Innocentij eloquentiam, & grauitatem. Atque ecce orationem, quia à Mariana omissam, libentiùs à nobis transcribendam [b]: *Omnipotens, & misericors Domine, qui superbis resistis, humilibus autem das gratiam, digna tibi laudum præconia, & deuotas gratiarum referimus actiones, quod antiqua innouando miracula, gloriosam tribuisti victoriam de perfidis gentibus, populo Christiano: te suppliciter exoramus, vt quod mirabiliter incepisti, misericorditer prosequaris, ad laudem, & gloriam nominis tui sancti, quod super nos famulos tuos fideliter est inuocatum. Per Dominum nostrum*, &c.

b ex eodem Regesto.

11. Rusticum, à quo ductus est exercitus, Genium de cœlo missum, qui putarent, nequaquam defuêre: quòd postmodum quæsitus non comparuerit. Cur Festum Cruci dixerit sacrandum Alfonsus Rex, non satis in comperto. Fortè quia exercitus Crucegnatorum, victoriam Cruci voluit referendam. Mariana sacratiorem causam innuit, ex antiquis decerptam hæc scribens verba [c]: *Multùm ad victoriam contulisse Crucis signum, vario colore in aëre sub ipsum conflictum visum, quidam scribunt: negant aly argumento, quòd Rodericus Præsul de re tanta nihil meminit? ne Rex quidem ad Innocentium Pontificem iis litteris, quas de belli summa conscripsit.* Conuenit, Pascha sium (Toletanus is Canonicus erat, deinde Decanus, extátque sepulcrum eius in S. Luciæ Sacello Templi maximi Toletani) *Crucem, quam Roderico Præsuli de more præferebat insignem, per hostium cuneos, semel, & secundò circumtulisse, euasisseque incolumem; tametsi telis omnibus petebatur, multaque sagittæ Crucis hastili confixa sunt.* Certè hoc vltimum Toletanus Præsul scribit [d]: *Crux verò Domini, quæ coram Toletano Pontifice consueuerat baiulari, præferente eam Dominico Paschasio, Canonico Toletano, per Agarenorum acies miraculosè transiuit, & ibidem illæso baiulo, sine suis, vsque ad finem belli, sicut Domino placuit, perdurauit.*

c lib. 12. c. 14.

d vbi suprà.

12. Cæterùm, quod ad Iconem B. Virginis attinet, cui etiam Rex Alfonsus victoriam tribuit, hæc idem Rodericus Archiepiscopus, non solùm firmans; sed clariùs exprimens. Nam *erat*, ait [e], *in vexillis Regum, Imago B. Mariæ Virginis, quæ Toletanæ prouinciæ, & totius Hispaniæ semper turris extitit & Patrona: cuius aduentu acies illa mirabilis, & turba innumerabilis, quæ hactenus satis immobilis permanebat, & rebellis obstiterat, cæsa gladiis, fugata lanceis, & victa ictibus, terga dedit.* Narrat Cæsarius præcipuum ex Saracenis, qui ex Africa in Hispaniam transfretauerat, Miramolinum, qui equos suos in porticu Ecclesiæ B. Petri stabulare, & super illam vexillum suum ponere Innocentio fuisset comminatus, fugientem in Siciliam peruenisse, ibidémque præ dolore mortuum esse [f]: *Cuius vexillum principale in bello captum Innocentio est transmissum, & in Ecclesia prædicta ad Christi gloriam erectum.* Hæc ille: quæ vtrùm vera sint, cùm Rex nullum vexilli à se ad Innocentium missi mentionem faciat, aliorum linquo examini inquirendum.

e lib. 8. c. 10.

13. Viriliter irruentem in Saracenos Calatrauæ Magistrum, Rodericum Diacium, in hoc prælio occubuisse, sunt, qui existimant: quibus Rades Andradius obuiam it, instrumento producto post septennium confecto, cui inuenitur subscriptus, iam non Magister: expressa tamen, quam olim exercuisset, suprema dignitate Militiæ sacræ: *Rodericus Diaz, qui fuit Magister, testis.* Vero similius, quod alij scriptum habent; irruentem in hostes nimio ardore, ab eisdem percussum in brachio dextero, cóque ad præliandum minùs aptum, quo zelo pollebat sacræ Militiæ, se ipsum abdicasse Magistratu, quem non ex vsu cæterorum gerere posset. Tum verò eius consilio, suasionéque, subrogatum alium Rodericum Garciæ, siue Gorces, qui [g] sacram pro eo Militiam gubernaret. Ita idem, qui suprà, Rades Andradius in Calatrauæ Chronico, qui Rodericum Diacium no-

f cap. 15.

g cap. 15.

uemmo

tennio post cessionem superuixisse,& tandem senem in Calatrauæ Sacello S.Mariæ ad Martyres,sepultum memoriæ prodit. Insignem hanc victoriam de Saracenis,neque libuit,neque licuit pertransire : quippe hos Annales apprimè concernentem pluribus titulis: ex præcipua occasione suscepti belli , Saluaterra Cistercien sibus erepta:ex primo fructu,hoc est,ex Calatraua restituta Militiæ Cistercien si : ex ipso Rege Alphonso , & Roderico,Cistercio vtroque addicto, imò & deuoto : & tandem ex Arnaldo Narbonensi, Populetano primùm,mox Grandis Syluæ,dein communi totius Cistercij Patre , qui belliel apparatus, progressúsque,atque ipsius victoriæ tanta pars fuit; nam & eum , instanti belli tempore , Christianis præliaturis benedixisse,ab Henrico Spondano , dum hæc ipsa scribit,notatum lego.

---

1. *Alphonso Lusitano,atque sororibus , inuicem discordantibus,2. Tarasia, & Sanctia Innocentium Papam adeunt : 3. & confirmari sibi oppida impetrant. 4.Eadem muniunt : 5.& Regi petenti denegant. 6. Mentem matorem adeunt , & se defendunt. 7. Legionensis victoria de Lusitano : 8. & anathema in ipsum latum,nisi desistat. Contumacia sub pretexta appellationis. 9. Damna illata Sanctia, 10. Tarasiaque: 11. atque alia non leuia ab ipsis Regi repensa.*

CAPVT V.

1. DVM hæc in Castella feliciter contingunt , semina discordiarum suborta dudum inter Alfonsum Lusitanum Regem , sororésque altiùs erumpentia , Lusitaniam non parum exagitabant ; quassatis per intestina bella partibus , & neutris cedentibus : Alfonso,quia viro , quia potentiori , quia natura tenaci , durόque : sororibus,quia virili robore fœminis , quia rationi subnixis , & quia vicinum Alfonsum Legionensem , vt adesset Tarasiæ , pristinus thorus,atque filij communes sollicitabant. Sunt , qui affirment [a], præpeditum hoc bello vtrunque Regem,Legionensem , nimirum , & Lusitanum , dum priuatis insistunt , commune fidei negotium deseruisse : atque hanc extitisse præcipuam causam,cur Castellano Alfonso neuter affuerit aduersùs Saracenos præliaturo. Vtcunque sit , qui aliis laborioſus , nequaquam illis seriatus armis fuit , multis vtrinque cladibus illatis , multis acceptis. Vastati agri , incendiis subiecta oppida , abacta vtrinque præda , fugati milites , & Duces , qua capti , qua occisi : ac si communes hostes debellarent , neutris maiori conatu pugnandum foret. Sensit Lusitanus Alfonsus (quod anteà neguisset) robur in vtraque sorore supra fœmineum; neque cessuras Saracenis armis arces sub earum dominio , sub quo nec suis cederent ; & à quibus tot mala perpessus esset. Rem propriè concernentem nostros Annales , quia gestam per nostras,(vtranque sororem Cistercio destinatam superiùs diximus , Cistercium accepisse infrà dicemus,)necnon & interuentu nostrorum Iudicum (quod ipse eius progressus demonstrabit)altiùs repetito principio pandere libet.

[a] apud Brandaon. lib. 3. cap. 4.

2. Tarasia, & Sanctia , cùm primum fratris animum , à se alienatum altiùs præsensêre , nec fidem patri datam , quod ad ipsas spectabat,seruaturum ; quasi putaret de te prorsus iniqua , nec iuramentum , nec fidem seruanda fore : quò se Christianis armis tuerentur, obedientia , nimirum , & religione ; antequam irent in gladios materiales,adiêre Pontificem : & testamentum patris , quod tum ab ipso velut in communi , & generaliter confirmatum esset ; pro ea parte , quæ ipsas concernebat , confirmari de nouo , atque in speciali castra sibi asseri , quæ Alphonsus legari posse negabat : demum , vt ea securiùs possiderent , sub B. Petri protectione suscipi , & Sedis apostolicæ , cui se , & Castra ipsa submittebant , religiosè petierunt , & impetrarunt. Extant , leguntúrque in Regesto epistolarum Innocentij Litteræ ad eas datæ , quas Brandaonius ex Archiuio Lovrbanensi desumptas , & per omnia concordes euulgauit [b] , quarum hic tenor.

[b] tomo 4. in Append.

3. *Innocentius Episcopus,Seruus seruorum Dei : Dilectis in Christo filiabus , nobilibus mulieribus , Tarasia Regina , & Sanctia , Sancij quondam Regis Portugallensis filiabus , Salutem , & apostolicam Benedictionem.*

Olim ad petitionem inclytæ memoriæ Sancij , patris vestri , Regis Portugallia , testamentum , quod fecerat in mortis articulo constitutus , duximus confirmandum. Verùm,quia dubitatis , ne super his , quæ vobis eodem testamento legauit , ab aliquibus vobis molestia inferatur , nobis humiliter supplicastis, vt eadem vobis confirmare apostolica authoritate dignaremur. Nos igitur vestris precibus inclinati , personas vestras , cum omnibus bonis , quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis , aut in futurum iustis modis , præstante Domino , poteritis adipisci, sub B. Petri, & nostra protectione , suscipimus , & castrum Montis maioris , & villam de Segeira, quæ tibi , Regina Tarasia , & castrum de Alenquer , quod tibi , Sanctia , cum pertinentiis eorundem , dilectus pater vester cum omnibus filiis,& filiabus suis donauit , sicut ea iustè , & pacificè possidetis , deuotioni vestræ , authoritate apostolica confirmamus , & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum omninò liceat , &c. Datum Laterani , 3. Idus Octobris , Pontificatus nostri anno 14.

4. His Litteris suffulta vtraque soror omnem timorem pelleret , si non animum fratris ex se durum , & Regibus plerunque ius in armis,minori æqui , quàm potentiæ æstimatione , longa experientia , seu notitia edocta vtraque ; qua fides patri , qua iuramentum Deo præstita eludebantur , eadem siue industria , siue cuasione obedientiam Pontificis eludi , atque ab Alfonso eludendam non præsensissent. Ergo præiactis armis spiritualibus , quibus se tuerentur,materialia curarunt superaddere. Et castra omnia non solùm principalia, sed adiacentia ,de quibus agebatur , victualibus primùm,& munitionibus; multo deinde milite stiparunt ; quem causa iustior, sexus fauorabilior , atque vtriusque humanitas facilè sibi potuerunt conciliare. Nec omisit Tarasia dilectum sibi quondam Alfonsum Legionensem , vt vtrique succurreret, si res sic postularet , per litteras,

per nuncios, per Ferdinandum filium sollicitare. Petitionem Reginæ Regis pollicitatio sequuta est, nihil, quod posset, ei vnquam negaturi. Hic status rerum à morte Sanctij patris, quo neque pace secura frui datum, neque bellum indictum: & solus siue timor, siue cupido partes vexabat; inquietans vtrasque; Regem, dum non habebat, quod exoptabat; sorores, dum amittere metuunt, quod possidebant.

5. Tandem hoc anno Alphonsius moræ impatiens, Tarasia, & Sanctia ad Lovrbanum commorantibus, Montem maiorem, Alenquetiúmque (præcipuas earum arces) sibi, & Coronæ Lusitaniæ, missis ad eas nunciis restitui iubet. Sanctio parenti liberum non fuisse imminuere Regnum, cuius administrator extitisset, sed nunquam Dominus. Sororibus, quæ alia possidebant, ad victum sufficere; neque ad communem tantùm, aut necessarium; sed ad regium, & splendidum: tum, si quid eis deesset, aliquando facilè ex eius ærario supplendum fore. Oppida, & arces oneri illis esse; non honori, aut commodo: quandiu non nubant difficilè seruanda, cum periculóque, si nubant, nullo pacto retinenda. Quando enim ipse in medio Lusitaniæ alios patietur Regulos? aut quinam inuenientur, qui esse velint? Ad hæc sorores legata sibi à patre, ab Alphonso firmata per iuramentum, confirmata à Pontifice, non ita facilè sibi dimittenda. Tarasiam exturbatam thoro regio, post liberos susceptos, qui adhuc viuant; non vllas alias nuptias repetituram: Sanctiæ virginitatem conseruare ab ineunte ætate in votis esse: neutram illarum admissuram virum, qui se fratri opponat. Neque imminui Lusitanam Coronam ex earum dominio, sed augeri: quippe supremo iure integro Regi, immediatiorem vrbium procurationem diuisam inter Principes, ad Regiam Maiestatem multùm conducere; sed nec potentiam sine ipsis posse subsistere. Se, licèt fœminas, defensioni vrbium pares, si à fratre adiuuentur, vt ratio exigit. Quòd si nolit parere naturæ legibus, non religionis vinculis teneatur; paratas se, dum ipsi bellum inferunt, factis ostendere, quàm arcibus tuendis sint æquales.

6. His ad fratrem responsis per nuncios datis, Legionensi scribunt, instare tempus, quo promissa exequi debeat. Ipsæ ad Montem maiorem concito gradu, vrbem natura loci inexpugnabilem, & Tarasiæ fidissimam contendunt: prouisis interim, qui Alenquetium, Segueirámque, atque alia minora castra, dudum ab eis munita, celeres adeant: & vt fidem Regiminis semel promissam Lusitana virtute tueantur, alacres moneant, non alienum dominium subituros (nam ita iudicabant) ipsis viuentibus. Alphonsus Rex Montem maiorem adiens, terrore, quàm armis agendum contra sorores reputabat honestius: sed adeò intrepidas eas expertus est, adeò milites pro illis obstinatos, ne dicam firmos; vt magis irritatus eorum dictis, & sunt, qui addant, etiam contumeliis, Conimbricam in breui reuersus sit: vbi quas potuit, copias collectas ducens, & vindictæ, quàm gloriæ longè cupidior, ferro, & igne grassatus in sororum ditionem perhibetur. Tunc castris debilioribus euersis, nonnullis captis, & præsidio suo munitis, vastatis agris, & præda vndique abacta Montem maiorem, Alenquetiúmque obsedit. Ibi acriter pugnatum intùs, & foris, dum obsessores audacter muros ascendunt; scandentes obsessi repellunt fortiter. Quin & nonnunquam è muris erumpentes, impetu facto fugant, trucidántque, nihil tale metuentes Alphonsi milites. Certè partito in duos eius exercitu, minùs aduersùs obsessos roboris fuit.

7. Interim Legionensis Alphonsus collectis copiis, in quibus Lusitani Regis frater, & ipse alienatus à fratre erat; necnon & Ferdinandus eius, atque Tarasiæ Reginæ filius, per Galleciam irrumpens, aggressorem sororum aggressus est, vtrunque ad se exercitum ab oppidis obsessis auocaturus. Ea defendendæ Tarasiæ facilior via, atque muniendæ arci, si fortè ab hostibus esset debilitata. Non fefellit spes strenuum Ducem, neque robur eximium suorum militum. *Tunc enim* (ait Lucas Tudensis Diaconus [c]) *congregati sunt contra eum omnes Portugallenses ad prælium: & licèt esset Rex Legionensis cum paucis, vicit eos in loco, qui dicitur Portella de Valdeuer: & cum multis spoliis, & gloria reuersus est.* Ita Tudensis. Rex ipse Lusitanus author est, ad Pontificem non multò pòst scribens, Alphonsum Legionensem *pluribus villis campestribus incendio deuastatis, quædam castra etiam occupauisse, quorum vnum dicto fratri eiusdem Regis Portugalliæ commiserit; cetera per se, & per filium suum contra institiam* (sic enim ipse loquitur) *detineret.* Ita conuersa contra Lusitanum arma non pia, quæ in sorores mouisset: & dum aliena quærit, nec proprio sanguini, nec sexui fœmineo parcens, iusto Dei iudicio propria amisit; ingentem ignominiam victus reportans, qui victor nullam foret gloriam reportaturus.

[c] ad Ann. 1250.

[d] apud Brandaon. lib. 13. cap. 5.

8. Addita præcedentibus iacturis iactura maior, separato à fidelium communione rebelli Rege, & Regno eius suppositio interdicto, quoadvsque ab iniusto bello cessaret. Rem à sororibus relatam ad Innocentium Archiepiscopo Compostellano, & Episcopo Zamorensi ipse commisit. Ab his desistere Alphonsus seuerè iussus: & non obediens, damnatus diris omnibus, præcisúsque ab Ecclesia, quoadvsque eius proterua contumacia reprimeretur. Interpellatus ab eo Summus Pontifex: sed frustrà, quia serò; & quia bellum iniustum continuasse per plures menses, aut post aliquot saltem repetiisse, multa, & certa argumenta persuadebant. Secundum prælium ab eo sibi illatum, Sanctia conquesta est: rursus vtraque soror grauiter dolent, per fraudem sibi adeptam vtranque arcem: tum Tarasia sola, quòd Monasterium Lovrbanense inuaserit, quæ omnia necessariò tempus requirunt. Demum non absolutum à censuris ante Dominicam in Septuagesima anni M. CC. XIV. ex his, quæ infrà dicemus, palam fiet. Sed iam totam rei gestæ narrationem ex M.S. veteri asseruato Lovrbani, atque ab Anthonio Brandaonio vulgato nuper, quò maior fides dictis, confirmemus. Continet id allegata vtriusque partis coram Iudicibus designatis anno sequenti, & Cistercio vtroque, Abbatibus Vrsariæ, & de la Spiña, qui ea omnia memoriæ commendarunt verbis sequentibus:

9. *Hæc sunt acta negotij, quod vertitur inter illustrem Alphonsum Regem Portugallia ex vna parte, & Tarasiam, & Sanctiam, sorores eius, ex alia, coram iudicibus delegatis à Summo Pontifice, videlicet, A. de Spina, & L. de Vrsaria Abbatibus. Primò enim postulatum fuit ex parte pradictarum Dominarum in hunc modum: Petit Regina Domna Sanctia dari sibi expensas, quas vi coacta Regis fecit in guerra ad sui defensionem; & in mittendo Romam, & in Aduocatis, & Iudicibus, & vsque ad diem istam, & in militibus, & in aliis: de prima guerra X.IIII.V.DC.XXVI. maraperinos. Et ex præda in prima guerra XV.V.DC.VII. maraperinos,*

petinos, ſaluo iure addendi, & diminuendi: item, petit damna hominum ſuorum reſarciri, quor depredatus eſt prædictus Rex. Item, petit damna ſibi reſarciri illata temporibus obſidionum per incendium domorum, per vaſtationem ſegetum, & inciſiones arborum, & vinearum, & redemptionem hominum captiuorum, & ſpoliationem hominum, & damna vaſſallorum, pecudum, & armentorum, equorum, & aliarum conuentionum, & quædam pacta, quæ appellatione Regis facta ſunt; quædam verò ante omnia, tamen poſt appellationem Reginæ. Item, petit damna, quæ paſſa eſt in diminutione fori, quod fecit hominibus de Alinquer propter guerram Regis. Petit etiam reſtitutionem villæ, quæ vocatur Aueiras, in cuius poſſeſſione fuit quietè in vita patris, & poſt mortem. Petit etiam, ſatis fieri ſibi de iniuriis tam iniuriosè, & contumelioſè ſibi illatis, tam in obſidione proprij corporis, quam in ſtrage hominum, & debellatione caſtri, ad minus, per quatuor menſes, & eò amplius, fumo, incendio, ſagittis, petrariis, & aliis quampluribus modis. Item, petit reſtitui ſecuritati caſtrum, quod ſibi reliquit pater ſuus, quo fraudulenter ſpoliata eſt, quod erat murus pacis, & concordiæ vinculum inter ipſas, & Dominum Regem. Item, ſe reduci ad eum ſtatum, quo erat tempore appellationis noſtræ, vel regni ipſius. Quod eſt dicere, vt ante omnia emendentur damna, prudenti appellatione, illata ſibi, & iniuria expreſſa, quæ ſuperiùs ſpecificata ſunt. Item, petit, quòd villæ, quæ ſunt in diſtrictu caſtri, non impediantur per Regem, vel per ſuos, ſoluere forum ſuum ſibi.

10. Item, petit Regina Domna Tarafia reſtitui caſtrum, quod ei reliquit pater ſuus, quo fraudulenter ſpoliata eſt, poſt appellationem, quod erat murus pacis, & concordiæ vinculum, inter ipſam, & Dominum Regem. Item, petit expenſarum reſtitutionem, quæ fecit nimis coacta, vrgente violentia Regis, tam circa munitionem caſtrorum, quàm circa ſtipendia militum, & aliorum, quæ neceſſaria ſibi erant, ad tuitionem ſui, & quas fecit in mittendo Romam, & in Aduocatis, & in Iudicibus vſque ad diem iſtam, quarum ſummam eſtimat L V. aureorum, ſaluo iure addendi, & diminuendi. Item, petit ſibi reſarciri damna illata temporibus obſidionis per incendium domorum, & vaſtationem ſegetum, & inciſionem arborum, & vinearum, & redemptionem hominum captiuorum, & fractionem nauium, & perditionem pecudum, armentorum, equorum, & aliarum conuentionum, & damna vaſſallorum, & deſolationem hominum, quæ damna intulit poſt ſuam propriam appellationem. Item, petit ſatisfieri ſibi de iniuriis tam iniuriosè, & contumelioſè ſibi illatis, tam in ſtrage hominum, quàm in debellatione caſtrorum, ad minus per quatuor menſes, & eo amplius, incendio, ſagittis, petrariis, & aliis quampluribus modis. In ſumma petit, ſe reduci ad eum ſtatum, quo erat tempore appellationis earum, vel Regis, quod eſt dicere; vt ante omnia, damna emendentur, pendente appellatione ſibi illata, & iniuria, & expenſæ, quæ ſuperiùs ſpecificata ſunt. Item, petiit, vt omnia damna Monaſterij ſui Lorbanè reſtituantur.

Contra petitionem ipſarum, quæ facta eſt de expenſis, apponimus in hunc modum ex parte Regis exceptiones; ſpoliationem caſtrorum de Contract, Melgaz, Ilgares, Balſamum, Freixeno, Vralcos, Moga, Albiti, Picotij, Sicoti. Item, rerum omnium, quas ſibi Rex tunc habuit mobilium, & ſe ſe mouentium, & armorum, & omnium pecudum, & tributorum, & aliarum rerum ad Regem pertinentium in terminis iſtorum caſtrorum. Item, caſtri de Lamiſelo, & rerum, quas ibi Rex habuit mobiles, & ſeſe mouentes, & alia iura ad Regem pertinentia. Item, rerum mobilium, ſeſe mouentium errarum de Barroſo, & de Vinaes, & de Monte nigro, & de Lacdra, de Lampazes, de Miranda, de Sancto Stephano, de Chauiz, de Aguiar, de Panoyas: quibus omnibus Rex ſpoliatus fuit per dolum malum, & violentiam earum, ſaluo iure addendi, & diminuendi. Et paulò inferiùs: Item, ex parte Regis in medium exceptionis fuit obiectum, quòd dolo, & facto ſororum fuerat Rex ſpoliatus vndecim caſtris, quæ Rex Legionis dolo earum ceperat, &c. 11.

Hæc præcipuè allegata vtriuſque partis, (nam minutiora alia prudens omitto,) quibus hactenus dicta comprobantur. Id vnum tamen mihi non ſatis conſtat, neque video explicatum ab Authoribus, à quo appellauerint Tarafia, Sanctiáque, quandiu bellum durauit: nam appellaſſe conſtat ex ipſis Litteris. Fortè primum acceſſum ad Pontificem, cum obſeſſis à fratre vtriuſque oppidis, ſtatim implorarunt eius auxilium, appellationem vocant: vnde & quæcunque in vtroque bello paſſæ, poſt interpoſitam ab eis appellationem contigiſſe affirmant. Sic quòd obſeſſæ dicuntur in perſonis, & quòd ablatæ illis per fraudem arces, ſeu oppida, explicatione indiget, quam ab Authoribus hactenus omiſſam, ex proprio cerebro non auſim diuinare. Certè obſidionem arcis Montis Maioris, in qua ipſæ incluſæ non immeritò in propria perſona dicas: & Innocentio ab vtriſque interpellato, qui litem diſſolueret, quod forſan etiam factum; illatam vim in medio pacis fœdere; quid niſi fraudem liceat appellare? Reliqua, quæ euenerunt in hoc negotio, atque aduentum Abbatum, Actáque, & tandem Regis, & Regni abſolutionem, ſuis temporibus, locíſque reddemus. Nunc cum Arnaldo ex Hiſpania ad Gallias reduce, poſt inſignem victoriam, & nos etiam ad Galliam redeamus. 12.

1. Arnaldus ex Hispania ad propria redux: 2. & magna pars Vasconiæ nostris dedita. 3. Actum deinde de morum reformatione, 4. & designati Iudices, inter quos primus Fulco Tolosanus. 5. Iurata leges, sine consuetudines. 6. Tolosanorum irruptiones in peregrinos; 7. atque aliorum insidiæ, 8. mentito habitu Monachorum Cisterciensium. 9. Demum in eos execrandæ crudelitates. 10. Successio illustrium Abbatum Sambucinensium.

CAPVT VI.

1. Bello in Hispania feliciter peracto, & Calatraua restituta suæ militiæ, Arnaldus ab Alfonso Rege discedens, necnon à Roderico Toletano, & gentis ab vtroque donatus pro amicitia, cum suis tandem ad propria remeauit, negotia fidei in Gallia resumpturus. Tum verò Guido, & cæteri Episcopi, Abbatésque reducibus obuiam occurrentes, dum alij partas victorias à Saracenis, alij ab Hæreticis erepta castra memorant, & conferunt euentus, quantumuis dispares, inuicem gratulantes, gaudentes inuicem, alij aliorum lætitiam cumulabant. Nec decreuit materia gaudiorum magna parte Vasconiæ nostris adiuncta, nullo sanguine fuso; & quod tempore belli difficilius, eóque gloriosius, diligenti per omnes cura adhibita de reformandis moribus: vt partis hactenus victoriis de inimicis, gloriosiores victoriæ de se ipsis obtinendæ subiungerentur. Vtrumque porrò hoc anno consequutum, sub reditum Arnaldi, qui cunctis adfuit, Petrus Vallsarnensis his verbis tradit [a]:

a cap. 64.

2. *Dum Comes noster moraretur in Castro Murelli, venerunt ad eum Episcopi Conuenarum, & Consoranensium, Viri Venerabiles, & Deo pleni, qui negotium Iesu Christi vnico affectu, & exhibitione effectus promouebant; quorum etiam consilio, & industria, comes adierat partes illas. Monuerunt igitur Comitem, vt vlteriùs procederet, & sine pugna, & gladio maximam reciperet Vasconiæ partem. Properans igitur Comes perrexit ad castrum quoddam, quod dicitur S. Gaudentius, & fuerat Comitis Conuenarum: homines autem castri tradentes ei castrum, ipsum cum gaudio receperunt. Venerunt etiam ibi ad eum nobiles illius, faciemésque hominum, vertèperunt ab eo terras suas. Insuper penetrans montana apud Fuxum, terram Rogerij de Cominget, nepotis Comitis Fuxi, ex parte maxima deuastauit. Interea verò Carcassonensis Episcopus, qui cum quibusdam peregrinis in Castro Murelli remanserat, circa munitionem castri ipsius assiduè laborabat.* Hactenus maior pars Vasconiæ nostris accrescens.

3. Nunc, quæ pro reformatione morum decreta sunt; quanta gentis corruptio; quanta totius æqui desuetudo; qui demum designati legislatores, & quibus conditionibus, ex eodem Authore videamus [b]: *Anno*, ait, *Incarnationis Dominicæ M.CC. XII. mense Nouembris, conuocauit nobilis Comes Montisfortis, Episcopos, & nobiles terræ suæ apud castrum Apamiarum, celebraturus colloquium generale. Causa autem colloquij huius ista fuit, vt Comes noster in terra, quam acquisierat, & Sancta R. E. subiugauerat, institui faceret bonos mores, hæretica spurcitia procul pulsa, quæ totam corruperat terram illam, bonaque, tam in cultu religionis Christianæ, quàm etiam de temporali pace, & quiete consuetudines plantarentur. Terra siquidem illa ab antiquis diebus depredationi patuerat, & rapinis. Opprimebat quippe potens impotentem, fortior minùs fortem. Voluit igitur Comes nobilis cunctas consuetudines, fixósque limites terræ Dominis ponere, quos transgredi non liceret: quatenus etiam milites de suis certis, & rectis redditibus rectè viuerent: minor etiam populus sub alis Dominorum posset viuere, immoderatis exactionibus non grauatus.* Hæc ibi.

b cap. 63.

4. Crediderim congregatum Conuentum, quanuis à Comite Arnaldi authoritate; qui id Simoni censuerit iniungendum, quo terræ nobiles, quos decernenda præcipuè respiciebant, congregati per sæcularem Principem, cui hominium fecissent, & conuenirent, & libentiùs decernendis obtemperarent. Ob quam etiam rationem gestum est, vt legibus ferendis, non soli Ecclesiastici, sed etiam sæculares, & ex his plures, atque aliqui ex eisdem deputarentur. Nam audi, quod sequitur [c]: *Ad has consuetudines stauendas, electi fuerunt viri duodecim, qui super sacrosancta Euangelia iurauerunt, quòd pro posse suo tales consuetudines ponerent, per quas Ecclesia sua libertate gauderet; tota etiam terra in statu firmaretur meliori. De illis autem duodecim Electoribus, quatuor fuerunt Ecclesiastici, duo, scilicet, Episcopi, Tolosanus, & Consoranensis, vnus Templarius, vnúsque Hospitalarius: quatuor præterea Francigenæ milites: quatuor etiam indigenæ, duo milites, & duo Burgenses, per quos dicta consuetudines satis competenter posita fuerunt, & firmatæ.* Hinc palam fit, Fulconem Tolosanum, ex Leodiensi tractu rediisse, adeóque si interfuit pretiosæ morti Beatæ Mariæ Oegniacensis, anno sequenti iterum ad eas partes reuersum esse, vt anno præcedenti notabamus.

c ibid.

5. Non scripsit Vallsarnensis consuetudines, quas duodecim Iudices censuerunt stabiliendas: haud tamen dubium, ex vsu populorum, atque dignas republica Christiana. Illud compertum, cùm primùm latæ fuerunt, firmatas iuramento cunctorum Procerum, Episcopotúmque, quò maior illis à cunctis reuerentia, nec violanda obseruantia conciliaretur. Vnde idem Author subdit in hæc verba [d]: *Vt autem consuetudines illæ inuiolabiliter seruarentur, antequàm proferrentur in medium, nobilis Comes, omnésque milites sui super quatuor Euangelia iurauerunt, quòd suprà memoratas consuetudines nunquam præsumerent violare, vt etiam maiorem obtinerent firmitatem, redacta sunt in scriptum, sigillo etiam Comitis, & omnium Episcoporum, qui ibi plures erant, firmata, & munita.*

d ibid.

6. Dum hæc apud Apamias agerentur, cùm iam Tolosa à malitia sui Principis omnium hæresecon, Hæreticorúmque sentina esset: quippe in quam, vt scribit idem Petrus [e], *Bitterrenses, & Carcassonenses, & Tolosani Hæretici, & Hæreticorum fautores, & ruptarij amissis diuino iudicio terris suis, intrauerant*

e cap. 64.

uant, adeóque impleuerant, quòd ipſa Clauſtra Monachorum ciuitatis, expulſis Canonicis, fecerant pecorum ouilia, & ſtabula equorum. Dum, inquam, hæc agerentur apud Apamias [f], *hoſtes fidei à Toloſa egreſſi diſcurrere cœperunt per Vaſconiam, & facere mala quæcunque potuerunt. Venerabilis autem Epiſcopus Comenarum, aſſumptis ſecum aliquibus de militibus noſtris, perrexit in Vaſconiam, terrámque illam ab hoſtibus fidei viriliter defendebat: nobilis autem Comes noſter perrexit Carcaſſonam, & inde Biterrim habiturus colloquium, cum Archiepiſcopo Narbonenſi, ſuper his, quæ ſpectabant ad negotium Ieſu Chriſti.* Hactenus ex hiſtoria illa Albigenſium; ex quibus verbis duo planè colligas: alterum, celebrati colloquij tempore iam ab Hiſpania Arnaldum rediiſſe: alterum, non ſine ipſo congregatum à Comite Simone, qui non ſolùm in morum reformatione; ſed in negotiis belli, cuncta ad ipſum referret, neque aliter putaret poſſe ſuccedere.

[f] cap. 65.

7. At quàm frequentes Ciſtercienſes Monachi conuertendis Hæreticis, atque Cruce ſignatis armandis contra rebelles, per hoc tempus incumberent; Hæreticorum dolus manifeſtat, quo peregrinis incautis inſidiabantur; nempe, induti Ciſtercium ſuper loricas, quò propinquiùs accederent, & nihil tale timentes trucidarent. *Referam factum filij Fuxenſis Comitis prope Carcaſſonam cum ruptariis tranſiens, equitabat quodam die versùs Narbonam, vt ſi quos inueniret peregrinos, vinctos perduceret Fuxum, aut morte crudeliſſima condemnaret. Factum eſt igitur, dum iret, obuios habuit paucos peregrinos, qui tendebant ad Comitem noſtrum, venientes à partibus Gallicanis: peregrini autem illi, videntes hoſtes venientes, putantéſque quòd eſſent de noſtris, intrepidi aduerſarios occurrebant. Traditores ſiquidem prædicti in his nequitia ſua prouidebant, quia, videlicet, lento paſſu, & per ſtratam publicam ambulabant, vt non eſſet facile aduertere, quòd non eſſent de noſtris.* Hactenus in textu.

8. Porrò cucullas armis ſuperadditas Cruce ſignatis faciliùs decipiendis, ad marginem notatum in Authographis, Nicolaus Camuzatius, dum vulgauit, nequaquam cenſuit ſilentio prætereundum. Notatio marginalis hæc habet verba: *Fertur etiam pro certo, quòd aliqui eorum deferebant Habitum Monachorum Ciſtercienſium ſuper arma, & alios præcedebant.* Ergo venientes in veſtimentis ouium, imò Paſtorum, ad quos oues confugerent, dum ſe lupos rapaces potiùs exhibent, trucidabant incautos, quod idem, qui ſuprà, Petrus ita proſequitur [h]:

[h] vbi ſuprà, 9.

Vt autem appropinquauerunt ad inuicem, ſtatim crudeliſſimi carnifices inſurrexerunt in noſtros, qui pauci erant, & inermes, vtpote proditionis ignari; occidentéſque plures de noſtris, & membratim dilacerantes, reliquos ſecum duxerunt vſque ad Fuxum; vbi eos tenentes in vinculis, tormentis validiſſimis dilaniabant; cum maximo ſiquidem ſtudio, noua quotidie, & inexperta excogitabant ſupplicia, quibus ſuos affligerent captiuos: ſicut enim ab ore eiuſdem militis noſtri audiui, qui ibi tenebatur in vinculis, qui præſens erat, & videbat, captiuos ſuos cruciabant illi tot, & tantis tormentis, quòd Diocletiano, & Maximiano poſſent æquiparari malitia, vel etiam anteferri. Vt enim prætermittamus ibi minima; ipſos Sacerdotes, & diuini myſterij tractatores frequentiùs ſuſpendebant; quandoque etiam, quod dictu horribile eſt, ligatis ad genitalia membra funibus, ferociſſimè diſtrahebant. O crudelitas immanis! ô rabies inaudita. Hactenus ille. Nec video plura, quæ hunc annum concernant in hoc negotio.

10. In recenti Authore [i] notatum lego, (id, quod ſuperiùs dubium memoraui [k],) Beatum Bernardum Sambucinæ Abbatem, hoc anno in Epiſcopum Gerunctinenſem promotum fuiſſe; ibique vt antèa Monachos, & filios, ita deinceps populum, ac Clerum ſibi commiſſos verbo, & exemplo eximiè adminiſtraſſe; adeò vt Beatis poſt obitum adſcriptus in eadem Eccleſia venerentur. Quod ego, vt in re ipſa certum exiſtimo, ita in tempore dubium; neque quid certum auſim definire. Quippe Bernardi Acta nobis ignota; ſed neque ipſum aliunde noueramus, aut modò nouimus. Propoſuimus tamen, vt quædam alia his, quibus liceat, altiùs diſcutienda. Interim noto, ſi ita ſe res habet, Bernardum Lucæ ſuffectum in Abbatia, cùm Lucas ipſe in Pontificem Cuſentiæ (in quo dubium eſt nullum) promotus eſſet. De anno promotionis eius non conſtat, ſicut nec mortis: vt minùs tamen produxiſſe vitam cum infulis, vſque ad M. CC. XXII. ſequenti Tomo oſtendam, cùm tempus venerit.

[i] *Hier. Maleſ. in Hiſtor. Cabalr.* [k] anno 1212. c. 6. n. 12.

---

1. *Abbas Perſenia Sagienſem Eccleſiam viſitat.* 2. *Clarævallenſis Archiepiſcopi Senonenſis acta reſcindit,* 3. *Monachis Monaſterij de Charitate obedientiam Cluniaci denegantibus.* 4. *Turbata Gallia.* 5. *Sed Pruſiaci Abbas miſſus ab Innocentio,* 6. *qui Cluniacenſes in antiqua poſſeſſione manuteneret.* 7. *Iniunctus noſtris Pruſiæ Apoſtolatus,* 8. *& litteræ ſuper his datæ ad Capitulum,* 9. *ab Innocentio III.* 10. *Quis Chriſtianus contentus in illis litteris.* 11. *Et quid de eo Martinus Cromerus ſcribat.* 12. *Demum leuiores aliæ delegationes.*

CAPVT VII.

1. MVLTA hoc anno iniuncta Ciſtercienſibus ab Innocentio Papa, è quibus hæc grauiora propalabo. In primis in Epiſcopum Sagienſem, Priorémque, cùm multa grauia, & enormia obiicerentur, Baiocenſem Epiſcopum, & Abbatem de Perſenia, Ordinis Ciſtercienſis, Iudices dedit, cum poteſtate plena, qua etiam vſque ad eorundem depoſitionem, atque aliorum ſubſtitutionem valerent proceders: litteris adeò breuibus, vt hic facilè à nobis transcribi valeant [a]: *Contra Præſulem, & Priorem Sagienſis Eccleſiæ, tot, & tanta ſint auribus noſtris enormia inducta, vt vlteriùs non poſſimus diſſimulare clamores, qui ad nos de ſuis peruerſis actibus peruenerunt; cùm non ſolùm inutiles, verùm etiam pernicioſi eſſe dicantur. Ne igitur ſanguis eorum de noſtris manibus requiratur, ſi eos duxerimus in ſuis peruerſitatibus tolerandos; Diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in-*

[a] lib. 15. Regeſt. & apud Boſchet. lib. 5. ep. 108.

quisita plenius, & cognita veritate; si talem eos esse noueritis, a suis eos remouentis officiis, & eis faciatis idoneos subrogari. Quod sublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis obstaculo exequamini. Datum Laterani sexto Idus Iunij, anno quintodecimo.

2. Non multò pòst interdicto promulgato per Aurelianensem, & Antissiodorensem Episcopos, in terram Philippi, Francorum Regis; Senonensis Archiepiscopus primùm, qui curaret amicabiliter componere inter Regem, & Præsules. Sed cùm hic etiam in Regis ipsius gratiam peruertisset iudicium; Trecensis Episcopus, & Guido Abbas Clarævallensis Iudices dati, vt ab eo inordinatè facta corrigerent; atque irrita, & nulla declararent. Litteris haud longioribus ad eosdem directis in hunc tenorem [b]:

b ex eodem lib. epist. 121.

Trecensi Episcopo, & Abbati Clarevallis, Cisterciensis Ordinis, Lingonensis Diœcesis.

De prudentia Senonensis Archiepiscopi non possumus non mirari, qui post appellationem ad nos legitimè interpositam, & contra nostri formam mandati peruerse processit in causa, quam ad petitionem charissimi in Christo Filij nostri Philippi Francorum Regis illustris, sibi duximus committendam, super relaxanda sententia interdicti, quod in terram eius Venerabiles Fratres nostri Aurelianensis, & Antissiodorensis Episcopi protulerunt, nisi predictus Rex eis illud offerret, quod esset meritò acceptandum. Et licèt ipsi insserimus, vt, si fieri posset, postposito vtrinque indicio, ad amicabilem compositionem intenderet: ipse tamen turbato negotio potius, quàm sedato, nec compositionem facere studuit, nec indicium exercere. Vnde, nisi Regia voluissemus Serenitati deferre, taliter eum corripere curassemus, quòd eius profectò impunitus non remansisset excessus. Cùm igitur, quod ab eo est inordinatè præsumptum, ipso iure sit irritum, & inane; Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eius processum, & quidquid ipsius occasione inueneritis attentatum, sine cuiuslibet appellationis obstaculo, irritum nuncietis: contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuras apostolicas compescendo. Datum Laterani, Idibus Iunij, Pontificatus nostri decimoquinto.

3. Tertio loco succedat grauis causa, nostris propinquior, quia inter Cluniacenses, & cum totius supremo Congregationis Abbate ventilabatur. Negauerat Monasterium de Charitate, itèrum suprà à nobis commemoratum, Cluniacensi Ecclesiæ, & Guillelmo huius nominis secundo, tunc illius Abbati debitam obedientiam: & nec Priorem ab eodem Patre depositum, pro deposito habere, nec subrogatum admittere acquiescebat. Quin & eidem Guillelmo accedenti ad Cœnobium, munus visitationis impensuro, de more Ordinis; Monachi fores irreuerenter satis occluserant; excutientes iugum velut indebitum; quod etsi se pertulisse non negabant, vsurpatione tamen Cluniacensium, magis, quàm iure allegabant fuisse intrusum. Designati discernendæ causæ, & criminosis puniendis duo Episcopi, Tricasinus, nimirum, atque Meldensis. Verùm, cùm & hi etiam deuiassent, (adeò tunc vix quid rectum sine Cisterciо,) & totam penè Galliam commouissent; Abbates Pruliacensis, & Columbæ suffecti sunt, qui deuios actus reuocarent ad iuris semitas.

4. Continent litteræ, quid gesserint Episcopi, & quo velut colore rem turbauerint: *Attendentes*, inquiunt [c], *quòd per districtionem canonicam Monachorum emollire duritiam non valebant, charissimum in Christo Filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem per suas literas rogauerunt, vt nobilem*

c in eodem Regest. & lib. 3. epist.

virum Comitem Noricensem, qui dictos Monachos in huiusmodi fouere malitia videbatur, ab ipsorum iniusto fauore compesceret, regia potentia insolentiam comprimeret eorundem. Cùm ergo idem Rex prefato Comiti præcepisset, vt substituto Priori temporalia faciens assignari, dictos Monachos in sua vlteriùs malitia non foueret; eosdem mandatum regium non adimpleret: Rex zelo iustitiæ, ac feruore nostræ deuotionis accensus, contra dictum Comitem, cuius fulti potentia Monachi memorati, latis authoritate nostra sententiis obuiabant, præcepit exercitum congregari. Cuius metu, licèt temporalia dicto Priori per prefatum Comitem fuerint assignata, Monachi tamen in sua contumacia nihilominùs persistentes; tam ipsi Priori, quàm Cluniacensi Abbati debitam exhibere obedientiam, contradicunt. Hæc Innocentius. Quæ contrà, cùm à Procuratoribus Monachorum, multa obiecta immediatè subiungat; tandem concludit:

Nos igitur his, & aliis, qua per partes fuêre proposita, plenius intellectis, manifestè cognouimus, predictos Iudices perperam processisse, qui fines nostri excedentes mandati, brachij secularis auxilium inuocauerint, dum coram ad nos relatione pendente, partes super ipsorum processu, in nostro auditorio litigabant. Cùm etiam graniter posset impediri Ecclesia vtilitas, & libertas, si quolibet Iudice imperito forsan, aut etiam malitioso, temerè proferente sententiam, Rex, seu quicunque alius Princeps, ad Ecclesia bona manum extenderet, quasi eandem executioni sententiam mandaturus: ac etiam in hoc graue possit inter sacerdotium, atque Regnum scandalum generari. Quare, quidquid ab eisdem Iudicibus taliter factum est, vel ab aliis per studium eorundem; de Fratrum nostrorum consilio irritum decreuimus, & inane. Verùm, quia per expressam confessionem Monachorum de Charitate nobis constitit euidenter, Cluniacensem Abbatem possessionem instituendi, ac destituendi, pro sua libito voluntatis, in Monasterio de Charitate Priores; & corrigendi, quæ corrigenda, vel ordinanda vidisset, per viginti annos, (licèt ipsi Monachi de Charitate eandem vsurpatam asserant,) habuissemus; exigente iustitia, sibi eiusdem possessionis commodum conseruantes, tam destitutionem dicti G. à regimine Prioratus, quàm substitutionem prefati Villelmi, excommunicationis quoque sententiam, quam in eundem G. & eius complices, idem Abbas, propter rebellionem huiusmodi, promulgauit, authoritate apostolica duximus confirmandas. 5.

Ideòque mandamus, quatenus premissas destitutionis, ac institutionis sententias faciatis per censuras ecclesiasticas firmiter obseruari; ac priuilegia, libros, & vniuersa ecclesiastica ornamenta, à quibuscunque alienata fuerant, vel subtracta, Monasterio restitui memorato; dicto Abbati ex parte nostra firmiter iniungentes, vt possessionibus, & aliis quibus Monachi memorati per dictos Comitem, & Marescallum, seu quoscunque alios spoliati fuerant, eorum Priori, ac ipsis plenariè restitutis, eisdem beneficium absolutionis impendat, & paterna ipsos benignitate tractet. Et possessiones alienatas, in enormem eiusdem Monasterij lesionem, ad eius, & proprietatem ipsius, secundùm formam in nostris literis comprehensam, iuxta quod in nostra presentia, eius Monachis anno preterito promisit, studeat reuocare. Caterùm, si dicti Prior, & Monachi de Charitate, omnis, vel maior, aut senior pars eorum super libertate Monasterij sui de iure voluerint experiri, nos eos benignè, cùm requisiti fuerimus, audiemus, sicut videbimus expedire. Ta- 6.

liter autem satagat ipse Abbas pacificare, ac reformare Fratres Monasterij memorati, conseruando rationes, & immunitates ipsius, ne nos propter eius negligentiam, aut insolentiam, compellamur de ipso Monasterio aliud ordinare. Datum Laterani XIV. Calendas Ianuary, anno XV. Hactenus Innocentius iubens restitui, quæ Comes, dum defendit, vsurpallet; inolita sæcularibus Principibus indigna consuetudine, vt ratò Monasteria defendant, nisi vt spolient.

7. Hæc grauiora negotia ex multis aliis, nostris hoc anno iniunctis ab Innocentio. Verùm grauissimum propagatio fidei in Septentrionis partibus ad Prussiam, & Lubauiam; cùm semina, à Christiano, & Philippo, sociisque, paucos ante annos iacta, adeò succederent, vt nisi operariorum accessione, non posset messis in horrea congregari. Meminit huius Apostolatus paucis Abraham Bzouius, quanuis litteras datas ante biennium, quas nos tunc dedimus, ipse prætermittat: sic enim ait [d]: *Innocentius in septentrionalibus quoque prouinciis ad conuersionem gentilium animum apposuit. Nam Lundensi Archiepiscopo, apostolicæ Sedis Legato, vt circumuicinis Paganis Euangelij veritatem annunciaret, præcepit; & Monachis Cistercensibus Regni Poloniæ prædicationem inter Prutbenos Gentiles commisit, idque operis Gnesnensi Archiepiscopo commendauit.* Ergo scripsit ad Gnesnensem Archiepiscopum, vt selectos ex Cistercio prædicatores ad illas gentes conuertendas sedulus mitteret; atque in messem maturam, vt credebatur, operarios industrios destinaret. At cùm cognoscceret ab aliquibus ex nostris, id munus iudicari alienum à Monachatu, eóque quosdam, qui se se illi sacrauerant accusari, vt vagos, atque degeneres, Vniuerso etiam Capitulo scripsit, litteris Signiæ datis in hunc tenorem [e]:

d ad hunc ann.

e ex Regest. lib. 5. & lib. 3. epist 145.

8. *Vniuersis Abbatibus in generali Cistercensi Capitulo congregatis.*

Dilecti Filij Christianus, & Philippus, ac eorum socij, vestri Ordinis Fratres, aduertentes eos appellari Beatos, qui seminant in lacrymis; non autem eos, qui frumentum abscondunt... faciente illo, qui vbi vult, spirat, & nemo scit, vnde veniat, aut quò vadat; olim de nostra licentia inceperunt seminare in partibus Prussiæ verbum Dei: vt eundo, & flendo mittentes semina sua, demum possent cum exultatione venire portantes manipulos suos; confisi, quòd ille, qui venit saluum facere, quod perierat, in partes terræ descendens, vt hominem ad Regna cælestia reuocaret, qui omni creaturæ suum iussit Euangelium prædicari, sicut per Prophetam promiserat, virtutem multam euangelizantibus daret. Benedictus autem Dominus, qui sperantes in sua misericordia non derelinquens, speciosos fecit pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona; & extendens manus suas ad populum non credentem, non solùm vsque in Idumæam; verùm etiam vsque in Prussiam suum calceamentum extendit. Dans gratiam Fratribus memoratis, vt sint ministri Christi in gentibus, sanctificantes Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto. Sicut enim comperimus verídica relatione multorum, Dominus eis Fratribus aperuit ostium, ita vt per ministerium eorundem, intelligentibus, qui non audierant, & videntibus, (quippe non fuerat nunciatum,) multi ad agnitionem perueniunt veritatis.

9. *Licèt autem eorum opera ipsis perhibeant testimonium: quia tamen vos, sicut accepimus, eos acephalos reputatis: quidam vestri Ordinis Fratres in illis partibus constituti eisdem in hospitiis debita humanitatis solatia non impendunt: quinimò adeò verbis exasperatis eosdem, vt propter increpationes vestras multiplices, nonnulli eorum dicantur ab illis partibus abscessisse. Volentes igitur iuxta pastoralis officij debitum, eam in his adhibere cautelam, vt neque sub specie prædicantium valeat subuniuersale Euangelij, aut fidei subuersiones; nec propter suspicionem huiusmodi, Euangelio Dei offendiculum præbeatur: Venerabili Fratri nostro Gnesnensi Archiepiscopo, de cuius discretione fiduciam gerimus pleniorem, nostris damus litteris in mandatis, vt non subitò credens omni spiritui, sed probans spiritus, si ex Deo sint, eos, quos nouerit esse idoneos ad prædicandum gentibus verbum Dei, & ad id studio veræ charitatis inductos, vobis, & vestri Ordinis Fratribus, aliisque fidelibus Christi constitutis per Moraviam, & Poloniam recommendet, & suarum munias testimonio litterarum. Quocirca vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus eos, quos præfatus Archiepiscopus vobis per litteras suas duxit commendandos, non impediatis vllatenus, vel ab aliis Ordinis vestri Fratribus permittatis impediri, quominùs in Euangelij prædicatione procedant: vt bainlantibus ipsis currat veleciter sermo eius, qui emittit eloquium suum terræ. Datum Signiæ, Calendis Augusti, Pontificatus anno quintodecimo.* Hæc Innocentius ad Concilium Abbatum præsentis anni, in qua eadem forma etiam scripsit ad Abbates, & Monachos Cistercensis Ordinis, per vniuersam Moraviam, Pomeraniam, & Poloniam, constitutos. Porrò in his Litteris, cum quorundam Apostolatu, cunctorum etiam modestia notanda venit: qui non sibi arrogarent prædicationem, non eam ambirent, aut de illa cum aliis decertarent: reprimerent ebullientem feruorem magis, atque ardentiorem zelum cohiberent: vt neque suos assumi paterentur, si minùs aptos, neque aptiores repelli procurarent, quia alienos. Charitas non æmulatur, non quærit, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, atque ó vtinam! omnes Prophetæ essent.

10. Cæterùm de Christiano, Philippóque, quos tot, ac tantis encomiis Innocentius exornat, dispar nobis Historiæ materia subest: nam Philippi nulla alia notitia extat: Christianum verò Culmensem primum Episcopum, Prussiæ, & Lubauiæ Apostolum loquuntur Authores, atque eas Prouincias materiali gladio primùm, mox gladio spiritus Christo subiugasse late commemorant. Vtrunque per prædicationem Crucis effectum: illud, dum Catholicos in Barbaros accendit, & Cruce signat; quod vbique consuetum illis temporibus: hoc, dum Barbaris materiali gladio subactis Christum infundit, eò maiori gloria, quò exacerbatis à priori victoria animis, secunda difficiliòr; & victi suos victores, vel salutem ferentes auersabantur. Conradus Dux Masouiæ, atque Cuiauiæ (quas illi Prouincias Lescus Rex frater in sortem patrimonij concesserat, comitiis eam potissimùm ob causam Sandomiriæ habitis) Crucem aduersùs Prussios prædicandi, author Christiano fuit, cùm ille hactenus soli conuersioni gentis intentus esset. Nec defuit causa iusta: quòd rebellarent, & quòd tunc etiam inuasissent Cuiauiæ fines. Exarsit verbum in ore prædicantis, eatenúsque accendit audientium animos, vt Dux ipse Poloniæ, seu Regem mauis, atque Henricus Barbatus, Sanctæ Heduuigis coniux, crucem susciperent, & bello sacro cum suis accingerentur. Adiuncti plures Episcopi, & nobiles, (tanta verbo efficacia,) quibus haud dubia de Russiis victoria fuit. De his Polonicarum rerum diligens scriptor Martinus Cromerus pauca, pro suo more: sed certa fide scripta, hæc habet verba [f]:

f lib. 3. 8 1.

Conradus (Lesci hic frater erat) cùm Prussorum excursionibus cohibendis per se ipse par non esset, Cruce signatos

signatos milites in auxilium contra Barbaros, Christiani Monachi secta Cistercienſis opera, vndequaque euocauit. Inter quos facilè Principes erant, Leſcus Poloniæ, & Henricus, Sileſiæ Duces, complures Epiſcopi, & multi è nobilitate Polonica. Quorum opera Chelmnenſem, ſiue Culmenſem, & Lubauienſem tractum (Maſouia ſuperiori tempore, ni fallor, à Pruſſis detractum) in poteſtatem ſuam redegiſſet, Chriſtianum ibi primum Epiſcopum Pontificis Maximi authoritate conſtituit, quo per eum Barbari ad religionem Chriſtianam adducerentur. Hinc Chriſtianus Apoſtolus Pruſſiæ, Lubauiæque, quo nomine memoratur in Menologio. Verùm de epiſcopali Sede erecta ſub Honorio III. Summo Pontifice, ſuo tempore, à nobis dicendum erit.

Iniuncta & alia noſtris hoc ipſo anno milleſimo ducenteſimo duodecimo, ab eodem Innocentio III. 12.
In Gallia Abbatibus Morimundi, & Boniradij, de Dalone, & Aceyo, & Priori Ciſtercij diuerſa, & grauia negotia commiſſa ſunt. In Germania Abbates de Sichem, atque de Lapide Sancti Michaëlis, pro reſtituendo Imperij Protonotario, ab Othone depoſito: in Italia pro Archiepiſcopo Ianuenſi, Tiletanus Antiſtes; Nomentulanus pro aliis: in Hiſpania Mazanarienſis, aliique contra electionem Prioris de Zela noua, & prò aliis negotiis, acceptis litteris, in varias mundi partes delegabantur: atque omnes illorum delegationes vulgauit Boſchetus lib. 2. epiſtolarum, in quo, ſi velit, Lector videre poteſt.

---

1. *Ciſtercienſium virginum initium in Lombardia.* 2. *Francha natiuitas, educatióque,* 3. *atque eius circunſtantiæ.* 4. *Tempus primæ, & ſecundæ generationis.* 5. *Votorum emiſsio,* 6. *velo per Angelum de cælo illi impoſito.* 9. *Electio in Abbatiſſam.* 8. *Miracula, & virtutes.* 9. *Carentiam virginem docendam Ciſtercij mores ad Genuam mittit.* 10. *Et dictum obiter de Epiſcopo Grimerio.*

CAPVT VIII.

1. HOc primùm anno Ciſtercienſium virginum per Italiam mentionem lego, fundato dudum inſigni Monaſterio, non longè à Genua ſuper littus maris; atque inde iacto in Carentia virgine ſemine, vnde alia multa in breui pullularent, ſub ſacratiori Franchæ magiſterio, quam ab infantia penè Benedictinam, claram virtutibus, ſigníſque conſpicuam, iam tunc Deus Ciſtercio præparabat. Pauca nobis de vtraque Dei famula, antiquorum incuria: & quæ recenter Petrus Maria Campi de Francha edidit vulgari ſermone, eóque minùs noſtris apta ſcriptis. Ergo ex officio eius, tum Romano, nam illam celebrat Eccleſia Placentina; tum Ciſtercienſi[1], quæ potuerimus: reliqua ex ipſo vtcunque decerpemus.

2. In proprio Sanctorum Eccleſiæ Placentinæ Romæ, à ſacra Congregatione rituum approbata, & Placentiæ excuſo, anno M. DC. X. hæc in ſecundi Nocturni prima lectione [a]: *Francha, virgo Placentis, nobili genere nata, piéque educata, vt Deo vocanti liberiùs inſeruiret, parentes, ſeptimum ciun nondum attigeret annum, rogare cæpit, vt ſe inter ſacras Chriſti Virgines vitam ducere ſinerent. Ergo eorum voluntate Sancti Syri Monaſterium ingreſſa, ſub inſtituto Sancti Benedicti mirificos in via Domini progreſſus habuit. Fuit enim ea orationibus dedita, in vigiliis, & ieiuniis frequens, admirabili in iniuriis tolerandis patientia; cuius etiam ſanctitatem Deus miraculis teſtatam fecit.* Hæc de ineunte ætate ſacræ Virginis. De cuius tamen parentibus, & ortu, non ſine præuia futuræ ſanctitatis oſtenſione, diſtinctiùs aliqua in Officio Ciſtercienſi [b]:

3. *Beata*, inquit, *Francha, virgo ſacra, orta de nobili progenie Comitum de Vidalta Placentina ciuitatis. Matri eius, dum eſſet pregnans, apparuit pluribus vicibus in viſu, habere ſe catulam in ventre, que lactatus magnos dabat* [c]. *Cui territæ Confeſſor diſcretus, cum quo conſilium habuit, ſuadendo reſpondit: Paries filiam fidelem, & ſagacem, qua linguam habens medicinalem, latratibus ſuis peccata fugabit, & fideles in Dei ſeruitio conſeruabit* [d]. *Concepta igitur ex legitimo matrimonio Beata Francha, nata, & baptizata; quàm citò ætatis fuit, fecerunt eam parentes eius imbui ſcripturis, ac moribus diuinis; geſtientes, qua ſibi fuerant antè ſignificata* [e]. *Spiritus autem Sanctus ſic eam preuexit, vt ante ſeptennium proferret parentibus ſæculo renunciare, & in Religione Deo ſeruire totaliter oportere* [f]. Hactenus ibi.

a poſt Vitam Sanctæ eius.
b teſt. 1.
c teſt. 2.
d teſt. 3.
e teſt. 4.
f cap. 10.

4. Quod attinet ad tempus natiuitatis, Petrus Maria Campi author eſt, incidiſſe in annum M.C. LXXV. cui ſi ſeptennium addas, ad quod peruenerat, cùm ad Monaſterium S. Syri deducta eſt, egreſſam dices de domo patris ſui, & de cognatione ſua, ſoli Deo mancipatam, & ſeruituram, anno M. C. LXXXII. ex quo vſque ad annum M. C. LXXXIX. in puellari habitu, ſed virtutibus longè ſuperioribus, in eodem Cœnobio permanſiſſe, exdemmet lectiones aſſeuerant: ſic enim aiunt [g]: *Predicta Francha, virgo beata, inſtanter perſeuerans in ſancto propoſito, nobili Monaſterio Sancti Syri Placentie parentes eius eandem obtulerunt ſolenniter: vbi recepta fuit cum hilaritate, ac ſumma cunctorum alacritate* [h]. *Que conuerſans ibidem in habitu puellari conſueto illi Religioni, vſque ad ætatis eius annum quartumdecimum, ita gratiosè ſe gerebat, vt cunctis videntibus miraculum appareret* [i]. *Ipſa namque virgo beata in ſcientia, moribus, & abſtinentia, cæteriſque regularibus obſeruantiis precedebat omnes, in quibus omnibus optimè eſt comprobata.* Hactenus dictum de illius probatione.

g C. 8. teſt. 5.
h teſt. 6.
i teſt. 7.

5. Quartodecimo ætatis ſuæ anno expleto, Deo per vota ſolennia ſacrata eſt ab Epiſcopo loci: interim Angelo ad eam de cælo miſſo, qui velum illi imponeret, quod viſum etiam aliis; vtrunque eius Officium teſtificatur. Romanum ſic [k]: *Cum ſacrum velamen ab Epiſcopo ſuſcepturæ eſſet, interim Dei Angelus viſus eſt, alio eius caput cooperire.* Ciſtercienſe diſtinctiùs paulò, & fuſiùs [l]: *Dum eodem anno, profeſſione regulari facta, velum ſacrum ab Epiſcopo ſuſcipere deberet, cuidam amitæ ſuæ de Confanonerijs apparuit quidam Angelus, qui velabat eam. Vt daretur intelligi, quòd de eius conſortio diuinitùs fieret; qui non ſolum caput ornabat, ſed mentem illius, & cor-*

5.
k teſt. 4.
l teſt. 8.

pus

m cap. ... pus à cunctis vitiis separabat, ac Dei seruitio mancipabat [m]. Quod quidem inde magis apparuit, quia exsuncto quasi transmutata in virum, affectum sumpsit virilem, & animum: ita vt deinceps foret in orationibus peruigilans diebus, ac noctibus, vitans, & abhorrens cuncta puerilia, lasciua, & vana. Hæc, vt puto, sub Episcopo Ardicione, Grimerij antecessore, de quò superiùs.

6. Idem Petrus Maria author est [n], hoc velum Sanctæ Virgini fuisse, quod Beato Thomæ Aquinati cingulum; illud, de cœlo item transmissum, quod carnis incentiua, atque inordinatos appetitus motus prorsus sedauerit. Multa præterea de illius iejuniis, & abstinentia, quæ in eius ibidem Actis confirmantur [o]. Sanè, inquiunt, omni Quadragesima sui Monachatus continuè ieunans, nullam rem coctam comedebat, præter panem: cuius panis brixias edebat, sæpissimè cum herbis, & leguminibus crudis absque sale, & aqua [p]. Promissam abstinentiæ formam non modò seruauit subiecta; sed multò valentiùs & Prælata: excepto, quòd, propter infirmitatem stomachi, quia grauabatur præcordia abstinentia, præcepto Abbatissæ, hortatúque sororum, tale fiebat ei remedium, omni recusata frequentia Medicorum.

n cap. 2.

o Cist. lect. 10.

p lect. 11.

7. Interim Britia Abbatissa, (sic enim vocabatur, quæ & ad Habitum Francham susceperat,) per mortem rapta circa annum Christi M. C. XCVIII. cùm vigesimumtertium, non ampliùs ætatis ageret, quinquaginta, quæ in eodem Cœnobio morabatur, prouectis iam, expertisque sororibus, communi omnium consensu præfecta est; defectum experientiæ per prudentiam, per religionem ætatem transcensura. De eius electione, hæc in Lectionibus Officij Cistercientis [q]: *Cùm autem placuit Deo candelam accensam super candelabrum statuere: Abbatia S. Syri vacante per obitum predecessoris sui, Moniales omnes, quæ quinquaginta, vel circa erant, diuina gratia inspirante, Sanctam Francham in Abbatissam, & Matrem suam concorditer elegerunt.* At qualem se Abbatissam exhibuerit, in Officio Romano paucis exprimitur [r]: *In Abbatissa mortua locum sufficta, muneris sui partes diligentissimè expleuit.*

q lect. 12.

r lect. 12.

8. Miraculis, an virtutibus clariot in Præfectura, non ausim dicere. Inter miracula, dolia semel, & iterum vacua omninò inuenta, oratione eius diuinitùs repleta commemorantur [s]: atque id genus alia, nec inferiora. Interim virtutes, quòd Præfecturæ æmullam, sororem Episcopi; eoque & Episcopum Patrem illius Domus, & omnes penè cum ipso Moniales, (quæ subditorum plerunque conditio est,) in ipsam coniurantes patienter tulerit; quòd nunquam malum pro malo illis reddiderit; quòd nec offensa vindictam intentauerit; neque contempta à plerisque Monialibus, sub Episcopi vmbra, (quæ vltima obseruantiæ pernicies est,) à Dei zelo censuerit desistendum [t]: voluit tamen quietis, & pacis amans, cedere, aut loco, aut saltem Præfecturæ: & siue hac sensibili occasione, siue vitæ arctioris amore flagrans, quem in viris in sua etiam Prouincia videbat sanctissimum, in fœminis de aliis audiebat per totum Orbem, Ordinem Cisterciensem suspicabat: de quo item à se ibidem plantando, diuinitùs edocta, tempus à Deo præfixum præstolabatur.

s in vita c. 3.

t vbi suprà.

Cùm ecce hoc anno M. CC. XII. [u]. diuina id Sapientia disponente, Carentia virgo nobilis, ex clara Vicecomitum Familia, Humberto Vicecomiti, qui pòst Gregorius X. necessitudine sanguinis coniuncta, sexdecim annos nata, & bonis naturæ, fortunæque ornata mirificè, caduca omnia, & nociua æternis reputans, ac Christum Sponsum, atque Francham Magistram eligens, ad Sancti Syri Cœnobium properauit. Tum verò Francha, haud dubiè à Deo missam virginem credens, Cistercium illi in primis; dein condendum Monasterium ex propria dote; demum discendæ disciplinæ gentis, & factis moribus, Genuam sibi adeundum persuadet; vt in celebri illo Monasterio Cisterciensis Familiæ (dubium, quo anno cœptum) edoceretur. Alloquatur parentes, statuátque, se castam virginem, vni viro, Christo dicatam fore; à quo proposito nequeat dimoueri. Annuant votis; & quæ carnalibus nuptiis impendenda, impendant cœlestibus; & Christum generum malint, à quo plura sperent, quàm ab hominibus. Hæc, & similia Francha Carentiæ virgini, Carentia mox parentibus suadens; tandem obtinuit. Et impetratis ab Abbate Columbæ litteris, qui fortè tunc Beaumontius Vicecomes, eius propinquus, decenti comitatu iter aggressa Genuam ad Monasterium profecta est, ritus Cistercij, & mores edocenda. Ita ferè per omnia Petrus Maria: nam in Officio nonnulla reticentur. Et sola ponitur fundatio Monasterij, de qua nos infrà.

u Vita Sanctæ cap. 5.

9.

Episcopum auersantem Francham, ex affectu sororis [x], Grimerium Cisterciensem fuisse coniector, cuius suprà meminimus; virum aliàs sanctum, & zelo iustitiæ feruentem: adeò nullus in hac vita, qui non seduci, vel abduci facilè possit. Purgauit tamen Virum diuina manus breui resipiscentia, ad Fulconis cuiusdam, hominis sancti, Præpositi Sanctæ Euphemiæ, commonitionem. Tum ipsa populi, quam superiùs diximus, rebellione in ipsum; quæ vt precibus Franchæ sedata est, sic in pœnam contemptæ permissa creditur.

x loco suprà cit.

10.

---

1. *Alfonsus Hospitale Regis, ab ipso dictum, nuper perfectum, 2. Huelguensi Monasterio donat, 3. illique in omnibus, & per omnia subiectum vult. 4. Confirmante post tempus Gregorio IX. in cuius, 5. atque Regis verbis notata quædam. 6. In quem finem erectum illud hospitium: & quibus traditum. 7. Qualis relatio ad Iulium II. facta. 8. Quid Leo X. post Iulium II. intulerit. 9. Latum iudicium de personis, 10. & de insignibus. 11. Demum dictum de præsenti statu rerum.*

CAPVT IX.

INGENS hoc anno Huelguensi Monasterio incrementum accessit, Regium Xenodochium, siue Hospitale, in splendidum hospitium peregrinorum, qui Apostoli Iacobi in Compostella sacrum corpus, aut Beatæ Virginis Mariæ de Guadalupe (nam & hoc addunt Litteræ apostolicæ, quas inferiùs adducam) miraculosam Imaginem veneraturi, Hispaniam peragrabant. Inceptum è

regione

regione Monasterij iam dudum opus, atque hoc anno tandem consummatum, Alfonsus Rex duodecim Calatrauæ Fratribus (sic ipsi volunt) sub vno Præceptore, à Magistro eximendis (sicut apparet ex Iulij Papæ Litteris) perpetuò administrandum; administratores Abbatissæ Huelguensi, quò fœmineam potentiam magis ostenderet, atque eius voluit imperio subiacere. Ea pietate litauit supremo Numini, quod sibi fore propitium sollicitabat, priusquàm ad bellum aduersùs Saracenos proficisceretur. Quare donatio facta mense Maio felix futuræ victoriæ auspicium fuit. De hoc Xenodochio Rodericus Ximenius hæc habet verba[a]: *Construxit autem Hospitale iuxta Monasterium, ædificiis, & domibus mirabiliter decoratum, quod tantis diuitiis dilatauit, vt omnibus peregrinis, nullo patiente repulsam, omnibus horis diei necessaria ministrarentur; & omnibus volentibus pernoctare, lecti mirabilis apparatus continuè præpararetur. Infirmis autem vsque ad mortem, vel restitutionem pristinæ sanitatis, per manus mulierum misericordium, & virorum, omnia necessaria erogantur; adeo vt opera pietatis in eodem Hospitali, quasi in speculo possit quilibet contemplari, & qui in vita propter excellentiam operum ab omnibus meruit collaudari, post mortem, multiplicatis intercessoribus, merebitur a Domino coronari.* Hæc Rodericus de operis, & dotis, atque ipsius ministerij magnificentia. Similia habet Tudensis Diaconus Lucas: & Monasterium Hospitali iungens, atque vtrumque palatio, quod in eadem vrbe Alfonsus condidit, ex eis putat accreuisse regium nomen eidem ciuitati, quod ante illud tempus non habuisset: *Tam*, inquit, *prædictum Monasterium, quàm palatium suum, quàm etiam Hospitale de lapidibus, vel de lateribus coctis, & calce constructa sunt, & auro, & variis coloribus depicta. Tunc ipsa Ciuitas, Burgensis, Regia vocata est, & in Regni solium sublimata.* Ita Tudensis: vt debeant Burgi Cœnobio, & Hospitali per Alfonsum constructis, quod hodieque conseruat Regium nomen.

a lib. 9. c. 14.

2. Verùm, quàm fecit de cunctis donationem Monasterio Huelguensi, excerptam ex eiusdem Domus Archiuiis, non abs re censui hìc fore transcribendam: sic autem habet: *Quæ diuinæ volumus, perpetuæ memoriæ commendamus, ne facta Regum, seu Principum, quæ dignæ sunt memoria, obliuionis incommoda patiantur. Ideo tam modernis, quam posteris, præsentibus innotescat, quòd ego Aldefonsus, Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, vnà cum vxore mea Aleonore Regina, & filio meo Henrico, libenti animo, & voluntate spontanea, facio chartam constitutionis, concessionis, confirmationis, & stabilitatis, perpetuo, & irreuocabiliter valituram. Constituo itaque, & concedo, quòd Hospitale, quod ego, & legitima vxor mea, in camino gloriosi Apostoli Iacobi, ad exceptionem, & refectionem pauperum fundituis construximus, regaliter ditauimus, prope Monasterium nostrum Sanctæ Mariæ Regalis, ipsi Monasterio Sanctæ Mariæ sit in omnibus ad plenum subiectum: & ad illud pertineat cum omnibus suis pertinentiis. Ita quod Abbatissa dicti Monasterij huius Hospitalis in omnibus, & per omnia plenariè curam gerat: ita tamen, quòd de hereditatibus, possessionibus, seu quibuscunque rebus aliis Hospitalis, alienandi aliquid potestatem non habeat, nec ad vsus Monasterij quacunque ex causa, vel necessitate licentiam transferendi. Imò, si necessitatis qualitas, vel quantitas exegerit, de abundantia rerum Monasterij, ad vsus pauperum Hospitalis, tempore necessitatis subueniatur eidem: & hæc meæ constitutionis pagina rata, & stabilis omni tempore perseueret. Si quis verò hanc chartam meæ constitutionis infringere, seu in aliquo diminuere præsumpserit, iram omnipotentis Dei incurrat, & cum Iuda Domini proditore pœnas sustineat infernales, & regiæ partì decem millia marapetinorum in cauto persoluat, & quod præsumpserit, in irritum reuocetur. Facta charta apud Burgos, Æra M.CC.L. decimaquinta die Maij.*

Et ego Rex Castellæ, Alfonsus, regnans in Castella, 3.
& Toleto, hanc chartam, quam fieri iussi, manu propria roboro, & confirmo. Alfonsi Regis Castellæ sigillum. Rodericus, Toletanæ Sedis Archiepiscopus, Hispaniæ Primas, confirmat. Rodericus, Segontinus Episcopus, confirmat. Garsias, Conchensis Episcopus, confirmat. Melendus, Oxomensis Episcopus, confirmat. Ioannes, Calaguritanus Episcopus, confirmat. Petrus, Abulensis Episcopus, confirmat. Britianus, Placentinus Episcopus, confirmat. Thaddeus, Palentinus electus, confirmat. Ioannes, Burgensis electus, confirmat. Geraldus, Segouiensis electus, confirmat.

Gonzalus Roderici, Maiordomus Curiæ Regalis, confirmat. Alnarus Nuni, Asturensi Regi, confirmat. Didacus Lupi confirmat. Comes Fernandus confirmat, Rodericus Didaci confirmat. Lupus Didaci confirmat. Alnarus Didaci confirmat. Alfonsus Teili c. Fernandus Garsiæ c. Mauinus Munoz confirmat. Petrus Fernandi, Maior Merinus in Castella, confirmat. Petrus Pontij, Domini Regis Notarius, Didaco Garsiæ existente Cancellario, scribi iussit. Hactenus priuilegium, confirmationésque, quas pro maiori temporum notitia in multis instrumentis libenter pono.

An Rex Alfonsus Cistercienses Ordinis Fratres, 4.
quos Conuersos vocamus, in illo Xenodochio constituerit, quos Abbatissæ subiectos esse voluit, in dubio est. Et probabilius, post acceptam domum de manu Regis, Moniales eos in ministros elegisse. Quippe hoc vltimum videntur persuadere Gregorij verba, quibus idem confirmat Xenodochium Monasterio Huelguensi, postquàm iam suscepissent Cistercij Fratres. Referam instrumentum confirmationis datum Perusij, Kalendis Augusti, Pontificatus ipsius anno nono: quod ad instantiam Abbatissæ, Monialiúmque expedium, hæc inter alia habet notatu digna: *Sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, Alfonsus Rex, vna cum claræ memoriæ Aleonora Regina vxore sua, atque Henrico nato eorum, Hospitale Sanctæ Mariæ, quod ad receptionem, & refectionem pauperum, prope Monasterium vestrum construxit, atque dotauit, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, eidem Monasterio, antequam recepissetis Cistercienses Ordinis institutæ, liberalitate pia, & liberali contulit pietate, prout in Litteris super hoc confectis plenius dicitur contineri. Quare fuit nobis humiliter supplicatum, vt concessionem huiusmodi apostolico dignaremur munimine roborare, &c.* Ita Gregorius: quibus clarè videas, Xenodochium Huelguensibus donatum, priusquàm per Cistercienses Ordinis Fratres habitaretur. Neque enim verba illa ad Cœnobium Huelguense referri possunt, quippe quod nunquam sine Cistercio fuit: primis Monialibus, adductis ex Tulebris, Cistercienſi Abbatia; atque ordinatis, sub Guidonis Cistercienſis Abbatis visitatione.

Ergo ædificia, possessionésque, pro recipiendis, alendisque pauperibus, indulta hoc anno: sed nulli adhuc ministri designati, quibus hospites curæ, aut qui eas possessiones, & domum administrarent. Inde neque vlla Cistercienſis Ordinis mentio in ipsa donatione, quod & huic parti videtur adstipulari. Cistercienses Conuersos ideneos vtique operi censuêre Moniales, eoque Xenodochio præfecien- 5.

dos, aut susceptè ad Habitum, quod Abbatissis permissum illis temporibus, aut aliunde vocatos, adductósque, pauperum ministerio deputarunt. Nec dubium factum, Alfonso consulente, qui cuncta sua per Cistercium exequi vellet. Calatraua euocatos traditio fert, cui Bullæ quædam Pontificiæ adstipulantur. Indéque emanasse consuetudinem vsque ad hanc diem receptam, & obseruatam, vt eisdem insignibus vtantur, per quæ Calatrauenses dignoscuntur. Ita relatum, Iulio huius nominis secundo Summo Pontifice, ab his, qui Hospitale tenebant illius tempore: cùm eadem insignia sibi deposcerent, vsitata, vt aiebant, ab antiquo; sed, quæ per aliquod tempus intermisissent. Nisi quòd tamen eorum successores eò adegit scrupulus, vt eandem concessionem à Leone X. reualidare peterent, quasi per obreptionem prior obtenta non satis sedare posset eorum animos. Litteras Iulij non potui inuenire: profectam tamen à Leone X. datas, referentes priores; & si quid ex eis scrupuli remansit, pontificia sedantes authoritate. Porrò ex his Litteris manifestum fiet, Xenodochium erectum, non pro his solùm, qui ad Beati Iacobi corpus; sed qui ad Virginis dictæ de Guadalupe effigiem vi sitandam peregrinantur.

6. *Leo Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis Filiis Præceptori, & Fratribus Hospitalis, Regij nuncupati, extra muros Burgenses, Cisterciensis Ordinis, Salutem, & apostolicam Benedictionem.*

Decet Romani Pontificis subsidio prouenire, vt ea, quæ à suis prædecessoribus, in Hospitalium præsertim, vbi Regulares personæ degunt, honorem, & commodum prouida sunt consideratione disposita, sublatis impedimentis, & obstaculis quibuscunque votiuum sortiantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Iulio Papæ II. prædecessori nostro, pro parte tunc Præceptoris, & Fratrum Hospitalis vestri, Regij nuncupati, extra muros Burgenses, exposito, quòd olim, postquàm claræ memoriæ Alfonsus, Hispaniarum Rex, attendens fore valdè necessarium, quod extra muros Burgenses, cùm esset locus, per quem pauperes peregrini visitantes Limina Sancti Iacobi in Compostella, & Ecclesiam Domus Beatæ Mariæ de Guadalupe, iter faciebant, aliquod Hospitale, in quo dicti pauperes peregrini recipi hospitio possent, erigeretur: Hospitale vestrum extra dictos muros construi, & fundari, ac in eo vnum Præceptorem, & duodecim Fratres militiæ de Calatraua, Cisterciensis Ordinis poni, illósque, & Hospitale huiusmodi, ab eadem militia eximi: ac quòd Præceptor, & Fratres prædicti Crucem rubeam in pectore, & in ea vnum castellum in signum Fundatoris ipsius Hospitalis, deferrent, ordinari canonicè obtinuerunt; & ex tunc per certum temporis, signum huiusmodi delatum exiterat; quamuis posteà, cùm inter Præceptorem, & Fratres Hospitalis huiusmodi, & milites dictæ militiæ, super delatione dictæ Crucis nonnulla differentia exorta fuissent, ipsi tunc Præceptor, & Fratres dicti Hospitalis, dimissa Cruce, solum insignia Castella per aliquod tempus gestassent.

7. *Cùm autem Præceptori, & Fratribus prædictis non videretur conueniens signum castelli huiusmodi duntaxat deferre, de mandato gloriosæ memoriæ Ferdinandi Regis, & Elisabeth, Reginæ Hispaniarum, qui dictæ militiæ administratores per Sedem apostolicam deputati erant, Crucem huiusmodi reassumpserant, & illam vnà cum dicto castello, ex tunc à viginti annis detulerant, & tunc deferebant. Idem prædecessor, tunc Præceptoris, & Fratrum prædictorum in ea parte supplicationibus inclinatus, illis, & pro tempore existentibus Præceptori, & Fratribus Hospitalis huiusmodi, vt Crucem rubeam, & castellum, prout tunc deferebant, ex tunc perpetuò deferre, ac omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis, quibus aly Fratres, & milites dictæ militiæ in genere vtebantur, potiebantur, & gaudebant, vti, potiri, & gaudere libere, & licitè possent, indulsit, prout in suis inde confectis Litteris plenius continetur.*

8. *Cùm autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, vos dictæ militiæ Fratres non sitis, & præterea, quòd contrarium in dictis Litteris expressum est, dubitetis, Litteras ipsas de subreptionis vitio impugnari, vósque illarum affectu frustrari posse, tempore procedente nos volentes, ne propterea dictarum Litterarum careatis effectu, prouidere; vosque, & vestrum quemlibet, à quibusuis excommunicationibus suspensionis, & interdicti, aliísque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quemodolibet innodati estis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus, & apostolica authoritate vobis concedimus, quòd dictæ Litteræ cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, ac inde sequutis quibuscunque ... præsentium valeant, plenámque roboris firmitatem obtineant: & vobis, ac pro tempore existentibus Præceptori, & Fratribus dicti Hospitalis suffragentur in omnibus, & per omnia, perinde ac si in eis, quòd ipsius Hospitalis Præceptor, & Fratres dictæ militiæ erant, expressum non fuisset. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quæ dictus prædecessor in Litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, voluntatis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vicesimosexto, decimo Kalendas Maij, Pontificatus nostri anno octauo.* Hactenus Litteræ.

Ego non dubito, præfectos Xenodochio Cistercienses Conuersos, adeóque eiusdem omninò professionis, cum Fratribus militiæ Calatrauæ: nisi quòd illi deputati bello, hi pauperum seruitio mancipati: non secùs ac ex nostris, alij grangiis, alij Monialibus, atque aliis ministeriis adscribebantur. Duo tamen per obreptionem suggesta mihi persuadeo: alterum, quòd ex militibus desumpti: alterum, quòd Crucem illam rubeam ex tunc gestauerint. Et quidem primum omninò certum iudico, qui nunquam credam tacendos ab Alfonso Calatrauenses, sed neque à Roderico Toletano, si tales mancipasset hospitio pauperum. Quin & militiæ, aut Magistri consensum interuenturum, vt subiecti Abbatissæ, à suis propriis Prælatis eximerentur. An minùs necessarius pro militibus, quàm fuisset pro Monialibus? aut, vt reliquos sileam, Abbati Morimundi negandum esset, quod Tulebrensi Abbatissæ concederetur? Non abnuo, vnum, aut alium iam emeritum, & senio, aut morbis, vulneribúsve fractum, atque bello ineptum, potuisse Xenodochio deputari de consensu Magistri, qui ab Authoribus potuit præteriri: at integrum Conuentum separari, emancipatique sine vlla maiori solennitate, nulla mihi ratione persuadeo. 9.

Iam quod additur de insigni Crucis rubræ, ex tunc gestato ab ipsis, adeò manifestè falsum est, vt cæterorum etiam eneruet fidem, quando & militibus 10.

Crux

Crux longè recentior ; atque loco caputij subrogata , quod anteà omnes gestabant , vt suprà diximus, & suo loco latiùs differemus. Crediderim,Conuersorum istorum Habitum , similem tunc Habitui Calatrauensium,scapulare , cui caputium illud assutum: reliqua in colore , & qualitate nostris similia ; in forma ministerio accommodata ; & tunicas breuiores nostris portasse ; longiores militibus , quæ nec frequentia exhibenda ministeria quoquo modo impedirent ; & aliàs religiosam modestiam repræsentarent.

II. Hoc initium illustris illius operis , quod hodie perseuerat , insigni in panperes peregrinos munificentia : de quo id obiter libet adnotare: quòd cùm à Rege tenuioribus redditibus , quàm Huelguense Cœnobium dotatum sit, vnde & iubet , si necessitas ingruerit , *de abundantia Monasterij , ad vsus pauperum Hospitalis subueniendum.* Quippe Cœnobij dotatio maior , & pinguior ; Xenodochij exilior habebatur ; nihilominùs,(quæ vicissitudo temporum est,siue mauis,quæ differentia ministrorum,) hodie prorsus inuersæ dotationes,& quantitas redditnum commutata : quippe imminutis prouentibus Monialium , quantumuis adhuc pinguibus , redditus Hospitalis adeò creuerunt,vt in duplo excedant , aut fortè superent. Pro peregrinis fœminis curandis,sustentat fœminarum Collegium aliud, vt & fœminæ fœminis,& viris viri ministrent. Fratribus destinata annua stipendia , quingentos aureos pro singulis æquantia : Præceptori duplicia designata : Officialibus etiam,& ministris redditus pingues: & nihilominùs,quæ insumuntur in vsus pauperum,duplo,& triplo maiorem summam conficiunt. Hæc pro nunc satis : nam reliqua dicemus suis temporibus.

---

1. *Cardinales,qui nostris adscribuntur.* 2. *S. Dominici propheticum responsum ad instantiam Conuersi Cistercienſis.* 3. *Sancta Armezana Canensibus præfecta*, 4. *& in Sicilia Abbatia de Arca fundata*, 5. *in qua Beatus Nicolaus eximiè floret.* 6. *Prope Thessalonicam Monasterium nostris redditum*, 7. *non sine eorum veneranda commendatione.* 8. *Monasteria Monialium Fontis ad vlmum : 9. itémque Vallis Ducis in Brabantia* : 10. *& Margarita, Henrici Ducis filia, cum Alayde , & aliis , inibi florentes. Bonavia in Hispania.* 12. *Et demum peroratio,& finis præsentis Tomi.*

CAPVT X.

1. IRRIT ad hunc annum,ex Cistercio , ad sacram purpuram,ab Innocentio assumptos, Authores memorant. Duos Stephanos de Fossa noua,nimirum,& Languetonium ; & Reinerium Caporium Viterbiensem.Sed Languetonius antiquior in Collegio ; quidquid dicat Ciaconius [a];& vt exilium, aut maiorem illius partem , Pontigniaci egerit: at iugo Ordinis subdidisse collum,aut Monachum induisse , ex antiquis qui tradat , inuenio neminem.Recentibus [b],aut dubia,aut nulla fides,quandiu aliunde non probantur;maximè his,qui in aliis conuinci possunt. Maiori niti videntur authoritate , Stephanus de Fossa noua,Raynerius;quorum primo Fossæ nouæ antiquum Chronicon ; secundo verò Guidonem Claræuallis grauem haud dubiè Authorem facere fidem,Ferdinandus Vghallus testificatur [c]. Et quidem multis productis circunstantiis , quæ rem faciant credibilem ; vt quòd Stephanus de Fossa noua dictus sit,à Cœnobio,cui præfuit,sicut Iordanus, cuius nepos extitisset ; quòd Monachi,Prioris,& Abbatis eiusdem Monasterij ; demum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis (omnia intra annum) munus exercuerit ; quòd multa de eo in Catalogo Abbatum Fossæ nouæ scripta legantur,atque id genus alia,quæ sibi fidem videntur conciliare. Sic de Raynerio,quòd ex Monacho , & Abbate Sancti Anastasij de vrbe, creatus sit;quòd vel post purpuram,Cistercium semper retinens,Ecclesiam Sancti Martini de Monte Viterbiensi nostris condiderit; quòd ad negotia nostris semper vsus ; atque alia similia , quæ pronum quenque ad credendum fallere possint. At ego,vt verum fatear,in neutro quiesco : etenim Stephanum non ex Ecclesia in Italia monachali ; sed ex sæculari in Anglia,& qua abs Rege Anglorum donatus sit,primò in Camerarium Innocentij,inde ab eo in Cardinalem, in Authoribus probatis,creatum lego [d]:neque hactenus (nam id etiam fatebor) Chronicum Fossæ nouæ nanciscì potui. Raynerium autem memorari à Guidone,saltem quem ego habeo,nequaquam video. Et dum Sancti Martini Ecclesiam fundasse dicitur, quæ longè antiquior;vacillat cæterorum omnium fides ; maximè eo in Ecclesia alia sepulto , cùm Viterbij obiisset,neque aliò asportandum funus præciperet. Addat igitur nostris vtrunque verum , quicunque nostrum fuisse probare possit.Nobis hi Annales, quod hactenus seruauimus , non vnquam ex alienis, dubisve ; sed ex propriis , & certis ornandi veniunt. Certè vterque insignis gloriæ Vir , atque inter huius ævi primos commemorandus.

[a] *in Innocentio III. hoc anno.*

[b] *Montalue, & Henriq.*

[c] *in additis ad Ciacon.*

[d] *apud Ciaconium supra.*

2. Hoc ipso anno , cùm egregium Ecclesiæ Lumen Sanctus Dominicus Albigensibus prædicans , & munus sibi ab Arnaldo iniunctum exercens , nostris conuiueret , atque inter eos frequenter conuersaretur , ad cuiusdam Conuersi nostri instantiam,Petri Aragonensium Regis mortem prædixit , celebri illo responso,quòd refert Theodoricus in eius Vita [e]: *Conuersus* , ait , *quidam Cisterciensis,illic præsens,ad Sanctum Dominicum ait : Magister Dominice , nunquámne finem habitura sunt hæc mala ? Vir autem Dei reticens,illo importunius instante,tandem præsente Fratre Stephano,ita respondit : Finem certè habebit illhac Tolosanorum malitia : sed procul adhuc abest ille finis. Multus interim fundetur sanguis : & Rex quidam in hoc bello occidetur. Illis formidantibus,ne Rex Francia esset,qui recèns Albigense negotium susceperat,Beatus Vir ait : Alius planè,quàm Franciæ, Rex erit,eiúsque vitam varij belli eius casus extinguent. Proximo anno casus est Rex Aragonum : atque vtinam arma ferens aduersùs Ecclesiam , non æternam oppetierit mortem.* Hæc sanè prophetia Viri sanctissimi potuisset Petrum à bello retardare : sed diuinum decretum immutabile non vllis habuit impediri commonitionibus. De morte eius dicendum sequenti Tomo,ab ea nobis victoria auspicando,in qua Petrus occubuit , si Deus dederit.

[e] *apud Sur. lib. 1. cap. 11.*

3. Hic idem annus Monialibus de Cañas,Monasterio Ribojæ in veteri Castella,quod anno M.C.LXIX. fundatum diximus , tristis simul , & faustus ; dolendus,

dus, & glorioſus pariter fuit: Tota, ſecunda illius Abbatiſſa, per mortem rapta, cùm annos aliquot ſtrenuè adminiſtraſſet (aucto nimirum in vtriſque bonis Cœnobio, atque multis filiabus Caſtellæ Procerum ad Habitum ſuſceptis, per quas floreret diuitiis, & pietate) lacrymas extorquebat ab omnium oculis, quæ meritò de tali Matre amiſſa lamentabantur. Sed Armezana, inſigni prudentia fœmina, neque minori tum authoritate, tum ſanctimonia, communibus, ſuffragiis ſubrogata, amiſſæ Matris defectum compenſabat. Fulgere dicebatur vſque ad miracula, chara Deo, & hominibus: & quæ eò ſolùm temperabat commune gaudium de eius præfectura, quòd iam matura ætate, imò prouecta, non diu ſpetaretur ſuperuictura. Rexit tamen Cœnobium per annos tredecim vſque ad M.CC.XXV. in quo cùm multa in melius reformaſſet & Monaſterium eximiè promouiſſet, meritis clara ad Dominum migrauit cum inſigni opinione ſanctitatis, vt ſuo loco à nobis dicendum erit.

4. In Capitulo nihil prorſus ſancitum lego. Fundationes tres tradit Chronologia: de Meducham, ignoram nobis Domum: Sanctam Mariam de Arcu in Sicilia, & de Lauro in Græcia; queis tres alias addemus Sanctimonialium. Sanctam Mariam de Arcu prope Netum, illius inſulæ vrbem, Faſcellius memorat, Fundatores, ac locum, & tempus tradens: *Extra mœnia*, inquit [f], *Neti, Aquilonem versùs, ad paſſus millia quinque, inſignis extat Sanctæ Mariæ ab Arcu cognominata Abbatia Ciſtercienſis Ordinis, anno ſalutis M.CC.XII. menſe Nouembri, ſub Federico ſecundo Cæſare, Sicilia tunc Rege, ab Iſembardo Moregia, & chara eius coniuge erecta, vt ex eius conſtat diplomate* Hactenus ille. Quæ eadem in Oceano Maurolicus. Domum taxatam florenis ſex, & ſexaginta in Diœceſi Syracuſana conſtituunt libri Cameræ. Geneſeos Tabulæ ad lineam Claræualli pertinere conueniunt; quanuis in aliquibus exemplaribus Ferrariæ, in aliis Noatæ filia eſſe dicatur.

[f] lib.4.cap.2. Dec.ad.1.

5. Illuſtrauit initia naſcentis Domus, qui inter Sanctos Siciliæ commemoratus, Nicolaus Monachus, multis clarus miraculis, quem Octauius Caietanus, Hugo Menardus, aliique inſeruêre ſuis Notitiis, celebris in ipſis, non ſolùm natali die; verùm & tranſlatione corporis ſacri, quam Kalendis Aprilis factam alter tradit, alter ex eo recenſet in hæc verba [g]: *Sanctus Nicolaus fuit Siculus natione, Ordinis Ciſtercienſis, cuius tranſlationem ponit hac die Octauius Caietanus in Idea Operis de Sanctis Siciliæ; ex Monaſterio Neti, id eſt, Sanctæ Mariæ de Arcu prope Netum in Sicilia.* Eadem ex vtroque refert Henriquez, qui etiam diem obitus incidiſſe in tertiumdecimum menſis Decembris, ex relatione Franciſci Biuarij teſtificatur. Verùm, quod tradit Reuerendus admodum Pater Syluester Maurolicus, obiiſſe hoc anno; haud dubiè credo irrepſiſſe per errorem, ex confuſione fundationis Domus cum morte Sancti. Cætera nobis penitùs ignota, quæ vtinam non deſint, qui ſuperaddant. Sepulcro reuerentia exhibetur in ipſo loco, & brachium dextrum argenteæ capſæ incluſum, populo venerandum, certis quibuſdam diebus exponi ſolet.

[g] lib.1.obſeruationum.

6. De Lauro, Monaſterio Græciæ, id ſolùm habeo, pertinuiſſe ad lineam Morimundi, filiam Bellæ Vallis. Verùm, quæ hoc loco iuxta Theſſalonicam noſtris acceſſit, Domum, Locedij Filiam, eóque augentem lineam Firmitatis (ſeu potiùs noſtris reſtituta fuit,) Innocentij ad Abbatem, & Fratres Locedienſes litteræ produnt; quæ egregiam Ordinis continentes commendationem, & totius facti hiſtoriam complectentes, hoc anno expeditæ, hîc etiam nobis veniunt tranſcribendæ [h]:

[h] lib.15. Regeſti: apud Boſchetum 3. epiſt.70.

Abbatibus, & Fratribus de Locedio.

Dilectus filius nobilis vir VV. Marchio Montiſferrati, ſua nobis inſinuatione monſtrauit, quòd claræ memoriæ pater eiuſdem, cùm adhuc viueret, Monaſterio veſtro Cœnobium de Curiat, quod erat in Regno ſuo prope Theſſalonicam conſtitutum, cum aſſenſu bonæ memoriæ Gofredi, tituli Sanctæ Praxedis, Presbyteri Cardinalis, tunc apoſtolicæ Sedis Legati, quantum in eo fuit, pro ſuorum conceſſit remedio peccatorum: quod etiam idem Cardinalis, prout extitit, confirmauit. Poſtmodum autem, dilecto filio Fratri Rogerio, Monacho veſtro, cum quibuſdam aliis Fratribus ſuis, illud vice Monaſterij Locedienſis poſſidente, Chriſtianiſſimus in Chriſto filius noſter, Conſtantinopolitanus Imperator illuſtris pradictos Fratres de Monaſterio ipſo violenter eiecit. Quia verò diſſolui nolumus, nec debemus, quod in fauorem religionis ſancitum eſt, intuitu pietatis Venerabilibus Fratribus noſtris Philippenſi, & Sirən Archiepiſcopis, noſtris damus Litteris in mandatis, quatenus Monaſterium ipſum vobis reſtituere, obſtaculo appellationis ſublato, procurent, contradictores per cenſuras eccleſiaſticas compeſcendo.

7. *Nos enim volentes, vt Ordinis Ciſtercienſis Religio, quæ tanquam vitis abundans, palmites ſuos longè, latéque diffudit, & velut lucerna non abſconſa, ſub modio perlucidè radios claritatis oſtendit, in illis etiam partibus propagaretur, vt oues, quæ de nouo ſunt in vnum reductæ, Patrem, qui eſt in cœlis, glorificent, cùm Latinos viderint ſanctioris vitæ propoſitum elegiſſe, ſtatuimus, quòd per vos in dicto Monaſterio, de cætero ſeruentur Ciſtercienſis Ordinis inſtituta: vt temporibus noſtris melius in partibus illis Religio Chriſtiana proficiat, & inſtituta regularia per nos de die in diem propagentur, & amplius, & fortius conualeſcant. Decreuimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, &c. Datum Laterani, VIII. Calendas Iunij, anno XV.* Ita Innocentius Conuentui Locedienſi. Nec diſſimilia Archiepiſcopi, quibus cauſam committit exequendam; atque item Henrico Conſtantinopolitano Imperatori.

Incidit etiam in Regeſto Vaticano [i] ad hunc annum notitia Monaſterij haud ignobilis Sanctimonialium, Sanctæ Mariæ, & Sanctis Matthæo Apoſtolo, & Anthonio dicati, in loco, qui dicitur Fons ad vlmum, Eſculanenſis Diœceſis; Litteris datis ad Amatam Abbatiſſam, atque eius Sorores: ex quibus & Ciſtercium ſub hoc anno iam ſuſcepiſſe, & olim priùs ſub alio militaſſe, ſaltem non ſub Ciſtercio, planè conuincitur; quanuis non exprimatur, quis ille fuerit, nec cui Abbati, aut Cœnobio ſe ſe tradiderint. *In primis ſiquidem ſtatuentes, vt Ordo monaſticus, qui ſecundum Deum, & B. Benedicti Regulam, atque inſtitutionem Ciſtercienſium Fratrum, in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis futuris temporibus obſeruetur.* Et infrà: *Monaſterij bona confirmans. Quæ pradictum Monaſterium, antequam Ciſtercienſis Ordinis Inſtituta ſuſciperet, poſſidebat, &c.* Dat. Laterani per manum Ioannis S. Mariæ in Coſmedin Diaconi Cardinalis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarij, ſeptimo Calendas Iunij, indictione decimaſexta, Incarnationis Dominicæ anno M.CC.XII. *Pontificatus verò Domini Innocentij, Papæ III. anno XV.* video & hoc anno collectas nonnullas Virgines in partibus Añoniæ; ſed ſine Regula: amplexura Ciſtercium poſt quadriennium, cùm iam rebus, & numero creuiſſent. Vt non ſit mirum, ſi in loco Fontis ad vlmum idem contigerit; & nulli Regulæ anteà conſtrictæ eſſent.

8. [i] vbi ſuprà, epiſtola 77.

Hoc item anno in Brabantia fundatum lego ab Henrico secundo Cisterciense Cœnobium, cui Vallis Ducis nomen à Fundatore; in quo & minima natu ex eius Filiis Beata Margarita Monialem professa, multis fertur virtutibus claruisse. Quod Hadrianus Barlandus in Historia Ducum Brabantiæ ita commemorat [k]: *Omnium natu minima, cui Margarita nomen fuit, monasticam vitam amplexa, claruit sanctitate in Cœnobio Bernardini Ordinis. Locum nominant Vallum Ducis, Louanio distantem milliaribus duobus, regione amœnissima. Condidit hoc Cœnobium idem Henricus anno M.CC.XII.* Plura Miræus ex Chronico Villariensi, Thoma Cantipratano, & aliis, quæ ita habent [l]: *Vallis Ducis Virginum Cœnobium, apud Sylvam Merdaliam, secundo lapide à Louanio, fert nomen, & exordium suum acceptum Henrico secundo Lotharingiæ, Brabantiaque Duci, qui vt in Chronico M. S. Villariensi legitur, Monasterium sæ structurum voverat, si prole masculâ ex coniuge susceptâ bearetur. Itaque filio auctus, & voti reus, hunc locum Cisterciensi Familiæ cum annuis vectigalibus obtulit: idque Gregorio IX. Pontifice Max. & Capitulo, vt vocant, eius Ordinis generali mox placuit. Dedit porrò inter cætera Henricus magnam, vt Demsterus in Brabantia Historia M.S. loquitur, decimam Isicæ superioris: quod Monasterio vicinum est municipium, Iusti Lipsij natalibus superbum.* Ita Miræus de ipso Monasterio.

[k] in Henrico II.

[l] in Chronico Cisterc.

10. Prima loci Abbatissa Aleidis fuit, de qua hæc habet Thomas Cantipratanus: *Huius loci* (scilicet, Vallis Ducis) *primam Abbatissam vidimus nobilissimam Aleidem, qua natura, ingenio, virtute, & gratia clara fuit.* De ea nos in sequentibus nō multa, tum de Margarita Moniali, in loco primùm, mox post Aleidem etiam Abbatissam, quod suo tempore fusiùs dicendum erit. Sic de Christina, & aliis, quæ in eodem Cœnobio floruerunt. Vtrùm autem sub his initiis Domus nulli subiecta, solum Capitulum generale, aut Abbatem Cistercij Patres habuerit, diffinire non ausim. Certè Villarium, cuius hodiéque Abbati subest, non legitur accepisse curam ipsius, vsque ad annum M.CC.XXXIII. vt suo tempore trademus.

11. Regium Sanctæ Mariæ de Bona via in Hispania Cœnobium, Sancta Maria Regalis aliàs dictum, in Diœcesi Cæsaraugustana ad ripas Iberi, vt primos Fundatores, ita tempus ignorat sui initij. Id vnum constat, illos fuisse Reges; hoc, vt minimum præuenisse præsentem annum: quippe in quo Petrus, Aragoniæ Rex, & Regiam domum vocat, & Abbatissæ, Monialibúsque in ipsa iam degentibus sequentem donationem, quæ hodiéque extat in scriniis de Trasouares, cui Bona via cessit, fecisse legitur.

Nos Petrus Dei gratia Rex Aragoniæ, & Comes Barchinoniæ, ad honorem illius, qui inter cætera potentiæ suæ miracula, etiam in sexu fragili martyrij victoriam contulit, bono animo, spontanea voluntate, ob remedium, & salutem animæ nostræ, & parentum, nostrorum, damus, concedimus, & laudamus Domino Deo, & eius gloriosæ Genitrici, & Monasterio Sanctæ Mariæ la Real de Bona via, Ordinis Cisterciensis, & vobis Domina Atales, Venerabili Abbatissæ, & Domina Vraza, & aliis Sororibus, & toti Conuentui eiusdem loci, hereditatem nostram, quam habemus in Pedrosa cum terminis suis, casas, hortos, campos, vineas, Maures, pecora, &c. Datis Cæsaraugustæ, tertio Idus Septembris, per manus Columbi, Notarij nostri, Æra M.CC.L. Itaque hoc anno M. CC. XII. cui Æra correspondet, iam Monasterium Regium de Bona via Abbatissam habebat, atque Sorores. Permansit autem annos C. XL. nempe, vsque ad M. CCC. LII. Quo cùm bellorum, & temporum iniuria pene ad extremam inopiam deuenisset, & aliàs Monasterium de Trasouares (Alphonsi Regis opus, de quo superiùs) non dissimilem calamitatem expertum esset, Clementis VI. priuilegio indultum est, vt tres tantùm Moniales, quæ supererant in Domo Bonæ viæ, simul cum paucis bonis, quæ conseruabant, aggregarentur Abbatiæ Trasouarensi. Cuius rei instrumentum hodiéque extat, quod suo loco veniet inserendum.

12. Sed tempus est, vt receptui iam canamus, atque finem ponamus huic tertio Tomo: quem nisi nostra inscitia pessùm dedit, neque ex materia inutilem, neque iniucundum speramus, ex varietate. A Petro, ad Petrum produximus historiam; à Confessore, ad Martyrem; à Pontifice, ad egregium fidei pugilem; ab assumpto in Schismaticos, ad eum, quem in Hæreticos primum Ecclesia instituit Inquisitorem; continuatum in Arnaldo Parte Sacrū Tribunal, per sex & ampliùs annos; & dum in Gallia perfidos Hæreticos, in Hispania debellat Saracenos; & Calatraua restituta suis Militibus, de vtrisque triumphat, Fidei in eo præsidium firmatum vidimus, quod in limine ipso promiseramus; ab hostibus, nimirum, & falsis Fratribus. In ipso, inquam, & per eum in Cisterciō; verùm post ipsum in aliis continuandum. Quod etiam demonstrabit Annalium series. Non enim ideò destituri ab opere, si Deo placeat, sumus: quin, eo auspice, vlteriùs progressuri, resumptis viribus; & QVARTVM TOMVM, eò maiori conatu, impulsiūve, quò propinquiores metæ continuaturi. Ad metam, inquam, quam nos nobis præscripsimus, quibus ita aperire viam visum, vt aliis peragrandam relinquamus, qui & defectus nostros in his, quæ scriptimus, quantumuis magnos, suppleant; & quæ non scripsimus, scribant pro dignitate. Præsta, ô Deus, vt qui in hoc TOMO Petrum vsque ad mortem, Guillelmum, vel post mortem, contra Hæreticos, qui Raymundi filios, in Saracenos, qui Arnaldum contra vtrosque præliantes, qua potuimus fide, propalauimus; subsequentem ab ipsis, & Tribunali Sanctæ Inquisitionis orto, & stabilito alterius sanguine, alterius, ex cælesti Curia missi, magnifica & potenti visitatione; in segetem copiosam, te præstante, sub alterius auspiciis surrecturo; reliqua ad tuam, & tuorum Sanctorum laudem, honorémque, atque nostrum, & legentium profectum prosequamur.

Finis tertij Tomi Annalium Cistercij.

APPENDIX

APPENDIX
AD TERTIVM
ANNALIVM
CISTERCIENSIVM
TOMVM.

HVIC etiam Tomo Appendicem libet subiungere, seriem imperitantium illis Familiis, quas illustriores continet, quæ ad vsque nostra tempora perducta leui calamo earum progressus pandat. Dedimus primum primis Cistercij sedibus: secundum his, quæ in Hispania nostra præcellunt; adiuncta Lusitana Militia, quæ prima dicitur Cistercium successisse. In tertio placet Monachum oblitis (nam nullos præfero, ne cæteros posthabeam) militem agere: atque sacræ Militiæ Calatrauæ Magistros Inclytos, quos præcedenti, desciscentes à nostris, & velut profugos, prudentes pertransiuimus; in hoc, reuersos, & susceptos materno gremio, officiosiores Orbi propalare. Nam qui hactenus illos luci dedit Rades Androdius, Hispanis tantùm: sed & his, quæ ipse tradit, multa, & certiora à nobis addenda erunt. Proferam & Huelguensis Monasterij Venerandas Antistitas, quòd earum imperium singulare: & ferè sine exemplo, quò rarius, mirabilius: & cæteris meretur anteponi. Dabit ergo hæc Appendix duplex miraculum, Cistercij vtrunque proprium, atque vtrunque ab Hispania illi proueniens; alterum belli tempora concernens, alterum pacis: illud, quòd Monachi imperauerint Militibus, (quod non alibi visum, auditúmve;) hoc, quòd Fœmina, Viris, (quod saltem rarum;) & quòd duorum Regnorum Sanctimoniales vnitæ in vnum corpus, per vnam, veluti Prouincialem Abbatissam, communem omnium Matrem, gubernarentur. Præcedere debuisset Calatraua, quia antiquior: sed dabit militari vrbanitate locum sacris Virginibus: cùm præcipuè inter illas multæ Regiæ, & quæ eo titulo possent anteponi.

SERIES

ABBATISSARVM S. MARIÆ REGALIS PRÒPE BVRGOS,

Quæ vulgò, de las Huelgas, *vocari ſolet.*

I.

MISOL.

MIcholem alij vocant, alij *Maria Sol*, ex Monaſterio *de Tulebrù*, aliàs *de Charitate*, Burgos adducta anno 1187. Fœmina prudens, & cui tantæ molis initia committi poſſent. Adduxit ſecum Sanctiam Aragoniam, Aragonenſium Regum claram progeniem, vix dum adultam, atque alias paucas; ſed ſelectas Sanctimoniales. Eodem anno Regium Monaſterium ab Alfonſo Caſtellæ Rege ſuſcipit, multis coram Principibus, Epiſcopiſque, inter quos primus Martinus Seguntinus, ex Abbate Hortenſi, per quem omnia ad Ciſtercij ritus, & normam, veluti per Magiſtrum, Patrémque, vice Abbatis Ciſtercij, diſponerentur. Eodem item Alfonſi Regis filiam, Infantiſſam Conſtantiam Habitu donat. Sequenti 1188. Martino eodem, ad Burgundiam, à Rege miſſo, Monaſterium Huelguenſe, totius Capituli generalis authoritate, in caput omnium Cœnobiorum Sanctimonialium vtriuſque Regni, Caſtellæ, atque Legionis, conſtitui impetrat: & ſubſequenti 1189. primùm ſeptem Abbatiſſarum Capitulum, de Perales, de Turre-Cremata, de Sancto Andrea, dicto *de Arroyo*, de Carrizo, de Gradeſes, de Cañas, & de Fonte-Calenti, in eo congregat; aſſiſtentibus tribus Epiſcopis, & ſex Abbatibus; quorum primi, Regiam; poſteriores, Abbatis Ciſtercienſis, Guidonis primi, (ſequenti anno donandi ſacra purpura,) & totius Capituli præferrent authoritatem. Varias difficultates in hoc ipſo negotio ſubortas vicit: & ſuperandis aliis Abbatem Ciſtercienſem (Guidonem ſecundum, qui mox in Cardinalem, & Archiepiſcopum Rhemenſem promotus fuit) à Rege Alfonſo, ad Hiſpaniam vocari fecit anno 1199. atque ipſo interueniente, Monaſteria de Perales, de Gradeſes, & de Cañas, ab obedientia Abbatiſſæ Tulebrenſis, cui iure filiationis ſubiiciebantur, abſolui curauit, addita publica, ſpontaneáque ceſſione, quam eadem Tulebrenſis Abbatiſſa, Conuentúſque, per Prioriſſam ad hoc miſſam ſpecialiter, Hortæ in manus Martini iam Exepiſcopi, coram Martino Pontifice Oxomenſi, & Abbatibus quinque ſolennizauit. Mox aliis quibuſdam ſuperadiũctis, æmulum Ciſtercienſis Imperij, Imperium ſtatuit, ſimili ſibi in Cœnobia fœminarum, ei, quam in Eccleſias Monachorum Abbas Ciſtercij habebat, impetrata ab eodem Abbate iuriſdictione. Regem, Reginámque, ſi contingeret Habitum mutare, Ciſtercienſem vtrunque induiturum; cùm decederent, ibidem ſepeliendos, per publicum inſtrumentum firmare vidit. Atque hæc, & alia egregia cùm peregiſſet, tandem plena dierum ex hac vita migrauit circa annum Chriſti 1203. plùs, minúſve, cùm ſexdecim eam Domum adminiſtraſſet. De ſepulcro non conſtat: ſed in Capitulo, inter alias Abbatiſſas iacere creditur.

II.

CONSTANTIA.

INFANS, Alfonsi Fundatoris Regis filia, quæ suo monachatu sacrauerat initia nascentis Domus, electa ad annum 1255. plùs, minúsve. Ardore animi, an muliebri imporentia, dubium: constat, voluisse supra sexum imperitare; & fœminam ad audiendas Confessiones Sanctimonialium, atque Euangelium illis exponendum misisse manum: ministeria exercentem solis Diaconis permissa, siue Presbyteris. Hanc in his omnibus nimiùm excedentem, Innocentius corripuit, anno 1210. & in non emendantem, duos Episcopos, Palentinum, nimirum, Burgensémque misit, qui vnà cum Abbate Morimundi, regiæ fœminæ audaciam coërcerent. Extant Litteræ adhuc in Regestis; & habentur in Iure, in c. *Nous quædam*. de pœnit. & remiss. Sequenti anno, Christi, nimirum, 1211. Ferdinandum Fratrem, Alfonsi Regis Castellæ primogenitum, ingentis spei iuuenem, non sine lacrymis totius Europæ, sepelit, primum Principem, sepultum in Regia Domo. Subsequenti 1212. insigni illa impetrata à patre victoria ad Nauas Tolosæ, amissi fratris ex parte mœrorem temperat. Atque in gratiarum actionem Festum instituit Triumphi Sanctæ Crucis, singulis annis ibidem celebrandum; inde ad alias Ecclesias transiturum. Eodem anno Regium Xenodochium, Alfonsi Patris opus planè regium, pro his, qui ad Compostellam (sacrum Iacobi Apostoli sepulcrum) peregrinantur, ab ipso suscipit: & Cistercien sibus Conuersis tradit administrandum, quos hodie insignit stemma Calatrauensium. Biennio pòst 1214. quò læta tristibus alternaret, fortuna varia Alfonsum, Eleonorámque (vtrunque parentem) paucos intra menses per mortem raptos, sepulcro intulit, quod ipsi sibi viuentes fabricauissent. Quin destinata funeribus suorum, fœmina pro mensura nominis Constans, intra triennium, anno 1217. Henrici Regis fratris, immatura nimiùm morte sublati, ex Palentia delatum cadauer excipit, cum patribus, & fratre sepeliendum. Interim ipsa non diu superuictura, ne Regia Domus careret germine Regio, Constantiam aliam, Alfonsi Legionis Regis filiam, suámque, ex Berengaria sorore neptem, Habitu donat. Demum, cùm annos quatuordecim præfuisset, vt habent antiquæ memoriæ eiusdem Domus, ante senectam obiit, circa annum Christi 1218. non sine insigni opinione sanctitatis, quam hodiéque conseruat, sepulta in sinistra Ecclesiæ naui, dicata Sancto Ioanni Euangelistæ, inter alias Reginas, & Infantes, quæ ibi iacent. Legitur hodiéque memoria fœminæ in Regula antiqua M. S. in cuius fine anniuersarium eius, inter alia, quæ ibidem celebrantur, honorificè satis commemoratur: NOBILISSIMA INFANS CONSTANTIA, FAMVLA DEI, ET VIRGO MVNDISSIMA, MONACHA SANCTÆ MARIÆ REGALIS, ET ABBATISSA, ILLVSTRIS ALDEFONSI REGIS CASTELLÆ FILIA. Notatur Æra 1281. sed quæ ad annum dotationis anniuersarij, non obitus videtur referenda.

III.

SANCTIA.

Cognomento, *Aragonia*, clara ex Regum prosapia, quam ex Tulebris cum Misole venisse diximus, electa, vt creditur, anno 1218. quo ipso suæ Domus confirmationem sub protectione Sedis apostolicæ, cum omnium possessionum, bonorúmque, expressione, ab Honorio Papa III. impetrat. Biennio pòst 1220. Ferdinandum, cognomento, SANCTVM, nouum Castellæ Regem, cum Berengaria matre hospitio suscipit: eundem in Huelguensi Ecclesia, propria se manu accingentem gladio videt: *apud Mariana lib. 12. c. 9.* Quòd nullus alius dignior, à quo fieret miles, inueniretur. Eundem coronatum ibidem manu Iacobi Apostoli, traditio est, cui Maurus Castella Ferrerius fidem facit: cæremonia, quæ Regibus Hispaniæ, & olim Compostellæ, & ab hoc anno Burgis apud Huelgas pro sacra, atque solenni vnctione fuit. Quippe vtrobique, & erat, & est hodie Sancti Imago brachia vtrinque conuertens, inuertensque, & manibus flexilibus, quibus semel acceptum Regni diadema, post omnes alias sacras cæremonias, dum Reges supplices adorabant suum Patronum, vltrò oblatum ab ipso suscipiebant, totius populi plausu, atque clamore. Extat Imago in Altari Ecclesiæ maximo, egregium planè, & graue monumentum venerandæ illius antiquitatis.

antiquitatis. Anno 1222. insigne Monasterium Sanctæ Mariæ de Vileña, septimo à Burgis lapide, ab Vrraca Regina Legionensi, Alfonsi Regis vidua, recèns constructum, atque amplè dotatum suscipit, Huelguensi subiiciendum, sicut & alia, & per Moniales ex Huelgis transmittendas inhabitandum. Et post sexennium Monasterium Villæ maioris, quarto lapide ab eadem Regia vrbe, quod Garsias Ferdinandi, & Maior Arias coniuges, Maiores domus Berengariæ Reginæ construxerunt. Facta charta Burgis 4. die mensis Martij, Æra 1266. quæ incidit in annum 1228. Biennio pòst, anno, nimirum, Christi 1230. confirmationem Regij Xenodochij, à Gregorio IX. Papa: sequenti, nimirum, 1231 insigne priuilegium à Ferdinando Castellæ Rege impetrat. Post triennium 1234. Beatricem Reginam, Philippi Sueui Imperatoris filiam, Ferdinandi vxorem, propera morte raptam, sepulcro donat: *apud eund. Marian. lib.* 12. *c.* 17. haud tamen in illo diu permansuram, sed post mariti mortem, Hispalim, simul cum ipso transferendam; & post quinquennium ann. 1240. Berengariam Infantem, ipsorum filiam, Fundatorum proneptem, in eodem Cœnobio Monialem sacrat: *apud eundem lib.* 13. *c.* 2. Demum anno sequenti, aut paulò pòst piè obdormit; sepulta in Capitulo, cùm annos plusquàm viginti præfuisset. Eius tempore, etsi annus nondum constat, Alfonsi, & Eleonoræ Regum corpora, Ferdinandi vtriusque nepotis iussu, in Chorum Monialium translata sunt; atque ibidem sepulta, vbi hodiéque visuntur humili tumulo, si ad tantorum Principum comparetur maiestatem.

IV.

MARIA PEREZIA I.

Cognomento, *Guzmaniæ*, clara ex prosapia Gozmanorum orta, electa circa annum 1240. plùs, minusve Propagauit Imperium simul cum vita, vsque ad 1256. (errant Tabulæ, quæ plures præfecturæ annos illi attribuunt:) intra quod tempus confirmationem priuilegiorum omnium, ab Innocentio IV. impetrat, anno 1245. quo item anno ex Abbatia de Gradefes, neptem suscipit, Sanctam Mariam de Ottero in Legionensi Diœcesi qua parte Astures diuiduntur à Castellanis. Inde & viuentes pergrato hospitio sæpiùs, & defunctas excepit sepultura insignes duas Reginas, alteram Legionensem, Aragonensem aliam, vtranque filiam illustrium Fundatorum, vtranque viduam, marito adhuc viuente; Berengariam, nimirum, & Eleonoram: illam iam dudum ab Alfonso separatam; hanc à Iacobo; quòd sanguine vtrique in prohibito ab Ecclesia gradu coniunctæ essent. Eleonoram longè ante decessum Huelguense Monasterium inhabitasse, & Monialem ibidem induisse sub Maria Perezia, sunt, qui affirmant. Reliqua præfecturæ eius ignota; nisi quòd tamen Alfonso Regi charam, plura, quæ ab eo obtinuit priuilegia testificantur. Ex Tabulis Huelguensis Ecclesiæ, & Regula antiqua manuscripta suprà citata, illustratam præfecturam eius constat Regis duabus fœminis, Constantia, & Berengaria; vtraque filia Regis Legionensis: sed an eiusdem, dubium. Quarum, ni fortè mendum irrepsit paginæ, talis memoria ibidem notata legitur. INFANTISSA CONSTANTIA, FILIA REGIS LEGIONENSIS, MONIALIS SANCTÆ MARIÆ REGALIS, ÆRA M.CC.LXXXV. Alterius verò: NOBILISSIMA, ET INCLYTA HVMILIS ANCILLA CHRISTI, DOMINA BERENGARIA INFANTISSA, MONIALIS S. MARIÆ REGALIS, ILLVSTRISSIMA DOMINI FERDINANDI REGIS CASTELLÆ FILIA. ÆRA M.CC.LXXXV.

V.

ELVIRA.

Cognomento, *Ferdinandi*, quam Tabulæ prætereunt: verùm ex instrumentis corrigendæ. Electa circa annum 1250. plùs, minúsve. Cuius tempore Alfonsus, cognomento, SAPIENS, Castellæ Rex, Eduardum, Anglorum Regum filium, in eodem Cœnobio, militari baltheo primùm, mox sorore Eleonora sponsa donauit; conseruata memoria vtriusque facti in quodam priuilegio, quo anno redditus piscium ad maritimum portum, *Laredum*, Cœnobio donat, ea ratione expressa: *Porque la primera vez, que vine à Burgos, despuas, que reyno vine ende Don Duarte, fijo del Rey de Inglaterra, è recivo de mi Caballeria en el dicho Monasterio, è tomo benediciones con la Infanta Dona Leonor mi hermana*, &c.

Facta charta Burgis, die 24. mensis Ianuarij, Æra 1293. quæ incidit in annum 1255. Biennio pòst, 1257. stabiliuit numerum Monialium, quæ vsque ad centum pertingerent; tum puellarum Nobilium educandarum in sæculari habitu, vsque ad quadraginta; & Conuersarum totidem; quarum hæ vltimæ Monialibus seruirent; illæ, cùm primùm adultæ, & pares essent disciplinæ monasticæ, in decedentium locum subrogarentur. Porrò hunc numerum à Berengaria Infantissa Sanctimoniali, atque ab Alfonso Rege, eiusdem Berengariæ fratre, firmari fecit, priuilegio expedito in Vrbe Regia, id est, Burgis, die 4. Nouembris, Æra 1295. quæ incidit in annum 1257. Post triennium, id est, 1260. quòd in Guidonem huius nominis tertium Cisterciensem Abbatem rebellasset, neque eius admisisset visitationem, in Capitulo generali extra communionem fidelium facta, atque non Abbatissa denunciatur, graui edicto, etiam aduersùs complices, atque lege in futurum promulgata, quam ex antiquo M.S. Fiterien si, Acta Capitulorum continente, Lector accipiat: *Peruenit ad audientiam Capituli generalis, quòd Eluira, Abbatissa S. Mariæ Regalis, prope Burgos, Dominum Cistercien sem Patrem proprium Monasterij supradicti ad officium visitationis admittere recusauit; &, quod absurdius est, per Procuratorem missum ad hoc nomine suo, & Conuentus sui, & Filiarum suarum vocem appellationis emisit. Nolens autem Capitulum generale temeta præsumptionis excessum sub dissimulatione transire, dictam Eluiram, & omnes personas Ordinis, quæ ei in huius præsumptionis crimine participauerunt, in excommunicationis, & depositionis sententias olim ab Ordine latas, & per Summum Pontificem confirmatas, denunciat incidisse. Cæterùm, cùm dictum Monasterium, & alia ex eo nata, vel ei filiationis nomine associata ad Dominum Cistercien sem, tanquàm ad Patrem, de iure pertineant, vniuersis personis Ordinis districtiùs inhibetur, ne dictorum Monasteriorum visitationibus se aliqualiter intromittant, exceptis illis, quibus Dominus Cistercien sis commiserit vices suas, vel quos Visitatores ab eo missi duxerint aduocandos.* Crediderim suetas visitari per Abbates Hispanos, vicinósque, quanuis ex Cistercien sis commissione, præscriptionem tentasse, vt non ab aliis, quàm ab illis visitarentur: quod etiam contigisse Calatrauen sibus, Tomo 4. Deo dante, dictum sumus. Sed conuictas, vt ipsos, dedisse manus, atque Eluiram, peracta pœnitentia, Ordini restitutam: nam decem adhuc annos superuixisse legitur, quibus in officio Abbatissæ perseuerauit.

VI.

AGNES.

Cognomento, *Laynez*, electa ad annum 1270. plùs, minúsve, cuius tempore Ferdinandus, Castellæ Princeps, Alfonsi cognomento, SAPIENTIS, Regis filius (&, si superuixisset, futurus hæres) immatura heu! nimium morte sublatus, filios, quos *de la Cueda*, nominarunt, exhæredes, parentem orbum, desolatum Regnum reliquit. perlato ad Huelguense Cœnobium funere, vbi se iussere antè sepeliri: *in Chronico Regis Alphonsi X. cap. 61.* Pro eo porrò, & cæteris Principibus, qui in Regia Ecclesia iacent, anniuersaria, solenni deuotione celebrari consueta, frequentant Regij Xenodochij Commendatores, atque Ordines, quos vocant *Mendicantes*, ex vrbe confluentes, celebraturi; & singulorum Manibus, propriis cuiusque diebus, parentatur.

VII.

MARIA.

Cognomento, *Gutierrez*, electa, vt creditur, circa annum Christi 1282. cuius tempore Monasterium de Auia cœpisse creditur, atque accessisse cæteris, quæ subsunt Abbatissæ Huelguensis gubernationi. Certè antiquius Barria, & recentius Vilena, hoc nobis loco, plùs minùs memorandum; sub dubio tamen; vtpote cuius fundationis instrumenta, aut penitùs non extant, aut à me non potuerunt inueniri. Præfecturam eius illustrasse legitur Infans Elisabetha Alphonsi Infantis, dicti, DE MOLINA, nobilis filia. Cuius in supradicta Regula, talis extat memoria, breuis, & humilis: DOMINA ELISABETHA INFANTISSA, MONIALIS, INCLYTI INFANTIS DOMINI ALDEFONSI DE MOLINA FILIA. ÆRA M.CCC.XXX.

VIII.

MARIA III.

Cognomento, *de Velasco*, ex clara Comitum Stabuli, vt vocant, seu Comitum Stabilium Castellæ, prosapia: cuius tempore Monasterium de Barria, 4. ab vrbe Victoria lapide distans, Nobilium Mendozarum largitate cœpisse creditur: sub eiusdem Abbatissæ, & reliquarum succedentium gubernatione. Hæc incrementa Huelguensis Monasterij per illa tempora, atque Imperij illius, quod in Regnis Castellæ, Legionisque pariter cum Cistercio propagabatur.

IX.

VRRACA.

Cognomento, *Alfonsi*, dubium, ex qua familia; sed certè nobili, Blancham Lusitanorum Regum filiam, vt Monialem ibidem profiteretur, interuentu Sancij Regis sollicitat: ann. 1295. qui fuit vltimus vitæ eiusdem Regis: dein persuasam, atque iam ipsam vltrò sollicitantem, & cum litteris Ferdinandi Regis venientem Habitu donat, anno 1302. nec multò pòst decessit, cessitve, vt eius loco Blancha iam Monialem professa, subrogaretur. Eius tempore cum Calatrauæ Milites abdicato capucio, authoritate Benedicti XIII. Pseudo-Pontificis, Crucem rubram subrogassent, Conuersi Xenodochij Regij dubitauerunt, an idem etiam sibi, veluti Cisterciensibus Conuersis, indultum esset: similibus per omnia vtrorunque initiis, nisi quòd alios bello hospitibus, alios fouendis, qui susceperant, Patres deputauissent. Abstinuêre tamen per multos annos, vt ex infrà dicendis apparebit.

X.

BLANCHA.

Infans, Dionysij Lusitani Regis filia, atque Constantiæ Reginæ Castellæ soror, Ferdinandum Regem, qui in Regio Xenodochio sibi ius aliquod temerè vsurpabat, plusquàm fœminea constantia vicit, & publico instrumento fateri fecit, neque se, neque Reges successores quicquam in Monasterio, Xenodochióve, aut eorum bonis, siue bonorum administratione, posse decernere: sed omnia ad Abbatissam, Conuentúmque, liberè administranda, iuxta ritus Cistercij, pertinere: additis execrationibus, si quis aliter tentauerit faciendum. Facta Charta Burgis, 15. die mensis Septembris, Æra 1343. quæ incidit in annum 1305. Quo ipso anno, Abbate Alcobacensi (Petro III. vt opinor) ad Burgundiam misso, cum litteris Regum Castellæ, & Lusitaniæ, ab Henrico Cistercij Abbate impetrat, vt vacante Abbatia dicti Cœnobij, cùm noua electio foret celebranda, liceat Monialibus, non expectato Abbate Cistercij, duos, vel tres vocare ex vicinioribus, qui electioni præsideant, & iuxta ritus Cistercij electam etiam confirment, & obedientiam aliis præstare faciant. Datum Cistercij, octauo Calendas Octobris, anno 1305. Quindennio pòst, ann. 1320. Maria Regina vxore Sancij IV. construente Vallisoleti Huelguense Monasterium, ad Huelgarum Burgensium æmulationem, vel reformante ad Cistercium, dotantéque, (nam sunt qui dicant antiquius sub nigro Habitu) Blancha Moniales ex Burgensi Cœnobio misit sub Abbatissa Maria de Valle viridi, nobili haud dubiè fœmina, atque Matre futura multarum Virginum, claro sanguine ortarum, verùm pietate longè clariore. Itaque Huelgæ Vallisoletanæ, titulo fundationis, Burgensium Filiæ; sed nihilominùs ab initio ab eis exemptæ, soli Abbati Cistercij primis temporibus, sed ab anno 1482. generali obseruantiæ subiectæ manent. Post duodennium, ipsa præsidente, in eodem Cœnobio inaugoratur Alfonsus XI. vnà cum vxore, quos Iacobi Apostoli Imago, dum brachia, & manus extendit, versátque, insigniuit corona, vt olim Ferdinandum Alfonsi auum. Ante obitum abdicasse baculum creditur: nam anno 1333. gubernabat Maria, ipsa viuente. Eius tempore infelicis Infantis Petri Sancij, cognomento, *Fortià*, Alfonsi XI. patrui, tutorisque, cùm in prælio, contra suos magis, ne fugerent, quàm contra Saracenos, ne sequerentur, occubuisset; corpus

pus Burgos delatum in Ecclesia Huelguensi sepultum est, non sine Blanchæ lacrymis, quas tam ipse, quàm Ioannes alius Infans, Alfonsi cognomento, *Sapientis*, filius, (qui cum Petro de tutela contendisset,) simili casu extinctus, extorquebant ab omnium oculis, nedum à pia Virgine, & quæ vtrique coniuncta sanguine esset. Porrò ipsa Blancha expletis aliquot annis in Abbatiæ munere, tandem defuncta iacet in ipso Choro Sanctimonialium ad latus Epistolæ è regione Altaris, quod Beatæ Virgini ibidem sacratum visitur.

XI.

MARIA IV.

Cognomento, *Gonzales*, ingentis virago animi, & quæ, vt sui Monasterij iura defenderet, nullum periculum subire recusaret. Misso abs Rege Alfonso nobili Viro, qui Xenodochio, Commendatoris maioris (sic enim vulgò vocant) titulo præesset; ipsa præueniens, & Domum antè ingressa, Monialibus cum paucis, fores occlusit: & venientibus ex Regia Vrbe Consulibus, Regis mandata effectui mancipaturis: occlusis foribus, neque nisi per ipsam patere aditum, ad infringenda Cœnobij sui indulta, constanter clamans: re omninò infecta, redire fecit. Mox ad Regem Alfonsum Legatos mittens, atque ipsa indulta Regum, quibus insisteret, non priùs destitit, quàm factum reuocauerit priuilegio expedito Hispali, 12. die mensis Decembris, Æra 1371. quæ incidit in annum 1333. Quo Rex non solùm omnimodam Xenodochij Regij curam, & administrationem illi confirmat; sed factum ipsum narrans, Abbatissæ Mariæ constantiam laudat; & se, quòd minùs prouidè fecisset, maturiùs reuocasse, fateri non erubescit. Ipsius tempore idem Alphonsus Rex coronam Regni in eodem Cœnobio suscipit, sacra peragente Archiepiscopo Compostellano, assistentibus quatuor aliis Episcopis, & Monialibus Officium decantantibus, *in Chronico Alphonsi XI. cap.* 103. postridie Rex nobiliorem pubem totius Regni, militari, pro more Castellæ, baltheo donat, donaturos & ipsos alio honore simili, producta ad biduum vsque solennitate *ibid. cap.* 104. & 105.

XII.

STEPHANIA.

Cognomento, *Fuente-Almexi*, electa anno 1368. cuius tempore Henricus, Castellæ Rex, cùm rerum, superato fratre, potitus esset; regio diademate Huelgis coronatur, anno 1370. diadema, quod caducum timebat, quia violentum, de manu Apostoli stabilius accepturus, sequenti, nimirum, 1371. annuos redditus, pingues pro illo æuo, Monasterio assignat, addita causa: *Porque el dicho Monasterio es fechura, y limosna de los Reyes, de quien nos venimos; e por razon de que nos recebimos la honrra de nuestro coronamiento en el Altar de Santa Maria la Real del dicho nuestro Monasterio*, &c. Facta charta Burgis, 24. die mensis Nouembris, Æra 1419. quæ incidit in annum 1371. Post annos octo Ioannes huius nominis primus, Henrici filius, paterno funere procurato (*ait Mariana lib.* 18 *cap.* 2.) Burgis, in Holgarum templo, Regni coronam suscepit, anno salutis 1379. ætatis suæ 21. Quo eodem tempore in eodem Monasterio, centum nobilissimi iuuenes baltheo militari donati sunt. Eiusdem Stephaniæ Abbatissæ tempore (vt habent Tabulæ Huelguensis Monasterij) NOBILISSIMA INFANTISSA, DOMINA BLANCHA, ANCILLA CHRISTI, FILIA DOMINI PETRI INFANTIS, MONACHA SANCTÆ MARIÆ REGALIS, ÆRA M. CCCC. XIV.

XIII.

VRRACA.

Cognomento, *de Herrera*, vel perditis temporibus, suæ domus imperium propagatura. Quippe sub illa Huelguense Monasterium noua adhuc prole auctum, Abbatia de Renunzo, quam Ioannes huius nominis primus, Castellæ Rex, altero ab vrbe lapide, constituit,

construxit, atque multis dotauit possessionibus, quibus Moniales possent sustentari, quas Huelguensi Monasterio subesse voluit. Charior haud dubiè filia, præ cunctis aliis: siue, quia natu minima, (vt Benjamin in fratribus: sic & ipsa in duodecim sororibus:) siue loco proximior, cóque aptior foueri matris gremio: seu tandem pluribus periculis obnoxia, tum bella, tum incendia, atque ex his varias Monialium migrationes passura erat. Titulus ab aduocatione Sanctæ Mariæ, non tamen diutiùs, quàm locus permansurus. Sunt, qui hanc Domum antiquiorem faciunt: neque Ioannem illius authorem putant: sed reædificatorem: cùm anteà à quadam nobili muliere, ex clara Sarmientorum familia fundata esset. Res in ambiguo, & combustis instrumentis antiquis domus, coniectari faciliùs, quàm affirmare. Reliqua Vrracæ, caligo antiquitatis, & temporum incuria subtraxêre. Nisi quòd tamen ipsius etiam tempore, in eodem Cœnobio coronatur manu Apostoli idem Ioannes secundus, vltimus Regum, qui sacram hanc cæremoniam continuarunt.

XIV.

VRRACA.

Dicta, *de Orozco*, cum Senatu Burgensi super quibusdam aquis diutiùs litigat: & tandem voti compos priuilegium ab Henrico III. cognomento, VALETVDINARIO, impetrat anno 1396. calamitosa haud dubiè tempora nacta deformato Cistercio per totum Orbem, atque gemente sub Commendarum turbine: cùm neque Abbates Iacobus, Ioannésque: ille tertius, hic sextus, dum aliis implicantur, per se possent: neque in Hispania haberent, cui committerent Regij, Cœnobij, & ab eo dependentium reformationem.

XV.

IOANNA.

Cognomento, *de Zuniga*: cuius memoria extat circa annum Christi 1404. & 1408. confirmato abs Ioanne priuilegio, in Senatum, & Consulem Burgenses super fluminis aquis, quas longo vsu obtentas, captásve, Henricus Monasterio antè firmauerat: neque alia re memoranda nobis existit. Eius, an, quæ ei successit Mariæ tempore, cùm Conuersi Hospitalis minùs obedientes (nam rebelles non putem) inuenirentur, & annuos fructus Regij Xenodochij subtractos pauperibus in proprios vsus cœpissent applicare: post longam litem condemnati sunt anno 1429. vt moderatis expensis, sibi retentis, reliqua in peregrinos semper insumerent: & redderent rationem per annos singulos Abbatissis Huelguensibus: à quibus ad standum mandatis compellerentur.

XVI.

MARIA V.

Cognomento, *Guzmania*, cui Ioannes II. Rex Xenodochium confirmat, insertis omnibus, quas hactenus obtinuisset pro Cœnobio, confirmationibus. Longa lis illi cum duobus Abbatibus Ioanne, Petróque, qui electis, authoritate Abbatis *de la Spina*, Visitatoris (quo iure, qua iniuria) Sanctimonialibus Monasterij Turris-Crematæ, quòd laxè nimis viuerent; Monachos subrogare, & se ipsorum Abbates appellare non dubitabant. Et victo Ioanne coram delegato Iudice, succedens Petrus, non nisi per Capitulum nouæ Congregationis, quæ in Castella tunc recèns emergebat, vincendus fuit. Tum verò ipsa Turrem-Crematam adiens: & seu Moniales meritò electas, neque dignas restitui cognouisset: seu, se ab omni affectu prorsus immunem, & solius reformandæ domus cupidam ostendere satagens: neque ex eis, neque ex aliis sibi subiectis præficiendam elegit nouam Antistitam: sed ex Sancti Quiritij Monasterio ad Vallisoletum, quod tunc præ aliis florere putabatur. Itaque Sanctio Bugerensi Abbate sibi adiuncto (neque enim vnquam sine Abbate visitabat, aut iura dabat Cœnobiis sibi subiectis)

Catharinam

Catharinam Martini de Bonilla Abbatissam præfecit, sub qua Domus deserta restitueretur. Extant litteræ in eodem Cœnobio datæ die 19. mensis Iunij, anni 1437. Huius, an eius, quæ ei successit, tempore, Monasterium ad oppidum Renunzo non multò antè constructum, bello inter Nauarræos, & Castellanos acriter desæuiente anno 1449. vastatum est; Monialibus ad Huelgas confugientibus, atque ibidem seruatis. Quoadvsque proprio loco, rebus compositis, in pace restituerentur. Ferunt Moniales vndequaque hostibus cinctas, exiisse per fossam subterraneam, pactis induciis breuibus, dum cymbalium, quo ad Chorum conueniebant, ab vna ex Conuersis Monasterij pulsaretur. Sed prorogato nimiùm spatio illo, cùm hostes irrumperent, & se illusos viderent, doleréntque, acriùs in fœminam residuam desæuiisse.

XVII.

MARIA VI.

Dicta, *de Almenarez*, Monasteriorum sibi subditorum reformationi incumbit, zelo, an timore, ne reformanda, iam tunc non parum dilatatæ in Castella, Legione, Galleciáque generali obseruantiæ committerentur. Scribit Ioannes huius nominis VIII. Cistercij Abbas, omnia, & singula, rationabiliter, & secundùm Ordinis regularia instituta, ab ea ordinata, aut ordinanda, suarum litterarum serie ratificans, & confirmans: & singulis Cœnobiis, ei subiectis, in mandatis dans, quatenus eiusmodi instituta, & ordinationes conseruent, & obseruare nullatenus omittant. Datum Cistercij, sub appensione sigilli, die 14. mensis Septembris, anno Domini 1456. Huius tempore Monasterium Sanctæ Mariæ Regalis de Renunzo non multò antè vastatum Moniales profugas recepisse iterum dicitur; cùm per nobilem Virum; sed ignotum, nec sine illustri, & cœlesti admonitione largiter restitutum, in melius commutasset habitationem. Naufrago fertur apparuisse Imago Christi in Cruce pendentis, atque imperantis ventis, maríque, quoadvsque omnia in tranquillum conuerterentur. Tum verò ipse, velut, qui instantem mortem euasisset, promisisse liberatori suo, vbicunque inueniret eius Iconem, ei, quam viderat, similem constructurum Ecclesiam, in qua decenter, religioséque collocaretur. Hinc multis locis lustratis per longum tempus, tandem in Monasterium semidirutum, casu, an consilio, dubium, incidisse; vbi reperta Imagine, & constructisse templum, & restauratsse Monialium habitationes. Demum in tanti miraculi memoriam, templi parietes, palmis repleuisse; quibus nec propria, nec maiorum suorum stemmata; sed solius Christi nomen referentibus, ipsum totius operis authorem, venturis sæculis religiosè profiteretur. Hæc ex eiusdem Cœnobij traditione.

XVIII.

VRRACA.

Dicta, *de Orosco*, quam constat præsedisse ad annum 1474. Eius tempore conceptam ab ipsis dudum Habitus mutationem, Calatrauensium instar, exequentes, Conuersi Hospitalarij, qui Regio Xenodochio ad Huelgas præfecti erant, exuerunt capucia, & similes assuerunt vestibus Cruces: addito aureo castello, Regum Castellæ insigni, per quod se Regis veluti Officiales ostentarent: sed resistente Militia Calatrauæ, Crucem deponunt, conseruato castello, quod solùm illis, sine alia authoritate, per annos aliquot, pro Habitu Religionis fuit. Sic tempora ferebant: nec erat, qui obuiaret serpenti malo.

XIX.

EVA.

Dicta, *de Mendoza*, cuius memoria extat anno 1498. cuius tempore Conuersi Hospitalarij, quam semel deposuissent, Crucem rubram, Calatrauensi similem, per subreptionem à Iulio II. impetrant: quasi ab Alfonso VIII. Castellæ Rege, illuc ex Calatraua adducti fuissent: sibíque reassumunt, annuente Ferdinando Rege Catholico, qui tunc Calatrauæ Militiam administrabat. Addito tamen castello in medio Crucis, per

quod

quod à militibus faciliùs discernerentur. Ita vtrique excuculati penitùs, dum quod sunt, non appareant, quodcunque aliud omninò videri malunt.

XX.

ELVIRA II.

Infans, Regum Nauarræ, filia, cuius notitia ad annum 1508. & sequenti 1509. quo priuilegia à Regibus concessa, præcipuè redditualia, à Regina Ioanna Ferdinandi, & Elisabethæ filia, Philippi PVLCHRI coniuge, confirmari impetrat, Vallisoleti die 2. Nouembris, anno 1509. reliqua præfecturæ eius ignota; adeò vel Regij sanguinis splendorem poterat obscurare incuria temporis. Extat tamen memoria eius in Regula, honorifica satis, vbi & præfectura, & Regis Nauarræ nomen commemorantur. OBIIT ELVIRA, ABBATISSA SANCTÆ MARIÆ REGALIS, FILIA DOMINI PETRI REGIS NAVARRÆ, VIRGO PRVDENTISSIMA, ET SAPIENTISSIMA. ANNO DOMINI M.D.VIII.

XXI.

BERENGARIA.

Cognomento, *de Velasco*, ex Comitum Stabilium clara familia, de qua nihil, præter nomen, & tempus dubium: nam neque certus annus constare potest.

XXII.

VRRACA.

Cognomento, *Henriquez*, incertum, qua ex familia genita fuerit, quanuis cognomen prodat fuisse illustrem.

XXIII.

IOANNA.

Cognomento, *Guzmania:* quas omnes ante annum 1517. præfuisse constat: nec quid aliud de eis potui inuenire.

XXIV.

THARASIA.

Cognomento, *de Ayala*, regebat anno 1517. quo ei scribit Leo Papa X. Laxamenta plerunque paupertas sequitur; sed & paupertas, maximè in fœminis, laxamenta conciliat: & dum quærendis necessariis vacant; ad illicita etiam se extendunt. Vtrunque agnouit Tharasia, doluitque; & res, si posset, ad pristinum statum restitutura, impetrauit à Pontifice, vt in Carrizo (id ditius Monasterium) non vltrà triginta; inde Gradefes, de Cañas, de Vileña, de Villa-maiori, & de Sancto Andrea, ad viginti: in reliquis ad duodecim tantùm sustentarentur. Neque hic numerus posteà augeri posset, sine ipsius licentia, aut reliquarum, quæ eius tenerent locum.

XXV.

MARIA.

Cognomento, *Sandovalia.* Frequentes morbi, frequentia remedia petunt: sed & ab illis, si fortè minùs congruant, crescere solent. Cistercij Abbates, dum aliis distrahuntur, & ad hæc remotiora minùs attendunt, crescere Huelgis non tam permittebant, quàm

vitate non poterant: & Catholici Reges zelo accensi, nec Monachis fidentes, quia profanis; dum sæcularibus visitandam committunt Domum, grauant magis, quàm formanti & ab ignaris, incentiua morborum applicantur, non medicinæ. Petitum à Maria est, ne visitari, reformarive, à delegatis, nisi aliquo ex Abbatibus Cistercij adiuncto, possent; per quem Episcopus, seu quis alius esset, de certioribus remediis, vtpote per peritum, edoceretur: atque concessum à Clemente VII. *viua vocis oraculo*: cui Laurentius Cardinalis Episcopus Prænestinus fidem facit; Romæ apud Sanctum Petrum IV. Idus Martij anno 1526. Quo & Conuersi Hospitali Regio præfecti, scrupulis adacti, quòd Crucem rubram, Calatrauensi similem, per suggestionem falsi, à Iulio Papa II. impetrauissent, supplementum à Leone petunt, & impetrant, Litteris expeditis super hoc, Romæ apud Sanctum Petrum 16. Kalendas Maij, Pontificatus ipsius anno 8. Christi, nimirum, 1526. Hactenus gesta sub Maria Sandoualia. Successit

XXVI.

ELEONORA.

Cognomento, *Mendozia*, cuius, præter nomen, exigua memoria superest: & temporibus illis calamitosis, occultari præstabat fortè, quàm sciri. Legitur tamen obtinuisse in causa contra Conuersos, qui regio Xenodochio præfecti erant, vt omnia, & singula officia, & ministeria, quæ pro vtrorunque bonorum meliori regimine, per eos, & inter eos distribuebantur, Abbatissarum subessent electioni; neque vlli alij, nisi ab eis nominandi, præfici possent.

XXVII.

MARIA.

Infans, cognomento, *Aragonia*, ex Moniali Augustiniana, ad oppidum de Madrigal, insignis fœmina, Ferdinandi Regis, cognomento, CATHOLICI, filia, circa annum millesimum quinquagesimum quadragesimum, sub qua haud dubiè, si diutiùs superuixisset, multa potuissent in melius reformari. Eius tempore visitatum lego Conuentum à Palentino Episcopo, Ludouico, cognomento, *Cabeza de Baca*, & Statuta multa, per quæ collapsa disciplina, in quantum fieri posset, restitueretur. Sed, an Abbatem acceperit Collegam, monumenta non produnt: quanuis non aliter visitari posse, recens indultum, non illicò violandum credendum venit. Sed deuotione (neque enim pertinaciam audeam dicere) in primam vocationem, nonnihil à se auertit Monialium animos; retento habitu, quem semel suscepisset, adeóque quam non Matrem, sed veluti Nouercam, quia à sua professione alienam, arbitrarentur. Iacet in Naui Sanctæ Catharinæ, iuxta sepulcra Petri, Manuelísque Infantum Castellæ, filiorum Regis Sancij, sub lapide pauimento ipsi infixo, cui nomen eius inest; sed nomen solùm.

XXVIII.

ELEONORA.

Cognomento, *Sarmiento*, Comitum Salinarum filia, quam circa annum 1545. sedisse constat: sed nulla alia notitia clariori. Nisi quòd tamen electione eius cassata; siue ipsa deposita, aut cedente, ad Villæ-maioris Monasterium transiisse dicitur, priuatam vitam ibidem peractura; sed honorificam, & pro dignitate; post mortem tandem ad Huelgas reducenda. Sepulta iacet in Capella dicata Virgini Mariæ, sub illius Rosarij aduocatione, quam ipsa sibi viuens fabricauerat, superposito titulo, in quo tamen decessisse anteà legitur, ni fortè mendum inest transcriptioni: LA MVY ILLVSTRE SENORA, DONA LEONOR SARMIENTO, ABBADESSA, QVE FVE DESTA REAL CASA, HIZO TODA LA OBRA DESTA CAPILLA, EN QVE ESTA SEPVLTADA. FALLECIO A X. DE IVNIO, ANO DE M.D.XLI. HVELGVE EN PAZ.

XXIX.

XXIX.

ELISABETHA.

Cognomento, *de Nauarra*, Comitum de Lodosa filia, quæ præsidebat circa annum 1551. Electa aduersùs aliam, (de qua non constat,) cui Carolus V. Imperator regimen Domus committi procurauisset: ita ferebant tempora; & dum vtrique Religionis zelum obtendunt; nec Principes potentiæ suæ parcebant, etiam in sacras Virgines; nec Principibus illæ obtemperabant. Iacet in Capella, quam vocant Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, fabricata ab ipsa: nullo tamen sepulcro, præfixo titulo.

XXX.

CATHARINA.

Dicta, *de Sarmiento*, cuius memoria extat circa annum 1560. & cuius tempore anno 1569. celebre Monasterium Sanctæ Mariæ Regalis de Renunzo, circa finem Augusti, miserabili incendio conflagrauit; adeò vt vix Eucharistia sacrosancta, & Deiparæ Imago, vulgò, *la Serrana*, flammis exempta, vniuersa supellex residua foret. Moniales ab incendio Burgos adductæ, primùm Huelgis in materno sinu receptæ; mox extra muros Vrbis ad Sanctum Petrum collocatæ decenter, occasione Imperialis Xenodochij, quod incolebant, atque oppidi, vnde venerant, nouæ suæ habitationi fecerunt nomen, *La Imperial de Renunzo*, in qua per multos annos perseuerarunt.

XXXI.

AGNES II.

Cognomento, *Manrique*, Anagari, vt ferunt, Ducum filia, cuius extat notitia ad annum 1570. Ei scribit Philippus II. Rex, & Reginam priùs, quàm vrbem Burgensem ingrediatur, adituram Huelguense Monasterium, iuxta pristinum morem, atque ibidem pransuram, audito Sacro, admonitam iubet, Litteris datis Matriti decimooctauo Octobris, anno 1570.

XXXII.

FRANCISCA.

Cognomento, *Manrique*, Marchionum Auilarensium clara propago, cuius extat notitia circa annum Christi 1572. ei scribit Nicolaus Boucherasius, Cistercij Abbas, atque vniuersum Generale Capitulum Cistercij celebratum anno 1573. & potestatem, quam tam in filiationes, quàm in Commendatarios, Capellanos, & alios habet, illi confirmat: addens, vt, cùm necesse fuerit, vti aliquibus censuris in supra dictos sibi subiectos, Pater Confessarius eiusdem Monasterij, ab Abbatissa requisitus, possit eas promulgare, & intimare, in plenaria Ordinis potestate. Datum Cistercij in diffinitorio Capituli generalis, die 21. Aprilis, anno millesimo quingentesimo septuagesimotertio. Extant & aliæ eiusdem Nicolai Abbatis litteræ, in quibus quædam alia illi, atque item Consororibus in Huelguensi Cœnobio constitutis indulget. *Quoniam propter locorum distantiam non posset ipse in eo frequens adesse.* Datum Diuione, in Ædibus Cistercij, die 9. Octobris, anno 1581.

XXXIII

ELEONORA.

Cognomento, *de Castilla*, Petri Regis, cognomento, CRVDELIS, propago. Vltima omnium, quas *perpetuas* appellabant, id est, quæ eligebantur, baculum vsque ad mortem retenturæ. Decessit anno 1587. cuius tempore Oxomensis Episcopus Don Se-

bastianus Perez, vnà cum duobus Abbatibus selectis ex obseruantia Hispana, visitauit Cœnobium, & multa voluit in melius reformari, quæ statim obseruata, postmodum ad antiquum reuersa sunt. In Regij Xenodochij Commendatarios præcipuè tentatum, quos à Conuersis, in Milites transiisse, atque habitu, & sericis indumentis, authoritatéque, referre sæculares, obtinuerat vsus diuturnus satis: & dispersi per Cœnobia Cistercienſia, designatis redditibus, de quibus alerentur, quandiu viuerent; subrogatis aliis, qui modestiorem viuendi normam hauirent. Sed hoc etiam breui retrocessit; & Commendatarij restituti suis sedibus, vsque in hanc diem immoti perseuerant. Huius tempore (quanuis sint, qui ad Franciscæ, quæ immediatè præcessit, tempus referant) antiquum Monasterium Fontis-Calidi, hactenus in deserto loco situm, ad Arandam translatum, atque intra mœnia Vrbis locatum est, non sine ipsius vrbis acclamatione.

SERIES
ABBATISSARVM TRIENNALIVM,
AB ANNO DOMINI M.D.LXXXVII.

I.

AGNES.

COGNOMENTO, *Henriquez*, Antelatorum Castellæ Maiorum filia, ad triennium electa anno 1587. cùm priùs iuramento firmasset, se baculum post triennium expletum, depositurum. Sequenti anno 1588. sacrarum Virginum Conuentus de Renunzo, qui ante nouendecim flammis exhaustus, Burgos ad Sanctum Petrum habitabat, velut precariò: in opposito suburbio eiusdem vrbis, extra portam, quam vocant *Sancti Ioannis*, ingenti comparatas ære, sedes obtinuit, ad quas translatus est, sub Agnete Manriquia Abbatissa, Huelguensis consobrina; quæ clarum genus, virtutibus heroicis; virtutes magnitudine animi æquabat. Porrò Henriquezia, collocatis filiabus in propriis sedibus, quod reliquum præfecturæ, administrauit egregiè, cessitque expleto suo triennio, cùm posset facilè, qua potentia apud exteros pollebat, qua gratia apud Moniales, imperium vsque ad mortem prolatare. Quippe triennem tantùm præfecturam, eatenus non visam, etiam illæ, quæ ambiebant, auersabantur.

II.

BEATRIX.

Cognomento, *Manrique*, Franciscæ trigesimæ secundæ Abbatissæ perpetuæ soror, electa anno 1590. Et scribit Philippus II. Rex, Melgarij die 4. Septembris, anno 1592. cùm Burgos ingressurus, priùs ex more Huelguense Monasterium adire vellet. Et est porta, quam Regiam appellant, cocto ex latere clausa per totum annum, quæ solis Regibus patet ingressuris, cùm exierint, statim occludenda. Triennio expleto, non diu superuixit, iam grauis annis, & digna meliori vita. Eius tempore, anno, nimirum, 1592. Virginum Monasterium, ad Turrem-Crematam, cùm extra oppidum, fluuio etiam diuisum, infestationibus pateret prætereuntium; fortè & incolarum, qui vbi minùs videntur, magis audent; ad vrbem Palentiam translatum est, atque ibidem intra mœnia eius receptum, ingenti ciuium, Ecclesiasticorúmque, atque ipsarum Monialium gratulatione. In translatione feruntur asportasse Monachi Sancti ossa, quem ibidem à sacris confessionibus, primis illis temporibus habuissent: & claruisse miraculis, vetus Monialium traditio asseuerabat.

III.

III.

IOANNA.

Cognomento, *de Ayala*, electa anno 1513. Altare, quod *privilegiatum* vulgò vocant, cùm à Clemente VIII. petiuisset; Pontifexque, quo erat à nimia indulgentiarum facilitate auersus animo, recusaret concedere; ferunt, qui eius nomine petebat, Cardinalem Aldrobandinum obiecisse Clementi, velut per iocum: Abbatissæ Huelguensi nihil negandum, quæ adeò præemineret cæteris fœminis, vt in Hispania in prouerbium penè transierit: Si Pontifex consortem habere posset, non vllam aliam inueniri digniorem tanto fastigio. Nec dedignatum, seuerum aliàs Virum, dicterium gentis, quod dignitatem fœminæ, atque Huelguensem potentiam indicaret. Quin æquum iudicasse, vt accepto indulto, quod postulabat, à cæteris, vt dignitate maior; ita exaudiri dignior discerneretur.

IV.

AGNES.

Cognomento, *Henriquez*, cùm sexennio vacasset, electa iterum anno 1596. cuius tempore Monasterium *de Perales*, cùm nimio laxamento propè fatisceret, Vallisoletum translatum; & Monialibus per alia loca dispersis, atque pro illis aliis subrogatis, eximiæ reformationi Sanctimonialium, quæ hodie ad multa alia loca, etiam vltra Hispaniam, diffusa viget, in Monasterio Sanctæ Annæ dicato, authoritate Camilli Caietani, Clementis VIII. de latere Legati, initium dedit: litteris expeditis Madriti 16. Kalendas Septembris, anno 1599. Agnes ipsa triennio secundo expleto, nec diu superstes, piè obdormit, sepulta in Capella in ambitu Cœnobij, sub lapide inciso ipsius nomine. Ferunt, cùm post tredecim annos, nimirum, Christi 1612. plùs, minúsve, Annæ Austriacæ, quæ tunc Domui præsidebat, iussu, sepulcrum reuelaretur, corpus Agnetis, incorruptum, illæsúmque, nec sine aliis signis sanctitatis inuentum esse; mirantibus Monialibus, quæ spectaculum videre non sine lacrymis, quas charitas in Matrem, deuotióque excutere potuerunt ab omnium oculis.

VI.

IOANNA.

Cognomento, *de Ayala*, cùm triennio vacasset, electa iterum anno 1599. selectas ex cunctis suæ obedientiæ Monasteriis Sanctimoniales, pro noua reformatione fundanda, Vallisoleti congregat, & reformationis ipsius leges, ritúsque, ad antiqui, & primitiui Cistercij normam, viris doctis, & piis condendas committit: quas tamen ipsa non potuit publicare morte præuenta, non sine lacrymis Sanctimonialium. Quarum erga se amorem, charitate materna, & multa humanitate conciliauerat.

VI.

MARIA.

Cognomento, *Nauarra*, electa anno 1601. post triennium expletum vacauit Sedes ad annum, occasione venturæ visitationis. Translationem Monasterij *de Perales* ad Vallisoletum, instituendæ in loco reformationi, à Clemente VIII. confirmari impetrat, litteris datis Romæ apud Sanctum Petrum die 19. Nouembris, anno millesimo sexcentesimoprimo. Pro eisdem Monialibus reformatis, Constitutiones editas à Reuerendis Patribus, Gaspare de Vveda, & Augustino Lupezio, Monachis Obseruantiæ, per Dominicum Gymnasium, Archiepiscopum Sypontinum, Clementis VIII. de latere Legatum, firmari facit, Vallisoleti die 9. Aprilis, anno millesimo sexcentesimoquarto. Quo item anno sub eisdem legibus, quanuis sub proprij Episcopi obedientia, Malacæ Monasterium Virginum cœpit, nullis ex Vallisoletano missis Monialibus; sed æmulatis Ob-

seruantiis omnibus,forma,& materia vestium,cæteríque, atque ipsa Beatæ Annæ aduocatione. Maria porrò tempore sui regiminis expleto,nec diu superstes in senectute bona sepulta est,fœmina spirituosa,neque indigna reassumi, si superuixisset.

VII.

FRANCISCA.

Cognomento, *Villa-Mizaria*, electa anno 1605. præsidente electioni, & Domum, vt ferebant, visitaturo Episcopo Calaguritano, *Petro Manso*; quæ tamen visitatio protensa per annum integrum, & paucos adhuc menses oneri magis, quàm vsui Cœnobio fuit. Quo ipso anno Paulus Papa V. nouam reformationem Sanctimonialium, Constitutionésque pro Monasterio Sanctæ Annæ Vallisoleti ante triennium editas, apostolica confirmauit authoritate; atque ad alia Monasteria fundata, seu fundanda,quæ reformationem amplecti cupiant, extendit, Romæ apud S. P die 7. Ianuarij, anno 1606. cùm paulò antè opinione sanctitatis Virginum earundem vndequaque diffusa, Toleti aliud Cœnobium, sub legibus eisdem, & Beatæ Mariæ, vulgò, *de la Assumpcion*,aduocatione, per Moniales Sanctæ Annæ surrexisset,cui Vrsula,cognomento, *de Christo*,ex Ranunzo olim missa,præfecta fuit.

VIII.

IOANNA.

Cognomento, *de Leyua*, electa anno 1608. cuius tempore triennales Abbatissas pertæsæ Sanctimoniales,vt perpetuitatem decentiùs reuocarent, siue diuisæ in partes, (vt solet fieri,) & neutra prævalente, ne alia vinceret, vtraque communi consensu, *Annam Austriacam*, tunc Augustinianam,optauerunt Antistitam, & tandem impetrarunt; Philippi III. fratruelis eius ascensu, interuentúque; & Pontificis Romani authoritate. Anno secundo præfecturæ Ioannæ,Monasterium de Auia,simili ex causa, quæ ad alia transferenda antemouisset, ad vrbem Calceatensem translatum est; vbi hodiéque manet, reformatum in melius illustris Virginis Catharinæ *de Zuniga*, ex Cœnobio Huelguensi, quæ translationi præfuit, sollicitudine. Sub ea item reformatio Virginum ad Vallisoletum, noua prole adaucta, Elboram (*Talauera* nos vocamus) Conuentum misit, sub Augustina dicta *à Conceptione*, prima Abbatissa, sub qua Cœnobium creuit non multos intra annos vtrisque bonis.

IX.

ANNA.

Cognomento, *Austriaca*, Ioannis Austriaci, Philippi II. Fratris, Imperatoris Caroli V. filij. filia,ex Monali priùs Augustiniana ad oppidum *de Madrigal*, mutato priùs habitu, atque facta solenni professione iuxta ritus Cistercij; tandem eligitur ad annum 1611. plùs, minúsve. Præfuit annis 18. in quibus Domum egregiè administrauit. Philippo III. chara, à quo, & à Margarita Regina visitata non semel, & continuata antiqua cæremonia,vt quoties illuc irent, priusquàm vrbem,(nimirum, Burgensem,) Cœnobium, & non nisi per portam illam,solis Regibus peruiam,ingrederentur. Anno 1624. pro inquirendis virtutibus, miraculisque Inclyti *Alfonsi Regis*,vt in Diuorum album coopraretur,Litteras impetrauit ab Vrbano VIII. atque negotium eò vsque promouit, vt si diutiùs vixisset, vix interuentu eius perficiendum dubitaretur. Zelo,an potentia (vtroque enim pollebat) plùs aliquid in Monasteria sibi subiecta vsurpasse ferebatur authoritatis; quam semel acquisitam, quæ successerunt ægrè continuabunt. Creuit tamen sub ipsa reformatio Virginum Cistercienstum: & Vallisoletana triplici intra tres annos susceptа prole; transmissáque ad diuersa Castellæ oppida, totius prouinciæ incrementum ingens fuit. Ad Briguegam surrexit, Monasterium anno 1615. sub Franciscа Abbatissa dicta *à Sancto Bernardo*: Matriti in Curia Philippi Magni Regis, anno 1616. sub Maria, cognomento, *de Iesus*, constituente Cœnobium,dotanteque magno Duce Vzedæ, cùm

res

res Hispaniæ, regnante Philippo III. magna ex parte penderent ex eius humeris. Atque hæc vtraque proles Sanctæ Annæ. Demum Consuegra vrbs anno sequenti 1617. sub Abbatissa Geronyma *de Christo*, Abbatiam instituit: quæ cum suo Conuentu, missa ex Toleto, neptis magis, quàm filia dicenda venit. Obiit anno 1629. sepulta in Capella S. Ioannis Baptistæ, quam sibi ipsa in sepulcrum fabricauerat: monumento eleuato, & clauso cancellis ferreis, cui Epitaphium inest vulgari lingua scriptum totidem verbis:

AQVI IAZE LA EXCELLENTISSIMA SENORA, DONA ANNA DE AVSTRIA, DIGNISSIMA ABBADESSA PERPETVA, Y BENDITA, QVE FVE DESTE REAL CONVENTO; GOVERNOLE XVIII. ANNOS, TRES MESES, Y VEINTE Y VN DIAS: FALLECIO A XXVIII DE NOVIEMBRE DEL ANO DEL SENOR DE M.DC.XXIX. FVE HIIA DEL SENOR DON IVAN DE AVSTRIA, Y NIETA DEL INVICTO EMPERADOR CARLOS QVINTO. ÆDIFICO ESTA CAPILLA PARA SV ENTIERRO.

Eius tempore Monasteria de Villa-maior, ad vrbem Lermam; de Gradefes, ad Emeritam-Augustam, vulgò, *Medina de Rioseco*, translata sunt, neutrum ibidem diutiùs permansurum: quippe priùs sub ipso intra decennium, posteriùs restitutum ab eius obitu. Arandæ, in Abbatia Sancti Bernardi, vnà ex filiationibus, Coronæ Domini Spina, olim amissa; sed tunc reperta, multis cœpit miraculis clarere, quæ hodiéque frequentia perseuerant. Burgis in Monasterio S. Bernardi obiit Beatrix Manriquia die 3. Nouembris, anno 1622. (Agnetis Abbatissæ quondam soror, Abbatissa & ipsa,) quæ suæ, tum infirmitatis, tum mortis præscia prædictrixque, sanctissimè obdormiuit. Et post triennium, cùm Domus conflagraret, aquam è puteo hauriens visa est, quem ipsa fodi fecerat, atque ignem extinguens miraculosè.

X.

ANNA MARIA.

Quæ possidemus, plerunque fastidimus: quæ amisimus, meliora esse putamus. Quibus inter triennales præfecturas, perpetua placuisset; sub perpetua, quanuis Regia fœmina, gementibus, ad triennales redeundum iterum fuit. Et electa *Anna Maria Manriquia* anno 1630. quæ prudentia, & constantia, minorem fecit iacturam *Annæ Austriacæ*. Monasterium de Gradefes, præfecta ei *Elisabetha Maria Quinonia*, insigni ex Monasterio Carrici, fœmina; ab Emerita-Augusta (ciuibus, quanuis nimiùm repugnantibus) ad proprium locum retulit, multò commodiùs in eo permansurum. His alia addidit non minori laude digna, ex quibus posteris debuit commendari. Ipsa rerum potiente, dubium, quo anno, reformatio Monialium hactenus intra Hispaniam propagata, vltra mare propagines emisit: constructo Monasterio in vna ex his, quas Fortunatas Insulas vocant, vulgò, de *Canaria*, sub eadem obseruantia; quod vir illustris *D.D. Christophorus de la Camara*, tunc Canariensis, mox Salmanticensis Episcopus, mihique multis titulis colendus, non exiguis impensis ædificauit.

XI.

CATHARINA.

Dicta, *de Arellano*, & *Zuniga*, Comitum Aquilarensium filia, insigni fœmina virtute, & comitate, quæ ab anno 1633. vsque ad 1636. egregia cum laude administrauit. Cùm priùs Monasterio Aliæ præfuisset, atque Moniales ex antiquo loco, ad vrbem Calceatensem translatas, eximiis legibus, institutísque informasset. Eius tempore anno 1634. die 25. mensis Octobris, ex Monasterio Sanctæ Annæ apud Vallisoletum, nouus item Conuentus transmissus est, ad oppidum de Casarubios, sub Abbatissa *Maria Euangelista*, fœmina religiosa, & quæ crebris dicitur à Deo consolari visitationibus.

XII.

MAGDALENA.

Cognomento, *Henriquez*, electa anno 1636. præfuit ad annum 1639. cuius nos dono, atque industria Reuerendi admodum Patris Magistri Fratris Emmanuelis de Cerezeda, qui tunc Huelguensibus à sacris confessionibus, hodie Oliuensi in Nauarra Monasterio, Regis Catholici præsentatione, præest, quæcunque de Huelguensi Monasterio, tam in Annalibus, quàm in hac Appendice diximus, ex Tabulariis, tam eiusdem Domus, quàm filiationum, vt vocant, comparauimus.

XIII.

CATHARINA.

Ea ipsa, quæ superiùs, *de Arellano*, & *Zuniga*, cùm triennio vacasset, rursus electa anno 1639. digna, quæ semper imperium continuasset: sed breui heu! extincta publico malo; & hoc anno 1641. adhuc Sedes vacat; sorore eius Ioanna, quandiu electio differtur, tenente clauum; digna non minùs succedere sorori.

SERIES

PRÆFECTORVM INCLYTÆ MILITIÆ CALATRAVÆ

I.

SANCTVS RAYMVNDVS, FITERII ABBAS.

EX Fiterio cum Conuentu suo veniens anno salutis 1158. Calatrauam desertam à Templariis, defendendam suscipit; Villam, & Castrum donante Rege Sancio Ordini Cistercienſi, atque ipsi Raymundo, facta charta in Almazam, Æra 1196. Eodem anno, Didaci Velasquij, ex Milite tunc Monachi, consiliis, atque aliorum auxiliis, præcipuè Ioannis Toletani Primatis, ex Nauarra, & aliunde delecto habito, insignes Milites conuersorum Habitu donat. Sequenti translationem domus, atque ipsam Militiam, à Lamberto Cistercij Abbate, atque vniuerso Capitulo Cistercij approbari impetrat, nouis Militibus ad Habitum admissis: quibus militari peritia à Deo infusa, ingentem Saracenis terrorem incutit. Dein multis triumphis glorioſus, anno 1163. sanctissimè obdormit, sepultus ad Oppidum *de Zirueles*, vbi clarus miraculis, atque structa Capella ad eius tumulum, permansit vsque ad annum 1463. quo Toletum, ad Montem-Sion (initium Obseruantiæ Hispanæ) translatum eius corpus, atque Indulgentiæ à Pontifice Romano concessæ sunt his, qui illius sepulcrum visitauerint. Visitur hodiéque ad latus Epistolæ super Altare positum, cuius medium effigies Sancti occupat, sub arcu lapideo, inscripta vrna litteris Hispanis, quarum hic sensus:

HIC IACET BEATVS RAYMVNDVS, MONACHVS CISTERCIENSIS, PRIMVS ABBAS FITERII: PER QVEM DEVS MVLTA MIRACVLA OPERATVR. QVI IVSSV REGIS SANCTII, COGNOMENTO, Desiderati, CALATRAVAM A SARACENIS DEFENDIT, ET ORDINEM MILITAREM CALATRAVÆ INSTITVIT. OBIIT ANNO M. C. LXIII.

II.

RADVLPHVS, ABBAS.

Ex Monacho Fiterij, Calatrauam translati, electus anno 1163. grauis Militibus, & qui, sicut minor authoritate, sic minori peritia, fructuque res belli, & pacis administrasse legitur. Intra annum extinctus; sed cùm iam breui paucorum mensium spatio inuisum reddidisset nomen Abbatis. In antiquis membranis Calatrauæ, apud Corcoles sepultus memoratur; crebris tunc, Calatrauæ Conuentus transmigrationibus: incertum, qua occasione, nisi quòd has omnes Sedes mutasse legitur. Calatraua, Ziruelos, Corcoles, Bugetum, &c.

III.

GARSIAS, MAGISTER 1.

Electus anno 1164. cùm Milites Monachorum iugum excutientes, recenti Radulphi inuidia, Abbates abiicerent, & Magistros ex se ipsis eligendos habere vellent. Electis Monachis; sed Didaco Velasquio secum retento, subrogat Capellanos, per quos Militibus sacra ministrarentur. Eodem anno scrupulis adactus Capitulum generale Cistercij adit, normam vitæ, atque leges ab eo sibi præscribi petit, & impetrat: quam etiam ab Alexandro III. firmari facit, Senonis septimo Kalend. Octobris, 1164. Milites in Cistercij familiares (neque enim aliud ausus) admitti curat. Biennio pòst, (etsi alij nimiùm differunt) Eboracensem Militiam in Lusitania, à se, atque successoribus suis regendam, velut adoptat. Ab Alfonso Castellæ Rege multa impetrat; præmia obsequiorum, quæ illi præstitisset, strenuus bello, *apud Rades Hist. Calatrau. cap.* 10. Demùm, cùm annis quindecim præfuisset, plùs, minúsve, migrasse creditur, neque constat de eius sepultura.

IV.

FERDINANDVS, MAG. 2.

Cognomento, *Scaza*, regebat anno 1179. quo & Zoritam Alfonso Regi expugnat. Pingues ab ipso Rege apud Toletum, impensæ operæ pretium, possessiones accipit. Facta charta in obsidione super Zoritam, Æra 1207. Saracenos incursionibus frequentibus supra modum infestans, infestatus ab ipsis, obsessúsque in ipsa Calatraua; ab vrbe Toletana subsidium petit: atque copiis illius auxiliaribus, ad octo paganorum millia profligat: spoliis auctus: & ex eisdem, qui ei opem tulissent, Milites largè remuneraturus. Ipse præterea ab Alphonso Castellæ Rege donatur multis oppidis, Cogolludo, Maqueda, aliisque, *in Histor. general. Hisp.* Alfonso Aragonensi Saracenos confines impugnanti sub idem ferè tempus, per Martinum Perezium de Siones, Commendatorem maiorem, supperias tulit. Irruptione facta in Bethicam, spoliis onustus repetiit Calatrauam. Vbi abdicata sponte præfectura Martinum de Siones, Aragonensem, quem bello, & pace strenuum expertus esset, subrogandum curauit. Ipse breui periodo consummatus, & multa intra annum tempora complexus, reliquum vitæ priuatus peracturus.

V.

MARTINVS PEREZIVS, MAG. 3.

Cognomento, *de Siones*, natione Aragonensis, ex vrbe Turiasona, ex Commendatore Maiore, electus anno 1170. quo & irruptione in Saracenos facta, cùm omnes iugulasset, nec spolia diuisisset suis militibus, fortè in communes vsus, conuertenda, eosdem milites rebelles expertus est: vsque ad tentatam ipsius depositionem, subrogato Didaco Garsia: quem tamen breui compescuit, & reliquos obsequentes ad nutum habuit. Biennio pòst 1182. procurandis, qui in bello vulnerabantur, Xenodochium

ad

ad Guadal-herzem oppidum constuit, quòd Alfonsus Castellæ Rex infra triennium liberaliter dotauit : *apud Rades cap.* 12. Eidem Alfonso Valeriam obsidenti, & tandem expugnanti, (*Cuenca* nos vulgò dicimus,) inter primos obsidionis Duces adfuit : anno 1176. & 1177. cùm ante annum oppido de Zorita, atque Arce illi contigua donatus esset, nec multò pòst, anno, nimirum, 1188. ab Alfonso, Aragoniæ Rege, oppidum de Alcañiz, multarum victoriarum præmium, accepit ; quas in eius obsequium, per suos milites, de Saracenis vicinis reportasset. Zoritæ statim Conuentus sub Priore positus est, ad Alcañizium, in tempore ponendus. Demum anno 1180. cùm iura, & leges dedisset Zoritanis, viuere desiit, sepultus in Conuentu Calatrauæ, quem modò *veterem* solent appellare.

VI.

NVNIVS PEREZIVS, MAG. 4.

Cognomento, *Quinonius*, patria Legionensis, ex Commendatore Maiore, vt vocant, primo locum tenens, Magistri Sede vacante : quo tempore, cum Sant-Iacobæis Militibus, fraternitatem iniit, anno millesimo centesimo octogesimosecundo, mox in Magistrum electus eodem anno. Sequenti 1183. insignem Arcem, dictam, *de Alcozer*, Manriquorum fratrum, Petri, Mariæque, Ordinis familiarium, dono accepit : & post biennium 1185. irruptione in Saracenos Bericæ facta, nobilem prædam, atque inter captos, Reginæ Cordubensis fratrem secum reducit : & est traditio, ex veste istius Principis confectas vestes sacras antiqui operis, quæ hodieque dicuntur perseuerare.

HACTENVS. series Præfectorum Calatrauensium extra Cistercium, ex quo, exclusis Abbatibus, per leges quidem à Cistercij Abbate dictatas ; & velut familiares à nostris habiti : sed non vt veri Filij, Fratréve : neque sub alicuius Abbatis obedientia, aut totius Capituli, defectionem vtcunque palliabant.

VI.

NVNIVS PEREZIVS QVINONIVS
SVB CISTERCIO MAGISTER I.

Anno millesimo centesimo octogesimoseptimo Capitulum generale Cistercij adit, Alfonsi Regis, & Procerum Castellæ litteras defert, & se, ac suos, qui dudum defecissent, ad obedientiam recipi, & veros Fratres Cisterc.j haberi petit, impetratque, sub Abbatis Morimundi filiatione. Antiquis legibus nouæ aliæ additæ, & Prior Monachus præscriptus in Calatraua, instituto tunc Didaco Velasquio adhuc superstite, quem omnes velut Patrem venerabantur. Eodem anno Romam cum Monacho Morimundensi proficiscitur : atque hæc omnia apostolica authoritate firmata secum reducit. *Ex Archiuis Calatrauæ, & litteris Capituli, in Menologio Tom.* 2. Martinum Toletanum Archiepiscopum, armata manu, paganos inuadentem Calatrauæ excipit, anno millesimo centesimo nonagesimoprimo, tunc ipsi iunctus irruptione facta, insignem de inimicis fide triumphum reportat. Monasterium Sancti Petri prope Gumielem Cistercio impetrat, & Morimundo subiicit, anno 1194. quo & Didacum Velasquium abdicato Prioratu, secedere permittit. Post quadriennium ad oppidum Alarcos, communem cum Alfonso Rege fortunam passus, victus à Saracenis, fugatúsque, Calatraua amissa, & multis in ea, tum Monachis, tum Militibus, & Capellanis, Martyrio coronatis : Regem tamen Alfonsum indemnem seruat, ad Guadal-herzam Arcem, sæuam de hostibus vltionem resumpturum. Tum saucias suæ Militiæ reliquias ad Ziruelos transfert, & reparat, à Sancti Patris Raymundi cineribus reuicturas, adiuuante Alfonso, à quo & non paucas accepit possessiones. Sequenti anno ab Aragonensibus militibus schisma passus, quòd eum in bello putarent cecidisse, componit cum æmulo ; dum in Cistercio, ab Scalæ-Dei Abbate, Fiteriique, de Calatraua acriùs decertatur. Intra biennium reparatis Militiæ viribus, Martinum, cognomento, *Martini*, Commendatorem Maximum in Saracenos vltum ire iubet, anno millesimo centesimo nonagesimooctauo, à quo viriliter expugnata Saluaterra, id Arcis nomen, in eam transferendum Conuentum iubet.

iubet. Ipse verò iam longo senio fractus, Magistratu abdicato, mansit apud Ziruelos, peracturus excubias ad sancti tumulum. Et superuixit quatuor adhuc annos, post quos decedens, apud Corçoles in Monte-Saluris Cistercienſi Cœnobio sepultus est, vbi hodiéque sepulcrum eius visitur, modesta superposita inscriptione:

HIC IACET D. NVNIVS PEREZIVS QVINONIVS,
QVARTVS MAGISTER CALATRAVÆ.
OBIIT ANNO M.CC.II.

VII.

MARTINVS MARTINI
SVB CISTERCIO MAG. 2.

Electus anno 1198. sequenti 1199. confirmationem omnium, quæ Nuñius Quiñonius ipsius anteceſſor cum Cistercio pepigerat, ab Innocentio III. Papa impetrat: & Monmundum, cui vt Matri obediat Militia sacra, ab eodem Pontifice, nouis de hoc expeditis Litteris, accipit, datis Laterani, quarto Kalendas Maij, anno 1199. Quo & Guidonem eiusdem Domus Abbatem recèns electum ad Hiſpaniam traxiſſe comprobatur, primam ipsius expertus visitationem. Nec multò pòst illustres quosdam coniuges in familiares suæ militiæ susscipit, & cum eis possessiones haud contemnendas. Sequenti an. 1203. Xenodochio fundando locum, & dotem obtinet: *apud Rades de Andrade, c.* 14. Ei præterea pro Rege Aragonensium scribit Innocentius Papa III. anno 1205. Inde, nulla re illustri, quam sciamus, in Castella patrata, ad Regnum Aragoniæ profectus est, vbi dum litigat cum Commendatore Alcañensi Gundisaluo Lupecio de Mouenta, qui se etiam Magistrum appellabat, fato fungitur anno milleſimo ducenteſimo sexto, sepultus apud Alcañizes, vbi deceſſit.

VIII.

RODERICVS DIACIVS
SVB CISTERCIO MAG. 3.

Cognomento, *de Ianguas*, fortè ab oppido, quod Dominis Camerorum olim, nunc Anagari Ducibus subesse noscitur, electus anno milleſimo ducenteſimo sexto, ex Administratore Calatrauæ, (cùm eius anteceſſor litigaret in Aragonia,) quem post tenebras lux de Cœlo missa, post turbines serenum præstolabatur, anno milleſimo ducenteſimo nono, cùm Rex Alfonsus, Rodericúsque hostes aggrederentur, attrinêre incautos, & longa pace segnes profligarunt. Sequenti, Christi, nimirum, milleſimo ducenteſimo decimo, ab eodem Alfonso Rege Toleti, antiquam Aulam, vulgò, *Palacios de Galiana*, dono accepit. Hinc Prioratus, sub aduocatione Sanctæ Fidei, Fratribus Calatrauæ, qui posteà ad Sanct-Iacobeam Militiam transiens, Monialibus eisdem locum dedit. Tristis eo anno clades virum excepit, alternante fortuna; quò lætior, post recentem stragem, victoria esset. Saluaterram Militiæ sacræ Sedem deserere coactus, cùm vix in ea duodennium confeciſſet, ad Zoritam Conuentum, & Fratres transtulit. Nullibi quieturus, quoúsque antiquæ, & primitiuæ Sedi restitueretur. Habuit tamen Guidonis Morimundi in ea afflictione præsidium, auxiliúmque; quem constat in Hiſpaniam tuno veniſſe, disperſos filios, quà posset, congregaturus. Intra biennium celebris victoriæ, quam de inimicis Alfonsus comparauit ad Nauas Toloſæ, recepta Calatraua, initium fuit. Ipse Militibus, qui Arcem custodirent, in loco relictis; atque vltrà cum Alfonso Rege progressus, dum hostes insequitur leui telo ictus, sed malè saucius, ex quo se minùs aptum militiæ vidit, præfecturam deposuit: & nouennio, quo adhuc superuixit, priuatam vitam egit in Calatraua, non sine insigni opinione pietatis, in qua & felix migrauit, anno 1221. sepultus in Capella, quæ ex Martyribus ibidem tumulatis ante annos septendecim, Sancta Maria ad Martyres nuncupatur.

IX.

RODERICVS II. MAGISTER 4.

Cognomento, *Garcesius*, electus in castris, in quibus Diacius eius anteceſſor, iam impar prælijs, præfecturam abdicauiſſet anno 1212. quo & dum hoſtes cum Rege Alfonſo inſequitur, Bilches, Baños, Ferral, Toloſamque, & alia caſtra, à ſuis olim amiſſa, recipit. Beatiam, Idubedámque expugnat: & ni in exercitu peſtis graſſaretur, Corduba etiam, & Giennium capienda forent. Excepit tamen Calatrauæ, hoſpitio Reges redeuntes ex prælio: necnon & Ducem Auſtriæ, qui, ſetus quanuis, auxiliaria arma ferebat. Sequenti anno 1213. duplex alia irruptio, vtraque felix; vaſtati agri, expugnata caſtra, & vrbes; non tamen nimiùm diues præda fuit, & Calatraua exhauſta continuo bello, & mutatione ſedium, medias inter victorias planè indiguit. Rodericus Toletanus, Archipræſul largus in omnes; ſed præcipuè in Ciſtercium, eius non ſolùm inopiam ſubleuauit; ſed ſex integros menſes in ea fuit, & bello, & pace neceſſaria prouiſurus. Sequenti anno 1214. cùm res militiæ in Aragonia turbidæ, Roderici præſentiam poſtularent, Alcañizium profectus, atque ibidem detentus vltra annum, cùm tres tantùm præfuiſſet, mortuus eſt anno 1215. & in eadem Eccleſia ſepultus iacet.

X.

MARTINVS FERDINANDI MAG. 5.

Cognomento, *Quintana*, ab oppido Quintana Ortuño prope Burgos, quod illi patria. Electus anno 1216. ſequenti 1217. Calatrauam, quòd aëris intemperie, atque Anæ fluminis aquis, ſaluti hominum infeſtis, laboraret, relinquens deſertam, ad eam, quæ modò Calatraua noua dicitur, Conuentum tranſtulit, octauo, vt ferunt, ab antiqua domo lapide; quo & Magiſtrorum defunctorum oſſa, & ſacras Martyrum Reliquias religiosè traduxit, in Capella ab eis dicta reponendas. Subſequenti 1218. Norbam Cæſaream (*Alcantaram* nos dicimus) à Rege Legionenſi Alfonſo recèns expugnatam; ac ſibi, ac anteceſſori ſuo traditam, vt ibidem Conuentum conſtituerent, Sanct Iulianeæ Militiæ conceſſit, adoptatæ in filiam Ciſtercij more; id eſt, viſitandæ à Magiſtro Calatrauæ, in cuius, vice verſa, electione Alcantaræ Magiſter ſuffragium ferret. Hinc nouum nomen Sanct-Iulianeæ Militiæ, tranſlatis illuc ſedibus, & nouum in illam ius Ciſtercio fuit. Mediatum, quandiu manſit ſub Calatraua: cùm retroceſſit, etiam immediatum. Et leges Calatrauæ præſtitæ viris ea duntaxat appoſita exceptione, ne Priorem Monachum in Alcantara, ſi fortè nollent, habere compellerentur. Triennio nondum expleto in Magiſterio, tandem deceſſit anno 1218. ſepultus in nouo Calatrauæ Conuentu, quem ipſe condidit.

XI.

GVNDISALVVS IOANNIS MAG. 6.

Natione *Gallecus*, electus in diſcordia anno 1218. quippe multorum ſuffragiis concurrentibus in Martinum Ruicium: ſed præualente electione Gundiſalui, & confirmata ab Abbate Sancti Petri, cui vices ſuas Abbates Morimundi delegauiſſent. Sequenti anno 1219. Conuentum Sancti Felicis, Burgenſis Diœceſis, ad oppidum Amayam, Monialibus ſui inſtituti condidit, partim ex bonis ipſius ſacræ Militiæ, partim acceptis à duobus coniugibus, Garſia Gutierrez, & Maria Suarez, quos ſtudium pietatis, & charitas inſtituti ſollicitabant. Hoc primum Monaſterium Virginum fuit, ſub Calatrauæ Habitu; quæ orationibus hoſtes, & forſan efficaciùs, quàm Milites per arma, profligarent. Nam Sanct Iacobitarum, ſi quod præceſſit, coniugatis ſeruiebat, quandiu inter hoſtes viri detinebantur, propriis vxoribus in illo relinquendis. Intra biennium anno 1221. fraternitatem, ſocietatémve cum Sanct-Iacobea militia firmat. Facta charta apud Calatrauam nouam ſub Æra 1259. eodem cum Ferdinando cognomento, SANCTO, Caſtellæ Rege in tractu Cordubenſi pugnaturo, vterque vtriuſque Militiæ Magiſter, plures inſignes victorias comparauit. Beatiæ Rex vaſſalitio iure ſubiectus; expugnatæ

aliæ

aliæ vrbes: ad ſeptem Saracenorum millia capta in prælio, hoſtium potentiam ſupra modum debilitarunt. Calatrauæ Magiſtro Beatiæ Arx, Tucci, (nos *Martos* dicimus,) atque Caſtrum Monfratium (Ordinis Montis-gaudij quondam Sedes) cum aliis oppidis, & caſtris conceſsêre. Illiturgis (*Andurar* nos vocamus) cuſtodienda commiſſa, quæ erat viri, & militiæ opinio florens. Nec multò pòſt, anno, nimirum, milleſimo ducenteſimo vigeſimooctauo, Gregorius IX. in Apuliam vocat Calatrauenſes, indulto illis loco Sancti Angeli de Vrſaria in Diœceſi Trojana, quem tunc obtentum, poſteà cum Rege Caſtellæ Ferdinando huius nominis IV. commutarunt. Quin idem etiam Pontifex Gregorius ad Patriarcham Antiochenum litteras dedit, vt in Oriente locum deſignaret Calatrauæ Militiæ, firmiſſimo præſidio Chriſtiani nominis. Abbatem Sancti Petri Gumiellenſis, ſibi, & ſuis neceſſariò præficiendum, contra Guidonem Morimundi Abbatem litigans, fauente quanuis Ferdinando Rege, cauſa cecidit; atque ipſum Abbatem Morimundi Viſitatorem, & Gallum Monachum accipere in Priorem compulſus eſt, Capituli generalis primùm, mox Gregorij IX. authoritate, anno 1236. quo & eidem Ferdinando Cordubam expugnanti præſtò fuit, & ſuæ Militiæ virtutem præſetulit. Tandem plenus dierum, & victoriarum Calatrauæ deceſſit, anno milleſimo ducenteſimo trecenteſimooctauo, cùm Militiam rexiſſet viginti annos. Vbi inter alios Magiſtros ſepultus iacet.

XII.

MARTINVS RVIZIVS,
MAGISTER 7.

Gundiſalui olim æmulus, nunc pacificè electus anno milleſimo ducenteſimo trecenteſimooctauo. Eodem anno Auiſſenſem Militiam in Luſitania dicitur viſitaſſe, cum Abbate Sanctæ Mariæ de Sotos-Albos, aliàs *de la Sierra*, Ordinis Ciſtercienſis, (neque enim quid in his viſitationibus homo laïcus, ſine Abbate adiuncto exequi poterat:) extátque tenor ipſius viſitationis: *apud Rades de Andrade, cap.* 20. Facta charta apud Auis, 17. Kalendis Septembr. id eſt, 22. Auguſti, Æra 1276. Sequenti anno, irruptione in Mauros facta, quædam caſtra expugnauit, quæ Rex Ferdinandus Calatrauæ confirmæt, & rata habet: nec multò pòſt à viuis ſublatus eſt, cùm ſenex iam Magiſtratum capeſſiuiſſet.

XIII.

GOMEZIVS MANRIQVIVS,
MAGISTER 8.

Ex nobili *Manriquorum* familia, electus in diſcordia anno 1240. cùm illi ſuffragiorum maxima pars, adeóque etiam iuſtitia; æmulo, Ferdinando, *Ordonez* dicto, Rex Ferdinandus, atque adeò potentia ſuffragaretur. & prævaluiſſet ſub Rege ſancto iuſtitia, ſi non ipſe Manriquius, obſequio Regis, & charitate in vnionem ſuæ familiæ, ſponteneè ceſſiſſet, cùm priùs apoſtolici Legati authoritate, quò maius pondus accreſceret obſequio, eius electio accepiſſet ſententiæ robur. Reliquit tamen breui, quo præfuit, tempore claram ſui memoriam firmata ſocietate cum Militia Sancti Iacobi, atque expugnato Caſtro *de Alcaudete*, quod ſtatim Calatrauæ Militiæ ceſſit, ſponte Regis, atque eius largitione.

XIV.

FERDINANDVS ORDONIVS,
MAGISTER 9.

Cedente *Gomezio Manriquio*, vero Magiſtro, ſubrogatus anno 1243. Arjonam in Granatenſi Regno, vnà cum Ferdinando Rege obſidet, capit. Mox Granatam aggreſſus, retrocedit, obſeſſos Tuccos cum Infante Alfonſo, Ferdinandi Regis fratre, liberaturus anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimoſexto. Caſtrum de Enciſo in Camerorum

dominio Calatrauæ acquirit. Biennio pòst Ferdinando Regi assistit Hispalim expugnanti, vbi cum suis Militibus egregias reportasse de Mauris victorias legitur, *in Chronica Regis Ferdinandi, cap. 49. & 57.* nec multò pòst Alfonsum, de quo supra, eiusdem Ferdinandi Regis fratrem in familiarem suscipit, instrumento desuper confecto Toleti die 15. mensis Martij, Æra 1292. quo & obiisse dicitur, cùm quatuordecim annos præfuisset Militiæ Calatrauæ.

XV.

PETRVS IOANNIS,

MAGISTER 10.

Ex Magistro Alcantaræ, electus anno 1254. quo malè fuerus Priori Capellano, quem Alcantaræ experiri solebat obsequentiorem, Priorem Monachum auersatus in Calatraua, excutere curauit conatu irrito. Quippe in Capitulo generali primùm, mox ab Alexandro IV. repulsam passus: quin si recalcitraret, iussus est, eisdem modo, & ordine deponi, quibus Cistercienses Abbates, cùm necessitas vrget, deponi solent. Datum Laterani pridie Nonas Ianuarij, Pontificatus Alexandri Papæ IV. anno secundo: qui incidit in annum 1256. Rebellantibus in Alfonsum Regem pluribus castris, constanter restitit, & Castrum *de Vtrera* per Alemanum, Calatrauæ Militem, longa obsidione oppressum, seruauit indemne; ac plura alia fecit, ob quæ circa annum 1264. Conuentu apud Ossunam donari meruit. Quin vrbem ipsam ab eodem Rege accepit, transferendo Conuentui, quanuis effectu translatio frustrata fuerit. Sequenti anno, cùm senio iam fatisceret, Coadiutorem petiuit, accepitque Ioannem Gundisalui, & adhuc superuixit duobus annis. Quo tempore ad Clementem IV. defertur à Clericis Militiæ, misso ad id vno ex ipsis fratre Iacobo, quòd laïcus professiones Clericorum reciperet; nec reputaret ad eas recipiendas Priorem idoneum, quòd Monachus existens, Habitu ab eis, & certis cæremoniis distingueretur. Porrò Pontifex querelam ipsam integram ad Capitulum generale remittit: *Quatenus ita prædictorum Clericorum paci prouidere curarent, vt non oporteat alios extra ordinem committi, quod per proprios Iudices maluit salubriter terminari, &c. Datum Perusij sexto Kalendas Augusti, Pontificatus ipsius anno primo.* qui incidit in Christi annum 1265.

XVI.

IOANNES GVNDISALVI,

MAGISTER 11.

Ex Coadiutore antecessoris, electus anno 1266. quo exemplo, aut persuasionibus forsan antecessoris, quod ipse non potuisset, excutere Priorum Monachorum iugum conatus est: sed eius item exemplo repulsam passus, à Capitulo Generali Cistercij primùm, mox à Clemente IV. Litteris datis de hoc ipso Viterbij, Kalendis Decembris, Pontificatus ipsius anno III. Alfonso cognomento SAPIENTI, Philippum fratrem, atque Regni plerosque Proceres, vsque ad vnionem cum Rege Saraceno; auersos, rebellésque, sua industria reconciliauit: *in Chronica eius Regis, cap. 46 & sequentibus.* Alfonsum Infantem, Calatrauæ familiarem defunctum anno 1272. in eodem Conuentu sacro sepelit. Sanctio præterea Archiepiscopo Toletano, Iacobi Aragonensis Regis filio aduersùs Saracenos præliaturo, dum suæ Militiæ armatam manum mittit, eundem victum, atque capite, & manu dextra truncum in campo inuenit, quæ postmodum ab hostibus redempta, vnà cum corpore Toletum deferri curat, anno 1274. *in eadem Historia, c. 60.* exinde rebellanti Sanctio filio, contra patrem Alfonsum inter Proceres Regni supperias tulit. Demum à Ioanne, huius nominis primo, Abbate Mòrimùndi, visitatus anno 1273. sacræ Militiæ salutares leges accepit, quarum meminit Rades, tacito licèt, promotore, legislatore. Sequenti extinctus anno, cùm septendecim rexisset Militiam sacram.

XVII.

XVII.

RVIZIVS PEREZIVS,
MAGISTER 12.

Cognomento, *Pontius*: electus anno 1284. Sanctio Regi cognomento, EL BRAVO, Alfonſi filio (forti, vt Mariana vertit, ſed vix Latinè ſatis exprimi poteſt) contra nepotes *Cerdæ* ſemper fidus, ſemper vtilis, expugnaturo Tarteſiam, vulgò *Tarifam*, ingens auxilium; conſeruaturo, cùm diruere vellet ægrè ab incurſibus hoſtium defendendam, vnicum, defenſione ſuſcepta, ſubſidium fuit, anno 1292. *in Chronic. Reg. Sanctij, cap.* 9. Ferdinandi huius nominis IV. educator, Magiſtérque, & qui ei Regnum aſſeruit non ſatis conſtans: Sequenti anno 1295. dum Saracenos Granatam vſque aggreditur, triſti nimis victoria potitus eſt, ſaucius ipſo in prælio lethali vulnere, quo intra biduum obiit, cùm annos vndecim Militiam ad miniſtraſſet.

XVIII.

DIDACVS LVPEZIVS,
MAGISTER 13.

Cognomento, *Sanſoles*, patria Toletanus, quanuis alij Burgenſem fuiſſe tradunt, interuentu Mariæ Reginæ Sanctij viduæ, ex Commendatore maiore, electus anno 1295. breuis omninò temporis Magiſter, nec ſine æmulo. Quippe biennio, quo nondum ſuperuixit, Garſiam Lupecium Padillam paſſus eſt, in quem nonnulla ſuffragantium vota conuenerant: propera tamen morte ſublatus anno 1297. animam Deo, & corpus terræ tradens, liberum Magiſterium reliquit æmulo.

XIX.

GARSIAS LVPEZIVS,
MAGISTER 14.

Cognomento, *de Padilla*: ex Anti-Magiſtro & prædeceſſoris æmulo, non tamen ideò concordirer electus, anno 1296. quippe diuiſis ſuffragantium animis, & quibuſdam eundem Garziam Lupecium, aliis Gutierrem Perezium, eligentibus, qui in maiori Conuentu, Didaco Lupecio Sanſolio ſuffectus fuerat. Durauit ſchiſma quatuor annos integros, quibus vtrique potentia, pro iuſtitia: & ſicut Milites; ita & caſtra, & oppida, ab eo, qui præualebat, occupabantur. Anno 1300. conuentum eſt, vt depoſita vtérque dignitate, Alcantaræ Magiſtro, caſtra traderet, quoadvſque lis per Iudices competentes decideretur: & iudicatum pro Garſia Padilla eſt Romæ, *vt ait Rades*, quod mihi dubium. Vtcunque fuerit, qui cauſa cecidiſſent, electum apud Regem accuſantes, quaſi fratribus *Cerdæ* propenſus eſſet, deferri ad Abbatem S. Petri Gumiellenſis, veluti ad Commiſſarium Morimundi impetrant: ille de Moreruela, & de la Spina Abbatibus aſſumptis, Calatrauam adit. Garſiam Lupecium maieſtatis reum condemnat, & loco eius Alemanum (id nomen viro nobili inter paucos) Magiſtrum ſubrogat. Tum verò Garſias Pontificem appellans, Romam contendit, vnde ad Capitulum Generale Ciſtercij remiſſus; & cauſa cognita in Capitulo, reſtitutus eſt. Miſſo Abbate Bethaniæ (quia Guillelmus Abbas Morimundi tunc venire non potuit) per quem reſtitutio decreta exequeretur. Ille tribus Abbatibus adiunctis, Berdonarum, nimirum, in Vaſconia; & Vallis-Bonæ, atque Pallatiolenſi in Veteri-Caſtella, Calatrauam perſonaliter adeuntes, Alemanum deponunt, & Garſiam Lupecium in ſede collocant, aſſiſtentibus ipſius reſtitutioni, centum quinquaginta Equitibus, adeóque plena omnium acclamatione. Hæc anno Domini 1302. Intra biennium Guillelmus Morimundi Abbas aduenit, & Calatrauam quaſſatam à longo ſchiſmate, authoritate paterna viſitauit, præſcribens leges vtiles, & ſanctas, quæ hodiéque inter alias eiuſdem ſacræ Militiæ circunferuntur. Porrò ex tunc tanta pace potiri cœpit, tanta prudentia, authoritatéque res belli, & pacis adminiſtrare, vt ſecundò ab eodem Abbate viſitatus anno 1307. nihil omninò inuenerit, quod dignum prohiberi; nihil quod præcipi dignum, iudicauerit. Permanſit in hac pace per annos aliquot, Alfonſo Regi in multis bellis vtilis, & Calatrauæ incrementa non parum promouens:

quippe quam ad Valentiæ Regnum extendit, producta Montesia, sub obedientia Abbatis Sanctarum Crucium, & Monacho Priore (qui hodie durat) eisdem, quibus Calatraua regenda legibus, anno 1308. quo & cum Sanct-Iacobæa,& Alcantarensi firmauit fœdus; & Alcantaram, assumptis secum Abbatibus Vallis-Paradisi,& Vallis-Ecclesiarum, (neque enim sine illis auderet quicquam,) visitauit,vt filiam,atque Magistrum dyscolum inuentum amouit loco, nequicquam reclamantem ius Calatrauæ in Alcantara amissum; tum longa desuetudine; tum, quòd Magister Alcantaræ, ab electionibus Magistri Calatrauæ repulsus esset; sed confirmata per Abbatem Morimundi sententia est, cùm per appellationem ad Capitulum generale primùm,mox à Capitulo,prædicto Morimundensi, veluti ordinario, remissa esset, *apud Rades Histor. Alcantaræ c.* 12. Post varios casus, crescente ex assuetudine imperij, seueritate, aut conflata inuidia,seu demum subditorum æmulatione, præcipuè Ioannis Nuñez, cognomento, *de Prado*, quem ipse ad habitum, atque in habitu ad claues promouisset; occasione præcipuè cuiusdam belli, quod gessisset improsperè; variis criminationibus impetitus; & defertur ad Regem, coram quo, cùm respondere nollet, quippe à solo Cistercio, aut à Vicario Christi iudicandus; conuenticulo abs Rege congregato sacræ eiusdem Militiæ Vallisoleti, anno millesimo trecentesimo trigesimosecundo, (cui tamen obtegendæ violentiæ, tres Cistercij Abbates præesse voluit) in absentia depositus, & pro eo, qui cuncta ideò turbauerat,Ioannes Nuñes Pradesius suffectus est, gratia Regis trahente suffragia omnium. Interim Garsias ad Generale Capitulum Cistercij in Burgundiam profectus, cùm proprium patrem non statim habere posset,occupatum in aliis,Montis-Salutis Abbatem Iudicem impetrat: ille cognita causa, deponit Ioannem; fautores, si persistant,anathemati, & reliquos conspiratorum pœnis subiici; Garsiam suæ dignitati restitui iubet. Sed delegati, præcipuè Regis subditi, in protectos à Rege, minor authoritas; & semel obstinatus virorum animus, non potuit facilè ab incepto reuocari. Res ad Romanam Curiam delata est, indéque ad proprium Iudicem remissa, Abbatem Morimundi, qui anno 1328. in Hispaniam veniens, Capitulum celebrauit in Calatraua: vbi cognita causa, discussáque, confirmata sententia Abbatis Montis-Salutis, atque Garsias cum effectu restitutus. Verùm, vir bonus, & iam prouectæ ætatis, cùm adhuc Ioannem,& fautores eius,potentiæ Regis nixos, rebelles in censuras,atque Militiam sacram diuidentes experiretur, sequenti anno 1329. sponte cessit, retenta ad vitam sibi Zoritæ Arce, cum Alcañizio, & Castris Regni Aragoniæ. Hactenus *ex Radesio, cap.* 26. qui solùm rem non celat,quia non potest.

XX.

IOANNES NVNEZ,
MAGISTER 15.

Cognomento, *de Prado*,aliis,*Carpenterros*, Alfonsi Portugalliæ Regis, ex filia nepos,si qua fides Historicis, post longum schisma, quo Ordinem turbauit, electus anno millesimo trecentesimo vigesimonono,sed non sine æmulo: quippe Alfonso Perezio subintruso, à fautoribus Garsiæ, post eius mortem, quem verum semper Militiæ sacræ Magistrum, adhuc post cessionem, acclamauissent. Et continuatum schisma per multos annos,Rege Castellæ fauente Ioanni Pradesio, è contra verò Petro Aragonensi Alfonso Perezio, & Ioanni Ferdinandi, quem pro eo fautores (nam breui, vita functus) subrogauêre. Neque regiæ potentiæ subnixis partibus Abbati Morimundi, aut eius delegatis, iustitiam administrare, cùm sæpiùs tentauissent, integrum fuit. Anno millesimo trecentesimo quadragesimooctauo sedata omnia, designato pro vtraque parte arbitro Rege Aragonensi, quanuis fautore alterius; & Magisterium Pradesio adiudicante: in, quem anteà fouisset, illius æmulum. Interim Ioannes Alfonso Regi fidus, nec minùs in principio Petro filio, vtrique in multis adfuit, quæ vtriusque Historiæ latè memorant. Anno millesimo trecentesimo trigesimoseptimo visitauit Alcantaram, atque Magistrum eius, Rodericum Perezium: qui tamen anteà in manibus Abbatis Morimundi sponte cesserat, Magistratu abdicauit, atque alterum pro eo substitui fecit. Eidem Alcantarensi Militiæ sub Alfonso primùm, deinde etiam sub Petro præfectus est, cùm Magistro vacaret, aut quem habebat impeditus detineretur: cùm Petrum cognomento, CRVDELEM, ob thalamum desertum Reginæ Blanchæ, &

Mariæ

Mariæ Padillææ amorem, corriperet; indignationem eius concitauit: rati, nimirum, Ioannem odio agi contra Mariam, quòd ea Garsiæ Lupezij, æmuli sui quondam propinqua esset. Inde iram sæui, & sæuientis Regis fugiens, Aragoniam profectus, etiam de proditione suspectus fuit, quasi se Aragonensi sociaret in Castellanum. Tunc à Rege adscitus sub fide regia, salua sibi omnia ratus, ad eum redit; & gratanter susceptus, non multò pòst, in oppido de Almagro, mancipatus custodiæ primùm, mox per violentiam Regis, Conuenticulo ibidem congregato, depositus, subrogato eius loco Didaco Garsiæ Padillæo, Regiæ pellicis fratri, traditus; ad vltimum iugulatus ab eo est, anno millesimo trecentesimo quinquagesimoquinto, iusto, vt omnes ferebant, Dei iudicio, luendæ ingratitudini, quam in Garsiam Lupezium ostendisset. Atque hæ Regum violentiæ per hoc tempus extiterunt in causa, quominùs ab Abbatibus Morimundi sacra Militia, cùm magis indigebat, visitaretur.

XXI.

DIDACVS GARSIAS,

MAGISTER 16.

Cognomento, *Padillæus*, Mariæ, vt dixi, frater, eoque regia potentia electus apud Almagrum anno 1355. inde ad Calatrauam deductus ab ipso Rege, atque Arce donatus, à Milite Calatrauæ, qui ei præerat, Alfonso Stephani, cognomento, *Carpenteyro*, Ioannis Pradesij nepote, qui, vt gratiam Regis sibi conciliaret, non solùm Arcem tradidit, sed multa etiam in auunculum opposuit, proditione adeò indigna, vt iussu eiusdem Regis, pro quo fiebat, post delationem auditam, decollaretur. Quo tempore, qui Pradesij depositioni, & Didaci electioni non consenserant, cùm primùm iugulatum Pradesium nouerunt, nepotem alium eius, Petrum Stephani, Alfonsi extincti fratrem, Magistrum eligunt, in Petrum Regem, cum multis Regni Proceribus, qui dudum rebellassent, coniuraturum. Hic ad Ossunam instituto nouo Conuentu, quo transferendas sedes sacræ Militiæ, cùm eam vrbem donauit Alfonsus Rex, in mandatis dedisset, qui tunc viuebant fratres asseuerabant; verùm se Calatrauæ Magistrum asserens, rebellibus non exiguum subsidium fuit. Et accedebant partibus non pauci, quos Garsiæ Padillæi, olim Magistri, inuisa memoria, in Didacum nepotem exagitabat. Varia vtrinque fortuna pugnatum est, quoysque ad Taurum vrbem rebelles victi, & Petrus Stephani, cùm ad vmbram Reginæ confugisset, quasi in gremio matris, à filij Regis ira defendendus; nihilominùs ab eodem Rege confossus, extinctúsque, liberam dignitatem reliquit æmulo; anno 1358. Interea Didacus illecebris sororis, & quas Rex dudum ex ipsa susceperat, neptium blandimentis, velut subnixus; à fide etiam, virtute, industriáque, queis plurimùm pollebat, commendabatur: & siue vera, siue in maius aucta, fauore vulgi, multa in Aragonenses sub signis Petri, in Saracenos plura perpetrauit. Verùm fortuna stare diu nescia; & prosperis plerunque tristia miscens, alternauit euentus, vt hominem in fine præcipitaret. A Rege Granatensi, cui nomen, RVBRO, vulgò, EL REY BERMEJO, captus in prælio, liberaliter habitus, & sine prælio abire permissus est. Præstito tantùm amicitiæ iuramento; & quòd per se, & per Regem, in quantum posset, partes eius foueret, contra alios Saracenos, cum quibus illi bellum cruentius erat. Hac fide fretus, nec de Petri fauore dubitans, cùm Granatensis Hispalim veniisset in magna gloria, idem fœdus cum Rege confirmaturus; captus ab ipso, & missilibus telis confossus est, auaritiam palliante iustitiæ nomine; & Regulum damnante; velut tyrannum, vt diuite eius gaza potiri posset. Hinc ira Didaci in Regem, & affinem, quòd eius fefellisset fidem atroci facto; quæ adeò intra pectus eius exarsit, vt tunc insalutato Rege discesserit; mox ad Henricum fratrem, & Regni æmulum publicè pertransierit, illatam sibi iniuriam vindicaturus. Tum verò Petri plenas promissionum, atque Regij fauoris litteras suscipit: recordetur sororis, neptiúmque, quas Rex regni hæredes instituisset: néve nothum, legitimis præponat, tyrannum hæredibus, extraneum suis; & propriæ proditionis pretio peragat, ne Padillæ in Hispania dominentur. Hæsit inter vtranque partem Didacus; & nunc vindictæ amore, & præsentioribus Henrici blandimentis, ferebatur in Petrum; nunc in Henricum, tantæ vtilitatis stimulis adactus, agitabatur. Sed & vtilitas, dubia illi proposita. Nam

ſperandum omninò maius præmium ab eo, cui minus ius: ſed neptibus Reginis, quid æquale? Tum, vt vtunque maius, neutrum certum, & victoriam ancipitem; & vt victores in ſublime prouehat, ita victos in imum depreſſuram. Itaque neutri opportunus adeſſe ſtatuit; ſed vtrique ad Anagarum certanti ſerus occurrere, quaſi victori auxilium allaturus. Venientem comiter, qui in eo prælio vicit, Petrus excepit: ſed excepit tantùm, paucos poſt dies in carcerem detrudens, in qua tandem occubuit fato, vt creditur anno 1365. quanuis animi mœror, & ſqualor carceris valetudinem eius præcipitauerint.

XXII.

MARTINVS LVPEZIVS,
MAGISTER 17.

Cognomento, *de Cordoba*, electus ad inſtantiam Petri Regis, & confirmatus à Romano Pontifice (adeò nihil Morimundo deferebatur turbidis his temporibus, niſi quòd tamen Monachi Priores integri ſemper, & ſerie continuata perſeuerarunt.) Anno 1365. cùm interim, qui Henrici partes agebant, Petrum Municium Magiſtrum elegiſſent in Aragonia, ſequenti anno creatus Prorex Cordubæ, & eos, qui Henrici partes ſequuti eſſent, morte punire iuſſus, defertur ad Petrum, quaſi non tantùm ſegniter egiſſet; ſed præmoniſſet Principes factionis, ſaluti ſuæ profugam conſulturos. Furenti Regi, Calatrauenſis miles Petrus Gironius, Magiſtri caput obtulit, dum eius loco in Magiſtrum ſubrogaretur. Et vinculis quidem per fraudem eum incluſit: ſed impedita cædes Rege Granatæ Saraceno intercedente, & comminante bellum, niſi Magiſter, quem amicum habebat, cuſtodia, in qua tenebatur, educeretur. Anno 1369. Petro Rege ab Henrico fratre victo, occiſóque, Martinus Carmonam, vbi Petri filij nothi ſeruabantur, profectus, primum eorum in Regem aſſumi curat; quaſi ex hac parte Henrico non inferior; & alias vltimo poſſeſſori Regni proximior eſſet. Et concitauerat nonnullas Bethicæ vrbes. Verùm Henricus Caſtella iam potitus, Petrum Munizium, ad oppidum Almagrum denuò electum, in ipſum miſit, à quo Carmonæ obſeſſus, deinde captus, tandem ad Regem Hiſpalim deductus, eius iuſſu decollatus ibidem eſt, anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimoprimo.

XXIII.

PETRVS MVNIZ, MAG. 18.

Cognomento, *Godoy*, Pſeudo-electus, priùs in Aragonia, ab his, qui ſequebantur Henrici partes: deinde, ipſo Henrico potito rerum, electus ad Almagrum anno 1370. Henrico Regi charus, vel inter paucos, à quo & multis donatus, & Præfectus (*Adelantado*, nos vocamus) magnæ Bethicæ partis conſtitutus eſt anno 1371. progreſſu temporis oppidum Cogollado cum multis aliis, de conſenſu Militiæ, Regi dedit, in dotem filiæ nothæ; in quorum tamen cambium quædam accepit, quæ Rex Martino Lupezio, eius anteceſſori, violatæ maieſtatis reo, abiudicauerat. Anno 1383. cùm Morimundi Abbates, penè obliti, inter bella fraterna, regimen Calatrauæ minùs curaſſent, congregauit Capitulum ſacræ Militiæ, & nonnulla ſtatuit, quæ quia ſine authoritate Abbatis Morimundenſis facta ſunt, non leges, definitionéſve, aut ſtatuta, vt benè notat Michaël Marañonius: ſed Acta Capituli tantùm nuncupantur. Sequenti anno, nimirum, Chriſti 1385. procurante Rege, in Magiſtrum Sant-Iacobæ militiæ promotus eſt, perinfelici tranſitu; quippe nihil, niſi exitium allaturo In prælio, quod ad *Aliuva-Rotam* vocant, à Magiſtro Auiſienſi, mox Rege Luſitaniæ, victus ſequenti anno: inde cùm Luſitani iam victores deuaſtarent Caſtellam, ipſe cum aliis, victoribus occurrens, ipſa in acie occubuit, cùm vix annum egiſſet in Præfectura.

XXIV.

PETRVS ALVAREZ,
MAGISTER 19.

Cognomento, *Pereyra*, Lusitanus, ex Priore Militiæ Sancti Ioannis in Lusitania, (de *Ocrate* vulgò dicunt,) electus anno 1384. quòd partes Ioannis primi Castellæ Regis, de Regno Lusitaniæ decertantis, contra Auisiensem Magistrum sequutus esset. Occisus tamen à suis ipso in prælio, cùm acriùs cæteris eosdem debellaret.

XXV.

GVNDISALVVS NVNEZ,
MAGISTER 20.

Cognomento, *Guzmanius*, electus anno 1385. ex Magistro Alcantaræ, prælium nauatæ in eo prælio operæ, non ideò minùs dignæ, quia infelicis. Firmata pace inter vtrunque Regnum, in Lusitaniam profectus est, Auisiensem Militiam visitaturus. Hospitio exceptus, visitatione infecta rediit: exemptionis obtentu; sed magis Regis, qui Ordinem, cui ipse præsediſſet, eximere volebat, authoritate. Anno 1396. indulgentia Benedicti Pseudo-Pontificis, capucium (insigne Religionis, & Monachatus) in Crucem rubram obtinuit commutari, *apud Rades cap.* 32. Sequenti, cùm bella iam quiescerent, & cuncti scrupulosum reputarent Abbatum Morimundi, à suæ Militiæ imperio separationem, reuocare curauit; & Ioannem huius nominis III. adsciri fecit, à quo & Magister confirmatus est in Capitulo sacri Conuentus Calatrauæ, die prima Februarij, anno milleſimo trecenteſimo nonageſimoſeptimo: & sacra ipsa Militia visitata: obtenta facultate, vt quia non poterat diutiùs detineri, eius authoritate leges conderet, quas suæ Militiæ putaret expedire. Formati tunc quatuordecim Prioratus, sub Priori maiore sacri Conuentus; atque alia statuta non contemnenda. Addito tamen, non solùm iniusto, nullóque defectu potestatis; sed indecoro, deformíque decreto: Ne Prior Calatrauæ deinceps Monachus, néve institutus ab Abbate Morimundi; sed à Magistro, & ex sacri Conuentus Capellanis, sufficeretur. Quasi verò qui potestate Abbatis Morimundi condebat leges, vllas condere posset in ipsum, à quo trahebat iurisdictionem. Vigente ætate, nec adhuc ineptus bello, tamen decessit anno salutis 1404. cùm annos 19. administrasset; sepultus in Capella sacri Conuentus, quam ipse viuens non solùm fabricasset, sed dotauisset.

XXVI.

HENRICVS, MAGISTER 21.

Cognomento, *de Villena*, clara ex prosapia Regum Aragoniæ, Castellæque, electus Toleti, anno 1404. ad instantiam Regis Henrici, cùm priùs à Maria Albornocia, quam dudum duxerat, ecclesiastica sententia separatus, Calatrauæ Militiam professus esset. Cæterùm, siue separationi dolus subfuit, seu milites inuasit æmulatio, quòd virum exterum viderent sibi præfici; in Calatraua Ludouicus Guzmanius electus est, vt ferebatur filius antecessoris (vt erant perditi mores illius ætui) longum erat de electione contendere. Rex suum electum Calatrauam vsque deduxit, atque æmulo fugato in Aragoniam, in quo, tempore schismatis, frequentes habitabant, qui minùs poterant; in magistrali Sede primùm collocat: sedenti mox, obedientiam præstari facit, nullo contradicente, seu non auderent; siue, qui eum Magistrum recusarent, cum æmulo fugissent ad Alcañizium. Triennio pòst à Ioanne huius nominis IV. Abbate Morimundi confirmatur Segouiæ in Ecclesia cathedrali, anno 1407. præsentibus Abbatibus Hortæ, & Sancti Isidori Hispalensis, atque Ioanne Priori sacri Conuentus. Quo etiam anno, cum eodem Abbate Ioanne profectus Hispalim, Capitulo ibidem celebrando interest. In quo & lex ab antecessore suo sancita, super institutione Prioris sacri Conuentus, irrita declaratur; perpetuo super hoc silentio cunctis imposito, sub pœna excommunica

tionis maioris latæ sententiæ Abbatibus præcisè Morimundi, aut eius Commissariis reseruata, præterquàm in articulo mortis, absolutione. Eodem anno, Henrico Rege mortuo, cui nitebatur, Henrici Magistratus iterum dubius; replicatum coniugium, & professio nullitatis arguebatur, viuente adhuc vxore; & nec audente viro alteri nubere, quòd primum matrimonium constare sciret; nec Monialem professa, quòd nunquam consensisset separationi. Iterum Ludouicus Guzmanius electus est, atque eò iam maiore acclamatione, quò minùs timebatur potentia Regis. Sex annos integros schisma perdurauit: nisi quòd datum Christianæ pietati, quòd legibus, non armis litigaretur. Causa diu ventilata, tandem ad Capitulum generale Cistercij delata est, ibidem per sententiam terminanda. Et prolatis hinc inde probationibus, declaratum est, Henrici matrimonium constitisse: adeóque professionem nullam, & multò magis electionem censendam esse: nec à confirmatione habuisse robur, quæ hos defectus nullatenus suppleuerit. Henricus dicitur reuersus ad vxorem, Cruce deposita, protraxisse vitam vsque ad annum 1434. quo obiit Matriti, sepultus in Monasterio Sancti Francisci. Hic ille *Henricus Villenensis* est, insignis Astrologus, cuius Opera combusta dolet Ioannes de Mena.

XXVII.

LVDOVICVS GVNDISALVI,
MAGISTER 22.

Dictus, *Guzmanius*: electus anno 1407. & pacificè admissus anno millesimo quadringentesimo decimoquarto. Post quadriennium ab Abbate Ioanne IV. Morimundensi, qui Henricum Segouiæ confirmauerat, visitatus & ipse, vniuersæ Militiæ leges accepit, quæ hodiéque inter alias circunferuntur. Datæ in Villa de Almagro die 26. Iulij anno millesimo quadringentesimo decimooctauo. Regi Ioanni inter varios motus semper fidus, bellóque adeò potens, vt anno 1431. equites octingentos, pedites ad sex milia ad bellum duxerit: ac Granatensibus Iuzaf Abenalmau Regem impositum, Ioanni vassalitio iure subdiderit, anno 1432. Extat epistola eiusdem Iuzaf, ad Ludouicum honorifica satis, apud *Andradium, cap.* 34. Sequenti anno 1433. Guidonem huius nominis secundum Morimundi Abbatem in Aragonia: post quadriennium 1437. etiam in Castella visitatorem habuit, & Prioratus Sancti Benedicti ad Vrbem Giennensem Institutorem. Sub finem vitæ, circa annum Christi 1442. iam senio, & morbis, atque longa militia fractus, Ferdinando Padillæ Præfecto clauium Calatrauam regendam delegauit. Vnde rumor de morte eius exortus bella intestina mouit, Ioanne Ramirizio, cognomento, *Guzmanio*, Commendatore Maximo, armata manu inuadente castra Militiæ, quibus semel potitus, faciliùs in Magistrum eligeretur. Padillæo è contra obuiam eunte, cum expedita manu conatibus Ioannis restituto: ad Barajas, id loco nomen erat, pugnatum est, vtrinque viriliter; & dubio vtrinque Marte per tres horas. Ad vltimum Padillæ victoria cessit, Ramirizio victo, captóque, cum aliis suæ partis, quos omnes vinctos Calatrauæ Arx excepit, arctæ ibidem custodiæ mancipandos, è qua Rex Ioannes per litteras, per nuncios conatus eripere, quandiu vixit Magister, non præualuit. Obiit autem sequenti anno millesimo quadringentesimo quadragesimotertio, & corpus eius ex oppido de Almagro, vbi decesserat, ad Calatrauam honorificè delatum, atque ibidem fuit sepultum.

XXVIII.

FERDINANDVS PADILLAEVS,
MAGISTER 23.

Recenti victoria ouans, & acclamatus, inconsulto Ioanne Castellæ Rege, in Magistrum eligitur, eodem anno 1443. Inde, quò Regem sibi deuinciret, Ioannem Guzmanium vinctum custodia soluit, præstito iuramento fidelitatis, obedientiæque, quod tamen breui foret transgressurus. Rex nihilominùs, quibus potuit viribus electioni obstitit, vt Alfonsus Regis Nauarræ nothus eligeretur. Cùm litteris, & nunciis non proficeret,

ret, ad potentiam confugit, & Calatrauam cum electo suo obsidet, armatam manum ducente Infante Henrico, & Ramirizio oblito iuramenti, in suum liberatorem rebellante. Habebat Ferdinandus fautores multos, eósque non ignobiles, à quibus conseruandus sperabatur. Sed in ipsa obsidione, casu occisus ab vno ex suis militibus, cùm arma in obsessores iacularetur. Igitur Ferdinandus extinctus est, antequàm posset ab Abbate Morimundi in Magistrum Militiæ confirmari. Meminit eius cum eximia laude *Ioannes de Mena*, illis temporibus Musa Hispaniæ, & Phœnix, in suis Rhythmis, & Chronicon Regis Ioannis II. cap. 43. Obsessi interim, occultata electi morte, cum obsessoribus pacisçuntur ipsius nomine, conditionibus æquis, quas cupidis, aut timidis promittere, facilis potentioribus difficile seruare fuit.

XXIX.

ALPHONSVS INFANS,

MAGISTER 24.

Cognomento, ARAGONIVS, Ioannis, tum Nauarræ, pòst etiam Aragonensis Regis filius, Ferdinandi Regis Castellæ, & Aragoniæ, cognomento, CATHOLICI, frater, donatus habitu, & ante professionem electus ad instantiam Regis anno 1443. quo & obtenta à Pontifice Romano dispensatione, vota concepit, & à Ioanne huius nominis VI. Abbate Morimundi in Magistrum confirmatus est. Sequenti anno 1444. eundem ipsum Abbatem Morimundi visitatorem, & legislatorem habuit. A quo & obtinuit, inter alia lege sanciri, ne quis omninò, nisi vndequaque nobilis, ad sacram Calatrauæ Militiam admitteretur: tum vt Capitulum annuatim celebrarent Magister, & Milites, in quo grauioribus sibi reseruatis, successoribúsque, leuiores, quæ occurrerent, causæ, deciderentur. Datum in ipsa Capella Magisterij, oppidi de Almagro die 28. Martij, anno 1444. præsentibus, consentientibúsque illustri, atque Magnifico Domino Alfonso Aragonio, eiusdem Militiæ Magistro, Reuerendo Patre Fratre Ioanne de Sansuris, Priore Conuentus Calatrauæ, atque totius Castellæ, nobili Equite, Fratre Ludouico Vanegas Clauario, &c. Sequenti anno 1445. bello inter Reges Castellæ, & Nauarræ orto, Alfonsus anceps, atque alterius vassallus, alterius filius, dum contra proprium Regem, parenti fauet, cum Patre primùm victus, mox accusatus proditionis à Rege est, in Capitulo totius Militiæ sacræ, cuius iussu depositus, insignem illi scissuram conciliauit: subrogatis duobus in discordia, & tertio ipso addito, qui ex Aragonia, consueto aliis refugio, & sibi peculiari, ex proprio sanguine, per decennium, & amplius Magistrum egit, quoadvsque anno 1452. relicto Habitu, ex dispensatione Summi Pontificis, vxorem ducens, Ducibus Villæ-Hermosæ, & Comitibus Riuæ-Goreæ, initium dedit.

XXX.

PETRVS GYRONIVS,

MAGISTER 25.

Post infantis Alfonsi depositionem electus anno 1445. Ioannes Pacheco Marchionis Villenei, pòst Sant-Iacobææ Militiæ Magistri, frater Alfonsi Carrillei, Archiepiscopi Toletani, ex sorore nepos, claro sanguine ortus; sed qui elatione, nam magnitudinem animi, non dicam, claritudinem auitam excedebat, aut obscurabat; æmulus illi in eadem Synodo datus Ioannes Ramirecius, cognomento, *Guzmanius*, in quem non parua suffragiorum pars, etsi numero inferior, confluxisset; euasit Calatrana triceps illis diebus: è sedibus diuisi, prout quisque poterat, castra præoccupabant. Nam Alfonsus Magister in Aragonia, Ramirecius in Bethica ad Ossunam, sacrum Conuentum, Almagrum, (Magistrorum certam ab olim Curiam,) atque castra Castellæ Petrus Gyronius, vt potior iure, ita & potentia maior, occupabat. Ventum erat ad arma, quæ sola sunt pro iure magnis Principibus; & iam duo postremi (nam primus intra fines Aragoniæ continebatur) in acies ibant, cùm ecce Rege Ioanne interueniente, pacata omnia; & Ramirecio, assertis quibusdam castris, atque annuis redditibus, Magisterium penes Gyronium mansit. Sequenti anno 1446. Infante Henrico in patrem rebellante, quasi in impotem

potem Regni, & qui se, & ipsum Aluari Lunæ imperiis subdidisset; Gyronius eius, id est, Henrici partes sequutus penè vniuersam Castellam illi asseruit. Nec cessauêre motus, quoadvsque Aluarus Luna iugulatus, nimiæ potentiæ apud Regem, (nam vix illi aliud crimen obiiciebatur, verius regiæ impotentiæ pœnas luit. Anno 1452. à Morimundi Abbate visitatus, Ioanne, huius nominis VII. leges accepit, quæ hodiéque leguntur, promulgatæ in sacro Conuentu Calatrauæ die 23. mensis Iulij, anno 1452. Intra biennium 1454. Ioanne II. mortuo, cùm Henricus filius rerum potiretur, penes Gyronium potentia Castellæ fuit; sed breui permansura. Quippe collectis, ipsius industria, copiis, in Saracenos Regni Granatensis, qui soli iam restabant, Rex, seu prudentia, seu pusillanimitate recusans bellum, adeò Petrum offendit, Procereſque, vt ipsum amouere Regno, & filium eius Alfonsum subrogare deliberauerint, & præfecissent forsan, si non Rex ipse castris se subducens, deinde multis donis Gyronij fidem sibi conciliasset. Non multò pòst commutata Ossuna, non sine dolo, atque tradita fratri, Ducum illius vrbis initium fuit: quippe cùm Petrus haberet quædam oppida longè inferiora, eadem Regi cedens, pro illis postea Ossunam permutauit, obtento ad id, an extorto consensu Militum, & Sedis apostolicæ (nam Abbas Morimundi vitatus est, vt qui facilius fraudem posset detegere) fauore Regis impetrata confirmatione. Ex tunc Ossuna donata Ioanni Pacheco, in Gyroniorum familia perseuerat. Anno 1459. bello inter Castellanos, & Nauarræos iterum innouato, Petrus Gyronius pro Henrico multa strenuè; sed neque Rex Gyronio ingratus fuit: oppidis, castris, villis hominem auxit, ex quibus nothos filios ditare potuit. Bello deinde in Saracenos moto, Dux ipse exercitus Archidonam obsedit, cepitque anno 1461. Conuentum Sancti Saluatoris de la Pinilla in Seguntina Diœcesi, hactenus, *Beatarum*, vt vulgus vocat, Ordinis Cistercienſis, cùm ad vota solennia suspirarent, de licentia Abbatis Morimundi Lamberti, (Cistercienſis postea, qui & hoc anno Calatrauam venit,) sub Calatraua admisit; atque Cruce signatas, obedientiam, tam sibi, quàm successoribus suis firmare fecit: quæ loco pòst relicto, ad oppidum Almonacil primùm, postea Matritum, vbi sub titulo Conceptionis Bernardæ degunt, transmigrarunt. Henrici Regis socordia, seu Procerum cupidine, factum est, vt per speciem zelantium publicum bonum, rebellarent in ipsum, agmen ducente Magistro Petro Gyronio; siue inter omnes maior, clariórque, & tot propinquitatibus subnixus; siue elatior, & nouarum rerum cupidior haberetur. Porrò in hac rebellione adeò profecit, vt Priorem Militiæ Sancti Ioannis, quòd ei non consentiret, in bello ceperit; mox in eas angustias Regem adduxerit, vt sororem suam Infantem Elizabetham (quæ pòst Ferdinando Aragonensi nupta, Castellæ, atque Aragoniæ Regina fuit) illi spoponderit; obtinenda à Pontifice Romano dispensatione voti, vt sibi eam coniugio copularet. Missus Romam ad Pium Papam II. Petrus Acuña, Calatrauæ Eques, duplex indultum ab ipso reportauit: alterum, vt abdicato Magistratu, Elizabetham duceret: alterum, vt Rodericus Gyronius, ipsius nothus, parenti in Magisterio, quanuis minor ætate, subrogaretur; si tamen Equites consentirent electioni, atque eum in Magistrum cooptarent. Tum Petrus congregata sua Militia vtrunque proponit; & iure ad Regnum Infantis Elizabethæ, cùm Rex prole carere diceretur, quanuis filios nutriret, cunctis exposito, non solùm vtile pandit, sed glorioſum; si quem hactenus magistrum habuissent, Regem haberent; eúmque nouo titulo deuinctum, si filium sibi in Magistrum subrogarent. Atque his, & similibus persuasis, Rodericum, octo tantùm annorum puerum, Magistrum obtrudit, non solùm sine æmulo, (quæ spes, & metus miracula opponantur,) sed cum ingenti cunctorum acclamatione. Tum verò ipse ingenti Comitatu Matritum properans, desideratis nuptiis, vt sibi videbatur, fruiturus ipso in itinere febre correptus est, & quatriduo extinctus anno 1466. seu fatum Virum, seu venenum tulerit, inuidia aliorum Procerum, quos vulgus in hac parte suspectos habuit; seu tandem Deus blasphemiam vltum ierit, quam protulisse fertur, cùm primùm pontificiam accepit dispensationem; quasi iam nulla impediri posset potentia, quin potiretur votis; quod vt non credo: ita in vulgus sparsum æuo illo, & ad nos vsque productum, non censui silentio prætereundum. Relatus est ad Conuentum Calatrauæ, vbi sepultus iacet marmoreo tumulo, in priuata Capella, quam ipse sibi viuens fabricauisset.

XXXI.

RODERICVS TELLEZ,

MAGISTER 26.

Cognomento, *Gyron*, anteceſſoris nothus, atque octo tantùm annorum puer electus, ex Pontificio indulto, anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimoſexto, paucis diebus ante infelicem mortem anteceſſoris. Ratificata tamen electio poſt mortem patris, & nouus titulus à Pontifice impetratus. Prouiſum ſtatim, vt Abbas Morimundi ad ſuæ militiæ regimen veniret; & qualiter ſub Magiſtro puero adminiſtranda eſſet, cunctis præſcriberet. Et aduenit Guillelmus intra biennium: ac primò quidem, viſitata ſacra Militia, admodum ſalutares leges condidit, quas poſteà Ferdinandus Rex CATHOLICVS, Carolus Imperator, & Philippus II. obſeruare iurarunt, cùm in adminiſtratores, in locum Magiſtrorum reciperentur. Mox, dum Magiſter Rodericus Tellez ad maturiorem ætatem peruenireț, quatuor adminiſtratores eligi iuſſit, penes quos ſumma rerum, & quibus cæteri omnes obedirent: deſignato electionis eorum termino, *vſque ad Dominicam Quaſimodo proximè futuram, infra quam Domino Magiſtro, cæteríſque Dominis Commendatoribus, & Militibus dictam electionem fieri præcipimus, ſub excommunicationis latæ ſententia pœna, quam ex nunc, prout ex tunc in eos, & quenlibet eorum ferimus, caſu, quo noſtrum mandatum non exequantur. Datum in Capella Sancti Benedicti, in Palatio Domus Magiſtri in Villa de Almagro, nobis ibidem Capitulum celebrantibus, die ſecunda menſis Aprilis, anno* 1468. Hæc in definitionibus authenticis. Quo item anno corpus Sancti Raymundi, primi Calatrauæ Militiæ Inſtitutoris (haud dubium, quin interuentu Abbatis eiuſdem) ex oppido Żiruelos, vbi iacebat, ad nouum Monaſterium prope Toletum, quod Montem Sion dicunt, (principium obſeruantiæ Hiſpanæ,) tranſlatum eſt, ſolenni pompa, & deuota acclamatione. Rades non quatuor illos deſignandos Milites Calatrauæ, ſed Ioannem Pachecum Sanct Iacobæum, Roderici auunculum, adminiſtraſſe nihilominùs tradit Militiam ſacram. Quicunque fuerint, anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimoſecundo, cùm ſexdecim ætatis compleuiſſet, Rodericus Magiſterium capeſſiuit. Quo, & Henrico mortuo, iterum redière bella inteſtina, diuiſo Regno inter Elizabetham mortui Regis ſororem, Ioannam, certam vxoris eius filiam; ſed, quæ vulgò ex adulterio nata putabatur. Elizabethæ adhærebat maior Caſtellæ pars; Ioannam Gyrones omnes, Pacheci, & Toletanus Primas, adeóque & Rodericus proclamabant. Varia fortuna vtrinque pugnatum eſt: ſed prævalentibus Regibus CATHOLICIS, Ferdinando, Elizabethâque, Magiſter tandem maturior iam effectus eis adhæſit; atque Præfectum clauium ſacræ Militiæ Garſiam Padillæum, qui in Magiſtrum, pro ipſis, rebellauerat, non ſolùm venia; ſed gratia ſua donauit; vt ipſe in gratiam Regum ſuſceptus erat, anno 1482. Bellum in Granatenſes Saracenos cum Ferdinando Rege acriter promouens, dum Ioxam vrbem obſidet, ſagitta ſub axilla vulneratus, & cor vſque tranſfixus, occubuit ipſa in acie, ætatis ſuæ anno vigeſimoquarto, Magiſterij decimoſexto. Corpus ad Calatrauam delatum eſt, vbi hodiéque cernitur repoſitum ad latus Epiſtolæ, ſuper presbyterium; inde ad proprium ſepulcrum (quod tamen vix ſperatur) tranſferendum. Extat eius memoria non contemnenda apud Montem Sion, Eccleſiam Ciſtercienſem, prope Toletum, cui ob reuerentiam Sancti Raymundi, Authoris Militiæ, annuam tritici ſummam dono dedit, ex menſa Magiſtrali percipiendam.

XXXII.

GARSIAS LVPEZIVS,

MAGISTER 27.

Cognomento, *Padillæus*, Férdinandi Padillæi Magiſtri vigeſimioctaui, qui electus ante confirmationem obiit, frater, ex Præfecto clauium ſacræ Militiæ, electus anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimoſecundo; Vir æquè ſtrenuus bello, pacéque, fortis, & pius. Regibus CATHOLICIS in prælio Granatenſi conſilio, & armis vtilis; cùm Ducem non agebat, Religioſum in cunctis profitebatur. In Conuentu aſſiduus, in Choro frequens, in ieiuniis, vigiliis, cæteríſque, exemplo potiùs, quàm præceptis gubernabat. Corpus Sancti Raymundi, Fundatoris, multo pretio oblato, atque pingui, & ingenti poſſeſſione,

sione,ad Calatrauam transferri procurauit. Quod cùm à Monachis non posset extorqueri,ibidem corpus sumptuosiùs collocauit; & Sanctum ipsum sternentem Mauros,ac Monachos præliantes depingi fecit; vera Raymundi proles; & cui primitiua illa Calatraua cordi hærebat. Redditus suos pauperibus distribuens, sacro etiam Conuentui multa donauit. Sacras vestes,& vasa argentea plurima, quæ hodie perseuerant; quin possessionem, ex cuius annuo redditu Religiosorum, atque hospitum sumptus promouerentur. Demum, quinquennio peracto, in Magisterio, longiori vita certè dignus, occubuit anno millesimo quadringentesimo octogesimoseptimo. Sepultus in Sacello maiori sacri Conuentus, magno cum omnium luctu, quos tanti Patris iactura, vel futurorum nescios cruciabat.

XXXIII.

FERDINANDVS, CASTELLAE REX, ADMINISTRATOR PRIMVS.

Cognomento, CATHOLICVS, anno millesimo quadringentesimo octogesimoseptimo, congregato Capitulo pro subrogando Magistro sacræ Militiæ, Legatum suum ad congregatos Milites misit, cum Litteris Pontificis, quibus sub grauibus censuris prohibebantur eligere Magistrum, quoadvsque ab ipso, quid faciendum esset, præciperetur. His litteris accessêre litteræ Regis, quæ idem postulabant. Nec ausi Milites præceptis contraire; plures eorum obedientia ducti, nonnulli æmulatione; ne,quem ipsi non vellent, Magister esset. Eodem anno idem Summus Pontifex Innocentius VIII. eidem Ferdinando Magisterium in administrationem contulit, quandiu viueret ab ipso possidendum. Tunc iuratis ab eo definitionibus, quas Guillelmus ante nouendecim annos condiderat, in Administratorem susceptus est anno millesimo quadringentesimo octogesimooctauo: nec multò pòst, anno millesimo quadringentesimo nonagesimoprimo, cùm sciret regiam administrationem legibus obedientiæ non obstare, ne Cistercium dedisceret Militia, ad Capitulum generale Cistercij scribit, vt ipse Abbas Cistercij, vel Morimundi visitatum veniret, si quid deforme inueniret, reformaturus. Porrò, cùm neuter tunc venire posset, Petrus Clarævallensis missus est, qui eo anno Calatrauam visitauit, confirmatis in eo Guillelmi legibus, quas vtiles,& sanctas esse cognouit. Ferdinandus deinde illis obediens, sequenti anno millesimo quadringentesimo nonagesimosecundo Sanctam Fidem, dum Granatam obsidet, post biennium millesimo quadringentesimo nonagesimoquarto ad Sillaneam Turrim, vulgò, *Tordesillas*; intra triennium Compluti,& altero triennio exacto, Granatæ iterum, dein Merinnæ Campi anno millesimo quingentesimoquarto, Hispali anno millesimo quingentesimo vndecimo. Demum ad Guadalupem anno millesimo quingentesimo decimosexto, quo & ipse est sublatus, celebrauit Capitula, sacræ Militiæ mores, progressusque, & cætera vtilia promoturus. Eius tempore anno millesimo quadringentesimo nonagesimosecundo, Toletana Arx, vulgò, *de Galliana*, quæ Calatrauæ sub Roderico Diazio Magistro cesserat, pro antiqua Iudæorum Synagoga commutata, Sant-Iacobæas accepit|Sanctimoniales,& Synagoga expiata ritu Christiano, in Prioratum transiit, qui hodie perseuerat sub Calatraua, & Sancti Benedicti aduocatione. Anno millesimo quingentesimosecundo Alcantarensis Militia, quæ hactenus recusasset visitationem Magistri Calatrauæ, quòd Magister Alcantaræ ab electione Magistri Calatrauæ repulsus esset; per Iulium II. omninò exempta est,& Abbati Morimundi immediatè subiecta; nec inaudita parte, vt putat *Rades in Chronic. Alcant. cap.* 4. Sed post reclamationem sacræ Militiæ,& non obstantibus his, quæ allegauisset; expedita ab eodem secunda Bulla, Romæ apud Sanctum Petrum, tertio Kalendas Septembris, Pontificatus ipsius anno secundo; id est, Christi 1503. Sub idem tempus Gutierius Padillæus Commendatarius maior, Xenodochium ad oppidum Almagro struxit, dotauitque, adeò magnificè, vt ex reddituum superabundantia non multò pòst, insigne Virginum Monasterium constructum fuerit.

XXXIV.

CAROLVS V. IMPERATOR, ADMINISTRATOR SECVNDVS.

Electus, siue veriùs postulatus ad Guadalupem, in Capitulo Ordinis, quod ibidem, quando Rex Ferdinandus obiit, celebrabatur. Quippe, cùm mortem Regis cognouissent, de Magistro eligendo, priusquàm impedirentur, deliberabant. Sed Cardinalis Hadrianus, qui mox Pontifex eius nominis VI. contra morem vocabulum retinuit (cùm res Hispanas tunc administraret) primùm litteris, mox aduentu suo ad Synodum, electores cohibuit; qui cùm non eligere indecorum iudicarent, post varios tractatus, eò tandem adducti sunt, vt Carolum tunc iuuenem decimum sextum agentem ætatis annum vnanimes eligerent, qui suæ Militiæ præsideret. Indulta est illi administratio à Leone Papa X. atque ipse, cùm priùs Sacramento firmauisset, se leges Guillelmianas seruaturum, ab omnibus gratanter admissus est, Burgis in Capitulo ibidem celebrato, quod hodie Calatrauæ, quin & Salmanticæ in Sant-Bartholomæana Bibliotheca, & in pluribus aliis extare video. In hoc Capitulo, cùm Xenodochij constructi apud Almagrum redditus, longè sumptibus maiores, superfluere viderentur, Virginum Monasterium surgere iussum in eodem oppido, quod hodie inter illustria Regni connumerandis præferendis, si quæ fortè emerserint è Padillæa familia, quòd is honor habendus videretur ei, qui redditus illos legauisset. Cùm in Capitulo celebrato Hispali sub Ferdinando Rege, anno millesimo quingentesimo vndecimo, de quotidiani pensi recitatione, quasi nimis prolixi, nec concordantis antiquis Sanctionibus, vt vulgò putabatur, relatum esset; decretúmque, vt Abbas Morimundi, tanquàm supremum totius Militiæ Caput, consuleretur; ipse executus, quod auus non potuisset, ad eundem Abbatem scripsit per specialem nuncium hæc inter alia: *Qua de re* (inquit) *Catholicus Rex, auus noster, vti administrator, cum cæteris Capitularibus decreuit ad deuotionem tuam, tanquàm ad Patrem, & huius Ordinis originem, mittere*, &c. *Verùm, cùm ob temporum, & rerum mutationes, tunc missum non fuerit, nos, qui in administratione illi successimus, par esse existimauimus, vt ea exequeremur, quæ per ipsum, tanquàm Administratorem, & Capitulares prudentissimè decreta sunt. Quapropter magnoperè deuotionem tuam rogamus, vt pro summa tua in hunc Ordinem pietate, cuius tu supremum Caput existis, normam orandi antiquam illi præscriptam in tui Monasterij Archiuio inquiri facias, eámque ad nos per hunc nuntium nostrum in forma authentica transmittas: vel, si fortè reperiri non poterit, significabis nobis, qua forma orandi Fratres tui laici vtuntur: hinc enim ipsam eis conuenire, non leuibus coniecturis arbitrantur*, &c. Hæc circa annum millesimum quingentesimum vigesimum, plùs, minúsve: neque enim certus epistolæ præscribitur. Intra nouennium Claudium Colenum, Calatranæ Priorem, vltrò abdicantem onus, abire finit, cui & litteras commendatitias dat, excusans, quòd bellorum occasione non mittat Religiosum Calatrauæ, qui ipsum, vt par esset, comitaretur. Petens præterea, vt electio successoris, quoad ipse moneat, paulisper differatur. Porrò has litteras in Annalibus promissas, quas authenticas, sicut & præcedentes, apud me habeo, ecce subiungo:

Carolus, diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Rex Germaniæ, & Hispaniæ, &c. *Reuerendo, & Venerabili Patri Abbati Morimundi Ordinis Cisterciensis.*

Reuerendus Pater, Fr. Claudius Colinus, qui ex commissione tua in sancto Ordinis Militiæ de Calatrana Conuentu, cuius administratione perpetua fungimur, Prioratum hactenus gessit, sapiùs, ac iustis de causis, ab eo nobis relatis, petiuit, obsecrauitque, vt sibi remeandi in Monasterium vestrum, vbi professus est, facultatem faceremus: quam nunc ei concessimus; atque ita cum bona gratia nostra ad vos reuertitur. Et quanuis cuperemus mittere cum eo eiusdem Militiæ religiosum, qui comes itineris esset, & litteras ad te perferret, quibus peteremus, vt de Viro Religioso, ac idoneo Priore prouideres: tamen pro nunc eum mittere non licuit, obstante bello nobis per Regem Gallorum indicto. Quamobrem rogamus, vt præfatam Prioris personam commendatam habeas. Præterea, ne quempiam alium in Priorem ad nos mittas, quoadusque personam religiosam ad te cum litteris nostris mittamus, quæ deducat, comitetúrque personam ipsam præfati Prioratus regimini per te destinandam. Siquidem interea per Vicepriorem satis commodè poterit gubernari: est enim prudens, & plurimæ religionis vir. Cùm verò Religiosum, qui Priorem deducturus est ad te, miserimus, specia-

liter ſcribemus de virtutibus, meritiſque, quibus quem tranſmittes Religioſum Priorem, præditum eſſe velimus, & de aliis ad bonum præfatæ Militiæ ſpectantibus. Reuerendam, & perſonam, & Congregationem tuam, cùm vobis ſit opus, perpetuò commendatam habebimus. Datum Barchinonæ die ſexta Iulij, anno Domini M. D. XXIX. Hæc Imperator. Verùm; cùm Abbas, vel ſui iuris auidus, vel pro Militia prouidus, non expectato Religioſo, aut litteris, Petrum Neualium miſiſſet ſucceſſorem; recuſatus à Carolo, & Militia, ſiue fortè recuſans, neque enim de hoc conſtat, reuerſus eſt: & cum eo miſſus Religioſus Calatrauæ, Valentiæ Prior, qui ſubrogandum reuerenter comitaretur. Tùncque inſtitutus, & ſuſceptus eſt Nicolaus Auenius anno 1530. vt in hoc ipſo Tomo latè tradidimus. Carolus deinde anno 1535. & iterum 1551. Capitulum celebrat, vtrunque Matriti: declinante obſeruantia proceſſu temporis; & quæ ſingulis annis incepiſſent, mox ad triennium, & ad duodennium; deinde vltra quindennium protogabantur. Inter hæc tamen, quod penitùs abſoluit Militiam ſacram, & Milites à communibus, ad propria; ad ſæculum, à Religione reuocauit; anno 1540. impetrauit à Paulo Papa III. vt caſtitatis votum, quod hactenus abſolutum profitebantur, in coniugale tranſiret; atque nuptiis permiſſis, duo alia vota, paupertatis, nimirum, & obedientiæ, ægrè, aut ne ægrè quidem, ſeruari poſſent. Quippe obedientiæ, vxorium ius frequenter; paupertati, filiorum educatio, & hæreditas relinquenda aduerſabantur. Anno 1552. Nicolao Auenio ſacri Conuentus Priore defuncto, ad Abbatem Morimundi Ioannem huius nominis IX. ſcribit, quatenus Monachum, non Gallum, ſed Hiſpanum ad Calatrauam mittat, per quem ſacer Conuentus, atque vniuerſa Calatrauæ Militia, in ſpiritualibus competentiùs inſtitueretur. Anno 1555. Imperio ſimul, Regnóque, & Magiſterio abdicatis, à magnanimo Principe, ſuccedit

XXXV.

PHILIPPVS SECVNDVS,
ADMINISTRATOR TERTIVS,

Hiſpaniæ Rex, cognomento, PRVDENS, quem anno 1560. lego, cùm priùs factum Conuentum viſitaſſet, ibidémque Redemptionis noſtræ myſteria, & ſacri Paſchatis ſolennes dies egiſſet, *apud Rades cap.* 17. Capitulum Toleti congregaſſe. In eo primùm diffinitiones Ordinis typis vulgari iuſſæ, & Michaëli Marañonio Equiti, atque Aduocato Fiſci, viro erudito (quem Martinus Appileueta Nauarrus eximiè laudat) ea cura iniuncta, qui opus diſponeret, & luculentis notis illuſtraret, circunferuntur vulgatæ Valliſoleti, apud Hadrianum Ghemart, anno 1568. In eo Capitulo de Priore Calatrauæ tractatum eſt, quem ab alio, quàm ab Abbate Morimundi inſtitui, nefas; Gallum admittere importunum videbatur. Et erat æquum, Rege adminiſtrante, vt ei Monachi electio, qui ſacro Conuentui præeſſet, permitteretur. Obtentum primum ſupplementum Pontificis, vt Calatraua per Adminiſtratorem, quandiu de iure eligendi, & ad quem pertineret, inquirebatur, gubernaretur. Mox conſultus Cardinalis de Claraualle, Hieronymus Sorherius, ſuper Morimundenſium Abbatum iura; & obiecta in contrarium, quæcunque poterant: dein cùm illud inconcuſſum inuentum eſſet, miſſus in Galliam Garcerandus, cognomento DE SPES, Calatrauenſis Eques, cum Regis litteris, ad Morimundi Abbatem, vt conſentiret; ad Ciſtercienſem, & ad Reginam Galliæ, vt intercederent, datis Matriti, die 14. Nouembris, anno 1565. Sequenti anno, cùm Abbas Morimundi recuſaret omnimodam electionis reſignationem, Ludouicum Alvarez de Solis, Monachum Morerolæ, Congregationis Hiſpanæ Generalem emeritum, Pio V. præſentat, pro illa vice in Priorem inſtituendum. Annuit Eccleſiæ Paſtor regiis votis: ſine præiudicio tamen iuris Abbatis Morimundi, ad quem Rex ipſe aſſerebat pertinere. Quippe pro iure Abbatis Morimundi, addita in fine indulti ſolenni clauſula: *Vt ei, illa vice duntaxat, ſemper aliàs in ſuo robore permanſuro, derogaretur. Romæ apud S. Petrum die* 27. *Decembris, anno* 1566. Eo anno redditus Calatrauæ Prior, cùm Sedes iam vacaſſet annos quatuordecim. Intra biennium Conuentum Sanctimonialium, vulgò, *de Sant Felices*, ex Arnaya, ad Burgos transferri fecit: tranſlatione commiſſa nouo Priori, Ludouico Soliſio, quem Franciſcus Rades Andradius, Calatrauæ Hiſtoriæ Author, quam paulò pòſt vulgauit, comitabatur. Quinquennio exacto 1579. Capitulum Matriti congregauit,

uit, Ludouico Priore sacri Conuentus in Pontificalibus celebrante: & primo, post eum, qui Regis loco præerat, Capituli totius Diffinitore: hæ quoque leges publicari iussæ, & excusæ Matriti, anno 1576. Circa quod tempus eundem Ludouicum Calatrauæ Priorem, in Abbatem Fiterij præsentauit, Prioratus petita retentione. Nec multò pòst scrupulis adacto, atque alteram dignitatem resignaturo, Abbatiæ resignandæ Author extitit, quanuis habentis vberiores longè prouentus: ne, Prioratu vacante, iterum Morimundi Abbas rogandus foret. Inter hæc verò, quæ dudum inoleuissent per quatuordecim annos, consuetudinibus difficilè euellendis dum Ludouicus instanter laboraret. Verùm, an creditum tantùm, discrimen incidit, quod vitare cùm vellet, à Philippo II. permissus est, in Morerola viuere, inde sacrum Conuentum per substitutos Monachos, quod per se absens non posset, gubernaturus. Et rexit longo tempore per Stephanum Guerram, & alios, quos idoneos censuit ad illud munus. Demum Philippus cognomento, PRVDENS, cùm annos 44. administrasset, obiit anno 1599. tertiadecima die mensis Septembris.

XXXVI.

PHILIPPVS TERTIVS REX,
ADMINISTRATOR
QVARTVS,

In Regno, & Administratione simul succedens anno 1599. cùm paulò antè Ludouicus Aluarez obiisset, & vacaret Prioratus sacri Conuentus, celebrauit Capitulum Matriti anno 1600. in quo inter alia statuit, vt Prior Calatrauæ, ex Capellanis, & per eorum suffragia eligeretur. Sed, cùm id statim illicitum cognosceret, imò & irritum fore, prorsus abstinuit, designato Administratore, qui vice Priorum præesset sacro Conuentui. Sequenti anno continuis petitionibus pulsatus, & specialiter prolixis Codicillis Licentiati Cerberæ de la Torre, Sacristæ, qui decretum Capituli in hac parte effectui mancipandum disceptabat; nihilominùs Priorem denegauit, nisi Monachum, vnquam substituendum. Sed, dum Administratores continuat ex Capellanis, non solùm Monachos, sed Priores etiam oblitus, Militiam totam sine proprio Pastore tenuit, in quo omnes conueniunt, per substitutos, quod scrupulo non vacat, iam vltrà annos 40. administrandam. Certè ab eo, ad præsens vsque tempus, dubitatum à doctis, an aliquis in ea familia sit, per quem potestas clauium in foro externo valeat exerceri. Quòd si declarationibus ipsius, in Capitulis Sanctæ Fidei, & Turris Syllaneæ, siue *de Tordesillas*, quas Marañonius citat, *tit.* 4 *cap.* 1 *in Notis*, standum foret, neque in interno adhuc, quod peius esset; non profutura Bulla Cruciata Calatrauæ Militibus ad eligendos sibi Confessores, quod ipsi declararunt; & aliàs priuilegiis multis stabilito, vt solis Confessoribus deputatis à Priore sacri Conuentus, nec qualicunque, sed instituto ab Abbate Morimundi, valeant confiteri. Quæ recepta inter ipsos, Ceruera Turrianus vulgauit etiam ad exteros. Sed hæc qui curant, altiùs indagabunt. Nobis sat proposuisse, vel omittenda, si minùs ad rem faciunt; vel, si quid faciunt, supplenda, aut emendanda, prout res exigat. Decessit PHILIPPVS, cognomento BONVS, Matriti, anno millesimo sexcentesimo vigesimoprimo, cum lacrymis suorum, qui vt Patrem amabant, imò & experiebantur; inde ad Sanctum Laurentium, Regio Tumulo Patrum inferendus.

XXXVII.

PHILIPPVS QVARTVS REX,
ADMINISTRATOR
QVINTVS,

Successit anno 1621. Sub eo de Priorali dignitate iterum actum, primùm per Reuerendissimum Claudium Briffaultium, Abbatem Morimundi, qui de Gallo desperans, Hispanum tandem Monachum instituit, R. P. M. Fr. Chrysostomum Henriquez, Hortensis in Castella Cœnobij Monachum, ex scriptis satis notum, anno 1629. Mox ipso immatura morte rapto, litteras suas nobis destinauit datas Morimundi, 1. die men-

